HISTORIA ANGLICANA ECCLESIASTICA A PRIMIS GENTIS SUSCEPTAE...

Nicholas Harpsfield, Richard Gibbons, ...

Digitized by Google

7 M
2-g
6
10 0
20
7.-2.g.16

HISTORIA ANGLICANA ECCLESIASTICA

A PRIMIS GENTIS SVSCEPTAE FIDEI INCVNABVLIS AD NOSTRA FERE TEMPORA DEDVCTA,

ET IN QVINDECIM CENTVRIAS DISTRIBVTA:

AVCTORE

NICOLAO HARPSFELDIO
ARCHIDIACONO CANTVARIENSI.

Adiecta breui narratione de Diuortio HENRICI VIII. *Regis ab vxore* CATHERINA, *& ab Ecclesia Catholica Romana discessione,*

Scripta ab

EDMVNDO CAMPIANO

Nunc primum in lucem producta Studio & Opera

R. P. RICHARDI GIBBONI ANGLI Societatis IESV Theologi.

DVACI,
Sumptibus MARCI WYON, Typographi Iurati,
sub signo Phœnicis.

Anno M. DC. XXII.
Cum gratia et Priuilegio.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO
AC
REVERENDISSIMO DOMINO

D. FRANCISCO VANDER BVRCH

ARCHIEPISCOPO.
ET

DVCI CAMERACENSI,

S. R. I. PRINCIPI
COMITI CAMERACESII.

MIRABERIS fortasis, ILLVSTRISSIME ac REVERENDISSIME DOMINE, cur, lucem ambiens hæc rerum ANGLICANARVM historia, in ipsa statim fronte ac vestibulo præferat nomen Tuum. Absre enim videri potest, cum tot Illustria inter MAGNÆ BRITANNIÆ Principes fulgeant nomina, quibus hic quasi domesticus partus debebatur, aliunde lumen, splendoremque petere. Erat enim SERENISSIMVS Rex IACOBVS literarum amans, & fautor in paucis, qui tot antè Reges gauisus fuisset suæ tutelæ, patrocinioque creditos: erant & alij primæ Nobilitatis viri, qui sibi laudi vertissent & decori, si ab ijs ipsis Maioribus

iam fato functis asciscerentur Patroni, quibus ipsi gloriam, qua nunc florent, magnâ ex parte ferunt acceptam. Verum me terruit, inde, non satis fulgoribus istis assuetum, MAIESTAS REGIA; hinc verò, ne quem è Principibus viris Patronum accerserem, publicæ inuidiæ periculum fecit & offensionis metus. Si enim vnum aliquem inter Principes Catholicum nomine compellassem, erat id scilicet flammæ oleum addere, erat classicum canere, & tot in hominis caput hostes excitare, quot in isto regno fides Catholica sentit aduersarios: sin vero vnum quempiam prætulissem nouæ religionis commenta sectantem, quid hoc quæso fuisset aliud, quàm tot illi molestos Reprehensores obtrudere, quot in istis annalibus perlegisset & fidei Catholicæ Defensores, & Oppugnatores suæ? Non lubuit igitur, neque vero commode licuit Belgio egredi, & tranare maria, ILLVSTRISSIME DOMINE, præsertim cum TVA me humanitas inuitaret è propinquo. Neque enim hæc historia profana est, quæ nescio quos fortunæ lusus, & armorum bellorumque alternas vices legentium offerat oculis; sed Ecclesiastica, quæ inde vsque ab Apostolis, prima fidei in istis locis proseminatæ incunabula repetit, & velut in speculo antiquam, eamque glorioſam atque magnificam Ecclesiæ BRITANNICÆ faciem exprimit: vt meritò Ecclesiastici alicuius Præsulis nomen ambiat, cùm vt eius colligat Gratiam, tùm vt ei suggerat incitamenta Virtutum. Videbis in ea, ILLVSTRISSIME DOMINE, in omnem virtutis partem præclaros admodum duces, qui ad eam vitæ formam, quam ad viuum exprimis, & munierint præceptis viam, & aperuerint exemplis. Spectabis in ceteris ALBANOS, AMPHIBALOS, AARONES, IVLIOS, sexcentos alios, strenuos

strenuos CHRISTI Martyres., fortissima pectora, quæ ANGLICANVM solum sanguine purpurarunt,& insignis fortitudinis vestigia posteris fixerunt,nostra deinde ætate relegenda. Intueberis in Præsulibus AVGVSTINOS, MELITOS, IVSTOS, CVTHBERTOS, DVNSTANOS, THOMAS Cantuarienses, sanctissimos Archiepiscopos, Episcopos;è quorum fontibus deriuabis riuulos, quibus longè latéque patens Ecclesiæ TIBI commissæ ager irrigetur. Incurrent etiam in oculos pientissimi Reges LVCII, CONSTANTINI, ARTHVRI, ETHELBERTI, OSWALDI, magna BRITANNIÆ sidera; incurrent & Regiæ Virgines ac Feminæ HELENÆ, VRSVLÆ, ac Sociæ, MILDREDÆ, ETHELBVRGÆ, WITBVRGÆ, & innumerabiles aliæ, quarum pleræque omnes non pro castitate modò fortiter fecerint, sed etiam pulcherimarum virtutum erexerint trophæa; quæ vti imbecilles Nouantium vrunt oculos, ita Proborum acuunt, accenduntque animos imitatione pietatis. Hos ego præstantissimos Cœlites, hæc sanctissima agmina TIBI Patronos accerso ILLVSTRISSIME D. dum nobilissimis eorum facinoribus TVVM Nomen præfigo: eo vt arbitror gratiori consilio, quo iam vsu TIBI notius est, ijs pluribus meritò Patronis opus esse, qui ad sacratioris Reip. & animarum sedent gubernacula, & periculosam illam prouinciam gerunt, robustissimis quibusque humeris formidandam. Habebunt vt spero boni isti Cœlites eam TIBI gratiam, vt suum dubijs in rebus patrocinium nullo vnquam tempore TIBI deesse patiantur. Habebit & huius libri auctor & parens NICOLAVS, qui pro fidei defensione magnis perfunctus periculis, & Cantuarienſi Archidiaconatu deiectus bonis euersus, carceri vinculisque damnatus,

nunc gaudet post mortem suis laboribus atque vigilijs, ei prodesse ecclesiæ, quam viuus & valens suis aliquando lucubrationibus,& insignium facinorum laude propugnauit. Habebo & ego tum proprio, tum illorum nomine,& hoc ceteraque à TVA Humanitate profecta beneficia memoria colam immortali.

Illustriß^e. ac Reuerendiß^e. D. V.

humilimus in Christo seruus

RICHARDVS GIBBONVS

AVCTORIS
PRÆFATIO AD LECTOREM.

ALIQVID ego apud te, candide lector, cùm propter varietatem, & delicata nostri temporis iudiciorum fastigia, tum potissimum vt facti & totius instituti mei ratio apertiùs omnibus constet, præfari mihi debere videor. Primum itaque id constanter dixerim, quod nemo credo mihi as iuerit, historiæ ecclesiasticæ lectionem homini Christiano, sacris maximè initiato, post sacras illas & diuinas literas, aliorum quorumcunque librorum lectione, ad humanam vitam rectè & sanctè constituendam, longe esse fructuosiorem. Quod cum mihi, sine alienæ tamen censuræ præiudicio, vt rem certam sumam, non * tamen tam mihi de lectionis huius vtilitate & fructu disserendum, quàm deplorandum videtur, * vel hanc tam necessariam vitæ formandæ partem non adeo, vt par erat, scriptorum ingenio, industria atque eloquentia, nostris præsertim temporibus, quibus omnes artes & studiorum genera, & ciuiles atque politicæ tum aliarum, tum etiam nostræ Gentis historiæ purè & tersè expoliuntur, excultam atque ornatam: vel quod magis præponderat, multorum hodie animos frigidiores, & ab huiusmodi lectione, magna pietatis iactura, esse alieniores. Nam ad priorem querelam * quod attinet, etsi multa sunt a patribus & maioribus in hoc genere grauiter, copiosè, summa fide, & nonnunquam etiam cultiùs atque ornatius scripta; id * tamen satis constat, nullam integram & solidam vniuersæ Ecclesiæ his mille annis, imo nec vnius cuiuscunque in hoc genere nationis, Græcè vel Latinè priuatam historiam, omnibus suis numeris absolutam extare. Quem ego adhuc, post tot ac tanta multorum scripta, Ecclesiæ * deberi laborem existimo, tanto illum quidem magis necessarium, quanto (vt alias iam causas prætermittam) multa, his recentioribus sæculis, in historiam Ecclesiasticam ab auctoribus suis non malis, & malitiosis, vt puto; sed partim parum explorati atque excussi iudicij, partim minutæ & tenuis fidei, partim etiam prorsus ignotis (conniuentibus interim & conticentibus Episcopis, qui primo quoque tempore debuissent ad exactiorem lineam, & solidæ veritatis perpendiculum id genus scripta reuocare) vitiosè & fœdè irrepserint, orbique indignè illuserint. Iam quæ maturiore & constantiore iudicio, & non nisi ex probatis beneque excussis testimonijs, (quorum, sit Superis gratia, magna est copia) perscripta sunt, ab eorum tamen lectione multi nimis auersos, atque abhorrentes animos, nescio satis qua ex causa, habent: nonnulli certè non ex alia magis, quam quod plus à verbis quàm à rebus pendeant, & antiquius ducant linguam, quam pectus formare & excolere.

* *alias iam.*
* *alias vt.*
* *alias desit quod.*
* *alias tanto.*
Causa scribendi hanc historiam.
* *alias debere.*

OB has igitur causas animum studiumque meum huc nuper appuli, vt iustam, plenam, consummatam nostræ saltem Gentis Ecclesiasticam historiam, non ab ipso quod aiunt ouo, sed ab ipso Christo ad nostra vsque tempora continua serie deductam (quatenus sane ex vllis Maiorum monumentis quicquam expiscari, atque exsculpere potuimus) purè & Latinè quidem, si non ornatè & splendide loquentem, posteris relinquerem. Nam accuratam & exquisitam illam eloquentiam dicendi, nec ego mihi vendico, nec præstare possum; & si possim, ad æquabile & temperatum illud scribendi genus, quod ecclesiasticæ historiæ maximè mihi accommodatum videtur, me potius tamen demitterem. Quanquam, vtinam de stilo minus, de vita inculpatè formanda, magis soliciti essemus; vtque purè & nitidè viueremus potiùs quàm loqueremur, & sanctorum Patrum nostrorum diuina viuendi instituta acrius persequeremur. Quibus & illud Dauidis accommodari potest, *Omnis gloria eius ab intus.* Illi cum sua ruditate & barbarie ardua cœlorum ascendere, nobis, ne cum linguæ nostræ nitore & lenocinijs in infernum precipuemur, verendum: adeo virtutis & exactioris vitæ omnis apud nos studium friget; adeo antiquam illam precandi, ieiunandi, vigilandi, & durioris omnis disciplinæ seueritatem; adeo pristinam illam Patrum erga pauperes, & tenues sublenandos benignitatem excussimus; adeo terrenis & caducis toti affigimur; adeo impotenter ad opes, adeo ambitiosè ad honores quauis ratione cumulandos proruimus; adeo denique remissè & dissolutè per omnia viuimus, vt timendum sit, ne, etsi omnia nobis rectè & bellè in sincera & catholica fide constent, duram illam Iudicis vocem tristi & dejecto vultu (quod absit) accepturi simus, *Discedite à me maledicti in ignem æternum: esurijt enim & non dedistis mihi*

psalm. 44. 14.
Matt. 25. 41. 42.

mihi manducare, cum ceteris in eandem sententiam. Vt igitur hanc nostratium præsertim, & meam cum primis nimiam in hac parte cessationem excuterem; nosque & alios ad acriorem piorum operum, & Patrum æmulationem excuerem, sancta viuendi illorum instituta in hanc historiam vbertim conicci, per quæ cœlos illi promeriti sunt. Neque hic nobis pernicioſe blandiamur, vt existimemus aliter nobis cœlestis regni aditum patere posse, quam si non tam exactè exquisitèque per omnia, vt illi, exactius tamen forte multo atque exquisitius, quàm hodie apud nos fit, apud quos omnis ferè seuerioris vitæ cura iacet, vitam traducamus.

ATQVE hæc quidem de catholicis dixerim. Nam quod pertinet ad eos, qui multiplices & diſſectas has hodie & nouas, neque tamen tam nouas quam innouatas, atque interpolatas & diu damnatas sectas sequuntur, non illi solùm communi hoc vitioſæ & contaminatæ vitæ crimine, multoque implicatius atque expeditius in laxissimam omnis melioris, & indulgentioris vitæ licentiam effusi inuoluuntur; sed grauiore & atrociore variarum etiam hæreſeon accessione, suam damnationem accumulant. Inter quas est illa, quod pijs operibus, & suam mercedem & meritum; & toti pæne Patrum nostrorum vitæ rationi & instituto (vitam Christianam, non vsitatis ideam, & ab exordio nascentis ecclesiæ ductis, sed nouis, quas suo ingenio fabricarunt, rationibus & præscriptis metientes) periculose & nefariè detrahunt. Quibus nos rectè, quod CONSTANTINVS *Magnus Accesio* Nouatianorum olim Episcopo, dixerimus; Erigite vos vobis scalam, per quam vobis solis cœlestis regni ingressus aperitur. De quorum erroribus, in quibus sunt nimis fœcundi & facundi, non est hic dicendi locus; id potius, quod incœpi dicere, dicam. Si Patres nostri quos hæc historia complectitur, cœlum possideant; quod nemo pius dubitat, occlusum est certe istis: sin isti cum his moribus & doctrinis in cœlo versentur, Patres nostri omnes à cœlo (quam vocem piç omnium aures abominantur) excluſi sunt. Quare cum certum & expeditum sit, Patres nostros cœlesti beatitudine pertrui, restat vt & attentè consideremus quibus, illi vitæ studijs, atque institutis viam sibi illuc munierint; & nos, si eo peruenire velimus, eorum acrius vestigia persequamur.

Socrates lib. 1. histor. c. 7.

SED vt & ad alias causas, quæ me ad hunc laborem pepulere, accedam, est & hæc inter ceteras non mediocris, quod sectæ istæ vt sacras Scripturas, & Patrum de religionis dogmatis sententias, ita & Ecclesiasticam cum primis historiam, sed, ni fallor, nullus æquè Gentis atque nostræ, fœdè deprauarint atque contaminarint. In qua magnam quandam pietatis & sanctitatis vim, & præclarissima ad vitam sanctè instituendam instituta recondita, si nihil aliud vel illud indicat, quod omnes suæ malitiæ Satan in membris suis neruos, ad eam impugnandam & labefactandam, adeo intendat. Quam duplici potissimum (parum in suo sibi mendacio & errore constantes) ratione deturpare, & immaculare isti conantur. Aliàs enim totum his mille annis Patrum nostrorum vitæ genus, doctrinam, instituta damnant, conuicijs lacerant & proscindunt; multa interim de suo, ad maiorem illi inuidiam accessendam, nefariè de illis mentientes. Aliàs, ne tam incredibilem orationem omnes abhorrerent, si omnem rectè de Deo sentiendi, & rectè viuendi rationem, tot sæculis extinctam & obrutam pertinaciùs affirmarent; *Wicleffum* & nescio quos, vix integris sæculis vnum & alterum, tanquam phœnices ostentant & vendicant. Sed, cum & hęc valde ieiuna, sterilis & frigida defensio videretur, impudentius prouecti, totam ANGLICANAM Ecclesiam iam ante multa sæcula, & CAROLI quidem *magni* sæculo suam fuisse, quod Christi & Diuorum imagines execrata sit (idque nulla alia probatione, quam commentitiæ *Alcuini* epistolæ, quæ nullis alijs quàm mathematicis hactenus literis scripta, nec alibi quàm in Europa apparuit) vmbra inani clamitant. Quin & in Ecclesiastica causa etiam ante GVILIELMI *Normanni* tempora, idem prorsus cum *Wicleffo* sensisse, idque nullo alio, quàm *Saxonici* cuiusdam fragmenti, nuper ab inferis resuscitati, siculneo præsidio, & præclaris quasi nouæ *Sibyllæ* solijs, contra luculentam & apertissimam aliorum omnium nostratium, præcedentium atque sequentium, atque adeo illius temporis scriptorum testationem, insciitè & vanè iactitant. Cuius generis sexcenta sunt alia eorum eiusdem in Ecclesiastica nostra historia * nefandę vanitatis commenta.

* *alias* fœdandæ,

VTILE ergo & oppidò quàm necessarium existimaui, vt vera & perpetua nostræ Ecclesiæ historia scriptis proderetur, per quam liquido constaret, quam viuendi rationem Patres nostri sequuti sint; quæque istorum vanissima commenta & mendacia apertè refutaret. Non quod nos quidem iustam aliquam & propriam, in istorum vanitate reuincenda, operam in hac historia concinnanda posuerimus, id enim, præterquam quod importunius (ni fallor) fieret, &

Hæreticos non arguet aut minùs tum refellet.

rum lib. 1. *Historiam Anglia* (Ecclesiasticam intellige quam modo exhibemus)li. 1 . *Historiam Wicleffianam* lib. 1. (quam nunc etiam damus) *Epigrammatum & aliorum carminum* lib. 1. ex quibus varia vidi, quorum vnum sic incipit

Flumina ab Oceano primùm decurrere vasto,
Inque illum rursus cuncta redire, ferunt.

Obijt tandem *Londini* Confessor in carcere post vigesimum captiuitatis annum, qui fuit partus Virginei plus minus. M. D. XC. III. sub duro Catholicis *Elizabetha* regno.

DE EDMVNDO CAMPIANO.

Vis quantusque fuerit *Campianus*, quidue gesserit in vita vel etiam scripserit, partim ex nostro *Petro Ribadeneira*, partim ex *Ioanne Pitsio* cognosci potest, quorum posterior hæc recenset illius opera, *Orationem funebrem* in exequijs solemnibus Illustrissimæ *Dudlæ*, coniugis Comitis *Leicestrensis*. *Alteram funebrem* in exequijs *Thomæ Viti* Equitis. *Tragœdiam Nectar & Ambrosiam*, quam actam coram Imperatore, carmine laudauit *Gregorius Martinus*. *Chronologiam vniuersalem* lib. 1. de cuius laude scripsit idem *Martinus* etiam carmine. *Historiam Hiberniæ*, de qua ipsemet *Campianus* epistola quadam sic loquitur. *Historiam Hiberniam* suspicor perijsse; iustum volumen & absolutum. Inquisitores hæretici rapuerunt. *Rationes decem, quibus fretus certamen aduersarijs obtulit in causa fidei*, lib. 1. *Epistolas* & *Orationes* nonnullas ornatissimas in quibus & de M. *Tullij* imitatione venustissimè disseruit. *Orationem funebrem* in exequijs *Mariæ Cardonæ* de *Requesina*. Denique hanc scripsit *Narrationem de Henrici VIII. Regis diuortio ab vxore Catherina, & ab Ecclesia Catholica Romana discessione*; quam ego narrationem, aut potius narrationis fragmentum, doctissimo & humanissimo seni, eique S. T. Licentiato *D. Henrico Hollando* acceptam fero, quod te scire volui quisquis hæc lecturus es, vt gratias illi mecum pro tam singulari fauore maximas habeas, & bene preceris.

Index Capitum totius operis D. Nicolai Harpsfeldij, de historia Ecclesiastica Anglorum quod distinguitur in sæcula.

CAPITA PRIORVM SEX SÆCVLORVM.

SÆCVLVM I. VOMODO Euangelium paulo post Christum passum, per omnem orbem & in Britannia per Ioſephum ab Arimathea propagatum ſit, Cap. 1.

Diploma Regis Henrici ſecundi indultum cœnobio Glaſconienſi. Cap. 2.

SÆCVLVM II. De fide Chriſtiana paſſim & palam Imperante Lucio in Britannia ſuſcepta, eodem etiam Lucio Chriſto initiato. Cap. 3.

III. De Imperatoribus Diocletiano, Maximino, Maxentio, & Licinio. Cap. 4.

Nomenclatura eorum qui ſub prædictis Imperatoribus in Romano imperio, & circa hæc tempora in Perſide, illuſtri martyrio obiere, & primum de Martyribus Europæ. Cap. 5.

Martyres Africæ. Cap. 6.

Martyres Aſiæ. Cap. 7.

De inſularibus Martyribus, Albano præſertim & ſociis in Britannia. Cap. 8.

Miracula & beneficia poſt ſacram eius dormitionem. Cap 9.

De Amphibalo & aliis eodem tempore martyribus. Cap. 10.

SÆCVLVM IV De Conſtantino Magno, qui primus ex Imperatoribus Chriſto nomen publice dedit, & patre eius Conſtantio. Cap. 11.

De eodem Conſtantino, egregioque illius in Chriſto cultu prouehendo, & idololatria reprimenda ſtudio. Cap. 12.

De Nicæno Oecumenico Concilio, ſingularique Conſtantini in reprimendis Arrianis & aliis hæreticis ope. Cap 13.

De Helena Conſtantini matre. Cap. 14.

De Oecumenico Concilio Sardicæ pro Athanaſio contra Arrianos, cui & Britanniæ aliquot Epiſcopi interfuerunt. Cap. 15.

De Ariminenſi Concilio, cui etiam & Britanniæ Epiſcopi interfuerunt, & quomodo cum reliquis Catholicis Epiſcopis ab Arrianis callide circumuenti ſunt. Cap. 16.

SÆCVLVM V. De perturbatiſſimo Romani imperij quinto ſæculo, tum propter Barbarorum incurſiones, tum propter varias hæreſes, ſtatu. Cap 17.

De Pelagio Britanno Pelagianæ hæreſis conditore. Cap. 18.

A quibus Romanis Pontificibus & Conciliis & patribus damnata ſit Pelagianorum hæreſis. Cap. 19.

De Germano & Lupo Epiſcopis, miſſis per Celeſtinum ſummum Pontificem è Gallia in Britanniam, ad errores Pelagianorum reprimendos. Cap. 20.

De Diuo Patritio Hiberniæ Apoſtolo. Cap. 21.

De Diuo Niniano deque Vrſula cum ſodalibus. Cap. 22.

SÆCVLVM VI De Gilda Albanio & Gilda Badonico, Cap. 23.

De Dubritio, Iltuto, Congello & Rege Arthuro. Cap. 24.

De Brendano Abbate. Cap. 25.

De Dauide Epiſcopo Menenſi Cap. 26.

De Machutho, Theliao, Daniele, Petroco, Sampſone, Maglorio, et Cadoco. Cap. 27.

De Kentigerno, Paterno, Cungaro, Iuſtiniano martyre, & Kenedo & quibuſdam ſexti ſæculi Epiſcopis. Cap. 28.

Septimi ſæculi Capita.

De cauſis euerſæ per Saxones Britanniæ, & mirabili Dei prouidentia, qui tam eos, quam alias gentes ethnicas in Occidente ad fidem Chriſtianam traduxit. Cap. 1.

De primis regibus Cantij & quomodo Gregorius primus Papa, quaue ex occaſione in Angliam proficiſci cogitarat, Euangelij prædicandi ergo. Cap. 2.

De prædicto diuo Gregorio, aliisque huius ſæculi Romanis Pontificibus atque Imperatoribus, & Cantij hoc ſæculo Regibus. Cap. 3.

De rege Cantiæ Ethelberto per Auguſtinum ad Chriſtum traducto, deque Bertha eius vxore, & Epiſcopo Lethardo. Cap. 4.

De Edbaldo, Ercomberto, Egberto, Lothario, Edrico, regibus Cantiæ Cap. 5.

De Auguſtino Anglorum Apoſtolo, primoque Cantuarienſi Archiepiſcopo. Cap. 6.

De Laurentio, Mellito, Iuſto, Archiepiſ. Cap 7.

De Honorio, Theodato, & Theodoro Archiepiſ. Cap. 8.

De cœnobio beato Petro & Paulo per Auguſtinum Cantuarienſem: de Petro & aliis eius Prædidibus, deque diplomate Ethelberti Regis quod eidem cœnobio concellerat. Cap. 9.

De

Historiæ Anglicanæ Ecclesiasticæ.

De diua Mildreda & aliis sacrarum in Cantia hoc sæculo Virginum præfectis, earumque monasteriis. Cap. 10.

De Episcopis Rocestrensibus siue Rossensibus. Iusto, Romano, Paulino, Ithamaro. Cap. 11.

De regno & regibus Occidentalium Saxonum siue Orientalium Saxonum. Cap. 12.

De Episcopis Orientalium Saxonum. Cap. 13.

De Cœnobio Oltro Saxonum, & de diua Ethelburga. Cap. 14.

De Regno & regibus Orientalium Anglorum. Cap. 15.

De felice & reliquis huius sæculi in eo regno Episcopis. Cap. 16.

De Monasteriis huius regni hoc sæculo, & pio viro Turlco, deque Ethelburga & VVilburga Virginibus. Cap. 17.

De Regno Vvilsaxonum, deque Chinigillo primo rege Christiano ibidem. Cap. 18.

De Berino & alus Episcopis Vvilsaxonum: deque Malmesburiensi cœnobio. Cap. 19.

De Regno Australium Saxonum, deque Wilfrido, & aliis Episcopis Sololensibus siue Cicestrensibus; deque triennali siccitate depulsa, gente hac ad Christum traducta, primoque Christiano ibidem rege Ethelualchio, deque peste miraculose repressa. Cap. 20.

De Regno & Regibus Merciorum. Cap. 21.

De Episcopis Merciorum, aliisque piis viris qui nascentem ibi fidem promouerunt. Cap. 22.

De Rege & Monacho Ethelredo, de diuis Milburga, VVerburga, Chineburga, Chinesuida, & Tibba, deque variis huius prouinciæ Cœnobiis. Cap. 23.

De Ethelreda & cœnobio Elienli, deque sorore ipsius Sexburga, deque Ermenilda Regina, de diuo Botulpho. Cap. 24.

De Regno Northumbriæ primoque eius Christiano Rege, eodemque martyre Edvvino Cap. 25.

De Osvvaldo Northumbriæ rege & martyre. Cap. 26.

De Osvvio & Olvvino Northumbriæ regibus, & filia Osvvii Elfreda ex voto patris Virginitati dedicata, & Mercus per Osvvium ad Christi fidem perductis; deque Regibus Egfredo & Ælfredo. Cap. 27.

De Archiepiscopis Eboracensibus, quorum primus Paulinus. Cap. 28.

De Wilfrido Archiepiscopo Eborac. nili. Cap. 29.

De Episcopis Hagustaldensibus. Cap. 30.

De Episcopis Lindisfarnensibus, primoque illic Episcopo Aidano. Cap. 31.

De Cuthberto & successore eius Eadberto. Cap. 32.

De miraculis Cuthberti dum viueret. Cap. 33.

De miraculis diui Cuthberti, quæ post eius obitum acciderunt, & admirabilis de incorrupto illius corpore narratio. Cap. 34.

De cœnobiis Northumbriæ hoc sæculo, piisque viris monasticam vitam ibidem degentibus. Cap. 35.

De Hilda Abbatissa, & Cedmono Monacho. Cap. 36.

De aliis hoc sæculo Northumbriæ cœnobiis, deque Benedicto, et Colfrido Abbatibus, & Ebba Abbatissa. Cap. 37.

De quibusdam prodigiosis euentibus, qui in hoc sæculo in Northumbria contigere. Cap. 38.

De Cambria siue VVallia, de rege Cadovvalladro, deque quibusdam Cambriæ Episcopis et doctis viris, & de palchatis die a Cambris perperam obseruato Cap. 39.

Octaui sæculi Capita.

De Romanis Pontificibus, de Imperatoribus, deque VVithredro et aliis Regibus Cantiæ. Cap. 1.

De Brithvvaldo, Eadvvino, Nothelmo, Cuthberto Archiepiscopis, deque Synodo Clouesthoensi. Cap. 2.

De commemorato Bonifacio Archiepiscopo Moguntino & Germaniæ Apostolo. Cap. 3.

De VVillibrordo & aliis Anglis, qui partim ante Bonifacium, partim post eum in Germaniam seminandi euangelij causa profecti sunt. Deque Lioba, VValpurga, & alus sanctis fœminis illuc profectis. Cap. 4.

De Brithvvino, Lamberto, & Athelardo Archiepiscopis, & metropolitanæ sedis Cantuariensis dignitate, per Offam Regem imminuta, paulloque post restituta, & Cantiani regni sub Alredo interitu, et Alcuini epistola ad Athelardum Cap. 5

De Cœnobiis & Monachis diœcesis Cantuariensis. Cap. 6.

De Episcopis Rossensibus. Cap. 7.

De Regibus & Episcopis Orientalium Saxonum, deque Ethelburga vxore Iuæ Regis. Cap. 8.

De Regibus et Episcopis Orientalium Anglorum. Cap. 9.

De Ina & aliis Regibus Occidentalis Saxoniæ hoc sæculo. Cap. 10.

De Episcopis Vvilsaxonum apud VVintoniam & Shirburniam. & inter ceteros de insigni illo Shirburniæ Episcopo Aldelmo. Cap. 11.

De cœnobiis & Monachis Vvilsaxonum hoc sæculo. Cap. 12.

De Regibus Merciorum, deque miliæ Chenredi Regis qui desperanter obiit; deque epistola Bonifacii Moguntini ad Regem Ethelbaldum. Cap. 13.

De Offa, Chenulpho, & aliis Regibus Merciorum, deque Martyribus Chenelmo & Vlstano. Cap. 14.

De Episcopis Merciorum & primo de VVicciis siue VVigornensibus, & inter alios de diuo Eguino. Cap. 15.

De

Index Capitum

De Episcopis Herfordiensibus & Legecestrensibus. Cap. 16.
De Episcopis Lichfeldensibus Dorcestrensibus & aliis Lindisfarn. Cap. xvi.
De Cœnobiis & Monachis Merciæ hoc sæculo, VVinchercombiæ, Diui Aldoani, &c Bucconiensi. Cap. xvii.
De Croylandiæ cœnobio deque Diuo Guthlaco. Cap. xviii.
De Alfleda Offæ filia, de Diua Fridesvvida & aliis quibusdam Merciæ cœnobijs, Cap. 20.
De Regibus Northumbriæ. Cap. 21.
De Archiepiscopis Eboracensibus, de Hagustaldensibus, & Candidæ Casæ Episcopis; deque Diuo Ioanne Eboracensi. Cap. 22.
De Lindesternensibus siue Dunelmensibus Episcopis. Cap. 23.
De cœnobiis & Monachis Northumbriæ hoc sæculo, ac primum de Lindesternensi Cap. 24.
De Gervvicensi cœnobio & Beda; de Beuerlacensi & aliis cœnobiis. Cap. xxv.

Noni sæculi Capita.

De rege Vvestsaxonum Egberto, atque Romanis Pontificibus & Imperatoribus huius sæculi Cap. 1.
De Dacorum in Angliam irruptione, & cur Deus eos immiserit, Cap. 2.
De Regibus Ethelulpho, siue Etheluolpho & Ethelredo, crebrisque Dacorum irruptionibus atque infestationibus. Cap. 3.
De Rege Aluredo & eius prælijs. Cap. 4.
Quomodo pacis tempore Rempublicam administrauit, de legibus latis, deque Academia Oxoniensi ab eo instituta. Cap. 5.
De priuata Alured vita, & aliis quibusdam ad illius historiam spectantibus. Cap. 6.
De Archiepiscopis Cantuariæ, de Diuo Grimbaldo eiusque oratione, quam habuit in Synodo. Cap. 7.
De Episcopis Orientalium Anglorum, deque martyrio Edmundi huius gentis Regis, & miraculis post illius cædem Cap. 8.
De Vvestsaxonum Episcopis, & cum primis de Suithuno, Episcopo VVintoniensi. Cap. 9.
De Grimbaldo Abbate, & nouo cœnobio VVintoniensi, nouoque Virginum ibidem cœnobio. Cap. 10.
De Asserio & aliis Shirburnensibus Episcopis. Cap. 11.
Eremita, Fremundo martyre, & Abbate Glastoniensi Neoto. Cap. 12.
De Episcopis & Cœnobiis Merciorum. Cap. 13.
De Episcopis Eboracensibus, & Dunelmensibus, & cœnobiis huius Prouinciæ & Aldulfo Episc. Cap. 14.
De Friderico Traiectensi Episcopo, de Hamone, VValetrudo, Strabo, & aliis Anglis, qui huiusce hoc sæculo apud exteras nationes fuere. Cap. 15.

Decimi sæculi Capita.

De Romanis Pontificibus, Imperatoribus, & Angliæ Regibus hoc sæculo. Cap. 1.
De Edvvardo primo, Ethelstano, Edmundo, Eadredo, & Edvvino regibus. Cap. 2.
De Edgaro, Eduardo, & Ethelredo regibus. Cap. 3.
De Edvvardo Rege & Martyre, deque Rege Ethelredo & Elfritha matre Ethelredi. Cap. 4.
De Plemundo Ethelmo, Vlfhelmo, Odone, Elfio, & Brithelmo Cantuariensibus Archiepiscopis. Cap. 5.
De Dunstano Archiepiscopo Cantuariensi. Cap. 6.
De miraculis Diui Dunstani post obitum, deque successoribus eius Ethelgaro & Aelfrico. Cap. 7.
De Vvestsaxonum & eam primis Diuo Ethelvvoldo, & aliis VVintoniensibus Episcopis; de Diua Edburga Præfecta cœnobii VVintoniensis, deque aliis in hac diœcesi hoc sæculo structus cœnobius Cap. 8.
De Episcopis Shirburnensibus, Viltunensibus, Bathoniensibus, Cridiensibus, & Cornubiensibus; deque variis harum diœceseon cœnobiis, hoc sæculo constructis; deque Elgiua, & Eligiua pus mulieribus. Cap. 9.
De Diua Editha sacras virgine apud VViltoniam, & admirabili historia quorundam diuinitùs punitorum ob natalem Christi diem profanatum in Saxonia, Quorum vnus post longam peregrinationem apud tumulum Diuæ Edithæ sanatus est. Cap. 10.
De VVigorniæ & aliis Merciorum Episcopis; de variis cœnobiis hoc sæculo in Mercia structis aut reparatis, deque singulari certamine Guidonis Comitis VVarvvicensis cum Colbrando Daco, homine giganteæ magnitudinis. Cap. 11.
De Diuo Oswaldo, & reliquis Archiepiscopis Eboracensibus & Dunelmensibus; de variis huius sæculi Episcopis, quorum nomina non visuntur apud authores, qui eorum historiam describunt. Cap. 12.

Vndecimi sæculi Capita.

De Romanis Pontificibus, Imperatoribus, & Angliæ Regibus huius sæculi. Cap. 1.
De Edmundo, Canuto Daco, Heraldo primo Daco, & Hardecanuto Daco Anglorum Regibus, & indigna cæde Alfredi filii Ethelredi Regis. Cap. 2.

De

Historiæ Anglicanæ Ecclesiasticæ.

D. Edouardo Rege & Confessore. Cap. 3.
De Emma matre Edvvardi, & quomodo stupri se purgauerit per vomeres ardentes illæsa transiens, deque variis purgationum generibus, quæ tum vsurpabantur. Cap. 4.
De Haraldo Rege & Anglia per Guilielmum primum subacta, id quod prius à quodam pio vir prædictum erat, & diuinæ in ea re prouidentiæ consideratio quædam. Cap. 5.
De commemorato Guilielmo Duce Normanniæ, & iam Angliæ Rege Cap. 6.
De Rege Guilielmo secundo. Cap. 7.
De Sancto, deque Elphego martyre & aliis Cantuariæ Archiepiscopis. Cap. 8.
De miraculis eius post eorum, corporisque à Londino Cantuariam translatione. Cap. 9.
De Lemingo & aliis Elphegi successoribus Cantuariæ. Cap. 10.
De Stigando Archiepiscopo Cantuariensi exauthorato & detectato. Cap. 11.
De Lanfranco Cantuariæ Archiepiscopo. Cap. 12.
De Cœnobio diui Augustini & Saluatoris, deque Abbatibus & Monachis eorundem hoc sæculo. & aliis quibusdam ex Clero Cantuariensi. Cap. 13.
De Roffensibus Episcopis & Monasterio ibidem. Cap. 14.
De Londinensibus Episcopis. Cap. 15.
De Cœnobio VVestmonasteriensi eiusque antiquitate & celebritate. Cap. 16.
[illegible]
Eamundi, et Tedfordiensi. Cap. 17.
De Wintoniensibus et aliis Vuiltaxonum Episcopis. Cap. 18.
De Sarisburiensibus et Vuiltoniensibus Episcopis, et quibusdam Abingdoniæ Abbatibus, et Hardinge Cisterciensi, deque diuo Osmundo primo Sarisburiensi Episcopo. Cap. 19.
De Episcopis Wellensibus siue Bathoniensibus; deque Cridiensibus, siue Exoniensibus. Cap. 20.
De Episcopis Selesiensibus, seu Selocensibus, siue Cicestrensibus apud Australes Saxones Ca. 21
De Episcopis Lindisiæ seu Dorcestrensibus, siue Lincolniensibus, et cœnobiis eiusdem diœceseos; deque Episcopis Legecestrensibus & Beato Iuone Episcopo, deque aliis deinde Merciorum Episcopis. Cap. 22.
De Episcopis Lichfeldensibus seu Couentrensibus et cœnobiis eiusdem diœcesios. Cap. 23.
De diuo Vltano et aliis Wigorniæ Episcopis, deque huius diœcesis cœnobiis. Cap. 24.
De Episcopis Herefordensibus. Cap. 25
De diuo Mariano Scoto, deque historia eius quam de rebus Angliæ scripsit. Cap. 26.
De Archiepiscopis Eboracensibus. Cap. 27.
De Episcopis Dunelmensibus. Cap. 28.
De monastica disciplina Dunelmi et alibi in hac diœcesi reparata. Cap. 29.
De episcopis et rebus Cambriæ Cap. 30.

Duodecimi sæculi Capita.

De Romanis Pontificibus et Angliæ hoc sæculo regibus. Cap. 1.
De Hadriano Quarto Romano Pont. Cap. 2.
De Henrico primo et Matilde vxore eius. Cap. 3.
De Rege Stephano. Cap. 4.
De Rege Henrico secundo. Cap. 5.
De Richardo Rege. Cap. 6.
De sancta cruce et ciuitate per Heraclium Imperatorem à Persis recuperata, de illius ciuitatis statu ad 490. postea annos. Cap. 7.
De expeditione Hierosolymitana à Principibus quibusdam suscepta, et quinam hi fuerint, et quidnam eis contigerit antequam Niceam venirent. Cap. 8
De Nicæa et aliis Bithyniæ vrbibus, deque Antiochia et Hierosolymis captis a nostris, deque Patriarcha Hierosolymitano, qui ad Henricum Regem Angliæ auxilii petendi ergo missus est. Cap. 9.
De profectione Richardi in Syriam, & Messana, Siciliæ vrbe, atque Cypro interim abeo expugnatis de Hierosolymarum capta antisque Richardi gestis in Syria. Cap. 10.
Narratio quo et quoties post Richardi aduentum Europæi Principes de Syria et Sancta ciuitate recuperanda pugnarint. Cap. 11.
Quomodo Richardus captiuus abductus est a duce Austriæ, de oratione eius ad Augustum, de redemptione et reditu in Angliam et obitu. Cap. 12.
De Cantuariensibus Archiepiscopis et in primis de Anselmo. Cap. 13
De eodem Anselmo. Cap. 14.
De Rodolpho, Ormelino, et Theobaldo Archiepiscopis. Cap. 15
De Thoma Archiepiscopo et martyre. Cap. 16
De eodem Thoma eiusque indigna cæde. Cap. 17
De Richardo et Baldvino Cantuariensibus Archiepiscopis. Cap. 18
De Huberto Cantuariensi Archiepiscopo, deque miraculis patratis per Eustachium Abbatem tam in Cantia quam alibi per Angliam. Cap. 19
De cœnobio Saluatoris et quibusdam contentionibus Monachorum cum Episcopis deque doctis viris huiusce cœnobii. Cap. 20

De

Index Capitum

De controuersijs inter Cantuarienses Archiepiscopos & cœnobij Diui Augustini Abbates, deque Cantuarien sibus hoc sæculo Archidiacouis. Cap. 21.
De Episcopis Rossensibus. Cap. 22.
De Episcopis Londinensibus, deque graui illa controuersia, quæ acta est inter Londinensem & alios Episcopos contra Thomam Cantuariensem, quam omnem narrationem hoc caput complectitur. Cap. 23.
De aliis Londinensibus Episcopis, de Guilhelmo Londinensi pseudomartyre de Laurentio ciue Londinensi, deque quibusdam huius diœcesis cœnobijs. Cap. 24.
De Episcopis Nordouicensibus. Cap. 25.
De Episcopis Cicestrensibus. Cap. 26.
De Episcopis VVintonien sibus Cap. 27.
De Episcopis Sarisburiensibus, & quibusdam huius diœcesis viris doctis, & cœnobiis eiusdem. Cap. 28.
De Episcopis Bathonien sibus & Vlrico Eremita. Cap. 29.
De Episcopis Exonien sibus. Cap. 30.
De Episcopis VVigornien sibus, deque Monacho Enashamensi in extasi rapto, deque aliis cœnobijs huius diœcesis. Cap. 31.
De Episcopis Couentrensibus, Lichfeldensibus siue Cestrensibus & quibusdam huius diœcesios cœnobiis, Cap. 32.
De Diuo Roberto & alijs Herfordien sibus Episcopis Cap. 33.
De Episcopis Lincolnien sibus, Cap. 34.
De Hugone Lincolnien si Episcopo. Cap. 35.
De hæreticis quibusdam Oxoniæ damnatis Cap. 36.
De Gilberto Sempringhamensi, authore Gilbertinorum, vt appellantur, Monachorum. Cap. 37.
De diui Albani, Ramesien si, & aliis huius diœcesios cœnobijs, deque quodam qui post mortem oberrabat. Cap. 38.
De Episcopis Elien sibus, Cap. 39.
De Archiepiscopis Eboracensibus, deque Thurstino. Cap. 40.
De Guilhelmo & aliis Eboracensibus Episcopis. Cap. 41.
De Gaufredo Archiepiscopo. Cap. 42.
De quibusdam doctis & pijs viris & cœnobijs huius diœcesios. Cap. 43.
De Episcopis Dunelmen sibus & Carliolen sibus. Cap. 44.
De Beato Godrico Eremita. Cap. 45.
De Episcopis Cambriæ siue VValliæ, Meneuen sibus, Landauen sibus, Bangorien sibus & Assauensibus, deque Giraldo Cambrensi & Beato Iodoco. Cap. 46.
De itinere Balduini Cantuarien sis per Cambriam, & de multis quæ tum, & hoc prius sæculo eadem in prouincia contigere. Cap. 47.

Decimi tertii sæculi Capita:

De Romanis Pontificibus, de Augustis, deque Angliæ hoc sæculo Regibus. Cap. 1.
De Ioanne Rege & regni eo imperante summa perturbatione. Cap. 2.
De Henrico Rege. Cap. 3.
De Rege Edwardo primo. Cap. 4.
De Stephano & alijs hoc sæculo Cantuariæ Archiepiscopis. Cap. 5.
De Richardo Archiepiscopo. Cap. 6.
De diuo Edmundo Richio Cantuarien si Archiepiscopo. Cap. 7.
De Ioanne Peccham o. Cap. 8.
De Roberto VVinchelcio Archiepiscopo, deque iis quæ eo sedente cum Regibus & Romanis Pontificibus acta sunt, deque Templariorum ordine antiquato. Cap. 9.
De quibusdam Cantuarien sis Ecclesiæ hoc sæculo Archidiaconis. Cap. 10.
De quibusdam Cantiæ cœnobijs, deque Diuis Dominico et Francisco eorumque sectatoribus hoc sæculo Angliam ingressis, deque cæde Thomæ Monachi apud Douer iam. Cap. 11.
De Episcopis Rossen sibus. Cap. 12.
De Episcopis Londinen sibus. Cap. 13.
De VVestmonasterien si & aliis huius diœcesios hoc sæculo cœnobijs Cap. 14.
De Episcopis Nordouicen sibus, Cap. 15.
De Episcopis Ciceslrien sibus. Cap. 16.
De duo Richardo & aliis Episcopis Ciceslriæ. Cap. 17.
De Episcopis VVintonien sibus. Cap. 18.
De Episcopis Sarisburien sibus & Exonien sibus Cap. 19.
De Episcopis Bathonien sibus & VVellen sibus, Cap. 20.
De Episcopis Herefordien sibus, & aliis Merciorum Episcopis. Cap. 21.
De Episcopis Couentren sibus Lichfelden sibus siue Cestren sibus. Cap. 22.
De Episcopis Merciorum siue VVigornien sibus. Cap. 23.
De Episcopis Lincolnien sibus. Cap. 24.

De

Historiæ Anglicanæ Ecclesiasticæ.

De Oxonienſi Academia & doctis quibuſdam ibidem et alibi viris, & aliis rebus quæ ibidem vel in Cœnobiis huius diœceſeos accidere. Cap. 25.
De Epiſcopis Elienſibus, quæ et ijs in hac diœceſi, maxime in Academia Cantabrigienſi geſta ſunt. Ca. 26
De Archiepiſcopis Eboracenſibus. Cap. 27.
De Epiſcopis Dunelmenſibus. Cap. 28.
De Epiſcopis Carliolenſibus. Cap. 29.
De Principibus & Epiſcopis Walliæ. Cap. 30.
De Iudeis hoc ſæculo ex Anglia paſſis, deque illorum, dum in Anglia degerent, rebus & actionibus. Ca. 31

Decimi quarti ſæculi Capita.

De Romanis hoc ſęculo Pontificibus & Auguſtis. Angliæque Regibus. Cap. 1.
De Rege Edvvardo ſecundo. Cap. 2.
De Clemente quinto & Ioanne 22. Romanis Pontificibus, & eorum miſſis in Angliam legatis Cap. 3.
De Rege Edvvardo tertio. Cap. 4.
De Pontificibus qui, imperante Edvvardo tértio, clauum & adminiſtrationem Romanæ Eccleſiæ tenebant, & variis negotiis quæ inter eos & Edvvardum intercеſſerunt, Ca. 5.
De Richardo Rege ſecundo, deque ingenti concitatione & ſeditione ſeruorum & ruſticorum. Cap. 6.
De ſeditioſis apud oium Albanum oppidum, & apud Northfolciam & Suffolciam, & de reſidua hiſtoria Regis Richardi Cap. 7.
De Vrbano & Bonifacio qui Eccleſiæ Romanæ totius ſcilicet Catholicæ Eccleſiæ clauum, regnante Richardo tenuere, deque exitiali eiuidem Eccleſiæ Romanæ ſcissimate, Cap. 8.
De Waltero Rainaldo, & aliis Cantuariæ hoc ſæculo Archiepiſcopis. Cap. 9.
De Simone Iſlepio & aliis Cantuariæ Archiepiſcopis. Cap. 10.
De Simone Langhamio & aliis Archiepiſcopis. Cap. 11.
De Cœnobijs quibuſdam & Archidiaconis Cantuarienſis diœceſeos. Cap. 12.
De Epiſcopis Roffenſibus. Cap. 13.
De Epiſcopis Londinenſibus. Cap. 14.
De Carthuſianorum cœnobio Londini hoc ſæculo exædificato, & illuſtribus propter doctrinam huius diœceſeos cùm Monachis, tum aliis, deque rebus alus ad cœnobia & cœnobitas ſpectantibus. Cap. 15.
De Epiſcopis Norvvicenſibus. Cap. 16.
De Burienſi & aliis in hac diœceſi cœnobiis, & doctis hoc ſęculo cœnobitis. Ca. 17.
De Epiſcopis Ciceſtrenſibus. Cap 18.
De Epiſcopis VVintonienſibus. Cap. 19.
De Guilielmo VVichamo VVintonienſi Epiſcopo; deque duobus illis collegiis quæ Wintoniæ & Oxonii conſtruxit. Cap. 20.
De Epiſcopis Sarisburienſibus. Ca. 21.
De Epiſcopis Exonienſibus. Ca. 22.
De Epiſcopis Bathonienſibus & VVellenſibus. Cap. 23.
De Epiſcopis Herefordienſibus. Cap. 24.
De Epiſcopis Merciorum, Couentrenſibus, Lichfeldenſibus ſeu Ceſtrenſibus & aliis. Cap. 25.
De VVicciorum ſeu VVigornienſibus Epiſcopis Ca. 26.
De Epiſcopis Lincolnienſibus; deque collegio Leceſtrenſi, & quibuſdam huius diœceſeos cœnobiis. Cap. 27.
De doctis huius diœceſeos hoc ſæculo viris; deque Academia Oxonien. & iis quæ ibi hoc ſæculo accidere. Cap. 28.
De Epiſcopis Elienſibus; deque Academia Cantabrigienſi, doctiſque eius Academiæ, & huius hoc ſęculo diœceſeos viris, Cap. 29.
De Archiepiſcopis Eboracenſibus. Cap. 30.
De Thoma Arundellio & Roberto Eboracenſibus Archiepiſcopis; de doctis huius diœceſeos viris, & de ſancto viro Ioanne Priore Bridlintonienſi. Cap. 31.
De Dunelmenſibus & Lugubaliæ ſiue Carliolenſibus Epiſcopis. Cap. 32.
De Epiſcopis Cambriæ ſiue VValliæ, Cap. 33.

Decimi quinti ſæculi Capita.

De Romanis Pontificibus, Imperatoribus & Angliæ hoc ſæculo Regibus. Cap 1.
De Rege Henrico quarto. Cap. 2.
De Rege Henrico quinto. Cap. 3.
De Rege Henrico ſexto. Cap. 4.
De miraculis regis Henrici ſexti poſt obitum eius, magnaque eorum frequentia, nec minore eorum fide atque certitudine. Cap. 5.
De Edvvardo quarto & quinto, & Richardo tertio. Cap. 6.
De Henrico ſeptimo. Cap. 7.

De

Index Capitum

De grauissimo illo schismate Romanæ Ecclesiæ in Constantiensi Concilio sublato; & de Anglorum Pontificibus, qui illi interfuerunt: De Concilio Basiliensi, & nouo schismate ibidem orto, deque rebus hoc sæculo inter Romanorum Pontifices & Anglorum Reges gestis. Cap. 8.
De Thoma Arundelio Cantuariensi Archiepiscopo. Cap. 9.
De Henrico Chicheleio Cantuariensi Archiepiscopo. Cap. 10.
De Ioanne Staffordio, Ioanne Kempio, & Thoma Bursherio Archiepis. Cap. 11.
De Ioanne Mortono Cantuariæ Archiepis. Cap. 12.
De Henrico Deneo, & Guilielmo VVarrhamo Archiepis. Cap. 13.
De cœnobitis quibusdam Cantianis & Cantuariæ hoc sæculo Archidiaconis. Cap. 14.
De Roffensibus Episcopis. Cap. 15.
De Episcopis Londinensibus, deque Richardo VVhitingtonio Londinensi Præfecto. Cap. 16
De cœnobijs & doctis cœnobitis huius diœcesis. Cap. 17.
De Episcopis Nordouicensibus Cap. 18.
De Episcopis Cicestrensibus. Cap. 19.
De Episcopis VVintoniensibus. Cap. 20.
De Episcopis Satisburiensibus. Cap. 21.
De Bathoniensibus & VVellensibus Episcopis, Cap. 22.
De Episcopis Exoniensibus. Cap. 23.
De Episcopis Lincolniensibus & Academia Oxoniensi. Cap. 24.
De Episcopis Herefordiensibus. Cap. 25.
De Episcopis Couentrensibus, & Lichfeldensibus atque VVigorniensibus. Cap. 26.
De Episcopis Eliensibus et pauca de Academia Cantabrigiensi. Cap. 27.
De Richardo Scropo et aliis Eboracensibus Archiepiscopis. Cap. 28.
De Episcopis Dunelmensibus et Carleolensibus. Cap. 29.
De Episcopis Cambriæ seu VValliæ, Cap. 30.

Index capitum Historiæ Wicleffianæ per D. Nicolaum Harpsfeldium scriptæ.

PRæfatio.
De Ioanne VVicleffo hæresiarcha, eumque fuisse vnum ex teterrimis quos Ecclesia vnquam Catholica passa est hostibus, et quæ cautæ vel ad hæresim eum potruerint, vel eam dem illis temporibus promouerint, Cap. 1.
Errores et hæreses VVicleffi sigillatim enumerantur. Ca. 2.
De reliquis VVicleffi erroribus atque hæresibus. Cap. 3.
De erroribus atque hæresibus quibusdam discipulorum VVicleffi, qui vt magistri hæresibus quasdam nouas accumularunt, ita ex his aliquot fuere, quos VVicleffus ipse impugnauit: quum tamen multa dogmata, quæ ille pertinaciter tuebatur, & ipsi impugnabant. Ca. 4.
Quid actum sit contra VVicleffum adhuc viuum, & quoidam eius discipulos, & quomodo memoria illius damnata Concilii Constantiensis decreto. Cap. 5.
De intollerandis conuitijs, quibus omnes Ecclesiæ ordines VVicleffus perfudit, deque summa eius arrogantia. Cap. 6.
Quomodo VVicleffus non modo à Catholicæ Ecclesiæ, sed et a suis ipsius dogmatibus recessit, sibi ipsi palam & multipliciter contradicens. Cap. 7.
Quomodo VVicleffus insicite atque perfide sacras scripturas commaculat & deprauat. Cap. 8.
De ineptis & futilibus quibusdam rationibus, quas ad sua dogmata confirmanda wicleffus adhibet. C. 9
Quomodo VVicleffus et discipuli eius in moribus, in viuendi ratione atque instituto, in putidis fraudibus et reliquis id genus veteres hæreticos maxime imitantur Ca. 10
Veterum fere omnium hæreses in VVicleffo et eius discipulis renatas Cap. 11.
Quod VVicleffi discipuli ad promouenda præceptoris dogmata, exitiales et horrendas seditiones contra Rempu. excitarunt: quibus ipsius VVicleffi libri maximam quandam occasionem suppeditarunt, deque Ioanne Baco et Ioanne Stravvio, seditionis regnante Richardo Principibus. Cap. 12.
De VVicleffianorum, imperante Henrico quinto, atroci seditione, eorumque Duce Ioanne Cobhamo Cap. 13.
De Wicleffianis in Bohemia, quorum dux et princeps Ioannes Hussus, deque seditionibus horrendis per eos ibidem excitatis, deque celeberrimis ibidem martyribus Ca. 14
De ijs qui libros contra VVicleffum et eius hæreses ediderunt. Cap. 15.
Quid contra VVicleffianos in synodis et alibi per Episcopos actum sit. Cap. 16.
Quid Richardus et alii Reges contra VVicleffianos egerunt Cap. 17.
De miraculis in Anglia post hæreses VVicleffi exortas, diuinitus ad eas reprimendas patratis; VVicleffique doctrinam non modo ab Ecclesia, sed a sectatorum nostri temporis antesignanis reiectam et damnatam Cap. 18.
Caput vltimum quod responsum ad Ioannem Foxium complectitur, propter calumnias quas Alano Copo intendit, quod Ioannem Cobhamum, Rogerum Actonum et alios vt seditiosos et patriæ hostes insimulat.

Historiæ

ret,& opus in immensam molem produceret, sacræque huius historiæ maiestatem, vt ego quidem statuo,contorti sui macula quodammodo contaminaret: sed quod ex nuda & simpliciplius historiæ ratione,sine accuratiore aliqua refutatione, facilè Lectori constare poterit,contrariam prorsus fideratque vitę rationem sequutos,quàm isti nobis vane & perniciosè suggerunt. Alia, alia & propria sua refutatione,seorsum hæc, & id genus mendacia infringi poterunt. Quæ materia ex immensa istorum malitia,quasi ex infausto & infelici partu, tam fœcunda est,vt solida & iusta defensio multum laboris atque temporis desiderare videatur.

His igitur dimissis, reliqua nos iam nostro instituto accommoda vrgeamus, vt curioso lectori in quibusdam satisfaciamus: qui forsan admirabitur, quod ego quasi Herculea quadam audacia tantum opus, in quo nullum alicúius nationis hominem præeuntem habeo; quodque multum non solum ingenij, doctrinæ, eloquentiæ, sed alia externa adiumenta, quibus me destitutum existimabit, desideret, aggressus sum. Nec ego quidem hanc meam in multis destitutionem,tantóque me oneri imparem diffiteor,quo vtinam me alius leuasset: sed cur ego me tamen huc tandem demiserim, ita accipito. Vtilitatem,& quasi necessitatem huius operis satis videbam,videbam & illud,cum qui dextrè hac opera defungeretur, præter alia multa præsidia, magna quadam imprimis rariorum & selectorum librorum, qui nullis adhuc typis excussi sunt, supellectile auctum & cumulatum esse debere: ad quos ego inquirendos & legendos,cum incredibili quadam ante aliquot annos cupiditate ferrer,etiam cum nihil de hac historia cogitarem, & illi mihi tandem magna Superum benignitate & prouidentia (id enim potius dixerim, quam casu & fortuna, & forsan vt hinc magis instructus, libentius hunc omnem scribendi laborem deuorarem) *mirificè & supra expectationem suppeditati* essent, otioque abundarem, neque alium quemquam tale opus tentare intelligerem: videbar mihi tam commodum oblatæ occasioni, atque Ecclesiæ Dei bonorumque virorum, & diuinæ forsan expectationi, a quo ego tanto præter omnem meam expectationem thesauro actus sum, defuturus, si non qualemcunque hanc ingenij, doctrinæ & scribendi facultatem ad hoc tam necessarium opus conferrem. Neque tamen adeo libris necessarijs affluo,vt non satis meam adhuc inopiam videam. A quibus satis abundeque paratus essem, si Cœnobia & Collegia, quæ apud nos, proh dolor! miserè euersa sunt, aut ipsę saltem eorum bibliothecæ prorsus non interijssent. Neque enim vlla iusta cura inita est, vt vel libri ab interitu vindicarentur, & in alijs bibliothecis reponerentur. Diuitiarum enim & possessionum monasticarum, quæ apud nos amplæ & luculentę erant, nouum hoc erat aucupium, & insidiosa venatio; libri interim fere direptioni expositi sunt, iamque maxima ex parte ad sordidorum opificum, aliorumque vsus translati, prorsus pæne interciderunt. Quorum sola direptio, præter pietatis & sancti monastici instituti iacturam, incomparabile planè damnum, & nullis Regum thesauris resarciendum, dedisse videtur. Vt vel hoc nomine,licet tenui hac dicendi scribendique facultate,excusatiùs tamen hoc opus tentare mihi videar. Et hæc quidem hactenus,cur ego in hanc arenam descenderim.

Operis Arduitas

Auctoris consilium.

Copia librorum. * alias mirificè mihi. * al. sunt.

Iam si quis forte queratur hoc opus iusto prolixius,& multa inutiliora forsan accumulata, & hic quoque priore excusatione defungar: Cum vererer ne pereuntibus forte paucis, quæ adhuc supersunt manuscriptis veterum monumentis, & istorum simul omnis memoria obliteraretur. Nam quod ad typis excussos libros pertinet,si quis maiorem saltem breuitatem in iis, quę vel a Beda, vel ab Eadmero de Anselmo, vel alunde ab alijs peti possunt, desiderabit, & ego sane ancipiti aliquamdiu in hac re cogitatione distractus fui: sed post bene mecum meditatas rationes, tolerabiliorem hanc copiam putaui,cum vtilem & plenam historiam edere cogitarem;& illud peccatum,si quod sit, dictionis limatiore quam hactenus expolitione, & rerum temporumque concinno atque continuo ordine vtcunque pensatum. Quanquam non tam inconsiderate atque importune vel hic, ni fallor, effusus sum, vt non temperamentum aliquod, quo nec nimis ieiunè & exiliter deficerem,nec nimis affluenter redundarem, secutus sum. At enim admirabitur forsan quispiam, quasi nimis anxiam & religiosam in Cœnobijs,& eorum institutis recensendis, quæ tam euersa & extincta sunt, meam diligentiam, sed ille Classicos quosque authores non minus, aut multo certè magis huius culpæ arbitres facere poterit. qui multa olim clarissima oppida, quorum iam nihil nisi ruinæ extant; imo quorum pleraque,quo loco posita fuerint non satis scitur, populorumque,qui prorsus iam interciderunt, mores & instituta, exacta & exquisita diligentia describunt. Quanquam par est præterea,vt Regum & Procerũ nostrorum, qui Cœnobia & Collegia ista condidere,pietas & *beneficentia silentio apud posteros prorsus non obruan-

* al beneficia.

vtque ipsorum posteri, quod futurum spero cum Deus peccatis nostris iratsci desierit, nosque benigne rursus respexerit, illustre exemplar & documentum habeant, in quo Maiorum suorum illustrem pietatem ad imitationem sibi præclarè rapiant.

QVOD vero ad fidem historiæ nostræ spectat, vt nostram ea in re fidem magis liberatemus, aspergimus in margine auctores, quos in singulis narrationibus sequimur, idque tam anxie, vt & in minutioribus eandem etiam rationem teneamus. Quorum nomenclaturam huic præfationi subdemus. Et, quoad id quidem fieri potuit, nihil laudamus nisi ex certo & nominato auctore; eos maxime sequuti, qui iidem aut proximis quibusque temporibus scripsere. Quod si aliquando & eos, quorum nomen ignoratur, citamus, id fit parcius, in ijs præsertim quæ hodie controuertuntur, nisi forte vno aut altero, cuius non tam aurita, quam oculata rerum gestarum fide, licet modestiæ causa nomen suum supprimant, secure nituntur. Sed nec vbi certus auctor offertur, promiscuè sine delectu sumimus; nullius certe, si fieri posset, nisi explorato atque bene excusso testimonio vsuri.

ANTE GREGORII *magni* tempora ratos nobis præeuntes habemus. Quæcunque verò diligenti lectione corradere potuimus, huc congessimus. Post quem non adeo historiæ inopia, nisi post BEDAE nonnunquam, & ante GVLIELMI *Normanni* tempora, laboramus: externas sacras historias, nisi forte ante GREGORII *magni* tempora, propter domesticarum rerum angustias, & nisi quatenus cum nostris cohærent & implicitæ sunt, aut ANGLOS aut totam ecclesiam concernunt, quod fit in summorũ Pontificum decretis, in Oecumenicis concilijs, in sacra expeditione, aut nunquam aut raro admiscemus. Quanquam & modò commemorata leui quod dicitur brachio, & qnasi perfunctorie fere perstringimus; nisi vbi nostræ forte Gentis hominum actiones, diffusiorem nobis narrationem expresserint.

VOLVISSEMVS libenter *Scotorum & Hibernorum* Ecclesiasticam historiam, cum illi sint & BRITANNIAE nostræ portio, & regni etiam ANGLICI clientes isti, vt eiusdem regni portionem atque accessionem adiungere: sed idoneorum librorum penuria nos ab hoc proposito & labore abterruit. Quod verò ad Episcoporum nomenclaturam spectat, non possumus polliceri eam vbique esse plenam & integram; quippe qui iustum indicem nec ab ipsorum fede, nec aliunde adhuc sumere potuimus. Ceterum quorumcunque nomina ex varijs auctorum monumentis occurrere, suo loco aspersimus. *Wicleffianam* historiam seorsim, parim ac res commissas & implicatas importunius diuelleremus, partim propter ipsius prolixitatem, partim quòd accuratiore opera copiosiùs illam existimauimus describendam, congessimus. Fuit enim *Wicleffus* sectarius plane nostrorum hodie Euangelicorum veruex, tuit omnium, quæ tam longe latéque grassantur, hæresion seminarium. Quare vberiùs & diligentius elucubranda eius, & sequacium illius, ad decimi sexti seculi, & regni Regis HENRICI *octaui* exordium, historia videbatur: cum præsertim à nullo hactenus, quod sciam, iusto labore sit contexta. Atque ista mihi descriptionis huius à me susceptæ causa, deque ratione, quam in hac historia laboranda sequimur, dicta sunto.

Wicleffi seorsim historia adtexitur.

Sequitur

SEQVITVR NOMENCLATVRA AVCTORVM QVIBVS VSI SVMVS IN HOC OPERE.

A

ABBAS Wigornienſis.
Abbo monachus.
Abingdonenſe Chronicon.
Acca Epiſcopus.
Acta Eboracenſium Archiep.
Adamus Meremuthenſis.
Additiones ad Eutropium.
Additiones ad Florentium.
Additiones ad Matth. Paris.
Additiones ad Nicolaum Triuet.
Additiones ad Sigebertum.
Æneas Siluius.
Admonitio ad parlamentum.
Ado Viennenſis.
Agrippa Rex.
Alanus Copus.
Albertus Crantzius
Albinus ſiue Alcuinus.
Alexander Pont. Romanus.
Aluredus Rex.
Aluredus Rhieuallenſis.
Amalarius.
S. Ambroſius.
Ammianus Marcellinus.
Andræas Alciatus.
Annales D. Albani.
Annales Conſtantinopol.
Annales eccleſiæ Londinenſis.
Annales Epiſcopor. Dunelmenſ.
Annales eccleſiæ Wintonienſis.
S. Anſelmus Cantuarienſis.
Anſelmus Wigornienſis.
S. Antoninus.
Antonius Bonfinius.
Arauſiaca 2. Synodus.
Armachanus eſt Richar. Armach.
Arnoldus Pontacus.
Aſſerius Meneuenſis.
S. Athanaſius.
Ato Cardinalis.
S. Auguſtinus.
Auctor Anonymus.

B

BAlduinus Wintonienſis Epiſc.
Baleus eſt Ioan. Baleus.
Baſilienſe concilium.
D. Baſilius magnus.
Bathonienſium & Wellenſ. Epiſcoporum catalogus.
Beda Venerabilis.
Benedictus Abbas Petroburgēſis.
Bergomenſis.
D. Bernardus.
Blondus Flauius.
Bartholomæus Platina.
Bonfinius eſt Anto. Bonfi.
Bonifacius Papa.
Bruno Tullenſis epiſcop.

C

CAllimachus eſt Phil. Callim.
Cantabrigienſis hiſtoria.
Canutus Rex.
Carolus Magnus,
Carolus Sigonius.
Carthaginenſe Concilium.
Caſſianus eſt Ioan. Caſſia.
Caſſiodorus,
Catalogus Bathon. & wellenſis.
Catalogus Ciceſtrenſium Epiſc.
Catalogus Norwicenſis.
Celeſtinus Papa
Centuriatores Magdeb.
Chronicon Anglicum verſu.
Chronicon Anglicum vetus ſcriptum & impreſſum.
Chronicon Chroheſdenenſe.
Chronicon Dunſtaplienſe.
Chronicon Gallicum.
Chronicon Scala dictum.
D. Chryſoſtomus.
Cicero.
Ciſſa Rex.
Colmanus.
Conciliorum Tomi.
Conſtantienſe Concilium.
Conſtantinopolitana 6. Synodus
Conſtantinus magnus,
Conſtantinus presbyter.
Conſtitutiones Angliæ Prouinciales
Copus eſt Alanus Cop.
Croulandenſis hiſtoria.
Cuthbertus Bedæ diſcipulus.
Cuthbertus Cantuarienſis Archiepiſcopus.

D

DAmianus Goës.
Dauid propheta.
Diodorus Siculus.
Diogenes Laërtius.
S. Dionyſius Areopagita.
Diploma Henrici II. Regis.
Diploma Ethelredi Regis.
Dodechinus.
Dorotheus.

E

ECcleſiæ Londinenſis annal.
Eccleſiæ Wintonienſ. annales
Edgarus Rex.
Edmerus.
Edouardus Rex Confeſſor.
Edouardus Hallus.
Egeſippus
Egfredus Rex.
Encomium Emmæ.
Enguerantius.
Epiſtolæ Patrum Societatis Iesv.
Epheſina Synodus.
Epiphanius.
Ericus Antiſiodorenſis.
Ethelredi Regis diploma
Ethelredi R. fœdus cum Daco.
Ethelvvolphus.
Euagrius.
Euſebius Cæſarienſis.
Eutropius.

F

FAbianus.
Fauſtus Epiſcopus.
Felix monachus Croulandenſis.
Firmiani epiſtiſtola ad S. Cyprianum
Florentinum Concilium.
Florentius vvigornienſis.
Florilegus, eſt Matthæus vveſtmonaſterienſis.
Fortunatus presbyter.
Fridericus Staphylus.
Fulchardus Thornenſis Monach.
Fulcherus Carnotenſis.
Fulco Rementis.

G

GAlfridus Monumethenſis.
Gaſpar Brutchius.
Gennadius Maſſilienſis
Georgius vvicelius.
Gerardus Mercator.
Geruaſius.
Gildas Sapiens.
Giraldus Siluester Cambrenſis.
Gotofredus dux Hieroſolimitan.
Graftonus, eſt Rich. Graftonus.
D. Gregorius magnus.
Gregorius Turonenſis.
Grimbaldus abbas.
Guidò Carmelita.
Guido prior Carthuſiæ.
Gulielmus Abbas.
Gulielmus Lanthonienſis.
Gulielmus Malmesburienſis.
Gulielmus Neubrigenſis.
Gulielmus Nothus Rex.
Gulielmus Pictauienſis.
Gulielmus Spina.

Gulielmus Tyrius.
Gulielmus vvodefordus.
Guitmundus.

H

Hector Boëtius.
Hegesippus.
Henricus Huntingdonensis.
Henricus Knightonus.
Henricus Morensius.
Henricus II. Rex.
Henricus vvintonienſis Epiſcopus.
Hermannus Contractus
Hermannus Schidelius.
D. Hieronymus.
Hilarius Arelatenſis.
D. Hilarius Pictauienſis.
Hiſtoria Cantabrigienſis.
Hiſtoria Tripartita
Horatius poeta.

I

Iacobus Meyërus
Inæ Regis leges.
Index Ciceſtrenſium Epiſcoporum.
Innominatus antiquior Beda.
Innominatus quidam.
Ioannes Auentinus.
Ioannes Baleus.
Ioannes Candelarius.
Ioannes Cantilepius.
Ioannes Capgrauius.
Ioannes Carion.
Ioannes Caſſianus.
Ioan. Cocleus.
Ioannes Cuſpinianus.
Ioannes Damaſcenus.
Ioannes Diaconus
Ioannes Dubrauius.
Ioannes Fordonus.
Ioannes Foxus
Ioan. Govven.
Ioannes Heroldus.
Ioannes Holandus.
Ioannes Lelandus.
Ioannes Lidgate.
Ioannes Londinenſis.
Ioannes Maior;
Ioannes Maxentius,
Ioannes Molanus.
Ioannes Nauclerus.
Ioannes Picus.
Ioannes Pontifex Romanus.
Ioannes Priſeus.
Ioannes quidam Gallus.
Ioannes Roſſæus vel Rouſæus.
Ioannes Satisburienſis.
Ioannes Stous.
Ioannes Trithemius.
Ioannes VVitgift.
Ioannes Zonaras
Iornalenſis.
Ioſephus Iudæus.
S. Irenæus Lugdunenſis Epiſ.
Iſaias Propheta.
Iſidorus Hiſpalenſis.
Iulius Cæſar.
Iulius Firmicus.
Iulius Solinus
Iuonis chronicon
Iuſtinianus imperator;
Iuſtinus martyr.

K

Kentigernus.
Kentvvinus.

L

Lanfrancus.
Lanfridus. monachus vvint.
Laurentius Surius.
Leges Edovvardi I, Regis.
Leges Ethelberti Regis.
Leges Inæ Regis.
Leonicus Calchondila.
Leo IX. Pontifex Roma.
Leo I. Pontifex Roma.
Liber miraculorum Henrici VI. Reg.
Liber Saxonicus ineditus.
Liber ſextus decretalium.
Londinenſis Eccleſiç Annales.
S. Lucas Euangeliſt.
Ludgerus Epiſc. Monaſterienſis.

M

Marcellinus
Marcus Antonius Verus.
D. Marcus Euangeliſta
Marianus Scotus.
Martialis Poëta.
D. Matthæus Apoſtolus.
Matthæus Palmerus.
Matthæus vveſtmonaſterienſis.
Mauritius Epiſcopos Pariſienſis.
Maxentius, eſt Ioan. Maxent.
Meyerus, eſt Iacob. Meyerus
Melchior Canus.
Melchior Hittorpius.
Melkinus.
Methodius.
Michael Ricius.
D. Milburgæ vita.
Milo Mormenſis.
Monachi Medolucenſes
Mondonus Belualetus.
Moratius.

N

Nauclerus eſt Ioan. Nauclerus
Nauigatio Portugalenſium.
Nicena ſynodus 1. & 2.
Nicephorus Calixtus.
Nicephorus Patriarcha Conſtantinop.
Nicolaus Cantilepus.
Nicolaus monachus Dunelmen.
Nicolaus Pontifex Romanus.
Nicolaus Trivet.

O

Olaus magnus.
Onuphrius Panuinus.
Opratus Mileuitanus.
Origenes.
Oroſius, eſt Paulus Oroſius.
Osbernus.
Osbertus monachus.
Oſeas Propheta.

P

Palmerus eſt Matth. Palmerus Paſchalius.
Patrum Societatis Ieſu epiſtolæ.
Paulinus Nolanus.
Paulus Æmilius.
Paulus Apoſtolus.
Paulus Diaconus.
Paulus Iouius.
Paulus Oroſius.
Petrus Apoſtolus.
Petrus Bleſenſis,
Philippus Callimachus.
Platina, eſt Bartholom. Platina.
Plinius.
Polychronicon.
Polydorus Virgilius.
Polyhiſtoria.
Pomponius Lætus.
Pomponius Mela.
Pontanus eſt Rouerus Pontanus.
Ponticus Virunnius.
Poſſidius.
Procopius.
Proſper Aquitanicus.
Prudentius.
Ptolemæus.

R

Radulphus ordinis Prædicatorum, qui Baleo Radul. Bocking
Radulphus de Diceto
Radulphus Ceſtrenſis,
Regino.
Regiſtrum Cantuarienſe
Regiſtra varia Archiepiſcoporum & Epiſcoporum.
Richardus Armachanus
Richardus Canonicus.
Richardus Ciceſtrius,
Richardus Grafton.
Richardus Rex.
Robertus Auesburienſis.
Robertus frater S. Edmundi Archiepiſcopi Cantuarienſis.
Robertus de monte Abbas.
Rogerus Houeden.
Rouerus Pontanus.
Ruardus Tapperus.
Ruffinus preſbyter.

S

Sabellicus.
Saxo Grammaticus.

Scala Chronicon
Sceptonensis monasterij monumenta.
Senatus Abbas VVigornicnsis.
Seuerus Sulpitius.
Sidonius Apollinaris.
Sigebertus Gemblatensis.
Sigismundus Liber.
Simeon Dunelmensis.
Simeon Metaphrastes.
Socratis historia Ecclesiastica.
Solinus, est Iulius Solinus
Sophronius.
Sozomenus.
Statuta Edouardi Regis;
Statuta Regum Angliæ.
Stephanus Langton.
Strabo.
Suetonius.
Synodus Constantinop. 6.
Synodus Nicena. 1.

T

THeodoretus.
Tapperus, est Ruardus Tap.
Tertullianus.
Teukesburiensis cœnobij monumenta.
S. Thomas Aquinas.
S. Thomas Cantuariensis.
Thomas Elmgam.
Thomas Eliotus.
Thomas Fazellus.
Thomas Lautonicnsis Prior.
Thomas de la More.
Thomas Motus,
Thomas Rudburnus.
Thomas Spottus.
Thomas Stubbæus:
Thomas vvaldensis.
Thomas vvalsingamus.
Thomas vvick vel vviccius.
Titus Liuius Patauinus.
Titus Liuius alius.
Tripartita historia.

V

VEnantius Fortunatus
Victor Vticensis.
Vincentius Beluacensis.
Vincentius Lirinensis.
Virgilius Poeta.
Vita S. Bonifacij martyris & Moguntinensis Archiepiscopi.
Vita S. Dunstani.
Vita S. Edmundi Regis.
Vita S. Ludgeri.
Vita S. Milburgæ.
Vita S. Svviberti.
Vita S. Svvithini,
Vitæ Pontificum Dunelmens.
Vitæ Pontificum Eboracensium.
Vrspergensis Abbas.
Vluardus.

VV

VVAndelbertus Prumiensis.
VVicelius, est Georgius VVicel.
VVilibaldus Episc. Aistetensis.
VVintonicnsis ecclesiæ annales.
VVolfangus Lazius.
VVolstanus.

Z

ZAcharias Propheta.
Zonaras, est Ioan. Zonaras.

FINIS.

CANDIDO LECTORI.

CVm hanc historiam ante annos plus minus viginti quinque nactus fuissem, ac certò scirem eiusdem exemplar non penes me vnum, sed etiam apud alios extare, quorum studio & diligentia sperabam fore, vt in lucem aliquando proferretur, viderem tamen iam diu latere, ac meipsum & alios, qui auidè eam spectabamus nostra spe frustrari: subijt animum cupido, si qua daretur commoda occasio, illam in conspectum hominum educendi. Quæ quidem cogitatio cum sæpe recurreret, & ante mentis oculos obuersaretur, existimaui denuo commodum reipub. literariæ, auctoris voluntati, ac plurimorum desiderio me facturum, si quàm primùm edendam curarem. Nam præter V. Bedam & Guilielmum Malmesburiensem, vix quenquam reperias, qui nostratis Ecclesiæ res pro dignitate stylo prosecutus fuerit; non potuit quicquam hominibus historiæ, præsertim Ecclesiasticæ cupidis gratius accidere, quàm vt illam ab eo conscriptam haberent, qui et rerum istiusmodi cognitione, & ceteris ad scribendum necessarijs in paucis præstaret. Qui cum non eo animo tantum laborem, ad multorum vtilitatem et profectum, tanta industria, sedulitate, ac veritate susceperit, vt cum blattis ac tineis decertaret, sed in lucem aliquando & conspectum hominum veniret; ne illi mea quidem sententia non vacarent culpa, qui quoad possent eius voluntati non satisfacerent. De aliorum, nostratium præsertim desiderio, ad quorum aures vel tenuis quadam notitia huius historiæ peruenit, hoc solum dicam, sed verissimè dicam, ita me ab illis & prouocatum sæpe fuisse, & quotidie fere qua prece, qua obiurgatione ad editionem prouocari, etsi alijs rebus occupatissimum, vt pene pudeat non obsequi. Obsequor igitur, & cedo amicissimorum hominum postulationibus. Qua in re si votis illorum non plene satisfecerim, qui plura, quàm in præsentia præstari à me possint, expectabunt, sciant typographum, qui moram non ferebat, atque ipsorum etiam (quod bona illorum venia dictum sit) importunas preces in causa fuisse, vt notas & indices, quæ omnia parata fere erant, in aliud tempus distulerim: non eo quidem animo vt sepeliantur et pereant, sed accuratius prodeant, si Deus vires et vitam largitus fuerit. Illud porro est, quod vt fidem meam liberem, omnes monitos cupiam, nempe in hac edenda historia duobus me vsum esse exemplaribus, quorum alterum, quod meum est, ipsius auctoris fuisse dicitur sed quibusdam locis mutilum & imperfectum paucis hinc inde excisis foliis; alterum accepi ab admodum Religioso et docto Patre

ordinis

ordinis D. Benedicti Patre Leandro à S. Martino. *S. Theol. Magistro, qui illud ex Vaticana Bibliotheca exscriptum, & Roma ad se missum, pro ea qua est in omnes humanitate, & in bonas literas propensione, mecum lubens libénsque communicauit, cuius beneuolentiam nec potui, nec volui non grata memoria prosequi. Tu lector, hoc nostro labore fruere & vale.*

Vita

Vita Nicolai Harpsfeldij ex Ioanne Pitseo de Illustribus Angliæ Scriptoribus Ætate XVI.

NICOLAVS *Harpsfeldius* natione *Anglus*, iuris vtriusque Doctor *Oxoniensis*, Adolescens in celebri schola *Wiccamica* literas Humaniores didicit. Deinde ad *Oxoniense* collegium etiam Wiccamicum missus, decurso Philosophiæ studio operam dedit iurisprudentiæ, susceptisque supremis in ea facultate insignibus, successu temporis vocatus *Cantuariam*, factus est ibi Archidiaconus. Erat vir grauis & prudens, moribus candidissimis, integerrimę vitę, multiplicisque doctrinę, & Catholicæ fidei Confessor constantissimus. Primum sub EDWARDO *sexto* Rege, conscientiæ causa in exilium voluntarium profectus est anno Domini M.D.L. Deinde regnantibus MARIA & PHILIPPO, & reflorescente vera religione, domum reuersus est. Sed mutato denuò rerum statu sub ELIZABETHA, anno salutis M.D.LIX. eo quod primatum eius Ecclesiasticum agnoscere nollet, cum alijs multis in carcerem coniectus est, vbi ad scribendum animum appulit. Erat enim Poeta ingeniosissimus, Orator disertus, Historiarum peritissimus, Linguarum scientissimus, in Vtroque Iure optimè, in Theologia non vulgariter versatus, solidè fundatus, omnium denique optimarum scientiarum panoplia vbertim instructus. In carcere igitur constitutus, scripsit egregium opus, sex doctissimis dialogis comprehensum, contra *Magdeburgenses*, & pseudomartyrologium *Ioannis Foxi* Angli. Quod opus, quia sub nomine proprio in lucem emittere non est ausus, intimo amico suo *Alano Copo* in exilio tum agenti, edendum commisit, suppresso auctoris nomine, ne captiuo capitis periculum crearet. Edidit igitur *Alanus* hoc opus suo nomine. Tamen ne veritas posteritatem lateret, & amicus amicum debita sua laude fraudaret, in calce voluminis, id est, finito sexto dialogo, maiusculas quasdam literas imprimi curauit, earumque explicationem amico vni forsan & alteri communicauit, in hunc modum qui sequitur.

Maiusculæ literæ.

A. H. L. N. H. E. V. E. A. C.

Explicatio characterum.

Auctor Huius Libri Nicolaus Harpsfeldius. Eum Vero Edidit Alanus Copus. Igitur *Alanus Copus* erat qui librum *Sex Dialogo-*

rum

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ ANGLICANÆ SEX PRIMA SÆCVLA.

QVO MODO EVANGELIVM, PAVLO POST Christum passum, per omnem orbem, & in Britannia per Iosephum ab Arimathæa propagatum sit.

CAPVT PRIMVM.

HISTORIAM Ecclesiæ nostræ Anglicanæ à Christo Domino nostro (ipso auspice & duce) humanam carnem induto, suaque salutari morte, nostram (in quam, parentis nostri Adæ peccato, nos omnes incidimus) expiante, exordiemur. Qui cum deiectum Adæ animum spe, pollicitationéque sui salutaris ad homines aliquando aduentus, erexisset, eamque pollicitationem Abrahamo, Dauidi, aliisque sæpè renouasset, eamque per Prophetas suos passim inculcasset, tandem eum ipsum, Dei inquam & hominis, palam omnium in Iudæa oculis repræsentauit atque exhibuit. Hominem, humanum in eo corpus, humanæque ferè omnes (peccato sepositio) imbecillitates, fames inquam, somnus, lassitudo, vulnera, mórsque ipsa: Deum verò, vox illa præcursoris sui, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*; & illa Petri, *Tu es Christus filius Dei viui*; tum stella, cuius ductu Magi ad eum peruenere, & augusta illa mysticáque munera, quibus eum vt hominem, Regem & Deum adorarunt; tum stupenda ab eo patrata miracula, & cum primis lapides, qui eo moriente dissecti sunt; sol, qui per vniuersum orbem magnam, & excellentem inter omnes destitutionem, & defectionem lucis suę passus est; ipsa denique Christi resurgentis ascendentísque in cælum gloria manifestò testantur. Sic itaque representata tandem antiqua illa Dei ad patres nostros promissio, & ad cælos patribus nostris, semper antea occlusus, nobisque, eo ascendente, aditus ex singulari illius bonitate patefactus est. In cuius rei salutari & iucunda recordatione, grati officiosíque potius acquiescamus, quàm vt, cum Porphyrio bella Christo concinnemus, eumque ad rationem calculúmque reddendum vocemus, cur tam diu promissionem, aduentúmque suum distulerit, passúsque fuerit tot gentes, quæ Moysen & Prophetas non cognouerant, legis mandatorumque Dei ignorantes perire. Quod cum ceteræ omnes Christianæ nationes præstare debeant, Britannia certe Redemptori suo ingrata & aduersus eum querula esse non debet: quæ redemptionis suæ nuncios preconésque, fructumque salutarem, non ità multò post Christum passum primum priuatim, mox publicè accepit.

ET mihi certè, cùm & illa quæ dixi, multáque alia, tum admirabilis ista Christianæ legis, paucorum annorum cursu per totum ferè orbem disseminatio & diuulgatio, Christi diuinitatem manifeste astruit. Nam vt ne egrediamur illud ipsum sæculum, quo Christus passus est, Christiana doctrina, sexaginta octo plus minus annorum spacio, totum ferè orbem peruagata est. Ecce enim tibi, vt exordiar ab Asia, non solum in Iudæa, sed & in [a] Arabia, apud [b] Osroenos, apud [c] Phenices & Syros, in [d] Pisidia, [e] Lycaonia, [f] Cilicia, [g] Pamphilia, in [h] Ponto Bithynia, Gallatia, Cappadocia, Asia, ad quas gentes scribit Petrus, habuit doctrina Christi suum domicilium. Imò in Parthiam, Indiam & Scythiam penetrauit. [i] Thomas certe Apostolus Parthis, Medis, & Persis, & Germanis, & Hyrcanis & Bactris & Magis Euangelium prædicasse dicitur. [k] Bartholomæus etiam Apostolus Euangelium, apud Indiam & Armeniam propaga-

Ioan. 1. 29.
Matth. 16. 16.
Matth. 2. 9.
Matth. 27. 51.
Orig. tract. 35. in Matth.
Euseb. in Chron. an Dom. 33.
Dionys. Areopag. epi. 7. ad Polycarpum.
Hieron. aduersus Pelagium ad Ctesiphontem lib. 2.

a Galat. 1. 17.
b Euseb. li. 1. c. 13. & lib. 2. c. 1.
c Act. 11. 19. 15. 23 41. 20. & 21.
3. Gal. 1. 21.
d Act. 13. 14.
e Act. 14. 6.
f Act. 15. 23. 41. Gal. 1. 21.
g Act. 13. 13.
h 1 Pet. 1. Euseb. li. 3. c. 1.
i Sophronius in Catalog Euseb. li. 3. c. 1. Niceph. lib 2. c 40.
k Idem Sophronius.

propagauit. Et Andræas apud [a] Scythas, Sogdianos & Saccos. Philippus vero Apostolus in Phrygia. In Africa etiam celeberrimis locis verbum Dei insonuit, per [b] Simonem Zelotem Apostolum, Marcum Euangelistam, [c] Matthiam Apostolum, & Eunuchum præfectum Reginæ Candacis, qui à [d] Philippo baptizatus est, [e] primitiæ Gentium, vt vere illud Prophetæ in eo impletum sit, [f] *Æthiopia præueniet manus eius Deo.* Qui traditur decimo post Ascensionem Christi, anno, Candacem Reginam cum populo ad fidem perduxisse. Dicitur autē hæc Regio Meroe, in qua, Iosepho teste, illa Saba est, vndè ad Salomonē Regina profecta est. Ab eo vero tempore quo, per Eunuchum, & alios, Æthiopiâ [g] Christo consecrata est, nunquā receptam semel fidem abiecit. Quæ res in causa est, quòd nulli sunt apud eos martyres, vt in ceteris orbis partibus; id quod ità esse Rex ipse, non antè multos annos, Portugallensibus narrauit: [h] quem ipsorum in Æthiopiam aduentus incredibili lætitia affecit; qui Romanam sedem vt maximè Catholicam extulit, séque Clementi VII. Rom. Pont. vt Christi in terris vices gerenti, per Legatos & literas summa animi demissione subiecit, atque ad expugnandam Africam, & è iugo Saracenorum eripiendam, Regi Portugalliæ, amplissima pecuniarum & militum subsidia, liberaliter & sponte obtulit. Etsi verò religio huius nationis, vtpotè tam longis locorum interuallis à Romana sede disitæ, varijs erroribus commaculata sit; spes tamen est propediē eos emendandos.

Ad Europam iam nostram veniamus, quæ & ipsa vndique primo quoq; tempore illustrata est. Nam, vt nihil dicam de [i] Roma, vbi Petrus & Paulus sanguine suo, testimonium Euangelij, quod ibi prædicarant, consignarunt; vt vbi prius fuit totius superstitionis, iam foret totius religionis domicilium & Principatus; semen Euangelicum per [k] Macedoniam, [l] Græciam, [m] Dalmatiam, [n] Galliam, [o] Germaniam in Vindelicia, Rhetijs, & Prouincijs Istro conterminis, in Norico Laureaci, & alibi copiosè iactum est. [p] Paulus denique fatetur se ab Hierosolymis vsque ad Illyricum, omnia loca Christi Euangelio illustrasse, [q] profectionémquè in Hispaniam promittit. Et [r] Moscouiæ annales tradunt Andræam Apostolum, in illis regionibus, Christi Euangelium promulgasse. Neque continentem solùm, sed & insulas; nec eas modò proximiores Hierosolymis, vt [s] Cyprum, [t] Cretam, [u] Lesbon, Chion, Samon, [x] Coon, Rhodum, [y] Patmon, & paulò remotiores vt [z] Melitam, Siciliam, & similes; sed etiam remotissimas vt [a] Taprobonam, & id genus alias hoc sæculo; & iam antè paucos annos aliarum omnium longè maximam [b] Iaponiam, vt rerum ipsarum euentus [c] Isaiæ, & aliorum Prophetarum prædictionibus responderet: *Mittam*, inquit, *ex eis qui saluati fuerint, ad Gentes in mare, ad insulas longè, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam:* Et inter alias, nos quoque, nos inquam, toto diuisos [d] orbe Britannos, (vt Poëta ille ait,) misericors Deus benignis oculis aspexit; salutíque nostræ maturè consuluit. Nam vt omittam [e] Simonem Zelotem Apostolum, & [f] Aristobolum de quo Apostolus ad Romanos mentionē facit (nisi fortè vitiosum sit Dorothei exemplar, & non Britanniæ sed Brettanæ legendum) de quibus nostri annales passim silent; certè de Iosepho ab Arimathæa nostræ salutis salutari præcone, frequentissima & antiquissima apud nostrates extat recordatio. Quem Philippus Apostolus, (qui vt [g] Isidori verbis vtar, Gallis prædicauit Christū, barbarásque gentes, vicinásque tenebris, & tumenti Oceano coniunctas, ad scientiæ lucem, fideíque portum, deduxit) ad nos [h] delegauit ad annum Christi sexagesimum tertium.

Gildas certè nostras statim ab ortu Euangelij, & antè eum [k] Theodoretus Græcus author palam testantur, inter alias gentes Britanniam fidem ab Apostolis, aut eorum discipulis accepisse. Alij verò in eam sententiam frequentes concurrunt, vt hoc beneficium ad ipsum Iosephum referant, vt in eo perinde ac in alijs Christi discipulis, qui Iudæi erant, illud [l] Zachariæ locum habuerit, *Apprehendent* (inquit Dominus) *decem homines ex omnibus linguis Gentium, & apprehendent fimbriam viri Iudæi, dicentes: Ibimus vobiscum: audiuimus enim quoniam Deus vobiscum est.* In eo, inquam, Iosepho, qui ex ciuitate Arimathæa oriundus, domicilium & fortunas, easque amplissimas Hierosolymis habebat, & meritis virtutéque ad Decurionis, atque Senatorum ordinem peruenit; qui vir bonus & iustus fuit, [m] vt Lucas ait, quique doctrinā Christi, sed clam complexus est, cum non esset ab initio tam robusto animo, vt eam palam profiteretur. Adfuisse quidem videtur, in scelerata illa contra Christum Pontificum, & Phariseorum coitione, sed nullis sceleratis eorum actibus accommodasse consensum. Christo igitur defuncto, viriliter & generosè ad Pilatum accedit, corpus Christi & sepeliendi eius facultatem ab eo postulans, nihil reueritus hostiles ceterorum Iudææ Principum in Christum animos, aut atroces illas apud Pilatum contra eum vociferationes, quibus cælum & terram miscebant, Christumque quasi Cæsareæ, & diuinę Maiestatis læsę reum, atrocissime deferebant; aut eorum odium, insidias, periculáque, quæ hinc sibi imminere videbantur. Desiderij itaque sui compos factus, in recenti

[a] Idem Sophro. [b] Nic. l. 2. c. 40. & 43. Euseb l. 2. c. 15 Hier in cat. de scrip. eccles. [c] Sophron græc in catalog. Hier. de scrip. eccles. Nic. li. 2. c. 40. [d] Act. 8. 38. [e] Euseb. li. 2. c. 1 [f] Psal. 67. 31. & Hilar. ibidem. Vide Ptol. impress. Venet. 1562 in tabul. 4. Africa. [g] Vide nauigationem Portuga. impress. Lugdu. 1556. [h] Dam. Goes de fid. Æthiop. Paul Iouius. [i] Euse. li. 2. c. 13. 14 & 24. [k] Act. 16. 12, 2. Cor. 8, 1. [l] Act. 17 15. 18. 1. Eusebius li. 3. c. 4. [m] 2. Timoth. 4. 10. [n] Euse. l. 3. c. 4 [o] Ioan. Auentinus in Annalib. Boiorum lib. 2. [p] Rom. 15. 19. [q] Ibidem vers. 24. [r] Sis Sigismundus liber in commentarijs rerum Muscouiticarum. [s] Act. 11. 19. & 13. 4. [t] Ad Tit. c 1. 5. [u] Act. 20. 14. 15. [x] Act. 21. 1. [y] Apoc. 1 9. [z] Tho. Fazell. in histor. Sicil. de Philip Apost Sicc. Act. 6 fina li. 1. 12. 13. [a] Nicephor. l 3. c. 1. [b] Vide epist Patrum Socio. Iesu. [c] Isai. 66. 19. [d] Virg. eglo. 1. [e] Nicepho li 2. c. 40. [f] Ad Rom. cap. final vers. 11. Dorotheus de 72 discipulis. [g] De Patrib. noui Testam c 74 fremulp. l. 1. c. 4 [h] Io. Capgraues in Catal. [i] De excid. Brit. [k] De Grec. affect. lib 9. [l] cap. 8. 23. [m] Luc. 23. 50. Matt 27. 57. Marc. 15 43. Io. 19. 38.

centi eum monumento, quod sibi ipsi destinauerat, vnguẽtis, quæ Nicodemus attulerat, prius delibutum atque sindone munda inuolutum, reponit. Dici non potest, quantum hæc eius pietas impiorum animas exulcerarit, adeo sanè, vt acrius iam acerbiusque in eum, quàm prius in Christum sęuire cogitarint. Carcere itaque includitur, custodiendiq; ipsius curam & solicitudinem, ipsi Sacerdotum Principes sibi assumũt, ne forte elaberetur. Sed frustra. Resurgẽte [a] enim Christo, Ioseph diuinitus (vt olim Petrus Apostolus) ereptus est, resq; non potuit latere; adeò vt cum Principes Sacerdotum militibus exprobrarint, quod Christum accuratius nõ custodierint, illi responderint, *Reddite vos Iosephum, & nos reddemus Christum.*

a *Greg. Turon. de hist Franc l. 1. c 11. ex gestis Pilati missis ad Tiberium Imperatorem.*

HVNC itaque Iosephum cum vndecim socijs in Britanniam amandauit Philippus, vt dixi, Apostolus. Qui postquam appulissent, sedem sibi propè ciuitatem Welliam posuerunt in loco palustri, & amnibus vndiq; cincto, quæ Britannicè dicta est Ynys [b] Wydrin, id est, Insula vitrea propter amnem circumfluentem, qui quasi vitrei coloris est. Ob quam causam videtur postea & Glasconia à Saxonibus dicta; quibus glas vitrum sonat. Dicitur & Auallonia insula ab Aual, quod Britannicè pomum significat. Locus enim ille pomis abundat. Cum ibi consedissent regnante Aruirago, séque totos vigilijs, orationibus, ieiunijs, Christique Euangelio disseminando dedissent, Aruiragus cæterique Principes eum sequuti, etsi eorum religionem non amplecterentur, molesti eis non fuerunt; imo virtutes eorum admirati, beneficijs auxerunt, & vnicuiq; eorum particulam quandam terrę, quam Britannicè Hydam appellant, vnde sibi sumptus victumque supeditarent, assignarunt: quæ ad hunc vsque diem duodecim Hydæ appellantur. Constituxit ibidem Iosephus cum socijs, sacellum quoddam in honorem Dei & B. MARIAE Virginis, quæ ecclesia creditur fons & origo totius Christianæ religionis in Anglia, matérque Sanctorum dicta est, nec humanis manibus, sed à Deo ipso dedicata & consecrata creditur. Magna certè fuit ab eo ipso tempore, tam Britannorum quam Anglorum, tam priuatorum quam Principũ postea, erga eum locũ pietas & deuotio; multique sancti post Iosephũ & socios, Diuus Aidanus cum primis, & Diuus Patricius ibidem sepulti sunt, eóque loci Patricius tringinta annis monasticam vitam egisse, & duodecim ibidem viros vitam solitariam traducentes reperisse traditur, vnde & Tumulus Sanctorũ locus ille dici solet. Quò forte respexit, [c] Melkinus ille qui fuit ante Regis Arthuri tempora, cũ scribit, Insula Auallonis auida funeris, & millia dormientium accepit. Et inter alios recenset Iosephum ab Arimathæa. Quare Principes non modo Britanni, sed & Angli, & cum primis celeberrimus ille Arthurus locum illum mirificè complexi sunt, beneficijsque suis atque priuilegijs amplissimè ornarunt. Ad cuius rei, imò & totius Iosephianę huius historię fidem, testem omni exceptione maiorem, Henricum inquam regem eius nominis secundũ, eiusq; diploma, Glasconiensi ecclesiæ concessũ, lectori in mediũ proponam.

b *Io. Prisc. in Defens. histor. Brit.*

c *Io. Capg. in Catal.*

Diploma Regis Henrici secundi indultum cœnobio Glasconiensi.

CAPVT II.

HENRICVS Dei gratia Rex Angliæ, Dux Normaniæ, Aquitaniæ, & Comes Andegauiæ, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Iustitiarijs, Baronibus, Viceb. & omnibus fidelibus suis Francis, & Anglis totius Angliæ, salutem. Quoniã quę seminauerit homo, hæc & metet; Ecclesiæ Glasconiensis fundamentum iaciens, quæ, dum in manu mea fuerat, incendio consumpta in cinerẽ resedit, eam, domino volente, persuadentibus Eraclio Patriarcha Hierosolymitano, Balduino Archiepiscopo Cantuariensi, Richardo Wintoniẽsi Episcopo, Bartholomęo Exoniensi Episcopo, Radulfo de Glanuill cum multis alijs, per me, aut per hæredes meos consummandam, magnificentius reparare decreui. Quæcunq; etiam à prædecessoribus meis WILLIELMO primo, WILLIELMO secundo, & HENRICO auo meo, sed & ab antiquioribus videlicet Sancto EDGARO patre sancti Edouardi, ab EDMVNDO & patre ipsius EDOVARDO, & ELFREDO auo eiusdem: BRINGWALTHIO, HENTHWINO, BALDREDO, INA, inclyto ARTHVRO, CVNDREDO, & multis alijs Regibus Christianis, sed & à KENEWALLA quodam Rege pagano, quorum priuilegia & chartas feci diligenter inquiri, & coram me præsentari & legi, confirmata sunt prædictæ ecclesiæ, quæ olim à quibusdam MATER SANCTORVM dicta est, ab alijs TVMVLVS SANCTORVM, quoniam ab ipsis discipulis Domini ædificatam, & ab ipso Domino dedicatam primo fuisse venerabilis habet antiquorum authoritas: Ego quoque in honorem Dei & beatissimæ Virginis matris suæ, quæ locum sibi specialem & primum in hoc regno elegit; & omnium Sancto-

rum ibidem quiescentium, pro salute animæ meæ, & antecessorum & heredum meorum, concedo,& hac mea charta confirmo omnes libertates & dignitates, priuilegia & liberas consuetudines, quæ à prædictis nobilibus viris collata sunt præfatæ ecclesiæ,& Apostolicis sanctionibus sunt munita,& à beatis EALFOAGO & DVNSTANO Archiepiscopis,& quondam loci illius monachis, & à prædecessoribus eorum & posteris roborata. Habeat igitur & possideat sæpedicta ecclesiâ omnes possessiones suas, & terras, & omnes forefacturas eorum,feoda, seruitia militum, vbicunque fuerint in toto regno meo,in pace & quiete,libere & inconcussè, sicut ego res meas Dominicas liberius habeo; fugitiuos suos,vbicumque inuenti fuerint, absq; omni calumnia & impedimento habeant, & sint Abbas, & monachi, & familia eorum quieti per totum regnum meum de tomm & pagio. Habeat quoque eadem ecclesia, & omnes terræ suæ soccam & saccam on Sutude & on Sitme, on Wode & on Felde,on Gripbriche,on Burchbrich hundrendsetene, Adas & Ordelas,Galle,Hordas Busa, Eordan & Benedan, Infangene theof & fleme ferdem hansocue ffridbrich fforsteal, Tol & Tean, sed præcipuè villa Glaston in vetusta ecclesia genitricis Dei sita, quæ fons & origo totius religionis Angliæ pro certo habetur, præ cæteris sit liberior cum insulis suis,scilicet Becaria, quæ parua Hibernia dicitur,Godeneia,Martenesia,Ferramere,Dathenebga,& Adredesia,vt nullus hominũ,Rex,Archiepiscopus, Episcopus,Iusticiarius, vir forestarius, vel alius bailliuus siue minister, vel aliquis alius hominum audeat intrare prædicta loca,causa placitandi aut perscrutandi, aut rapiendi, aut aliud faciendi, quod ecclesiæ dignitati vel inibi Deo seruientubus contrarium esse possit, aut molestiæ. Sed Abbati tantum & conuentui sit potestas in causis tam notis quam ignotis,in modicis & in magnis,& in omnibus omninò negocijs tractandis & terminandis. Concedo etiam ijsdem eandem authoritatem & potestatem puniendi,& dimittendi commissa delinquentium in locis prædictis, quantum mea Dominica Curia habet;& quantum ad Regiam maiestatem pertinet, volo & præcipio sicut prædecessores mei statuerunt, & summi Pontifices sanxerunt, nec non & ecclesiæ Cantuariensis Prælati confirmauerunt; sed & Diœcesani Episcopi assensum præstantes roborauerunt, quod eadem ecclesia cum præfatis insulis,& cum septem ecclesijs ei subiectis,scilicet de Streta pistoria, Dichseata Budekeleia, Sapwica, Merelinus, Sowi cum Capell. earum, Presbyteris,Clericis & seruientibus,libera sit omninò ab omni iurisdictione Episcopi Bathonensis, sicut mea propria corona. Benedictionem quoque Abbatis, Ordines, & omnia Sacramenta ab Episcopo celebranda, à quocumque voluerint Episcopo faciant fieri. Habeant quoque monachi libertatem, potestatem, & dignitatem eligendi, & constituendi sibi rectorem iuxta regulam beati Benedicti, sine omni contradictione & impedimento;sed nec aliquis omninò hominum in ecclesia Glasconiæ,aut in prædictis insulis, vel ecclesijs aut capellis suis, quacumque ex causa præsumat cathedram Episcopalem statuere. Si quid tandem amplius, Regum vel Pontificum priuilegijs, ecclesiæ sæpius memoratæ, quod ad dignitatem vel libertatem faciat, collatum fuerit; ratum & inconuulsum esse volo in perpetuum,& firmiter obseruari ab vniuersis præcipio. Valdè namque verendum, & modis omnibus cauendum est, tot sanctorum Regum & Pontificum contraire priuilegijs, quibus ecclesia illa hactenus insignita est, ne tot sanctorum maledictiones in renitentes datas, vel alio modo statuere præsumentes, incurrant. Testibus Eraclio Patriarcha, Iterum Wilhelmo Remensi Archiepiscopo, Balduino Archiepiscopo Cantuariensi, Richardo Wintonensi Episcopo, Bartholomæo Exoniensi Episcopo, Reginaldo Bathonensi Episcopo, Wilhelmo comite de Mandeuill, Radulpho de Glanuill, & multis alijs apud Westmonasterium. Et hæc hactenus de Iosepho ab Aramathea, quem fidei christianæ in Britannia ducem & initiatorem tradunt. Cæterum nullo hic modo prætereundum est, existere qui tradant diuum Petrum Apostolorum principem, nostram quoque Britanniam inuisisse,& luce Euangelica illustrasse,ecclesiasque collocasse, quod indicasse satis erit.

Metaphr. in peregrinat. Petri & Pauli to. 5. Aloisij.

De fide Christiana passim & palam, imperante Lucio, in Britannia suscepta, eodem etiam Lucio Christo initiato.

CAPVT III.

EActis itaque fidei fundamentis per Iosephum & socios,credibile est, hanc semen-tem in plurimorum posteà animis opimam messem, fructumque vberrimum produxisse. Qua tamen in re,quantum vel priuatim, vel publicè profecerit, nihil adhuc in

nostrorum

nostrorum vel aliorum monumentis reperi, nisi quod sint qui existimant Claudiam illam, de qua Paulus meminit cum scribit ad [a] Timotheum (*Salutant te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia*) fuisse nobilem mulierem [b] Britannicam, ipsiusque Pudentis vxorem, quorum mentionem facit Martialis [c] poëta. Cuius [d] etiam Pudentis filij Nouatus & Timotheus, filiæq; Pudentiana & Praxedes, pietatis virtutisque ergò celeberrimi sunt; annuisque in ecclesia memorijs honorantur. Sementis certè illa iacta per Iosephum & socios, in opimam messem postèa erupit, imperante Lvcio Rege Britanniæ. Etsi enim antè eius tempora multi priuatim clanculúmque, sanctissimæ huic se religioni deuouerint, nemo tamen, saltem ex Principibus, apertè & palam eam professus est. Hanc glaciem primus feliciter perfregit Lvcivs noster, sublata veteri Druidarum, qui maximè celebres erant, superstitione.

a 2. Timo. 4. 21.
b Io. Holandus.
c l. 4 epigr. 13. l. 11 Epig. 54. & l. 7. epig. 10.
d Vsuardus in martyr. 19. Maij & 20. Iunij.

Scribit [e] certe Suetonius Claudiũ Imperatorem Druidarum religionem, apud Gallos diræ immanitatis, sub Augusto etiam interdictam, penitus remouisse. Cui consentanea scribit & Plinius. Nec sine causa diræ eã immanitatis appellat Suetonius. Nam [f] his Galli in sacrificio administris, humanis diu litabant hostijs. [g] Rebus diuinis (Cæsare teste) hi Druidæ intererant, sacrificia publica ac priuata procurabant, religiones interpretabantur. Ad hos magnus adolescentium numerus, disciplinæ causa concurrebat, magnóq; apud eos erant in honore; nam ferè de omnibus controuersijs publicis priuatisque constituebant. Nihil habebant (vt scribit Plinius) visco, & quercu in qua gignitur, sacratius, nec vlla sacra sine ea fronde conficiebant, vt indè appellari quoque interpretatione Græca possint [h] Druidæ. Alij & nomen & originem eorum à Dryo Sarronio, quarto Celtarum & Britannorum Rege petunt. Quodcunque sit, traditum est à Laërtio [i] Druidas habitos pro sapientibus apud Britannos, & Celtas siue Gallos, veteresq; Britannos, [k] Græcas didicisse literas, & habuisse Sacerdotes Druides cum Gallis communes; [l] disciplinásque è Britannia inuentas, Druides ad Gallos primum importasse.

e Suet. in Claudio. ca 25.
Plinius li 30. c. 1.
f Cæsar comment. li. 6 bel. Gal. sol. c. 34. Pomp Mel. l. 3. c. 2.
g Cæs. comment. l. 6.
h lib. 16. c. vlt.
i Ἐρινὸς siue ἔρινος à ἔρις qua vox quercum significat.
k Laertius lib. 1. in principio.
l Polyd. lib. 1. historia.

Cvivs rei in Cambria, vbi veterum adhuc Britannorum reliquiæ resident, non obscura argumenta se produnt in numeris præsertim, qui tardissimè omnium in linguarum mutatione abolentur. Quare Dec appellant, quod Græci δεκὰ, & vnardec quod illi ἑνδεκα. Imò ipsum Druidarum nomen & Bardorum (quo nomine etiam hodie vates suos appellant) retinere videntur. Bardos enim istos Priduides vocant, [m] vtrosque autem apud Gallos olim eximio in honore fuisse constat, & Druidas sacrificiorum, vt diximus, naturaliumque causarum curæ fuisse deditos: Bardos verò laudationibus hominum, rebusque Poëticis, atque musicæ studuisse, Cuius rei studium in Cambrensibus nostris Bardis hodiè etiam viget. Huiusmodi [n] verò Bardos & in Britannica insula fuisse testatur Cæsar. Neque tamen Cæsarum illud edictum efficere potuit, vt barbaræ nationes disciplinam rituſque Druidarum, quibus assueuerant, prorsus reijcerent. Cæterùm hos Druidas Lvcivs noster, quemadmodum & Flamines atque Archiflamines suos, prorsus sustulit, & Christianæ religionis Episcopos atq; Archiepiscopos substituit.

m Cæsar lib. 6. comment. Strab. lib. 4. Diod Sicul. li 6. cap. 9.
n Cæs comment. lib. 6.

Atqve vt hoc contra Druidas edictum, aliquam fortè ei occasionem, vt Christo initiaretur, dedisse non abnuerem, ita planè arbitror multa alia, quæ animum eius multò magis permouerent, concuterent, confringerent, accessisse: cogitasseque eum, vt hominem pium & prudentem, idque attentissima meditatione, de vanitate suorum doctorum, déque sanctitate, soliditate, certitudine Christianæ doctrinæ; neque perfunctoriè sæpius audisse quanta, & quàm stupenda non modò Christus Hierosolymis, sed & Apostoli alijque eius discipuli, pro Christi doctrina constabilienda, fideique suæ magnitudine, per totum orbem designarint; & cum primis admirabile illud pluuiæ beneficium, [o] paucis antè annis in Germania à Christianis, qui in Marci Antonij exercitu stipendia faciebant, precando impetratum. Credibile præterea est intellexisse eum, quàm confertim homines vndique ad Christianam se religionẽ conferrẽt, quamque sanctè & inculpatè (præ suis hominibus) Christiani viuerent, & quàm grauia, atque immania supplicia, quantáque constantiâ, animorumque fortitudine, passum pro Christi fide asserenda, & olim atque adeo [p] recens, non solum in remotioribus mundi regionibus, sed etiam in vicina Gallia generosè [q] decertarint.

o 176. Vt Euseb. in chro. Vide Tertull. Apol. cap. 5. & ad Stapul. Eutropium li 10. Eus. l. 5. c 5 & Apol. Iustini martyris vbi ipsius Imp. de re rescriptum habet.
p Imp. Marc. Ant. Vero.
q Quorum plerosque Hermannus Contract. recitat in Chron. ad dictã M. Ant. 6. & Eusl 5 c. 5

Neqve verò vel illud forsan mediocriter animum eius accendit, & inflammauit ad veram pietatem, quod M. Antonius Imperator, post stupendum illud pluuiæ cælestis miraculum [r] edixerit, ne cuiquam Christiana religio vertatur crimini, eumq; qui deferret Christianum hoc solo nomine, quod Christianus esset, viuum comburendum; quodque intelligeret multos deinde illustres Romanos fidem Christianam professos. His alijsque id genus causis, Deóque eum arcanis rationibus excitante, *Lucius* accensus *Eluarium Analoniam* sanctæ illi Iosephi societati, collegióque adscriptum, & *Meduinum Belgium* (id est ex Wellensium regione, quam olim

r In prædicto rescripto.

Belgiam appellabant) viros pios & doctos, ad Eleutherium Romanum Pontificem amandat,
a Beda li.1 c. 4. sibi totique regno Christianæ fidei initiando opem implorans. [a] Datur itaque hoc negotium Fugacio & Damiano, viris singulari doctrina & pietate, qui delegante Eleutherio Roma profecti, atque in Insulam delati, Lucium cum tota domo populoque, salutari baptismate perfusum Christi familiæ adiunxere. Quorum sacrosancta memoria in ea Britanniæ parte, quam olim Cambriam dixere, hodie Wallia dicitur, persanctè & venerabunde concelebratur. Templum etiim, (vt audio) eorum memoriæ dicatum illic extat.

NON mediocriter dolendum est antiqua illa Britanniæ monumenta, cùm propter alia, tum
b Quidam appellant Phagatum & Dervianum. potissimùm propter præclaras Fugacij [b] & Damiani actiones interijsse. Quas non dubium est literis olim commissas, in quas traditur Patricium sanctum illum virum, Aualoniæ dum antiquum ibi repararet oratorium, incidisse; sed ita fugientibus literis, vt nulla certa lectio constare potuerit. Id verò proditur fuisse, cum viginti octo Flamines, & tres Archiflamines, quibus, (vt diximus,) Lucius abrogatis, Christianos suffecerit. Archiflamines sedem suam *Londini* (quod
c lib. 28. oppidum *Augustam* [c] Marcellinus appellat) *Eboraci*, & in *Vrbe Legionum* habuerunt: In ea inquam *Vrbe Legionum*, quæ in *Demetia*, id est, Meridionali Cambria *Kaeruſk* siue *Caerleon*, & ad Oscæ fluminis ripam sita memoratur; ita dicta, quod legiones Romanæ ibi frequenter in Hybernis agerent: quæ Metropolis postea Meneuiam, quæ nunc sancti *Dauidis* ecclesia dicitur, translata fuit. Est enimuerò & altera *Vrbs Legionum*, quæ aduersam Cambriæ partem Venedeciam & Septentrionem respicit, & *Cestria* hodie vulgò appellatur.

DE his tribus totius insulæ Metropolitanis ciuitatibus (Scotia enim olim nullum alium
d Dialogo quodam de laboribus suis circa sedem Menenensem. Vide Io Priscum in defens hist. Britan. Primatem quàm Eboracensem agnouit, frequens est in nostrorum historijs mentio. Solus [d] Giraldus Cambrensis (quod adhuc reperio) quinque Metropolitanas Lucij temporibus ciuitates ponit, & prædictis adijcit *Doruerniam Dur* Britannicè, quod aquam significat qua illa abundat, nunc verò *Cantuariam* dictã, & *Vrbem Sancti Andreæ* in Albania, siue Scotia; & cuiq; Metropolitano duodecim Episcopos à suffragijs attribuit: Insulámq; tradit antiquitus in quinque prouincias distributam, *Britanniam* videlicet *primam*, *Britanniam secundam*, *Flauiam*, *Maximiam*, *Va-*
e Pol. l. 1. Gir. Camb. Bed. Polich 4 16 Flor hist. Chro. Herm. Cont Hen Hunting l 1. *lentiam*, quod lectori significasse mihi satis erit. Illud verò inter omnes [e] constat, Lucium, vt diximus, palam Christianam fidem professum; [f] creditúrque Britannia prima omnium Romanarum prouinciarum ad Christi Religionem admota, nisi fortè Æthiopia præuenerit, quæ tamen inter Romanas prouincias non recensetur. [g] Religio itaque, sicut iam dictum est, semel
f Sabell Ennead 7. li. 5. suscepta, ad immanem illam per Diocletianum vastationem illibata, atque integra perseuerauit. Atque ita aptè & accommodatè, imperante *Lucio*, Britannia alio, quàm Poëta ille olim dixit, sensu, *diues lucis* facta dici potest. Templa autem aliáque sacra monumenta, quæ absque dubio
g Bed. l. 1. c. 4. plurima *Lucius* Christo Deo Opt. Max. posuit, [h] partim Diocletiani atrox illa persecutio, quæ omnes ecclesias Christianas passim sustulit, sacrásque scripturas medio in foro igni combussit,
h Euse in Chro. li. 8 c. 5. partim Saxonum posteà incursatio, vastitásq; aboleuit. Sunt [i] qui tribuunt templum Diui Petri apud Westmonasterium Lucio, alij ad Sigebertum referunt.
i Polid li. 2.

REPERIO certè eum Christo Seruatori *Venta*, quæ *Vintonia* hodie dicitur, & Britannicè
k Chronico maiore Thome Ruidburns monach Wint. l 1a in dictis annalibus. *Karwent*, templum consecrasse, pióque quosdam ibi viros, præsidémque his *Denotum* [k] nomine collocasse, possessionésque & prædia, quæ quondam fuerant eiusdem ciuitatis Flaminum, cum priuilegijs atque prærogatiuis, quæ Flaminibus Dunuallo Molmicius, decimus sextus Britonum Rex irrogarat, liberaliter contulisse. Quorum limites extendebantur, ait, [l] Moratius antiquus Britonum scriptor libro primo capite nono, duodecim millia passuum per gyrum ciuitatis Vinton, scilicet ab vnaquaque plaga in duodecim millia passuum; erantque ab vnaquaque plaga ciuitatis, in quolibet duodeno numero mille passuum, octo vieuli optimi. Sed hic iam forsan aliquis demiraretur quid illud sit, quod Lucium impulerit legatos tantis sumptibus, tantáque temporis iactura Romam vsque mandasse, cum vel domi; vel certè in vicina Gallia, quæ celeberrimis tum ecclesijs, martyribusque, vt dixi, inclaruit, fidei suæ Doctores, omniúmque sacrorum rituum peritos petere, minore negocio licuisset. Quod ego certè cum magna cautione, prudentiáque fecisse iudico. Cum enim intelligeret quot & quantæ hæreses, non modo superius sæculum, sed & suum infestarint, vt Basilidianorum, Valentinianorum, Marcionistarum, & Montanistarum, atq; aliarum passim, [m] Montanique deliria vniuersam Cappadociam, Galatiámque occupasse, & singulas sectas veram Christi ecclesiam in sua solummodo societate constituisse, [n] hæreticósque non minore alacritate quàm alios, extrema pro Christo supplicia subijsse, iactitasséque doctrinæ suæ solliditatem, ex multiplici suorum Martyrio; potuit forsan hæc res, in ipso fidei suæ tyrocinio, primisque Baptismi suscipiendi cogitationibus, Lucij animo
l Ita Centuriatores cent 2 c 11 ex Ephamo. m Euse li. 5. c 16. cum seq. n Euse li. 5. c 16. cum seq.

difficultatem

difficultatem aliquam indidisse. Quare cum Romæ Christi Petríque Apostoli successores, quibus totius Christianæ fidei cura solicitudóque præcipuè incumberet, quorúmque authoritas ex Christi ipsius præcepto eminens, singularis, & exors esse debet, sedere; ideóque ad Romanam ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse fuisse omnem conuenire ecclesiam intelligeret ([a] quod insignis ille Lugduni Episcopus Irenæus, Eleutherio Romanam ecclesiam administrante, scripsit) magnam suæ, populique sui fidei securitatem, sinceritatémque fore prudenter existimauit, si Eleutherij consilio authoritatéque, omnes fidei suæ rationes gubernaret. Fuit autem Eleutherius decimus quartus post Petrum Apostolum Romanus Episcopus. Reliquorum post Petrum hæc sunt nomina. Linus, Cletus, Anacletus, Clemens, Euaristus, Alexander, Xystus, Telesphorus, Hyginus, Pius, Anicetus, Soter; Eleutherium autem sequuti sunt Victor, Zephyrinus, Callistus, Vrbanus, Pontianus, Anterus, Fabianus, Cornelius, Lucius, Stephanus, Xystus, Dionysius, Felix, Eutychianus, Caius, Marcellinus, Marcellus, Eusebius, Miltiades, Siluester, quo sedente celeberrima illa Nicæna Synodus, Constantino Augusto fidei Christianæ, vt posteà dicemus, initiato, coijt. Sed vt eo vnde digressi sumus reuertamur, *Lucius* cum se, suúmque regnum tam amplo, tamque cælesti beneficio ornásset, ex insula lucis, ad meliorem tamen ac præstantiorem, & magis perpetuam lucem, Deum inquam ipsum, cuius fidem tam religiosè complexus est, tamque strenuè promouerat, feliciter, vt par est credere, transmigrauit. Eant iam qui plenis (quod aiunt) buccinis Romanorum victorias [b] trophæáque decantant, cosque vel eo saltem nomine Alexandro Magno longè anteponunt, quod illius victoriæ Oceano circumscribantur: Isti deuicta Britannia, non tam de ea, quàm de ipso quoque Oceano triumphum retulisse videantur. Næ totus hic triumphus tenuis & ignobilis erit, præ *Lucij* nostri trophæis: qui tamen, quod legerim, nec Oceanum vnquam transgressus est, (nam quod in Germania quidam Euangelicum concionatorem egisse, ibique martyrio obijsse tradunt, nulla id mihi certa probatarum historiarum fide niti videtur; & forsan isti Lucium Cyrenensem in *Lucium* nostrum transformant) nec tristes vnquam de humano sanguine fuso triumphos reportauit. Sed sint istorum trophæa, quantacúmque eorum ea præcones esse volunt, fordescent tamen præ nostri *Lucij* coronis, quæ cælestes & perpetuæ sunt; cum illorum tantùm terrestres, & momentaneæ fuerint. Glorientur illi (si aliqua in eo gloria sita sit) quod liberis prius populis libertatem illam, quam natura omnibus ab initio dedit, eripuerint; & cum omnia dixerint, de hominibus tantum triumphant. Quantò speciosior nostri *Lucij* triumphus, qui suos durissimo ignorantiæ, perfidiæque, atque idololatriæ iugo hactenus pressos, in sanctissimam illam certissimæ veritatis, Christianæque fidei libertatem generosè vindicarit, & asseruerit; nec de homine, sed ipso diabolo glorioſum triumphum abstulerit? Sed me, & materiam tam exuberantis laudis iam reprimo, meque ad residuam historiam refero. Post *Lucium* itaque Christo initiatum, religionem Christanam semel acceptam, hoc & proximo sæculo in hac insula durasse, non solùm veterum, qui ad ea tempora celebres erant, præsertim [c] Tertulliani & Origenis monumenta, sed & celeberrima, quæ nostri obiere, Martyria palam testantur. Quorum omnium Choragum & Antistitem à maioribus accepimus fuisse beatum *Albanum Verolamium* vnũ ex Britannica nobilitate; quique priùs septennio, sub Diocletiano, terrestris militiæ stipẽdia fecit; mox sub Christo duce, cęlestis militię æterna stipẽdia felici, & fausto sanè omine facturus: vt insulæ nomini, quę Albion olim, aut vt quidam coniectantur [d] ἀλβίων dicebatur, id est, felix, Protomartyr suus Albanus, quàm felicissime responderet. De quo inter ceteros huius temporis martyres ita cecinit Fortunatus.

Albanum egregium fœcunda Britannia profert.

Decertauit egregius iste athleta in decima illa post Neronem persecutione, quam Diocletiani, & aliorum id temporis furor, omnium acerrimam & atrociſsimam excitauit, quamque mox altissima, sub Constantino Magno, ecclesiæ pax, & Halcyonea tempora excepere.

[a] *Lib. 5. c. 5.*

[b] *Vide eruditissimum Agrippæ Regis apud Egesipp. lib. 2. c. 9.*

[c] *Tertul. contra Iudæos. Origen. hom. 4. in Ezechiel.*

[d] *Elutus in Britannicis. Brit. verbo Albion.*

Beda lib. 1. c. 7.

Beda lib. 1. c. 6.

De Impp. Diocletiano, Maximiano, Maximino, Maxentio & Licinio.

CAPVT IV.

QVI vt Euangelij tam paucis annis, tam longè latéque propagatio, magnum argumentum est Christi, vt dixi, diuinitatis, & quod hæc illius doctrina sit germana & solida, atque è cælo demissa; ita sanè non minus est & illud, quod tam infiniti homines ex omni ordine, sexu, & ætate, suo illam sanguine per omnes orbis partes consi-

consignarunt; & quod, quo studiosius eam tyranni supprimere conabantur, contrà eo illa magis creuerit. Et quoniam decima iam in manibus est persecutio, nouem illis prioribus omissis, de ista aliquid libare, & vel tenuem aliquam tam insignium Athletarum nomenclaturam, deque ipsis tyrannis, qui eam excitarunt, aliquid attexere (antequam ad nostri Albani nobile certamen veniamus) non erit à nostræ ecclesiasticæ historiæ scopo alienum. Post captum à Persis Valerianum, Gallieno paterno casu perculso & consternato, edictum contra Christianos reuocante, aliquot tamen postea martyrio defuncti sunt, tam sub alijs Imperatoribus, quàm subipso Gallieno. Sed quia nullo publico edicto cędi Sanctorum indulgebatur, mirificos iam res Christiana successus, maximámque accessionem habuit: cùm & conuentus maximi illorum haberentur, & templa etiam publicè construerentur; multique qui Christum tectius profitebantur, Prouincijs administrandis præerant, multi in summo loco summáque gratia, etiam in Imperatoria aula, etiam apud hunc ipsum Diocletianum, vt Gorgonius, Dorotheus atque alij constituti sunt.

Euseb. l. 7. c. 12. & 13.

DIOCLETIANVS verò etsi ab initio Imperij (quod suscepit circiter annum Domini ducentesimum octogesimum octauum) in pios sæuiret, sensim id tamen, nec prius in apertum bellum prorupit, quàm motus Imperij, quod turbulentissimum vndique acceperat, sedasset, & rempublicam constituisset. Prima autem persecutio in castris Imperatorijs grassata est, sed citra sanguinem, multíque ex eis qui ducebant ordines, alioque militares honores gerebant, cum recusassent, sacrificare exauthorati sunt. Posteà circa decimum nonum Diocletiani annum feralia edicta vndique proposita sunt, ita vt diuinæ scripturæ publicè igni committerentur, templa solo æquarentur, & pœnarum atrocitate homines Christum eiurare cogerentur. Tanta itaque vastatio, tanta nostrorum clades statim insecuta est, vt ipsa recordatio animum horrore, calamum quasi sanguine totum implere, sisteréque mihi videatur. Tanta fortissimorum Athletarum intra biennium multitudo exhibita est, vt omnem orationem numerúmque superet. Ipsi demum Tyranni ob multitudinem, & incredibilem martyrum constantiam atque patientiam pudore, iracundia, indignatione, quòd exquisita eorum tormenta Christiani quasi ludos & iocos ducerent, quódque eos, quod futurum existimabant, extinguere non potuissent, sed magis inter tormenta succrescerent, eodem die purpuram Imperiúmque, ob hanc potissimum causam, vt quidam existimant, deposuerunt, quanquàm senectutem, quietum animum & Philosophicum, dominandique saturum, aliásque in specie splendidas causas prætendentes.

Euseb. l. 8. c. 1.
Idem cap. 2.
Zonaras in vita Diocletiani.

QVOD dico vel ex eo verum apparet, quòd Maximianus Imperium repetere tentabat, ob quod interfectus est, dignum tyrannidis suæ exitum consecutus. At deteriorem Diocletianus, qui manus, tot sanctorum sanguine pollutas, sibi ipsi carnifex intulit. Neque tamen hæc exempla deterrere potuerant Maximinum Diocletiani generum, Maxentium Maximiniani filium Liciniumve, qui etiam Pij Constantini sororem in vxorem acceperat, quin reliquias Christianorum, quæ Diocletiani furori superfuerant, internetione delere conarentur, sed infelici euentu, magnóque suo malo. Maxentius enim cum Constantino fraudulenter insidias posuisset in ponte Miluio, in flumine, ponte diuina virtute rupto, vt olim Pharao, immersus ac suffocatus est, suáque arte perijt. Maximinus etiam ab eodem bello victus est, & fœdo postea morbo perijt, adhuc viuus incredibili vi vermium scaturiens, qui excitabant lætalem fœtorem, vt ne medici quidem sustinere summam fœdi odoris grauitatem potuerint. Licinius, qui & sororem duxerat Constantini, atque ad Imperij societatem vocatus est, non tam contra necessarium, quàm contra Deum pietatémque bellum gerens, à quo Christianos tormentorum acerbitate, mortéque crudeli auertere vndique conabatur, bello victus, vitáque obsecranti concessa; postea tamen res nouas moliens, capitalem, & dignam tanta in Deum atque affinem perfidia, pœnam subijt. Ita omnibus Dei atque Imperij hostibus euersis, Deus tot & tantas res in felicia Constantini tempora concluſit; vt parem Principem neque priora, neque posteriora sęcula habuisse videantur, de qua re suo loco opportunius dicendum mihi erit.

Euseb. l. 8. vltimo.
Theodoretus hist. li. 1. c. 7. Eutropius li. 10.
Euseb. l. 9. c. 8. & li. 1. de vit. Const. c. 32.
Idem li. 8. c. vlt. & de vit. Const. li. 1. c. 50. Zonaras in Maximino
Euseb. l. 10. c. 8. & 9. & de vita Const. li. 2. c. 18.

Nomen-

Nomenclatura eorum qui sub prædictis Imperatoribus in Romano Imperio, & circa hæc tempora in Persida, illustri martyrio obiere, & primum de martyribus Europæ.

CAPVT V.

HIS itaque Tyrannis Imperantibus, Romę præter quinque eiusdem vrbis Pontifices, Caium, Marcellinum, Marcellum, Eusebium, Miltiadem, hos etiam illorum infectatio sustulit; Claudium, Cyrum, Antonium, Susannam. Claudium cum vxore Præpedigna, & filijs Alexandro, Maximo & Cutia, Gabinum Susannæ patrem, Cyriacum Diaconum, cum Smaragdo, Largo, Crescentiano & alijs viginti. Saturninum & Sisinium, Papiam, & Maurum, Apronianum siue Aphronianum, Marcellinum Presbyterum, & Petrum Exorcistam, Artemium cum vxore Candida & Paulina filia, Felicem & Adauctum, Cassianum, Marcum & Marcellianum, Zoen, Tranquillinum, Nicostratum, Claudium cum Castorio, Tiburtium, Castulum, Pancratium puerum quatuordecim annorum, Simplicium, Faustinum, Beatricem, Luciam cum Geminiano & septingentis quinque alijs, Pontianum, Prętextatum, Thrasonem, quatuor vt appellant Coronatos Seuerum, Seuerianum, Carpophorum & Victorinum, Claudium, Nicostratum, Symproniannum, Castorium & Simplicium, triginta martyres, item alios triginta martyres milites, Almachium, Agnetem tertiodecimo ætatis anno, Emerentianam, Basilidem, Cyrinum, Naborem, Luciam cum alijs viginti duabus virginibus, Maximum presbyterum, Rufum cum omni sua domo, Ioannem & Crispum cum quadraginta nouem militibus, Maximum, Dadam Quintilianum, Anastasiam vigesimo secundo ætatis anno, Timotheum Antiochenum, Serenam ipsius Diocletiani vxorem, Genesium, Sophroniam, Felicem Tubiratensem Episcopum, præter multos alios quorum nomina non tenemus, multósque egregios Confessores Chromatium, Lucinam & alios relegatos. *Martyres Rom.*

HOS reliquiam Italiæ martyres excipiant, apud Bononiam, Vitalis & Agricola; Christina apud Tyrum propè lacum Volsinum; Domninus Via Claudia; apud Aquileiam, Felix & Fortunatus, Leontius & Carpophorus, Cantus, Cantianus, Cantianilla, cum pędagogo Proto, Chrysogonus; Mediolani verò Octauius, Aduentitius, Solutor, Victor, Ansanus, & Maxima; apud Auximum oppidum Sisinnius, Diocletius & Florentius; Via Salaria quæ ducit ad Picenum, Anthymus, Maximus, Bassus, & Fabius; Spoleti Gregorius presbyter, Sabinus Episcopus, Exuperantius, Marcellus, Venustianus; Puteolis, Ianuarius, Sosius, Proculus, Eutyches, Acutius, Festus & Desiderius; Veronæ Firmus & Rusticus. In Campania Erasmus & Seuerinus Episcopi; duodecim fratres Drumentini apud Calabriam; & alibi in Italia, apud Vintimilium Secundus & Alexander; Rauennæ Seuerus presbyter, non vt quidam tradunt Episcopus, Edistius Rauennæ Archiepiscopus, cum Valentino, Solutore, Victore, Feliciano, Victorino. Alius item Valentinus cum filio Concordio, Vitali & Agricola. Apud Ticinum Dalmatius eiusdem ciuitatis Episcopus. Plurimos egregios confessores, vt Marianum Arimini, Felicem Nolanum cum Maximo eiusdem ciuitatis Episcopo, & id genus alios prætermitto. *Reliqui Italiæ.*

ADIVNGAMVS iam Galliæ martyres Mauritium cum tota Thebanorum legione in finibus Sedunorum; Firminum, Quintinum, Victoricum, Fuscianum, Gentianum, apud Ambianos; Caprasium, Primum, Felicianum, Fidem, apud Aganenses; Genesium, apud Arelatas; Victorem apud Massiliam; Donatum & Rogatianum, apud Nannetenses; Rufinum & Valerium, Crispinum & Crispinianum, apud Suessiones; Victorem & Vrsum Soloduri, qui erant ex præfata legione Thebæorum; Benedictam virginem, apud Lugdunum; Iulianum, apud Auernos; Ferreolum Viennæ; Mariam, apud Augustam; Desiderium Viennæ Episcopum in territorio Lugdunensi; in territorio Agathensi Tiberium, Modestum, & Florentiam, Victorinum denique præter alios, Pictauiensem Episcopum. *Galliæ.*

IN Hispania verò hi præclaro martyrio functi sunt. Hispali Carpophorus presbyter, & Abundius Diaconus; Hebeduni Vincentius, Orontius, & duo Victores: apud Gerundam Felix martyr: In ciuitate Abulæ siue Abellæ Vincentius, Sabina, & Christea; Compluti Iustus, & Pastor germani fratres: In ciuitate Tingitana Marcellus centurio, Barcinone Cucuphas, Eulalia & Iulia virgines; Vincentiæ Vincentius; Cæsaraugustæ, Quintilianus, Cassianus, Saturnius, *Hispaniæ.*

turnius,Felix,Ianuarius, Primitiuus,Euortus,Publius, Vrbanus,Martialis,Faustus, Successus, Cæcilianus, Optatus, Fronto, Lupercus,Apodemius, Iulius,Valerius verò Cæsaraugustanus Episcopus in exilium protrusus est, vbi & obijt; Toleti Leocadia.

Germania. In Germania autem Quiriacus,Largio,Crescentianus,Nimmia, Leonides,Iuliana,Eutychianus,Diomedes,Charito,Philadelphus,Agape,Petrus cum quindecim alijs. Apud Augustam Rhetiæ Afra cum matre Hilaria. Apud Coloniam Agrippinam Gereon,cum trecentis octodecim commemoratæ legionis Thebanorum, & quinto post die, trecenti sexaginta alij ex eadem legione, cuius legionis fuerunt Casius & Florentius, qui cum septem socijs, apud Veronam vrbem Rheni egregiè occubuerunt. Treueris vero apud Mosellam flumen,tantam Christianorum vastationem fecit Rictiouarius Præses, vt amnes toti purpurati fluerent ex sanguineis interfectorum riuulis,qui in eos influebant. E quibus inter alios fuerunt Palmatius Consul, & Patricius Treuerorum; septem præterea eiusdem vrbis Senatores Maxentius, Constantius,Crescentius,Iustinus;& tres fratres Leander, Alexander, Sother. Ad hæc Hormisda, Papyrius, Constans, Iouinianus cum alijs. In Austria apud Laureacum Quirinus & Maximilianus Latreacenses Archiepiscopi, & Florianus tribunus militum, cum quadraginta socijs. In Illyrico Hermylus, Stratonicus, Seuerus & Irenęus Episcopus. Apud Macedoniam verò Demetrius,& Nestor,Agape,Chronica & Irene sorores,Anusia,Theodulus,Agathopus. Apud Heracleam Thraciæ vxores quadraginta militum & martyrum,de quibus posteà dicemus. Theodorus Dux apud Byzantium, Acatius, Alexander præterea cum alijs in Thracia martyrio claruit.

Illirici.
Macedonia.

Martyres Africæ.

CAPVT VI.

Africa. TRANSMITTAMVS iam ex Europa in Africam,vbi Ægyptus & aliæ regiones numerosis,& illustribus nobilitabantur martyribus. Alexandria quidem Philoromo, & Philæa Episcopo Chimitensi, Petro Alexandrino Episcopo cum Fausto, Didio, Ammonio presbyteris, cum Hesechino, Pacumio, & Theodoro Episcopis & alijs amplius sexcentis, cum Catharina virgine cum quinquaginta sapientibus, Porphyrio & ducentis alijs,& Faustina vxore Maxentij,Mennate,Hermogene,Eugrapho,Edesio,Dorothea. Apud Thebaidem verò Asclas & Leonides cum alijs triginta septem, Philemo, Apollonius, Arianus præclarè decertarunt. Grauissimam in hac regione non ad paucos dies,sed ad aliquot annos carnificinam tyranni exercuere. Quo quidem spacio interdum decem, sæpe viginti, triginta & amplius,nonnunquàm centum viri,cum teneris liberis & mulieribus,varijs & exquisitis supplicijs confecti sunt. Cyrus & Ioannes, Theoctiste, Theodota, Eudoxia virgines, Paphnutius Anachorita cum quingentis quadraginta sex alijs, apud Genteriam fuit et Paphnutius ille celebris Episcopus Ægypti, nobilis hoc tempore Christi confessor, vnus ex ijs,quos Maximianus,dextris oculis effossis, & sinistro poplite succiso, ad metalla damnauit, Antinopoli in Ægypto in hac præclara palæstra coronatus est Sabinus. Ad hæc Varus Crispina & Potamiœna hoc tempore in Africa martyrio funguntur.

Martyres Asiæ.

CAPVT VII.

Bithynia. ASIA quoque claris & infinitis martyribus emicuit. In Bithynia apud Nicomediã,Ioannes,Petrus,Dorotheus,Migdonius,Gorgonius,Indes,Iuliana,Theophila,Agape,Barbara,& Domna virgines,Theophilus,Euthymius,Anthymus Nicomediensis Episcopus, cum ingenti aliorum numero;Egdunius presbyter cum septem alijs, Hadrianus cum viginti tribus alijs, Eleutherius, Basiliscus Comanorum Episcopus,Eulampius & Eulampia, Cyprianus & Iustina,Lucianus insignis ille & doctus presbyter, Glycerius, Zeno, duo infantes & fratres, Basileus Amasenus Episcopus, Clemens Ancyranus Episcopus, Pantaleon cum Hermolao Episcopo, Hermippo, Hermocrate; viginti denique vno die martyrum millia, qui immisso igne, vnà cum templo, in quo erant, absumptę sunt. Apud Calcedonem Sosthenes & Victor, & insignis illa virgo Euphemia. Apud Cyzicum Fausta, Euilasius, Maximinus. Apud Soreos

reos Antoninus, Nicææ Vrſacius, Theodote cum filijs; Menodora, Metrodora, Nymphodora, ſorores & Virgines. Apud Helleſpontum Cyrinus, Primus, & Theogenes. Apud Pergen, Pamphiliæ, Theodorus.

CILICIA quoque fæcunda fuit, & fertilis Martyrum ſanguine, vbi apud Tharſum, præter viginti alios martyres, cæſi ſunt Bonifacius, Tharacus, Probus, Andronicus, Quirieus & Iulitta, Dulas, Andreas Dux cum ſocijs. Eutychius & Pelagia. Apud Pompeiopolim Calliopius, Areſtes, Sozon. Apud Mopſim Zenobius & Zenobia. In Gallatia apud Ancyram Plato. Apud Gangram Callinicus. Apud Scythiam Phrygiæ Metropolim Mennas. In qua integrum etiam oppidum, quod Chriſtiani incolebant, vnà cum maritis, coniugibus, liberis & famulis, igne iniecto exuſtum eſt. In qua nobili palæſtra, Adaucus quidam vir illuſtris, dux & anteſignanus fuit. In Caria Agapitus Synnadorum Epiſcopus. In Lycia Claudius, Aſterius, Neon, Niceta, & Aquilina. Apud Cæſaream Cappadociæ Dorothea virgo cum duabus ſororibus, & Theophilo; & Theodoſia virgo, Gordius, Iulitta, Barlaam. Ex Cappadocia & Georgius martyr ortus eſt, licet alibi decertaſſe tradatur. Apud Sebaſten Armeniæ Euſtratius, Oreſtes, Eugenius, Auxentius, Mardarius, Blaſius Sebaſtes Epiſcopus, Seuerianus, Athenogenes cum alijs decem; quadraginta denique alij eodem tempore martyres, præter Eudoxium, Zenonem, Macarium & Baſiliſſam, qui poſt egregiam pro Chriſto in hac regione confeſsionem, nobiles martyrij palmas reportarunt. Apud Melitinem Hiero cum triginta ſocijs. In Ponto vero apud Heracleam Theodorus Dux; Ciuitate Thomis Argeus, Narciſſus, Marcellinus, Theodorus tyro; Apud Amaſeam auus Baſilij magni, & alij præterea maximo numero, varijs & inauditis ſupplicijs in Ponto conſumpti ſunt. Pauli vero Neocæſareenſis Epiſcopi manus ignito ferro combuſtæ ſunt, qui poſtea Nicæno concilio interfuit.

Cilicia. *Gallatia.* *Phrygia.* *Caria.* *Lycia.* *Cappadocia.* *Armenia.* *Ponti.*

EXTITERE iam tot & tam præclari in Syria athletæ, vt nemo eos vnquam ſatis amplè laudarit, aut efferatam tyrannorum in eos crudelitatem admirari poterit. Qui, quibus pardi, vrſi, tauri in eos immiſsi pepercerant, ferro inmaniter confecere. Antiochiæ itaque generosè decertarunt Eraſmus ciuitatis ipſius Epiſcopus, & inſignis ille martyr Romanus, qui lingua exeſta expeditè locutus eſt, cum infante Baralla, Cæſarius, Iulianus, & Baſiliſſa, cum Celſo & alijs. Margarita virgo, Dorothea virgo, cum Didymo milite, qui commutatis veſtibus eam e lupanari eripuit; duæ germanæ ſorores, quæ in aquas proiectæ ſunt. Celebris eſt etiam apud Auguſtinum, Ambroſium & Chryſoſtomum Pelagia, quæ ſe in profluente gurgite cum duabus filiabus virginibus præcipitauit, ne ſtupro & idololatria pollueretur. Celebris eſt apud Apameã Syrorum, Mauritius cum filio Philippo, & ſeptuaginta militibus. Apud Tyrum Phenicię Vlpianus, Tyrannio, Tyri Epiſcopus, & Zenobius Sidonis Presbyter, cum ingenti ſociorum numero. Apud Emeſam Siluanus eiuſdē ciuitatis Epiſcopus. Apud Roſaphos, Sergius, & Bacchus cum Iulia. Palæſtina verò multos, & fortiſsimos athletas exhibuit, apud Cæſareã, & inter alios illum egregiè doctum virum Pamphilum Presbyterum, cum ſocijs eius Valente, Porphyrio, Seleuco, Theodulo, Paulo, Elia, Ieremia, Eſaia, Samuele, Daniele, & Iuliano. His accedunt Procopius, Amphianus, Nicoſtratus & Antiochus, cum alijs pluribus militibus, Theodoſia Procopij mater, cum alijs duodecim primarijs feminis, alia item Theodoſia virgine cum Domnino & Auxentio, cum Antonio Presbytero & Zebina, & muliere quadam quæ Ennathas dicebatur, cum Petro monacho; Alphęus & Zachæus, Timotheus, Agapius, Thecla, Timolaus, Dionyſius, Romulus, Panſis, duo Alexandri, Paulus, Valentina cum alia muliere, multiſque alijs, quorum nomina non tenemus. Poſtremi verò qui hoc ſacrũ certamen Cęſareæ obiere, fuere Adrianus & Eubulus. Alibi verò in hac regione nobiliter decertarunt Siluanus Gazæ Epiſcopus, Peleus & Nilus Ægyptiorum Epiſcopi: Patermythius cum Presbytero quodam, & Ioannes, qui vtroque lumine orbatus, ſacras ſcripturas memoriæ beneficio expeditè, quaſi ex libro recitabat; & apud Byblim Aquilina. Nihil hic dico de ingenti quadam multitudine, qui poſt commiſſuras ſiniſtrorum pedum, cum ipſis neruis ignito ferro præciſas, poſt dexteros oculos effoſſos, ad metalla Palęſtinæ & Ciliciæ damnati ſunt. E quibus multi, inter quos erat Siluanus, de quo commemorauimus, capitis ſupplicium luerunt. Apud Ægæam Arabiæ, Coſmas & Damianus; apud Edeſſam Meſopotamiæ Samonas, Gurias, Abibus; apud Sibapolim Aſſyriorum Febronia, in cuius hiſtoria mentio eſt Lybiæ & Leonidis ſororum, atque Eutropiæ duodecim annorum virginis, quę (quantum conijcio) circa hęc tempora martyrij palma nobilitatę ſunt. Et hæ quidem lanienę Chriſtianorum in Romano Imperio accidere, à qua ne aliqua pars orbis eſſet immunis, circa hæc tempora Sapores etiam Rex Perſarum, atrociſsimis ſuæ regionis Chriſtianos ſupplicijs è medio ſuſtulit.

Syria. *Phœnicia.* *Arabia.* *Meſopotamia.* *Aſſyria.* *Perſidis.*

E quibus Principes & Duces fuere Simeon Episcopus, Vsthazanes eunuchus, Abedechalas, Ananias, Pusices, Azades, Tarbula Simeonis soror, cum duabus alijs Virginibus; Acepsimas Episcopus, Acithalas & Iacobus Presbyteri, Azadanes & Abdiesus Diaconi. Ad hæc Milles, Barbasymes, Paulus, Gadiabes, Sabinus, Mareas, Mocius, Ioannes, Hormisdas, Papas, Iacobus, Romas, Maares, Agas, Bochres, Abdas, Abdiesus, Ioannes, Abramius, Agdelas, Sabores, Isaac, Dausas, Mauream. Sedecim denique millia, quorum nomina recensebantur, ex omni ordine & sexu, in Persida præclaras martyrij coronas adepta sunt, præter infinitam quandam aliorum cædem. Quorum nomina in terris, licet non in cælis, in occulto iacent.

De Insularibus Martyribus, ALBANO præsertim & socijs in Britannia.

CAPVT VIII.

NEQVE in continentem solùm, sed & in Insulas quantumuis remotas, hæc rabies se effudit, immaniterque desæuijt. Sicilia enim nobis peperit Luciam, Vitum, Modestum, Crescentiam, Eupliem, Oliuam, & Nympham Virgines, cum septuaginta alijs martyribus; Lesbus, Glyceriam; Insulæ Palmariæ Anastasiam cum Eutychiano, & ducentis viris atque septingentis feminis; & aliæ alios nobis martyres produxere. Neque sanè continuit se intra Oceanum ista rabies, sed Oceanum ipsum egressa, Britanniam quoque peruasit. Author & Dux sacri certaminis fuit ALBANVS, Verolamij vrbis apud Britannos ciuis, illustri apud suos loco natus; qui fidem Christianam, AMPHIBALI sanctissimi Martyris præceptis primùm & institutis imbutus, suscepit. AMPHIBALVS autem fines regni, Euangelij proferendi cupiditate succensus, post alias aliquot regiones Christo acquisitas, in Britanniam demum contendit: & Verolamium primùm veniens, ad ALBANVM diuertit. Quem hospitio humaniter acceptum, cum intelligeret Christiani nominis non professorem modo, verumetiam Doctorem esse, multa cum eo super fidei illius assertione contulit. Beatus verò AMPHIBALVS fidei, quæ in ipso erat, rationem hospiti poscenti reddens, docere instituit, Deum sic dilexisse mundum, vt filium suum vnigenitum, amoris sui & testem & nuncium de cælo demiserit, ad genus humanum ipsi reconciliandum; eum, cum verus esset de Deo Deus, vsque eò tamen se demisisse nostræ salutis causa, vt carnem pro nobis susceperit, qui carnem fecerat, & à matre Virgine nasci voluerit, qui matrem ipse suam creauerat. Hæc fidei nostræ elementa esse, hæc Spiritu sancto docente, multis ante sæculis & cognita ab Hebræis quàm plurimis, & prædicta fuisse, & mirabilibus ipsius Christi operibus confirmata, & omnium gentium consensione suscepta: in his denique amplectendis, felicitatem omnem, in repudiandis omnem esse miseriam constitutam.

Gildas Beda & alius quidam Auctor innominatus in monast. diui Albani in Anglia repertus. Beda antiquior. Vide Beda hist. eccl. Angl. li. 1 c. 7.

AD hæc audita ridere primùm ALBANVS & contemnere, Doctorémque ipsum non modo pro vano, sed vix pro sano habere, veluti παράδοξα docentem, & à sensu communi prorsus abhorrentia. Quem enim adduci posse, aiebat, vt credat Deum filium habere, eum hominem factum, ex Virgine sine viro natum, eandem & virginem esse & matrem? Denique ita vtrinque discessum est, vt AMPHIBALO infensus ALBANVS ad somnum; pro ALBANO autem solicitus AMPHIBALVS ad preces se, somni loco, conuerteret. Neque vero otiosa eius pro hospite supplicatio apud Deum fuit. Somno enim oppressus, Dominicæ passionis tragædiam omnem quasi ob oculos ita agi videbat, vt non tam per somnum visa, quàm re ipsa exhibita coram, & repræsentata videretur; vnde mox vt est excitatus è somno, rei tam nouo miraculo perculsus, AMPHIBALVM adit, visa per somnum explicat, visorum rationem & interpretationem exposcit. Qui, (gratijs primum actis de tam admirabili hospitis vocatione) exorsam pridie de Christo narrationem ordine pertexuit, Christique crucifixi & mysterium, & mysterij rationem sic aperuit, vt nullum amplius dubitandi locum relinqueret ALBANO, fidem illi dictorum Spiritu sancto intus astruente. Cuius ex sacra vnctione, insolita quadam suauitate totus perfusus ALBANVS, non Doctorem iam, non argumenta desiderat; Deos ipse suos execrari, abijcere idola, non alium se Deum agnoscere, non alium corde credere, non alium ore fateri, quàm Deum patrem, & quem misit IESVM-CHRISTVM, eumque crucifixum: mirari magnitudinem bonitatis diuinæ super consilio redemptionis humanæ, & illius amore

totus

totus ardescere, qui sic hominem amauit prior, vt non solum naturam nostram, verumetiam omne genus miserias eidem naturæ agnatas, ac mortem præterea adeò famosam susciperet, vt hominem a mortis æternæ tyrannide, in gloriam filiorum Dei vindicaret. Quid? quod ipsum, præ ceteris, ad eandem fidei communionem asciuerit? Quid se aut fecisse tam gratuita vocatione dignum, aut facere posse pietati tantæ conferendum? Itaque sordescere illi iam mundi illecebræ, dulcescere lacrymæ & singultus, vilescere cetera omnia, vt vnum pro omnibus Christum lucrifaciat; in eum spes omnes suas & amores conferre, huic vni se totum ita deuouere, vt de vita se potius millies diuelli sustineat, quàm aut de fide, aut charitate Christi sui.

HAEC, & his similia confitentem ALBANVM, AMPHIBALVS ad Baptismi gratiam admisit, ac per aliquot dies comoratus plenius instruxit in omnibus, quę ad rationem dudum susceptæ religionis pertinebant. Fecit celebritas nominis ALBANI, vt hæc quamlibet in occulto gesta, occulta tamen diu esse non possent. Vnde præsentiens rem omnem æmulis cognitam (dimisso clam AMPHIBALO) ad eandem fidei gratiam ceteris communicandam, ipse ad omnia pro domino suo subeunda paratus, precibus interim ac laudibus diuinis, quibus satiari non poterat, noctes incumbit ac dies. Et ecce de improuiso, impetum in eum facientes aduersarię factionis Duces quidam, reperiunt eum humi ante imaginem Christi crucifixi prostratum, vnde raptum eum Iudici (qui eos ad id facinus summiserat) sistunt. Apud quem, cum magna fiducia Christum Dominum prædicaret, Deos Gentilitios contemneret, in carcerem eum Iudex duci iubet, semestres illi inducias concedens deliberandi de capite suo: hoc generi illius & honori tribuens, vt leuioribus primum remedijs ageret, simul ratus fore, vt impetus ille animi, quo eum modo incensum videt, tractu temporis paulo longioris deferuescceret. Ceterum huius consilij sui longe alium euentum comperit Iudex, atque opinatus est. Nam productum iterum ALBANVM, nihil de pristina constantia non solum remisisse videt, sed veluti nouo calore spiritus flagrantem, Christi vnius laudes fidémque adeo liberè efferre, vt non Iudicis solum, verumetiam totius in se multitudinis animos incenderet. Lata itaque in eum capitali sententia, in montem, paulo longius ab vrbe situm, ducitur, ciuibus omnibus ad spectaculum mortis eius effusis.

CVM iam in summum montem euasissent, diutino æstu consumpta herba omni, exiccatis fontibus, & terra in lapidéam quandam duritiem concretą, siti confecta multitudo, cæpit ALBANVM maximis clamoribus execrari, veluti horum omnium malorum authorem: in eum omni ratione furere & bacchari, quasi hominem veneficum, & hostem communem. At verò illorum errores miseratus ALBANVS, magisque de ciuibus suis quàm de seipso solicitus, Deum supplex orat, vt ne fraudi illis sint cæca illorum in ipsum odia, sed magis vt donum hoc gratiæ suæ, pari benignitate in illos omnes transfundat; velítque illud illis omnibus secum esse commune, simulque vt à præsenti periculo sitis, qua premebantur, eos eriperet. Vixdum desierat loqui, & ecce, repente vident fontem è durissima terra in summo monte prosilientem, de quo cum bibissent omnes ad satietatem, tanti tamen beneficij authori Deo ingrati plerique, miraculi fidem eleuabant; dijs suis (ALBANI sanguine mox litando placatis) referentes: nonnulli tamen attentius rem gestam considerantes, vnius Dei potentiam agnoscunt. Ceterum nocte insequenti, ignea columna è tumulo Martyris proueniens, atque in cælum vsque excrescens, & prioris miraculi Deum (in quem ALBANVS credidit,) authorem certò persuasit, & plurimorum animos ad Christi fidem amplectendam conuertit. Illud autem tam stupendum de fonte, & alia id genus prodigia ita carnificis animum permouerunt, vt proiecto à se ense, quem ad Martyris cædem ferebat, supplex genibus eius aduolueretur; neque ardentius iam quicquam à Deo postularet, quàm vt ad sacram Christi disciplinam reciperetur, & pro ALBANO, vel certè cum illo mortem oppeteret. Nec voto ille quidem suo excidit. Quare vt Iosias ille carnifex Iacobo olim Apostolo, ita & ipse ALBANO, beata accessione, adiunctus est, suoque sanguine, loco aquæ, quasi baptismo ablutus, inter Martyres relatus est. Mirum autem dictu; cum lictor ille alius in locum eius surrogatus partes suas obijsset, martyríque gladio caput abstulisset; quo temporis momento caput Martyris à corporis trunco, eodem sane carnificis oculi in terram simul proruunt.

Miracula & beneficia post sacram eius dormitionem.

CAPVT IX.

Annales dicti Monasterij adhuc non impressi, à quibus omnia quæ sequuntur miracula deprompsimus, præter vnicum, quod ex Beda excerpsimus.

Beda hist. eccles. Angl. lib. 1. ca. 8.

IN EITER annum Domini quadringentesimum quadragesimum sextum, & à passione beati Martyris centesimum quadragesimum tertium, Pelagiana hæresis vt reliquum orbem, ita præcipue Britanniam infestauit, in qua etiam natam asserunt. Ad quam reprimendam beatus Germanus cum Lupo ex Gallia in insulam accersitus, non solum argumentorum veritate, sed & editis miraculis in claudo sanando, cum frustra id tentassent Pelagiani, impudentia eorum ora obturabat. Quo quidem tempore, multa & magna miracula, ægrotorúmque curationes apud sacrum monumentum Martyris exhibebantur. Quò etiam Germanus orandi causa perrexit, apertóque monumento reliquias Apostolorum, quas circumferebat, imposuit: terræque vbi sanguinem Martyr profudit, quæ post tanta tempora adhuc ex sanguine illo rubebat; secum tanquam thesaurum, & maximum laboris sui præmium, partem aliquam retulit. Post quæ tempora Angli & Saxones, quasi grauis quædam tempestas, insulam inuaserunt, veterésque eius incolas ad extremas illas oras, quam Cambriam olim, hodie Walliam vocant pepulere: & quoniam eo tempore à fide Christi erant alieni, non modo Britannos, sed & eorum fidem persequebantur. Hinc factum est, vt ad multos annos, ad tempora vsque sanctissimi & clarissimi Regis Offæ, sacrum Martyris corpus absconditum iacuerit, annos plus minus trecentos quadraginta quatuor; sed noluit Deus has sacras opes diutius abscondi. Quemadmodum itaque Iudeæ protomartyris Stephani Luciano Presbytero, & Galliæ protomartyris Dionysij Regi Dagoberto: ita Britanniæ protomartyris sacras reliquias Regi Offæ Deus cælitus indicauit, quæ cum crucibus & thuribulis per Episcopos & Clerum, Rege maximáque multitudine præsente, & cereos accensos ferente, honorificè ad Monasterium delatæ sunt, quod idem Rex amplissimum Martyri extruxerat.

QVANTO autem humani generis beneficio, tantus thesaurus erutus sit, facilè intelligetur cum ex Beda, qui frequentiam sanationum, & alia miracula ad sua vsque tempora, apud reliquias Martyris edita testatur; tum ex antiquis eiusdem Monasterij annalibus, in quibus ea beneficia, quæ quotannis acciderunt, diligenter & bona fide perscripta sunt. De quorum fide præstat forte audire, quod ipsi authores prodiderunt. Quæ de beato Martyre dicturi sumus (inquiunt) nemo ficta aut fabulosa existimet, sed quæ (Dominum testamur) aut ipsi oculis nostris vidimus, aut ab alijs probatæ fidei relatoribus auribus nostris audiuimus. De his igitur,

1 quæ infinita ferè sunt, pauca huc apponere libuit. Reliquiæ Martyris furenti igni appositæ,
2 sæpius eum restinxerunt. In summa siccitate aëris, prolatis reliquijs in communibus supplicationibus, pluuia consecuta est; & similiter post immodicam pluuiam serena tempora. Qui violenter res, atque possessiones Martyri dicatas abripuerunt, miserabiliter sæpe perierunt. Quidam dictus Hugo, qui impio ore beatum Martyrem, solemnitatémque ei dicatam incesserat contumelijs, per totam postea vitam non naturali loco, sed per os blasphemum excreuit.
5 Quædam mulier paralytica, quæ multis annis ingredi per se non potuit, diuinitus admonita templum Martyris ingressa est, Deúmque & Martyrem precata, eo ipso tempore, quo Sacerdos sacrum Domini nostri IESV CHRISTI corpus offerebat, sensit se validam; & spectante
6 populo, firmis & solidis gressibus statim ambulabat. Aqua, qua sacrum feretrum lotum est, pro-
7 fuit sæpe aduersus morbos. Puluis collectus ex loco, quo Martyr sepultus est, coniectus in potum, sæpe similiter profuit. Quid reliqua prosequar, quæ nullum habent modum neque numerum? cæci, claudi, surdi, contracti, sanitatis beneficia per hunc patronum perceperunt. Nullus fere morbus nominari potest, qui hic non habuit remedium. Multi omnino mortui ad vitam à Deo, Martyris patrocinio reuocati sunt.

Vide Laurentium Surium 22. Iunij tom. 3.

SED hæc & reliqua, quæ de hoc Martyre, & beato AMPHIBALO hactenus latuerunt, propediem (vt spero) prodibunt in lucem. Quæ spes, & ipsius instituti mei ratio, latiorem mihi de his rebus sermonem precidunt. Hoc iam solum attexam, Colonienses constanter asserere, sacras Martyris reliquias, apud se, in cœnobio Diui Pantaleonis hodie integras, & incorruptas, conseruari. Quæ admirabili & stupendo spectaculo, palam sic exhibitæ sunt ad annum Domini millesimum trecentesimum vigesimum septimum, Philippo Archiepiscopatus, Henrico vero cœnobij curam gerente. Quid quod non solum cerux, quasi recenti vul-

nere

nere impresso, sanguinolenta fuit, capútque, barba, brachia, manus, scapulæ, & aliæ quædam partes carnibus vestitæ; sed & ipse pannus, quo corpus ante trecentos quinquaginta annos aduoluebatur, integer & nitidus planè reperiebatur? Huc accedit, quod ad publicam sacri huius corporis patefactionem, quingenti & amplius, variis morbis, corporúmque calamitatibus, miserè pressi, pristinis sunt viribus redditi. Nostrates tamen, præsertim Albanenses monachi, affirmant martyris reliquijs suum cœnobium, vbi & humatus est, ornari. Id quod Matthæus Parisiensis bonæ fidei author, & eiusdem loci cœnobita, ad annum 1170. quo beati AMPHIBALI reliquiæ in aspectum & lucem prodiere, tradit. Cuius rei idoneus & locuples testis est Henricus Huntingtonensis. In quam ego me controuersiam arbitrum interponere nolo, neque vtrum sint nostri illę ALBANI, aut Albani Moguntinenses, ad eadem fere tempora martyris, reliquiæ. Si nostri sint, ad diuinæ & gloriæ ALBANI maiorem amplificationem, & hoc quoque quasi luculenta accessio adiungatur. Illud liberius & constantius pronuntio, nihil illud impedire, quin vera sint, quæ de eo produntur in nostro Albanensi cœnobio patrata, vt diximus, miracula; vbi ad annum Christi 1257. operarij quidam, dum ecclesiæ reparandæ operam dant, altiusque effodiunt, incidere in marmoream quandam tumbam, in qua recondi-ditus erat mox à martyrio; quo tempore & lumen cæleste in eum locum descendit, & audita est Angelorum vox concinentium egregij martyris laudes. Tradunt veterum monumenta ALBAVVM, veste AMPHIBALI præceptoris (quam eo clam dimisso, vt persecutorum manus tutius effugeret, ipse induerat) tectum, martyrium obijsse. Eam autem ad Elienſem postea insulam delatam, & in tumulo quodam ibidem repositam: quem Rex Edouardus secundus præsens aperiri curauit, in eaque veste quasi recens cruoris vestigia reperta sunt.

Henricus Hunt. lib 9 suæ historiæ. Gaufridus Abbas successor eorũ corpus sanctissimum in feretrum mirabiliter auro & gemmis coruscum, præsente Alexandro Episcopo Lincolniæ laudabili & frequentia plebis innumera translatus anno 29. Regis Henrici. Tho. Walsingamus & Thomas Rud. in cronic. Maiora.

De AMPHIBALO *& alijs eodem tempore martyribus.*

CAPVT X.

MIRACVLIS quæ Martyris Albani mortem & præcesserunt & consequuta sunt, commoti quam plurimi cœperunt erga religionem Christianam multo aliter affecti esse quàm prius; vnde facile adduci posse videbantur, non solum vt eam probarent; verumetiam susciperent, modo dux illis atque author aliquis adesset, qui illos sua sponte huc propendentes impelleret. Ceterum neque in hac parte illorum propensæ voluntati defuit bonitas diuina; cuius instinctu vnus quidam ceteris animosior, his sermonibus eos ad rem institutam hortatur. Si verbis tantum fidei suæ veritatem non probasset ALBANVS (Conciues) minimè mirandum foret, si eam vna cum ipso authore, veluti vanam quandam, & futilem persuasionem reijcerent omnes, vtpote & publicis legibus damnatam, & non solum cum institutis maiorum nostrorum, verumetiam cum ipsa ratione pugnantem. Iam vero cum verba fidemque suam operibus, idque tam stupendis firmauerit; non tam ALBANO quam Deo ipsi resistere videbitur, qui negare audeat, aut hæc mirabilia signa à Deo solo authore esse profecta; aut eam fidem minus veram esse posse, cui diuinorum operum testimonia tanta suffragentur. Nam quid simile vnquam à dijs nostris præstitum? Quid tale in nostra vnquam religione auditum? Accedit huc singularis istius hominis integritas, mansuetudo, patientia, constantia, pietas, adeo vt inter opera sua mirabilia, maximi ipse miraculi loco esse possit; tot probris appetitus, nemini conuitium facit; tot iniurijs affectus, adeo nullam significationem offensi in quemquam animi præfert, vt nostram potius vicem deploraret quam suam. Quid? quod ad vltimum illud supplicium vultu adeo hilari ingreditur & sereno, vt non ad mortem duci, sed ad epulas bene instructas videretur? Quis non in homine isto diuinum quiddam, atque homine maius agnoscit. Si Dei solius ista sint munera, quibus ea conferre solet? maleficis, impijs, sacrilegis, an verò piè ipsum sanctéque colentibus? Nec dubium quin & nobis aliquando, & reipublicæ nostræ eadem, atque adeo his maiora collaturus sit, si vocanti faciles nos, & obsequentes præstemus. Quod igitur faustum felixque nobis, liberis nostris, & reip. nostræ sit, ALBANVM ducem secuti, in eandem fidei & pietatis sententiam magnis animis conspiremus.

Ex vetusto illo ante Bedam authore & alijs Anglia annalibus.

ISTA cum in magna Ciuium frequentia dicerentur, ab omnibus passim conclamatum est, nihil esse CHRISTI religione diuinius, nihil sanctius, nihil verius. Quærendum esse per quascumque terræ partes senem illum ALBANI hospitem, huius disciplinæ magistrum. Porro ille in Cambriam profectus, tam felici successu semen sparsit verbi diuini, vt omnem longe latéque regionem et fructu messis Euangelicæ, et suaui odore nominis

minis sui impleret: vnde Domo profecti circiter mille viri, famam ducem sequentes, perueniunt demum ad AMPHIBALVM; è quibus cognita morte ALBANI sui, & audita aduentus ipsorum causa, omnes ad fidei, quam expetebant, sacramenta lætus recepit. Quæ illi omni cum gaudio excipientes, tanto studio proficiendi in suscepta fide accensi sunt, vt credentium multitudo & numero quotidie auctior, & sanctitatis fama celebrior redderetur. Ceterum videns antiquus ille hostis generis humani, adeo lætis incrementis ampliari quotidie regnum Euangelicum, minui opes suas tantis profectibus; quàm primum obuiam eundum ratus, ciuium Verolamij vrbis animos, in ciues, AMPHIBALI opera conuersos, irritat. Cuius illi furijs acti, cum viderent magnam partem ciuium suorum ad Amphibalum migrasse, atque ab eo Christi mysterijs initiatos, nulla cupiditate patriæ repetendæ teneri, ad bellum se contra absentes componunt. Aduersus quos profecti, cum adeo pertinaces eos viderent in suscepta sententia recentis fidei, vt ceruices ipsi suas magno animo exponerent gladijs persequentium; nihil illi vel conciuium nomine, vel sanguinis propinquitate, vel innocentiæ dignitate permoti, impetu facto, inermes eos imò vltro se obtrudentes trucidant: abreptum vero AMPHIBALVM ad maiora tormenta seruandum adducunt secum Verolamium. Quò cum appropinquare eum nunciatum esset, effusi passim omnes, pœnas ciuium & cognatorum suorum ab eo expetituri, veluti vnico cædis illorum authore, obuiam eum arripiunt, & tanta immanitate grassantur in corpus pij viri, vt nihil in eo integrum, & non multiplici vulnere confectum relinquerent. Quæ omnia ille tanta animi magnitudine sustinuisse fertur, vt nullum læsi animi signum præferret in vultu. Sed & illud interim pro miraculo, prout erat, habebant omnes, quod tot támque atrocibus supplicijs sustinendis senile corpusculum par esset; quódque ex imbecilli corpore animam exprimere non potuerint tot tormentis, quorum minima pars, robustissimo cuiuis athletæ conficiendo, plus satis esse posset.

QVO spectaculo attoniti omnes, compuncti nonnulli, variè rem gestam interpretantur. Alij maleficijs, alij diuinæ virtuti imputant; vsque eo, vt dicere magnis clamoribus non dubitarint nonnulli, rem valde indignam agere eos, quod tantum suppliciorum consumant in hominem innocentem, quantum exercere in quemlibet sceleratum, sine nota vltimæ crudelitatis non possent: quid enim sceleri affine habet, homines ab horrendis ritibus sacrorum, & à ferinis moribus, ad rationem tam sanctè piéque Deum colendi vocare? Ista quoniam doceat AMPHIBALVS, & homines ad mansuetudinem & pietatem informet; ideo non tam atrociter sæuire in eum, quem omnes, si meritorum ratio habenda esset, & omnibus honoribus propter virtutem, & maximis beneficijs propter studium in rem communem, afficere debeant. Sibi vero adeo illorum facta non probari, vt non dubitent affirmare, & illum Deo gratissimum, qui tanta innocens sustineat propter virtutem, & eos Deo maximè inuisos, qui innocentem tanta immanitate prosequantur. In hos hunc ad modum loquentes, Christo se & AMPHIBALI precibus commendantes, pari rabie insurgunt barbari, eosque, vna cum AMPHIBALO Duce, ferro saxisque conficiunt.

CAESVS est pius vir apud villam Rudburniam, tres mille passus à Verolamio distantem. Quo loci ad sua vsque tempora duos grandiores cultros, quibus consequutus est reseruatos tradit Thomas Rudburnus. Et hæc quidem hactenus. Septingentis autem pæne annis sacræ martyris reliquiæ incognitæ iacuerunt, quæ diuinitùs circa annum Domini 1178. vt thesaurus absconditus inuentæ sunt, atque ad Monasterium beati ALBANI cum supplicationibus deductæ. Quibus pij & religiosi viri ex monasterio, facti sunt obuij cum feretro diui ALBANI. Nullum vnquam tam iucundum, tam salutarem diem vidit Verolamium. Occurrebat martyr martyri, magistro discipulus, hospes hospiti, cælestis ciuis conciui cælesti: hospitem, quem olim ALBANVS, ne incideret in manus hostium, clam dimiserat, iam palam & honorifice postlimino redeuntem excepit. Et quem olim in tugorio non poterat securum reddere, iam in amplissimum templum introducit. Atque hæc inciderunt in annum supradictum, & vigesimum quintum diem Iunij. Quo quidem tempore, immoderatis æstibus atque siccitate omnia torrebantur, sed redeunte Martyre, redijt & maxima pluuiæ copia; redijt præterea quasi communis omnium morborum medicina. Quanta vero hoc tempore, & quàm cælestia beneficia atque miracula edita sunt, in totius Prouinciæ conspectu, quæ illuc rei nouitate perculsa confluxerat, quanta vero sunt consecuta, post sacras has reliquias templo illatas, omnibus qui martyrem piè implorabant, non est huius compendij iam sigillatim persequi: hæc interim dixisse contentus, nunquam Hippocratem aut Galenum, aut ex medicis quenquam peritissimis, tot & tam deploratos morbos arte sua curasse, quot istum Martyrem sine phar-

macis

macis piè inuocatum, solo suo apud Deum patrocinio: quódque illi præstare nunquam potuere, mortuos etiam vitæ reddidisse.

Reliquas etiam insulæ partes similis vastatio depopulata est, multique omnis sexus & ætatis fortissimos, & constantissimos se Christi milites ostenderunt. E quibus egregij, præter ceteros, fuere, Aaron & Iulius Legionum vrbis ciues, varijs atque atrocissimis supplicijs excruciati, & fœda atque inaudita omnium membrorum discerptione lacerati. Sunt qui tradunt vniuersos in Britannia Christianos martyrio defunctos, sepositis ijs, qui occultis & secretis locis se abdidere; atque in hac vastatione pios illos viros, quos Vintonię positos diximus, martyrio interijsse. Ob quam veram solidámque animi fortitudinem, rectius in hos Britannos illud Herodiani competit, *Vitæ prodigi*; & Lucani *Supra cap. 3.*

In ferrum mens prona viris, animæque capaces
Mortis, & ignauum est peritura parcere vitæ.

quàm ob inanem, vanamque illam fortitudinis præ ista, apud antiquos illos Britannos ostentationem Protomartyrem itaque nostrum Albanvm fuisse passim traditur. Nam quod ante hæc tempora quidam *Emeritam* Lucij sororem, prô Christi fide exustam tradunt: alij id ad schismata & factiones potius, quæ hoc regnum totos post Lucium quindecim annos miserè distrahebant, quàm ad vllam Christianæ fidei causam referunt.

De Constantino magno, *qui primus ex Imperatoribus Christo nomen publicè dedit, & patre eius* Constantio.

CAPVT XI.

Qvanto grauiores atrocioréque fuere procellæ atque tempestates, quibus Christiani propter constantem fidei professionem passim obruti sunt, tanto maior & vberior est diuini per Constantinvm beneficij magnitudo; per quam omnis hæc rabies per tot nationes repressa, & repentè quasi noua quędam lux hominum oculis oborta est. De quo dicturum, ipsa me rerum, præclarè ab eo gestarum, copia, planè obruit. Atque hic quidem commodum mihi accidisse videtur, vt cum tam antè, quam post Constantini nostri, vsque ad *Gregorij* primi tempora, rerum pænè omnium à Principibus nostris Britannis, pro religione Christi gestarum memoriam, temporum inuidia aboleuerit; in Constantinvm hunc inciderimus, qui ceterorum defectum atque inopiam vel solus suppleat, vt non tam de rerum sterilitate quàm de ipsa vbertate, & qua ratione modum ponamus soliciti iam simus. Quem quoad eius fieri poterit tenebimus. Constantinvs itaque non modo fausta felicis sui Imperij auspicia in [a] Britannia orsus est, sed & ex Brtanna matre (quam [b] sententiam non solum nostræ gentis, sed alijs omnibus scriptoribus ireceptissimam, esse video) atque etiam in Britannia natus [c] sit. Quod si nimis redundare narratio nostra in rebus illius describendis, nec satis certa de Constantino homine Britanno (quòd aliam ei, & matri, [d] quidam patriam ascribant) alicui videbitur, meminerit nos, nec à proposito ecclesiasticę historiæ (vt speramus) scopo longè discessuros, nec, quòd iniuria temporum nobis cetera deerit, sine causa hinc resarciendam.

a *Eusebius in vita Const.*
b *Polid. li. 2. Ranulp in Policbr. l. 4. c. 26. H. Hunting. lib. 1 Galfr. Monumeth. lib. 5. Naucler genera. 11. Matth. West. in sto. bi. Onuph. de Princip. Rom.*
c *Polid. li. 2. Onuph. vbi sup. H. Hunting. li. 1. & reliqui nostrates scriptor passim.*
d *Procop. li 5. de ædif. Iust. Metaph. in vit. Silue. scribunt Helenam ortam in Bithynia. Iulius Firmius Matheſ. l. 1. c. 4. dicit Const. apud Thar sum natum. Niceph. l. 7 c. 18. & 19 & lib. 8. c. 2. apud Drepanam Io. Cusp. de Cæſar. apud Dacos*
e *Pomp. Lætus.*

Constantinvs igitur iste, qui à magnitudine rerum gestarum Magni nomine meritò insignitus est, patrem habuit Constantivm, is a quibusdam Constans dicitur: qui, tanquam generosa quædam radix, hoc nobile germen orbi produxit. *Diocletianus & Maximianus* Augusti, ille *Galerium Maximinum*, hic Constantivm, generum sibi & Cæsares, atque ita Imperij hęredes asciuere. Constantivs sanè ob maiorē splendorem ([e] genus enim à *Claudia, Claudij Augusti* filia, atque ab ipso *Æneæ*, lōga & honorata serie ducebat) Imperio quidem orbis dignus fuit: virtutis tamen animíque præstantia, Imperio longè dignissimus. Cuius quidem propagandi, alienáque inuadendi libidine (qua ceteri ferè Principes æstuant) adeo caruit; vt Imperium cum *Galerio* partitus, Gallia, Britanniáque contentus; Africa, Italia, & reliquis omnibus Prouincijs vltrò cesserit, latiorem dominationem sponte sibi præcidens; atque in harum administratione immortalem sibi laudem comparauit. Neque enim se venditauit falso illo aureæ, atque argenteæ suppellectilis, reliquóque luxuriantis aulæ splendore: neque impotenti cupiditate

Eutrop lib. 10. abreptus vnquam populum expilauit. Publicas enim opes pro suis reputauit, & sibi accumulatas, quæ subditis crescerent. Atque adeò instar laudati illius *Agathoclis* Regis, fictilibus vasis ad mensam vsus est. Illustriora autem illius ornamenta ista sunt, quod nunquam se Christianorum sanguine contaminarit toto Imperij sui tempore, quod gessit postquã *Diocletianus* & *Maximianus* purpura se abdicassent. Cum itaque in altera Imperij parte vastationi Ecclesiarum, cædibúsque fædè indulgeretur; ipse Christianis nullum negotium, nullas mouet turbas; quin potius portus quidã erat, in quẽ iactati illa tempestate Christiani se contulere, quos summo apud se loco gratiáque posuit, id quod nobile illius stratagema abundè ostendit. Accersit enim ad se aliquando aulicos suos, sibique aduersus Christianos irati personam imponens, facescere procul ex aula, gratiáque sua omnes iubet, qui dijs thura non adolerent. Itaque veri & solidi Christiani probati iam tanquàm in auri conflatura, apertè profitentur abitionem: neque vnquam se tale piaculum admissuros, vt ęterna immortalis Dei gratia excideret, pro temporaria & lubrica terreni Principis. Alij verò, Christiani quidem, sed tales, qui cum Principe religionem suam fingunt, & refingunt, neque quicquam pro Christo durum, aut acerbum subire se patiuntur; paratos se ad sacrificia obtulére, potius quàm vt Principis sui iram experirentur. In quos ille, iam detersa simulatione, cum se suo iudicio tanquam sorices prodidissent, acerbè inuectus est, aulàque deinde exegit; digna voce profectus, Nunquam eos fidos sibi futuros, qui fidem Deo prodidissent. Hos igitur tanquàm perfidos, & leuissimos Dei perfugas auersatus, aliorum constantiam amplissimis verbis extulit; eósque sibi posteà arctissimè coniunxit, tanquàm regni, salutisque suæ fidissimos custodes.

Euse. lib. 8. c. 19. Sozom. li. 1. c. 6.

Euse li. 1. de vita Const. c. 11. Sozomenus.

CONSTANTINVS in patris laudatissima vestigia incurrens, non modò paternam laudem æquauit, sed & rebus præclarè gestis, ceterorum omnium Imperatorum, quos Romanum vnquam Imperium agnouit, longe superauit; ad quas eum Deus selegit, eique ad res gerendas raris signis, atque prodigijs præiuit, non minus quàm olim Moysi & Aaron in columna nubis & igne. Nam vt omittam quo modò insidias ei Alexandriæ à *Diocletiano*, in Palæstina à *Galerio*, & alias alibi structas Deus dispulit atque euertit, patríque eum iam apud *Eboracum* moribundo in Britanniam reddidit, vbi & Imperij insignia accepit; quale illud, quàm amplum, quàm stupendum, quod ei diuinitùs accidit valde anxio, atque solicito de euentu belli, quod cum *Maxentio* tyranno gessit? Neque enim humana, sed diuina quædam spes eum erexit, refocillauit, confirmauit. Meridiano namque tempore die iam declinante, vidit cum toto exercitu Crucem medio aëre conformatam, cum latina hac inscriptione, IN HOC VINCE. Quin & Christus ei dormienti, sequenti nocte cum signo illo astitit, iussitque loco Labari Romani (id erat præcipuum Romanorum signorum vexillum) Crucis signum exercitui deinceps præferri. Plenus itaque cælesti spe CONSTANTINVS aduersus hostem progreditur, veritatémque visionis rei euentus comprobauit. Tyrannus enim, vt olim Pharao, in aquis suffocatus est. Huius etiam trophæi aspectum atque vim diuinam, *Maximinus* tyrannus orientis (vtpote crucis inimicus) non ferens, ab exercitu CONSTANTINI victus turpiter fugit, paulóque post turpius fœda morte perijt. Hoc trophæo exercitum præcedente, *Licinius* posteà bis victus, perfidiæ suæ in Deum atque CONSTANTINVM pœnas dedit. Illud verò in bello quodam miraculo datum est, quòd cùm signifer, qui sacrum trophæum portabat, vbi metu perterritus illud alteri portandum tradidisset, statim atque salutiferam armaturam deposuisset, telo ictus vitam simul deposuerit; ille verò alter inter tela, vndique signo illisa atque impacta, illæsus conseruatus sit. Sic igitur sublatis iam post decennium (cuius biennium occupauit *Diocletiani* & *Maximiani*, reliduum verò ceterorum tyrannorum vastatio) immanissimis tyrannis, tota, quacumque patet, Romani Imperij summa ad vnum CONSTANTINVM deuoluta est. Quod totum diuina prouidentia struxit, vt tandem Christi religio longè latéque per totum Romanum Imperium, post tam grauem tempestatem, (quæ decimo post *Neronem* loco verè decumana omnibus ecclesijs incubuit) sparsa, placidè atque securè sub CONSTANTINO, quasi in tuta statione quiesceret. Id quod reuera statim contigit; talísque tamque insperata rerum in melius mutatio, vt nec optare quisquam meliora potuisset.

Euse. li. 1. de vita Const. c. 14. Nicep lib 7. cap 19. Eutrop. li. 10.

Idem de vita Const. li. 1. c. 31.

Idem de vita Const. li. 2. c. 6. 7. 9.

Eusebius de vita Const. li. 1. c. 2. 23.

De eodem

De eodem CONSTANTINO *egregióque illius in Chriſti cultu prouehendo, & idololatria reprimenda ſtudio.*

CAPVT XII.

CCE enim tibi talem, támque vaſtam dæmonis, totiuſque nefandæ idololatriæ ſtragem, vt repentè per omnes Romani Imperij Prouincias, faſti dies Ethnicorum, dæmonum impiorum ſacra & [a] ſacrificia, publico edicto interdicerentur. Mirum dictu, quamuis nemini fides Chriſtiana [b] inuito exprimeretur, quanta tamen & quam incredibilis paucorum annorum curriculo facta ſit paſſim morum, ſtudiorum, animorúmque conuerſio, & ad Chriſti eccleſiam acceſſio. Alios doctrinæ ipſius puritas, integritas, ſanctimonia; alios martyrum noſtrorum, partim auribus, partim recens etiam oculis omnium palam vſurpata inuincibilis fortitudo; alios ſtupenda noſtrorum & antea ſæpè, & illis ipſis temporibus patrata miracula; alios Principis æmulatio, qui & ſuo exemplo, & [c] literis publicè miſſis, veteres idololatriæ errores ex animis ſuorum extirpare ſatagebat, & Chriſtianos adeò præ oculis ferebat, vt eos gratia, beneficijs ſuis, atque honoribus amplíſſimis egregiè præ ceteris ornaret; alios alia, vt ſe confeſtim & ſponte Chriſti ſacris deuouerent, permouebant. Inter quæ non fuit poſtremum illud quod idola illa ſua, quæ præ ceteris Ethnici religiosè colebant, [d] Pythius (inquam) & Sminthius ille, & Tripodes Delphici atque Heliconides Muſæ, à templis ſuis euulſa, publicè in ciuitatibus ad contumeliam, riſum, & ludibrium expoſita ſint. Grauiſſimè autem omnium ferebat locum illum, vbi Deus olim Abrahamo ad quercum Mambre apparuerat, ceteráque loca in Iudæa, ipſúmque adeò locum vbi Chriſtus e ſepulchro rediuiuum ſe exhibuerat, fœdis idolomanijs turpiter conſpurcata. Quare ad omnes illas ſordes eluendas, diligentem acrémque operam exhibuit, locíſque purgatis atque expiatis, magnifica Chriſto Seruatori templa ibidem poſuit. Cuiuſmodi & alibi frequentiſſima atque ſplendidiſſima Chriſto, [e] Michaëli Archangelo, martyribus Lucio, Motio, Acacio, Menæ, Luciano, Apoſtolis alijſque diuis paſſim [f] ædificauit. Nec à CONSTANTINO ſolum, ſed ab alijs etiam Chriſtianis paſſim, vt & in [g] Britannia noſtra, aut veteres renouatæ, aut nouæ baſilicæ Chriſto, martyribúſque eius extructæ ſunt. Sed ex omnibus, quæ conſtruxit, encænia [h] Hieroſolymitani templi, trigeſimo Imperij eius anno, ſplendidiſſimè celebrata ſunt. Aderant enim multi & celeberrimi ex varijs nationibus Epiſcopi, donarijſque ampliſſimis eam ſacram ædem ornauit CONSTANTINVS: atque ab eo tempore annuis ferijs, dedicationis illius memoriam Hieroſolymitana eccleſia honorauit.

a *Euſeb. de vita Conſt. li 2. c. 43. 44. & 4 ca. 23, 25.*
b *Euſeb lib 2. vita Conſt. c 55.*
c *Euſeb. de vita Conſt. li. 2. c. 43.*
d *Euſeb de vita Conſt. li. 3. c. 54.*
Dittoli. 3. c. 50, 51.
e *Nic li. 7. c. 49. & 50.*
f *Euſeb lib. 3. & 4. de vita Conſt.*
g *Beda li 1. c. 8.*
h *Euſeb. de vita Conſt li 4. c. 43. Soc lib. 1. ca 22. Theod. li 1. c. 31. Sozom. li. 2. c. 26.*

PALAM iam itaque Chriſtianorum pura atque incontaminata ſacrificia, pij & ſacroſancti ritus vbique, maxima omnium & lætitia & frequentia celebrabantur. [i] Edictúmque ſub pœna capitali, ne quis Chriſto blaſphemiam diceret; quòd [k] Iudæi flammis darentur, qui Iudæum Chriſto initiatum ſaxis, aut alio furoris genere attentarent. [l] Vtque cum alio ſacros dies Chriſto conſecratos, tum præcipua quadam reuerentia Dominicum diem, quem Ethnici Soli dedicabant, in quo Chriſtus reſurgendo, nobis immortalitatem, eumque qui Sabbatum præcedit, quo nobis in cruce moriendo redemptionem peperit, cum annua martyrum Chriſti natalitiorum memoria, feſtos & feriatos Chriſtiani haberent. Nihil autem omnium ſolicitius hominum animis oculiſque ſubijciebat, quàm ſalutaris Crucis memoriam; qua exercitum præeunte, totum pæne orbem, ab Oceano Britannico orſus, ad Oceanum vſque Idicum aut Imperio, aut amicitiæ ſuæ adiunxit: Crucémque [m] ille in Principe orbis Roma, quaſi celebre trophæum memorabilis illius contra Maxentium victoriæ, cum hac inſcriptione erexit. *Hoc ſalutifero ſigno & vero fortitudinis documento vrbem veſtram à iugo Tyranni aſſerui, & Senatum Populumque Romanum priſtinæ dignitati, ac amplitudini reddidi.*[n] Senatus verò Labarum illud de quo diximus, nomenque Chriſti in eo [o] artificiosè inſcriptum ſupplex adorauit. [p] Crucis itaque ſacræ effigies in armis militum, numis, in regia aula, & in ipſius Imperatoris imaginibus, quæ palam in Chriſtianorum eccleſijs conſpiciebatur (eas autem inferri in templa Deorum omnino vetuit,) vndique quaſi fauſtum, & felix omen occurrebat. [q] Crucis denique ſupplicium, quod ex lege apud Romanos frequens erat, ex viu iudiciorum ſuſtulit, [r] vetuitque ne quis paganus ſub cruce ſtipendia belli faceret.

i *Io. Cuſp. de Cæſ.*
k *L. 2. Cod. de Iudæ. & Cælico.*
l *Euſeb. de vita Conſt. li. 4. c. 18. 3. C. de feriis L. 3.*
m *Euſ. li. 1. & 4.*
n *Euſ. li. 1. de vita Conſt. c. 33.*
o *Prud. libr. 1. cont. Symmachũ* Tunc ille Senatus Militiæ vltricis titulũ, Chriſtique verendum Nomẽ adorauit, quod colluccbat in armis.
p *Euſ. li. 1. c. 35. Idem lib. 3. c. 48. & 4. c. 21. Soz. li. 1. c. 8.*
q *Soz. li. 1. c. 8.*
r *Io. Cuſp. in Cæſaribus.*

Curauit verò ante omnia, vt[a] Christiani, qui præclaram recens fidei confessionem sub tyrannis dederant; è carceribus,[b] metallorum fodinis, aliisque locis, vbi pœnis addicti erant, primo quoque tempore liberarentur; & bona, possessiones, priuilegiaque quæcunque nuper adempta, ab ærario, & à quibuscumque possessoribus recuperarent. Idem etiam cauit, de bonis Martyrum defunctorum commissis, vt ea ad eorum heredes; etsi nulli extarent, ad Christi ecclesias deuoluerentur.

Nec illud quidem hic dissimulandum, quòd non solùm sui Imperij Christianorum, sed & aliorum, præsertim eorum qui in Perside degebant, diligentem curam egit, eosque quàm accuratè potuit,[c] Sapori Persarum Regi, de quo antea commemorauimus, per literas commendauit. Constantinvs igitur in omnes in vniuersum Christianos mirificè affectus est. Sed[d] Sacerdotes Dei, eosque qui solitariæ se vitæ perpetuæque virginitati addicebant, singulari præ ceteris obseruantia prosequebatur: atque inter eos Antonium Monachum, hominem miræ sanctimoniæ, & in stupendis miraculis edendis, mirificè à Deo[e] nobilitatum. [f] Huic se Constantinvs, liberos suos, totúmque Imperium Romanum, sanctíssque eius precibus officiosè & suppliciter commendauit. [g] Virgines sacras, quæ se in perpetuum Deo, casta & sancta vita, anima atque corpore consecrabant, impensè coluit; Deum, cui se ipsas consecrauerant, talium mentes inhabitare credens. [h] Quare & antiquam illam Romanorum legem, quæ cælibes post vigesimum quintum annum multis coniugum priuilegijs multabat, & bonorum ex propinquorum testamento deferendorum, dimidia ex parte incapaces eos reddidit, qui liberos non haberent, prorsus antiquauit. Sacerdotes autem Dei atque Episcopos, vt patres semper coluit, & suspexit. [i] Et cum Episcopi inter se, vt fit, dissidentes eum interpellassent, iudiciúmque eius imploràssent; ille acceptos querimoniarum libellos, ne lectos quidem Vulcano commisit; præfatus eos à Deo Sacerdotes constitutos, de se quoque iudicandi potestatem accepisse; neque quicquàm ægrius tulit, quàm vt Sacerdotum simultates & vitia in vulgus efferrentur. Religiosè quoque contestatus est, se si adulterum Episcopum vidisset, paludamento eum suo obtecturum; ne tam vitiosum exemplum ad alium videntem, cum suo fortè damno serperet.[k] Neque assidere quidem Episcopis ad concilium coeuntibus voluit, nisi veniam præfatus, licentiaque petita. [l] Iam vt taceam amplam illius in omnis generis pauperes magnificentiam, in Clerum certè ea maximè emicuit, quem[m] liberum etiam & immunem esse ab omnibus publicis oneribus, ne qui diuini cultus obsequio addicti erant, ea occasione ab eo distraherentur, Edicto decreuit. [n] Quin & Clericis omnibus, quibus lis coram ciuili Magistratu intendebatur, ab eius cognitione declinandi ad Episcopale iudicium, potestatem indulsit; quódque Episcopus ita iudicàsset, id firmum & fixum manere mandauit: [o] maximèque omnium, Episcoporum in Synodis Decreta, illibata atque inconcussa haberi, neque vllo modo a Præsidibus Prouinciarum infringi voluit. Sacerdotes enim quouis Iudice probatiores existimauit.

a *Euse li.1 c.20 21.*
b *Idem l.1.c.32.*
c *Euse.lib.4.c.9. & seq.*
d *Euse.li.4.c.28.*
e *Vide vitam eius per Athanasium.*
f *Ibid. Ruff. li.1. & 8. Hier. in chro. anno 329.*
g *Euse.l.4 c.28*
h *Euse.li.4.c.26 & Sozom.l.1.c.9*
i *Ruff.lib. 1.c 2. Theod.lib.1.c 11 Sozo.li.1.c.16.*
k *Euseb. de vit. Const.li. 3.c 10. Socrat. lib.1.c.5. Theod li.1 c.7.*
l *Euse.l.4.de vita Const. c.28.*
m *Sozo.li.1 c 9.*
n *Soz. ibidem Euseb Eccl. hist li. 10 c. 7.*
o *Euse.lib. 4 de vit. Const.c 27. Sozo. li.1.c. 9.*

De Nicæno *œcumenico concilio, singularíque* Constantini *in reprimendis Arianis, & alijs hæreticis opera.*

CAPVT XIII.

Hæc iam, vel tam pauca, quasi ex ingenti quodam aceruo decerpsisse satis nobis hactenus fuerit. Ceteris enim, non dico de ijs, quæ ad ciuilem Rempublicam, (quæ per se, reliquis semotis, immensa sunt) sed ne ijs quidem, quæ ad Rempublicam Christianam pertinent, immorari licet. Et quoniam diuinum Imperatoris nostri beneficium, tam in excindenda idolomania, quàm inferenda & prouehenda Christi religione, vtcunque ostendimus; ea iam potissimum attexere visum est, quibus non minor illius cura, aut beneficium elucebat in reprimenda, & castiganda eorum perfidia, qui partim antiquis hæresibus, partim nouis factionibus, Christi ecclesiam misere dilacerarant. Et[p] quibus erant *Nouatiani*, *Valentiniani*, *Marcioniſtæ*, *Pauliani* siue *Cataphrygæ*; quos publico ædicto Constantinvs damnauit, omnémque illis tam in priuatis, quàm publicis locis conueniendi facultatem abstulit, [q] Magnam etiam ille diligentiam adhibuit ad secessionem, & seditionem illam Antiochiæ, propter *Eustathium* excitatam, pacificandam. Sed maximas illi omnium molestias facessere

p *Euseb.lib.3.de vita Const. c.61 62.*
q *Ibidem c. 57.*

Dona-

[a] *Donatistæ* atque *Ariani*. *Donatistæ*, homines pertinacissimi, mota aduersus *Cæcilianum* Carthaginensem Episcopum controuersia, interpellabant CONSTANTINVM in ea causa. Qui non ausus de ecclesiasticis causis Episcoporum sibi cognitionem vendicare, causam primum *Melchiadi* Papæ, & alijs Episcopis, qui *Donatum* damnarunt; mox, illo non acquiescente, sed nouas ciente turbas, ad frequentissimam Arelati Synodum, quæ & ipsa pro *Cæciliano* pronunciauit, per literas remittit. At refractaria *Donatistarum* factio ne sic quidem repressa, ipsius CONSTANTINI iudicium, cognitionémque improbe, & importunè efflagitat. Qui pro summa sua ad ecclesiam pacificandam propensione, licet id à sua functione alienum non ignoraret; eorum tamen importunitati pro tempore cedendum ratus, veniamque sui facti à sanctis posteà Episcopis petiturus, de causa *Cæciliani* accuratè cognouit, eoque absoluto, *Donatum* vt grauissimum calumniatorem notauit.

[a] Optatus lib. 1. contra Parmen. Augu. epist. 162. Euseb. hist eccles. lib. 10. c. 5.

MEMORABILIS sanè est illa illius, inter primas illas *Donatistarum* interpellationes, aduersus eos vox. O [b] rabida furoris audacia! sicut in Gentilium causis fieri solet, petitus à me in seculo iudicium, cum ego ipse Christi iudicium expectem. At enim in Ariana perfidia coercenda, insignem & egregiam cum primis operam posuit. Quam & blasphemiæ in Christum, & acerbissimæ in Christianos grassationis suæ magnitudine, grauissimam omnium dixeris. Cúmque iam per totum Imperium Romanum, & alibi etiam passim, Christiana religio maximas accepisset accessiones, nefarius dæmon grauissime ferens antiquam idololatriam vbique abolitam; nec ignorans altiores iam fidem Christi radices egisse, tutioréque loco constitutam, quàm vt aperto Marte eam concutere, atque labefactare posse speraret; per cuniculos tamen & tectè, ad creaturam prorsus adorandam, callidè hominum animis instillans, fuisse aliquando tempus, cum Christus non esset, essèque ipsum meram prorsus creaturam, sed postea à Deo Patre diuinitate amplificatam, homines transferre conatus est: [c] perfecitque adeò per *Arium* presbyterum, doctum quidem illum & Dialecticis argutijs instructissimum, sed gloriæ laudisque improba cupiditate, æmulatione, inuidia, ambitionéque à veritate transuersim actum. Nihil [d] non tentauit pius Imperator, vt flammam exurgentem, statim per Legatos & literas, ad *Alexandrum* Alexandriæ Episcopum, atque *Arium*, obrueret. Sed cum tentando nihil proficeret, malúmque in dies ingraueseceret, iamque perstreperent & feruerent vbique ardenti, contra Christi coessentialem cum patre diuinitatem, disputatione ecclesiæ, aulæ, scholæ, naues, officinæ, tonstrinæ denique & culinæ; ex sententia [e] Sacerdotum, & cum primis Romani Pontificis [f] *Syluestri*, Synodum trecentorum octodecim Episcoporum Nicææ in Bithynia cogendam curat. Et quibus alij singulari doctrina & pietate, alij etiam edendis miraculis, alij propter stigmata & notas, corporibus ipsorum in recenti persecutione inustas, dextrósque oculos effossos (quos auidis osculis suauiter & venerabundè demulcebat CONSTANTINVS) alij alijs Dei donis egregiè ornabantur.

[b] Opt. lib. 1. citato.

[c] Ruff li. 1. c. 1. Soc li 1. c 5 & 6. Theod lib 1 c. 2. Soz. lib. 1 c. 14.

[d] Euseb. de vita Const li. 2 c. 60.

[e] Ruff li. 1. c. 1.

[f] Sexta vniuers. Synod Constantinopoli

[g] Ruff li. 1. c. 4. & 5 Theod. lib. 1. c. 7.

CONSPIRANTIBVS omnium sententijs Ariana hæresis damnatur, & anathemate deuouetur, decretúmque vt filius patri ὁμόουσιον, id est, consubstantialis, siue coessentialis, crederetur. *Arius* interim nihil emollitur, sed in inueterato errore persistit immobilis, vt Marpesia cautes. [h] Quare cum quibusdam alijs suæ factionis à CONSTANTINO in exilium extruditur, mandatúrque vt libri *Arij* igne absumantur, cauetúrque capitalem fraudem admissuros, qui eos occultarent. [i] Decretum enim Synodi CONSTANTINVS, vt sacrosanctum Spiritus sancti oraculum, venerabundè amplexus est, atque in eadem, per totam posteà vitam, sententia religiosè permansisse creditur: eiusque fidem & religionem, Nicænis patribus consentientem, [k] *Athanasius*, [l] *Hilarius*, & frequens illa [m] Ariminensis Synodus, *Constantio* ipsius filio (qui posteà ad Arianos defecit) constanter opponunt. Erupit, erupit enim rursus (proh dolor) post mortem CONSTANTINI Ariana hæc væsania, & adeò erupit, vt non modo *Constantij* & *Valentis* proxima tempora, Orientémque, sed magnam partem orbis, atque sæcula longius disita inuaserit, depopulata atque depasta sit; [n] atque ita quidem, vt *Diocletiani* & *Maximiani* tempora Catholicis representata viderentur. Idque non solum sub *Constantio* & *Valente*, sed toto post sæculo, sub *Genserico* & *Hunerico* per totam Africam, & altero quoque post istos ferè sæculo, trecentis propè ab *Ario* annis, in Hispania: vbi Rex [o] *Leuuigillus* in filium atque heredē *Hermenigillum* furiosè debacchatus est. Quj adeò Arianam & paternam impietatem detestatus est, vt ne de manu quidem Ariani Episcopi Eucharistiam percipere sustineret; quare ita exacerbatus est pater, vt eum interfici iusserit. Et quis iam non admiretur, aut obstupescat potius, tam tetram hæresim, vel tam diu, vel cum tanta Catholicorum strage perduraſſe? Sed repressa & explosa est tandem, tam diuinis quàm humanis iudi-

[h] Sozom li. 1. c. 21. Socra. li. 1. c. 6

[i] Socrat. eodem c. 6.

[k] Athanas de Synod

[l] Hilar. cont. Constant. Imp. pag. 281.

[m] Socrates. lib 2 c. 29.

[n] Socrat. ibidem c. 30 & lib 4. c. 13. 14. Sozom. li. 4. c. 17.

[o] S. Gregor. li. 3. Dialog cap. 31. Paul. Æmil li. 2. Sigeb. in chron. anno 586.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

a Socrat. l. 2. c. 37. Sozom. l. 3. c. 18 Theod. l. 2. c. 14. Athanas. orat. cont. Arian. Epiph. haref. 69.

cijs vndique aduersus eam concurrentibus. [a] Author ipse & antesignanus sceleris *Arius*, dum excerneret, vitam simul cum intestinis, tanquam alter Iudas abiecit atque effudit.

b Theod. l. 3. c. vlti. l. 5. c. 2. Sozom. lib. 5. ca. 1. Hier. in Chron. an. 364.

Adversvs *Constantium Iulianus*, Cæsar ab eo constitutus, eo adhuc viuo Imperium vsurpauit. [b] Qua re audita, dum parat aduersus eum profectionem, ex dolore animi obijt, non sine graui lamentatione, quòd fidem paternam immutasset. *Iulianus* verò gentilium rursus sacrificia induxit. [c] At *Valens*, qui Gothos ad Arianam perfidiam induxit, ab ipsis bello appetitus & fugiens, iniecto igne in domicilium vbi delituit, combustus est. *Hunericus* acerrimus ille Catholicorum in Africa hostis, totus [d] à vermibus miserabiliter exesus, non corpus, sed fœdas & truncas illius partes ad tumulum, animam verò ad inferos transmisit. Tantis documentis tandem, licet serò, cœpit orbis *Arij* perfidiam detestari, quæ, vt primum contra Ecclesiam, ita tandem contra seipsam (vt naturam hæreseos agnoscas) scissa est, aliamque ex alia factionem peperit. Sic [e] primum *Arius* & alij tanquàm signiferi prodierunt, qui Patri consubstantialem Filium dici, aut nominari, non potuere pati, similem tamen ei, non natura sed gratia, non diffitebantur. Exorti sunt ex discipulis *Arij Eunomiani*, qui Filium Patri per omnia dissimilem statuebant. Tertius monstruosæ huius factionis partus *Macedoniani*, Filium Patri per omnia similem, affirmabant, Spiritum tamen sanctum, nihil habere cum Patre & Filio commune. Erat [f] iam & alia dissentio, quæ Arianos triginta quinque annos commiscebat, cum alij dicerent Deum Patrem vocari potuisse, antequàm existeret Filius; alij prorsus repugnarent; quos [g] *Athanasius* ait in in decem quas habuerant Synodis, nunquam eadem de fide sua statuisse. Etenim vniuersi, vt Sampsonis olim vulpeculæ, caudis ex aduerso colligatis, cum sibi inuicem ex diametro repugnarent, nefaria tamen aduersus Catholicam ecclesiam conspiratione, vt segetem Dominicam hæreseos suæ incendio consumerent, prorsus consensere. Cumque tam fœdo, tamque detestabili errore inuoluerentur, veritatem tamen à se, diuinásque scripturas, quarum frequentissima testimonia pro hæresi corroboranda expeditè proferebant; plenis, quod dicitur, buccinis, miráque arrogantia passim concrepabant: neque aliud ardentius insectabantur, quàm vocem *Homoousij*, quam ideò explodebant, quòd nullis sacris literis exprimeretur, quódque multarum dissentionum seminarium esset; cum tamen vocis illius oppositione, omnes hæreticorum machinas Nicæna Synodus (vt Eusebius ait in Chronicis) deiecisset. Atqui omnem istarum turbarum causam videtur mihi [h] Basilius rectè his verbis expediuisse, quod scilicet relicta vnusquisque Domini nostri Iesv Christi doctrina, rationes ac regulas quasdam propria sibi authoritate assereret, ac vendicaret, imò ante eum diuus Petrus, cum scriberet diuinas scripturas non esse propriæ interpretationis.

c Sozom. l. 6. c. vltimo. Hieron. in Chron. an. 381.

d Victor. de persecut. Vandal. Procop. l. 3. de bello Vandalico.

e Ruff. l. 1. c. 25.

f Socrat. l. 5. c. 23.

g Athan. ad Afros.

h In prooemio de iudicio Dei.

2. Petri c. 1. 19.

Atqve hæc hactenus de Arianis suffecerint: qui euocandæ huius Synodi precipua causa fuerunt, fuit [i] enim & aliâ, neque ea leuis quidem, pacificandi videlicet diuturni cuiusdam in Oriente dissidij. Cum enim Roma, Africa, totaque Italia, Ægyptus, Hispania, Gallia, Britannia, Libya tota, Hellas Asiana diœcesis, ac Pontica, Cilicia, cunctæ denique Occidentis, Meridiei, ac Septentrionis, & nonnullæ etiam Orientis Ecclesiæ, vno eodemque tempore, diéque Dominico sacram Resurrectionis Dominicę memoriâ colerent, reliquus Oriens antiquam Iudæorum in Paschate celebrando diem sequebatur. Ex qua inæquali Paschatis obseruatione, profluebat (inter cetera incommoda) inæqualis, stati per quadrasimam ieiunij, obseruatio: atque ita euenit, vt dum reliquus orbis accuratè sanctéque se ieiunijs maceraret, Oriens vino carnibúsque indulgeret. Quare ob has & alias causas, Patres Orienti, eodem cum ceteris tempore Paschatis obseruandi, necessitatem imposuere. Qua de re extat insignis ipsius Imperatoris ad ecclesias [k] epistola, vbi in eos acerbè inuehitur, qui relicto ecclesiæ more cum Iudæis Paschalem solemnitatem obseruant. Quos [l] vt Constantinvs, quandocunque ad Christi religionem deposita perfidia accederent, amore beneficijsque prosecutus est; ita, aliquid contra dignitatem Christi, & Christianæ reipublicæ attentantes seuerè repressit: præsertim [m] eos, qui hominibus suæ gentis, Christianæ se fidei deuouentibus, molestias exhibebant, vt anteà diximus; atque [n] illos adeò, qui in contumeliam Christi templum Hierosolymitanum instaurare conati sunt, quod etiam posteà sub *Iuliano* Apostata, (qui eis ad hoc opus operam omnem suam impensásque subministrabat) tentarunt. [o] Sed quoniam deerat Christianus Imperator, qui hanc eorum audaciam reprimeret, Deus ipse diuinitus eam repressit, dissipatis horribili terræmotu fundamentis, atque vicinis ædificijs, ipsíque operarijs ea ruina oppressis. Emicuit etiam ignis vltrà citróque per plateas discurrens, Iudæósque presentes consumens. Quin & signum Crucis, quod diluì non potuit, in eorum vestibus, ad stuporem omnium conspiciebatur.

i Euseb. de vita Const. li. 3 c. 5.

k Eusebius dicto li. 3. c. 16. 17. 18. 19.

l Epiph. l. 1. tom. 2. haref. 80.

m Cod. de Iudæis & Calic. L. 1.

n Chrisost. in orationem de Iudæis.

o Ruff. li. 1. c. 38. 39. Soz. li. 5. c. 22.

Inter

[a] INTER alia verò lege cauit CONSTANTINVS, ne Iudæus homine Christiano, vt mancipio, vteretur. Post hæc & alia, ob [b] quæ solitus est dicere Episcopis, se quasi Episcopum eorum, quæ extra agenda forent, constitutum, vt illos ad ea, quæ intus in Ecclesia agenda erant; post multa magnáque ergà Ecclesiam, omnemque rempublicam beneficia, obijt [c] CONSTANTINVS, primus omnium Imperatorum qui Christi baptismo renatus est, expletis Imperij triginta duobus ferè annis, apud Nicomediam, cœlestem, vt par est credere, perpetuámq; suæ pietatis mercedẽ adeptus. [d] Demortui corpus Nicomediæ aliquamdiu cõseruatũ est, & in aurea capsa repositum; tot cereis per dispositа aurea candelabra vndique accensis, taléque intuentibus spectaculum prebentibus, quale in nullius funere a mundi exordio humanis oculis obiectum est. Duces & Principes exercitus demortuum, non aliter ac viuentem olim, flexis etiam genibus adorabant. Obijt itaque CONSTANTINVS magno certè totius orbis, Constantinopolis præsertim (quæ omnem suum splendorem cum nomine ab eo sumpsit) desiderio & luctu. Ibi in sacra æde, quam magnificè struxerat, & Apostolis dedicauerat, [e] arbitratus hanc se memoriam animæ suæ salutarem, & vtilem facere, recondi se iussit, vt precibus, quæ eo loci ad honorem Apostolorum futuræ essent, dignus haberetur. Populus vero mortuum incredibili planctu eluxit, multisque cum lacrymis animam ipsius precibus Deo commendabat, & per picturam atque imaginem, perinde ac viuentem honorabat.

a *Euse. lib 4. de vita Const c. 27*
b *Euse d.lib.4.c. 24.*
c *Iaē d.l 4.c 53. & 61. cum seqq.*
d *D.l.4,c.66.*
e *Ibidem.*

De HELENA CONSTANTINI *matre.*

CAPVT XIIII.

VIVS mater HELENA (vt diximus) fuit. Digna marito, digna filio: quæ tam fuit orbi salutaris, atque illa altera olim Troiæ, orbique exitialis. Nam vt ab illa, tanquam ex Pandoræ pyxide innumera mundo mala profluxere, ita nostra HELENA, bonorum quasi quoddam promptuarium fuit. Quæ non tam ab obliuione vindicatur duabus illis ciuitatibus, quarum altera in Bithynia, altera in Palestina augusto eius nomine, pio filij obsequio atque affectu insignitæ sunt, & aureis numismatibus ipsius Helenæ imaginem repræsentantibus, ipso denique Ponto, qui ad sempiternam eius memoriam Helenopontus dicitur; quàm egregiæ suæ erga Deum fidei, pietatis, atque in pauperes propensionis, nunquam morituris monumentis. Cuius pietatem tanti Deus fecit, vt eam præ ceteris cohonestarit, & honorarit, dum ei venerandam Crucem, in qua ipse dependit mundi peccata, post tot sæcula eruendi è squalore, è turpitudine in lucem atque dignam venerationem, pium desiderium, atque felicem euentum largitus est. O diuinam patientiam! Crux in qua mundi peccata Christus expiauit, multis sęculis sub ima terra abdita iacuit. Nec his contenta diabolica inuidia, templum impurissimæ Veneris, eo ipso loco, in quo Christus nostras omnes suo sanguine maculas diluit, nefariè construi curauit: atque eo modo memoriam Crucis penitus abolere cogitauit. Sed pia Regina, diuinis admonitionibus excitata, Hierosolymam profecta est, & obscænum illud templum euertit, [f] venerandámque Christi Crucem altè sub eo templo defossam, in lucem & venerationem produxit. Repertę sunt & cruces in quibus duo illi latrones eodem tempore confixi sunt; nec certum atque expeditum videbatur, quænam esset ipsius Christi Crux, [g] sed eam omnem dubitationem mox exemit miraculum diuinitùs præstitum. Duæ enim illæ cruces mulieri periculosè ægrotanti admotæ, nihil omnino opis attulere: quam, vbi Christi Crux semel admota est, statim lecto exilijsse, omnémque mox morbum excussisse proditur. [h] Quin & mortuum quendam, cui Crux imposita fuit, ad vitam redijsse tradunt. Reperti sunt & claui, quibus sacrosancti Christi pedes confixi sunt, [i] de vno clauo frenos fieri præcepit, de altero diadema intexuit; vnum ad decorum, alterum ad deuotionem vertit. Misit itaque filio suo CONSTATINO, diadema gemmis insignitum, quas precioſiori ferro innexas, Crucis redemptionis diuinæ gemma connecteret. Sapienter, inquit Ambrosius, HELENA egit, quæ Crucem in capite Regum leuauit, vt Crux Christi in Regibus adoretur. Atque hoc esse nonnullis videtur, quod tantò antè vetus ille Propheta præcinuisse videtur. *In [k] die illa erit, quod super frenum equi est sanctum Domino.* Sacrosancti vero huius ligni, diuinitùs ita inuenti, statam & annuam memoriam Catholica Christi ecclesia, ab illis temporibus huc vsque venerabundè recolit.

Socrat li.1. c.13. Soz li.2.c.1. Euſe. de vit.Conſt l.3. cap. 41, deincaps Iuſtinia de mode. Heleno Nouel 28 cap. 1.

f *Ambroſ de obit. Theodoſ Euſe. li.3 de vit Conſt. & in chron. Ruff. li. 1. cap. 8 Iuſtinia in Nouel. conſt.28. Sozom. li. 2 cap.1 Seuer. Sulp ſacr. hiſt.l.2 Socrat.li. 1 c.17. Paulinus epiſt.11. ad Seuer. Theod. l.1.c.18.*
g *Ruff d.c 8 Eutrop d.li.11 Soz. d.c.1. Socr.d.c.17. Theod d c 18.*
h *Sulp. d. lib. 2. Soz.d c.1.*
i *Ambr. de obitu Theodoſij.*
k *Zach. 14. Ambr. vbi ſuprà.*

POSTQVAM

POSTQVAM igitur beata HELENA sacra Hierosolymis loca inuisisset, & vbi ascendit Christus, salutaria eius vestigia, iuxta illud Dauidis, [a] *Adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius*, adorasset; [b] mox duo templa, alterum vbi Christus natus est, alterum vbi ascendit magnificè condidit. [c] Ligni vero salutaris partem ad filium detulit, partem Hierosolymis reliquit. Quam eius vrbis Episcopus (vt [d] Paulini verbis vtar) quotannis cum Pascha Domini agitur, adorandam populo, princeps ipse venerantium promit; nec temerè aliàs, nisi quum interdum religiosi viri aspectum eius, qui ea tantùm causa peregrinationem illuc suscipiunt, quasi longinquæ peregrinationis pretium enixè postulant. [e] Plurima etiam alibi templa pia mulier magnificè extruxit, & amplis donarijs ornauit. [f] Nec viua interim Christi templa prætermisit, indigentibus enim vbique affatim res necessarias largita est, captiuos redemit, ad metallum damnatos, & exules reuocauit. Atque in tanto interim augustæ dignitatis fastu & splendore, adeò se infra infimos abiecit, vt cum Hierosolymis eas, quæ perpetuæ virginitati studebant, conuiuio exciperet, manibus ipsa suis escas & pocula apponeret, aquam manibus funderet, aliáque omnia ministeria obiret, quæ conuiuis inuitatis exhiberi moris est. [g] Exornarunt tantas huius Heroinæ virtutes, singularis quædam, & longè femineo captu maior doctrina, & non modo Latinæ & Græcæ, sed & (vt à quibusdam proditur) Hebraicæ linguæ cognitio. Quam tamen, vt & ipsam dignitatis suæ magnitudinem, tanta animi humilitate & submissione temperauit, vt nec quicquam scire, neque in quoquam supra plebeias amplificata videretur. Mortuo marito CONSTANTIO, Annam illam Euangelicam viduam in orationibus & ieiunijs imitata, in hoc virtutum & pietatis cursu peruenit ad octogesimum propè ætatis annum. [h] Tandem virtutum & pietatis plena, ad Christum quem in terris vnice dilexit, cuiusque gloriam modis omnibus amplificauit, eiusque gloriosum in cælis regnum feliciter subuecta est. Reliquias eius CONSTANTINVS filius magnificentissima pompa Constantinopoli in regijs monumentis condidit: & ita quidem Eusebius & Socrates. [i] Recentiores vero quidam Romæ sepultam, & inde corpus eius à Theogiso monacho in Galliam, & diœcesim Rhemensem translatum tradunt. Reperio qui affirment beatas illius reliquias Venetijs asseruari, magnificámque illic Ecclesiam nomini illius constructam. O beatam Britanniam! quæ talem orbi matrem, primámque augustam Christianam; talem filium, primum inquam Christianum Imperatorem, orbi diuinitus effudit. O insulam (quod & antea diximus) veræ lucis diuitem!

[a] *Psal. 131. 7.*
[b] *Euseb. lib. 3. de vita Const. c. 41. 42.*
[c] *Ruff. lib. c. 8.*
[d] *Epist. 11. ad Severum.*
[e] *Nic. l. 8. c. 30.*
[f] *Euseb. de vita Const. li. 3 c. 43. Ru. l. 10. c. 8. Soc. li. 1. c. 13. Theod. li. 1. c. 18 Sozom. li. 2. c. 1.*
[g] *Io. Zelandius.*
[h] *Euseb. lib. 3 de vita Const. c. 45. 46. Socr. l. 1. c. 13.*
[i] *Sigeb. in chro. Ann. 349. Capgrauius in cata. sanct. Angl.*

De œcumenica synodo SARDICÆ *pro* ATHANASIO *contra Arianos, cui & Britannia aliquot Episcopi interfuerunt.*

CAPVT XV.

HISTORIAE vero nostræ ecclesiasticæ residuæ hoc sæculo materiã, quod à morte CONSTANTINI MAGNI & *Syluestri*, per Pontificatum [k] *Marci, Iulij, Liberij, Damasi*, (cuius temporibus habita est *Constantinopoli* secunda vniuersalis synodus contra *Macedonium*,) *Siricij* & *Anastasij* diffunditur, ieiunam, & sterilem reperio. Imperium autem hoc tempore CONSTANTINVS, CONSTANTIVS & CONSTANS, IVLIANVS, IOBIANVS, (diuiso deinde Orientis & Occidentis Imperio) VALENTINIANVS, VALENS, GRATIANVS, THEODOSIVS, VALENTINIANVS iunior, HONORIVS & ARCADIVS tenuere. In hac tamen tanta rerum sterilitate, id satis constat, Britanniam nostram non solùm Christianam hoc sæculo (quod vel hoc argumento ita esse Chrysostomus [l] euincit, quo ostendit ibi altaria Christo dedicata,) sed & catholicam perduasse. Quod sanè in tanta tamque longè latéque progressa fidei per Arrianos perturbatione atque dissipatione, non minimæ laudis loco nostris ducitur; nostrósque Episcopos *Athanasium*, omnibus Imperij, *Arrianorumque* viribus, cum fide ipsa catholica inuidiosè calumnioséque oppugnatum, piè & constanter sua voce, suffragióque subleuasse & protexisse. *Arriani* cum viderent catholicam fidem de Christi diuinitate, nuper celeberrima illa Nicæna synodo, contra ipsos, totius orbis assensu astructam, altius agere radices, quàm vt palam atque apertè eam adhuc damnari posse crederent; fraude et cuniculis omnia moliuntur, quibus eam sensim labefactarent. Ex omnibus autem orbis Episcopis, *Athanasij* Alexandrini doctrinam & constantiam maximè formidabant. Quare ad eum ante omnia

[k] *Onuphrius in chronico.*
[l] *In orat. contra gentes.*

omnia euertenduin, omnia sua consilia, viréque omnes intendunt. [a] Coacta itaque *Antiochiæ* Synodo ad quintum [b] annum CONSTANTII Imperatoris, ad omnia eorum vota nimis facilis & proni, varijs per calumniam criminibus congestis, Episcopatu extruditur. Pulsus inde Romam vsque ad IVLIVM confugit. Cognita causa *Athanasij*, aliorumque quos Arriani exauthorauerant, eos, sibi in Nicæna fide consentientes, in communionem admisit. Et [c] quoniam pro magnitudine dignitatis suæ, omnium ecclesiarum atque Episcoporum curam atque iudicium, ad se pertinere non ignoraret, per literas singulis suas ecclesias restituit, Arrianósque grauiter reprehendit ob exauthorationem *Athanasij* & aliorum, & nouas aduersus Nicænam fidem molitiones. Romam denique euocat eos ad maiorem Synodum, rationem iudicij sui reddituros.

a Sozom. li. 2. ca 5. Soz. li. 1. c. 3.
b Onuph in chr. Soz. l. 3 c. 5.
c Nic. l. 9 c. 8. Soz. l. 3 c. 9 Soc. l. 2. c. 15. Tripart. li. 4. c. 15.

HIS literis munitus *Athanasius* Alexandriam reuertitur, sedémque suam, quam Georgius Arrianus occupauerat, postliminio recuperat. [d] Exacerbati his Arriani, & ipsi satis acerbè, atque contumeliosè IVLIO rescribunt. [e] Quorum ille insolentiam alijs literis reprimit, eósque perstringit, quòd callidè Nicænæ Synodi de fide decreta abolerent, & contra veterem ecclesiæ canonem Synodum cogerent, se inconsulto, qui ea quæ in Synodis præter Romani Episcopi sententiam statuerentur, antiquanda & abroganda decernebat. Omnia denique quæ contra *Athanasium* suggerebantur crimina, vt falsa, commentitia, atque ementita palam arguebat. Verumenimuero nouis insidijs, calumnijsque contra *Athanasium* structis, quas CONSTANTIVS, nimium Arrianis obnoxius, facilè admisit; rursus Alexandria [f] *Athanasius*, & alij alijs vrbibus exiguntur. [g] Sed non ita multò post coit frequentissima & œcumenica apud SARDICAM Synodus trecentorum circiter Episcoporum, [h] Quam & sua quoque præsentia *Britanniæ* nostræ Episcopi ornarunt. In qua pro Nicæna fide, & ATHANASII contra incredibiles, & horrendas illas Eusebianorum contra eum calumnias, honoratissimis suffragijs pronunciatum est. [i] Post quam varijs ipsius CONSTANTII literis, ATHANASIVS Alexandriam inuitatus, eò redijt mira omnium lætitia exceptus; huiusque Synodi tam ampla authoritas *Vrsatio* & *Valenti*, omnis huius contra ATHANASIVM tragediæ choragis, totius suæ contra eum fraudis confessionem expressit; [l] adeò vt sponte pœnitentiæ suæ libellum IVLIO obtulerint, veniámque ab eo poposcerint. Sunt etiam canones aliquot ab his patribus sanciti, inter [m] quos extat, qui Episcopo ab Episcoporum Synodo damnato, ad Romanum Episcopum prouocandi liberam facultatem præbet. Quódque si ille probarit, de causa iterum, datis à se iudicibus, cognoscatur: sin minus, vt priori iudicio stetur: Neque licere post interpositam prouocationem ab Episcopo, sede sua per priorem sententiam moto, nouum sufficere, donec secundum iudicium expeditum fuerit

d Nic. lib. 9 c. 8. Soz. l. 3. c. 7.
e Nic l. 9 ca 10. Soz l 3. c 9 Ath. in Apol. 2. cont. Arr. vbi extat exemplar literarum iulij Socrat. li 2 c. 11. Tripar. li. 4. c. 19.
f Nic. l. 9. c 9.
g 11. Constantij an. Christi 347. Onuphrio.
h Ath. apol. 1. 2. cont. Arri. statim in principio.
i Niz. li. 9. c. 12. Sozom. Sul. in sacr. hist. li. 2. Soz. li. 3 c. 10. Theod. l. 2. c. 7. & 8. Socrat. li. 2. c. 16.
k Nic. li. 9. c. 21. 27. Soz. l. 3. c. 23. Sozom. lib. 2. ca. 18. Theod. lib. 2. c. 11 12.
l Nic. l. 9. c. 29. Soz. l. 3. c. 23.
m Canones xxj. vt in to. 1. Concil.

De ARIMINENSI *concilio, cui etiam &* Britanniæ *Episcopi interfuerant, & quo modo cum reliquis Catholicis Episcopis ab* Arrianis *callidè circumuenti sunt.*

CAPVT XVI.

INTERFVERE post aliquot annos quidam ex nostris Episcopis etiam ARIMINENSI Synodo, ad quam quadringenti & amplius ex Occidente Episcopi confluxerant. Sed hic desideramus constantiam tot Episcopis, & tanta causa dignam. Etsi enim à fide catholica neutiquam defciuerint, palamque in ea Synodo, etiam ab ipsis Arrianis fuerat damnatus *Arrius*, calliditate tamen Arrianorum circumuenti, & Homousij nomen in decreto fidei aboleri, dissimulanter tandem passi, fidem ipsam prodidisse censentur. Conspirauerant illi quidem vniuersi in fidem Nicænam seruandam. Quæ vt vbique in Romano Imperio firma, & immota maneret, CONSTANTIVM per decem Legatos, Catholici suppliciter orabant. Sed hæc prima ruina. Amandauerant etenim & Arriani, qui octoginta numero secesserant à catholicis, suos etiam eodem numero Legatos, ætate, ingenio, rerum vsu, & gratia apud Principem superiores: qui tandem illos alteros varijs fraudibus, terroribúsque victos, ad suam communionem traxerunt. Quæ res audita, reliquorum quoque animos sensim immutauit. Quos Taurus Præfectus, cui Rex mandauerat ne pateretur Episcopos dimitti, nisi in vnam omnes fidem concurrerent; cuique Consulatum, quasi

Seuerus Sulpicius l. 2. sacr. hist. an. 28. Constantij. Theod. l. 2. c. 18. cum seqq. Hiero. in chron. & aduersus Luciferi. Ruff. libr. 1. cap. 21. Soc. li. 2. cap. 29. Sozom l. 4. & 15. cum seqq.

laboris sui, aut impietatis potius suæ offam obiecerat; partim blanditijs & lacrymis, partim minis aggressus, omnium ferè animos infregit. Nihil vero omnium magis quàm *Arrianorum* versutia, qui ita concinnabant suum dogma, vt catholicam fidem ementiretur, & facilè incautis illuderet. Captiosè præterea quærunt Orientales ab Occidentalibus, Quem magis colere & adorare vellent, ὁμοούσιον an Christum? Multi simpliciores & vim verbi ignorantes, Christo se, non ὁμοουσίῳ credere clamabant; Omnibusque tandem partim hiemis iniuria, longæque peregrinationis tædio, inopia atque terrore pressis (habebant enim ante oculos *Dionysium*, *Eusebium*, *Paulinum*, *Hilarium*, *Liberium Romanum* paulo ante relegatos; & præsentes minæ aures animósque eorum circunstrepebant) partim pacis studio (præsertim cum de vocabulis potius quam de rebus ipsis, aut fide certari ab aduersarijs diceretur, & *Arrium* factionis principem nominatim damnari audirent) cedentibus, & ὁμοούσιος vox è symbolo fidei abolebatur, & pro ea filium patri esse similem substituitur.

CONFLVXERANT eodem etiam tempore *Seleuciam* Orientales Episcopi, vbi cum catholici constanter Nicænam fidem tuerentur, eámque apud Principem per Legatos suos propugnarent, post inclinationem Ariminensium, fame carceréque multi manus dare coguntur; Alij constantiores, sedibus pulsi in exilium exturbantur. Sequuta deinde est omnium, vt & apud *Ariminum* defectio, túmque demum *Arrianorum* fraudes erumpunt. Nam[a] vt *Hieronymus* scribit, cœperunt *Valens* & *Vrsatius* ceteríque nequitiæ eorum socij, palmas suas iactare dicentes, se filium non creaturam negasse, sed similem ceteris creaturis. Tunc Vsiæ nomen abolitum, tunc Nicenę fidei damnatio conclamata est. Ingemuit totus orbis, & Arrianum se esse miratus est. Sed[b] *Athanasius*, *Hilarius*, alijque de quibus diximus, insignes athletæ, omnem istam fraudem, Ariminensiúmque circumuentionem detestati, palàm & fortiter decretis Nicænis adhærebant, neque vel latum, quod dicitur, vnguem ab ijs se transuersim rapi vllo modo passi sunt; neque vllas vnquam legitimæ synodi vices, statuta illa Ariminensia collegerunt[c], tum quòd vi expressa, tum quod Romani[d] Pontificis consensum, cuius antè sententiam cognoscere debuerant, nunquam obtinuerant. Quin & Episcopi Ariminenses, cum postea viderent se fraude *Arrianorum* perfidè circumscriptos, suam ipsi inconsultè datam, meliori sententia consultiùs iustáque pœnitentia, *Hilario* maximè duce & authore, reuocabant. Ad quod conficiendum, frequentia in Galliæ habita sunt concilia[e]. In quibus, quæ Arimini gesta sunt, communi sententia reiecta, & *Paternus Petrocorus*, atque *Saturnius Arelatensis* Episcopus, qui sanioribus consilijs intercedebant, sacerdotio exacti sunt, reliqui indulgentiam consequuti. *Damasus*[f] verò, *Ambrosius*, alijque passim pij Episcopi, eandē synodum Ariminensē damnabant. Credibile est & nostros Episcopos, *Hilarij* monitis Gallorúmque exemplo, resipuisse, *Hilarius*[g] certe ipse Episcopos Germaniæ primæ & secundæ, Belgicæ primæ & secundæ, Lugdunensis primæ & secundæ, & Prouinciarum *Britanniarum* laudibus ornat, quod se immunes & incontaminatos præstitissent, ab omni Arrianæ hæreseos contagione. Episcoporum sanè nostrorum numerum aut nomina, qui vel apud *Sardicam*, vel *Arimini* adfuerant mihi reperio;[h] *Restitutum* vero Londinensem, & *Kebium* Corinium *Salomonis* Cornubiæ Ducis filium, *Monæ* insulæ Episcopum, in Gallia aliquando versatos, & hunc *Venodatis* & *Monadas*, qui *Cambriæ* Septentrionem respiciunt, & *Hiberniam* sua doctrina instituisse, alicubi reperio; vt & superiori sæculo *Mellanium* *Probum* Britannum, qui *Rothomagensium* designatus est Episcopus, *Restitutum* autem *Siluestri* Pontificis, & CONSTANTINI Magni temporibus Londinensi sedi præfuisse, & *Arelatensi* Gallię synodo interfuisse, ipsius synodi gesta ostendunt: in qua synodo inter alia sancitum est, ne quis coniugio implicatus sacerdotio initiaretur, nisi cum vxoris consensu, ab opere coniugali velle se deinceps abstinere, profiteretur.

[a] *Aduersus Luciferianos.*

[b] *Athanas. epist. ad Afros.*

[c] *Athan. epist. ad Afros. Theod. lib. 2. c. 15.*

[d] *Theod. lib. 2. cap. 22.*

[e] *Sulp. Sulp. in fasc. hist. lib. 2. versus finem. Hier. in Chron. Ann. 364.*

[f] *Theod. d. lib. 2. c. 22. Amb. ep. 13. Hier. cont. Lucif.*

[g] *De Synodis aduersus Arrian.*

[h] *Ios. Lelandus.*

Vide Tom. 1. concil. vbi Restitutus inter alios Episcopos refertur; qui Synodo Arelatensi subscripsit.

De per-

De perturbatissimo Romani Imperij, quinto sæculo, tum propter barbarorum incursiones, tum propter varias hæreses, statu.

CAPVT XVII.

SEQVVNTVR iam grauia & periculosa quinti sæculi tempora, quæ in summos omnium rerum tam publicarum quam priuatarum in *Britannia*, totiusque religionis perturbationes inciderunt; Pontificiam cathedram INNOCENTIO, ZOSIMO, BONIFACIO, CELESTINO, XYSTO LEONE Magno, HILARIO, SIMPLICIO, FELICE, & GELASIO: Imperium Orientis THEODOSIO, MARCIANO, LEONE, ZENONE, ANASTASIO; Occidentis vero Imperium regentibus HONORIO VALENTINIANO cum alijs quibusdam vsque ad AVGVSTVLVM. In quo malo inauspicati nominis omine, Romanum Imperium ab AVGVSTO optimo præsagio fundatum, & in summam amplitudinem productum, prorsus perijt, ad *Gothos* translatum. Neque enim in *Britannia* solum, sed per totum adeo Romanum Imperium, miserabili omnia iactatione quasi sursum & deorsum, luctuoso sane spectaculo ferebantur.

Aduerso rupti, ceu quodam turbine, venti Vir. Æneï. lib 1
Confligunt Zephyrusque Notusque, & latus Eois
Eurus equis, strident siluæ, sæuitque tridenti
Spumeus, atque imo Nereus ciet æquora fundo.

Immisit enim se in Romanum Imperium, quasi Oceanus quidam Barbararum, & immanium nationum, [a] Gothorum, Burgundionum, Vandalorum, Alanorum, Sueuorum, Francorum, atque Hunnorum. E [b] quibus *Attila* Hunnorum Rex, quingentorum millium exercitu omnem ferè Europam, longè latéque depopulatus est. Roma [c] bis capta, primum per Gothos, duce *Alarico* siue *Athanarico*. [d] Deinde per Vandalos & *Gensericum*, habuitque Italia infra paucos annos multos Imperatores, qui partim abdicarunt se, partum trucidati sunt. Postremus omnium fuit *Augustulus*, de quo diximus, exactus per [e] *Odoacrum*, primum in Italia Gothorum REGE, atque ita ad CAROLVM *Magnum*, per [f] trecentos viginti quinque annos, Romanum in Occidente Imperium sublatum fuit. [g] Auulsa denique est hoc sæculo à Romano Imperio, Italia, Gallia, Germania, Dacia, Sarmatia, & cetera Provinciæ ad Danubium, & Rhenum, Aquitania, Hispania, tota etiam Africa. Ethnici vero hanc tam grauem temporum calamitatem, veteris suorum Deorum religionis immutationi, ad contumeliam Christi frigidis & ieiunis calumnijs ascripsere, quas nostri abundè confregerunt.

ATQVE [h] hæc quidem Vastatio eo grauior, atque atrocior fuit, quòd non solum tot nationes, totque hominum corpora sed quòd ipsas quoque horum animas depopulata sit: fuere enim fere hæ nationes vastatrices aut omnino à fide Christi, aut certe à Catholica fide alienę; Arriana namque pestis per GRATIANVM, THEODOSIVM, & alios pios Principes, in Romano Imperio pænè obruta, iam rursus passim, in Italia, perque Hispaniam atque Africam grassata est, atque vbicunque Gothi dominabantur. [i] Extruduntur quoque ex Africa quatuor millia, & nongenti, varij ordinis, & ætatis catholici, & mox quadringenti & quadraginta quatuor Episcopi catholici. Magno alij numero varijs supplicijs, horrendum (non minus quàm in [k] Perside Christiani, quòd Idola colere noluerint, tringinta hoc sæculo annis hac grassatione perseuerante) excarnificati interierunt. Iam quantam animarum stragem factam credibile est per alias hæreses, quæ hoc sæculo passim increbrescebant? Nam vt nihil dicam de reliquis prioris sæculi hæresibus, [l] *Manichæorum*, inquam, *Donatistarum*, *Eunomianorum*, *Apollinaristarum*, *Photinianorum*, *Priscillianistarum* (quorum [m] author *Priscillianus* cum quibusdam erroris sui consortibus, iussu MAXIMI gladio addictus est, quem [n] sectatores eius postea vt martyrem colere cœperunt) noua vndique hæreseon, ea tempestate, examina proruperunt. Hinc [o] *Prædestinati*, *Vincentiani* & *Patermiani*, *Acephali*, *Armenij*, & cum primis *Nestoriani*, *Eutychiani* atque *Pelagiani*. [p] Nestoriana in œcumenica Synodo apud Ephesum, Eutychiana vero hæresis apud Constantinopolim; illic *Cyrillo* CELESTINI, hic *Paschasino* [q] Lilybetano Episcopo, LEONIS, Romanorum Pontificum loco presidentibus damnata, & anathemate confossa est. Atque hæc quidem exacerbatarum vndique tristis rerum

a *In additioni ad Eutrop li 15.*
b *Bonif. li. 3. decad. 1. Callimachus in Attila Blond. 1. dec. li. 2.*
c *Ad annum 413 Prosp. in Chron. Paulus Æmil. l. 1 Soz. li 9. c. 9. Oros. l. 7 c. 38.*
d *Ad annũ 456. Palmerius in chron. lib. 1. Cod. int. de offic præfec. prator. Africa.*
e *Pal in chron. ann 471.*
f *Blond. dec. 1. li. 2. & dec 2. lib. 1.*
g *Blond. l. 2 d. c 8*
h *Paul Oros Am. li 1. de Ciu. Dei.*
i *Sigeb. Vr per. in Zenone Vict. de pers. q Vandalicali 2.*
k *Sig in chronic. Nice l. 14. c. 19. & 20. Theod. li. 5. c 38.*
l *Vide chro. Hier. Ann 281. & Prosp. Ann. 381. 377 379 382.*
m *Prosp in chro. An. 388.*
n *Sener. Sul. in histor. li. 2.*
o *Onup in chro. An. 408. 409. 428.*
p *Vide 1. tomo Conciliorum.*
q *Beda de stat. mundi.*

facies in transmarinis hoc tempore regionibus, tum in Rep. tum etiam in religione. Cuius perturbatio solet cum Reip. perturbatione cohærere; vt & ipsius Reip. ruinam, perturbata & conuulsa semel religio, eodem secum motu trahere sæpe cognoscitur.

De PELAGIO *Britanno,* PELAGIANÆ *hæresis conditore.*

CAPVT XVIII.

CETERVM expectabit aliquis forsan mitiora in BRITANNIA nostra, hancque Reip. & fidei pestē Oceanum neutiquā transgressam existimabit. Atqui sanè transgressa est vtrimque, nam illam & dedimus, & accepimus; dedimus per nouam apud nos hæresim natam; accepimus à Romano Imperio abalienati, & ab *Anglis*, hominibus tum à Christo prorsus abhorrentibus, tota pæne BRITANNIA pulsi. Sed de his suo loco accommodatiùs; nunc quæ magis cum causis ecclesiasticis cohærent persequamur. Nihil hic dico de *Timotheo* quodam Britanno, quem quidam tradunt docuisse diuinam Christi naturam in Vrgine conuersam in naturam humanam; Qualiscunque ille fuerit, quodcunque docuerit, non videtur illius hæresis longè, aut diu vagata. Cæterum *Pelagius*, *Pelagius* inquam ille, homo quod constat ex nostra [a] BRITANNIA, & [b] *Monachus* [c] *Cambrensis*, atque vt creditur præses celebris illius Bannachorensis collegij, infaustum hic hæresis suę caput extulit; & ita extulit vt non solum in BRITANNIA nostra, sed in *Gallia*, *Sicilia* & *Italia*, & *Romæ*, atque *Constantinopoli*, in *Africa* & *Hierosolymis*, & alibi per *Palæstinam* atque *Orientem* grassata sit: noménque sibi de suo authore condiderit. Natale vero solum grauissimè omnium obsedit. Valuit *Pelagius* ingenio atque doctrina, Græcis Latinisque literis expolitus, multáque ille doctè & catholicè, antequam in hæresim impegerat, scripsit. Sed plus valuit apud eum, vt & prius apud Tertullianum, exacerbati animi indignatio, quem Clerici quidam iniurijs irritarant, quàm aut fidei, aut Dei vlla ratio, quam ille ex tam leui causa contaminasse atque conspurcasse; & post *Gallias*, *Ægyptum*, *Syriam* aliásque nationes peragratas, atque quasi fœdis Harpyæ vnguibus passum fœdatas, eosdem vngues in patriam ad eam prorsus dilacerandam intulisse creditur.

HORRENDA planè sunt illius & asseclarum ipsius dogmata, & quæ omnem baptismi, totiusque fidei Christianæ vim prorsus debilitant & exhauriunt; quorum quædam ab [d] *Origine* & *Iouiniano* hausisse videtur, è quibus quæ maioris momenti sunt attexemus. [e] Diuitibus licet baptismo perfusis, nisi tamen omnes facultates abdicarent, cælum obstructum asserebant; quod tamen pro suæ nouæ potestatis amplitudine, non modò infantibus, sed etiam omnibus adultis, licet non baptizatis, liberaliter aperiebant. Quem tamen baptismum ridiculo, & à se primum nato discrimine, omnibus necessarium [f] asserebant, non vt peccatis exuantur, sed sacramento adoptionis filiorum Dei honorentur. Neque enim alijs hominibus quicquam esse cum peccato Adæ commune: [g] fuisse enim eum ab initio creationis suæ mortalem, atque ideo, licet nihil peccasset, non merito culpæ, sed conditione naturæ moriturum; peccando autem sibi soli, posteris vero suis haud nocuisse. Proinde & infantes nullam habere ab eo vitiosam originem, neque [h] baptismo peccatum (quod nullum est) elui, vtpote qui in eadem conditione sunt, atque fuit Adam ante offensam Dei: quare si mors præueniat baptismum, securos esse. Sed cum viderent manifesta Christi verba, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non introibit in regnum cælorum*, quæ illis catholici obijciebant; frigida ac ieiuna, ridiculáque illi differentia, non [i] regnum cælorum, sed vitam tamen æternam, non regeneratis pollicebantur. [k] Imo paruulorum animas non minus puras, & incontaminatas iactitabant quam ipsius Christi. Cuius carnis puritatem, non exorti & singulari gratia, sed paris naturæ communione metiebantur. [l] Ideo autem infantes à peccato immunes esse, quia id non nisi à voluntate, quæ in illis nulla est, proficiscitur. [m] Neque posse peccatum per naturam propagari edisserebant, quia hæc Dei, illud diaboli opus sit, [n] illudque non propagationem, sed imitatione ad alios diffusum. Quodque [o] Apostolus dixerat, *Per vnum hominem &c.* non ad corporis, sed animæ, quæ in peccato sit, mortem transferendum. Cum his erroribus cohæret & ille, quod carnis concupiscentiam, quasi naturæ bonum laudent, filiósque ex matrimonio genitos, naturaliter bonos [p] contendant.

ECCE iam tibi & alia monstra [q] *Manichæus* omni hominem libero arbitrio spoliabat, nec peccata

a *Ericus in vita Germani Prosp. in chron. Ann. 415. Onup in chronic. An. 40. Beda li. 1. c. 10*
b *Ericus in vit. Ger. Aug. de hæres. hæresi. 88.*
c *Io. Capgrau in vit. Albani martyris*
d *Hie. aduer. Pel. ad Ctesiphont. & in præfat. dia. aduers. Pelag.*
e *Aug. epist. 89. & 106.*
f *Prosp. in chron. An. 415. Aug. li. 1 cont. 2. epi. Pelag. 22 & 1. 4 c. 1. & li. de hæres. hæresi 88.*
g *Aug. epi. 106 & l. de hæresi. hæres. 88. Prosp. de ingratis c. 1.*
h *Aug. l. 1 de pec. merit. c. 10 lib. de nat. & grat. c. 19 & de nupt. & concupis. l. 1. c. 1*
i *Aug. l. 2 cont. 2. epi. Pelag. c. 4 sern. 14. de verb. Apost. de hæres. hæresi 88 de pec. merit. l. 1. c. 8*
k *Aug. l. 4 cont. 2 ep. Pel. c. 2.*
l *Aug. l. 3. cont. Iul. c. 5.*
m *Aug. l. 2 cont. Iul. c. 1*
n *Aug. de peccatorum merit. li. 1 c. 7.*
o *Rom. 5. 12*
p *Aug. l. 1. de nup. & cont. c. ultimo l. 2. c. 19. & 20. l. 3 cont. Iul. c. 21.*
q *Aug. de hæres. hær. 46 & 48. ep. 28 tom. 2.*

peccata hominum libero arbitrio, sed necessitati ascribebat. *Pelagius* dum hanc Charybdim scite se vitaturum putat, in ipsam Scyllam impingit, & quanto ille detrahit, tanto iste amplius illud amplificat atque exornat, & ex illius viribus non hominem, sed Deum plane effingit; contenditque cum *Iouiniano*, eos, qui plena fide baptismatis consequuti sunt tentari vltrà, & peccare non posse, Pharisæum superbia, & suæ sanctitatis inani & arroganti iactatione longe superans. Simile quiddam hoc sæculo in alia hæresi per *Nestorium*, atque *Eutycherem* contigit; Ille duas in vno Christo personas commentus est, alteram Dei, alteram hominis. Excepit eum mox *Eutyches*, qui dum incautè *Nestorij* hæresim declinat, in aliam se præcipitauit, clamans non solum vnam Christi personam; sed vnam omnino, eandémque diuinam naturam, humana per eam prorsus absorpta. Tanti est illud de quo Poëta ait, *Medium tenuere beati*, obseruasse. Hoc licet facile & in aliorum ferè sæculorum hæreticis inuenire, vt licet hostiliter inter se dissideant, ad euertendam tamen ecclesiam, quæ regia via ambulat, neque ad dexteram neque ad sinistram deflectens, concordent. Quos Isaias olim per Iudaici populi, typum graphicè descripsit, *Vnusquisque* (inquit) *carnem brachij sui vorabit, Manasses Ephraim, & Ephraim Manassem, simulipsi contra Iudam. Pelagiani* itaque, vt dicere cæperam altius, liberum extulere arbitriū quàm vnquā *Manichæus* depressit, diuinæ omninò gratię posteriores partes detulere: quippe quod ea minime indigeant. In [a] eo enim tantum gratiam Dei sitam, quod nos propriæ condidit voluntatis, nec vltrà eius nos indigere auxilio, quibus liberum ad omnia iam arbitrium sufficiat, vt Dei, per singula opera, non sit necesse niti, & regi auxilio. [b] Ipsam vero gratiam non pendere aut dari à Deo, sed à nostris meritis, & tantum quemque accipere, quantum meruit, & pro ratione humani studij adhibiti. Cumque [c] reprehenderetur *Pelagius* in Synodo Palestina, quòd gratiæ nihil tribueret, hoc commentō vsus est, vt non negaret dicere se gratiam dari hominibus, sed hactenus, vt quæ per liberum arbitrium facere iuberemur, facilius præstare possemus. [d] Gratiam atque adeo fidem [e] ex natura esse contendebat, nec esse fidem donum Dei, sed hoc nobis esse à nobis ex propria voluntate, & [f] ideò nos adiuuari, quia volumus, non ideo, quia adiuuamur, velle. [g] Prophetas tam veteris quam noui Testamenti studio, & obseruatione virtutum vitam æternam consequutos, & [h] ad perfectam multos iustitiam, naturæ vi, semota gratia, peruenisse. [i] Charitatem & reliquas virtutes, non ex Deo sed hominibus esse, quia & multi Ethnicorum eas sunt assequuti: [k] hominem, si velit, omni peccato vacuum esse posse; vitámque iustorum in hoc sæculo ab omni peccato remotam, & ex his ecclesiam illam sine ruga, & macula constare. Vim omnem diuinæ prædestinationis tollebant è medio, [l] infantibúsque qui ante baptismum moriebantur salutem aut damnationem ementiebantur, non habita ratione præsentis conditionis, aut ætatis in qua obierant, sed eius conditionis, quam diuina scientia in constantiore & maturiore eorum futuram ætate præuiderat. [m] Orationes Ecclesiæ tam pro fidelibus, quàm pro infidelibus, damnabant vt superuacaneas, quia per se homines ea præstare possint, quæ à Deo putantur impetraturi: [o] Nec Sanctos in oratione Dominica pro se dicere Dimitte nobis debita nostra, sed pro peccatoribus, qui sunt in populo. Ad hæc dicebat *Pelagius* sine peccato esse non posse, nisi qui habuerit scientiam legis.

Iouin. l. 3. aduers. Pelag.

Horatius.

Isai 9. 21.

a *Hier. ad Ctesip. cont. Pelag*

b *Prosp. in chron. & de ingrat. & de reliq. Pel. har. Aug. de bono perseu. l. 1. c. 4. & de gest. cont. cœlest. l. 1. c. 13. & 16.*

c *Aug. de har. ad Quod vult Deū haresi 88. in Ps. 105 l. 1 retract. c. 9. 15. 23 42.*

d *Aug. de gratia & l. arbit cap. 13. Maxent. cont. ep. Hormisda.*

e *Prosp. ad c. 5. ad Rom Prosp. de ingratis Maxentius cont. Hormisdam*

f *Prosp. de reliq. Pelag. har.*

g *Aug. cont 2. ep. Pelag. l. 1. c. 21, l. 4. c. 8.*

h *Maxent. cons. epi Hormisda.*

i *Aug. l. 4 cont. Iul. c 2. de grat. & l. 6. arb 18. 19.*

k *Aug l. 1 de pers. iustitiæ, Hieron. aduers. Pel. l. 3.*

l *Aug epist. 106. Hil. Arel. ad Aug. de reliq. Pel*

m *Augu. in cat. haresi. 2. de spec. merit. cap 5.*

n *Augu. ibid. in epi. Hil c 8.*

o *Lib. 1. cont Pel.*

Cvi o respondens Hieronymus, per hoc, inquit, magnam partem Christianorum excludis à iustitia, & qui prædicator es impeccantiæ, omnes prope peccatores esse pronuncias. Quotus enim quisque Christianorum legis habet scientiam, quam in multis Doctoribus Ecclesiæ rarò aut difficulter inuenias? verum tu tantæ es liberalitatis, vt fauorem tibi apud Amazonas tuas tibi concilies, vt in alio loco scripseris, scientiā legis etiam feminas habere debere, cum Apostolus doceat esse tacendum mulieribus in Ecclesia, & si quid ignorant, domi viros suos debere consulere. Nec sufficit tibi dedisse agmini tuo scientiam scripturarum, nisi earum voce & canticis delecteris. Iungis enim & ponis in titulo, quod & feminæ Deo psallere debeant. Quis enim ignorat psallendum esse feminis in cubiculis suis & absque virorum frequentia, & congregatione turbarum? verum tu donas quod non licet, vt quod verecundè facere debeant & absque vllo arbitro, magistri authoritate proclament: [p] Adijciebat *Pelagius* & regnum cælorum in veteri testamento repromitti, multaque alia eius farinæ, quæ iam persequi non erit necesse. Hæc, hæc inquam dogmata, fœdæ sunt illæ harpyæ [q] quæ non Æneæ vt apud Poëtam, sed ipsam Domini nostri mensam, & sacrosanctam eius fidem turpissimè conspurcabant. Et cum tam tetra sint, mirum tamen quanto in multis nationibus, multorum fauore excepta sunt. Imo [r] multi doctrina & pietate alioqui insignes, ad hunc scopulum naufragati sunt; è quibus [s] *Cassianus* & [t] *Faustus* quidam in Gallijs Episcopus. Sed hi postea resi-

p *Hier. ibid.*

q *Vir. li 3. Æne.*

r *Prosp & Hil. in epist ad Augu. 113. coll. cū Cher. Prosp cont. Coll. Cassio Psal 61.*

t *Maxent. cons. Hormisdam.*

puisse creduntur. Sectam hanc maximè omnium post *Pelagium*, promouere *Iulianus Capuanus*, & *Cælestius*. [a] Ille Episcopatu se motum indignatus, cum lingua Græca Latinaque valeret, neque obscuri esset inter Doctores nominis, ab ecclesia ad *Pelagium* defciuit. Cumque in graui, propter summam annonæ difficultatem, fame, sua omnia in pauperum subsidium conferret, multos ea pietatis specie errori suo, præsertim ex nobilioribus monachis adiunxit, [b] multos aduersus Augustinum libros euomuit. [c] *Cælestius* vero (à quo sectatores eius *Cælestiani* dicti sunt) *Annianum* quendam Diaconum Celedensem habuit à literis, qui ipsius commenta nitidiùs & floridiùs expoliebat, vt ea plausibiliora faceret; & [d] præceptore suo *Pelagio* occultior, mendacior & astutior fuit. Ille enim apertior, pertinacior & liberior.

a Ad ann. 440 Mar. Scot li 2 ætas 6. Iuo in chro.
b De quibus vide epi Aug. ad Claudium
c Hier. ad Alip. & Aug.
d Aug de Her. de gras. & pecc. orig. cont. Pela. & Celest. c. 12.

A quibus Romanis Pontificibus, Conciliis & Patribus damnata sit PELAGIANORVM *hæresis*.

CAPVT XIX.

VANTVMVIS vero à *Pelagio* & socijs veritas laborarit, vinci tamen non potuit. Excitauit enim Deus ecclesiæ suæ statim plurimos heroas qui diras has harpyas propulsarent atque conficerent; Passim enim se pij & docti viri opposuerunt, & inter alios ipsa illius sæculi lumina, [e] *Hieronymus* atque *Augustinus*: [f] trecentos certe ex Catholicis illam eo ipso sæculo hæresim impugnasse proditum est; atque inter alios *Atticum* & Constantinopolitanum Episcopum. [g] Ceterum *Augustini* inter omnes, in his hæresibus confringendis, labor atque industria eminet. Ante exortos *Pelagianos*, *Manichæorum* hæresis confutatio, (in quam & ipse olim dilapsus erat, [i] neque ante nouem annos ab ea se explicare potuit) valde eum exercuit; [k] videbatúrque ob acrem aduersus *Manichæos* pugnam, non tam exactè, vt par erat, de gratia deque diuinæ prædestinationis, & reprobationis iudicijs edisseruisse. [l] Neque enim vt ipse ait, adhuc motæ fuerant difficiles illæ quæstiones, quæ postea per *Pelagianos* emerserunt. Neque solum [m] *Iulianus* eum vt Manichæum, licet falsò, perstringit, sed & [n] *Prædestinatorum* hoc sæculo hæresis, ex ipsius libris malè intellectis, orta creditur. Sed ille & sibi, & ecclesiæ, Sanctísque patribus in liberi arbitrij gratiæque doctrina, licet scopulosis & difficillimis quæstionibus implicita, optimè consentit. Lubrica enim est & prona, sine diligenti cautione ad lapsum, vt ipse fatetur *Augustinus*, in his disputatio; [o] quæ ita expedienda est (quod quidem arduum est) vt nec gratiæ, nec arbitrio quod suum est quicquam detrahas. Quod sanè, si quisquam alius, egregiè præstitit *Augustinus*. Enimuero contentio ista contra *Pelagianos*, non stetit intra sola Doctorum scripta, sed & publica passim ecclesiæ authoritas se interposuit. Coactæ itaque sunt frequentissimæ contra eos Episcoporum Synodi, & inter ceteras [p] *Arausiaca* secunda in Gallijs, altera in [q] *Oriente*, [r] quinque denique *Africana* concilia. In illa Orientali Synodo, siue id ex simulatione, siue ex animo processerit, *Pelagius* errores suos reuocasse traditur; quare catholicum eum esse pronunciatur. Circumuolitabant etiam acta Synodi, nullis Episcoporum subsignationibus munita. [s] *Augustinus* itaque & Africani, quoniam *Pelagium* nil nisi illudere ecclesiæ arbitrabantur, cum INNOCENTIO Romano Pontifice agunt, vt Romam eum euocet, fidémque eius diligenter excutiat.

e Ad Ctes. lib 3. dial. cont. Pelag.
f Prosp. de ingra.
g Ibid.
h Videlicet cont. Cal. de perf. inst. Lib. 6. Hypog. De gra & li. arb. ad Val. De nat & gra. cont. Pel. De grat. nem. teſt ad Ho. De pec. mer. & rem. pec. ad Marc. Li 4 cont. 2. epi. Pela. Li. 6. cont. Iul. De gra. & li arb ad Val. Li 2 cont. Pel & Cal de pec. ori. Li. 2 de nup & cont. ad Valer.
i Aug conf. li 3. c 11. 12. & l 4. c. 1
k Vide Tapp de li. arbit. p. 235 & l Augustin. de prad sanct c. 14 & c 19. de bon. perseuer.
m Vide Tapp. de lib. arb. p. 237 & Aug. l. 1 cont 2. epi Pelag c. 1 2.
n Sigeb. ad annum 415.
o Tapp de l arb. p. 235 Aug. li 1. cons Pel & Cal c. 47. l 4 con Iul. in vtraque epist. ad Valentinum.
p Sub Leone 1.
q Aug. epi. 95. & 96.
r Aug epi. 47.
s Epi. 95 & 96.
t Aug. de har. & l. 1. de pec. merit c. 5.
u Ad Ctes. ad iustf. Pela.
Osea 9. 11. 14.
x Prosp. in chro. ad annum 442
y Au. l. 2. de gra. cont. Pel. li. 2. & epi. 89.

Ex animo certe non egisse eum posteriora eius scripta, quibus pristinos errores tuebatur, satis [t] arguebant; Magnóque simulandi *Pelagium* artificio vsum, nec ausum suas semper prodere sententias, his verbis significat *Hieronymus*. [u] Sola hæc, inquit, hæresis est quæ publicè erubescit loqui, quod secretò docere non metuit. Magistrorum silentia profert rabies discipulorum. Quod audierunt in cubiculis, in tectis prædicant, vt si placuerit auditoribus, quod dixerint, referatur ad gloriam magistrorum; si displicuerit, culpa sit discipuli non magistri. Ideo creuit vestra hæresis & decepistis plurimos, maximéque eos qui adhærent mulieribus, & sciunt se peccare non posse; qui semper docetis, semper negatis, & audire meremini illud Propheticum, Gloriam in partubus & parturitionibus da illis domine. Quid dabis illis? vuluam sterilem & vbera arentia. Eodem simulationis artificio, & discipuli eius *Iulianus* atque *Cælestius*, eruditi erant. Illum [x] multimoda fallendi arte correctionis spem præferentem, & in communionem irrepere (vt scribit *Prosper*) molitum, *Sixtus* Papa repulit. [y] Hic cum ad

cum ad Sacerdotij honorem obrepere cœpisset, errorem suum de baptismo infantium confiteri Carthagini coactus, errorem tamen non abiecit; posteaque ad *Pelagium* palam defecit: quin & in *Ephesina* cum *Pelagianis* damnatum esse constat: ex omnibus verò allis *Africanis* Concilijs, *Mileuitanum* atque *Carthaginense* enituit. Ad posterius ducenti & septemdecem Episcopi confluxere. [a] Vtrumque synodalia sua contra *Pelagium* & *Cælestium* decreta, ad Romanum Pontificem, Apostolica eius authoritate comprobanda, transmisit: [b] quibus probatis, per totum mundum hæresis *Pelagiana* damnata est; [c] anathemate enim confossa est ab INNOCENTIO, SOZIMO & CAELESTINO [d] scribitque *Augustinus*, *Pelagium* & *Cælestium* ab INNOCENTIO & SOZIMO toto orbe Christiano damnatos; quorum præiudicium sequutus HONORIVS Augustus, ciuilibus atque politicis decretis, inter hæreticos *Pelagianos* referri, & pœnis ciuilibus contra hæreticos sancitis, subijci mandauit.

a *Aug epist. 91. 92. 93.*
b *Prosp in chron. ad annum 420.*
c *Tom. 1. concil. Prosp. in chron. ad annum 414.*
d *Epi. 157 ad Optat Poss. in vit. Aug. c 18.*

De GERMANO *&* LVPO *Episcopis, missis per* CÆLESTINVM *summum Pontificem è Gallia in Britanniam, ad errores* Pelagianorum *reprimendos.*

CAPVT XX.

SED CAELESTINO Britannia nostra singularem quandam gratiam debet, ad quam pacificandam ipsa sacerdotij Gallici lumina GERMANVM Antisiodorensem, & LVPVM Trecassinum Episcopos honoratissima Legatione delegauit. Neque enim domesticis auxilijs (ita omnia erant apud nos exacerbata) nostro malo occurri potuit. Credo, quòd inuidia dæmonis, factionisque magnitudine Britanniæ, quasi natiuo solo, grauiùs sibi incumbendum statuit. Paruum igitur fuisse malum videtur alibi, præ eo quod rabies *Pelagij* in Britannia excitauit. Sed per quos discipulos has turbas dedit, nominaque eorum non adhuc satis certo comperire potui, quæ cum ipsorum impijs dogmatibus, benè iam olim sepelijt & obruit antiquitas. [e] Reperio tamen alicubi *Leporium* *Agricolam*, *Seueri Sulpitij*, *Pelagianorum* in Britannia Sacerdotis filium, presbyterum & monachum Bannochorensis collegij, Britanniæ ecclesias hoc schismate dilacerasse. [f] Huius autem patrem fuisse *Seuerum* illum Aquitanum, qui diui *Martini* vitam conscripsit, natum in Britannia ex matre Britanna, eundemque Pelagianam [g] hæresim propagasse; qua tamen de re mihi non satis adhuc constat. Vtcunque sit, qui priora produnt, pœnitentiam quoque atque resipiscentiam vtriusque produnt: quam [*] doleo nostris non perinde valuisse ad emendationem, atque errorem ad corruptionem. De [h] *Sulpitio* certe non improbabili authoritate proditur, & in senectute à *Pelagianis* circumuentum, & pœnitentia totiusque vitæ postea silentio, peccatum deterssisse, quod loquacitate importuna contraxerat. Quibuscunque *Pelagius* subsidiarijs vsus est, calamitas hæc adeo apud Britannos ingrauescebat, vt haud domesticis aut consilijs aut præsidijs, nec communi auxilio discuti posse videretur. Quæ quo modo discussa sit expediam, si pauca prius de Legatorum dignitate prælibarim. E [i] quibus beatus GERMANVS ex Præfecto territorij Antisiodorensis, matrimonio etiam implicitus, successor tamen beati *Amatoris*, ab *Amatore* & reliquo Clero, etiam insçius & inuitus designatus est. Susceptum verò, post mortem *Amatoris*, Episcopatum summa integritate administrabat, mirumque est quanta in eo prioris vitæ & morum conuersio facta sit; facultates omnes ad pauperum vsus, vxorem in sororem conuertit, pro splendida veste, cucullam induit; pro molli, cilicio carnem atterebat. Non minor lecti, totiusque vitæ durities; quippe qui adeo ab omnibus delitijs abhorruerit, vt etiam à vino, oleo, frumento atque adeo sale abstinuerit; quem Deus viuum mortuúmque, magnis multisque miraculis editis ornauit, quæ ab alijs petenda relinquo.

e *Bed. li 1 c. 17. Prosp. Reyn Cest. Malb. Westm. anno 446.*
f *Io. Lelandus de scr pt. Brit.*
g *De Agricola Florilegus ad an. 442.*
* *a. l. miror.*
h *Gennad. in cat. Sigeb in chronic. anno 399.*
i *Vid. vit. eius script. ante annos 700. carmine per Ericum Antisiodorensem ex. cusum 1543. & vitâ per Constantium presb. in Surio mense Iulio.*

QVID [k] de LVPO iam dicam patre patrum, Episcopo Episcoporum, morum norma, vitæ tutũ columna, & altero sui sæculi *Iacobo*? Hic hic ille LVPVS est, qui immanes illius tyranni, & flagelli Dei *Attilæ*, animum ita diuinitùs fregit, vt Trecassinam vrbem ingressus incolumem reliquerit, & præter morem, nullius cum iniuria illinc cum exercitu diuerterit. O felicem Britanniam tam ampla legatione honoratam! qua ampliorem ne optare quidem potueras. Ex qua magnam sibi, infesti humano generi dæmones, stragem immittere cum perspicerent, eam omnibus modis impedire conabantur; immanique per eos [l] tempestate nauigantibus excita, præsens omnibus vitæ periculum naufragio impendere videbatur. Sed eam facilè

k *Itacum appellat Sidonius Apollinaris in epist. ad Episcop. Lugdun.*
l *Bed l 1 c 17. & Ericus in vita Germ. Matth. West. ad. an. 429.*

Sanctorum

Sanctorum merita præcésque fregêre. Sanctorum aduentum quem maximè horrebant, per eos ipsos tamen, quorum corpora obsederant, prædicere vel inuiti, ad maiorem tormenti sui accessionem, victoriámque eorum, fateri cogebantur Magno pronóque omnium piorum fauore cælestes Legati excepti sunt, mirè illi recreati & erecti, hostes vero fidei non minus debilitato atque deiecto animo fuere, sensimque à suis ad ecclesiam transuolant. Pungebat ea res grauissimis stimulis eorum animos, qui erant sectæ duces & antesignani Quare omnia sibi tentanda putabant, Legatósque ad publicam disputationem prouocant, ne alioqui silentio suo causam ipsi suam prodidisse viderentur. Sed eorum arrogantem iactationem inanémque loquacitatem, ita authoritatibus omni exceptione maioribus, éque diuina scriptura petitis, beati fregêre Antistites, vt & silentium, & ex eo ipso manifestam triumphi de se acti confessionem illis exprimerent. Quem clariorem & illustriorem facit [a] visus, GERMANI orationibus sanctarúmque reliquiarum vi, puellæ cæcæ, quæ sananda in medio certaminis ardore à parentibus illuc delata est, redditus. Expugnatis itaque aduersarijs in eo certamine, quod quidam [b] *Londini*, alij *Verolamij*, vbi ALBANI martyris reliquiæ reconditæ sunt, initum tradunt; sepulchrum beati martyris adiere sancti Antistites, per eum Deo gratias reddituri: [c] vnde & partem reliquiarum martyris, massamque pulueris adhuc de martyris sanguine rubentem, secum asportarunt; aliásque illuc Apostolorum martyrúmque reliquias & ipsi intulere.

MEMORABILE [d] iam est de GERMANO illud, quod paulo póst & orando grassantis vndique ignis impetum fregerit; & nocturna visione pedis læsi firmitatem consequutus, cœptum antea iter, præter suam & omnium expectationem, repentè prosequutus sit. Sed hoc præ ceteris egregium, quod *Pictis Saxonibusque* formidando exercitu *Britannos* inuadentibus, Ducem se GERMANVS *Britannis* obtulit, tantúmque támque panicum terrorem, sine vllo prælio, *Britannis* Alleluya magno clamore insonantibus, ipso cum alijs sacerdotibus eadem cantione præeunte, hostibus incusserit, vt passim & effusè, abiectis armis in fugam se dederint. Quod quid aliud est, quàm expugnatæ [e] Ierico nouum, tanto pòst tempore in *Britannia* repræsentatum spectaculum, cùm vociferante populo, tubísque sacerdotalibus clangentibus, ciuitatis muri, nulla alia vi adhibita, passim corruebant? Sed & hic verum apparuit, quod dici solet, hæreticos vinci posse, [f] persuaderi non posse. Nam post abitionem beatorum Antistitum, multi ex illis ad ingenium rediere, nouásque molestias suis argutijs populo exhibebant. Quare nouis precibus solicitatus GERMANVS, nullos itineris labores, aut maris pericula modo Christiano gregi subuenire posset, deprecatur. [g] Redijt igitur, socio sibi adiuncto SEVERO Treuerensi Episcopo beati LVPI discipulo; stantes collaudat, nutantes confirmat, lapsos erigit, Accedunt & diuina aliunde beneficia, quæ multorum animos non leuiter mouerunt, inter quæ fuit firmitas pedum iuueni claudo reddita. Inflammantur itaque omnium animi aduersus factiosos homines, communíque omnium sententia, vt leuiùs deinceps officiant, exilio mulctantur. [h] Imo si Scotorum historiæ (in qua solum id adhuc reperio) credendum sit, flammis absumpti sunt. Sunt [i] qui tradunt ipsum *Pelagium* in exilium missum. Atque hæc sunt egregia vel signa quæ hîc ostendit, vel beneficia quæ beatus GERMANVS in nostros *Britannos* contulit. Cuius si quis ceteras per totam vitam præclaras actiones scire desideret, & quàm amplis eum Deus, & in hac mortali vita, & post eam depositum, dotibus signisque honestarit; illum ego ad eos, qui ex proposito illas, tam [k] prosa quàm versu descripserunt, iam reiecerim.

a *Matth. westm. Bed. li. 1. cap. 18. Henricus Hunt. li. 2. Reinulph.*

b *Hector Boetius Reinulph l. 8. ad annum 446.*

c *Bed. d. cap. 18. Matth. VVestm. Ericus & Henricus Hunt. Reinulph.*

d *Bed. cap. 20. & Matth. VVestm Ericus Henric. Hunt. Reinulph.*

e *Ioso. 6.*

f *Hist. sacra. Lutif.*

g *Bed. li. 1. c. 21. Ericus.*

h *Hist. Hector Boet li. 8.*

i *Thom. VValdensis in epistola ad Martinum quintum.*

k *Constant Episcopus prosa Heroicus versus.*

De diuo PATRITIO Hiberniæ *Apostolo.*

CAPVT XXI.

SED non hîc constiterunt aut cælestia beatæ memoriæ CAELESTINI in Britannicas nostras insulas beneficia, aut prædicta in easdem *Pelagiana* rabies: peruasit enim hæc lues [l] *Scotiam*, atque vt quidam scribit [m] *Hiberniam* etiam; de *Hibernia* autem nonnihil hæreo. Traditur vero *Palladius* [n] vndecimo *Eugenij* Regis anno, in *Scotiam* appulisse, [o] fructuosamque operam non solum in *Pelagiana* hæresi, verum etiam in multis superstitionibus ethnicisque obseruationibus (quæ nondum prorsus euulsæ erant) arcenda atque depellenda, inque absoluta quadam veræ & sinceræ pietatis [p] ratione componenda confirmandáque, operam pijs magnísque laboribus posuisse. Ob quos

l *Pol. li 3. & 7. Hector Boetius l 7.*

m *Hect. Boet. d. li. 7.*

n *Io. Ford in Scot. chr.*

o *Hector Boet. li 7.*

p *Hect. Boet. l. 7.*

pios

pios labores, Apostoli *Scotorum* nomen sibi ab omni posteritate lucrifecit. Accedit ad laborum & meritorum eius cumulum, quòd hortatione sua [a] *Constantinum Scotorum* Regem à societate *Saxonum* auerterit, adeo quidem vt & subsidia Britannis contra eos postea miserit. Defuncto *Palladio* [b] PATRICIVM CAELESTINVS substituit, quem [c] *Sigebertus* secundum *Hiberniæ* Archiepiscopum appellat, hoc est, vt ego accipio, *Pallady* successorem, *Palladiumque* ad vtrumque populum missum; [d] *Scotiæ* enim nomen antiquitus, tam eam quam hodie *Scotiam* dicimus, quam *Hiberniam* vnde *Scoti* in Britanniam venerunt; & quæ propriè *Scotorum* patria dicitur, complectitur. Verumenimuero quid egerit *Palladius* in *Hibernia*, vel vtrum aliquando eam semel ingressus sit, nondum memini me, in authore aliquo satis mihi probato, legisse. Siue id factum sit, quod non diu superstes fuerit postquam cælestem hanc Legationem auspicatus sit, quam [e] *Marianus Scotus* vno anno, alij [f] quinquennio circumscribunt; siue alias ob causas, definire non possum.

a *Pol. lib 5.*

b *Florilegus ad annum 491. Sigeb 432.*

c *An. 491.*

d *Bed. l. 1. c. 1. l. 1. c. 3 & 27 l. 4. c. 5 l. 7. c. 150*

e *In chron.*

f *Io. Fordunus in Scot. chro.*

IN PATRICIVM sanè dona sua Deus liberalissimè congessit, credo vt tanto muneri támque cælesti obeundo, aptior & accommodatior esset. Britannum aiunt ex *Calphurnio* nobili Britanno natum, & *Conche* diui *Martini* Turonensis sorore, quo præceptore primum, deinde *Germano* illo Antisiodorensi vsus est; qui *Magonius* ab eo dictus est, sed in sacro baptismo, *Suchar* siue *Succeti* nomen acceperat. *Italiam* tandem adijt *Romám*que ipsam, vbi eum præ oculis habuit CAELESTINVS Papa, & ob generis nobilitatem, doctrinæque atque pietatis magnitudinem PATRICII nomen ei indidit, *Scotorum*que Archiepiscopum creauit. PATRICIVS certe se dignum tam nobili patre, tali auunculo, talique præceptore reddidit. Multa sunt pænéque infinita, eadémque admiranda, seréque fidem superantia, quę de eo traduntur. Quibus tamen iam ego narrandis supersedendum mihi duxi, non quia omnem huic veterum narrationi fidem detraxerim, (absit) sed quia multa nimia quadam aut pietatis, aut credulitatis abundantia, non satis certa forte fide; reliqua ab ijs authoribus primum prodita video, quorum adhuc nomina, & ideo testimonij quoque eorum pondus ignorantur. Quare cancellos, quos mihi hic, & reliqua hac in historia circumscripsi, egredi nolo. Neque me leue beato huic viro laudis, pietatisque testimonium reddidisse videbor, si vel hac præcisa [g] *Sigeberti* narratione, qua tradit PATRICIVM sexaginta annos, signis, sanctitate & doctrina excellentem, totam *Hiberniæ* insulam conuertisse ad Christum, eum ornauero. Neque vero quisquam valdè mirabitur, si stupenda PATRICIVS signa ediderit, quæ & magna & multa fuisse verisimile est, ad tam rudis, agrestis, & feri populi corda ad Christum emollienda. Quorum natio, [h] Hieronymo teste, paulo certe antè vxores proprias non habebat, & quasi Platonis politiam legisset, & Catonis sectaretur exemplum, nulla apud eos coniux propria erat; sed vt cuique libitum fuerat, pecudum more lasciuiebant. Quos se etiam in Gallia humanis carnibus vesci vidisse asserit, & cum per siluas pecorum greges, & armentorum pecudúmque reperirent, pastorum nates & feminarum papillas solitos abscindere, & has solùm ciborum delicias arbitrari.

g *In Chron.*

h *Lib. 2. aduersus Iouinianum.*

MIRA itaque prodigia à PATRICIO patrata, ad huiusmodi homines Christo acquirendos, & in ciuiliorem atque sanctiorem vitam transferendos, è quibus niulta ex ijs ipsis esse, quæ vita eius complectitur, vt non inficior, ita ea certo meo (vt dixi) instituto non pono. Pauca tamen ex *Siluestro Giraldo* Cambrensi, qui res Hibernicas (vt si quis alius) exploratissimas habuit, quémque Rex HENRICVS *secundus* cum IOANNE filio, qui postea regnũ adeptus est, in *Hiberniam* misit, exque eo libro quem Regi ipsi HENRICO dedicauit, de PATRICIO hic attexere non grauabor: Cum præsertim ille tam religiosè de sua historia (qua me tam pro hac quám alijs, quas pro re nata subijciam narrationibus muniam) ita sit attestatus; Sed ita me dij amabilem præstent, vt nihil in libello apposuerim, cuius veritatem vel occulta fide, vel probatissimorum, & autenticorum comprouincialium virorum testimonio cum summa diligentia non elicuerim. Tradit igitur PATRICIVM insulam ingressum regnante ibidem LAEGIRIO, NELLI Magni filio, è tota insula idola exegisse, eámque ad Christum traduxisse, primámque sedem *Ardmachiæ*, alias vero alibi Episcoporum sedes posuisse. Diuinam præterea vltionem, quæ non ita multo ante accidisset in *Philippum Wigornienſem* & *Hugonem Tirellum*, qui PATRICII ecclesiam iniuria affecissent. Nec videtur omnino abhorrere ab aliorum quorundam de purgatorio PATRICII sententia, essèque tradit in *Vltonia* insulam quandam lacu quodam insignem, cuius altera pars aspectu pulchra iucundáque sit, celebrisque ob frequentiam Angelorum & Sanctorum ibi apparentium: Nec minus horrendam alteram, & à dæmonibus infestam, qui se ibi sæpè visibiles offerunt,

Dist. 2. tit. de mirac. Hiberniæ.

ferunt, essèque ibidem certa quędam loca, quibus qui pernoctarint, incredibilibus tormentis affecti sæpè fuerint, adeo vt ægrè postea vixerint. Esseque eum ipsum criminum expiationis locum ijs, qui pœnitentiæ ergo eum subierint, ita vt nisi grauiora postea in se admiserint, ab inferno liberi & immunes sint. Idque ita PATRICIVM precibus à Deo impetrasse, vt agrestis populus vel sensu atque experientia inferni pœnam, quam eo initio concionante irridebant, non esse vanam fabulam, intelligeret. Quem expiationis locũ quid militi cuidam ingresso, Imperante STEPHANO, accidisse tradatur, postea referemus. Sed hac de re fidem meam non astringo (neque enim hanc meam litem facere volo) sed ea lectori nostro subtrahere nolui, quæ author noster, qui tam seria tamque sacra se contestatione illigauit, lectori suo subijcere operæ pretium putauit.

CELEBRIS est *Hibernia* quam *Pomponius Mela*, *Iuuernam* appellat, quòd nullus ibi anguis sit, aut venenatum aliquod animal. Quin & odore aëris *Hibernici* aliarúmque rerum illinc exportatarum enecantur angues. Sunt qui id beneficium PATRICII precibus ascribunt. Neque ego quidem abnuo prece illum potuisse à Deo similia impetrasse, cuiusmodi [a] alibi diuorum beneficio contigisse certò traditur, sed author noster nihil id genus disertè affirmat, licet id vulgo ita persuasum tradatur. Et qua precor ratione ex fide id affirmare potuisset, cum constet longè ante PATRICIVM natum, [b] hanc sibi eam regionem quasi ingenitam & innatam, & natura ipsam comparatam contra angues vim, (quod de [c] *Pomonia*, quam *Kirkewalliam* hodie vocant principe *Orcadum* insula, ante tempora *Claudij* [d] *Cæsaris*, qui eam expugnauit, asseritur) habuisse? Tradit vero prædictus author noster PATRICIVM centum viginti annos vixisse, & obijsse quadringentesimo quinquagesimo octauo redemptionis nostræ anno, post 1800. annum quàm in eam *Hiberni* insulam appulissent, & apud *Dunum* in *Vltonia* sepultum, sacráque eius reliquias diuina quadam illustratione, quasi in triplici spelunca, medias inter S. COLVMBAE & beatæ BRIGIDAE repertas, primo anno quo IOANNES, de quo meminimus, ad insulam accessit. Est qui referat ad hunc PATRICIVM *Iberorum* conuersionem, quam *Ruffinus*, & post eum *Socrates* atque *Nicephorus* scriptis suis complectuntur. Sed id nec temporum, nec, toto sæculo intercedente, Regionum longissime inuicem dissitarum, ratio patitur; apparétque ipsos authores de illis *Iberis* loqui, qui propè *Armeniam* sunt. *Hiberni*, *Scoti*, & *Cambri*, maximi faciunt loculos quosdam Sanctorum, cornua, & campanas, præsertim baculum sancti PATRICII, quem IESV baculum appellant; qui circa tempora HENRICI *secundi*, ab *Armachia Dublinam* traductus est.

[a] *Thomas Fazel. de rebus Siculis dec. 1. l. 1. c. 1. Epiphan. in vita Ieremiæ Prophetæ.*
[b] *Solinus c. 35.*
[c] *Hect. Boet. l. 3.*
[d] *Ibid.*

FVIT sanè circa eadem tempora quidam, qui loco reliquiarum cornu quoddam æneum collo suspensum gestabat, quod diui PATRICII cornu fuisse dicebat: quod ille alijs osculandum, vt thesaurum quendam precio sum præbere solitus est. Affirmabat vero neminem vnquam ausum cornu illud inflare, tantum omnes homines honoris PATRICIO deferebant. Quod audiens *Bernardus* quidam sacerdos, manibus cornu arripiens, ore admotum inflare cœpit; ibi statim bellus & audax noster tibicen audaciæ suæ superbiæque pœnas dedit, idque multis præsentibus. Os enim eius paralysi fœdè distortum est, omnémque loquendi vsum amisit, earumque adeo rerum omnium memoriam, quas antea perfectissimas & exploratissimas habuit; adeo vt postea cogeretur in *Hiberniam* & *Cambriam* proficisci ad implorandam PATRICII opem. Hunc hominem author noster recte nouit, remque ex fide gestam certo testimonio prodidit. A quo & illud memorabiliter proditum est, eum qui propius ad hoc cornu aures applicat, auditurum suauissimum quendam sonum quasi iucundæ cuiusdam citharæ, hæcque monumenta tanti fieri ab his nationibus, vt sæpe ea ad testimonij & iurisiurandi fidem faciendam adhibeant. Id quod nunquam faciunt nisi magna religione & timore, reipsa sæpius experti, his, qui temerè iurauerunt, præsentem grauémque diuinitùs pœnam incubuisse.

De diuo

De diuo NINIANO, *deque* VRSVLA *cum sodalibus.*

CAPVT XXII.

SVPERSVNT aliqui adhuc hoc sęculo viri in Britannia nostra memorabiles, e quibus est FASTIDIVS PRISCVS *Londinensis* vt fertur Episcopus, & NINIANVS *Venodora.*[a] FASTIDIVS & verbis & scriptis Christi diligenter religionem promouit, circiter annum quadringentesimum & vigesimum, Imperantibus HONORIO & THEODOSIO. Circa quę tempora enituit & [b] NINIANVS, qui generis inter Britannos nobilitatem, insigni pietate atque doctrina, alia & splendidiore quidem nobilitate superauit. Quem adolescentem adhuc ciborum abstinentia, verborum raritas, lectionis sacræ assiduitas, totiúsque vitæ morúmque grauitas, mirum in modum commendabant. Nec contentus domi liberales, sacráque literas hausisse, augendi huius sacri thesauri ergo in Italiam profectus est, Romámque adijt, vbi ea, quæ ad sacram disciplinam ecclesięque ritus pertinent, accuratè didicit. Romanique Pontificis, virtutum doctrinéque nomine, notitiam nactus, ab eo in *Britanniam* vt eam vicináque regiones doctrina sua illustraret, missus est. In reuersione diuum *Martinum* Turonensem in Gallia inuisit, quem ille mirificè amplexus est. Reuersus Euangelicam sementem magnis laboribus, nec minore fructu apud *Britannos Pictos* & *Scotos* posuit, sed apud *Australes Pictos* potissimum: qui eius maximè opera reiectis Idolis, Christo se dedicarunt. Sedem sibi apud *Witernam* statuit in *Gallouidia* (qui locus iam *Scoto* subiacet, cum olim *Britannis* subiaceret, & ad *Berniciorum* Prouinciam, quæ portio erat *Northumbrici* regni, pertinebat) vbi & ecclesiam ex lapide, præter morem *Britannorum* (quam ædificandi rationem à diuo *Martino* didicisse creditur) construxit, vnde locus *Ad candidam casam* appellatur. Eam ecclesiam diui *Martini* iam mortui memoriæ consecrauit; sed hodie & ea, & ipsum oppidum diui *Martini* nomen conseruat. Summis enim eius in eam regionem aliáque beneficijs, quæ tam in hac mortali vita, quàm post eam vberrimè contulit, memoria eius ad hunc vsque diem magna celebritate perpetuatur. Inter quæ illud hodie celebratur, quòd cum *Dauidis* Regis *Scotiæ* tibiæ, in bello quo ab Anglis captus est, telum infixum fuisset, extrahi haud potuerit, priusquam diuum NINIANVM inuisisset. Mox tibia manifestè aperiri visa est, ac telum prosilire. Obijt beatus vir decimo sexto Septembris ad annum quadringentesimum trigesimum secundum.

a *Io. Lelandus.*

b *Io. Capgr. Io. Fordunus l. 3. c. 9 Hector Boetius l. 7. & 15 Bed. l. 3. c. 4. Pol. l. 3.*

HABVIT & *Britannia* nostra hoc sæculo BACCIARIVM & GODELBERTVM presbyterum. Ille librum quendam, quo *Leoni* Romano Pontifici aduersus peregrinationis suæ à patria calumnias rationem reddit, aliáque quædam conscripsit ad Theologiam pertinentia, Patricijque discipulus fuisse, & claruisse circiter annum quadringentesimum sexagesimum; GODELBERTVS vero ad annum quadringentesimum nonagesimũ octauum, homeliásque & de allegorijs scripturæ scripsisse existimatur. Nobilitauit verò hoc sæculum VRSVLAE etiam cum sodalibus. Cuius historia ô vtinam tam mihi esset expedita & certa, quàm id in animo meo certum & expeditum est, eam esse cum sodalibus beatam in cælis martyrem. Temporum hominúmque iniuria exactam & accuratam eius, vt aliarum multarum cognitionem inuidiosè abstulit. Pro qua nobis malè feriati homines, ocióque suo & temporum suorum propensa nimis crudelitate turpiter abusi, meras fabulas & διὰ μακρῶν inuicem dissidentes subiecere; nósque iam post tot sæcula, non ad certam & exploratam veritatem sequendam, sed quales quales coniecturas coegêre. Inter quas video aliquot doctos probatósque viros, & in explorandis historijs accuratè diligentes, eas maximè amplecti, quibus sua probabilitas deesse non videtur: quòd partim naufragio perierint, partim ad littus cæsæ sunt in *Britannia* minore ab aduersarijs qui illud obseruabant. Ad eam enim, *Armoricam* antea dictam, à maiore *Britannia*, à MAXIMO, qui Imperium inuaserat, GRATIANVMQVE Imperatorem occiderat, vt gentilibus suis *Britannis*, qui eas partes occuparant, matrimonio iungerentur, quippe qui vicinarum nuptias detestarentur, transmissæ sunt.

Pol l. 3. Ioan. Lelandus.

ATQVE in hac ego narratione, & istorum authorum authoritate facilè acquiescerem, nisi quòd, qui huic sententiæ adhęrent, nullum certum & probatum huius, de hoc matrimonio, narrationis authorem laudant. Deinde quod in nullum adhuc ego, quantumcunque elaborarim, inciderim, qui habeat aliquod antiquitatis & fidei testimonium. Solum vidi anonymum quendam Britannum, à *Galfrido* aliquando in Latinum translatum, qui huiusmodi quiddam

narrat, sed hominem planè cum alijs multis in rebus, tum vel in hac ipsa de rebus MAXIMI narratione, non vno mendacio vanissimum. Sed aliud est tamen, quod me magis auocat, hoc est omnium fere autherum, qui VRSVLAE historiam describunt, authoritas; & beatæ martyrum reliquiæ, in *Agrippina Colonia* ad hunc vsque diē religiose conseruatæ. Neque sanè adhuc video iustam martyrij in superiore narratione causam. Alia multa prætermitto, quæ hanc narrationem infirmant. Sed tamen cum ad coniecturas recurrendum sit (non eas intelligo quibus colligam eas prope *Coloniam* cæsas, quod mihi certè satis probatum est, sed illas alias, quæ hanc historiam circunstant) ego certè eam coniecturam, vt magis probabilem sequor, quæ non ad MAXIMI tempora, sed posteriora, hæc gesta reijcit, cum iam *Saxones* magnam *Britanniæ* nostræ partem, & *Britanni* profugæ *Armoricam*, quæ postea ab eis *Britannia minor* dicta est, occupassent. In qua tam longè latèque, re omni Britannica domi complorata, dominati sunt, vt his finibus circumscribi non contenti, *Pictones* etiam paulo post, & *Andes*, *Cenomanes*, & *Engolismenses* armis aggressi, eas etiam sibi sedes, expulsis incolis, acquirere conati sint. *Saxonum* itaque rabiem declinandi gratia, credibile est VRSVLAM, cum sodalibus naues ingressam *Britanniæ minoris* adeundi spe, vt tempestatis ex Oceano in *Rhenum* delatam, continentémque post istam iactationem ingressam, in *Hunnos* non ita procul à *Colonia* incidisse, homines tam à Christiana pietate, quàm omni humanitate alienos; atque ab eis, cum vel fidem, vel castitatem prostituere recusarent, has virgines inmaniter cæsas. Atque ita, ni fallor, & temporis, & martyrij, totiusque historiæ ratio, non omnino improbabilis cohærebit. Nam quod quidam scribunt vi ad *Armoricam*, à *Conano* homine Pagano illius præfecto abductas, & ideo iugulatas, quòd hominibus à fide Christi alienis matrimonio iungi recusarint; præter temporis, vt dixi, rationem dissidentem, hæc omnis istorum oratio, ab omni prorsus fide, & veritate inanis, & vacua est. Vnicum certè WANDELBERTI quingentis hinc annis testimonium, homini non nimis refractario, & pertinaci, vt nihil aliud superesset, sufficere possit.

Circiter annum 451.

In Martyrologio suo metrico.

Tunc numerosa simul Rheni per littora fulgent
Christo virgineis erecta trophæa maniplis
Aggrippinæ vrbi, quarum furor impius olim
Millia mactauit ductricibus inclyta sanctis.

Quarum sanctitatem, & apud Deum merita, tot passim illis in Europa dicata templa manifestè arguunt.

De GILDA Albanio & GILDA Badonico.

CAPVT XXIII.

EXCIPIT iam sextum sub SYMMACHO, HORMISDA, IOANNE, FELICE, BONIFACIO, IOANNE altero, AGAPETO, SILVERIO, VIGILIO, PELAGIO, IOANNE tertio, BENEDICTO, PELAGIO altero, & GREGORIO Magno, sæculum. Quibus temporibus, IVSTINVS, IVSTINIANVS, IVSTINVS alter, TIBERIVS & MAVRICIVS Constantinopoli imperarunt. Fuit sanè hoc sæculum præcedentibus & sequuturis inanius & sterilius, minúsque illustribus in Britannia viris fœcundum, Quod nemo mirari debet, qui temporum illorum rationem tenet, quibus *Saxones*, Deo *Britanniaque* infesti, maiori illius parti hostiliter incubuerunt. Emicuerunt tamen aliquot vel in medijs istis vastationibus, partim in *Scotia* atque *Hibernia*, partim in ea parte *Britanniæ*, quæ *Cambria* dicitur insignes viri. Quorum gesta, quæ nostros *Cambros* aut exteros, qui in nostra *Cambria* sunt versati, respiciunt; quæcunque ex spectatæ fidei authoribus corradere potuimus, lectori subministrabimus. Referunt itaque hoc sæculum, inter alios egregios viros, duos habuisse GILDAS, vnum *Albanium* Magni PATRICII discipulum, ex Regio Regum Britanniæ sanguine ortum: alterum *Badonicum* cognomento Sapientem. *Albanius* à genere, à peregrinationibus, quibus doctrinæ augendæ gratia Romam vsque profectus est, à sacra doctrina, qua se & alios aduersus *Pelagianos* præmuniebat, à ieiunijs, ab orationibus solitariaque vita, totiusque vitæ duritie, cibique quo lasciuientem carnem atterebat, vt spiritui obsequentior esset, valdè commendatur. Tanta certè marie ob ieiuniorum magnitudinem squallebat eius facies, vt febricitantem semper repræsentaret,

Io Capgraue Ieon. Leland.

taret; à rebus terreſtribus & ipſe animum ſemper liberum,& feriatum habebat, & quanta potuit orationis vi, diſcipulos etiam ſuos auocabat. *Britanniæ* Hiſtoriam actaque GERMANI & LVPI, de quibus diximus (quæ ô vtinam hodie extarent) contexuiſſe dicitur. Accola fuit inſulæ cuiuſdam, quæ prope *Sabrinam* poſita eſt; vbi & defunctus eſt quarto Calendarum Februarij,ad annum quingenteſimum decimum quintum.Corpus eius delatum eſt ſepeliendum ad cœnobium *Glaſconienſe*.

GILDAS *Badonicus*, licet poſt octoginta annos natus,ob nominis vitæque ſimilitudinem accedat. Natus is eſt, vt ipſe fatetur eo anno, quo celebris illa *Saxonum* ſtrages ad *Montem Badonicum* (qui forte is eſt, quem hodie *Blachemora* appellant, ad *Atheſem* flumen, quod *Dunelmenſes* & *Eboracenſes* ſeparat) edita eſt. Vnus ex illo, de quo diximus, Bannachorenſi cœnobio fuit. Doctum, pium, & vtcunque pro ratione temporum illorum eloquentem, certè vehementem & acrem fuiſſe apparet. Libera enim & aſpera oratione (quæ hodie extat) in Sacerdotes, Reges, Principéſque ſui temporis, crebris ac denſis Prophetarum,& ſacræ ſcripturæ teſtimonijs vſus, inuehitur. Nec mirum ſi pij hominis animum, & vitiorum in omni ſuorum genere & conditione, & calamitatis præſentis, quæ Britanniam pæne totam per *Saxones* opprimebat, magnitudo, ad orationis eum vehementiam exaſperarit. Hoc patriæ excidium, quod iſte expertus eſt, alter ille GILDAS prædixiſſe fertur. In hoc GILDAS opere, martyrium diui ALBANI & aliorum explicat, à quo ſuam de eo *Bedam* narrationem mutuatum credo: Quorum, inquit, corporum ſepulturæ, & paſſionum loca, ſi non lugubri diuortio barbarorum, quàm plurima ob ſcelera noſtra, ciuibus adimeretur, non minimum, mentibus ardorem diuinæ charitatis incuterent. Narrat deinde, Diocletiana illa vaſtatione remota, Britannos (vt illius verbis vtar) eccleſias ad ſolum vſque deſtructas renouaſſe, martyrúmque baſilicas conſtruxiſſe, dies feſtos celebraſſe, & ſacra mundo corde oréque confeciſſe. Floruit ad annum quingenteſimum octuageſimum. Atque in hac quidem ego re authorem typis excuſum, qui vbique obuius & expoſitus eſt, laudaui. Quanquam non deſunt, qui hunc huius non eſſe genuinum & germanum librum exiſtiment. Quibus vt ego non facile aſſenſerim, neque forte pertinaciter negarim, acceſſione vel deceſſione aliquid in ipſo opere poſtea immutatum; ita pro ijs, quæ ego hactenus attulerim, fidem meam facilè liberarim, cum multa ex eo *Beda* verbatim, & aliqua ex his quæ retuli, & alia quædam alibi, GILDAM ipſe ſibi teſtem accerſens in medium adferat.

ILLVD enimuero non diffiteor, trecentis amplius poſtea annis GILDAM alium ſub huius GILDAE nomine lectoribus fucum feciſſe, centones quoſdam mendaciorum, ex *Gaufredi* cuiuſdam officina conſarcinatos, euulgantem. Neque auſim adhuc,vel de illo alio *Albanio* GILDA eiuſque vaticinijs certum quid lectori meo polliceri; quæ forte non maioris momenti ſunt,quàm quæ ille alius GILDAS in Latinam linguam temporibus CLAVDII *Cæſaris* tranſtulit, *Dianæ* videlicet vaticinium, quod ſacerdos & vates illius *Gereon* *Bruto* olim edidit. Quò enim,vt cetera omittam, ſpectat illud vt refert, *Aquila veteri de terra loquuta*, quàm ad profanum illud *Aquilæ Sextonij* vaticinium? in quo tamen GILDAS, aut quicunque fuerit, non minus falſus, quàm aut *Virunnius* in Perdicæ præſagio accipiendo auem pro homine, aut *Galfridus* in Aquila, in quam hominem mirabili metamorphoſi transformat. Et ni fallor Merliani ludi atque vaticinij hæc portio eſt, quem ille vt alterum Eliam aut Eliſeum imprimis ſuſpicit. Atque vtinam vates ille diuinus eſſet, vt vel eius, vel etiam alterius illius hoc ſæculo *Merlini* teſtimonio, liceret hanc huius noſtræ hiſtoriæ, ſatis alioqui infœcundam portionem locupletare & ornare. Illum *Ambroſium*, qui aut hoc ſæculum attigiſſe, aut certe paulo ante defunctus creditur; hunc *Calidonium* appellant. Sed Albanij vaticinia, vt quidam tradunt, illuſtriora habentur; ſed mirum ita haberi, ex incubo enim dæmone,aut vt alij, ex ſacra virgine Veſtali nobis prodijt.

Clarius an. 480.
Clarius an 570.
Galf. Monumetenſis.

AN ita tandem, exque tam auguſtis & honoratis principijs vates prodeunt? Neque hic ego An patrem *Merlinus* habuerit quæro, quærant & differant hoc alij; ſed hoc potius, vtrùm à patre mendacij diabolo, an à patre veritatis Deo ſua ſumpſerit vaticinia? Si a Deo, erunt noſtræ, vt ſpero, eccleſiaſticæ hiſtoriæ ornamento;ſin à diabolo, faceſſere ea iubebo. Quid igitur: vatem ſe olim *Montanus*, vt & diſcipulæ illius *Priſca* & *Maximilla* poſtea, quæ viros ſuos reliquerunt, gloriosè venditabat. At vel ex eo ipſo non fuiſſe eas prophetiſſas arguit [a] *Apollonius*. Qualis ergo prophęta *Merlinus*? qui vt Rex *Vterpendragon* fœdo adulterio cum *Igerna*, *Goſlidæ* Ducis *Cornubiæ* vxore, facilius commiſceretur, Regem in *Goſlidis* formam transformauit. [b] *Montanum* & Bacchantes illius feminas vanitatis arguit *Meltiades*, quòd

Vide Io. Maiorem hiſt. Scot. lib. 2. c. 4.

[a] *Euſ l. 5. c. 18. apud Ruff.*
[b] *Galf Monumetenſis.*

rerum euentus prædictionibus illorum non responderet. Et quando (quæso) contigerunt ea, quæ de ARTHVRO vates iste cecinit? Insulas Oceani potestati eius subdet, & Gallicanos saltus possidebit; Tremebit Romulea domus fœuitiam ipsius. Hoc igitur vaticinio armatus *Gaufridus*, non *Pictos* & *Scotos* modò, sed & *Norwegiam*, atque adeo *Galliam* illi paruisse, & nouo quodam *Xerxe* exercitu Romani Imperatoris copias confractas scribit. Et quis hoc adeo miretur, cum ARTHVRVS (si fas sit credere) sub signis habuerit *Græcorum, Parthorum, Hispaniæ, Africæ, Mediæ, Libyæ, Ægypti* & *Babyloniæ* etiam Reges? Neque sanè certius quicquam astruere possum de illo altero *Merlino*. Quare non est, quod magnopere laborem aut solicitus sim, sintne duo, vt quidam; an potius, vt alij, vnus *Merlinus*.

a *Euse. li 1. c. 17. apud Ruff.*

b *In Galfrid.*

10

De DVBRITIO, ILTVTO, CONGELLO & Rege ARTHVRO.

CAPVT XIIII.

AD alios igitur transeamus, inter quos DVBRITIVS GAINIVS *Vagensis* (à solo natali apud *Demetas* ita dictus) occurrit. Qui eo loci ad ripam *Vagiæ* fluminis scholam aperuit, & inter alios *Thelianum, Sampsonem* & *Aidanum* discipulos habuit. Discipulus vero fuit *Germani* illius *Altisiodorensis*, de quo diximus, qui Christianam fidem hinc per *Pelagianos*, hinc per *Saxones* Ethnicos valde imminutam egregiè restaurauit: Contra quos DVBRITIVS lingua & libris acriter decertauit. *Landauensem* primum deinde *Cestrensem* sedem, quæ tum erat Metropolitana, adeptus est; Cui cum diù præfuisset, tandem ætate præcipitante, sponte cedens secessit in solitudinem, vbi cum discipulis, qui manuum suarum laboribus victum sibi subministrabant, placidam & quietam vitam transigens, tandem animam efflauit decimo octauo Calendarum Decembris. Ecclesiæ huic *Landauensi*, de qua diximus, DVBRITIO Episcopatum administrante, possessiones aliquot donauit *Noe* quidam filius Regis ARTHVRI è quibus est terra *Penalim* & *Landeiliaw Vaur* super ripam *Teiuei* fluminis, qui *Tuius* à Ptolomæo dicitur; Quod vetera ecclesiæ illius monumenta, quę adhuc extant Britannicè scripta, satis ostendunt. DVBRITIVS iste AVRELIVM AMBROSIVM & postea ARTHVRVM Regem diademate Regio insigniuit, & in nobili illa ARTHVRI Regis pugna contra *Saxones* vrbem *Badonis*, quæ *Bathonia* hodiè appellatur, obsidentes, præsens milites ad fortitudinem animíque magnitudinem cohortatione sua valde exacuit. Quibus & nefandum patriæ per Ethnicos illos excidium, & quàm glorioſa esset pro patria mors, quámque apud Deũ mercede sua non careret, ita ob oculos proposuit; vt insignem eo die de hostibus retulerint victoriam, quæ magna ex parte DVBRITII precibus ascribitur. Obijt deinde anno quingentesimo quinquagesimo quinto in solitudine de qua diximus, quæ *Euli* dicitur. Sed ad annum millesimum centesimum vigesimum, corpus eius ad ecclesiam *Landauensem* ab *Vrbano* eiusdem Episcopo translatum est.

Io. Capgr. Ioan. Lelandus.

Io. Priscus cont. Polydori.

ARTHVRVM vero & res ab eo gestas, etsi supra fidem *Britones* efferant, egregium tamen fuisse Principem, neque indignum, qui celebrem in ecclesiastica quoque historia mentionem habeat, existimo. Quid enim ad laudem eius speciosius dici potest, quàm quòd tot se vitæ periculis totiesque, vt Saxonum, qui Britanniam iam pænè totam & (quod magis dolendum) Christianã quoque religionem pessum dederant, tamque inuicto & infractioanimo obiecerit? Duodecies enim collatis signis cum eis congressus est, totidémque cáque splendidissima trophæa retulit. Ex quibus illud est vnum ex magis illustribus, quod apud *Badonicos* de quibus modò dixi montes, sibi erexit. In quo bello præcipuè post Deum, in B. V. MARIAE ope spem suam reposuit; Cuius imaginem clypeus eius præ se ferebat, quámque sedulò ad opem inuocabat, quæ nec eum spes fefellit: speciosam enim & mirabilem, vt dixi, victoriam ibidem adeptus est. Quid eum magis nobilitare apud Deum & homines potest, quàm quòd hac omni *Saxonum* colluuie è prouincia pænè eiecta; pietati, religioníque per eos euersæ constituendæ, templísque restaurandis se totum, EBORACI præsertim vbi potissimum hæc procella incubuerat, dedidit? Omitto munificentiam eius in multas ecclesias, præsertim GLASCONIAM, quam & antea attigimus; Quam prope in AVELLONIA sepultus est. Cuius corpus ibidem ad annum Domini millesimum centesimum septuagesimum septimum, quindecim pedes altè defossum, in arca lignea repertum est cum Cruce plumbea, cui literæ inscriptę

Henr. Hunt. li 2. Cap. 13.

Henr. Huntingd. lib 5. p. 167. & 168.

non

non eminentes & extantes, sed magis ad lapidem interius versæ, Regis sepulti nomen & locum indicabant. [a] Corporis magnitudinem & proceritatem ossa ipsa, eiusmodi sanè vt os tibiæ, procerissimi tum hominis tibiam, ad trium digitorum longitudinem superaret; & oculorum cilium, quod palmæ latitudine à seinuicem distabat, indicabant: animi vero magnitudinem, periculáque quæ pro patria & religione, vt diximus, generose sustinuerat, decem capitis vulnera, quę omnia in solidam concreuerant cicatricem, præter vnum quod grauius ceteris, & solum lætale videbatur, palam omnibus repræsentabant.

[a] Ex Girald. & assertione ARTHVRI ioan. Leland. & Polychra.

ILLVSTRIS huius Herois tempora, ILTVTVS, CONGELLVS, DAVID, MACHVTVS & alij prælati Britanni ornasse traduntur. ILTVTVS *Morganensis*, (alij ELCHVTVM vocant) spreta generis nobilitate, mundique illectamentis, ad solitariam se vitam sub DVBRITIO, vt ibi totus, impedimentis omnibus remotis, liberius Deo & cælestibus inseruiret, contulit. Eruditione & sanctitate claruit, habuitque celebres discipulos *Sampsonem*, *Paulinum*, *Dauidem*, *Gildam Badonicum* & alios. Obijt apud vrbem *Dolensem* quarto Idus Nouembris. Memoriam eius anniuersariam Cambri celebrant, estque ibi apud eos ecclesia dicata, quam sua lingua Llauiltuti id est ecclesiam ILTVTI appellant. CONGELLVM *Bannachorensem* illius monasterij Abbatem fuisse tradunt; ex quo velut ex seminario quodam, alia monasteria orta, & multa per Europam monachorum millia sparsa sunt. Discipulos habuit CONGELLVS diuum COLVMBANVM & diuum BRENDANVM, à quo COLVMBANVS monachi vestem suscepit in cœnobio Bannachorensi, qui multis postea clarus miraculis, plurima in *Scotia*, *Hibernia*, *Italia*, *Gallia*, & *Germania*, monasteria construxit; Obijt tandem ad annum sexcentesimum decimum quintum nono Calendas Decembris.

De BRENDANO *Abbate*.

CAPVT XXV.

QVAE multi de BRENDANO *Hibernico* discipulo CONGELLI, viro sanctissimo & multorum monachorum patre, qui per *Scotiam* & *Hiberniam* plurima monasteria constituit, scripsere, omittere in hac nostra historia decreui; non quòd mihi sit incredibile hæc, & his etiam maiora in Sanctis, & per Sanctos suos Deum operari: sed certo nostro proposito ad aliud tempus ea reijcientes, donec in antiquiorem aliquem, eundémque certæ fidei, temporis, atque nominis hominem inciderimus, vel aliunde, quæ ad hanc rem pertinent, expiscati fuerimus. Illud tantùm interim Christianum lectorem admonitum velim, ne omnia quæ à fide remotissima videntur, tanquam vana temerario iudicio statim explodat; Qualia sunt partim ea, quæ de insulis prius omnino incognitis ab eo repertis; partim de pisce, in cuius tergo, putans esse terram solidam, anchoram iecerit, ignémque ad suos, sociorúmque vsus accenderit, conscripta inueniuntur. Quæ de insulis nouis, nec prius visis, & admirandis quibusdam spectaculis illarum regionum produntur, verisimiliora faciunt nostri temporis historiæ; quibus intra hominum memoriam insulæ plurimæ, à nostra prius conuersatione cognitionéque penitus seiunctæ, inuentæ sunt: & tam à nostris moribus, conditione, terrisque alienæ & remotæ, vt & propter earum multitudinem, noui cuiusdam orbis figuram referant; & propter rerum admirabilitatem omnem fidem superare videantur. Sanè nec id hoc loco prætermittendum iudico, hanc de BRENDANO historiam disertè & id complecti, fore vt illæ insulæ, ad quas ille per septennij nauigationem diuino quodam ductu delatus fuerat, posteris aliquando innotescerent. Certe ab eo, quod ea historia de immani illo pisce refert, *Basilius* non valdè aliena narrat, & esse in mari *Athlantico* ingentia, & infinitæ magnitudinis cete, quæ maximis montibus corporis mole æquantur; quæ cùm ad summam aquæ superficiem enatarint, instar insularum sæpenumero apparent. *Ambrosius* vero cœtus & testitudines tantæ esse magnitudinis, vt nauigijs anchorarum stationem capientibus, instar insularum sufficiant.

In Examer. hom. 7.

In Examer li. 5. c. 11.

QVARE quemadmodum diuinam nullo vnquam tempore potentiam, ita nec temere traditas nobis à patribus ecclesiæ historias, nostris ingenijs & ratione metiri debemus. Nam alioqui, vt ne recedamus à marinis exemplis, quanta & quam incredibilia classici scriptores (vt cetera omnia omittam) prodidere, vel de remora pisce minutissimo, qui tamen nauem, inter maximos ventos velificantem, suo attactu statim sistit, quod ipso vsu antiqui

Plin lib. 32. ca. 1. Bas dict. hom. 7.

verum

verum esse deprehendêre; vel de pisce quodam in mari aquilonari, qui serpentis speciem repræsentat; tantæ tamen altitudinis & immanitatis, vt ad altissimæ nauis malum arduam erigens ceruicem, homines in summo mali consistentes miserabiliter deuoret? Quod vt certum & exploratum, à doctissimo viro *Olao Magno* Archiepiscopo *Vpsalensi*, & illarum regionum scriptore, proditum est. Sed tamen quia video multos ad importuna prodenda scriptores, nec minus lectores ad ea accipienda nimium propensos; & quia quædam hic sunt, quæ non sine causa iusta forsan suspicione laborant, tum quia vt dixi non suppetit certus vitæ illius author; nihil iam de illa admiranda velificatione referre volo. Illud vero constantiùs asseruerim, fuisse BRENDANVM singularibus dotibus illustrem, & monasticam præsertim disciplinam & ipsum accuratè obseruasse, & ab alijs obseruari curasse. Qui præter alia in *Hibernia* atque *Scotia*, cœnobium quoddam apud *Lancaruanenses* in *Cambria* posuit; cui & ipse præfuit. Adeóque eius cura & industria res monastica succreuisse traditur, vt tribus monachorum (qui suis, sibi ipsi, laboribus victum, manibus operando suppeditabant) millibus præfuisse credatur. Obijt decimo septimo Calendas Iunij sepultus in *Cluenarcha*.

De gent. septent. c. 41.

Girald. Camb. in topog Hibern.

Anno 560.

De DAVIDE *Episcopo* Menevensi.

CAPVT XXVI.

Huius vitam scripsit Kentigernus. Vid. catal. Ioannis Capgraui.

COMMENDAVIT huius viri sanctitatem orbi Deus stupendis & admirandis quibusdam euentibus, quos alij persequuntur. Mihi sanè inter alia, ob duo potissimùm sui temporis hominibus beneficia præstita suspiciendus videtur; partim quòd repullulantem *Pelagianorum* hæresim doctrina, pietatéque sua repressit, & extinxit, partim quòd monachos quibus præfuit, optima disciplina instituit imbuitque. Qui sodalitium tam pium habuit, vt non tam humanam quam angelicam vitam exigere ducerentur. In eo enim monasterio, quod in *Valle Rosina* (*Menevia* hodie appellatur) in *Demetia*, (quàm hodiè *Suthwalliam* vocant) constituxit; fuere viri magna quidem frequentia, quorum nemo aliter quam manibus operando vixit. Post certas statásque preces rursum se quisque operi accingebat. Quo absoluto residuum temporis orationibus, meditationibus, lectionibus, scriptioni impendebant. Sub noctem cælo iam stellis variegato, corpori primùm indulgebant cibúmque sumebant; adeo ab omnibus delicijs remoti, vt solis pane, aqua, oleribus, famem sitimque extinguerent. Tum rursus ibatur ad orationes, deinde ad cubile, vnde ad gallicantum erant excitandi: tum orationes ad auroram proferebantur, cum qua se omnes ad diurnum opus expediebant. His rationibus non modò totius virtutis & continentiæ, sed & liberalitatis egregium quoddam specimen dabant. Cum enim ab alijs nihil, aut certè ægrè aliquid acciperent, adeò rebus necessarijs non deficiebantur, vt præterea suo labore, magnæ multitudini orphanorum, pupillorum, viduarum, egentium, & peregrinorum prospicerent. Apostolicæ denique vitæ, & patrum, quos sub *Marco Euangelista* fuisse *Alexandriæ* constat, ipsorum actiones æmulæ fuerunt. Huic sodalitio DAVID non authoritate modò & dignitate, sed merito ipse suo præfuit, cum nemini imponeret quicquam, quod ipse detrectaret. Quantum enim potestate, tantum ceteris eminebat diligentiæ, continentiæ, ieiuniorum, orationúmque magnitudine & assiduitate, atque exactissima officiorum omnium obseruatione. Quare cum latissimè virtutum eius fama protenderetur, omnium suffragijs totius *Cambriæ* Archiepiscopus designatur: Tantúmque honoris ei tributum, vt sedes metropolitana, quæ eatenus erat apud *Cestriam*, id est, *Vrbem Legionum*, *Meneuiam* transferretur. Quo honore potita est ad tempora HENRICI primi, quando *Cambria* venit in ditionem Anglorum. Ab eo enim tempore non vt Archiepiscopus, sed vt Episcopus per *Cantuarienſem* ordinatus est; eiusque sedi subiectus. Traditur post admirandam longęuitatem, natus annos centum quadraginta septem, obijsse Calendis Martij; Qui dies non *Cambriæ* modò, sed & toti *Angliæ* in eius memoriam celeberrimus est.

Girald. Camb. in topog. Cambr.

Miracula & beneficia post sacram eius Dormitionem.

Idem ibidem.

ECCLESIA Meneuensis primùm sub nomine & ad honorem diui ANDREAE dedicata est; post tempora DAVIDIS, ipsius potissimum nomen retinuit, propter celebritatem eius in ijs locis, & stupenda per eum signa edita. Cuius generis plurima per eum viuum exhibita,

ribita, certo nostro consilio, scientes atque prudentes omisimus. Quæ tamen ne cui temerè in suspicionem veniant, vel ea, quę pro eo, vel per eum, post sacram eius dormitionē Deus designauit, facere deberent. Quę cum nęque modū neque numerum habeant, loco temporéque disiuncta, nos vnius tantùm temporis quatuor aut quinque ex hoc genere proferemus; quæ certo, digno, & partim oculato teste nituntur. Fluuius, qui præterlabitur supra memoratæ ecclesiæ cœmiterium, regnante STEPHANO, vino manauit; atque eodem tempore fons quidam, qui *Pistelderwy*, id est fistula DAVID appellatur, quia per fistulam quandam & canalem fons in cœmiterium delabitur, lacte manauit. Quod ab eo proditum est qui tum vixit, réspue illius patriæ exploratissimas habuit. Celebris habetur in *Cambria* portatilis quadam campana, quam DAVIDIS appellant. Quam cum milites apud castellum *Raidgnok* detinerent, inuita muliere quæ eam attulerat, repentè per noctem totum oppidum incendio est, præter murum vnum vbi eadem campana pendebat, absumptū. Puer quidam è nido in ecclesia DAVIDIS de *Lhanuaes*, pullos columbarios surripere conatus est; ecce verò digiti eius mox lapidi adhæsere, nec diuelli potuêre. Omnibus ad miraculum obstupefactis, præsertim parentibus & amicis pueri, cum ipsi cum puero tres dies, totidémque noctes coram altari eiusdem ecclesiæ vigilijs, ieiunijs, & orationibus se dedissent, diuinitùs puer à lapide manus auellit. Author qui hæc prodidit non modo tum vixit, sed & ipsum hominem vidit, & alloquutus est, idque ita factum fatentem audiuit: Et (quod maius est) lapidem illum in ecclesia ob memoriam rei conseruatum, vestigijs digitorum in eodem, tanquam in cera, manifestè efformatis & expressis. Apud *Lanthoheni*, id est ecclesiam sancti DAVIDIS super fluuium *Hodheni*, vel vt alij *Nanthodheni*, id est vallem *Hodheni*, est sacellum quoddam DAVIDIS Episcopi, vbi viri quidam sancti arctissimam in eremo vitam traduxere: quem locum multi sæpè spoliare ausi, insignibus infortunijs nobilitati sunt. *Mahel, Milonis* comitis de *Brethenauce* filius, Episcopum quemdam *Menenensem*, regnante STEPHANO, vi & tyrannide exegit, réspue ecclesiæ abripuit. Paulo post lapide è summa turre cadente, lethale vulnus accepit; quam sibi diuinitùs illatam rapinę suę vindictam arbitratus, restitui Episcopum, réspue ablatas iussit. Quo præsente, cum miserandum in modum casum suum deploraret, inflictasque sibi à beato DAVIDE pœnas, inter has voces expirauit.

1 *Idem.*
2 *Raidergwy.*
Idem.
3 *Idem.*
4 *Idem.*
5.

De MACHVTO, THELIAO, DANIELE, PETROCIO, SAMSONE, MAGLORIO & CADOCO.

CAPVT XXVII.

MACHVTVS *Cambrius* alias MACLOVIVS *Venedota*, ob pietatem & eloquentiam celebris est. Mater eius amita fuit SAMSONIS *Dolensis*, institutus est à *Congello*, cum *Moloco* Scoto. Deinde virtutis, & doctrinæ augendæ gratia *Brendanum Lancaruanensis* cœnobij præsidem adijt, sub quo tantos in doctrina sacra, omnique virtute progressus fecit, vt *Brendanus* in Hiberniam profecturus, eum potissimùm cum *Moloco* suo loco suffecerit. A primæuo enim ætatis tyrocinio, innumerabilibus miraculis splendidè emicuisse traditur. Profectus est postea in *minorem Britanniam*, vbi & *Alethensis* vrbis Episcopus constitutus est. Obijt, cum esset centum trium annorum, Santonis, & quiescit *Gemblaci*. Claruit ad annum quingentesimum quadragesimum ARTHVRO regnante. *Io. Capg. & Io. Lelandus.*

POST HOS celebrantur & alij *Britanni*, THELIAVS inquam, DANIEL, PETROCIVS, KENTEGERNVS. SAMSON, CADOCVS & alij. THELIAVS claro genere natus, omnem illum splendorem virtutibus suis magis illustrauit; sub DVBRITIO *Landauensi* Episcopo sacras litteras didicit, deinde postea cum DAVIDE *Menenensi* audiendo sancto viro PAVLINO vacauit. Fuit sanè DAVIDI coniunctissimus, vt quasi nobile quoddam par amicorum eo tempore censerentur. Propter virtutis & sanctitatis magnitudinem Ἅγιος (quæ vox Græcè solem notat) dictus est: vnde fit, vt vulgo corrupta voce non Elios, sed Eliud appelletur. Suffectus est postea in locum DVBRITII *Landauensis*, vbi & vita per sanctè exacta, obijt Idibus Februarij. Claruit sub VORTIPERIO ad annum quingentesimum quadragesimum. Cuius non dignitatis modò sed & virtutis, doctrinæ, & signorum successor fuit ODOCIVS, qui obijt sexto nonas Iulij. DANIEL verò virtute doctrináque

præclarus, coniunxit se cum DVBRITIO & DAVIDE ad profligandam pestem illam PELAGIANAM tum reuiuiscentem. Præclarum instituit collegium in *Arwonia Venedotarum* regione, vbi & primus Episcopus constitutus est, *Bangoriam* nunc appellant. Claruit ad annum quingentesimum sexagesimum sub VORTIPORIO Est quædam in *Cambria* insula, quam [a] *Cambri, Scoti, Angli Rardseiam* appellant, in qua traditur DANIELIS, & multa aliorum Sanctorum corpora quiescere. Illud autem simul constanter traditum est, homines eius insulæ ad vltimam vsque, decrepitámque ætatem peruenire. Nec desunt qui id Sanctorum meritis (quos ibi sepultos constat) tribuant.

[a] *Girald. Camb. in top. Hiberniæ.*

AT PETROCIVS [b] *Cermus* cum viginti totos annos in *Hibernia* diuinis literis operam dedisset, sacris his mercibus abundè instructus patriam repetit, & in cœnobio non ita procul à *Sabrino* flumine, quæ didicerat alijs ingenuè, & liberaliter communicat; inter quos illustriores fuêre CREDANVS, MEDANVS, & DACHANVS. Claruisse fertur sub MAGLOCVNO siue MALGONE ad annum quingentesimum sexagesimum, & migrasse ad Dominum pridie nonas Iunij: Cuius memoriam ecclesiæ illi dicatæ & conseruant, & honorant. Cuius monumentum est apud vrbem *Bosuenuam* celeberrimum *Cornubiæ* emporium.

[b] *Capgraue.*

SAMSON [c] deinde consanguineus MACLOVII sedem *Menenensem* adeptus est, ILTVTI discipulus, eiusque monasterij post *Isanum* præses. Sæua illis temporibus lues, quam medici ictericiam pestem appellant, *Cambriam* depopulabatur. SAMSON quidem expedito & parato animo fuit ad mortem, sed suis vrgentibus nauim conscendit, & venit in *Armoricam* Britannorum iam sedem; vbi, vacante Episcopatu, *Dolensis* factus est Episcopus: detulit vero secum pallium, quo ecclesia *Menenensis* cohonestabatur, vnde euenit vt *Dolensis* postea Episcopus, pallio vteretur; donec non ita multo ante tempora HENRICI primi Regis Angliæ, id ad *Turonensem* sedem translatum fuit. Ad cuius tempora *Menenensis* ecclesia eo semper honore potita est, ceterique *Cambriæ* Episcopi eius sedis Archiepiscopum, neque alium quemuis metropolitam agnouere. Episcoporum vero qui à DAVIDE ad SAMSONEM interuenerunt, res gestas minimè, sola hodie nomina tenemus. Fuere igitur *Kenaut, Eliud, Kenen, Morual, Harwuen, Elmaid, Gurnen, Thumord, Gorniſt, Gugann, Cledamir, Aunuan, Eluoed, Etheleuij, Elanc, Maiscoir, Saderumen, Noruall, Asor, Aser, Archuail, Idmalanu*, deinde SAMSON, qui doctrina & virtute plurimum enituit. Obijt quinto Calendas Augusti, ad annum quingentesimum sexagesimum, regnante MAGLORIO *Britanno*; successorem apud *Dolum* sibi constituit MAGLORIVM Britannum & consanguineum, comitémque ante indiuulsum: Sed ille maluit postea ad austeram priuatã solitariámque vitam redire. In qua obijt nono Calendas Nouembris, illum Psalmi versiculum aliquot ante obitum dies semper repetens; *Vnam petij à Domino, hanc requiram, Vt inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ.* Corpus eius in cœnobio ipsius nomini dicato, Parisijs hodie conseruatur & honoratur. Celebratur etiam ad hæc tempora CADOCVS, monasterij *Lancaruanan* (ita appellant, quod in illo opere inchoando ceruos familiares, obedientésque haberet) author; Cui *Ellenius* à tali præceptore nihil degenerans successit. Obijt ad annum quingentesimum septuagesimum, sub MAGLOCVNO nono Calendarum Februarij. Memoriam CADOGI ecclesia in honorem eius apud *Corinniam* constructa ad hunc vsque diem conseruat.

[c] *Sigeb. & Capg.*

Psalm. 26.4

De

De KENTIGERNO, PATERNO, CVNGARO, IVSTINIANO *martyre*, KENEDO, *& quibusdam sexti saculi Episcopis.*

CAPVT XXVIII.

KENTIGERNVS Regis *Pictorum* LOTHI filia, diua THAMETI (aliàs Themi) ortus, quam nobilis quidam, & vt quidam arbitrantur *Eugenius*, vi oppressit; maculam (si quam tamen contraxit suis natalibus) ita omnem deleuit, vt merito cum quocunque huius sæculi viro sancto conferri posset, virtutis, continentiæ, doctrinæ singulare exemplum. Educatus & institutus est à *Seruano* viro pio, qui eum adeo diligebat, vt *Mungha*, id est charissimum amicum, semper posteà appellaret. Quod ei postea nomen semper apud vulgus insedit, eóque nomine passim in illis regionibus colitur. Vestitu, victu, Ioannem quemdam Baptistam referebat, pelllibus caprinis tectus, sæpe toto triduo ieiunans, & tum quidem ea, quæ erant obuia & exposita, comedens. Carnibus & vino in totum abstinens. Somno modico vtebatur, pro puluinari lapidem capiti subijciens. Accedebat ad hanc austeritatem cilicium, quo carnem domabat, & atterebat; pedes, non eques oppida concionando obibat. Infinitos Christo lucrifecit, præsertim *Athalos*, *Calidonos*, *Horrestos*. *Pelagianos* fortiter aggressus est & profligauit. Nec tantùm idolatriam reliquáque animi pestes, sed & corporum morbos diuina virtute à multis depulit. Quare omnium consensu ad primariam sacri magistratus sedem *Glascuensem* vocatus est. Notitiam cum COLVMBA, sanctissimo illius temporis viro, consuetudinémque magnã habuit. Nongentis in monasterio fratribus præfuisse traditur, è quibus trecenti illiterati planè pecoribus pascendis mancipati, alij totidem pauperibus curandis, hospitibus excipiendis, cibarijs præparandis, alijsque domesticis negotijs addicti. Ceteri doctiores cultioréque, precibus, lectionibus, concionibus scriptionibúsque, & id genus exercitijs vacabant. E quibus alios aliò amandabat, seminandi & propagandi euangelij causa. *Albania* postea relicta, in *Cambriam* peruenit, docuítque *Eluia* seu *Elgua*, apostolicámque planè ibi societatem instituit. Ita à mari Scotico, fluminéque Fordensi, sancti viri prædicatio omnia loca impleuit. Imminentem *Britannis* euersionem per *Anglos* perfidos apertè prædixit: fore tamen vt tandem omnia ad meliorem statum renouarentur. Reuersus deinde ad patriam, in *Albania* sacram Christo animam commendauit, circiter annum Christi nati quingentesimum sexagesimum, *Glascua*, Idibus Ianuarij.

Capgr. Hist. Bert. l. 9.

PATERNVS vero patriã habuit *Armoricam*, id est *minorem Britanniam*, parentésque nobiles. Sed ille veram & genuinam nobilitatem in virtute sitam arbitratus, contemptis omnibus, quę stultè mundus admiratur, nudus nudum Christum sequutus est. Et ne eum necessarij sui inuenirent, in *Hibernia* ignotus & exul viuebat. Adijt deinde *Cambriam*, vbi maxima fuit sanctitatis & authoritatis eius opinio. Qua ducti regionis illius principes ad bellum exciti, in gratiam redierunt. Multa monasteria pro sanctis viris, vt Deo vacarent, per totam *Ceriticam*, quam nos *Cardiganum Comitatum* appellamus, condidit. Magna scinuicem amicitia DAVID, THELIAVS & PATERNVS deuinxerunt. Accitus est tandem in *Britanniam minorem*, vbi eum SAMSON magna, vt par erat, veneratione coluit; vbi decessit decimo septimo calendarum Maij. Armoricani tres celebres & statos dies in eius memoriam obseruant: Calendis Nouembris, quibus dissidentes vt diximus principes in gratiam reposuit; † duodecimo calendarum Augusti, quando in Sacerdotem est initiatus; postremo, eum quo obijt diem *Cambrenses* etiam stata memoria, ecclesiáque ei dicata; quam sua lingua *Llanpaternan*, id est, ecclesiam magni *Paterni* vocitant, magno eum quotannis honore prosequuntur.

Capgr.

† *Aliàs decimo.*

CELEBRIS fuit CVNGARVS, quem *Docuinum Cambri* appellant, sub DVBRICIO Episcopo, multorúmque monachorum præfectus, qui vnum monasterium condidit in *Cambria* apud *Glormanciam*, alterum in *Comitatu Somersæti*, quod hodie ab eo *Congesburiam* dicunt, Regum munificentia multis postea possessionibus auctum. IVSTINIANVS claro genere, insigni doctrina sacerdotíque dignitate amplificatus, in *Britanniam* solitudinis contemplationísque diuinæ studiosus, patria relicta alibi vitam duxit, & inter alios DAVIDIS Episcopi consuetudinè iucundissimè vsus est: similem enim (quod habet prouerbium)

Capgr.

bium) agit Deus ad ſimilem. Cuius ſanctitatem non ferens dæmon, nefarios quoſdam excitauit, qui neſcio qua rabie affecti innocentem, & ſanctum virum trucidarunt; corpus eius per DAVIDEM ad *Menenuiam* delatum eſt. KENEDVS claruit cum DAVIDE, THELIAO, & PATERNO in *Cambria*. Obijt vero Calendis Auguſti: Recenſentur vero inter *Londinenſes* quinto ſæculo Archiepiſcopos [a] *Guithelinus*, & ſequenti ſæculo [b] *Theonus*. Inter *Eboracenſes* autem ſexto ſæculò [c] *Samſon*, [d] *Pirannus* & *Thadiocus*, [e] de quibus *Matthæus Weſtmonaſterienſis* quædam tradit, quæ ex *Galfrido*, *Monemethenſi* ſumpſit. Apud eundem *Galfridum* reperies *Thebam* presbyterum *Landauenſem*, *Samſoni Dolenſi* apud *Armoricos* ſucceſſiſſe, *Mangeranium Siriceſtriæ*, *Diuinianum Wintoniæ*, & *Ealdelmum Alclud* (qui locus vbi ſitus ſit in *Anglia* nondum comperi) Epiſcopum.

a *Florilegus anno 485.*
b *ibidem anno 586.*
c *Idem anno 490. 505.*
d *Idem anno 522.*
e *Idem anno 586.*

HISTORIÆ

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ ANGLICANÆ SEPTIMVM SÆCVLVM.

DE CAVSIS EVERSÆ PER SAXONES BRITANNIÆ, *& mirabili Dei prouidentia, qui tam eos, quàm alias Gentes Ethnicas in Occidente, ad fidem Christianam traduxit.*

CAPVT PRIMVM.

RES BRITANNIÆ ecclesiasticas, ex probatis veterum aliorúmue monumentis, anxiè vndique disquirens, ad septimum vsque iam sæculum, in nostrum hoc opus, cum temporum distinctione perpetuáque serie, lectoribus nostris ita subiecì, vt nihil certè (credo) eorum, quæ illustriora videantur, in quæ scrutando & legendo incidere potui, illis subduxerim. Res vero tam ciuiles quàm sacras, per centum quinquaginta annos à perfida *Saxonum* gente, in BRITANNIA vndique exulceratas, exagitatas, tandémque prorsus euersas, quarum in hac nostra historia narratio locum suum necessariò habere debet, studio hactenus suppressimus; partim, vt quasi vno obtutu tam inuidioso & tristis lectionis tædio lector defungeretur, vno (vt ita dicam) hausturus quasi catapotia deuoraturus; partim, vt deiectum ac debilitatum fortè, & infractum ex tam luctuosa, & tragica narratione eius animum, læta & iucunda, ex salutari & sacra rerum, quæ statim subijcietur conuersione, lectio erigeret, reficeret, & recrearet. Incurrebat itaque primò in patriam barbarica hæc lues, ad annum Christi quadringentesimum quadragesimum nonum, grande & decumanum sanè malum, sed tamen accersitum; accersitum inquam non solum ex peccatorum multitudine & grauitate, quibus vndique Principes, populus & Sacerdotes diuinam maiestatem exacerbare, atque ad vindictam lacessere nunquam cessabant: sed & eo quoque ipso, quòd *Saxones*, homines à Dei timore omníque Christiana pietate prorsus abhorrentes, non tam se vltrò ingesserint, quàm à *Britannis* accersiti ad auxilium contra *Scotos* & *Pictos* fuerint. Quod quidem ipsum grande piaculum fuit, cum non in diuino sed humano, & talium præsertim hominum, auxilio acquiescerent. Neque tamen interim vel placandi Dei, vel vitę emendandæ vllam seriò rationem meditarentur. Multa, ex huiusmodi profanis auxilijs, tristium euentuum exempla antiquitas nobis suppeditat. Vrbs [a] *Hispania* septimo hoc sæculo Christianis erepta est per *Saracenos*; ita auorum nostrorum [b] *Constantinopolis*; ita nostra memoria maxima [c] *Hungariæ* pars Turcico imperio accessit.

a *Michael Ritius de Reg. Hispania.*
b *Leonicus Chalcocondyla.*
c *Paul. Iouius.*

POTERAT certè VORTIGERIVS Rex, totiusque huius de *Saxonibus* introducendis consilij princeps, iusti, ex suo hoc facto, timoris causam ex sacris literis didicisse. Poterat *Ezechiam*, laudatissimum alioqui etiam diuino testimonio Regem, sed hic incautum & humanùs aliquid passum, ad cauendi exemplum sibi rapuisse. Qui cum thesauros suos nuncijs Babylonici Regis *Babyloniæ* ostendisset, audijt à Propheta, & eos omnes, & populum quoque caiuum eò transferendos. Poterat & illud Oseæ ad memoriam reuocasse, *Vidit Ephraim languorem suum, & Iuda vinculum suum, & abijt Ephraim ad Assur, & misit ad Regem Vltorem, & ipse non potuit seruare vos, nec soluere poterit à vobis vinculum.* Et rursus. *Ægyptum inuocabant, ad Assyrios*

4 *Reg.* 20. 13. & *seqq.* *Oseæ* 5. 13. & *seqq.*

vios abierunt, & cum profecti fuerint, expandam super eos rete meum, & quasi volucrem cæli detrahaм eos, cædam eos secundum cœtus eorum. Væ eis quoniam recesserunt à me: vastabuntur, quia prævaricati sunt in me; & ego redemi eos, & ipsi locuti sunt contra me mendacia, & non clamauerunt ad me in corde suo. Et mox; *Cadent in gladio principes eorum, à furore linguæ suæ: ista subsannatio eorum in terra Ægypti.* Quod igitur Israëlitis ab Ægyptijs & Assyrijs, à quorumauxilijs pendebant, hóc VORTIGERIO & posteritati eius à *Saxonibus* planè contigit. Quippe quos acerbissimos sibi, patriæque postea hostes habuit: conuersis in ipsos BRITANNOS armis, quæ prolixis contra *Scotos* & *Pictos* stipendijs redemerant. Et quanquàm res ex hoc eius præcipiti consilio in eas deuenisset angustias, iámque verè in eum illud prouerbij quadraret, Turdus ipse sibi cacat malum; potuisset se forsan ex his malis vtcúmque expedire, vel animi magnitudine, fortiter erga hostes, vel seria pœnitentia, piè erga Deum agendo; vt si non honestissimè, iustiore tamen loco stetisset. Sed ille & ignauia Remp. & nefandis flagitijs seipsum pessum dedit, talémque se præstitit, vt nisi vltrò eos acciuisset, *Saxones* (aut ijs peiores) vltor credo ipse Deus in eum immisisset. Pudor meus & Christianarum aurium reuerentia vix talia me proferre patiuntur. Legem enim, ad quam non tam doctum quam factum, nec tam institutum, quàm imbutum est genus omne humanum, nefariè infringens; in [a] filiæ incestos amplexus ruit. Neque hic stetit impudens adulter & Christiani matrimonij nefarius proditor, sed & *Hengisti Saxonum* Principis filiam *Ronicem* vxorem sibi asciuit.

Osee 7. 11. & seqq.

a Gul. Malmesb. lib. 1.

HAEC, etsi pænè incredibilia, à bonæ tamen fidei authoribus produntur, & credibiliora sanè fiunt ex priorum & subsequentium principum, populíque totius scelerata vita; qui ne tum quidem, cum iam barbari maiori insulæ parti insedissent, aliquem sibi ad extrema quæque flagitia admittenda locum relinquebant; vbi [b] nullus veritati, summus vero assentationi mendacijsque locus dabatur. Vbi ea fornicatio, quam nec inter Gentes audiri dicit [c] Apostolus, locum haberet; vbi nec populus, nec Princeps, nec Sacerdotes officium vllo modo facerent; vbi Principes ipsi fœdis omnia fornicationibus & multiplici coniugio, mendacijs, periurijs, pios expilando, impios ad summos honores efferendo, iúsque ad gratiam inflectendo, & vota ad sancta altaria religiosè concepta infringendo contaminarent. Ex his erat CONSTANTINVS, ARTHVRI successor, qui regios pueros ad sacrosancta altaria, contra religiosã suam contestationem, de medio sustulerat, sedémque cælestis sacrificij nefario homicidio conspurcarat: séque totum priùs fœdo adulterio, iusta reiecta vxore, polluerat. Nec multo quidem eo meliores fuére AVRELIVS, CONANVS, & VORTIPORIVS. Fuit & MAGOCLVNVS auunculi homicida, quique non legitimam modò vxorem reiecit, sed & vxoris germanam, quæque suam Deo viduitatem ad perpetuam continentiam religioso voto consecrarat, in eius locum nefario incestu asciuit. Et hæc quidem expiari forsan potuissent, si monachum, quem conscientiæ carnificina ex peccatorum memoria tortus, saluberiter ad pœnitentiam capessendam perpetuæ vitæ palam induerat, perfidè non exuisset. Quem vbi semel excussit, quasi vnâ cum cucullo omnem simul pudorem, humanitatis sensum, pietatis denique memoriam exuisset; ad infanda quæque delapsus, & nuptias, licet ob præsentis monachatus votum nullas repetit; easdémque eadem qua cucullum facilitate excutiens, aliam, marito viuente, idque adeo fratris filio, inaudito scelere sibi adiunxit. Móxque tam multiplici, támque fœdo adulterio, duplicis parricidij fit accessio, qua & fratris filium, & priorem vxorem nefariè de medio sustulit.

b Gildas.

c 1. Cor. 5. 1.

HAEC & alia id genus GILDAS monachus, qui *Sapientis* ab omni posteritate nomen adeptus est, *Britannus* & ipse, in suis *Britannis* vitia notat, & Principes adhuc superstites, ob eadem graui acerbáque oratione castigat, & ad pœnitentiam inuitat. Nec Cleri ille illius temporis peccata dissimulat, qui magis lucro & ventri, quàm animabus suorum rectè instituendis & formandis studeret; qui mendacia pro veritate amplecteretur; qui nulla erga tenues & inopes misericordia tangeretur; qui os ad populi peccata castiganda non aperiret; aut si aperiret, quantum dicendo proficeret, tantum improbo vitæ exemplo aliunde noceret; qui iniuriarum impatiens foret; qui rarò sacrificaret; rarò puro corde inter altaria staret; qui largitionibus & ambitione *Simonis Magi* instar, ad ecclesiasticos honores obreperet; quique externas in domum suam mulieres introduceret; quique (vt verbis eius vtar) *Iudam* quodammodo in *Petri* cathedra domini proditorẽ, ac *Nicolaum* immundę hęreseos adiutorem, in loco *Stephani* mártyris statueret. Quis igitur miretur si istos homines, sui tandem mores vlti sint, & si virgam furoris Domini *Saxones*, in suum sibi malum iustámque vindictam accersierint? Quæ non priùs sæuire grassarique desijt, quàm *Britannos* omnes aut ad graue, pudendúmque

tam

tam animæ quàm corporis iugum ; aut prorsus extra patriam , aut certè intra remotissimos, & angustissimos *Cambriæ* fines pepulisset. Grauem dices vindictam, nec diffiteor, sed tamen intra meritum; in qua & illud iam vtrímque impletum videtur, quod olim dictum erat; *Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum, & qui contemnunt me, erunt ignobiles.* Et mox. *Non auferam penitus virum ex te ab altari meo.* 1. Reg. 2 30. 33.

CLAMABIS, Miserandam rerum conditionem, cum populus & Sacerdotes passim, mulieres & infantes iugularentur; cum templa altariáque vbique euerterentur; cúmque totius Christianæ fidei, nisi in illis, de quibus dixi, terrarum angustijs professio è medio sublata esset. Sed tamen æquiorem te credo habebimus, cum cogitaris tantam esse Dei potentiam, vt possit de malo bonum elicere; tantámque adeò misericordiam, vt nec malum serpere sineret, nisi aliquod etiam ex eo bonum proflueret: æquiorem te inquam habebimus, cum cogitaris & demeritam BRITANNIS à diuina iustitia pœnam per *Saxones* irrogatam, & eos ipsos maturius ad Christum traductos; qui si in patria sua resedissent, postea trecentis forte annis nihil de Christo, eiúsque religione percepissent, neque ante ea tempora, quibus sub CAROLO *Magno Saxonia* Christo initiata est. Atque hic diuinam prouidentiam nos præsertim ANGLI, & agnoscere, & quantas mens nostra potest capere, laudibus officioſi amplificare debemus. Quam & [a] *Franci, Germaniæ* quoque è *Franconia* populus, qui eodem sæculo quo ANGLI BRITANNIAM, nec minore hominum pietatisque infestatione, Gallias vastarant, amplissimè senserunt. Quippe qui, vix toto eodem vertente sæculo, Christo se addixere. Quæ nihilo quidem minus liberalis fuit in [b] *Longobardos*, qui *Italiam* sæuissima depopulatione euerterunt, qui & ipsi non ita multo post, & eodem fere tempore quo ANGLI, Christo nomen dederunt. Quæ, & alia id genus diuina sua beneficia munificè in ecclesiam suam benignus Deus effudit; vt quemadmodum cum eum Iudaicus, peculiaris ac selectus alioquin, olim populus reiecisset, Gentes substituit, quæ recta in Christum fide hanc ruinã supplerent; ita MACHOMETO, qui ad prima fidei nostræ in ANGLIA susceptæ tempora [c] exortus est, eiusque discipulis, qui paulo post magnam *Asiæ* & *Africæ* partem à Christo, ad *Saracenorum* superstitionem auertêre, has, quas diximus, & alias, quæ post hæc tempora passim in Occidente ad Christianam fidem conuolarant, Gentes opponeret. † *Germanos* dico, *Bulgaros*, *Roscos*, *Polonos*, *Hungaros*, *Dacos*, *Sueuos*, *Prussos*, *Lithuanos*, & alios.

a Paul. Æmil. de reb. gestis Francorum li. 1.

b Paul Diac. in hist. Longobardo li. 4. c 2.

c Natus anno 517 Math. Palmerius in chro.

† Aliàs Seruianos.

ATQVI tanta est etiam nostra memoria cœlestis huius beneficij magnitudo, vt nesciam, si subducas mundi architecturam & fabricationem, Christi Apostolorum & CONSTANTINI Magni tempora, an Deus maius vnquam aliquid orbi repræsentarit. Quo in Gentes prorsus prius idololatricas multo à nobis remotissimas, imo in eas, quæ vbi, vel an prius extiterint, ne fando quidem audiuimus, quæque magnitudine sua nouum nobis orbem referunt, sacrosancta Euangelij promulgatio vbique diffusa est. Nouum illum *Carolinum* orbem intelligo. Qua de re, quoniam, vt ille ait, melius est tacere quàm pauca dicere, satis erit hoc loco admonuisse. Superest iam igitur, vt tantum hoc in nostra ANGLIA Dei beneficium, quando, & quo modo ortum sit, quósque ad nostram vsque memoriam successus habuerit, ceteráque, quæ ad ecclesiasticam nostræ Gentis historiam accommodata sunt, suis quæque locis & temporibus ordinatim distinctéque subijciam. Eámque iam commodiorem aptioremque vt puto rationem tenebo, vt, quoniam antequam ANGLIA ad vnius monarchiam coaluerat, in *Saxonum* Principatus siue Regulos, † diuulsa sit, seorsim singulos, cum fidei nostræ incrementis, eo vsque donec reliqua in vno *Visisaxonum* regno consolidata sunt, persequar; *Cantianos* inquam, *Orientales Saxones*, *Orientales Anglos*, *Visisaxones*, *Australes Saxones*, *Mercios* & *Northumbros*, quorum regio *Berniciorum* & *Deirorum* regna complectebatur. Qua in re neque regnorum, neque ortæ in illis fidei Christianæ, quæ tamen per omnia illa regna hoc sæculo sparsa est, quæ duobus prioribus sæculis varijs temporibus constituta sunt, sed illam, quam diximus, rationem ordinémque, nostro ni fallor proposito satis accommodum sequimur. Ob id vero *Australes Saxones*, *Visisaxonibus* subiecimus, quia licet post *Cantianum*, illud præ alijs regnum exortum fuerit, quasi tamen præcox, facilè caducum & vietum redditum sit, & ad *Visisaxones* translatum, neque alium aliquamdiu quàm *Visisaxonum* Episcopum agnouêre.

† Aliàs diuisa

De primis CANTIAE *Regibus, & quo modo* GREGORIVS *primus Papa, quáue ex occasione in* ANGLIAM *proficisci cogitarat, Euangelij prædicandi ergo.*

CAPVT II.

Gul. Malm. de regibus.

BRITANNIA atque primùm per CONSTANTINVM *magnum*, tum per MAXIMVM tyrannum, moxque per CONSTANTINVM *alterum*, solo nominis lenocinio commendatum, omni ferè iuuenili robore, ad merenda stipendia disciplinámque militarem idoneo, exhausta; reliquóque, quodcúmque superfuerat, per continuas grauésque *Scotorum & Pictorum* incursationes magis exinanito: auxilij specie accersiti *Saxones*, vbi secundis aliquot prælijs se in gratiam BRITANNORVM insinuassent, séque iam nouis quotidie ex *Saxonia*, vberioris præsidij BRITANNIS adferendi prętextu, subsidijs munijssent; nostros lacessere etiam, & adoriri insidijs longùis introrsum propellendo; suósque, quibus insederant, fines latiùs extendere nunquam cessarunt. *Hengistus & Horsus* duces eorum, qui primùm appulerant, fuere. Qui paulo post, toto *Cantio* BRITANNIS depulsis, sedem sibi, principatúmque ibi constituere. Quem semel partum sibi suísque constanter retinuere, & ad *Ostam, Otham Emericum Ethelbertúmque* atque alios transmisere. Fuerat *Hengistus* abnepos (vt à quibusdã traditur) WODEN Illius, à quo omne ferè barbararum gentium genus originẽ suam trahit; cuique quartum Hebdomadæ diem, quem *Wodnesdaye*, vt & vxori eius *Freæ* sextum, quem ANGLI *Fridaye* appellant, præ sua superstitione dedicarunt. Creditur esse is, quem *Latini* [a] *Mercurium* appellant. Quo fit vt eorum sententiæ accedere nequeam, (temporum, ni fallor, ratione aduersante) qui eum *Mercurij* abnepotem constituunt.

[a] *Paul Diac. de gestis Longob. lib. 1. cap. 8.*

ET glorientur (si modo sunt hodie qui gloriantur) de suo *Wodeno Mercuriõue*, qui velint, ego vero de ETHELBERTO nostro multo magis gloriabor, qui primus omnium ANGLORVM, superstitionem illam omnem Mercurio, alijsque idolis sacrilegè consecratam euertere, atque excindere sedulò conatus est. Occasionem tanti boni ex venalibus ANGLORVM pueris ortam aiunt. Quos cum [b] GREGORIVS fortè Romæ vidisset, venusta & decora forma, & audisset dici ANGLOS homines Ethnicos ex prouincia *Deirorum, Allamque* eorum principem; multum indoluit eorum cæcitati, & commodè atque festiuè simul singulas voces arripiens, asserendos aiebat atque eruendos ab ira Dei: angelisque per veram fidem consociandos, Alleluiáque in ea prouincia Deo optimo maximo canendum. Mox summum Pontificem interpellauit, vt eo delegaret homines, qui Dei causam in ea prouincia promouerent, neque se eum laborem recusare palam contestatus est. Pontifici nemo omnium visus est, ad hanc cælestem Legationem obeundam, illo accommodatior. Quam ille impositam parato promptóque animo suscepit, iamque iter ingressus erat, cum ecce tumultu Romæ exorto per populum, qui eius desiderium absentiámque ferre non poterat, à Pontifice reuocatur. Sed licet impedimenta ista interuenissent, quæ eius iter intercluderent, nec ita multo post summus ipse Pontifex designatus esset; priores illas, sanctásque de nobis cogitationes neutiquam deposuit, neque prius conquieuit, quàm per Augustinum prouinciam Deo consecrasset. Quare venerabilis Bedæ exemplum sequuti vberius de eo iam pertractabimus, cum præsertim nostræ gentis Apostolus habeatur. Quo tamen remoto, cum fuerit totius ecclesiæ pastor, & talis pastor, non erit spero, vel à lectoris commodo, vel ab ecclesiasticæ nostræ historiæ scopo alienum, si fusiorem de eo narrationem contexerimus.

[b] *Bed. lib. 2. c. 1. Gul. Malm. de Reg. lib. 1. Ioan Diac. l. 1 de vita Greg.*

Beda lib. 2. cap. 1.

De

De prædicto diuo GREGORIO, *aliisque huius sæculi Romanis Pontificibus, deque Imperatoribus &* CANTIAE *hoc sæculo Regibus.*

CAPVT III.

POST GREGORIVM hoc sæculo successêre SABINIANVS, BONIFACIVS tertius & quartus, DEVS-DEDIT, BONIFACIVS quintus, HONORIVS, SEVERINVS, IOANNES, THEODORVS, MARTINVS, EVGENIVS, VITALIANVS, ADEODATVS, AGATHO, BENEDICTVS, IOANNES, CIMO, SERGIVS, hi vero Romano prefuêre Imperio *Mauricius, Phocas, Heraclius, Constantinus, Constans, Constantinus Poganatus, Iustimanus, Leontius*. In CANTIA vero post ETHELBERTVM regnarunt EDBALDVS, ERCOMBERTVS, EGBERTVS, LOTHARIVS, EADRICVS, WITHREDVS, & SIVARDVS. Sed iam vt promissioni nostræ satisfaciamus, GREGORII vitam attexamus. Si instituti compendij ratio sineret, lubens redundare, atque vbertim diffluere orationem in tanti Præsulis laudes paterer; lubens iusto prolixioréque opere vitam eius omnem, nisi eam alij iam præoccupassent, prosequerer. Ceterum tantas in tanto Præsule virtutes, tanta ornamenta, vel per transennam videamus. Imitemur saltem illos, qui in tabella orbis vniuersitatem, non sine voluptate, spectantiúmque vtilitate oculis subijciunt. Atque hic tuum imprimis ô *Roma* bonum agnosce, atque tantũ heroa gnauiter imitare. Multa sunt quæ te ad nominis tui æternitatem perennibus monumentis commendarunt, Reges tui, Dictatores tui, Consules tui, Imperatores tui, trophæa tua, Imperiúmque Orbis in te fixum. Quæ tua ceteráque antiquitatis tuæ monumenta, multi copiosè, eleganter, doctè, támque accuratè perscrutati sunt, vt nullus pænè apud te sit lapis, nullum marmor, nullum sepulchrum, quod non sit animaduersum, notatum, excussum. Sed nolim te hic nimium hærere, nolim te oculis, auribus, mente, cogitatione nimium hic defigi. Traduco te ad maiora & præstantiora tua decora, & vt reliqua omittam, ad vnicum tuum, qui vel reliqua ferè omnia solus superat, GREGORIVM. Nec tamen tam tuum quam nostrum, nostrum certe, quia non modò vt reliquo orbi, ita & nobis Authoritatis & virtutum suarum facibus præluxit, sed quia nos Christo primum per AVGVSTINVM genuit: tuum tamen, quia tuus ex tuis, quia tu eum genuisti, formasti & Pontificij supremi insulis decorasti. Agnosce itaque, atque feliciter imitare, vt dixi, tuum tantum bonum, non ascititium sed natiuum, tuum tantum non aduenticium sed domesticum decus. Agnosce ex sancta radice generosissimam baccam. Quid enim GORDIANO eius patre in omni nobilitate aut virtute illustrius? Quid matre SILVIA sanctius? Sorores eius TARSILLAM atque ÆMILIANAM præter summas vitæ virtutes, cælestia in exitu miracula commendarunt. Ecce & atauum eius FELICEM, ter felicem tuum, ô *Roma*, & sanctissimum *Aaronem*, vt meritò perpetuetur in GREGORIO non virtutum modò, sed & Pontificij glorioſa successio. Ceterum, ne non tam formatus quàm natus ad Pontificium, vel hereditario iure, vel ciuium suorum violenta, siue sinistra affectione illud inuolasse videatur, cui nulla nisi per virtutem debetur successio; perficiendum mihi est, vt appareat non tam aliena, quàm sua virtute nixum, nec tam alieno beneficio, quàm suo merito ad eum locum perductum, quo in rebus humanis sol nihil vidit augustius.

Vitam Gregorij partim ex Ioan. Diacono, qui postea fuit summus Pontifex, partim & maximè ex ipsius libris descripsimus.

SANCTE itaque à sanctis parentibus educatus, & ad capiendum disciplinas ingenijque cultum traditus, diligentiæ ingenijque magnitudine reliquos discipulos, longò virtutum doctrinæque interuallo, post se reliquit. Patre deinde mortuo, nactus iam plenam rerum suarum administrationẽ, non modò Prætoris vrbani, quo magistratu fungebatur, insignia, sed reliquum omnem mundi splendorem deponens, ad pauperes ornandos, monasteriáque vniuersum studium, beneuolentiam, opes, possessiones, quas abundantissimas à patre accepit, promptissimè contulit: atque vt prudens paterfamilias rectè apud se cogitans, quod vulgari senum prouerbio iactari solet, fragilem sine peculio pecuniam, omnem pecuniam tanquam peculium in cælo reposuit. Sex primũ monasteria in *Sicilia* ædificauit, prouentibúsque idoneis muniuit. At multi, dices, monasteria multa de suo ædificarunt. Est ita. At GREGORIVS non tam opes, quàm omnem illarum affectionem desideriúmque, & semetipsum penitùs abdicauit. Septimo enim monasterio Romæ structo (in quod paternam domum conuertit) ille non reliquam modò substantiam, sed & semetipsum tradidit. Atque ita licet patriam nunquam egressus, vt olim *Abraham*, non minore tamen laude, in sua ciuitate, eadémque ceterarũ regina vt peregrinus, vt exul, vt omnium hominum abiectissimus degebat. Neque sustinuit, cum ad id à fratribus

tribus vocaretur, præfecturam illorum gerere, sed futurus quandóque orbis magister & Pontifex, voluit primum rectè parendo discere, quo modo postea alijs rectè imperaret. Prima itaque monasticæ pietatis rudimenta, sub auspicio *Hilarionis* Abbatis, & *Maximiniani* deinde deposuit. Postea cum præclarum se dedisset discipulum, rogatu fratrum præfecturam quoque, vt in eo ad maiorem magistratum præluderet, suscepit. Quo tempore quantus virtutum inter monachos prouentus factus est, *Antonij*, *Gerontij*, *Merili*, *Ioannis*, & aliorum exempla abundè declarant. Cuius monasterij Deus ipse tantam gessisse curam videtur, vt nihil ferè esset in cogitatione cuiusquam tam reclusum, quod Gregorivm lateret. Neque ferè tam graue quisquam in Deum quicquam admitteret, quod non Gregorio deprecante condonaretur. Ita ex fratribus, qui à monasterio transfugere cogitabant, alter à dæmone, alter à cane inuasus, qui se clamabat atro cani vt deuoraretur obiectum, Gregorii precibus periculo omni explicati sunt. Idem eius beneficium alius sensit, excusso dæmone qui eum vehementer agitauerat, postquam furtim monasterij pecuniam intercepisset.

E Monasterio quidam clam se proripuerant, &, vt inquirentium solicitudinem eluderent, in speluncam se abdiderant; ascensis equis quidam eos perscrutatum profecti; Equi cum fortè ad illam speluncam peruenissent, quantumuis flagellis sessores imminerent, ne moueri quidem potuere. Attoniti illi, aliquid subesse suspicati, ex equis descendentes speluncámque ingressi, transfugas ibi delitescentes reperiunt, atque ad monasterium reducunt. Cum iam Gregorii fama vbique percrebresceret, Pelagivs Papa eum Diaconum instituit, atque *Constantinopolim*, vt Apocrisarij officio apud Imperatorem *Tiberium* fungeretur, delegat. Qua Legatione cum laude defunctus, reuersus est. Aquarum deinde tanta vis Romam; Italiámque inundauit, vt vererentur homines ne ea illuuie absorberentur. Accessit huic malo grauissima pestilentia, quæ eas partes ita depopulata est, vt omnia vasta atque deserta redderet. Quæ inter reliquos & in Pelagivm desæuijt. In tanta iam Romanorum destitutione vastitatéque, omnium animis cladis magnitudine perculsis & debilitatis, Gregorivs ecclesiæ Romanæ Diaconus nihil prætermisit, quo suorum animos reficeret, recrearet; adque consolationem, diuinæque misericordiæ (qua vel periculo, vel vita, cum æternitatis mercede se defuncturos sperarent) spem capiendam erigeret. Ad quam impetrandam septiformem illam per vrbis templa litaniam instituit, populum ad supplicationes eas obeundas, in varios Cleri, monachorum, sacrarum virginum, viduarum, coniugatarum, laicorum, pauperum & senum choros, quasi succenturiauit. Habuit eo tempore Gregorivs illam toto orbe celeberrimam concionem, cuius principium est, *Oportet fratres dilectissimi, vt flagella Dei quæ metuere ventura debuimus, saltem præsentia, ijs experta teneamus*, &c. Quæ dum haberetur, octoginta mortui in media turba conciderunt. Post supplicationes, diuina benignitate remittere se cœpit ea lues.

Interim Clerus populúsque ad sufficiendum nouum Pontificem conuenit, facilíque suffragatione vnáque voce, vniuersi eum magistratum Gregorio gerendum dederunt. Quem tanta ille ope excutere impositum nitebatur, cum esset vnus omnium eo dignissimus; quanta ambitione contentionéque alij ad eum recipiendum, cum essent omnium indignissimi, sæpe incubuerunt. Gregorivs cum frustra se niti aduersus communia omnium suffragia videret, dissimulato habitu, è ciuitate repentè se in densas siluas & speluncas proripuit. Quæ ne diutius piam inquirentium solicitudinem fatigarent, lucidæ columnæ, è cœlo latitanti imminentis, indicio proditus, ad vrbem magno omnium gaudio summo pontificatu initiandus rapitur. Quantum itaque & quam amplum est ad eius laudem, quod tantum honorem, quo nihil est in orbe illustrius, sola virtute sibi peperit Gregorivs? Quod vt certè magnum & amplum fateor, ita sanè in maiore laudis parte pono contempsisse, quam possedisse Episcopatum. Quem postquam reijcere non licuit, videamus quo modo quasi suam (quod in prouerbio est) spartam ornarit. Atque id me tentantem rerum ipsarum copia quasi obruit, & quod pecoribus in herbarum luxurie solet vsu venire, orationem suffocat. Sed ego meo more, solita eam mediocritate temperabo, & tantam vbertatem stilo depascam. Itaque vt ex infinitis, pauca paucis delibem, admotus iam gubernaculo cœpit se in omnem officij partem versare, & tanquam in specula totius orbis constitutus, per vniuersum orbem, quo modo se vnusquisque in moribus & religione gereret; diligenter, & vt nomini ipse suo responderet, vigilantissimè quasi notus *Argus* obseruare. Dum ita perscrutatur & speculatur, infinita per *Europam*, *Asiam*, & *Africam*, ad suam curam reformandā reuocauit. Inter alia Episcopis *Mauriano* aut-

ritiam

ritiam, *Sireno* ſacrarum imaginum confractionem, *Ianuario* impotens ſui vindicandi deſiderium, *Natali* conuiuiorum luxum, *Vitaliano* quòd in ſanctimonialem, quæ ſacrum habitum reiecerat, mature non animaduerterat, *Paſchaſio* nimiam Epiſcopalis dignitatis ſuique abiectionem, rerúmque externarum profanum ſtudium, *Victori Panormitano*, *Campaniſque Epiſcopis* officij negligentiam, aliiſque alia exprobrat.

In Hispania *Ianuarium* Epiſcopum, perperam ab illius gentis Epiſcopis exauthoratum, in integrum reſtituit. & *Stephanum*, in illius locum vitio ſuppoſitum, de gradu deiecit per *Ioannem* Legatum ſuum eo miſſum: Epiſcopiſque dimidiati anni pœnitentiam, ob hanc tam deprauatam actionem indicit. In Gallia *Virgilium Arelatenſem* Epiſcopum ſibi legauit, qui illius prouinciæ Epiſcopos ad conciliorum, & canonum exactam obſeruantiã vrgeret, controuerſias de fide exortas componeret; ad cuius edictum, illius gentis Epiſcopi in ſynodum conuenirent. In Corsica *Sagonenſis* eccleſiæ, quæ diu paſtore viduata erat, curam *Leoni* Epiſcopo iniungit, ad eámque poſtea ſedem alium eiuſdem inſulæ Epiſcopum transfert, & alios alibi ibidem in eorum locum, qui propter grauem valetudinem & morbos, prouinciæ ſuæ obeundæ impares erant, ſubſtituit. *Felici* in Sardinia Epiſcopo contumaci, & dicto parum audienti Epiſcopo *Iuſtinianeæ* legato ſuo, grauiter interminatur. *Natalem* in Dalmatia Archiepiſcopum pallio ob contumaciam ſpoliat, grauioris pœnæ ſi obſtinatè in contumacia pergat, minis additis. Illyrici Epiſcopis ſcribit, vt vicinis quibuſdam Epiſcopis, hoſtili vi ſpoliatis, ſedéque ſua eiectis benigne proſpiciant, quibus nullam tamen in ea regione authoritatem attribuit. *Ioannem* Illyrici primatem pallio, & Apoſtolicæ ſedis legatione ornat, *Adrianumque* Epiſcopum, iniuſtè dignitate ab eo motum, in priorem locum reponit. In Africa vero cum *Paulus Regienſis* Epiſcopus, ob ſacrorum nundinationem & alia ſcelera, accuſatus eſſet, *Victori* & *Columbo* Nvmidiae Epiſcopis cauſam cognoſcendam demandat: vbi, cum incuria quorumdam Epiſcoporum, pueri ſacram ordinationem ſuſciperent, vt ijs & alijs malis eradicandis diligenter proſpiceret, *Columbum* admonet: agitque accuratè cum Nvmidiae Epiſcopis, ne Epiſcopi, qui *Donati* quondam hæreſi addicti erant, ad metropolitanam aliquam dignitatem proueherentur, ſed in epiſcopatu eos tantum ſubſidere pateretur. Agitque cum eodem *Columbo* vt *Maximinianus* Epiſcopus, ſacrorum nundinator, loco moueretur.

Iam in Graecia cum *Adrianus* Epiſcopus certis de criminibus accuſatus eſſet, repentéque accuſatione dimiſſa, pacificatio inita eſſet, Gregorivs veritus colluſionem & preuaricationem, ne crimina impunita abirent, Diaconum ſuum *Corinthum* amandat, qui ad ſuam exactioremque cognitionem cauſam reuocaret. Sententiam *Andreæ* metropolitani *Nicopolis* in Theſſalia, quã ille in lite quadã inter Corcyrae & Isavriae Epiſcopos orta, reuocata priore ſententia quam perperam dictauerat, conſultius tulerat, Apoſtolica authoritate confirmat. Monachum quendam Licaoniae *Athanaſium*, apud *Ioannem Conſtantinopolitanũ* Patriarcham hæreſeos accuſatum, ab ea labe & macula abſoluit, & eximit, catholicúmque pronunciat, monaſterióque ſuo reſtituit. *Eujebium Theſſalonicenſem* alióſque eiuſdem regionis Epiſcopos admonet, vt ſe *Ioannis Conſtantinopolitani* inſolenti ambitioni opponant, & quam ſequantur formam præſcribit. Quã ſi prætergrederentur, & violarent, anathema illis minatur, eundémque admonet, vt ita actiones ſuas erga Clericos quoſdam, qui de eo queſti erant, moderaretur, ne nouis querelis daretur aditus. Sed ad maiora me transfero. Atque hic ſe mihi primo loco offerunt *Barbaricini*, *Sardi*, *Campaniæ* ruſtici, multique eccleſiaſtici in Sicilia patrimonij coloni, tota denique, de qua paulo poſt cũ ad Avgvstinvm peruenerimus, pleniùs dicturus ſum, Anglia. In quibus omnibus locis præclara Gregorivs de triumphata infidelitate trophæa conſtituit. *Iudæos* non paucos prædicatione, liberalitate, virtutéque ſua perfidiam abijcere, ſeſeque eccleſiæ inſerere coegit.

Proxima eius laus in pacificando atque tranquillando eccleſiam, erroribus & hæreſibus miſerè agitatam atque diſſipatam verſatur. Teſtes ſunt in hac parte *Ligures*, *Veneti*, & vicini noſtri *Hiberni*, qui cum prius aduerſum ſynodum *Chalcedonenſem* calcitrarent, per eum in eccleſiæ vnionem coierunt. Teſtis *Donatiſtarum* hereſis per *Africam*, *Manichæorum* per *Siciliam* *Arianorũ* per *Hiſpaniam*, *Agnoetarũ* per *Alexandriam*, eius potiſſimũ opera, diligentia, doctrina & authoritate debilitata atque euerſa. Teſtis & illa prima omniũ & pernicioſiſſima, authoriſque ſui nomen retinens, *Simoniaca* hæreſis, quæ Spiritus ſancti gratiam ſordida nundinatione cauponatur. Ea cũ Graeciam aliáſque regiones, tũ Galliam potiſſimũ ijs temporibus infeſtabat. Quid igitur Gregorivs? Accurate ad *Ioannẽ Corinthi*, omneſque per *Helladẽ* prouin-

ciam Episcopos, de ea peste radicitùs euellenda scripsit, &, ni huiusmodi emendentur, canonicam seueritatem minatur. Et quemadmodum IESVS olim *Hierosolymis*, ita & ille cathedras vendentium columbas, id est Spiritus sancti gratiam, in GALLIA euertit, multaque alia grauia vitia sustulit. In primis cauendo, ne quisquam ex laico repente in thronum Episcopalem inuolaret: sed cò gradatim per alios ecclesiasticæ militiæ ordines ascenderet; tum, ne quisquam è Clero furtiuis se mulierum amplexibus daret. Neque quisquam putet facile fuisse illi hęc, ceteráque pro officij sui magnitudine conficere. Sæpe enim pijs Sancti conatibus, Iudices, Exarchi & Imperatores ipsi, *Mauritius* præsertim omnibus Imperij viribus se opposuêre. E dicto ille cauerat, ne quisquam militiæ sacramento obligatus, terrenam illam militiam subterfugeret, neúe diuina stipendia in castris Cleri & monachorum mereri, vt maximè vellet, vllo modo posset, nisi veteranus rudem accepisset, aut mutilatus fuisset Hæc edicenti, generosè se infractóque animo opposuit GREGORIVS, aperté professus *Iulianum* omnium primum istiusmodi legis authorem, ad cuius exemplum turpe esset Christianum Imperatorem fingi. Nec debere *Mauritium* ingrata mente diuinorum beneficiorum memoriam abijcere, qui eum de Notario Comitem Excubitorum, de Comite Cæsarem, de Cæsare Imperatorem excitasset. Ecclesiam Sacerdotésque suos eius tutelæ ac fidei credidisset, atque commendasset. Cogitaret ergo quanto se piaculo obstringeret, per quem fieret, ne Deo, qui vellet & cuperet, pro pio desiderio inseruiret, atque famularetur. Quam huius (inquit) erga Deum iniurię, quam tam insigniter læsæ pietatis satisfactionem, apud summum Dei tribunal illaturus es? Quo modo te explicabis? quo modo expedies?

ADIVNCTA est & noua in Deum, atque ecclesiam iniuria. *Ioannes Constantinopolitanus* Episcopus non contentus quòd inter Patriarchas censeretur, insolenti ambitione ductus supra omnes se Sacerdotes efferre cœpit, & synodo conuocata *Vniuersalis* sibi, & *œcumenici* Episcopi nomen arroganter asserere. Huic *Mauricius* omni ope patrocinatus est, & quia *Italia Romáque*, conniuentibus Imperatoribus, per *Gothos* & *Longobardos* pæne oppressa videbantur; quemadmodum ante trecentos pænè annos *Constantinopolim* Imperij sedes traducta est, ita & supremi Pontificij sedem ibidem figere, atque constituere omni ratione meditabatur. Quare cum insolentibus hisce *Ioannis* cœptis GREGORIVS fortiter intercederet, *Mauricius* ad eum scripsit, vt acquiesceret *Ioanni*, pacémque cum eo coleret. At GREGORIVS altiore animo grauissimum se tam mali cœpti intercessorem ostendit, & diuinis humanísque authoritatibus in medium prolatis, insolentiam *Ioannis* fregit. Asserebat enim Romam esse omnium ecclesiarum caput, eámque sedem cunctis ecclesijs Deo authore prælatam. Asserebat à se, tanquam Petri successore, cui Christus claues, & ligandi atque soluendi potestatem dedit, tanquam à capite omnes ecclesiasticas causas pendere. Atqui Petrum nunquam vniuersalem Episcopum appellatum, neque decessorum suorum quemquam; quanquam *Chalcedonensis* synodus hanc Romanæ sedi appellationem amplissimis suffragijs detulisset. videret itaque *Ioannes* quanta temeritate hoc nomen, quod nullo modo in eam sedem competeret, arriperet; quod ij, quibus totius christiani gregis à Christo commissa cura incumbit, sibiper summa Christiani orbis comitia tributum, pro summa tamen modestia reiecissent. *Ioannem* itaque euertere, atque infringere prorsus Euangelicam veritatem & canonum scita, in eúmque recte illud quadrare, *Supra astra cæli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, ero similis Altissimo.* *Esai. 14. 13. 14.*

ADHAEC vereri se scribit, ne hęc *Ioannis* elatio imminentia Antichristi tempora designet, sitque eius præcursatrix. Neque se, quod acerbiùs in *Ioannem* inueheretur, priuatam suam, sed Christi, sed Petri, sed Euangelicam causam persequi, & patrum Canonúmque scita tueri; séque in tam certa & expedita causa, si opus sit, non modò verba, sed & iugulum præbiturum. Quanto vero se magis extulit *Ioannes*, in alienam potestatem nomenque petulantiùs inuolando, eo se submissiùs atque modestiùs gessit GREGORIVS, facéque, vt ita dicam, authoritatis suæ submisit, & *Eulogium* Patriarcham Alexandrinum, qui per literas hoc nomine eum compellauerat, reprehendit. Non ego, inquit, verbis, sed moribus ornari cupio; meus honor in ecclesiæ honore subsistit: & per summam animi deiectionem, quemadmodum serui ordinarij suos vicarios seruos habent, ita se *Seruum Seruorum* Dei, & non aliter quam vicarium seruum appellare scriberéque voluit. Quod eius (vtinam doctrinæ pariter atque virtutum) exemplum, ad successores eius omnes præclarè transmissum est. Occœperat has turbas, PELAGIO adhuc sedente, *Ioannes*, & œcumenicam synodum nouo, insolenti, & arroganti exemplo indicere conatus est. Qui temerarios omnes illius conatus & molimina,

molimina, synodúmque ab eo coactam apostolica Petri authoritate infirmauit, atque euertit. Similem GREGORIVS aduersus *Mauricium* magnanimitatem in causa *Maximi*, qui *Salonitanum* Episcopatum improbe inuaserat, fortiter opposuit. Quem tamen fautoresque excommunicatione ferijt, & ita tandē fregit, vt *Maximus Rauennæ*, vbi GREGORIVS causam eius cognoscendam quibusdam Episcopis mandauerat, sponte in media ciuitate, tres continuas horas per saxa & lapides se volutans, se per vim Episcopatū occupasse, Deo GREGORIOQVE obnoxium, miserabiliter exclamaret; seque de alijs, quæ ei ingerebantur, criminibus, iuramento apud beati APOLLINARIS martyris sepulchrum purgaret. Atque hoc se quidem modo GREGORIVS publicè dedit.

IAM priuatę quoque eius vitę rationem aliquā imbimus. In qua illud primarium est, quòd semotis laicis, non nisi Clericis & monachis, ijsdémque prudentissimis, doctissimis, sapientissimis, in quotidiano vitæ vsu se dabat, neque alios fere in familia sua retineret. Repræsentauit itaque eo tempore *Roma* ecclesiæ Apostolicæ figuram, qualem vel *Lucas* sub Apostolis, vel *Alexandria* sub *Marco Philo* describit. Sed solent quidam alioqui laudatissimi, sub ecclesiasticæ necessitatis & inopiæ, alióue velamine, astrictiores & parciores esse in pauperes, à quo vicio tantum abhorruit GREGORIVS, vt nemo magis. Quæ eius liberalitas non est intra *Romæ* & *Italiæ* quasi angustos fines coarctata, sed in longe dissitas Gentes & Hierosolymam vsque propagata. Cuius fuit adeo studiosus, vt cum in plateis quidam repertus fuisset mortuus, arbitratus inopia rerum necessariarum id contigisse, tantum ceperit dolorē, vt ad aliquot dies sacrorum mysteriorum sibi vsu interdixerit, quasi sua culpa perijsset, cum crederet exacta diligentia prouidentiaque potuisse se huic malo occurere. Cuius tantæ in pauperes propensionis & hospitalitatis suæ, non modò apud Deum in æterna beatitudine, sed & hic quoque fructum est amplissimum consequutus. Cuius enim exemplum est imitatus, parem cum eo quoque gratiam obtinuit; vt, quemadmodum olim perhospitalis ille *Abraham*, angelos hospitio exciperet. Quid iam dicā de conformatione, & moderatione eius in omni continentia atque temperantia, & voluptatibus adeo prætermittendis, vt solis fere leguminibus vesceretur, cum tamen affecto esset & imbecillo corpore? Præclarius tamen illud est, quòd aliquando cum nihil haberet, quod pauperi petenti erogaret, ipsum vasculum argenteum, quod mater eius SILVIA ad eum cum leguminibus transmiserat, eidem statim donarit.

HAS tantas dotes summa doctrina mirificè commendauit, de qua si quid verbosiùs dicerem, & instituti rationem prętermitterem, & nihil nisi soli lumen addere viderer. Cuius scripta tanquam à Spiritu sancto dictata, vel eo magis suspicio, quo ille præ summa modestia submissius de se sensit, suos libros præ alijs furfures appellando, vetandóque ne ab alijs se viuo legerentur. Quæ eius humilitas suique abiectio, omnibus eius actionibus vt ornamentum adhærescebat, adeo vt per literas se nihil aliud quam *Seruum Seruorum*, omnes Episcopos fratres, Diaconos filios, laicos Dominos appellaret. In quo genere illud insigniter in eo animaduersum est, quod cum *Ioannes Persa* Romam, causa visendi & adorandi Apostolorum sepulchrum venisset, visóque GREGORIO, tum summo Pontifice, se coram eo de more prosternere voluisset, id prævidens GREGORIVS prius in terram prouent, nec ante *Ioannem* surgere voluerit. Quid igitur miri si tantus vir, & alijs præclaris donis à Deo amplificatus fuerit? Nam & præuidisse eum futura, cùm multa alia, tum posteriora & nostra potissimùm tempora indies in peius præcipitantia, luculenter ostendunt. Quod ita futurum tanto antè vates prædixit. Cumque *Ioannis Constantinopolitani* carperet arrogantiam, præcurrere eum aduentanti Antichristo apertè professus est. Antichristū vero Machometem, paulo post ortū, sectámque eius execrabilem, mundo quotidie parturire credibile est. Sed quid ego eius † cum immensa in alios, quæque omnē orationē superant beneficia licet certissima & solidissima, † tum amplissimæ illius in omnem orbem Christianum authoritatis, & summę illius diligentiæ, nominique respondentis testimonia persequor? Quin potius ea iam attingimus, quæ in nos, ab eo tam longe & quasi a toto orbe seiunctos, omni laude gratáque commemoratione digna, ad summam animarum nostrarum salutem prolixè effudit? In quibus illud nobis primum fuit, quod venales, in *Gallia*, ANGLORVM pueros emi, & Romam vt Christo initiarentur transmitti curauit; sed non hic stetit eius beneficium. Adeo enim ad animarum nostrarum salutem promouendam, nostrámque gentem à diaboli seruitute asserendam, & ad Christum traducendam propendebat; vt ipse in BRITANNIAM ad hanc sanctam prouinciam obeundam venire cogitarit. Quas sanctas cogitationes, cum ipsius itineri

† *Alias* licet.

† *Alias* cùm

impedimenta, vt diximus, obijcerentur; per AVGVSTINVM præclarè perfecit, quemadmodum paulo post vberius explicabimus. Cúmque iam Christiana fides feliciter succresceret, AVGVSTINVM Archiepiscopum constituit. BRITANNORVM inquit, omnes Episcopos tuę fraternitati committimus, vt indocti doceantur, infirmi persuasione roborentur, peruersi authoritate corrigantur.

QVANTIS autem polluerit viuus miraculis, tum quædam, quæ diximus, tum quòd magos cæcitate percusserit, quòd in tremendis mysterijs panem Eucharistiæ in carnem, ad confutandam mulierem, quæ de præsentia corporis Christi in eadem perperam sentiebat, conuerterit; quódque fratrem quendam sui monasterij, trigesimo post obitum eius die, à pœna exoluerit, aliáque multa abunde testantur. Quibus nos prætermissis, pauca, quæ gratiam eius cum corpore non fuisse extinctam sed superstitem, euidenter arguunt, pertractabimus.

1 *Ioanni* itaque presbytero & monacho incontinenti GREGORIVS noctu apparuit, mortémque minatus est. 2 *Andreas* qui quasdam monasterij eius chartas interceperat, miseranda morte perijt. 3 *Anastasius* monasterij eius præfectus, qui constitutas à GREGORIO eleemosynas imminuerat, graues auaritiæ suæ pœnas dedit. 4 Nocte vero apparens ęgroto cuidam, iubet vt denunciaret *Benedicto*, *Aiartino*, *Palumbo*, *Antonio*, *Laurentio* † *Gemmiso*, *Accepto*, *Andreæ*, *Leoni*, & *Lucido* Episcopo mortem ipsis instare; Neue de semetipso sollicitus foret, quia conualescceret. Quæ omnia euentus protinùs verissima fuisse confirmauit. Cuidam præterea, qui eum pro germano suo, qui mente motus erat, quotidie assiduis precibus lachrymisque interpellabat, apparens, iubet esse securo animo; curamque de fratre deponere, qui statim ad mentis sanitatem rediit. 6. 7. *Vrsellius* per GREGORIVM ab infesto dæmone liberatus est. † *Tergando* Treuirensi Episcopo plagas inflixit GREGORIVS, & eo anno moriturum denunciauit. 8 *Dominicus* monasterij *Gregoriani* præpositus, qui Deo dicatam virginem † violauerat, diuinitùs noctu octoginta plagis ventri dorsóque eius, iubente GREGORIO, inflictis, miserando modo perijt. Panes monasterij *Gregoriani* diuinitùs sæpe auctisunt. *Ioanni* denique, qui vitam eius conscripsit, aliisque multis sæpe post obitum apparuit. 9. 10

† *Aliàs* Gommiso.

† *Aliàs* Tergendo.

† *Aliàs* violauerat.

De Rege Cantiæ ETHELBERTO *per* AVGVSTINVM *ad Christum traducto; déque* BERTHA *eius vxore; & Episcopo* LETHARDO.

CAPVT IIII.

AT AVGVSTINVS, cui nostræ prouinciæ cura delegata est à Gregorio, non suorum desiderium, non itineris longitudinem, non terræ marisque pericula, non barbarum & ferocem populum ad quem ibat; sed Dei solummodo & Christianæ fidei propagationem, iubentisque authoritatem sibi proponens: post multa itineris tædia terra marique deuorata, ad *Tanetam* insulam applicuit, ad orientẽ *Cantij* sitam, non procul à *Dorouernia*, quam *Cantuariam* hodie appellant. Nec ita multo post ETHELBERTVS eius regionis Rex eò venit; ad quem, in hanc fermè sententiam, AVGVSTINVS verba fecisse traditur. Quod felix fausúmque sit tibi tuóque Regno, Rex illustrissime, post multa itineris tædia, tuam optatam præsentiam adepti sumus, quem cum tanto periculo sumptibúsque ab ipsa *Roma* quæsiuimus, non nostri, sed tui boni tuorúmque gratia. Quæ apud homines sunt speciosa & splendida, quæque mortales per summa vitæ discrimina prosequi solent, honores, diuitias, omnémque vitæ splendorem, & luxum, iam olim sponte à nobis abdicauimus. Neque horum, neque nostri, sed tui ornandi & amplificandi causa hunc omnem laborem suscepimus. Rogamus vero, ne tibi hæc nostra oratio leuis, inanis aut ridicula videatur, quasi hæc nostra tenuis & abiecta ad speciem conditio nihil, in tantum & talem Regem, splendidum aut amplum conferre possit: Agnoscimus dignitatis tuæ amplitudinem, quam tibi diuturnam & longe auctiorem optamus: imo tantis tuis bonis accessionem, cumulum videlicet verę atque solidæ felicitatis, quæ adhuc tibi deest, gratuitò tibi offerimus: quæ non dubiè reliquis tuis fortunatis actionibus accedet, si nos patienter & attente audieris, nostrisque monitis, vt par est, obtemperaueris.

Beda l. 1. cap. 25.

Videlcam. Capgran. in vita Augustini.

HOC est ergo quod palam affirmamus, hominem ex animo & corpore constare: Corpus, & quidquid ad illud ornandum pertinet, caducum esse, & tandem defluere: animum deinde

corpore

corpore exutũ immortalẽ esse, idque vel ad felicitatẽ inenarrabilẽ infinitis partibus omni mortali bono maiorem, vel ad æterna supplicia luenda. Hoc æternum bonum, hanc verã felicitatẽ hanc immortalem animi beatitudinem, qua hactenus maiores tui caruerunt, vltrò tibi tuisque deferimus, vt hoc bono te tuósque possimus beare, huc appulimus, vtque è tenebris, quæ grauissimè hactenus tibi tuisque incubuerunt, te tuósque asseramus; vtque ad illam beatitudinem transferamus, quam nulla oratio pro dignitate explicare potest. Cuius potiundæ hæc sola ratio supereſt, si relictis idolis, Christo vero Deo adhæreas, qui cælum, terram, mare, & quidquid humanis oculis obijcitur, aut vsibus inseruit, ad humani generis opem olim creauit. Qua quidem felicitate neutiquam potiri possunt, qui; relicto vero Deo omnium creatore atque opifice, ipsas creaturas colunt. Sunt enim in ipsum Deum iniurioſi, & debitum ei cultum intercipiunt atque ad alia transferunt. Quo errore cum totus pæne orbis ante sexcentos annos duceretur, Deus humani generis miſertus, Christum suum in terram delegauit, qui in tantis erroris & iniustitiæ tenebris, clarissimum Euangelij lumen præferret. Qui inter Iudæos versatus, admiranda quædam signa ad doctrinæ suæ confirmationem ostendit, cæcis visum, surdis auditum, mutis vocem, claudis pedum firmitatem, ægrotis sanitatem, mortuis denique vitam restituendo. Quem tamen Iudæi inuidia & odio adducti, quod acriùs peruersos ipsorum mores incesseret, è medio tollendum curarunt, sperantes extincto authore, omnem eius doctrinam ruituram. At res penitùs in contrarium exijt: nam qui alijs vitam, sibi quoque ipsi reddidit, & post tertium diem se suis discipulis visendum obtulit per quadraginta dies; post quos ad Patrem in cælum inuectus est, amplissima authoritate Discipulis data, Euangelium prædicandi morbósque sanandi. Qui in orbem vndique profecti; similia atque Christus prodigia edidere: & infinitos homines à maxima rerum ignoratione & errore, in quo versabantur, abstrahebant. Euangelium autem tanto orbis consensu postea receptum est, vt quamuis *Nero* alijque nouem Imperatores per trecentos ferè annos, in nostros exquisitis tormentis sæuierunt, tantum abest vt euerterint, vt magis illustrarint atque prouexerint: adeo vt laudatissimus Imperator CONSTANTINVS *magnus* nostris se sacris cum omni Imperio addiceret. Cuius, atque illustrium qui eum sequuti sunt Imperatorum, atque aliorum amplissimorum Regum, clarissima exempla tibi hodie proponimus. Summus Religionis nostræ Antistes GREGORIVS, huius tuam Amplitudinem felicitatis participem esse cupit. Huius tanti boni nos nuncios atque legatos ad te destinauit, diuturnum tibi, tuisque errorem per nos ereptum voluit: Quam nostram legationem, quæ tuam salutem respicit, vt æqui bonique consulas, & pro tantæ rei magnitudine diligenter de ea cogites, ex animo rogamus.

HAEC aliáque huiusmodi AVGVSTINVS: Quem ita excepit Rex. Pulchra quidem sunt & ampla quæ nobis pollicemini: cæterum quoniam nos hactenus alijs Sacris assueuimus, néque statim paternam persuasionem deponere possumus, nihil iam statuere valemus. Interim suscipiemus curam & cogitationem tanta re dignam, vestrámque beneuolentiam nostri tam studiosam non possumus non amplecti: maximáque vobis gratias agimus, quòd tanto vos itineri, nostri studio exposuistis. Curabimus vt nihil vobis desit eorum quæ sunt ad vitam necessaria, neque per nos cuiquam fraudi erit, qui se vobis vestræque Religioni adiunxerit: nobis vero maiores ad deliberandum inducias dabitis. * ETHELBERTVS non ita multo post, cum videret populum ad Christi religionem propendentem, & ipse Christo initiatus est: ad quod multum ei profuit vxor eius BERTHA Regis Francorum filia, quæ Christiana erat: & diserte cautum est tabulis nuptialibus, vt ea sacra sua sarta, tecta atque illibata in ANGLIA retineret. Comes ei ad hanc rem, institutor & moderator datus est LETHARDVS; qui BERTHAE familiæque eius diuina Sacramenta, aliáque de more Christiano exhiberet. Sacris autem operabatur *Cantuariæ*, in ecclesia quadam diuo *Martino* sacrata, per *Romanos* ante *Anglorum* aduentũ constructa. Quo quidem in loco ad orientem Ciuitatis vetus Ecclesia visitur, diui *Martini* adhuc nomen retinens. In hac ecclesia sub primum accessum AVGVSTINVS cum suis cœpit primò conuenire, psallere, orare, Missas facere, prædicare & baptizare. Nec dubium quin BERTHAE & LETHARDI præsentia, valdè Euangelicum negotium apud ETHELBERTVM, post AVGVSTINI aduentum, promouerit, Certè LETHARDO id inter alia imprimis laudi fuit, quod *Gallia* relicta ad barbarum & infidelem populum, non sine suspicione periculi, Reginam sequi voluerit: cuius sanctitatem hæc, aliáque tum etiam signa, ab eo post obitum edita commendant, vt non sine causa maiores nostri superum Ciuium Catalogo eum, ante multa sæcula ascripserint. Fuit autem LETHAR-

* *Beda li. 1. cap. 25. & 26. Ioan. Capgra. Guil. Malmesb. lib. 1. de Pontifc.*

DVS

DVS Episcopus *Saluanortensis*, ni vitiosa sint exemplaria, sub metropoli *Remensi* in *Gallia*.

AVGVSTINVS deinde, Rege eam concedente, *Cantuariæ* metropolitanam sedem fixit, templúmque ibidem ingens à [a] *Romanis* olim structum & idolis consecratum, illis euersis, in ecclesiam Christi Saluatoris conuertit; sed prima, quam dedicauit, erat ecclesia [b] *Pancratij* Martyris, non longè à Ciuitate ad Orientem: in quam conuertit fanum, quod frequentare solebat ETHELBERTVS & idolis suis sacrificia offerre, quæ ille omnia euertit: Quæ res adeo vrebat immundum dæmonem, qui se à possessione diuini honoris, quem tot sæculis vsurpauerat, deturbatum videbat; vt illam ecclesiam euertere moliretur: eiúsque rei indicia in muro Ecclesiæ, multis postea sæculis, ad nostra vsque tempora in præsentia durarunt.

a *Beda lib 1. cap. 33*

b *Gul. Spina de Abb. canobij D. Aug.*

IN eadem Ciuitate Rex pius Monasterium quoddam PETRO & PAVLO sacrum (quod postea diui AVGVSTINI Monasterium appellatum est) constituit, vbi AVGVSTINI & reliquorum *Cantuariæ* Episcoporum, ETHELBERTI & aliorum Regum corpora condi solebant. [c] Huius etiam Regis opus est ecclesia diui PAVLI *Londini*, & alia apud *Roffam* D. ANDREAE sacrata, & Cœnobium etiam *Elienſe*: hæc ille quidem templa condidit, & amplis possessionibus atque donarijs auxit, nihilque aliorum omisit, quo Christi acceptum cultum proueheret. [d] ETHELBERTVS verò neminem ad Christi cultum inuitum & repugnantem trahebat, sed persuasionibus ducebat: eos autem solos in pretio habuit, qui eundem Christum profitebantur, quos fratrum loco complexus est: & quemadmodum Christianam religionem, ita & rempub. optimis [e] legibus confirmauit atque constabiliuit; quas *Angli* plurimi fecerunt: in quibus inter alia diligenter cauit, ne quid Deo, Ecclesiæ, Episcopis donatum furto interciperetur, pœnásque in huiusmodi admissa constituit. [f] GREGORIVS, cũ felices AVGVSTINI in promouendo Euangelij negotio successus in ANGLIA audissent, non mediocri lætitia perfusus est, móxque literas ad ETHELBERTVM Regem gaudij sui testatrices transmisit, quibus eum grauiter & sancte ad tam pium & sanctum, quod occœperat, institutum grauiter persequendum hortatur. Postquam autem quinquaginta sex annos regnasset, post vigesimum atque alterum susceptum Christianismi annum obijt, inter diuos à Maioribus nostris non immerito relatus. Moritur sexto Calendas Martij, Anno salutis sexcentesimo decimo sexto. Regnauit autem post [g] HVNERICVM, OTHAM & OSCAM atque HENGISTVM, primum Regni Cantiani, circiter annum Christi quadringentesimum quinquagesimum sextum (vt quidam supputant) conditorem.

c *Io. Capgr. in vita Ethelb.*

d *Beda l. 1. c. 26.*

e *Id. l. 2. c. 25. Leges Ethelberti*

f *Beda li. 1. c. 31. & 32.*

g *Polydor.*

De EDBALDO, ERCOMBERTO, EGBERTO, LOTHARIO, EDRICO, *Regibus* Cantiæ.

CAPVT V.

SANCTAM Christi Religionem piè à patre constitutam conturbauit, atque ad tempus dissipauit longe dissimilis filius [h] EDBALDVS: sed tamen pœnitentiam sceleratæ suæ defectionis à Christo, impijque Matrimonij, quasi secundam tabulam, naui fracta, in tanta tempestate arripiens, feliciter resipuit, animámque à tam miserando naufragio seruauit; vt paulo post largius, cum ad LAVRENTIVM Archiepiscopum ventum fuerit, explicabitur. EDBALDO igitur ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum defuncto, Imperium eius capessit filius eius [i] ERCOMBERTVS, qui totius Regni sui cursu, quod viginti quatuor annis magna cum laude administrauit, pium & religiosum se principem præstitit: & vt patrem annorum Regni numero æquauit, ita eum sanè tam constantia, quàm ceteris virtutibus superauit, nouúmque se ANGLIAE THEODOSIVM *magnum* præstitit. Nam vt ille ipsa Deorum templa ex CONSTANTINI quidem *Magni*, & sequentium principum capitali edicto occlusa, omníque dæmonum Sacrificio clausa per Romanũ Imperium: ita iste per suum regnum prorsùs sustulit: prudenter sanè & piè vterque, ne vel ipse templorum obtutus, veteris memoriam aliquam renouaret, & refricaret. Quadragesimæ præterea iciunium Ciuilium suarum sanctionum pœnis muniuit: vt esset vndique tam ex Ecclesiasticis, quam politicis constitutionibus sacrosanctum. Pietati tantæ hominis, felix totius principatus sui decursus constanti florentique pace respondit. Respondit & filia EARTONGATHA, cuius mater SEXBVRGA; cuius materteræ diuæ ETHELRE-

h *Beda li. 2. c. 5.*

i *Beda li. 3. ca 8.*

DA &

DA & ETHELBVRGA. Tales EARTONGATHA parentes habens, tales materteras, neutiquam ab eorum vestigijs recessit: sed vt riuulus a fonte pellucido profluens, ita creuit quotidiana virtutum accessione, vt quasi quodam beato pietatis amne exundaret: cuius prima tyrocinia in eodem, quo matertera ETHELBVRGA, monasterio deposuit. Quo loci celebris fuit eius fama, solebántque incolæ de eius pietate permulta, déque signis ab ea editis narrare. Nos, ceteris relictis, ea tantùm ponemus, quibus Deus exitum virginis ex hac vita commendauit, vnde de reliqua eius vita facilè poterimus inire æstimationem. [a] [a] Beda libr. 3. c. 8.

POSTQVAM igitur suprema sua imminere, idque ex oblato quodam viso sensit, omnibus se modis opéque paranit, vt dignè aduentantem sponsum exciperet, monasterij cellulas circuiuit, infirmas inuisit, ad pedes se earum, quæ vel ætatis, vel virtutis prærogatiua honoratiores erant, suplex abiecit, earum preces ad communem Dominum enixe implorabat, vt securior de vita decederet: cuius finem appropinquantem non obscurè præseferebat ex viso quodam quod acceperat, quod erat huiusmodi. Videbat frequentiam quandam hominum venerandorum, qui candidis vestibus ornati Monasterium subiere: quos cum interrogasset Ecquid cuperent? Huc, inquiunt, delegati sumus, vt aurcum illud numisma, quod ex CANTIA huc aduenit, nobiscum auferamus. Nec vana quidem fuit virginis prædictio: paulo enim post per læthalem ægritudinem lecto affixa est. Nocte autem quæ mortem anteceßit, quæ in crepusculum auroræ incidit, Angelica plane harmonia palam multorum auribus insonuit. Quin & ingens quidam fragor, quasi multitudinis ædes irrumpentis, auditus est. Egressi multi vt quid rei nouæ accedisset certius cognoscerent, videre magnam quandam & insolitam lucem, in qua beata virginis anima cælo illata est, Nonis Iulij. Post tertium diem quàm sepulturæ corpus est mandatum, visum est sororibus lapidem, quo monumentum claudebatur, amouere, vt ibidem rursus, sed editiori loco reponeretur. Monumento aperto, statim tanta odoris suauitas ex eo manauit, vt omnem balsami iucunditatem longè superaret, vt nemini dubium foret, quin beata virginis anima cum Christo sponso regnaret in gloria cælesti, cuius corpus adhuc in sepulchro tanto honore affecisset.

IN EGBERTI vero principatum ETHELBERTI & ETHELBRITTI cædes, nec sine aliqua sinistra in EGBERTVM (cuius fidei puerorum tutela educatióque credita est) suspicione incidit: quæ magno quidem scelere clam facta, non sine magno miraculo palam patefacta est: vindictáque etiam eius in LOTHARIVM EGBERTI successorem redundasse creditur, qui per EDRICVM ETHELBERTI filium seditione mota, vulnere læthali accepto, paulò pòst mortuus Regnum ad EDRICVM transmisit: quod & ipse post biennium cum vita, à suis ciuibus cæsus amisit. Fuêre ETHELBERTVS & ETHELBRITTVS ERMENREDI filij; proauum habuere illustrem Regem ETHELBERTVM, per quem CANTIA Christo est consecrata: Pater ERMENREDVS moriens reliquit eos admodum pueros: quare EGBERTO patrueli, filio Regis ERCOMBERTI, educandi traditi sunt. Hunc quidem *Thymnius*, vir oppidò quàm sceleratus nunquam cessabat instigare, vt Iuuenes Regios è medio tolleret; fore alioqui, vt aliquando adulti ipsum & eius progeniem funditùs delerent. Victus tandem hominis importunitate EGBERTVS, creditur ad carnificis scelus conniuisse, qui egregios hosce Iuuenes peremit. Sed postea ECBERTVS mirum in modum ob magnitudinem sceleris indoluit. Carnifex certè sceleratus cælesti pœna irretitus est: nam equo decidens, atque ceruice contracta miserè obijt: vnde eum locum, in memoriam tragici exitus, THVMMERLAND appellatum quidam tradidere. Positus est is locus in Insula THANETO, in qua beata corpora sepulta sunt, quæ postea regnante ETHELREDO EDGARI filio, ad Cœnobium *Ramisiense* traducta sunt, decimo sexto Calendas Nouembris. *Gul. Malm. li. 2. de Regi. Henric. Hunt. li. 5. Florent. Anno 654. Ioan. Capgr.*

De AVGVSTINO Anglorum *Apostolo, primóque* Cantuariensi *Episcopo.*

CAPVT VI.

ANGLIA olim BRITANNIA dicta, per *Anglos, Saxones, Germaniæ* populum euocatos in insulam contra *Scotos* & *Pictos*, hostiliter oppressa, ipsorum Imperium, nomen, & (quod deterius est) impiam deorum religionem suscipere coacta est. Ita Christiana fides, quæ à LVCIO Rege in Insula floruerat, trecentos totos annos, proh dolor! exposa est. Post centum vero & quadraginta annos, diuina misericordia ANGLOS aspicere cœpit, & GREGORIO *primo*, Romano Pontifici pias cogitationes immisit, vt quamuis tam longè positos animo tamen complecteretur, serióque despiceret quomodo eos ad suaue iugum Christi perduceret.[a] Quod munus cum per se (vt cogitarat) sicut antea diximus, obire non potuisset, hanc sanctam prouinciam AVGVSTINO delegauit. Qui ad decimum quartum MAVRICII *Augusti* annum, cum quadraginta comitibus ad[b] TANETVM Insulam applicuit, sitam ad Orientem CANTII non procul à DOROVERNIA, quã hodiè CANTVARIAM vt diximus, appellant. Nec ita multò pòst, Rege ipso ETHELBERTO nostris Sacris initiato, populus se ad Regis exemplũ (vt fit), componens vndique Christo nomen dabat. Quanquam non tantum momenti habuit Regis exemplum, atque AVGVSTINI & sociorũ noua ANGLIS, & admirabilis viuendi ratio. Post aliquot dies TANETI transactos, Regis præcepto DOROVERNIAM habitandi causa concessit, Ad cuius primum aduentum ETHELBERTVS locum illum, qui hodie[c] STABLEGATE dicitur, in quo cum suis conuersaretur, illi concessit. Quem locum AVGVSTINVS postea non minus priuilegijs & prærogatiuis, quàm palatium suum (quod ei ETHELBERTVS iam Christianus donauit, erat autem prius palatium regium) communiuit.

IVCVNDVM sanè cũ primis & salutare est, sacri huius Chori DOROVERNIAM aduentantis imaginem formámque animo repræsentare: fuítque ANGLIS ad visendũ vndique accurrentibus nouum & insolitum spectaculum. Præibat sacrum hunc exercitum Crux argentea, & imago Saluatoris in tabula opera pictoris efformata: Litanias interim supplices Deo canebant pro sua & ipsorum salute, ad quos delegati erant: Atque inter alias hac precandi formula vsi feruntur.[d] *Deprecamur te Domine in omni misericordia tua, vt auferatur furor tuus atque ira tua à ciuitate ista, & domo sancta tua, quoniam peccauimus, Alleluya.*[e] Ingressus ciuitatem Apostolorum planè vitam æmulatus est; vigilijs, ieiunijs, orationibus totus intendere, assiduè Euangelij prædicationi vacare, necessarijs ad vitam contentus, cetera floccifacere: quę docebat vita exprimere, paratus non solum dura pro Christo, sed extrema & capitalia pati.[f] Suspicere interim populus sancta hæc instituta, admirari, amplecti, totus ab ore Concionantis pendere, passimque ad Baptismum confugere: quò ANGLOS nõ illa modò quę commemorauimus,[g] sed & inusitata ac stupenda opera (quæ miracula appellamus) pertrahebant: talia enim edebat, vt ne admirandis quidem Apostolorũ actionibus cederent. Quare cum[h] GREGORIVS prudenter admonuit, ne animo esset elatior, sed submissiùs se gereret, quòd huiusmodi signa, non ipsius gratia, sed ad alliciendum Deóque acquirendum rudem ANGLORVM populum, admirabiliter repræsentarentur.

INTER hos tam felices Euangelij successus, iussu GREGORII profectus est ad[i] *Etherium* Arelatensem Archiepiscopum, vt ab eo alijsque *Galliæ* Episcopis ordinaretur[k]. Reuersus AVGVSTINVS seminando Euangelio diligentem acrémque operã adhibuit: ad multas Regni prouincias, vt illud Concionibus suis proueheret, pedes non eques profectus; imò & in ANGLIAM pedes per tot immensa terrarum spacia venit. GREGORIVS interim alios qui in Dominica messe operarentur, è quibus antelignani MELLITVS, IVSTVS, PAVLINVS, RVFINIANVS, sacros præterea calices, vasa sacra, Altarium ornamenta, vestes sacerdotales, libros ecclesiasticos Martyrúmque reliquias huc transmisit. Constituit deinde AVGVSTINVM totius BRITANNIÆ primatẽ & Archiepiscopũ: & Pallium eius honoris insigne, Archiepiscopis à Romana sede antiquitùs dari solitum, ad eum deferri iubet. Est autẽ Pallium (vt & hoc ex abundanti adijciam) pannus quidam, quem Archiepiscopi Sacris operaturi, post alia Pontificalia ornamenta collo injciunt, rudis, inelaboratus, impolitus; lana, nullũ alium quàm natiuum, & quem ab oue desumpsit colorem referente, quem tumulo diui PETRI primo iniectum Romani Pontifices ad Archiepiscopos designatos mittunt. Atque hæc antiqua

Cæremonia

a Beda li. 1 c. 25. li. 2. c. 1.

b Beda l. 1. c. 25.

c Guil. Spina de Abb. Cant. Aug.

d Beda li. 1. c. 25

e Idem cap. 26.

f Beda l. 2. c. 26.

g Greg. lib. 7 Ep. 30.

h Greg. li. 9. Ep 58. Beda l. 1 c. 31.

i Beda l. 1. c. 27. & 29.

k Guil. Spina de Abb. Cant. Aug.

Cæremonia duo potiſſimùm ſignificabat: alterum vt Pontifex inter Sacra, veſtibus, auro gemmiſque fulgens ac nitens, panni huius vilitatem reſpiciendo, dignitatis magnitudine neutiquam inſoleſceret, ſed elatiores omnes ſpiritus abijceret. Alterum vt fidem, quam diuus PETRVS *Romæ* docuit, cuius tumulo hic pannus iniectus erat, quámque alij eius ſedis Pontifices ſequuti fuere, diligenter & exacte obſeruaret. Atque hæc obiter de Pallio.

SCISCITATVS erat GREGORIVM AVGVSTINVS per literas multa: de quibus ſigillatim ille reſpondit. Et inter alia, ne AVGVSTINVS, licet propter dignitatem neceſſe haberet cum Clero conuerſari, antiquam monaſterij conſuetudinem, in qua ipſe educatus erat, relinqueret: ſed de more naſcentis eccleſiæ omnia ad communes eccleſiæ vſus obuia & expoſita haberet. Néue alijs ex Clerovxorem ducendi poteſtatem faceret: quàm ijs, qui ſacris adhuc ordinbus non eſſent initiati Néue matrimonio coniungerentur fratrum aut ſororum liberi: quod matrimonium licet Ciuili quadam lege non interdiceretur, ipſis tamen rerum experimentis infauſtos exitus habere ſolitum aſſerit. Admonuit etiam ne viri poſt vxoris amplexus, aut feminæ poſt menſtrua, mox ſe ad ſacroſancta Myſteria percipienda ingerant: vbi inter alia, *Vigilante* (inquit) *mente penſandum eſt, quod in Sina monte Dominus loquuturus ad populum, prius eundem populum abſtinere à mulieribus præcepit. Et ſi illic, vbi Dominus per creaturam ſubditam hominibus loquebatur, tanta prouiſione eſt munditia corporis vèquiſita, vt qui verba Dei percipe rent mulieribus mixti non eſſent: quanto magis mulieres, quæ corpus Domini omnipotentis accipiunt, cuſtodire in ſe munditiam carnis debent, ne ipſa inæſtimabilis myſterij magnitudine grauentur.* Et mox ait: *Eos qui ex crapula nocturnis immunditijs illuduntur, ſi non à perceptione, ab immolatione ſaltem ſacri myſterij abſtinere debere.* Admonuit præterea ne Idolorum fana demoliretur, † vt eiectis Idolis, quaſi ſpoliato Ægypto, Chriſtum ditaret, templúmque benedicta atque ſacra aqua aſperſum, Altaribus conſtructis, diuorúmque reliquijs illatis, à profanis atque execrandis vſibus, ad ritus ſanctos & Chriſtianos, cultúmque diuinum traduceret.

Beda lib. 1. c. 27 & 30.

† *Alias* ſed

ET quoniam non ſine periculo populus ab inolito Deorum cultu, & antiqua conſuetudine violenter transfertur, indulſit, vt qui feſtis diebus Idolis prius Boues magno numero mactabant; iam poſt Sacra noſtra peracta, ſobria conuiuia ad Chriſti & diuorum honorem liberalius agitarent: vnde forſan ortum eſt apud noſtros, quòd lautiùs & prolixiùs ſolito, Chriſto & Diuis conſecratis diebus, conuiuijs indulgeatur Atque vtinam hæc noſtra conuiuia moderatiora eſſent, vt, quod ex luxu ſuperfluum eſt, reſecaretur pauperibúſque accreſceret. Qui magnas ſæpe facit in re familiari lacunas, cum non minore valetudinis diſpendio: ad quas explendas multi ſæpè non ſatis probatis rationibus vtuntur.

AVGVSTINVS creſcente iam indies apud ANGLOS Chriſti Religione, adiecit animum BRITANNORVM quoque rebus reformandis. Etſi enim fidem retinerent, multa tamen apud eos irrepſerant Catholicis ritibus contraria, præſertim Paſchæ obſeruatio: tanto præterea odio in [a] Anglos ferebantur, vt nunquam inter eos Euangelij veritatem propagare ſuſtinuerint. Accerſiuit itaque quoſdam ex Epiſcopis & Doctoribus ipſorum, apud quos cum multa mouiſſet, eiſque præſentibus lumen cæco reddidiſſet (quod Epiſcopi fruſtra tentauerant) nihil tamen promouit. Quare acriùs eos verbis caſtigauit, adiecítque inter alia fore breui, vt qui ANGLORVM ſalutis nullam rationem ducerent, eorúmque animos negligerent, ipſorum manibus interirent. Nec defuit prædictioni euentus: ALFRIDVS *Northumbrorum* Rex, BRITANNORVM atque adeo Chriſti hoſtis, bello BRITANNOS laceſſens, ex Monachis *Bannachorenſibus* (quorum feruntur in eadem fuiſſe ſocietate ſupra duo millia) mille & ducentos occidit. Sed hæc poſt mortem AVGVSTINI, qua ille ad æthera tranſuectus eſt, contigêre: Poſtquam *Londinenſi* MELLITVM, *Roffenſi* vero eccleſiæ IVSTVM præfeciſſet; quorum ordinatio incidit in vltimum PHOCAE annum. [b] Epitaphium tumulo Auguſtini in hanc formam inſcriptum erat. *Hic requieſcit Dominus* AVGVSTINVS *Dorouernenſis Archiepiſcopus primus, qui olim huc à beato* GREGORIO *Romana vrbis Pontifice directus, & à Deo operatione miraculorum ſuffultus,* ETHELBERTVM *Regem, ac gentem illius ab Idolorum cultu ad fidem Chriſti perduxit, & completis in pace diebus officij ſui, defunctus eſt ſeptimo Calendas Iunias, eodem Rege regnante.*

[a] *Beda libr. 2. c. 2.*

[b] *Beda libr. 2. cap. 3.*

De Lavrentio, Mellito, Ivsto, *Archiepiscopis*.

CAPVT VII.

a *Beda li. 2. c. 4. 5. 6.*

AVGVSTINVS cum extrema sibi imminere videret, ne noua & rudis Ecclesia vel ad horam pastore destitueretur, viuus [a] LAVRENTIVM sibi suffecit ad exemplum planè PETRI Apostoli, qui eodem modo *Romanæ* sedi in CLEMENTE prospexit. LAVRENTIVS verò cœpta per AVGVSTINVM fidei fundamenta, magna industria absoluere cœpit, fidémque Christianam plurimùm, vitæ innocentia docendique assiduitate promouit. Cuius cura non stetit intra ANGLORVM tantùm fines, sed longiùs ad BRITANNOS *Scotosque* perducta est: quos cum in obseruatione Paschatis, aliisque ritibus dissidere à Romana & Catholica consuetudine cerneret, non destitit per literas suas, MELLITI atque IVSTI (quibus se ab Apostolica sede ad occidentem, Ethnicis prædicaturos dicebant missos) seriò adhortari, vt fidei ecclesiæque suæ rationes colligatas, implicatásque haberent cum moribus ecclesiæ Catholicæ, néue singularem dissentionem fouerent: imo & ipse [b] *Scotos* adiuit, vt eos ad sanctam Ecclesiæ Catholicæ communionem reuocaret, vbi & † *Ternaum Hibernia* Episcopum ad Catholicam Paschatis obseruationem reduxit. Hæc dum sanctus Pontifex meditatur, incidit grauissima quædam & repentina Ecclesiæ tempestas, rerúmque perturbatio. Defuncto enim ETHELBERTO, successor eius EDBALDVS paterna instituta prorsus euertit, præceps deserto Christo in omnia scelera ruens, eámque fornicationem, quam adeo in Corinthio illo Apostolus detestatur, nouerca in vxorem ducta. Cum Rege Principes viri, multíque ex populo vitæ rationes (vt fit) inuertêre. Ad cumulum huius infelicitatis accessit, quòd per hæc tempora, SIGEBERTO Rege *Saxonum Orientalium* mortuo, filij ipsius fœda destitutione Christum abiecerant. Quare in hac rerum difficultate CANTVARIAM conuenientes MELLITVS & IVSTVS, cum LAVRENTIO deliberationem capessunt, ecquid optimum factu. Tandem eò deuenitur, vt potius ad abitionem respicerent, quàm vt sine fructu laborem operámque apud Barbaros perderent.

b *Gul. Spina de Abb. lo. Capgr.*
† *Alibi* Tetuanum.

PROFECTI itaque sunt MELLITVS & IVSTVS in *Galliam*, rei euentum expectaturi, quos LAVRENTIVS se propediem sequuturum respondit, ni meliora se tempora offerrent. Non cessabat interim Regem populúmque admonere, ne tam fœdè à tam præclaris præceptis resilirent; néue parta felicitate tam inconsultò excciderent. Rex aduersantem suis desiderijs LAVRENTIVM magis ac magis indies auersabatur, támque infæstus ei esse cœpit, vt iam & ille *Galliam* (vt dixi) cogitaret, cum benè monendo nihil aliud quàm odium quæreret. Verum hæc meditantem noctu per quietem diuus PETRVS non modo verbis castigauit, sed & flagellis grauiter cœcidit; quòd gregem tenerum infirmúmque in tam necessario tempore, importuna destitutione parum fortis desereret, & orbum redderet, lupísque ad rapinam abijceret. Ille deinde Regi hæc PETRI verba, ádque rei fidem latera & liuentia terga ostendit; Quo ille miraculo consternatus pœnitentiáque ductus, proditam à se Christi fidem rursus amplectitur: & profano matrimonio abdicato MELLITVM ac IVSTVM reuocat: pérque totam postea vitam constans & religiosus princeps permansit, præclarè quæ iuuenili leuitate rescciderat, maturiore consilio resarciens. Traduntur & aliæ simul causæ, propter quas maturiùs eum pœnitere tam præcipitis, & impiæ à Deo defectionis, cœperit. Nam & Reguli, qui patri eius parebant, EDBALDI principatum iugúmque excutiebant; nec ipse interim dæmonis, qui tam animam quàm corpus eius grauiter infestabat, excutere potuit.

Guil. Malm. de Reg. l. 1.

LAVRENTIVS vero, postquam vndecim ferè annos administrationem tenuerat, ad superos abijt, tertio nonas Februarij, anno sexcentesimo decimo nono, Regnante EDBALDO in *Cantio*, Et sepultus est iuxta prædecessorem suum AVGVSTINVM, cum hoc Epitaphio.

Hic sacra LAVRENTI, *sunt signa tui monumenti.*
Tu quoque iocundus Pater, Antistesque secundus.
Pro populo Christi, scapulas dorsúmque dedisti.
Artubus hui! laceris multa vibice mederis.

Successorem habuit MELLITVM, vnum ex ijs, quos, post AVGVSTINI aduentum, GREGORIVS ad Dominicam in ANGLIA messem, operarios miserat. ETHELBERTO enim Rege, populóque frequente ad Christum confluente, & magna auiditate audiendo

diendo Dei verbo inhiante, videbantur iam ad amplam messem operarij deesse. Id intelligens GREGORIVS, plures misit operarios ad tam pium opus: è quibus duces fuere MELLITVS, IVSTVS, PAVLINVS, RVFFINIANVS. MELLITVS postea LONDINO & *Orientalibus Saxonibus*, Episcopus ab AVGVSTINO præfectus est, qui deinde Imperante adhuc PHOCA, ob quædam Ecclesiæ negotia *Romam* missus est. Celebrauit tum BONIFACIVS *Romanus* Pontifex Synodum, cum ceteris *Italiæ* Episcopis, in qua & MELLITVS assedit, decretáque Synodi in ANGLIAM secum retulit, & literas Pontificis ad ETHELBERTVM & LAVRENTIVM Archiepiscopum. Sequens annus Angliæ luctuosus fuit ex morte Regis ETHELBERTI: sed & tristiora accidére, EDBALDO filijsque SEBERTI Regis, à Christo (vt diximus) desciscentibus. In quorum temporum tempestate MELLITVS à filijs SEBERTI eiectus secessit in Galliam, expectaturus, si forte Deus tam graues fluctus compesceret. Compescuit sanè paulo post. Redijt itaque, reuocante eum EDBALDO, MELLITVS, sed redeuntem excluséré *Londinenses*, qui Pontificibus Deorum cultoribus magis obtemperabant.

LAVRENTIO interim ad superos abeunte, locum eius MELLITVS capesit, omníque ANGLIAE claris virtutis, fidei, doctrinæque suæ radijs præluxit, quibus ornamentis longè superabat Natales suos, alioqui valde illustres. Corpore fuit semper affecto & valetudinario, podagráque infestato. Sed quo magis corpus ægritudo deprimebat, eo magis ardua mens erectior fuit ad cælestia meditanda, cælóque tota affixa. Lubet vero hic commemorare nobile quoddam ipsius stratagema, summæ virtutis & fiduciæ in Deum exemplum, è quo reliquarum virtutum eius rationem inire poterimus. *Cantuarienſis* Ciuitas, orto (vt fit) incendio, magna ex parte conflagrauit, neque vlla aqua debacchantem ignem extinguere potuit, iámque ad eum ipsum locum, in quo Episcopus versabatur, cœpit violenter ferri: qui neutiquam irrumpentibus flammis cessit, sed magna in Deum fiducia plenus, illuc vbi violentia ignis sæuiebat, se deferri præcepit. Delatus est ministerio famulorum ita, vt æger pedibus decubuerat. Ecce vero postquam vir sanctus preces ad Deum intendisset, Ciuitatem incendio mox liberauit. Nam quasi ventorum fuisset moderator & gubernator, è vestigio ventus, qui illud incendium alebat, & è meridie spirabat, Septentrionalis factus est, ab eóque loco auersus, deinde totum se remisit. Ita Ciues sancto Episcopo & fortunarum, & animarum salutem ascripsére. Decessit vir pius octauo Calendarum Maij Imperante HERACLIO, ad annum Christi sexcentesimum vigesimum quartum, & Regni EDBALDI Regis *Cantiæ* octauum. Sepultus est cum prædecessoribus suis in Ecclesia sanctorum PETRI & PAVLI cum huiusmodi Epitaphio.

Summus Pontificum, flos tertius & mel apricum.
Hac titulis clara redoles MELLITE *sub arca.*
Laudibus æternis te prædicat Vrbs Dorouernis,
Cui simul ardenti, restas Virtute potenti.

QVO tempore Imperante PHOCA, MELLITVS *Londinenſem*, eo etiam IVSTVS *Roffenſem* sedem regendam suscepit: quo defuncto admotus est[a] IVSTVS *Cantuarienſi*; quam ille ita administrauit, vt nihil prætermitteret, quod ad sanctissimum præsulis munus pertineret; tantæ integritatis, vt IVSTI nomine non tã gentilicio; quàm propter virtutem honorandus censeretur. Has in hoc præsule virtutes agnouit, & mirifice amplexus est BONIFACIVS *quartus*, Romanus Pontifex; ádque absoluendum tam eximium pietatis cursum per literas hortatus est: Pallium quoque transmisit, quo insignitus Sacris operaretur. In memoriam quoque reuocauit, vt non cessaret Catholicam & Romanam fidem gnauiter tueri: cuius quidem rei insigne & monumentum Pallium illud portabat. PAVLINVM ad *Northumbrios*, vt eos ad Christi Religionem perduceret, delegauit: qua de re suo postea loco dicemus. Quanta signa ediderit, non est quòd hic curiosiùs scrutemur, cum de AVGVSTINO sociisque GREGORIVS (vt diximus) scripserit, talia eos edidisse, vt Apostolicorum signorum æmula essent. Munere itaque præclarè cum vita defunctus, ad cælestem patriam felix ascendit quarto Idus Nouembris, Anno Christi 635. Sepulturæ mandatur in Ecclesia Sanctorum PETRI & PAVLI iuxta beatum AVGVSTINVM cum hoc Epitaphio,

[a] *Beda li. 2. c. 8.*

Istud habet bustum meritis cognomine IVSTVM.
Quarto iure datus cui cessit Pontificatus.
Pro meritis IVSTI *sancta grauitate Venusti,*
Gratia diuinam diuina dat his medecinam.

De HONORIO, THEODATO & THEODORO *Archiepiscopis*.

CAPVT VIII.

a *Beda li. 2. c. 18 19. 20.*

HONORIVS, a propter virtutem & Euangelij prædicandi studium, honorandus planè & suspiciendus, IVSTO in sede *Cantuariensi* subrogatus, neutiquam à vestigijs AVGVSTINI & aliorum decessorum recessit: qui, postquam implesset omnia sanctissimi præsulis munia, ad Deum transijt, pridie Calendarum Octobris, Anno Salutis sexcentesimo quinquagesimo tertio: ab eo honorarium laborum, quos in vinea eius colenda posuit, sanè quam amplissimum accepturus. Hic & literas & Pallium à Romano Pontifice suo cognomine accepit; qui prudenter prouidens quantum foret detrimentum recens natæ ANGLORVM ecclesiæ, si *Cantuariensibus* & *Eboracensibus* Ecclesijs vacantibus, *Romam* de more initiandi recurrerent; ita rem temperauit, vt ecclesijs destitutis, *Eboracensis* à *Cantuariensi*, & ille rursus ab *Eboracensi* ordinaretur. Consecratus vero est à PAVLINO *Eboracensi Lincolniæ*. Huius Pontificis temporibus missæ sunt literæ tam à Papa HONORIO ad *Scotos*, qui in Paschali obseruatione a reliqua ecclesia dissidebant, quã, eo & SEVORINO mortuo, aliæ etiam eadem de re literæ. In quibus apparet *Pelagianam* hæresim apud *Scotos* pullulare cæpisse. HONORIVS, vbi præclarè administrationem suam sacram obijsset, ad Christum migrauit. Anno & dimidiato vacauit sedes: sepultus est in aquilonari parte Ecclesiæ beatorum PETRI & PAVLI, cum hoc Epitaphio.

Quintus honor memori versu memoraris HONORI
Digna Sepultura, quam non terat vlla Litura.
Ardet in obscuro tua lux vibramine puro.
Hac scelus omne premit, fugat vmbras, nubila demit.

b *Beda li. 3. c. 20 & 25. l. 4. c. 1.*

SVFFICITVR deinde DEVS-DEDIT siue b THEODORVS, natione occidentalis Saxo, primus ex natione ANGLORVM: decessores enim illius fuêre exteri; quem ordinauit ITHAMARVS *Roffensis*. Is vero, post nouem ministerij sui annos, obijt Anno sexcentesimo sexagesimo quarto, & in Ecclesia beatorum PETRI & PAVLI, siue AVGVSTINI, sepultus est: cuius tumbæ talis habetur inscriptio.

Almæ DEVS-DEDIT, *cui sexta vacatio cedit,*
Signas hunc lapidem, Lapidi signatus eidem.
Prodit ab hac vrna virtute salus diuturna.
Qua melioratur quicumque dolore grauatur.

Fuit is annus insignis non solùm eius, sed & Regis ERCOMBERTI obitu, & Eclipsi, grauique deinde peste (quæ non solum ANGLIAM, sed & *Hiberniam* misere depopulata est) & vehementi inter Anglos & Scotos, propter Paschatis obseruantiam, disceptatione.

c *Beda li. 3. c. 29. li. 4. c. 1. 2.*

DE digno homine ei substituendo, EGBERTVS *Cantiæ*, & OSWIVS *Northumbriæ* Reges accuratè deliberant: Deinde cum summo totius Ecclesiæ Anglicanæ consensu c WIGARDVM virum doctum & pium, ex Clero THEODORI Archiepiscopi selectum, *Romam* miserunt à summo Pontifice initiandum; vt is reuersus nouos, quoties veteres deficerent, Episcopos in ANGLIA sufficeret atque ordinaret. Verum WIGARDVM, antequam sacrum munus suscepisset, grauis quædam lues oborta cum alijs absumpsit. Cuius mors VITALIANVM Pontificem magna mœstitia oppleuit: de qua OSWIVM Regem per literas certiorem fecit: cum quibus reliquias ad eum Apostolorum PETRI & PAVLI, LAVRENTII, IOANNIS & PAVLI, GREGORII atque PANCRATII transmisit, cum Cruce aurea, quæ partem PETRI & PAVLI vinculorum inclusam habebat. Ne vero iusto diutiùs prima Ecclesia Episcopo suo careret, suffecit *Italum* quemdam d THEODORVM d sexaginta sex annorum, non ob ætatem modò, sed ob virtutem, doctrinámque omnem tam Latinam quàm Græcam, venerandum. Quem VITALIANVS Pontifex Subdiaconum initiauit, ceteróque sacros gradus ad quatuor menses suspendit, vt coma Capitis succresceret, moréque occidentis recisis in vertice crinibus, Coronam acciperet. Tonsuram enim in morem Orientalium habuerat moréque patriæ, *Tarsi* ortus in *Cilicia*. Ordinatus vero est *Romæ* à VITALIANO *Dorouernensis* Episcopus, Anno sexcentesimo sexagesimo octauo, missúsque deinde in BRI-

d *Beda l. 4. c. 1. 2. 17 18. 21. li. 5. cap. 8.*

TANNIAM:

TANNIAM: ad quam altero anno peruenit, sedémque tenuit annos viginti vnum, menses tres, dies viginti sex. Comitem autem itineris habuit sanctum & doctum Abbatem ADRIANVM, quem Monasterio beati PETRI Cantuariensi præfecit.

COEPIT tum primum ANGLIA sub his magistris humaniores cultiorésque disciplinas, atque singularem optimarum artium cognitionem imbibere. Nam præter exactam Scripturæ sacræ cognitionem, præcepta Poëtices, Astronomiæ, Arithmetices auditoribus suis tradebant. Iamque vndique exoriebantur, qui linguam Græcam & Latinam vt natiuam callerent. Romana etiam canendi ratio, quam hactenus soli *Cantiani* tenebant, per totam ANGLIAM propagata est. Magnis laboribus totam pænè Insulam THEODORVS obijt, Catholicósque ritus, præsertim obseruationem Paschatis tradidit, primúsque perfecit vt sedi *Cantuariensi* reliqua omnis ANGLIAE Ecclesia lubens prompteque pareret: vigorémque Archiepiscopalem tam ordinando & authorando, quam exauthorando Episcopos, ipsumque adeo WILFRIDVM *Eboracensem*: (de quo suo loco dicemus) per totam quàcunque patebat, ANGLIAM primus exercuit. Synodum Episcoporum habuit, qua inter alia, sinceram & Apostolicam, contra EVTYCHETIS deliria, (quæ *Constantinopolim* aliásque nationes diu turbarant) fidem professi sunt. Duas enim habuit Synodos, alteram apud *Herudford* ad annum sexcentesimũ septuagesimum tertium, in qua de exacta Paschatis solemnitatis obseruatione: de Synodo Episcoporum quotannis conuocanda; néue liceret diuertenti ab vxore marito ob fornicationem, aliam vxorem asciscere, cautum est. Præsedit huic Synodo THEODORVS præsente EGFRIDO *Northumbriæ* Rege. Atque eodem anno obijt post nonum Regni sui annum EGBERTVS *Cantiorum* Rex: cui successit frater ipsius LOTHARIVS, principatúmque tenuit annos vndecim & menses septem. Alteram vero habuit apud *Hethfeldiam* anno sexcentesimo octuagesimo: in qua ANGLI Episcopi promptis proniſque animis, quinque primas & œcumenicas Synodos, earúmque decreta se agnoscere, præsidente eodem THEODORO, præsentéque *Ioanne* Abbate Ecclesiæ sancti PETRI *Romæ* Archicantore, professi sunt. Hunc AGATHO Papa in ANGLIAM amandauerat, tum vt ANGLOS ritum morémque legendi, canendi, festorúmque per annum dierum obseruantiam ad Romanam consuetudinem doceret. (quod ille & voce & scriptis, quæ post se reliquit, accuratè fecit) tum etiam vt reuersus referret, an Catholica fides sarta, tecta & integra apud ANGLOS maneret, quam *Constantinopoli* & alibi *Monotholitæ* infregerant. Eo tamen Pontifice ACHATO Papa decreuit in Concilio, vt duodecim essent ANGLORVM Episcopi, vtrique Metropolitano subiecti. Præterea ne Clerici armis, histrionibus, spectaculis, Citharis, ludis, alijsque huiusmodi oblectamentis se darent: sed potiùs (vt par erat) totos se rerum diuinarum meditationi, pauperúmque curæ impenderent & consecrarent.

EGREGIAM THEODORVS nascentíque ecclesiæ perutilem operam posuit, in conciliandis EGFRIDO *Northumbriæ* & ETHELREDO *Merciorum* Regibus, qui mutuis inter se odijs prælijsque conflictabant. Quo in prælio admirandum quiddam accidit vt quidam prælio illo captus, vinculis certis atque statis horis repentè exolueretur, quantumuis arctè illis constringeretur: quod ideo diuina pietate contigisse postea cognitum est, quòd præsbyter quidam, Captiui frater, pro fratre, quem cæsum putarat, in Missarum celebratione mortuorum iusta faceret. *Beda libr. 4. cap. 21. & 22.*

Meminit THEODORI nostri AGATHO Papa, cum reliqua Romana Synodo in literis ad sextam œcumenicam Synodum: in quibus eum magnæ insulæ BRITANNIAE Archiepiscopum & Philosophum appellat, & *Romæ* expectatum fuisse dicit cum alijs. Sed eum (vt verisimile est) aut ætas nimis inclinata (decessit enim octoginta octo annos natus) aut ecclesiastica negotia domi necessariò componenda, aut vtráque retinuerunt. THEODORVS vero, post munus præclarè viginti duos annos administratum, obijt, & in Monasterio Apostoli PETRI, vt decessores sui omnes, sepultus est, decimo nono Septembris, Anno sexcentesimo nonagesimo: regnante apud *Cantios* WITHREDO, de quo successoribúsque illud dici potest, *Quia corpora ipsorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum viuet in generationes & generationes*, Hoc certè ad summam eius laudem spectat, quòd nunquam meliores successus Religionis habuit ANGLORVM ecclesia; quàm hoc Pontifice: Humatus est iuxta prædecessores suos in ecclesia beatorum PETRI & PAVLI siue AVGVSTINI: † monumentòque eius versibus heroicis sic inscribitur Epitaphium.

† *Alibi* monumentíque

Hic sacer in tumba pausat cum corpore Præsul,
Quem nunc THEODORVM *lingua Pelasga vocat.*
Princeps Pontificum, felix, summúsque Sacerdos,
Limpida discipulis dogmata disseruit.

Namque diem nonam decimam September habebat,
Cum carnis claustro spiritus egreditur.
Alma noua scandens felix consortia vitæ
Cœtibus Angelicis iunctus in arce Poli.

Extat etiam vsque ad hodiernum diem apud me antiquissimum quoddam opus, incerti authoris in pargameno scriptum, de corporibus Sanctorum apud monasterium diui AVGVSTINI sepultis; in quo verbatim reperio de septem primis Ecclesiæ Anglicanæ Columnis, siue CANTVARIAE Archiepiscopis, ab AVGVSTINO vsque ad THEODORVM, hoc dignum & memorabile Tetrasticon.

Septem Primates *sunt* ANGLIS *&* Protopatres.
Septem Rectores, *septemque per æthra* Triones.
Septem sunt Stellæ, *nitet his hæc area cellæ,*
Septem Cisternæ vitæ, *septemque* Lucernæ,

De Cœnobio dicato PETRO *&* PAVLO *per* AVGVSTINVM Cantuariensem: *De* PETRO *& alijs eius præsidibus: Déque diplomate* ETHELBERTI *Regis, quod eidem Cœnobio concesserat.*

CAPVT IX.

[a] *Beda li. 1. c. 33.*

EVIT *Doroueruia* ecclesia quædam, quæ constructa erat à *Romanis* quo tempore BRITANNI fidem profitebantur. Hanc [a] AVGVSTINVS regia ETHELBERTI ope ad priorem vsum reduxit, Christóque Saluatori consecrauit: sedémque ibidem sibi ceteriſque deinceps Successoribus locauit. Ceterum, vtrum qui ibi Deo deseruiebant Monachi fuerant, an liberioris & solutioris vitæ, ex *Bedæ* scriptis certò non possum pronunciare. In ea [b] tamen sententia hærere quosdam ex nostris historiographis video, vt monasterium fuerit. neque idonea illis sententiæ suæ adiumenta deesse scio. Illud vero extra omnem controuersiam est, construxisse ETHELBERTVM ibidem monasterium diuo PETRO & PAVLO dicatum, & possessionibus liberaliter amplificasse, in quo voluit corpora Archiepiscoporum Regúmque *Cantianorum* recondi. Primus eius Cœnobij Abbas PETRVS quidam fuit *Romanus*, vnus ex primis quadraginta illis AVGVSTINI comitibus: qui cum legationem quandam in *Galliam* obijsset, in ipso traiectu maris perijt. Cuius corpus in littus deiectum, cum à *Gallis* ignobili sepulturæ mandatum esset, cælestis quædam lux singulis noctibus super tumulum emicabat. Quæ res excitauit eos ad diligentem accuratámque quandam inquisitionem, quinam ille demum fuerat, qui ibi esset humatus. Qui cum tandem intellexissent quisnam is esset, effossum corpus *Bononiámque* translatum, in Ecclesia honorificè condiderunt.

[b] *Gul. Malm. de Pont. lib. 1. Gul. Spina de Abb. Cant. Aug.*

PRIMVM fuit hoc totius ANGLIAE cœnobium, quod Ethelbertus, vt annuis prouentibus, pretiosisque cimelijs, magnisque priuilegijs amplè ornauit; ita diris execrationibus aduersus posterorum iniurias muniuit. [c] Quam donationem & AVGVSTINVS speciali scripto suo corroborauit, exemítque ab omni Archiepiscopi iurisdictione Cœnobium illud: varijsque reliquijs Diuorum quas *Roma* auexerat, ornauit. Inter quas fuit pars inconsutilis Domini tunicæ, & virgæ *Aaron*. Quod AVGVSTINI priuilegium, remanebat in Cœnobio sub diplomate seu bulla (vt appellant) plumbea. Ob quam causam multis postea sæculis, illud infringere & infirmare conabatur RICHARDVS *Cantuariensis* Archiepiscopus, quòd is signandi modus Romanis Pontificibus proprius esset. Sed & PHILIPPVS *Flandriæ* Comes transmisit in ANGLIAM similem quandam Bullam Episcopi cuiusdam, qua ipse & decessores sui vtebantur.

[c] *Gul. Spina de Abb. Cant. Aug.*

PETRO suffecti sunt IOANNES, RVFINIANVS, GRATIOSVS, PETRONIVS, NATHANAEL *Romani* homines, & qui cum AVGVSTINO, aut postea cum MELLITO & IVSTO in ANGLIAM venerant. Vacauit deinde præfectura Cœnobij ad biennium. Diplomatis vero illius exemplar in lectoris gratiam iam subijciemus. In nomine Domini nostri IESV Christi. Omnem hominem, qui secundum Deum viuit, & remunerari à Deo sperat &

rat & optat, oportet, vt puris precibus consensum hilariter ex animo præbeat. Quoniam certum est tanto facilius ea, quæ ipse à Domino poposcerit, consequi posse, quanto & ipse libentius Deo aliquid concesserit. Quocirca ego ETHELBIRTVS Rex CANTIAE, cum consensu venerabilis Archiepiscopi AVGVSTINI ac Principum meorum, do & concedo in honorem sancti PETRI, aliquam partem terræ iuris mei, quæ iacet in Orientè Ciuitatis *Dorobernie*: ita duntaxat, vt Monasterium ibi construatur, & res quam supra memoraui, in potestate Abbatis sit, qui ibi fuerit ordinatus. Ideo adiuro & præcipio in nomine Domini Dei omnipotentis, qui est omnium Rex Iudex iustus, vt præfata terra subscripta donatione sempiternaliter sit confirmata; ita vt nec mihi, nec alicui Successorum meorum Regum aut Principum, siue cuiuslibet conditionis dignitatibus & Ecclesiasticis gradibus, de ea aliquid fraudare liceat. Si quis verò de hac donatione aliquid imminuere, aut irritum facere tentauerit, sit in præsenti separatus à sancta Communione corporis & sanguinis Christi, & in die Iudicij ob meritum malitiæ suæ, à consortio Sanctorum omnium segregatus: *Dorobernia*; Anno ab Incarnatione Christi sexcentesimo quinto. Indictione octaua. Ego ETHELBERTVS Rex *Cantiæ* sana mente integróque consilio, donationem meam signo sanctæ Crucis propria manu roboraui confirmauique.

THEODORO vero *Cantuariæ* sedente, Cœnobium hoc regebat ADRIANVS vir *Africanus*, sed sacrarum litterarum, linguæque Græcæ & Latinæ accurata peritia instructissimus, Abbas Monasterij *Niridani*, quod non procul aberat à *Neapoli Campaniæ*. Hunc vehementer vrgebat VITALIANVS Papa, vt *Cantuariensis* sedis vacantis curam in se susciperet. Quam ille magnopere declinabat. Sed cum eum premeret VITALIANVS, neque vllam satisfactionem acciperet, tandem cum eum de THEODORO (de quo diximus) certiorem fecisset, homine ad id munus valde accommodato, absoluit quidem ab Episcopatus illius cura ADRIANVM; sed ita, vt ille se itineris comitem, totiusque deinde vitæ socium THEODORO adiungeret, & diligenter animaduerteret, ne ille homo Græcus suorum more aliquid contra Latinæ ecclesiæ morem Ecclesiasticum inouaret. Quam ille conditionem lubens accepit. O miram humilitatem! honorem refugit non onus, dignitatem non labores, maluitque priuatus quantocunque se labore exercere subesse, quàm alijs præesse. THEODORVS cum ANGLIAM attigisset, & sede sua esset potitus, huius illi Cœnobij curam credidit: nam & id abeunti THEODORO mandauerat Papa, vt ei in sua Diœcesi commodum idoneúmque locum prospiceret. Magno ille quidem pietate sua & doctrina, non solum THEODORO, sed & vniuersæ ANGLIAE adiumento fuit & ornamento, totos triginta & nouem annos. Obijt anno Christi septingentesimo octauo, quinto Idus Ianuarij: & humatus est in ecclesia beatæ MARIÆ virginis, quam in prædicto Cœnobio construxerat EDBALDVS Rex.

Bedalib. 4. c. 1. li. 5. ca. 21.

De Diua MILDREDA, *& alijs sacrarum in* CANTIO *hoc sæculo virginum Præfectis, earúmque Monasterijs.*

CAPVT X.

NON virorum modò sed & feminarum illustrium ferax atque fæcunda fuit hoc sæculo ANGLIA. Virtuti enim vndique patet aditus: à qua vt nulla Natio, ita nec ætas, vel sexus infirmior excluditur: Id quod multæ hisce temporibus feminæ insigniter ostendêre: quarum aliquot magis eminentes, suo quasque loco, à *Cantia*, vnde fidei & virtutum lux vicinis primum Regionibus effulsit, exordientes Lectoribus proponemus. Constructum est igitur inter cetera hoc sęculo cœnobium[a] MENSTREIAE in *Thaneto* insula, vbi AVGVSTINVS primùm applicuit, per EGBERTVM Regem *Cantianum*, ad expiandam, perpetuis sacrarum virginum precibus quas illic collocauit, cædem illam ETHELBERTI & ETHELBRITTI (de quibus diximus) quam aut mandasse, aut ad eam conniuisse creditur. Cui Cœnobio post[b] SABBAM (cui & eius Cœnobio, WITHREDVS & alij Reges multa prædia contulêre) beata MILDREDA[c] præfuit: cuius tritauus fuit Rex ETHELBERTVS. EDBALDVS enim qui ETHELBERTO successit, pater fuit ERMENBERGI Reguli, sanctę ERCOMBERTAE, & S. EANSWIDAE.

[a] *Ioan. Capgr. in Ethelberto & Ethelbrito.*

Huius fac. 5.

[b] *Gul Spina.*

[c] *Ioan Capgr. in vita Mildred.*

ERMENREDVS procreauit ETHELBERTVM, & ETHELBRITTVM: quatuor præterea filias, DOMNENAM, ERMENBVRGAM, ERMENBIRGAM & ERMENGITHAM. ERMENBVRGA mater fuit MILBVRGAE, MILDREDAE, MILGITAE & sancti pueri MEREFINI.

ERMENBVRGA magno sanè studio atque diligentia MILDREDAM ad virtutem & virginitatem educabat; eiúsque rei gratia eam ex ANGLIA ad Monasterium virginum in *Gallia* (quod *Cale* dictum est) emisit. Quæ postea reuersa, à THEODORO Archiepiscopo sacris virginibus in dicta Insula *Thaneto* præfecta est. Quas illa non tam imperio, quàm exemplo suæ virtutis optimè gubernabat, & ad pietatem promouebat. Regij enim generis & præfecturæ oblita, præ ceteris se submissiùs gerebat. Infirmarum officia non detractabat, non tam præesse, quàm prodesse cupiens. Quare amari potiùs quàm timeri voluit. Orandi, ieiunandi, vigilandi assiduitate, non minus quàm ipsa dignitate reliquas antecedebat. Post munus itáque sanctè administratum lecto decumbens, accersitis ad se virginibus & sanctissimis datis præceptis, præsertim vt præ ceteris mutuam inuicem charitatem conseruarent, humilitatem sectarentur, ad Christum migrauit tertio Idus Iulij, signis in vita & post mortem potens. Causa vero cur in *Galliam* transmitteretur fuit, vt, quoniam nulla aut pauca adhuc essent in ANGLIA sacrarum virginum Monasteria, Monasticam disciplinam accuratiùs ibi perciperet.

Ioan. Capgr. SVCCESSIT in administratione Cœnobij EDBVRGA, quæ parentes habuit ETHELBERTVM Regem, piámque Reginam BERTHAM. Tantis talibúsque parentibus non infeliciter respondit EDBVRGA: quæ prudenter apud se cogitans, quàm luculento & diuino beneficio Deus ipsius patrem ANGLOSque nuper ornasset, quos è tenebris & potestate dæmonum, ad lucem Euangelij celestémque gloriam asseruisset, nunquam desinebat immensas ob hoc beneficium gratias Deo agere, & cogitare accuratiùs quo modo rectissimè vita instituta, tantorum bonorum authori placeret, quomodo se ei coniunctissimam redderet, qua ratione potissimùm caueret, ne vitæ improbitate, delicijs-úe recens acceptam fidem contaminaret. Quæ cum omnia despexisset, virginitatis vitæque solitariæ scopum, quasi huic sancto proposito maximè accomodum, seligendum sibi putauit. Rationibus itáque secum ita benè subductis, in disciplinam se dedit in Monasterio *Thanatensi*, vbi nihil sibi reliqui fecit ad summam diligentiam, summósque labores, quibus virtutis quandam consummationem adipisceretur. Quo factum est vt cum tanto virtutis desiderio flagraret, tantum reliquas virgines post se sanctitate relinqueret, quantum ipsa generis sui nobilitate.

QVARE pòst obitum MILDREDAE, summo omnium consensu ad præfecturam totius Monasterij suffecta est: quam functionem tam sanctè obiuit, vt nõ sine causa post obitum (qui in Idus Decembris incidit) cœlo ascripta ab omnibus censeretur. Cuius sanctitati multa, quæ ad sanctum eius loculum atque alibi præclare gesta sunt post eius obitum, magnum præbuere
[a] *Flor. an. 614.* testimonium. Quin & mater MILDREDAE ERMENBVRGA, [a] licet maritum haberet PENDAE Regis *Merciorum* filium adhuc superstitem, tanto tamen ardore vitæ solitariæ & monasticæ ferebatur, vt non priùs conquieseret, quàm mariti quoque consensum elicuisset. Desiderio itaque potita, redit in *Cantiam* ad fratrem EGBERTVM, propositíque sui participem facit, opemque ad id persequendum postulat: Cui ille apud *Estreriam Cantiæ* oppidum Monasterium, dictis martyribus ETHELBERTO & ETHELBRITTO consecratum, ædificauit: vbi persanctè reliquam vitam cum alijs septuaginta feminis Deo
[b] *Florent. Wiger. in Chronico.* deuotis transegit. [b] ETHELBVRGA vero, alia ETHELBERTI Regis filia, & Regis *Northumbriæ* EDWINI vxor, Cœnobium constructit apud *Lymen* in *Cantia*, vbi & humata: vt & SEXBVRGA ERCOMBERTI Regis vxor, aliud apud *Shepeiam*.

Ioan. Capgr. & Florent. Wiger. EMSVIDA etiam hoc sæculo *Cantiam* ornauit. Fuit vero neptis ETHELBERTI Regis ex filio EDBALDO, digna tali Auo: Ab infantia miro ardore ad pietatem rapiebatur, ea quæ puellis blandiri solent, penitùs floccifaciens: magnopere ad vitam, ab aulico & mundi strepitu remotam, propensa. Quod genus vitæ vt liberiùs prosequeretur, commodum in *Cantia* prope *Folstanum* oppidum locum sibi delegit, in quo cum sacris virginibus recte illud Prophetæ meditata est: *Vacate & videte, quoniam ego sum Deus*: in quo continenter gratias Deo agebat ob recens illud, atque

Psal. 45. 11.

immortale

immortale Christianæ fidei beneficium, ab ANGLIS auo eius regnante acceptum. In quo denique summis laboribus, summa abstinentia, summis vigiliis, reliquaque vitæ austeritate se exercuit. Tandem post vitam innocentissime actam ad Christum sponsum, cui vnice erat addicta, pro quo omnia mundi oblectamenta & adblandientes voluptatum species, nobilissimúmque sponsum *Northumbrorum* Regem fastidierat; † permultis etiam, vt traditur, admirandis operibus per eam designatis, nobiliter migrauit pridie Calendas Septembris. Monasterium quod incolebat, temporis iniuria postea concidit, & Cæmiterium mare vicinum inuasit. Quare beatæ virginis reliquiæ inde in Ecclesiam, diuo PETRO sacram, apud *Folscanum* quam condiderat pater eius EDBALDVS, traductæ sunt. † *Al.* in multis.

De Episcopis Rocestrensibus *siue* Roffensibus IVSTINIANO, PAVLINO ITHAMARO.

CAPVT XI.

CANTVARIAM excipiet ROFFA, non propter amplitudinem & celebritatem ciuitatis, sed viciniam, & quòd isdem fere temporibus in veram religionem coaluit. Est Episcopatus accisо, tenui & exili censu, parum celebris, nec tamen tam annuo reditu exilis, quam ad omnem ecclesiasticæ historiæ † materiam infœcundus, reliquæ illius nulla illustri laude aut commemoratione celebratæ sunt[a]. Quæ penitus ad *Normanorum* vsque tempora sempiterna obliuione sepultæ fuissent, nisi BEDA tenuem saltem earum memoriam suis monumentis ab interitu vindicasset. [b] Vrbs apud antiquos DOROBREVIVM siue DVROBREVIVM dicitur, posita ad *Wagæ* rapidissimi fluminis ripam, appellata[b] *Rofoceſtre*, à viro quodam principe & Domino vrbis, qui *Rof* dicebatur. Quæ adhuc familia, aut eiusdem † certæ nominis, apud *Cantianos* religet. Primum ibidem Episcopum AVGVSTINVS [c] IVSTVM, de quo diximus, posuit. Qui suffectus in locum MELLITI *Cantuariensis* [d] ROMANVM sibi *Roffæ* substituit. Nec ita multò post legationis causa, *Romam* ad HONORIVM à IVSTO missus, in naufragio perijt. In locum eius substitutus est [e] PAVLINVS *Eboracensis* Archiepiscopus. Qui cæso EDWINO *Northumbriæ* Rege, ad *Cantianos* fugit. De quo viro vberior nobis est dicendorum materia, quæ tamen ad alium locum magis accommodum referemus. Admirari interim & exoscularі licet maiorum nostrorum in PAVLINO frugalem, & ab omni ambitione remotum animum, qui à tam splendida lapsus, tam placide in humiliore apud *Roffam* fortuna acquiescebat, & non tam locus hominem, quam homo locum ornauit. Vbi tandem animam Deo, corpúsque terræ commendauit, decimo nono anno post susceptum *Eboraci* Episcopatū, & ad annum Christi incarnati sexcentesimum quadragesimum quartum sexto Iduum Octobris. Humatus est in templo, quod Rex ETHELBERTVS ANDREAE Apostolo ibidem posuit. [f] Ad PAVLINI opem implorandam solent prouinciales non inanibus votis frequentes concurrere, Cuius postea corpus à LANFRANCO *Cantuariæ* multò honorificentius conditum est.

† *Alibi* fructum.

a *Ioan. Leland.*

b *Bedali* 2. c. 3.

† *Alias* saltem.

c *Bedali* 2. c. 3.

d *Idem* l. 2. c. fin.

e *Idem* l. 2. c. 20. & l. 3. c. 14.

f *Gul Malmesb. de Pontif & lo. Capgr.*

PRO PAVLINO ITHAMARVS ordinatus est ab HONORIO *Dorobernensi*; non vt decessores sui & extraneus, sed domesticus, & ex ipsis *Cantianis*, nec id quidem sine aliquo patriæ (cuiid decus primus intulit) ornamento, decessoribus suis sanctitate & doctrina nihil cedens. Post multos annos ab obitu translatum est corpus eius in locum honorificentiorem, ob crebra per eum edita miracula. Quæ translatio facta est quarto Iduum Ianuarij. Quo die in ecclesia *Roffensi* annua eius memoria stata solemnitate celebratur. ITHAMARVS verò sacris Pontificijs initiauit, defuncto HONORIO, *Cantuariæ* THEODOTVM, siue DEVS-DEDIT, de prouincia *Orientalium* Saxonum. A quo, ITHAMARO defuncto, constitutus est *Roffensis* Episcopus DAMIANVS, ex *Australibus Saxonibus* originem ducens. DAMIANI sedem capessit PVTTA, modulandi gnarus, vir simplicitati quietique deditissimus, à rebus sæculi idem remotissimus. Quare non alieno animo quietem (*Cantuariorum* & *Roffensium* regione vndique per ETHELREDVM Regem *Merciorum* vastata, ecclesijs monasterijsque euersis) amplexus, ad SEXVLFVM *Merciorum* Episcopum secessit, circiter annum sexcentesimum septuagesimum septimum, & tenui parcóque victu

g *Bedali* 3. c. 4. & 20. & l. 4. c. 1. 2. & 12.

contentus, de restaurando Episcopatu parum solicitus, in eo otio reliquum vitæ absumpsit; sed quam habebat canendi peritiam, rogantibus ingenuè & liberaliter communicauit. QVICHELMVS deinde huic administrationi admotus est per THEODORVM. Sed et eũ rerum omnium inopia & vastitas deterruit, vt paulò pòst abierit. Atenim succedens GEBMVNDVS, cum dura fortuna fortiter luctatus, constanter permansit; suáque industria videtur res ecclesiæ æquiore loco constituisse.

De *Regno & Regibus* Ostrosaxonum, *siue* Orientalium Saxonum.

CAPVT XII.

HOC, & *Orientalium* ANGLORVM regnum, quod quidam idem existimant, & vtriusque, eandem sedem regiam LONDINVM (qua in re nos *Bedam*, *Gulielmum Malmesburiensem*, & alios libentiùs sequimur aliter sentientes) eodem ferè tempore natum. Fuit verò hoc tempore *Cantianis* Regibus ab ipso HENGISTO, cum *Orientalibus* ANGLIS & *Australibus* SAXONIBVS subditum; licet suos & ipsi Reges habuerint. Accreuit postea *Mercijs* cum *Orientalibus* ANGLIS, vt *Australes* SAXONES *Vissaxonibus* [a]. Primus igitur horum Rex SLEDDA. Alij ad triginta quinque priùs annos statuunt † ERCHENWINVM. SLEDDAE, filius SEBERTVS siue SIGEBERTVS successit, nepos ETHELBERTI ex sorore RICVLA. Hinc factum est vt facilè ETHELBERTO admonente, ipsi & OSTROSAXONES, MELLITIQVE sancta cohortatione, Christo initiarentur. Est autem LONDINVM celeberrimum & nobilissimũ totius BRITANNIAE emporium, locus omnibus terræ marisque commodis affluentissimus, & regia sede, quæ ibi multis sæculis defixa est, dignissimus. *Ioannes Lelandus* scribit TRINOVANTVM, quasi Troiam nouam, antiquitus dictam, & vno circiter ante Christum natum sæculo, à LVDDO Rege, qui eam vrbem nouis & magnificis ædificijs splendidè exornauit, LONDINVM appellatam. Cuius nominis & vrbis celebritatis, non obscura cernuntur apud veteres scriptores testimonia. *Ammianus* autem *Marcellinus* AVGVSTAM appellat libro 28. Splendidum autem diuo PAVLO, ab [b] ETHELBERTO atque SIBERTO, *Londini* templum positum est. Cui pio Regi impij & perditi filij SERREDIVS, SEVARDVS, SIGEBERTVS successere. Qui post patris obitum, ad idola palam lapsi sunt, & tamen interim sacrosanctam Eucharistiam (quam nitidum panem appellabant) à MELLITO postulabant, sed ab eo repulsi quòd baptismum recusarent, impietatis mox suæ pœnas, à Rege *Occidentalium* SAXONVM bello cæli, dederunt [c].

AT HIS succedit Sigebertus, qui *Parvus* dictus est, filius SEVARDI, & huic alius [d] SIGEBERTVS. Huic magna cum Rege *Northumbriæ* OSVVIO necessitudo erat, quæ maximo illi tandem bono fuit. Nam cum ad eum in *Northumbriam* diuertere soleret, ita eum sanctis hortationibus suis OSVVIVS fregit, vt christianam religionem, quæ à morte primi † EGBERTI de medio in eius regno sublata fuerat, reportaret & restitueret. Baptismum à FINANO in *Northumbria* ipse accepit: Reuersúsque, per CEDDVM præsbyterum reliquam suam prouinciam Christo lucrifecit. Cæsus est pius Rex à propinquis, nihil aliud in tam crudeli facto cau santibus, quam nimiam illius in inimicos propensionem & misericordiam. In quo tamen ille, quàm proximè ad Christi nostri præcepta & æmulationem egregiè accessit: vt meritò talis mors, ad æternæ mercedis apud Deum incrementum, accessisse illi credatur. Quæ tamen & diuinam aliquam in eum, sed temporariam vindictam implicatam secum habuisse videtur, cùm contra CEDDI præceptum, ad occisoris domum accesserit; quem ille, ob vetitum & adulterinum matrimonium, anathemate priùs confixerat. Et ne quis, vel in cibo, quid commune haberet cum eo, seuerè denunciabat. Quod genus mortis, sanctus ille vir aliquando ei prædixerat.

POST SIGEBRTVM principatum accepit SVITHELMVS, christianæ religionis & ipse cultor. SVITHELMO succesere Reges SIGEHERVS & SEBBI, sed sub imperio regis Merciorum WLPHERII, qui nouum iam priori beneficio accumulauit. Cum [e] enim sæua vndique pestis omnia depopularetur, SIGERIVS, & ex nobilitate eius multi, aut animas post hanc vitam non superesse, aut dæmonum præsidio hanc omnem calamitatem auerti posse, stolidè existimantes, miserrimum fidei suæ naufragium fecêre. Idola itaque passim coli cepta: sed

[a] *Gul. Malmesb. de reg. li. 1.*
† *Aliàs* Æschwinum.
[b] *Bed li. 2. c. 5.*
[c] *Gul. Malmesb. Floril. an. 613.*
[d] *Bed li. 3. c. 22. Flor. 640.*
† *Aliàs* Seberti.
[e] *Bedæ li. 3. c. 30.*

sed Wilpherii persuasione, ad officium redière, Iarvmannique Episcopi, ab eo illuc delegati, diligenti & sedula prædicatione. At Sebbi Sigerii regis frater, ne latum quidem (quod dicitur) vnguè ab officio deflexit: homo abundanti eleemosynæ & reliquæ omni pietati deditissimus, adeò quidem falso mundi splendore nihil præstrictus, vt multis annis nihil magis, quàm quietam & solitariam vitam cogitarit: sed implicatus coniugio has suas cogitationes perficere non potuit, nisi post trigesimum regni annum paulóque ante mortem. Solicitus tamen erat, ne prioris vitæ sordes nimium in se hæsissent. Sed hanc omnem solicitudinem depulit felix ante obitum apparitio, ex qua & diem obitus, & veniam peccatorum factam intelligens, securissimo animo obijt. Ita vero contigit, vt cum corpus humo mandaretur, sarcophagus nimis breuis pro longitudine corporis inueniretur. Hæc res cùm astantium, & imprimis Waldheri *Londoniensis* Episcopi, filijque Sighardi animos torqueret, mirum dictu; repente præter omnium expectationem, corporis illius longitudinem multum excedere visus; atque ita solicitudo illa omnium animis exempta. Post Sebbi circiter annum sexcentesimum octuagesimum tertium defunctum, Sighardvs modò nominatus cum fratre Sefredo principatum sumit. *Idem li. 4. c. 11.*

De *Episcopis* Orientalium Saxonvm.

CAPVT XIII.

QVEMADMODVM ad tempora Britannorvm, *Londinum* Metropolis fuit, primariáque sedes Episcoporum; ita eam & Gregorivs, post Avgvstini ingressum, instituit: sic tamen, vt quamdiu ille viueret, omnia ad illius principatum, potestatem, & voluntatem † recíderent. Verum enimuerò? cum Rex Ethelbertvs, qui primus Christo nomen dedit, longiùs latiúsque ceteris omnibus Angliæ Regibus imperaret, & Dorobernia Cantiæ metropolis sedésque Regia, prima ex omnibus ciuitatibus Christum sit professa, primúsque noster Apostolus Avgvstinvs & viuus sedem, & mortuus sepulchrum ibi sibi constituerit; & hoc omne metropolitanum decus atque ornamentum, eo etiam mortuo, huic Vrbi Lavrentioqve & alijs eius successoribus, summo omnium consensu, & non *Londino* adhæsit. Quam Romani etiam Pontifices suo postea diplomate prærogatiuam confirmabant. Mellitvm Avgvstinvs primum *Londinensibus* ceterisque Ostrosaxonibvs Episcopum designauit. Qui & in Lavrentii *Doroberneusis* defuncti locum suffectus est. Qua de re, vt de reliquis eius actionibus, & quali tempestate iactatus sit, mortuo Rege Siberto, alibi diximus, neque necesse erit repetere. Post [a] extrusionem & deturbationem Melliti *Londinensis* sedes aliquot annis vacauit, Ostrosaxonibvs in sordibus idololatriæ turpiter hærentibus. Postea regnante Sigeberto filio Sewardi, ad officium & fidem rediere, opera Ceddi, de quo commemorauimus, quem Finanvs illuc destinauerat. Qui cùm in Nortvmbriam reuertisset, legationémque Finano renunciasset, ille lætus tam pio rerum successu, ipsum Episcopum [b] Ostrosaxonibvs designauit; Remisitque in eas oras, vbi ille Sacerdotes & Diaconos initiauit, qui sacram operam in sancto negotio prouehendo coniungerent.

† *Aliàs* cederent.

Cap. 7. huius sæculi.

[a] *Anno 611. Florid.*

Cap. præcedenti.

[b] *Bed. li. 3. c. 22.*

Mvltvm ille prius rem Christianam apud *Mercios* promouerat. Nam [c] cùm † Penda Pendæ Regis *Merciorum* filius, Regis Osvvii filiam Elfredam præsens in vxorem enixè postularet, non alia eam pater conditione elocare voluit, quam si cum sua natione Penda, idolis abiectis, ad Christum transiret. Qui hac occasione aures animúmque hauriendæ veritati intendens, sinceritate nostræ religionis cognita, adeò eius desiderio flagrauit, vt eam se vltrò, etiam si vxore desiderata excideret, libenter amplexurum fateretur. Baptismo itaque cum suis comitibus, quos ad iter adhibuerat, admotus, reuersúsque ad suos, cum alijs nouæ fidei doctorem præcipuũ adduxit Ceddvm. Iam antea diximus quomodo Rex Sigebertvs comitis cuiusdam domum, quem Ceddvs anathemate deuouerat, adierat, conuiuióque ab eo exceptus sit. Rex reuertens equo insidens incidit in Ceddvm, equóque desiliens veniam precatus est præuaricationis suæ; Cui ille denunciauit, vt, qui contra interdictum domum perditi & deplorati hominis ingressus esset, domi interiret. Quæ prædictio euentum suum, vt retulimus, habuit. Soleb at vir pius patriam suam *Northumbriam* sæpè inuisere, vbi Rex Ethelvaldvs Oswaldi Regis filius, certas ei possessiones dederat ad mona-

[c] *Bed. li. 3. c. 21.*
† *Aliàs* Penda.

Precedenti cap. Bed. li. 3. c. 22.

Idem li. 3. ca. 23.

sterium construendum; cui ille operi manum priùs admoliri noluit, quàm ieiunijs & oratio
nibus locum Deo consecrasset. Transacta itaque quadragesima (quæ tum instabat) tenui &
parco victu (singulis enim diebus ieiunium ad vesperam protrahebat cum modico pane & v-
† *Alibi* depastus. no ouo gallinaceo, & modico lacte, aqua macerato † pastus) societatem monasticam in eo
loco qui *Lestinghem* appellabatur, constituit. Ipse quoque in eò monasterio posteà, cum
Northumbriam inuiseret, defunctus est. Quem locum, cuim fratres religiosi quidam viri ex mo-
nasterio eius in prouincia *Orientalium* SAXONVM postea inuiserent, peste, excepto vno
puerulo, abrepti sunt: Quem credibile est sancti CEDDI intercessione huic periculo exemp-
tum, tum vt sibi ad arcendam æternam mortem, neque enim baptismo perfusus erat (vt po-
stea intellexit) tum vt alijs ministerio sacerdotióque suo, quod posteà adeptus est, ad æter-
nam salutem consuleret.

Gul. Malmesb. Pontif. lib. 2. HABVIT CEDDVS fratres CEDDAM, posteà Episcopum, *Cinebillum & Ceulinum* sacer-
dotes. Successit sancto degener & adulterinus Episcopus WINNA, qui cum esset à KENE-
WALCHO Rege VISOSAXONVM pulsus a sede *Wintoniensi*, pecunia deprauauit *Mer-
ciorum* Regem WLFERIVM, qui eo facto & priorum beneficiorum, quæ in OSTROSA-
XONES posuerat, gratiam famámque suam valde apud posteros contaminauit. Nouum ve-
rò in WINNA *Simonem* renatum adeò posteritas auersata est, vt nomen eius, memorabili zelo
atque exemplo, ab Episcoporum albo prorsus dispunxerit. Verumenimuerò has omnes Simo-
niacas WINNAE sordes improbitatémque, ERKENWALDI successoris integritas pietasque
sarciere. Neque est quod hic recenseam clarissimum alioqui & Regium genus, vnde ortus
est ab OFFA Rege *Orientalium* ANGLORVM. Sed omnem OFFA suam nobilitatem,
perfidia impióque deorum cultu contaminauit; ERKENWALDVS verò generis ornamen-
ta, christianæ fidei professione insignique virtutum cumulo, cum primis illustrauit & amplifi-
cauit. Circiter tricesimum ab aduentu AVGVSTINI annum, pius vir ex paternis ipsque am-
a Beda lib. 4 c. 6. plissimis diuitijs præter alia pietatis opera, duo [a] monasteria condidit. Alterum pro se alijsque
viris contemplationi diuinarum rerum deditis, apud CEROTESEI, id est, Ceroti insulam:
Alterum pro sacris virginibus apud BERCKINGVM, ad annum domini sexcentesimum
septuagesimum septimum. Cuius donationi, ad eiusdem corroborationem, subscripsere præ-
ter ipsum, WILFRIDVS & HEAD Episcopi, TVDA & EGBALDVS Presbyteri, & Ab-
bates. Ita ille bonorum suorum Christum heredem fecit.

POSTEA cum virtutis eius fama vndique inclaresceret, ea excitus THEODORVS *Can-
tuariensis* Episcopus, vacante tum *Londinensi* sede, Episcopum eum designauit. Quem Epis-
copatum ita administrauit, vt nihil omiserit, quod ad absoluti pastoris laudem attingeret: vir
b Gul. Malmesb. de Pontif. lib. 2. fuit tantæ sanctitatis, vt rapidissimus ei fluuius [b] (vt olim Iosue) transeunti cesserit; vt lectu-
c Beda lib. 4. c. 6. cæ [c], qua ægrotus deferebatur, contactu, ægroti sanitati redderentur. Sanctitatem viri, eius
post mortem merita valde illustrarunt, & sanitates à Deo per eum præstitę; quas conseque-
bantur qui vel currum contingerent, quo viuus ferebatur quoties infirmus ad concionan-
d Ex Annalibus eccleſia Lond. & Ioan. Capgr. dum prodiret; frusta lignorum ex eo recisa ægrotis profuêre. [d] Regnante GVLIELMO *primo*
ferale incendium noctu exortum, vrbem ab Occidente ad Orientem, ipsamque *Paulinam
Londini* ecclesiam misero spectaculo absumpsit. In quo illud stupendum ac mirum accidit, vt
sepulchrum tantummodo beati Episcopi illæsum esset, ceteris omnibus vndique per flam-
mas absumptis. Quid? quod Pallium sepulchro iniectum, à flammis vndique incumbentibus
e Ioan. Capgr. & sæue bacchantibus, nihil detrimenti senserit? [e] Reliqua miracula alij prosequuntur, præser-
tim quæ translationem eius (quæ contigit anno salutis millesimo centesimo quadragesimo, &
decimo quarto Nouembris) ornarunt. Huic deinde muneri præfuêre WALDERVS & IN-
GVALDVS, postremus eorum, quem *Beda* recenset.

De

De Canobijs OSTROSAXONVM & de Diua ETHELBVRGA.

CAPVT XIV.

EST hoc sæculo Londini ad occidentem celeberrimum *Benedictinorum* templum, a Rege SEIBERTO positum, de quo vberius vndecimo sæculo differemus. ERKENWALDVS verò, vt diximus, præter † Chertesienſe, in comitatu Surreiæ, de quo alibi tractabimus, aliud sacris virginibus ædificauit a Berchingij prope Londinum. Et quoniam ANGLORVM populus recens religionem christianam imbiberat, & rara adhuc extarent virginum monasteria, HILDELITHAM quandam extraneam, sed pietate & monastica conuersatione insignem, accersiuit. Cuius fidei inter alias virgines sororem suam ETHELBVRGAM credidit. Illa verò breui eo prudentiæ & sanctitatis euasit, vt post mortem HILDELITHAE, ad monasterij totius gubernationem, summis omnium suffragijs vocaretur. Quod munus magna dexteritate sanctitatéque obiuit, ieiunijs, vigilijs, orationibus, die noctúque addicta; voluptates omnes fortiter coercuit; quicquid apud ęculum splendidum & plausibile habetur, floccifecit; assiduisque cohortationibus sorores, vt vitæ suæ diligenter & accuratè attenderent, vt omni ope, quæ Christo sponso displicerent, fugerent, vt virtutem strenuè sectarentur, quotidie excitauit. Sæua quædam pestis, cum loca vicina, tum & beatę monasterium fortè inuasit. Ibi tum ETHELBVRGA nullam curandi & refocillandi sororum corpora, nullam mentes ipsarum ad cælestis regni desiderium erigendi occasionem prætermisit. Admonuit sedulò, vt in parato atque procinctu haberent lampades suas, recta fide sanctisque moribus ornatas, quibus aduentantem sponsum totæ illuminatæ atque gratulabundæ exciperent. Solebat etiam ægrotantium voluntatem exquirere, quonam monasterij loco corpora sua post obitum reponi desiderarent. Sed ad hanc quæstionem, sæpiùs licet iteratam, nullum sanè responsum extorquere potuit. Quod ideo diuina prouidentia struxit, vt non tam ab ipsis, quàm ex cælesti † iudicio id intelligeretur. Cum enim quadam nocte post absolutas matutinas laudes, sorores de more ad sepulchra fratrum & sororum defunctorum pertexissent, vt pijs precibus ipsorum animas Deo commendarent; ecce dum sacras preces occinunt, tanta lux cœlitus emicans astantes circumfudit, vt stupore perculsæ inchoatas preces interrumpere cogerentur. Lucis illius magnitudo solem meridianum superabat, quæ paulò pòst sensim longiùs ab eis in eam monasterij partem, quæ vergebat in occidentem, se remouit; vbi cum aliquamdiu consedisset, in aspectu omnium in cœlum rursus recepta est: vt iam nemini in dubium veniret, quin cælestis illa lux, cum qua morientium sororum animæ in cælum subuectæ sunt, satis abundéque, id etiam quod à sororibus ETHELBVRGA quæsierat, absolueret; locúmque e sublimi illustraret, in quo sanctarum mulierum corpora supremi iudicis aduentum, & suam resuscitationem expectarent. Atque hæc quidem accidère, circa obitum sororum.

† Portè Ceroticiense vt cap. superiore Ceroteſey.

a Beda li. 4. ca. 6. cum ſequentibus.

† Alias inditio.

IAM quid acciderit circa ipsius Ethelburgæ obitum, referendum superest. Paulò enim antequàm obiret, sancta quædam eiusdem monasterij Virgo, quæ † TERGITHA dicta est, nocte quadam sub crepusculum auroræ, cubiculum egressa vidit quasi corpus humanum sole fulgentius, linteo inuolutum, è loco quo sorores cubabant, in sublime funibus aureis euectum. Cuius visionis claritatem, oculis ipsa suis eo vsque prosequuta est, donec corpus illud in cœlum receptum conspectum omnem effugeret. Hanc visionem ETHELBVRGÆ mors sequuta est, vt meritò eius mortem præsagijsse, animamque per Angelos cælo illatam creditum sit. Quæ hac extrema ægritudine depressa, videns sorores circumfusas immoderatè lugere, diuinis eas consolationibus refocillauit, dolorémque temperauit. Rogo vos, inquit, sorores, ne vos ita luctu conficiatis, temperate à lachrimis & nimio fletu: quin potiùs totæ gaudio mecum perfusæ, gratias diuinæ bonitati agite, quæ me ad se suumque regnum pro sua misericordia euocat. Non est, non est certè quod lugeamus fratres & sorores, qui nos apud communem Dominum anteuertunt, hi enim quasi felici diplomate vsi sunt. Deploremus potius nostram vicem moràmque, quod nos quoque non simul cum illis ad eandem felicitatem rapiamur. Quare id potius optate, vt & vos primo quoque tempore migretis, quàm vt ego ampliùs in his mundi miserijs iacter. Simus precor omnes expeditæ, vt † veniente sponso

† Aliàs Thergite.

† Aliàs vocante.

sponso comptæ, nitidæ atque alacres accurramus; accensis fidei facibus sanctorum operum splendore coruscantibus. His alijsque sororum lamentationes lenijt, desiderijmque ad cælestia meditanda atque cupienda, vehementer accendit. ETHELBVRGAE verò, & aliarum huius monasterij virginum merita atque sanctitatem, & eà quæ dicturi sumus non obscurè demonstrant. Nam cum post mortem ETHELBVRGAE sanctarum virginum corpora, ab eo cœmiterio quo condebantur, propter loci illius angustiam, ad capaciorem locum transferrentur; mirum est dictu atque auditu, quoties & quanta diuinæ cuiusdam lucis claritas † effulserit, quanta † fragrantissimorum odorum suauitas astantium omnium nares perfuderit: vt non ad sepulchra malè olentia, sed ad hortos suauissimè ex iucundissimis floribus spirantes, aut potius vnguentorum apothecam astare viderentur. Quid? quod Comitis cuiusdam vxor oculorum lumine penitus capta, quæ famulis nixa venerat ad sepulchra virginum, postquam ibi genibus flexis supplex orasset, recuperato visu apertisque oculis clare cernens, nec famulorum obsequio indigens, lœta atque gratulabunda domum reuersa sit. Multa sanè alia traduntur, quæ ego ab alijs petenda relinquo, hoc solo adiecto omnibus apprimè vtili, qui sanctorum vitas antiquitus scriptas (quæ iam temporum iniuria incendijs, hostilibus incursionibus, terræ motibus, aquarum illuuie, paganorum & hæreticorum insidijs, carie denique & situ maiorúmque negligentia interiere) hodie desiderant: quorum nomina non dubitamus in cœlis scripta, licet plenas ipsorum historias non habeamus in terris. Rationem quoque tenemus, qua cælum conscendere, quam si fortè non tenemus, ex his quæ dicturi sumus teneamus.

† *Aliàs* offulserit.
† *Aliàs* fragrantissimorum.

VENERABILIS BEDA ecclesiasticæ suæ historiæ quædam è libro, qui beatæ ETHELBVRGAE gesta complectebatur, aspersisse se scribit. Is liber, quod sciam, nec hodie extat, nec multis retro sæculis vsquam extitit. Fuit verò quædam pia monasterij ETHELBVRGAE Præfecta, quæ miro quodam desiderio libri, cuius mentionem fecerat Beda, copiam expetebat. Cuius sui desiderij magnitudinem, cum vespere sermocinando, ita vt fit expressisset, proxima nocte huiusce modi visum sibi obiectum asserebat. Videbar, inquit, mihi ad sepulchrum ETHELBVRGAE consedisse, ex altero verò latere virgo VLFRVNA; deinde aperto sepulchro, visa est mihi ETHELBVRGA corona redimita prodijsse. Tum VLFRVNA ita me est affata: Accipe, inquit, & lege literas obsignatas ad pedes ETHELBVRGAE iacentes: accepi, legi hoc tenore. ETHELBVRGA regnat cum Christo. Deinde VLFRVNA resigna, inquit, literas, & percurre quæ in illis continentur, quas cum soluissem, vidi aureas literas hæc verba planè complectentes, *In tribulatione, in angustijs, in necessitatibus, in multa patientia, in longanimitate, in ieiunijs, in vigilijs, in charitate, in castitate, a dextris & sinistris; & libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi*, Hæc aliàque in hunc sensum cum percurrissem, VLFRVNA subiecit: His, inquit, virtutibus ETHELBVRGA quasi per gradus ad cœlum subuecta est. Quasi diceret, Vitæ eius ordinem formámque expetis, iam tenes. Obijt quinto Idus Octobris ad annum Christi sexcentesimum septuagesimum sextum. Sanctæ verò cuidam virgini post mortem apparuit, diémque obitus prædixit. EDELREDVS verò pater SEBBI, condidit cœnobium sacrarum virginum apud BEDENHAM, quam donationem, præter EDELREDVM, sua subscriptione confirmarunt Rex SEBBI, ERKENWALDVS, WILFRIDVS & HEAD Episcopi: BALDVS & CVDA Præsbyteri & Abbates. Constituit & [a] CEDDVS duo monasteria, alterum in ripa *Pendæ* amnis apud THANCESTER; alterum in ripa *Thamesis* apud TILIBVRG siue TILBVRY, vt hodie appellamus.

[a] *Bedæ l. 3. c. 23.*

De Regno & Regibus Orientalium ANGLORVM.

CAPVT XV.

ORIENTALIVM ANGLORVM regnum circa annum incarnati Christi quingentesimum, sexagesimum primum occœpit, authore VFFA, à quo Reges illius Prouinciæ VFFINGAE appellabantur, cui successit TITILVS, huic REDOVALDVS; qui, susceptam in *Cantia* fidem Christi, reuersus, per vxorem importunam & impiam mulierem, alijsque frigidam, quod dicitur, subijcientibus, perfidè abiecit. Quanquam ne omnino reiecisse videretur, Christo habuit simúlque idolis aras dicatas, more *Samaritanorum*; quasi liceret ex eodem

[b] *Bedæ l. 2. c. 15.*

dem

dem ore frigidum calidúmque simul spirare. Aut quasi vlla esset communio inter Christum & Belial. Cui † EORPWALDVS longe melior filius successit, qui paternam culpam resarcijt. Quam felicitatem non tulit immundus dæmon, eámque vt contaminaret, curauit per impios paruo post tempore eum de medio tolli. Hunc excepit frater eius maternus, [a] SIGEBERTVS, omnibus numeris absolutus Princeps. Exulauerat is apud *Gallos*, sed felici exilio; patriæ enim exul, cælestium choro ciuium ascriptus est, æterna ciuitate per Baptismum donatus. Regnum itaque adeptus, summopere fidem Christi promouit. Inter præclara & egregia eius decora, & hoc ponitur, quòd literarum, quas in *Gallia* florere senserat, curam magnam suscepit, institutis apud suos scholis, quibus adolescentes ad liberalem ingenij cultum capescendum, ingenuè educarentur.

† *Al.* Eorpênwaldus.

a *Idem li 3. c. 18.*

HVIVS beneficium est CANTABRIGIENSIS Academia. Huic tanto literarum patrono omnes ANGLI obnoxij sunt, atque illi præcipuè, qui in illa se academia literarios progressus fecisse cognorunt. Sunt qui tradunt fuisse CANTABRIGIAE academiam antiquissimis BRITANNORVM temporibus, eámque etiam ante SIGEBERTI tempora floruisse, atque à *Romanis* Pontificibus, prærogatiuis, & priuilegijs quibusdam munitam: extátque diploma academiæ indultum ab HONORIO (vt aiunt) *Romano* pontifice, quod academiæ illius, multis ante HONORII tempora florentis, longius repetitam memoriam complectitur. Et hæc quidem † cognitu, si tam certa & solida sunt, atque præ se ferunt, oppidò sunt digna. Qua in re, vt certum mihi iudicium arrogare † nolim, aut aliorum sententijs maturioribus præiudicare, † ita certè non possum me à scrupulis & multiplici hæsitatione, quæ ex ratione temporum occurrit, satis adhuc expedire. Nunquam enim aut egre sanè ista cum ratione spectatissimæ fidei, & eorum pæne temporum æqualis authoris BEDAE, qui post ista tempora puerorum scholam, ad *Cantianorum* morem, in Orientali ANGLIA institutam per SIGEBERTVM scribit, & ex *Cantia* pædagogos & magistros eò accersitos; aut (idque potissimùm) cum temporum ratione, HONORIique ætate cohærebunt. Quis enim in animum inducat Theologiæ studia, tanto successu, cum SAXONES Ethnici illius patriæ principatum tenerent, aut aliquam Archiepiscoporum aut Episcoporum authoritatem ibi viguisse? aut HONORIVM ipsum, eundémque PETRONII viri Consularis filium, CANTABRIGIAE illis temporibus literis operam dedisse? Mitto voces illas. *Vniuersitate, cum essem in minoribus*, eo, ni fallor, sæculo, in eum quidem sensum insolentes. Mitto alia, de quibus cum cogito, videor mihi in salebroso aut lubrico valdè loco versari. Quæ tamen forsan alij aliquando impedimenta, quod optarim, sustulerint. Non ignoro extare [b] historiolam quandam de huius academiæ origine atque antiquitate, cui HONORII, de quo diximus, diplomatis exemplar adiungitur: sed quod, vt sit nihil aliud, illa ipsa historiola prorsus euertit. Quæ & ipsa tot, támque manifestis & crassis erroribus abundat, vt quæ lubens, ad ornandam nobilem illam academiam, testimonia ab eo petita aspergere cupiebam; cum nihil firmi in eis, sed apertis magna ex parte mendacijs niti viderentur, prætermittere omnino cogerer. Vt non sine causa *Ioannes Roßus Vuaruicensis*, nondum centum adhuc annis lapsis, eam infregerit & euerterit: quæ tamen illius impugnatio mihi adhuc non est visa. Sed habet ista nobilis academia, hac historiola remota, satis clara & illustria, quibus ad omnem memoriam illustretur, ornamenta.

† *Alias* cognita vel propter antiquitatem, quam præ se, &c.

† *Alias nolim*, ita non ausim aliorum sententijs maturioribus præiudicare; nam ista nobilis academia habet satis clara & illustria, quibus ad omnem memoriam illustretur ornamenta: *cæteris expunctis vsque ad hæc verba.* Sigebertus verò, &c.

b *Incipit anno à mundi creatione 4121. Ascribitur Nicolao Cantilupo, Carmelita.*

SIGEBERTVS verò (vt reuertar, vnde diuerti) religione iam constituta totáque republica, vt animo magis soluto & quieto Deo vacaret, suauémque illam vocem apud Prophetam exactiùs meditaretur, *Vacate & videte, quoniam ego sum Deus*, omnem à se mundi ornatum strepitúmque abdicans, & vltrò regno cedens, monasticæ se vitæ addixit. A qua tamen posteà inuitus à suis abstractus est in militarem aciem, vt suis præesset contra PENDAM, qui atrociter regni fines inuaserat. Ille qui iam olim omnes humanas curas animo excusserat, & pro terrestri milite Christi miles factus erat, de præsenti salute minimè solicitus, & cælo totus intentus, nulla alia secum arma in aciem, quò inuitus protrusus est, quàm manu virgam gestauit: atque ita in hostem Christi prodiens, ab eo cæsus, cœlos, quò iam diu anhelauerat, felix ascendit. Huic successere EGRICVS, ANNAS, sanctarum sobolum parens, videlicet SEXBVRGÆ, ETHELBVRGAE, ETHELDREDAE, & VVITHBVRGAE. ETHELDREDVS ANNAE successit, qui cæsus est ab OSWIO in prælio cum Rege PENDA (de quo dicemus) pœnásque pependit suæ temeritatis & ingratitudinis, qui se cum viro pagano, qui cognatum & fratrem eius occiderat, coniungeret. Huic ETHELWALDVS successit.

Psal. 45. 11.

Huius sæculi ca. 21.

De FELICE *& reliquis huius saculi in eo regno Episcopis.*

CAPVT XVI.

Beda lib. 3. c. 19. PRIMVS huius regni Episcopus fuit FELIX. Quanta verò fuerit viri huius pietatis magnitudo, si cetera desint, hoc vnum illustri documento esse poterit; quod patria *Burgundia*, quòd amicis, quòd opibus, quòd Episcopatu ceterisque vitæ vel præsidijs, vel ornamentis relictis, cùm audiret raros esse Domini operarios, in tam opima messe apud ANGLOS; sponte huc diuerterit, vt operas in tam sancto opere coniungeret. Cuius pium desiderium intelligens, susp iciénsque HONORIVS *Cantuariensis* Archiepiscopus, prouinciam ei ANGLORVM *Orientalium*, qui fidem susceptam euerterant (quod anteà a nobis dictum) assignauit. FELIX ipsa re nomini respondens, tanta felicitate prouinciam susceptam absoluit, vt breui totam ab idolorum seruitute, ad Euangelicam libertatem sanè quàm feliciter asseruerit. Deinde post septemdecim annos in tam sancto negotio gnauiter consumptos, ad æternam felicitatem FELIX feliciter ascendit, octauo Idus Martij. *Orientalium* ANGLORVM regnum (vt & hoc obiter dicam) intra eos fines constitit, quos hodiè habet Comitatus *Northfolciæ*, *Suthfolciæ*, & *Cantabrigiæ*. Sunt tamen qui eosdem constituunt ANGLOS & SAXONES *Orientales*, qui Bedam dissentientem, vt Dixi, habent. Sedem verò habuit apud † *Dumur*, ibique humatus est: sed [a] reliquiæ eius posteà ad cœnobium RAMESIENSE translatæ sunt. Oppidum verò vbi Sedem Episcopalem fixit, ab ipsius nomine FELIXSTOWE siue FELSTOWE, quasi dicas FELICIS oppidum appellatum est posteà.

Finius saculi ca. 25.

† *Al.* Dumor.

[a] *Gul. Malm. de Pont.*

DEFVNCTI FELICIS locum subijt [b] THOMAS eius Diaconus, ortus ex GERVIIS. Quo defuncto, post quinque annos BONIFACIVS *Cantianus* substitutus est, eámque ecclesiam ad septemdecim annos gubernauit. Hic † BISI [c] successorem habuit, qui quoad valetudo permitteret, officio suo egregiè functus est. Sed cùm propter magnitudinem morbi redditus esset inidoneus muneri perfungendo, administratio illius prouinciæ per THEODORVM *Cantuariensem* in duas sedes distracta est. Quare altera priore loco remansit, altera constituta est apud HELMAHAM, proque BISI duo sunt substituti, [d] ACCA & BEDWINVS. Post quos ad annum septingentesimum trigesimum primum, recenset [e] *Beda* EDBERTVM & HADVLACVM. De quibus & reliquis, quorum nihil ferè interim illustre reperio, dicemus posteà.

[b] *Malm de Pontif.*

† *Al.* Bisa. Bosa. Bis.

[c] *Beda li 4. c. 5. Flor. an. 678.*

[d] *Gul. Malmes.* Hecca & Baldwinus.

[e] *Beda lib. 5. c. fin.*

De Monasterijs huius regni hoc saculo, & pio viro FVRSEO, *déque* ETHELBVRGA & WITHBVRGA *virginibus.*

CAPVT XVII.

[f] *Beda li 3. c. 19.* REGNANTE SIGEBERTO, vir pius ex *Hibernia* in eas oras diuertit, qui [f] FVRSEVS dictus erat. Qui verbo & exemplo suo multos, partim ex errore ad rectam de Christo, fidéque Christiana persuasionem traduxit; partim iam rectè credentes, vehementiùs ad perseuerandũ in fide atque sanctis actionibus incitauit. Quem SIGEBERTVS plurimi fecit. In hoc cõcionandi, ieiunandi, vigilandi, orandi, aliarúmque virtutũ assiduo & continuo cursu, incidit in ægritudinem. Quo illi Angelus tempore apparuit, mactóque animo esse iubet, strenuè & integrè incœptum virtutis pietatisque iter persequi. Mox ille cœnobium liberalitate SIGEBERTI apud CNOBHERBVRGVM, id est, vrbẽ CNOBHERI, constituit. Quod ANNA Rex alijque posteà proceres, augustioribus ędificijs ac donarijs amplificarunt. FVRSEVS verò à pueritia lectionibus sacris, monasticis disciplinis, totiúsque virtutis exactiori exercitio diligenter se dabat in *Hibernia*. Quę ex sacris libris legẽdo hauserat, ad vitã actionésque transferebat. Morbo aliquando correptus, diuina voluntate

ad nos

ad nos erudiendos ità ferente, per totos tres dies quasi pro mortuo habitus, anima extra corpus rapta, non vt in fabulis poetarum, sed vere & Elisæos campos, & beatorum sedes, & rursus inferorum loca vidit. Angelicis cantionibus interfuit, é quibus illa vna: *Ibunt de Virtute* Psal. 83. 8. *in Virtutem*: & illa: *Videbitur Deus Deorum in Sion* Horribiles damnatorum pœnas ignésque, monstrantibus angelis, ipsósque dæmones in se irruentes cupientesque abripere vidit. Qui quascúnque poterant aduersus eum accusationes instituebant, quas semper Angeli patroni auertebant; quorum tamen malitiam prorsus subterfugere non potuit: dæmones enim vnum ex his, quos misere torrebant, in eum conicere, quem ille hominem agnouit, ab eóque moriente vestem accepit. Quam ille licet nulla quidem auaritia, neque vlla sceleris conscientia accepisset, & à iusto possessore datam putasset, hæsit tamen in quibuscunque vel ignorantiæ suæ pœnis.

Quas (ne quis rem commentitiam putaret) per totam posteà vitam palam, alteræ maxillæ, alteróque humero impressas circumtulit; vt mira Dei † prouidentia pœnam culpæ quam ille vel inscius contraxit, caro apertè præ se ferret. Redditus deinde vitæ, admirabilem plane abstinentiam exercuit, visionisque illius partim iucunda, partim tristi memoria semper cogitationibus incurrente: nunquam posteà nisi tenui veste, idque media & † intentissima hyeme vtebatur. Et nihilominus cum glacies omnia adstringeret, quasi media & ardenti æstate toto corpore desudabat. Ceterum, vt patriam suam *Hiberniam*, quòd nominis sui tantam celebritatem, negotiorúmque quibus quotidie implicabatur, multitudinem ægrè ferret, reliquit, & Britanniam, vbi putabat se vt ignotum posse delitescere, petijt: ita & hoc quoque cœnobium eisdem ob causas, fratri suo Fvllano & Gobbano, atque Dicvllo presbyteris illius cura relicta, & post annum ipsum quoque Britanniam dimisit. Quo toto anno districtissimam anachoritæ vitam cum fratre suo Vltano, qui idem genus vitæ sectabatur, egit. In *Galliam* posteà contendit, vbi *Latiniacum* monasterium condidit, obijtque Peronae decimo septimo Cal. Februarij, circa annum Christi sexcentesimum trigesimum sextum; vbi cum alia virtutis eius miranda post obitum signa apparuerunt, tum & corpus eius, post quatuor annos, ita integrum & illæsum repertum est, ac si eadem hora sepulchro fuisset mandatum.

Beda.
† *Alias* prouidentia quod hominis animæ contigit id casu &c.
† *Al.as* intentissima.

De Ethelbvrga iam nobis, deque Withbvrga, de quibus mentionem priùs fecimus, dicendum est. Ethelbvrga cum ad eam ætatem adoleuisset, vt iam posset de constituendo vitæ genere maturiùs deliberare, momentaneis huius vitæ voluptatibus & honoribus, falsóque generis & diuitiarum splendore minimè est fascinata. Annis tenera atque infirma, sani constantisque iudicij magnam ostendit firmitatem. Nam minimè desiderans potenti cupiam Regi elocari, sponsum sibi Christvm prudenter elegit. Atque vt voto suo expeditius satisfaceret, multaque in patria impedimenta remoueret, in *Franciam* ad *Brigense* virginum monasterium profecta est. Erant enim adhuc pauca aut nulla, in hisce fidei primordijs, in Anglia virginum cœnobia; quæ posteà crescente religione magno numero creuére. In hoc monasterio virtutis suæ æmulam ac sociam habuit Sedridonem, nouercæ filiam. Ethelbvrga autem tam exactam virtutis ac monasticæ disciplinæ curam gessit, vt cum posteà monasterium præside destitueretur, illam potissimum, licet exoticam & peregrinam, pia societas substitueret. Prudenter enim intelligebant virtutem nullibi peregrinari, & quemadmodum, vt ille dixit, quamlibet terram artem, ita & virtutem honorare. Ceterum, qualis in vita fuerit, vt cetera omittam, Deus ipse post eius obitum aperire dignatus est. Cum enim post septennium quàm obijsset, apertus esset tumulus, in quo corpus eius iacebat, vt ad alium locum transferretur, ecce integrum atque incorruptum omnino apparuit, ac si pridie fuisset illatum. Quare denuo lotum & nouis vestibus ornatum, honorata pompa alibi deponitur, cum certissima omnium spe illius olim ad immortalitatem resuscitandi, quam iam melior hominis pars, id est, anima possederat, & cuius tum apertam quasi imaginem, incorruptione sua præ se ferebat. Decessit beata Virgo Nonis Iulij.

Beda li. 4. cap. 8.

Withbvrga verò à primis annis in monasterio, quod apud Derham struxerat, sponso Christo se consecrauit, vbi sanctissimam vitam traduxit. Cuius sanctitatem animæque apud Deum gloriam, vt reliqua omittam, corpus ipsius, quod in tumulo post trecentos quinquaginta quatuor annos incorruptum, atque integrum repertũ est, non obscurè declarat. Quod ab ecclesia de Derham, monasterio per *Danos* euerso, ad Eliensem, regnante Edgaro translatũ erat, Brichnoto monasterij tũ eiusdem Abbate & honorificè

Ioan. Capgr. Poutbr. an. 708. & chron. Asserij.

rificè prope corpus sororis ETHELDREDAE ibidem positũ: vt quarum animas idem cælum gloriosè tenuerat, earum etiam corpora ad resurrectionis gloriam expectandam (cuius quandam speciem ipsum beatæ WITHBVRGAE corpus, cum ipsis vestibus tot sæculis integrum, præ se ferebat) idem quoque in terris locus ad magnum viuentium solatium posslideret. Depositionis huius dies celebratur octauo Idus Iulij,

De regno VISISAXONIÆ, *deque* CHINIGILLO *primo Rege Christiano ibidem.*

CAPVT XVIII.

† *Alias quod* westsaxonum id est Visisaxonum *siue &c.*

EVIT & aliud regnum quod sibi in ANGLIA *Saxones* constituerunt, † quod *Visesaxonum*, id est *Westsaxonum* siue *Occidentalium Saxonum* dicitur. Quod à primo authore CERDITIO manauit ad annum Christi quingentesimum vigesimum secundum. Cuius successores omnes CENRICVS, CEAVLINVS, CELRICVS, CEOLVLPHVS, alias QVICHELMVS, ad CHINIGILLVM, vacui & inanes fuêre Christianæ fidei. Quanquam sint, qui tradant, CELRICVM & CEOLVLPHVM simul regnasse magna animorum coniunctione, mansuetè & summa cum laude: & baptismo

a *Gul. Malmesb. de reg. lib. 2. Polid. lib. 4.*

persusos, regnum atque etiam vitam mortalem, eodem ferè tempore, deposuisse.[a] Alij verò hoc sociale & commune terrestre regnum, & illius potioris, per baptismum & rectam fidem, cœlestis regni admirabilem societatem ad CHINIGILLVM & QVICHELMVM referunt: & QVICHELMVM quidem aliquando restitisse, sed graui corporis valetudine correptum, excitatum, vt cogitationes suas à minore cura, id est, corporis, ad maiorem, id est, mentis vitæque immortalis, æternæque per Christum conseruandæ, accuratiorem meditationem traduceret: Præclara CHINIGILLI deinde vestigia pie sequutum, eodémque anno humanam vitam, & mortalem pro immortali exuisse. CHINIGILLVM verò septennio superstitem fuisse, & trigesimo primo Imperij anno obijsse. Vtcunque sit, de consorte omnes in hanc sententiam frequentes abierunt, quod CHINIGILLVS primus, ex omnibus illius prouinciæ Regibus, Christum professus sit.

b *Gul. Malm. li. 1. de Regi qui eum appellat* Chenealchium.

POST eum[b] CENOVALCHIVS paterna sceptra moderatur, de quo, non quod de *Nerone*, qui primis regni sui temporibus optimum; posterioribus, pessimum exhibuit principem; sed penitùs ex diametro dici potest. Auspicia enim regni infelicia & inauspicata prorsus habuit, & insignibus hominis insigniter perditi vitijs; & insigni, qua premebatur, calamitate notata. Vxorem enim PENDAE sororem abiecit, & sacrosanctum matrimonium, ipsamque adeo fidem Christianam (cuius illud Sacramentum est) perfide violauit. Quare meritis pœnis mox irretitus, diuinam per PENDAM Regem, qui eum graui bello oppressum regno eiecit, vindictam sensit. Ceterum, quod sæpè fit, quem prosperæ res & ad votum fluentes depraurunt, eum aduersæ ad meliores cogitationes officiúmque reuocant. In his itaque angustijs ad ANNAM *Orientalium* ANGLORVM Regem confugit. A quo amicè & grauiter ob peccata increpatus, magnam perfidiæ suæ in Deum & vxorem, aliorúmque vitiorum pœnitentiam cœpit. c Deo itaque vxoríque redditus & restitutus, regno itidem post triennium, quod armis viriliter recuperauit, redditus est: Illudque ex priore ignauia amissum, non modò fortiter defendit, sed & nobiliter ampliauit: Quodque in sacram Christi religionem, leuissimus illius perfuga olim factus admiserat, varijs pietatis officijs cumulatè resarcijt. Inter quæ fuit nobilis illius WINTONIENSIS templi, sedisque Episcopalis constructio. Cuius[d] monasterij tanti fuêre reditus constituti, sicut antiqua monumenta referunt, vt tota circum circa ad septem miliaria regio, huic vsui à CHINIGILLO ascriberetur. Qui, quod morte præpeditus implere non potuit, transmisit ad filium implendum. Fuisse vero ibi sedem Episcopalem, regnante ante multa sæcula LVCIO Rege BRITANNO, & amplissimum cœnobium, iam antea diximus.

c *Gul. Malm. li. 1. de reg.*

d *Annales Winton. ecclesiæ Ranulfus lib. 1. cap. 13*

Cap. 1. in sex primis sæculis

c *Gul. Mal li. 1. de reg*

† *Al* Elcuinus. *Beda l. 4. c. 12. & 16. li. 5. c. 7. Gul. Malm. li. 1.*

CENOVALCHIVS verò moriturus, vxori suæ SEXBVRGAE regnum administrandum reliquit. c Nec sexus illi quidem impedimento fuit, quo minus egregiè regeret; sed in primo laudabilium rerum cursu, mors præmatura eam abripuit. Vix enim exijt annus, cum illa regnum & vitam exuit. Sequuti sunt eam † ESCVINVS & CENTVINVS, & eos CEDVALLA, vir fortis & strenuus, qui *Cantianos & Australes Saxones* graui bello lacessierat opimásque

másque prædas inde abstulerat; & regnum, vnde per æmulos eiectus fuit, nobiliter recuperarat, *Vectemque* insulam pæne occidione deleuerat. Quo tempore voto se obligasse dicitur, licet nondum sacro baptismate tinctus, quo, si insula potiretur, quartam partem ad diuinos vsus deuouebat; fidémque datam religiosè præstitit. Cúmque ea insula mille ducentas familias contineret, trecentas ex illis WILFRIDO *Australium* tum *Saxonum* Episcopo tradidit. Quæ res à bono quidem affectu, sed ab improbato exemplo manauit. Quippe, *qui offert sacrificium de substantia pauperis, quasi qui immolat filium in conspectu patris*; quem tamen affectum videtur Deus abundè in eo remuneratus, & tam sana atque sancta illi consilia suggessisse, vt in medio tantarum victoriarum cursu, in ipsa florentissima ætate, circiter tricesimum videlicet ætatis annum, regnum florentissimum, cuius vix primitias biennióque gustauerat, vltrò reliquerit. Cúmque iam de baptismo cogitatio animum eius subijsset, statuit (tum ex pio peregrinandi, LIMINAQVE beatorum APOSTOLORVM inuisendi zelo, tum ex nescio vnde concepta, spe quadam, se diu baptismati superstitem minimè futurum) ROMAM adire, & baptismum regni cælestis ianuam, in ea potissimum vrbe percipere. Nec irrita fuére pij hominis vota. Adiuit. Potitus est grato & desiderato sacro sacræ vrbis conspectu, sacro baptismate ab ipso Summo Pontifice SERGIO perfusus. Et quoniam singulari quodam, tum erga Deum, tum erga diuum PETRVM, eiúsque reliquias inuisendas, amore, tantum maritimi & terrestris itineris tœdium deuorauit, pro gentilitio CEDVALLAE, christianum PETRI nomen induit; móxque vt nomen, ita & vitam, regnúmque pro terrestribus, cœlestia adeptus, feliciter commutauit. Statim enim à baptismo incidit in læthalem morbum, & adhuc candidatas albásque illas vestes, puræ, sinceræ, candidæque christianæ innocentiæ in renatis testes, de more gerens, anno Domini sexcentesimo, octuagesimo nono, duodecimo Calendarum Maiarum ad Christum migrauit. CENEVALCHVS, de quo diximus, fratrem habuit ELWINVM, continua quadam ægritudine infestatum. Qui tamen adeò accuratè virtutem coluit, vt & viuus pro viro bono, & mortuus inter Diuos à multis celebraretur.

Eccles. 34. 24.

Gul. Malmes. de Pontif. Shirburn.

De BERINO *& alijs Episcopis* VISISAXONVM, *déque* MALMESBVRIENSI *cœnobio.*

CAPVT XIX.

HVIVS prouinciæ Episcopus primus fuit BERINVS. Huic quoque quemadmodum & reliquis, qui nostri gratia tantum itineris deuorarunt, immensum quiddam debemus. Fuit natione *Italus*, non à GREGORIO, sed posterius ab HONORIO transmissus, cum videret virum huius itineris, propter animarum salutem, ingenti desiderio flagrare. Is primùm in eam Insulę partem delatus, quam *Occidentales* SAXONES occupabant (quę protendebatur quatenus hodie diœceses *Wintonienſis, Bathonienſis*, & *Vuellenſis, Saresburienſis & Exonienſis*) cum videret operosam ibi messem, totámque eam gentem, gentilitatis tenebris obcœcatam, ibi se fixit, magnóque studio incubuit, vt eam quam nactus erat Spartam ornaret; eóque rem tandem diuina benignitate promouit, vt CINIGILLVS Rex cum suis christianorum albo inscriberetur. Contigit eo tempore, vt OSWALDVS Rex in ea versaretur prouincia, Regi in generum asciscendus, sed feliciori longè euentu factus est Regis pater simul & filius, non carne, sed spiritu tenus, pro eo de more Ecclesiæ in baptismo sponsorē & fideiussorem se interponens. BERINVS deinde merito suo *Occidentalium* SAXONVM Episcopus constitutus est, sedémque habuit DORCESTRIAE, quæ non longè ab EXONIO abest, fuit illa tum in potestate Regum *Visisaxonum*, postea *Mercijs* paruit. Vbi & *Merciorum* Episcoporum sedes remansit, ad tempora GVILIELMI primi. Quibus temporibus cum vrbs illa ruinis nimis deformaretur, LINCOLNIAM translata est. Quo loco & nostro hoc sæculo figitur. Nam non ita multò post obitum BERINI, *Visisaxonum* Episcoporum sedes locata est VINTONIAE, cuius Episcopus totam aliquamdiu regebat Prouinciam. Additus est posterioribus temporibus *Shiburnenſis, Vuellenſis, Cridienſis, Cornubienſis, Rameſburienſis*; sed diu ante nostra tempora *Vintonienſis, Sareſburienſis, Bathonienſis* siue *Welliensis* ceteras absorbuerunt, de quibus singulis oportuno loco disseremus.

Beda li. 3 ca. 7.

POSVIT autem BERINVS *Sæculares* (vt dicunt) Canonicos DORCESTRIAE, qui

postea in *Regulares*, Imperante Rege STEPHANO, commutati sunt. BERINVS DORCESTRIAE obijt tertio nonas Decembris, ibidem sepultus. Cuius corpus VINTONIAM
a *Vide Ioan. Capgr.* postea translatum est, si *Bedam* sequamur. [a] Quod fortè, vt Canonici *Dorcestrenses* affirmabant, *Beda* non tam quod certò rem sciret, quam ex auditione incerta (cuiusmodi necesse est
† *Alias historicis.* in † historias multa incidere,) scripsit, & pro BERTINO, propter nominis similitudinem, & incastigata exemplaria, luxata vna litera BERINI forsan nomen temere irrepsisse. Nam circa annum Christi millesimum ducentesimum vigesimum quartum, re diligenter exactéque cognita, ex authoritate HONORII Pontificis (qui hanc cognitionem *Cantuariensi* Archiepiscopo, eiusque Archidiacono delegauerat) corpus eius in ecclesia DORCESTRIAE repertum fuisse, multis testimonijs luculenter in medium allatis; quibus apparebat, plurima per eundem Pontificem ibidem signa ad multorum salutem sæpe edita. Simul etiam apparuisse BERTINVM quendam Episcopum olim ibi sepultum, corpúsque eius VINTONIAM deinde asportatum; vt non sit otiosa coniectura, deprauata fuisse in hac parte *Bedæ* exemplaria. Hæc illi. Sed hæc ab alijs petenda & iudicanda relinquo. Nolim enim aut iurisdictionem mihi hac in re prorogare; aut litem, quæ adhuc (vt videtur) sub iudice est, meam
b *Beda dict. c. 7.* facere. Post BERINVM, Episcopatum tenuit [b] AGILBERTVS homo *Gallus*, sed qui diu in meditandis & legendis sacris scripturis versatus fuerat, Hic forte diuertit ad CENOVALCHIVM Regem, eiusque rogatu Pontificium illius prouinciæ munus suscepit: cumque exoticæ linguæ tædium CENOVALCHIVS deuorare non posset, asciuit alium WINI dictum, hominem *Anglum*, cuius sedem locauit VINTONIAE. Quod cum inconsulto AGILBERTO fecisset, offensus abijt in *Galliam*, *Parisiensis* deinde ciuitatis Episcopus constitutus. Nec ita multò post incidit WINI in Regis offensionem, à quo & pulsus est. Tum CENOVALCHIVS reuocans in memoriam iniuriam, qua AGILBERTVM affecerat, missis nuntijs, enixè precatus est eum ad reditum. At ille obtendit iustam satisfactionem, seque necessariò ob *Parisiensis* Ciuitatis curam suscepta impediri, quo minus votis illius satisfaceret. Misit tamen nepotem suum ELEVTHERIVM presbyterum, quem credidit tanto magistratui idoneum. Quem Rex & populus aduentantem, magnis honoribus exceptum, curarunt à THEODORO *Cantuariensi* initiari, qui septem postea annis totam solus prouinciam, idque ex decreto Synodi administrauit.

Beda li. 5. c. 19. Gul. Malmesb. de Pontif. HVIC HEDDA surrogatus, sedémque eam triginta annis obtinuit, & obijt ad annum Domini septingentesimum quintum, qui prius monachus & Abbas fuit, vir bonus & iustus, & qui magis ex insito quodam virtutis amore, quàm ex lectione, vitam suam aliorúmque mores formabat. Quanquam non omnino imperitus, vt ex scriptis eius ad ALDELMVM apparuit, cui & ipse quædam scripta dedicauit. Pium hominem, eiúsque sepulchrum Deus claris adeò post obitum miraculis insigniuit: ita sanè, vt prouinciæ illius homines puluerem inde abradere, aquaque macerare ad languentium sanitatem solerent. Tractu denique temporis tantum inde terræ abrasum, vt magna ibidem fossa appareret. Huius se consilio vsum dicit INAS Rex in legibus suis condendis. Prodijt hoc primum sæculo celebre illud MALMESBVRIENSE
c *Gul Malm l. 1. de Regib. Ioan. Lelandus.* [c] cœnobium quod ab initio MEILDVLPHESBVRY dictũ est à MEILDVLPHO quodam *Scoto*, professione monacho, insignis eruditionis, tam in ecclesiasticis quàm in philosophicis rebus homine, conditum ad annum Domini sexcentesimum quadragesimum. Cui postea ELEVTHERIVS ALDELMVM, ex consensu atque postulatione Abbatum illius Prouinciæ, præsidem præfecit, ad annum sexcentesimum, septuagesimum quintum, qui ex tenui exilique nobile & amplum effecit, de quo sequenti sæculo vberiùs agemus.
d *Polichr. ann. 709.* Vsu deinde pro *Meildulphesbury*, *Malmesbury* dici cœpit. Huic ALDELMVS [d] monasterio quadraginta annis præfuit. Quod ille, cum homines vndique illuc, tum eruditionis ab eo hauriendæ gratia, tum propter summam hominis pietatem, vitæque innocentiam concurrerent, celeberrimum reddidit. [e] ABINGDONENSE quoque hoc sæculo natum est, beneficio CISSAE, patris INAE,
e *Gul. Malm. li 2. de Pontif. ad annum 685.*

De

De regno AVSTRALIVM SAXONVM, *deque* WILFRIDO *& alijs Episcopis* SOLOSENSIBVS *siue* CICESTRENSIBVS, *deque triennali siccitate depulsa Gente hac ad Christum traducta, primóque christiano ibidem Rege* ETHELVALCHIO, *déque peste miraculosè repressa.*

CAPVT XX.

AVSTRALIVM SAXONVM regnum ab ELLA constitutum est, ad annum trigesimum primum aduentus ANGLORVM. Verum enimuerò, vt præ alijs ferè maturijsse, ita & ante alia aruisse cernitur, VISISAXONVM ditioni fasces suos submittendo. Et quia regnum hoc Imperio VISISAXONVM, sedésque Episcopalis ditioni Episcoporum VISISAXONIAE, mox ferè quàm hæc gens Christo coniuncta est, accreuêre; neque ferè quicquam memorabile præter ea, quæ ad ipsa fidei recéntis primordia accidere, nostro saltem accommodum instituto reperiam; omnia quæ ad hoc regnum ísto & sequenti sæculo, & ad nostrum negotium pertinere videbuntur, in hanc narrationem capútque conijciam. *Gulielmus Malmesburiensis* doctus & diligens pro illis alioqui temporibus scriptor, ob commemoratam fortè aut similem causam, de huius Prouinciæ, ante ETHELVALCHIVM, Regibus, nihil meminit; Neque (nisi fallor) *Beda*. [a] Alij recensent ante eum ELLAM & SISTAM siue CISSAM, à quo CICESTRIAM ædificatam, regnúmque ad annum Domini quadringentesimum septuagesimum octauum inchoatum volunt. [b] Primus ex Regibus, imo & postremus vt mox dicemus, qui in album familiæ Christi ascriptus fuit, erat ETHELVALCHIVS, qui in MERCIA, hortante WLPHERIO Rege, cum Proceribus suis atque familia baptismum salutarem subijt. Qua in re operam præstitit Episcopus illius prouinciæ cum presbyteris EAPPI, PADDA, BRVCHELINO & OIDDA. Astipulator pro eo fuit in baptismo ipse WLPHERIVS, in cuius beneficij memoriam donauit illi VECTAM *insulam, & Prouinciam Meannarorum*. EBBA quoque Regina, licet non eo loci, sed in patria sua apud *Vuiccios*, nomen suum cum tota familia Christo ascripsit. At reliquus populus nihil aut sui Principis, aut præclaro vicinarum vndique regionum, in quibus fides christiana splendidè elucebat, exemplo prouocatus, auersos planè animos habuit à tam salutari cogitatione.

[a] *Polid. lib. 4.*

[b] *Beda lib. 4. c. 13. & 15.*

IN quam eorum tarditatem proteruiámque, grauia videtur diuina prouidentia iræ suæ exempla, qualia olim in peruicaces Israëlitas edidisse, cœlósque ei ferreos triennali pluuiæ inopia reddidisse. Quam tanta annonæ caritas excepit, vt præ magnitudine famis, quadraginta, immo quinquaginta sæpè homines simul aut præcipitio, aut demersione mortem sibi misere conscisserent. Sed non penitus eos diuina bonitas deseruit. In his enim ipsis tantísque rerum angustijs, salutarem egregiúmque verbi sui præconem, WILFRIDVM inquam, haud suo merito ab ijs, quibus minime decuit, pulsum: in eas oras post longam iactationem, quæ à *Roma*, sententia secundum se dicta, redierat, neque tamen propter vim Regiæ inimicitiæ admissus fuerat, opportunè deduxit. Huius opera prædicationéque, Prouincia illa idolis suis nuntium misit, baptismóque expiata est. Et vt à quo fonte, omne illud sterilitatis siccitatísque malum manarit, facile agnoscas; ecce tibi, ipse dies, quo populus cœlesti aqua, quo steriles & arescentes eorum animæ irrigatæ sunt, clausum quoque corporibus terrisque cœlum simul aperuit, copiosaque pluuiam de cœlo descendisse constat. Alio quoque, ad primum eius aduentũ, gentẽ hanc commodo, in Saguntina illa sua fame affecit VVILFRIDVS; rudẽ enim piscandique imperitam, artem piscandi edocuit, quo ille sibi beneficio valdè eorum animos deuinciebat, & vt facilius diuinam postea doctrinam capesserent, emolliuit. Præuenerat VVILFRIDVM *Scotus* quidam, DICVL nomine, qui cum paucis socijs permodicum apud BOSANHAM monasterium incoluit, sed prouincialium neminem vel vitæ exemplo, vel docendo, ad Christi fidem excitare potuit. Mirificè autem gauisus est Rex ex VVILFRIDI aduentu, & hoc populi tanto commodo, certásque possessiones VVILFRIDO & socijs largitus est, in loco quem *Seoleseg*, quasi dicas vituli marini insulam, appellant; vbi monasterium posuit VVILFRIDVS hominésque eo loci omnes Christo lucrifecit, duplicatóque sibi

beneficio

beneficio emeruit; cum ducenta quinquaginta ex his hominibus mancipia, iam dominij sui gemino iugo, diaboli primum per rectam fidem, suo deinde, per manumissionem, liberaliter emancipauit.

AD memoriam verò recensionémque illustre est, quod in eo ad ea tempora monasterio contigit. Indicto enim ad placandum Deum, pestémque, quæ immanè quantum sœuiebat, depellendam, triduano ieiunio; ægrotanti ibidem puero PETRVS & PAVLVS Apostoli apparuêre, bonóque eum esse animo iussere; paratam illi quidem esse cælestem mansionem, quam eo ipso die ingrederetur: expectare tantum debere ipsum, dum sacrosancta mysteria missæ absoluerentur, seque corpore & sanguine Christi muniret. Ceterùm pestem illam penitùs statimque obruendam aiebant, id enim OSWALDVM *Anglorum* nuper Regem (de quo nos plura suo posteà loco dicemus) à Deo impetrasse, qui eo ipso die cæsus obierat. Debere itaque eum monasterij præsidem EAPPAM accersere, tanti ei boni nuncium communicare, iuberéque vt tum ob preces exauditas, tum in OSWALDI memoriam missas celebrarent, ieiuniúmque deinde institutum soluere. EAPPA properè accersitus, cum & simplicitatem pietatémque pueri satis intelligeret, & Calendarium ecclesiasticum simul inspiceret, diémque obitus OSWALDI, ceteráque quæ puer dixerat, conuenire videret; nihil cunctatus fratribus ea omnia denunciat, qui præcipienti per omnia parent. Nec mora, is ipse dies promissa omnia representauit, liberauítque visionis puerique fidem, pestémque repressit. Ab eo tempore, non in eo solum loco, sed & alibi in missarum mysterijs, OSWALDI memoria vsurpari cœpta est. WILFRIDVS quinque posteà annis; eius regionis Episcopi officio functus est, cui CEDWALLA, Rex VISISAXONVM, occiso Rege ETHELWALCHIO, VECTAQVE insula (quæ Christi fidem adhuc non perceperat) ab eo ad suum regnum bello ablata, quartam insulæ partem donauit. Quam ille, vni ex Clero suo, BERWINIO commendauit, & presbyterum HILDILAM assignauit, qui prædicandi baptizándique officio fungeretur. Cæsi sunt & Duo regij adolescentes, sed prius aqua salutari Deo consecrati. Id enim CIMBERTVS quidam, monasterij REDFORDIAE in ea regione Abbas, à Rege CEDWALLA obtinuerat. Quos deinde fidei rudimentis instructos, sacróque baptismo perfusos, alacri & erecto iam animo ictum expectantes, hostilis gladius ad cælum, de sua æterna salute securos, mox transmisit.

Vnius sæculi ea. 26.

De Regno & Regibus MERCIORVM.

CAPVT XXI.

HOC regnum primus constituit circiter annum Christi quingentesimum sexagesimum primum CRIDA, [a] qui successores habuit VIBBAM & CEORLVM atque PENDAM immanissimum piorum Regum, christianæque fidei hostem. In prælio enim EDWINVM & OSWALDVM, *Northumbriæ*, SIGEBERTVM, EDRICVM, & ANNAM *Orientalium Anglorum* Reges occidit. Sed quoniam sanguis sanguinem ad vindictam expetere solet, & quoniam, vt dici solet, (qua quis alijs mensura metitur, eandem & ipse sortietur,) cæsus est & ipse in prælio, vt diximus, ab OSWIO *Northumbriæ* Rege. Qui tamen cum filium [b] PENDAM, quem viuus Regis nomine ac dignitate, & præfectura *mediterraneorum Anglorum* insigniuit, immenso amore ELFLEDAE OSWII filiæ flagrare, nec alia conditione nuptijs ipsis potiri potuisse sensisset, nisi Christo nomen daret; mollior factus non restitit filio, fidemque Christi publicè, non solum apud *mediterraneos*, sed per omnem MERCIAM, cui ille præfuit, diuulgari impunéque recipi permisit. Quo per insidias & fraude, vt credebatur, vxoris, sublato, VLFERVS successit, cuius nomini alioqui pij, simoniaca labes aliquam, vt posteà dicemus, maculam aspersit. Huic [c] ETHELREDVS successit, quem Proceres, quod filius VLFERII CHENREDVS impubes esset, substituerunt; cui tandem regnum restituit.

[a] *Gul. Malmes. Polid. & alij.*

Vnius sæculi c. 15

[b] *Bed. li. 3. c. 21.*

[c] *Gul. Malm. de Reg.*

De

De Episcopis Merciorum, aliisque pijs viris, qui nascentem ibi fidem promouerunt.

CAPVT XXII.

QVAE fuit olim MERCIORVM Prouincia, quinque hodie Episcopatibus insignita est; LINCOLNIAE videlicet (cuius olim apud DORCESTRIAM sedes) WIGORNIAE, LICHFELDIAE, HERFORDIAE, & ELIENSI, de quibus singulis suo, pro re nata, loco dicemus. Fuit olim & alius apud LEGECESTRIAM Episcopatus (de † quibus Episcopis nihil memorabile extat, & vix sola nomina) Qui postea in DORCESTRENSEM coaluit, vt postea dicetur. Primis autem temporibus, excipe *Wigornienſem* & *Herfordienſem*, tota ab vno administrabatur, cuius sedes videtur fuisse apud *Lichfeldiam*. Primus in hanc regionē Christianā, vt diximus, fidē inuexit Rex [a] PENDA, quem FINANVS sacro baptismate abluit in *Northumbria*. Quē reuertētem ad *Mediterraneos Anglos* comitati sunt CEDDA, ADDA, BETTI, & † DVIMA presbyteri & *Angli*, excipe postremum, qui *Scotus* fuit: Quorū opera valde fructuosa fuit, in Euangelico semine illic dispergendo. Quin nec PENDA impedimēto fuit, quominus & apud suos *Mercios* Euangeliū diuulgaretur, licet ipse tanti boni particeps factus non sit; inuisos tamen habebat christianos, qui fidem, quam profitebātur, factis non exprimerent, miserósque & nullius pretij homines dicebat esse, qui Dei sui iussis non obsequerentur. Commemoratus DVIMA, cæso PENDA, totius *Mercij* Episcopatū capessit, à FINANO initiatus. Hunc excepit CELLACVS, vterque *Scotus*; CELLACVM TRVMHERVS *Anglus*, regnante apud *Northumbros* VLFERIO; hunc IARAMANVS, hunc CEDDA. Quatuor vero fuēre fratres hoc tēpore in Anglia, CEDDVS *Orientalium*, vt diximus, *Saxonum* Episcopus, CEDDA, CIMBEL, & CEVLIN, omnes quidem sacerdotio vitæque sanctimonia, & duo priores Episcopatu insignes [b] CEDDA Episcopatū *Eboracenſem* nactus erat, à WINI *Occidentalium Saxonum* Episcopo (qui solus tū in BRITANNIA legitimè ordinatus supererat) cōstitutus. Qui sibi ad eius initiationē duos ex BRITANNIA Episcopos consociauit, qui aliā Paschæ celebrationē obseruabant, quàm catholica ecclesia. CEDDA, vt priuatus magnā habuit sanctimoniā, ita iā Episcopus factus seipsum superauit. Quare solito vigilantior maioribus se laboribus exercuit; in serendo Euāgelio impigerrimus, loca singula concionaturus pedes obibat, in hoc præceptorē AIDANVM sequutus: THEODORVS postea Archiepiscopus coēgit vt equo insideret, in quē manu ipse sua eū imposuit, ne forte laborū itinerumq; magnitudini succūberet; adeò sanè hominis virtutē suspiciebat THEODORVS, præsertim insignē humilitatem. Cùm enim eum nō satis ex scitis Ecclesiæ ordinatū fuisse intellexisset, eaque de re eū admonuisset. Certè, inquit, non ego Episcopatū, sed ille me sequutus est, in quem inuitus maiorū Imperio coniectus sum. Quare, si initiatio mea non satis † respondeat ecclesię præscripto, lubēs Episcopatum † deponam. Tū THEODORVS. Minimè, inquit, gentiū eum dimiseris, Christi gregi tā necessarius; sedquod deest tuę ordinationi, catholico more adijciā. IARVMANO post hæc *Merciorum* Episcopo defuncto, WLFERVS Rex enixe egit cū THEODORO, vt CEDDA ad *Mercios* trāsmigraret. Cui cùm THEODORVS cōsensisset, restituto WILFRIDO ad *Eboracenſem*, mox CEDDAE ad monasterium construendum quinquaginta familiarum possessionē donauit. Suscepit igitur Episcopatum, sedémque tenuit apud LICHFELDIAM, vbi etiam hodie manet, nec MERCIIS modo, sed & *Mediterraneis* ANGLIS atque LINDISFARIS, id est, LINCOLNIENSIBVS præfuit. Magnitudinē verò pietatis in hoc præsule, cum cetera, tum præcipuè mors eius illustrat. Quam angelis septimo ante die eum adeuntibus, cælestémque cantionem occinentibus præsciuit. Quare aduocatis fratribus, instare sibi suprema sua palam edixit: deinde læsam statim valetudinem sentiens, virésque corporis labefactatas, postquā exitum suum, corporis sāguinisque dominici sumptione munisset, septimo post die (id quod prædixerat,) è vita excessit, idque sexto Nonas Martij. In quo viro illud obseruatum est, quod quoties de cælo tonaret, aut vehementior tempestas cælū concuteret, magna ille se ad preces vigilantia præparabat, suisque in memoriam postremum iudicium, summumque illud Christi tribunal, terribilemque illam iudicis maiestatem in mentē reuocabat, & ad diligētiam, preces, vigilias, ieiunia eos acuebat. Cum mortem obiret, vir quidam pius vidit animam CEDDI, de quo diximus, huius CEDDAE fratris, magna angelorum cohorte stipatam è cælo descendisse CEDDAEQVE animā in cælū secū euexisse. Ad sepulchrū eius quidā phrenesi laborās, sanatus est: puluis sepulchri aqua cōmixtus atque potatus, hominibus atq; animalibus sanitatē attulit.

CEDDA verò successorem habuit [a] WINFRIDVM Diaconum suum, atque hi postremi quatuor,

† forte *cuius*.

a *Beda dicto c. 21*

† *Beda cit* Diuma *Malmesbur.*

Huius sæcul. c. 13.

b *Bedali 3 c. 29. 22. lib. 4. c. 3.*

† *Alias* respondeat. † *Al.* deponetem.

Beda lib. 4. ca. 3. & 6.

quatuor, regnante WOLFERIO, ecclesiam administrarunt. Huic non ita multo pòst exauthorato, quòd nescio qua in re eum mandatis ipsius parum obedientè inuenisset THEODORVS, substituit SEXVLPHVM. Post quem in duos Episcopos distracta est prouincia, HEDDA apud LICHFELDIAM, WILFRIDO apud LEGECESTRIAM sedente. Quo vi hostium inde deturbato, vtrique prouinciæ præfuit HEDDA. SEXVLPHVS verò regebat totam *Merciam*, sed authoritate THEODORI & Synodi, quam apud HATFELDIAM coëgit, *Mercia*, quam eo tempore solus administrabat, in quinque sedes Episcopales & quinque
† *Alias erat.* diœceses discreta † est. Quarum vna erat apud LEGECESTRIAM, altera apud VVIGORNIAM, tertia apud LICHFELDIAM, quarta apud CEDENIAM in *Lindissa*, quinta apud DORCESTRIAM. Apud LINDISSAM verò Pontificio munere functi sunt, HONORIVS (vt quidam accipiunt) EADHEDVS, ETHELWINVS, EADGARVS, &, paulò ante
a *Anno 628.* mortem *Bedæ*, CIMBERTVS. Sed quod de HONORIO traditur, falsum est. Etsi enim a *Matthæus Westmonasterienſis* HONORIVM apud LINDISSAM consecratum Episcopum (vnde iste alijs error natus est) scribat; non tamè HONORIVM illius prouinciæ designatum Episcopum, sed HONORIVM *Cantuarienſem* à PAVLINO *Eboracensi* in ea regione initia-
Beda l. 2 c. 18. tum, quòd à *Beda* sumpsit. Imo *Matthæus* ipse alibi EADHEDVM primum Episcopum constituit. Quanquam & ante eum fuerat SEXVLPHVS, sed *Merciorum* simul & *Mediterrancorum Anglorum*, vt diximus, Episcopus. Quas ille prouincias, pulsus à LINDISSA, retinebat. E-
Bed. li. 3 c. 28. THELWINVS verò discendi gratia in Hibernia versatus est, benèque instructus, reuersus in patriam LINDISSAE ecclesiam diu peregregiè administrauit, vbi & frater ipsius ETHELWINVS ante eum versatus est, cum EGBERTO illustri quodam *Anglo*, de quibus nos alibi referemus. Fuit inter alios pios hoc sæculo viros EGFRIDVS presbyter, qui vtilem operam in traducendo ad Christi fidem MERVALDO, vno ex PENDAE filijs, posuit.

De Rege & Monacho ETHELREDO, *de Diuis* MILBVRGA, WERBVRGA, CHINEBVRGA, CHINISVIDA *&* TIBBA, *déque varijs huius prouincia cœnobijs.*

CAPVT XXIII.

Huius sæculi ca. 21 & 22. Guil. Malm. de Reg. Flor. leg. An. 705.

RARVM & insolens, hoc & sequenti sæculo, in quibusdam ANGLORVM Regibus spectaculum contigit. Inter quos fuit ETHELREDVS Rex, de quo diximus, qui regno CHENREDO nepoti restituto, deposita corona, regióque splendore, monasticam vitã professus est apud BARDONEVM cœnobium, quod ipse condidit, cuius posteà præses factus est. Celebres fuère hoc sæculo sacræ Christi virgines, MILBVRGA, & VVERBVRGA. MILBVRGA tritauum habuit ETHELBERTVM Regem, qui primus Regum *Anglorum* Christum professus est. Patrem habuit MERWALDVM Regem *Merciorum*, *matrem*
Ex vita eius quæ extat beatæ virginis & de finit arcere videntur. Vide & lo Cap gran. DOMPNENAM filiam ERMENREDI, nepotis commemorati ETHELBERTI, ex EDBALDO *Cantiorum* Rege. Ita regius ad eius natales exornandos splendor vtrumque, tam ex *Cantia*, quam *Mercia*, & primogenituræ etiam inter liberos MERWALDI, prærogatiua confluebat. Sed ista omnia, & quæcunque alia mundus suspicit, adeo illi nullos extulere animos, vt præ amore, quo in Deum & cælestia exardescebat, ea prorsus parui faceret & contemneret; totaque in eo suas omnes cogitationes, studia, desideria, poneret & defigeret, quo tandem modo, quàque expeditissima ratione, se ad eam vitæ rationem transferret, qua per omnem prorsus vitam, Deo diuinisque meditationibus, nullis intercursantibus mundi impedimentis, prorsus inhæresceret. Quas suas cogitationes vt certius & salubrius impleret atque perficeret, splendida & regia palatia cum cœnobio, regiam purpuram cum cilicio, regium diadema cum virginali flammeolo, terrena denique sponsalia, quæ illi splendidissima & ornatissima decsse non poterant, cum cæleſti sponso Christo feliciter commutauit. Monasterium itaque virginum apud *Winlocum* in *Salopia* construxit, vbi & virginibus sacris præfecta, & religiosè per THEODORVM *Dorouernensem* Archiepiscopũ consecrata est; ampliſque illud postea monasterium possessionibus, pater & patruus MERWALDVS & WOLFERVS *Merciorum* Reges, multis & preciosis sanctorum reliquijs, magnisque priuilegijs atque prærogatiuis exornarunt. Nouúmque iam quemdam ille locus paradisum representabat, propter sanctã societatem Deo diuinisque rebus egregiè addictã; & propter ipsam cum primis MILBVRGAM dignam tali prole matrem; & propter dignã tam sancta matre sanctã prolem: inter quas sancta

fuit

fuit æmulatio, sancta contentio, in omni pietatis, castitatis & humilitatis studio prouehendo.

SED tamen multo eminebat mater, in omni præsertim animi demissione, & abiectione; séque castam, integram & illibatam per omnia sponso suo conseruabat, aliisque egregio omnium virtutum exemplo prælucebat. Et in hoc tantarum virtutum cursu non defuit virgini suæ Christus, nec ardentiorem voluntatem & vires solùm ad maiores in dies progressus suppeditauit, sed & claras amoris curæque erga eam suæ testificationes, illustriaque quædam documenta dedit. Inter quæ & illud fuit, quòd dum filius cuiusdam Regis vi eam abripere, virginitatémque Deo deuotam eripere, matrimonióque sibi adiungere conaretur, fugientémque persequeretur; alueus fluminis intermedius, quod virgo facile & expeditè pertransierat, subitò ita intumuerit, & extra ipsas se ripas effuderit, vt nefario proco omnem transitum, omnémque deinceps, voti sceleſti potiundi, spem mirabiliter præcluserit. Vt flumen ita & aues, quas siluestres anseres appellamus, virginis voluntati inseruiebant. Quæ cum sata in ijs agris, qui monasterio vicini erant, depascerent & depopularentur, virgo fide plena (quæ vel montes, vt Christus ait, transfert) illis imperat, vt primo quoque tempore inde se † proripiant; Neque vel ipsæ, vel alię ex eo genere, illis deinceps agris damnum detrimentumve inferant. Cui tanquam si ratione præditæ fuissent, virginis mandato aues illas, non illa duntaxat superstite, sed & posterioribus etiam temporibus paruisse, & incolarum testimonio, & scriptis etiam proditum est. Vt simile quiddam Deus in nostra ANGLIA virgini suæ, quod olim in eremo ANTONIO, onagris similia imperanti præstitisse videatur. Multa etiam & alia de ea admiranda, quę huius narrationis compendium persequi non patitur, traduntur. Ex quibus est quòd & lumen cæco, & mortuo vitam reddiderit. Quæ vt sunt per se magna, ita certe præillis alijs beneficijs, per quæ compluribus, cum lumine illo, animæ cælestique vita per improbas actiones peccandique consuetudinem excidissent, cęleste illud animę lumen amissum, vitámque perennem, qua sua se indignitate spoliarant, sanctis cohortationibus salutarique vitæ exemplo restituit, minutiora videntur.

† *Alias* proripeant.

MILBVRGA cum iam in omni virtutum genere insigniter profecisset, ætatéque iam inciperet ingraueſcere, totáque ad sponsum eiusque præsentiam anhelaret; eam ad se sponsus euocat, diuturnis prius febribus quasi decoctam & penitùs purgatam. In qua illa sua postrema ægritudine sanctam illam societatem ad se accersit, illámque Deo commendat, optátque vt piam & idoneam aliquam sibi præfectam ab obitu suo seligat, eámque ad pacem cordisque munditiem cum primis hortatur. *Beati*, inquit, *pacifici, quoniam Filij Dei vocabuntur. Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt.* Quæ & alia salutaria monita cum illis dedisset, & sacrosanctis se sacramentis, obitúmque suum religiosè munijsset, ad sponsum æternum cum eo regnatura, pro cuius amore terrena omnia regna nihili pendebat, feliciter ad septimum Calendarum Martij commigrauit. Quæ vt cum sponso gloriosè regnare piè creditur, ita ne quòd fortè dubitationis nubilum piam illam credulitatem obfuscaret, Deus ipse amoris erga sponsam sui, non obscura testimonia ANGLIAE nostræ exhibuit: Corpúsque ipsum virginis, licet post multa sæcula, ad notitiam venerationémque hominum in apertum protulit, ad annum salutis milleſimum centeſimum primum, & Imperium HENRICI *primi*, in loco qui WINLOCVM dicitur.

Math. 5. 8.

RAIMVNDVS quidam, dum fortè operaretur in monasterio sanctæ Trinitatis, arculam siue capsam veterem reperit, & in ea scripturam ab ALSTANO quodam presbytero conscriptam, quæ testabatur virginis corpus propè altare ibidem sepultum. Sed cum altare non appareret, nihil erat adhuc certi. Atqui Deus hanc omnem incertitudinem paulo post sustulit. Cum enim in ea ecclesia duo pueruli (vt fit) luderent, repentè terra se aperuit, ita quidem vt primo vnum, deinde & alterum puerum ad genua vsque absorberet. Qui casus magnam monachis admirationem occasionémque præstitit, vt terram effodiendam curarent. Quod cum peregissent, incidunt in quædam humana ossa, & postridiè in fundamentum ipsius altaris, de quo mentionem fecimus. Concurrebant iam ad fidem rei, adque gloriam Dei sponsæque suæ manifestandam, & alia, eáque insignia testimonia. Nam ad eas reliquias ita recens inuentas, horrenda lepra à duabus mulieribus depulsa est; mulieri lumen oculorum restitutum, quod amiserat; puer illuminatus est, qui nunquam oculis priùs quicquam vsurpauerat. Fuit & alia mulier in vicina villa, quæ *Petelia* dicitur, graui ægritudine quinque annos concussa, quæ mox vt aquam, qua sacræ reliquiæ ablutæ erant, ebibit, morbum omnem excussit, horrendúmque simul aspectu vermem euomuit, qui geminum in capite, gemi-

Miracula Milburgæ post eius inuentionem Acto Ostiensis Episcopus & Card. conscripsit, ex quo ista sumpta sunt.

Vide & Guliel. Malm. lib. 2. de Regib c. 101 & lib 4. de Pontif. tit. de Episcopis Herefordensib.

te, geminum in cauda cornu, sexque pedes habebat. Ad fidem vero rei, vermis ille ligno quodam excauato inclusus, in monasterio conseruabatur.

a Ioan. Capgra. Mem. Hunt. li 9

HABVIT vero & [a]WERBVRGA tritauum ETHELBERTVM, patrem VLFERVM *Merciorum Regem* PENDAE Regis filium, matrem beatam ERMENILDAM, materteram beatam ERKONGATHAM. WERBVRGA maiorum sanctitatem ab ætatis primordio imitata, generis sui splendorem virtutibus suis illustriorem reddidit. Nam cum esset & amplo, vt diximus, atque sancto genere nata, & insigni quadam forma præ reliquis virginibus commendata, neutiquam sibi à maiorum quasi laude atque gloria degenerandum putauit, neque committendum vt sordida atque turpis anima, pulchri corporis gratiam deformaret. Et quoniam à nobilissimis genus deducebat, noluit nisi nobilissimo sponso coniungi, Christo inquam, integri atque incorrupti corporis, sanctam & castam animam despondit. Ampla hæc sponsalia in sanctarū virginum monasterio ELIENSI, cui matertera eius ETHELDREDA præerat, ecclesia angelisque testibus, sacro virginum & sponsarum Christi flammeo susceptо solemniter celebrata sunt. A quo illa tempore diligentissime & anxie cauit, ne quicquam admitteret, quod tanto sponso displiceret, pro cuius amore, aurum, vestes splendidæ, gemmæ, & quicquid mortales in mundo admirantur, illi planè euiluêre. Cuius in hoc totæ cogitationes positæ erant, quo modo silentio, abstinentia, vigilijs, lectionibus, sacris precationibus, reliquas præiret. Quibus reliquisque virtutibus, cum ceteras tanto post se interuallo relinqueret, quanto generis sui nobilitate; tam demissè tamen de se sentiebat, tam nihil sibi arrogabat, vt ad omnium se obsequia paratissimam semper exhiberet, & vilissima monasterij officia promptissimè obiret. Inter hæc, pauperum & egenorum precipuam quandam, quasi pia mater, curam gerebat. Talis denique per totam vitam extitit, vt cum pro conditione humana, corpus in terra circumferret, animum tamen cælo semper affixum haberet. Postquam tale de se diu virtutum specimen dedisset, accita est à patruo Rege ETHELDREDO in patriam, vt sacris illic virginum monasterijs TRICINGAMIAE, WEDVNAE, & HAMBVRGAE præficeretur, & communi matri tanquam pia filia gratiam redderet, & vbi terrestrem hauserat, ibi cælestem vitam sedulò promoueret. Præfecturam itaque illam tam sanctè & prudenter gessit, vt maximam apud homines pietatis & sapientiæ laudem adepta sit. Obijt tertio nonas Februarij, sepulta apud *Hamburgense* cœnobium; sed sacras eius hodie reliquias [b]CESTRIA conseruat, non sine diuino de eius sanctitate testimonio ex miraculis, quæ ibidem Dominus operari sæpe dignatus est.

b Polich. anno 674.

HIS CHINEBVRGAM & CHINESWIDAM iam subijciamus. PENDA igitur Rex *Merciorum*, etsi à religione Christi plurimùm abhorreret, filij tamen eius PEDA, VLFERVS, & ETHELREDVS, qui ei in regno succedere, valde eam amplexi sunt; filiæque eius CHINESWIDA & [c]CHINEBVRGA, tam insigniter, in ea profecerunt, vt quasi lumina quædam relucerent. CHINEBVRGA sanè etsi esset matrimonio copulata, nihil tamen inde impedimenti cœpit ad miros pietatis progressus. Quam egeni, pauperes, afflicti, quasi matrem quandam sensêre. Ad releuandam enim huiusmodi hominū inopiam & miseriam, quasi nata videbatur. Neque tamē hac ita excelluit, vt reliquæ in ea iacerent virtutes. Nulla enim est ferè pię & illustris feminę laus, à qua illa erat vacua. Quę vero ad Deū & diuina attinebant, ea certè singulari quadam cura atque diligentia exequebatur. Quod vt liberius & vberius præstaret, nunquam cessauit marito ALFRIDO Regi *Northumbriæ* negotium facessere, donec viuendi suo arbitrio potestatem daret. Ille tantum pietatis & religionis ardorem in vxore suspiciens, sponte vltróque tandem sibijpsi quasi vun inferens, & licitam alioqui matrimonij potestatem abdicans, non solum vxori morem gerit, sed & ipse continentiæ perpetuæ certum & fixum propositum arripuit. Breui igitur Aula ipsa Regia, quasi in monasterium, & totius exactioris disciplinæ officinam conuersa est. CHINEBVRGA non mediocriter hinc læta, cum maritum postea ad hunc pietatis cursum confirmatum satis vidisset, ab eo ad monasterium quoddam, quod sibi aliisque virginibus, pararat, secessit, commutatóque vitæ genere, pro splendido, tenue & humile; pro diuitijs, paupertatem; pro delitijs, vulgares & plebeios cibos; pro illustrium & principum feminarum ambitioso comitatu, paupercularum virginum consortium complexa, & ad priores virtutes, noua quadam accessione quotidie facta, tandem ad eum, pro quo mundum omniaque eius blandimenta spreuit, beata euolauit. Locus vero vbi cœnobium constituit *Dornuncraste* appellabatur, postea vero *Chineburgum*, in quo cœnobio sacris virginibus præfecta erat; distabat vero à *Petriburgo* vix duobus miliaribus. Marianus autem, & post eum Math. West. tradit eam cœnobium sacrarum virginum, etiā apud

c Io Capg. Gul. Malmes. de Regib.

Marianus Scotus in Chronicis an 718.

Mar an. 718. Math an. 720.

WIN-

WINEBVRNIAM condidisse. [a] CHINESWIDA vero adhuc tenera, sub sorore ad virtutem & virginitatē sanctè educata est. Cuius tanto amore ferebatur, vt oblatas clarissimi Regis OFFAE nuptias, planè pro Christo, quem sibi sponsum asciscere cogitabat, generosè contemneret. Cui tā generoso animo reliqua vita respondit, omnibus virtutibus valde ornata. Qua transacta, sponso, in quem tanta propensione ferebatur, ad omnē immortalitatem coniuncta est. Habebant autem CHINESWIDA & CHINEBVRGA consanguineam quandam, quę CIBBA dicta est, insigni pietate preditā, quę obijt die sacro diuæ LVCIAE; cuius constans in virginitate propositum strenuè imitata est. HENRICO *primo* regnante, reliquiæ harum virginum ad monasterium *Petriburgense* magna pompa perductæ sunt, atque ibidem repositæ; quarum ibidem memoria solemniter quotannis agitur pridie nonas Martij. Fuit & hoc sęculo conditum ab VLFERO Rege [b] cœnobium *Æthburnense*, in quo WINFRIDVS Episcopus de gradu deiectus, quietam & sanctam vitam traduxit. Fuit etiam hoc sæculo [c] ALNOTVS anachoreta, qui in solitudine à latronibus cæsus est. [d] Cœnobium vero *Medeshamstedium*, quod hodie *Petroburgense* dicitur, condidit SEXVLPHVS, cui & ipse, antequam in Episcopum selectus erat, Abbatis loco præfuit. Sumptus & possessiones tam amplas prębuit, ad id construendum fouendúmque, Rex ETHELWOLPHVS, vt toti pænè vicinæ regioni imperaret. Postquam verò [e] CHENVLPHVS Abbas muro id ad similitudinem vrbis circumdedisset, PETROBVRGVM, quasi *Petri* (cui cœnobium dicatum erat) ciuitas appellatum est. Fuit (credo) & in hac Prouincia cœnobium [f] *Pertanum*, eiusque Abbas *Poda*.

a *Ion. Capg. Polich. li 6. c. 12.*

b *Beda li 4 c. 5 & 6. Florian 674.*

c *Ioan Capg. in vita* withburgæ.

d *Bed. li. 4 c. 6.*

e *Gul. Malmes. de Episcopis Dorcestr.*

f *Bed. li. 2. c. 16.*

De ETHELDREDA *& cœnobio* Elienſi, *déque ſorore ipſius* SEXBVRGA, *deque* ERMENILDA *Regina & diuo* BOTVLPHO.

CAPVT XXIV.

EGFRIDVS Rex ETHELDREDAM ANNAE *Orientalium Anglorum* Regis filiam, puellam longè formosissimam, ac multo optimam in matrimonium duxit. Hæc vna de multis, memorabile omni æuo pudicitiæ exemplum edidit. Bis enim nupsit, & corpus tamen virilis complexus omnino expers seruauit. Sed cum priori viro, qui statim post factas nuptias mortem obijt, illud facile factu fuit. Cum EGFRIDO vero iuuene, ætate florente, cum duodecim vixisset annis, & nunquam ab eo compressa fuisset; id adeo dignum admiratione est, vt propè nescias, vtrum magis fœminæ constantia, an viri amore flagrantis patientia laudanda sit: vtrique certè suum hic decus & laus non deest. Sanè quotuisquisque est, qui ita titillanti carni modum imponere queat? Res ad extremum, extra tamen vim, in certamen adducta est. EGFRIDVS etenim suscipiendæ prolis desiderio agitatus, modò blandientis, modò minantis similis, vxorem stimulabat, quo vellet vna secum, velut ius matrimonij poscceret, liberis procreandis operam dare. ETHELDREDA contra, quæ Deo virginitatem suam dedicarat, nullius voluptatis seu verborum illecebris à proposito auertebatur. Rex, qui suapte natura placido erat ingenio, licet quo magis vxor negabat, hoc maiore amore (sic enim negata auidiùs cupimus) flagraret, manus tamen à violentia abstinebat; qui vt nihil intentatum relinqueret, eam de sententia deducendi negotium dedit WILFREDO Eboracensi Archiepiscopo, cui virgo multum confidebat; veruntamen ille etiam nihil profecit, adeo mens illius inuicta manebat.

g *Bed li 4. ca 19 & 20. Polid. lib. 4.*

ETHELDREDA interim assiduis precibus virum fatigare non cessabat, quo sibi, per eius voluntatē coniugali vinculo solutę liceret priuatam & cœlibem degere vitam, idque tandem impetrauit. Nam prudens princeps, non potuit non amare in vxore virginitatem, quam certo sciebat Christo dedicatam esse. Virgo libertatem nacta, contulit se ad monachain EBBAM EGFRIDI viri sui amitam, quæ id temporis sanctitate vitæ florebat, eratque Abbatissa quam dicunt monacharum, cœnobij quod erat ad id loci, vbi memoria nostra est pagus in finibus SCOTIAE, quem vocant *Coldingham*, ibique monacha facta est. Post hæc pia virgo augendæ religionis cupida, ad suos *Orientales Anglos* redijt; ac quamprimùm in insula, quam *Ely* nominant, cœnobium instaurauit, atque in eo monacharum collegium instituit, cui ipsa præfuit; & demum mortua in Diuorum numerum adscripta est. Cœnobium autem istud ab initio, au-

thore Diuo AVGVSTINO Archiepiscopo, sumptibus ETHELBERTI Regis *Cantiani* conditum, ac Diuæ Virgini MARIÆ dedicatum quidam tradunt, quod mihi adhuc non satis compertum, eoque loci collocatum monachorum ordinis Diui BENEDICTI collegium, circiter annum salutis sexcentesimum. Verum deinde cum PENDA *Merciorum* tyrannus, in *Orientalibus Anglis* vastas solitudines fecisset, cœnobium quoque illud euersum est: quod, vt diximus, ETHELDREDA instaurauit. At postea circiter annum salutis octingentesimum septuagesimum, *Dacis* duce *Agnero Anglos Orientales* debacchantibus, & aras omnes & templa funestantibus, cœnobium rursus complanatur; quod paucis post annis nonnulli boni patres presbyteri refecére, sacerdotúmque collegiúm in eo instituerunt. Hos postremum circiter annum salutis humanæ nongentesimum septuagesimum. ETHELWOLDVS Monachus *Vintonien sis* Episcopus, cum apud EDGARVM Regem, tum apud IOANNEM decimum tertium Romanum Pontificem, inde deijciendos, atque suos monachos introducendos curauit.

QVANTA vero sanctitate ETHELDREDA huic monasterio præfuerit, quanta continentia vixerit, quibus à Deo donis amplificata sit, non est facile dictu. Certe ab eo tempore quo monasterij curam suscepit, laneis solis vestibus, lineis nunquam vsa traditur: raro calidis balneis vsa, & tum quidem post omnes sorores, quibus abluendis diligenter priùs inseruierat; non amplius quam semel per diem comedere solita, nisi quando illud eius institutum & propositum, aut festi celebritas, aut infirmitas, aut alia maior causa expugnaret. A nocturna matutinæ laudis synaxi, in ecclesia ad auroram orando perseuerauit. Nec prædictionis dono caruit, quo suam & sororum, grassante tum peste, mortem, earúmque certum numerum præuidit & prædixit. Quæ cum ægritudine lætali correpta esset, collum eius incœpit tumidum ac turgidum esse; accersitus medicus, inflatum colli tumorem incidit, vt noxius & purulentus humor emitteretur. Visa est ETHELREDA biduo postea releuata, & iam omnes de ea meliùs sperare cœperant; sed tertius dies omnem spem, vitámque simul virginis abstulit. Quo tempore collum eius ita intumescebat, adeo non ægrè tulit, vt eum potiùs pro delicijs tumorem habuerit, astantibus dicere solita; Meritò turgescit & inflammatur collum, merito ceruicem superbam tumor iste inuasit. Memini enim cum adhuc iuuencula essem collum meum monilibus, & auro ad vanam ostentationem onerari solitum. Quare plurimum debeo diuinæ prouidentiæ, quòd mea superbia tam leui pœna defungatur, nec ad maiora tormenta reseruer. Solent *Angliæ* nostræ mulieres torquem quendam ex tenui & subtili serico confectum collo gestare, quem ETHELDREDAE torquem appellamus, forsan in eius quod diximus memoriam: Atque vtinam hoc monumentum nostras mentes ad virtutis ETHELDREDAE imitationem (vt merito deberet) ad quem finem arbitror institutum, & in vsum receptum, excitaret. Quod & nobilioribus viris, atque tum nostris, tum aliarum gentium Proceribus, qui torquem illum, quem nostra lingua *à coller of S. S.* torquem de S.S. appellamus, collo circumferunt, optarem: Quæ literæ *sancti Simplicij*, qui Senatorio Romanorum sanguine ortus, generosè pro Christo obijt, nomen significant. De huius torquis origine causa atque significatione. Vide *Wicelium* de Sanctis vbi agit de sancto *Simplicio*. Certè torques isti, non minori tum futuri essent viris & mulieribus ornamento, quã fuit olim torques ille *Tito Manlio Romano*, quem ab hoste *Gallo* prouocatus, occiso detraxerat, vnde *Torquati* postea cognomen accepit.

SED vt ad ETHELDREDAM reuertar, obijt beata virgo nono Calendarum Iulij, post septimũ administrationis annum. Habuit & fratrem, quem posteritas pro sancto viro coluit: Humatus est in cœnobio Diui EDMVNDI cum quodam Episcopo *Botulpho*, quem pro sancto etiam celebrant, licet gesta eorum hodie ignorentur. Post annos vero sedecim quibus ETHELDREDA fuerat mortua, non modò corpus, sed & vestimenta sepulchralia reperta sunt tam integra, ac si eodem die sepulchro fuissent iniecta. Corpore ita inuento, missi sunt quidam ex insula, vt pro ligneo lapideum sarcophagum pararent. *Ecce* verò repente, diuina voluntate ita ferente, sarcophagum ex albo marmore reperiunt tam aptum virginis corpori, ac si ex proposito, pro eo condendo, fuisset comparatum & fabricatum. Prior loculus multis aduersus oculorum caliginem, qui caput illi admouerant, profuit. Solo vestium sepulchralium attactu, dæmoniaci & alij ægroti sanabantur. Cum corpus virginis sepeliretur, ex vulnere quod medicus incisione imposuerat, caro ceruicis disiuncta fuit atque hians. At post sedecim annos, sola tenuia cicatricis vestigia apparebant. Habuit & se dignas sorores, sanctas Christi sponsas, ETHELBVRGAM & WITHBVRGAM, de quibus diximus, atque

Huius sac. 17.

SEXBVR-

SEXBVRGAM. Maritum habuit SEXBVRGA omni laude dignum EARCOMBERTVM Regem. Ex hac ſancta radice germinarunt beatæ virgines ERTONGATHA, de qua diximus, & ERMENILDA. SEXBVRGAE vero conſilijs ac virtute, magnas acceſſiones cœpit Regis pietas, cui vt nunquam defuit vllo officioſè vxoris obſequio, ita nunquam ceſſauit, mentem eius ad Deum, & diuina accendere; nec matrimonio illa ad voluptatē, ſed neceſſitatem vſa, neutiquam abuſa, Maritum vt *Sara Abraham*, *Rebecca Iſaac*, *Rachel Iacob*, *Elizabeth Zachariam*, ſummo ſemper honore venerata eſt. Sciens honorabiles nuptias & thorum immaculatum, tantùm abfuit vt illum pollueret, vt potius etiam in legitimo thoro, modum quęſierit; non ignorans ſcriptum à *Paulo*, *Qui habent vxores tanquam non habentes ſint*. Quin & illud *Pauli* ad mentem ſedulo reuocans, per filiorum generationem ſaluari mulierem, ſi permanſerit in fide, &c. inſignem ſe in hac parte oſtendit. *Ioan Capgr. Hiſtor ſanct. c. 5.* *1. Cor. 7. 29.* *1. Tim. 2. 15.*

TALIS domi fuit SEXBVRGA; domeſticæ pietati reliqua eius vita tota conſenſit. Diuitijs vitæque copijs, non tam ſeruiebat, quàm eas ſibi ad pios vſus ſeruire fecit Aulæ delicijs nunquam eſt fracta, in quibus ſemper ſe abſtinentiſſimam præbuit, tantum ab omni faſtu ac ſuperbia mentis aliena, vt, quo altius ad mundi honores conſcenderat, eo ſe moderatiùs ac ſubmiſſiùs gereret. Aulici eam vt dominam & principem agnoſcebant, pauperes vt æqualem, cum quibus tam familiariter verſabatur, ac ſi eſſet gregaria. Quos tam prolixè adiuuit, vt omnes facultates in eos exhauriret, in eorum ſinu theſaurum recondens quem domino fœnerabatur, ſortem olim cum cæleſti vſura ab eo receptura. Proceres in ea Regiam maieſtatem, pauperes humilitatem & munificentiam, omnes autem quaſi communis cuiuſdam matris pietatem ſuſpiciebant. Cumque nulla in quoſcunque homines iuuandos officia prætermitteret, & in reliqua tota vita diligenter ſibi caueret; tum in Deum & diuina præcipuo quodam ſtudio tota rapiebatur; rara in cœtu hominum, in eccleſia frequens. Et quamuis non ignoraret, inculpatum legitimum thori vſum, & ad humani generis propagationem neceſſarium eſſe; tamen & illud ſæpe recordabatur, ad ſummam virtutum tendenti ſolere aliquod obijcere impedimentum; nec fruſtra ſcripſiſſe *Paulum*, *Quæ nupta eſt, ſtudet quomodo placeat marito.* Quare cum iam ampliſſimum nuptiarum fructum eſſet conſequuta, † vt ei rectè dici potuiſſet, *Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ*, & marito peperiſſet EGBERTVM atque LOTHARIVM, EARTONGATHAM atque ERMENILDAM, ſanctas virgines Chriſtique ſponſas, totis iam deſiderijs ad id genus vitæ aſpirabat, in quo illud potiſſimum impletur, *Vacate & videte quoniam ego ſum Deus*. *1. Cor. 7. 34.* † *Aliàs &.* *Pſal. 127. 3.* *Pſal. 45. 11.*

QVARE poſtquam EARCOMBERTVS, poſt viginti quatuor annos, regnare viuereque deſiiſſet, illud *Pauli* reconditum animo habens, *Beatior erit ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſilium*, tanquam diu expetitam libertatem nacta, quaſi auis, caueæ longo tempore incluſa, è laqueo emiſſa; pernici ſancti deſiderij volatu, depoſitis regijs ornamentis, omnique prioris vitæ faſtu, in ſanctarum ſe virginum contubernium apud ciuitatem *Elienſem*, cui ſoror ipſius ETHELREDA præfuit, ſtatim contulit. O inſignem humilitatem! Quæ priùs principibus feminis imperare ſolebat, iam inter pauperes ancillas ſeruire vltrò deſiderat; nec dedignatur æqualem eandémque duram vitam degere, ſeque etiam infra infimas ipſarum abijcere, ſolitáque cœnobij officia, quantumuis ſordida, magna alacritate obire. Prudenter illud apud ſe cogitabat; *Hoc demum eſt regnare, Deo ſeruire*. Qui ſponte vltra quotidiana aut præſcripta opera, noua ſibijpſi accerſens ac imponens onera, maximis vigilijs, ieiunijs, precationibus nocturnis atque diurnis, alijſque laboribus mirum in modum corpus coercuit; vt ſi quod ex prioris vitæ voluptatibus maculæ forſan inſediſſet, id nouæ vitæ aſperitate penitùs deleretur. Ita quæ priùs claris in mundo feminis, iam ſanctis Dei virginibus magnum de ſe præbet exemplum; vt non immerito, defuncta ſorore, ſit ad regendum monaſterium accerſita. At illa non tam ex eo dignitatem atque honorem, quàm onus maioréſque curas accreuiſſe arbitrata, ad priores labores multam, & ampliorem in rebus omnibus diligentiam adiecit. Prius enim ſibi ſe ſoli vixiſſe exiſtimabat; iam alijs quoque ad exemplum viuere debere, pro ſapientia ſua rectè intellexit. Quare ſeipſam quotidie vincens, quotidianiſque virtutibus auctior, finem tandem humanæ vitæ fecit. Cuius corporis reliquiæ, vt prope ſororis ſepulchrum ſunt poſitæ, ita eius anima ad eandem cæleſtis regni ſedem felix aſcendit, pridie Nonas Iulij. *1. Cor. 7. 40.*

PIAE matri piam filiam coniungamus ERMENILDAM Reginam, vxorem WOLFERI Regis *Merciorum*, nepotis Regis PENDAE, qui PENDA per OSWIVM *Northumbriæ* Regē ſublato, poſt triennium *Mercys* Imperauit. Interim OSWII Regis opera & diligentia, *Mercij* *Beda li. 3. c. 24.* *Ioan. Capgr.*

tum

tum primum Christum agnoscere cœpere. Cuius fidem & sacra mirum in modum postea VLFERVS apud suos amplificauit, idque potissimum consilio suasúque ERMENILDAE, quam in vxorem acceperat, quæ nunquam quieuit, donec euersis vbique idolis, omnia loca Christi sacris replerentur. VLFERO post septemdecim annos mortuo, ad annum Christi sexcentesimum septuagesimum quintum, ERMENILDA cum filia WERBVRGA *Elyensi* monasterio se consecrauit, cui præfuit mater eius SEXBVRGA. Quo loci in magna sanctitate austeritatéque vita traducta, ad Christum migrauit Idibus Februarij.

Vitam horum scripsit Felix ar dius Thornensis monachus, de quibus vide & catalogum Ioa. Capgr.

INTER ceteros verò pios hoc sæculo viros, qui monasticæ se vitæ dedêre, fuêre ADOLPHVS & BOTVLPHVS, fratres germani, non magis à parentibus, qui inter nobiliores censebantur, quàm à sua præstanti virtute clari & illustres. Qui pietatis augendæ causa in *Galliam Belgicam*, ex *Anglia* profecti sunt. Et quoniam virtus nullibi peregrina est, sed vbicunque reperitur, etiam apud exteros iusto honore afficitur, ADOLPHVM illa ad *Traiectensem* Episcopatum tandem promouit & prouexit. BOTVLPHVS verò in patriâ reuersus, & ETHELMVNDO *Australium Saxonum* Regulo à sororibus duabus, quæ Christo se in *Gallia Belgica* consecrarant, officiose commendatus; illius opera & ope, cœnobium quoddam in *Lincolniensi* comitatu, non procul à *Lindorum* vrbe, vbi fratribus præfectus est, condidit. Quod ille munus persanctè administrauit, & ob miracula, tam in humana vita, quàm post obitum patrata, celebratur. Cœnobio *Danorum* irruptionibus posteà euersio, reliquiæ eius per ETHELWOLDVM *Wintoniensem* Episcopum, partim ad *Elyense*, partim ad *Thornense* cœnobium traductæ sunt. Est hodie nobile in commemorato Comitatu oppidum, quod à BOTVLPHO nomen trahit. Obijt vir pius ad XV. Kal. Iunij.

De Northumbriæ *regno, primóque eius Christiano Rege, eodémque martyre* EDWINO.

CAPVT XXV.

Sex primis sæculis cap. 11.

REGNI huius primaria sedes fuit EBORATVM, antiquissimum apud BRIGANTES oppidum, Romanisque celebre, vbi CONSTANTIVS, CONSTANTINI *magni* pater, vt diximus, obijt; quod & temporibus *Britannorum*, & Vrbis, & aliarum rerum splendore, & Episcopatus magnitudine semper emicuit. Cuius regni ditio ab *Humbro* flumine aquilonem versus, vnde & *Northumbriæ* nomen mutuatum est, ad mare vsque *Scoticum* longè latéque diffundebatur. Qui, aut quo modo, ante EDWINVM *Northumbriam* gubernarint, parum id quidem nostrum scopum respicit, hoc tamen ordine & serie, ne vel id prætermittam, referuntur IDAS, ALLA, (sub huius principatu pueri illi, de quibus diximus, *Romæ* venales ferebantur) ADDAS, CLAPPAS, THEODVLPHVS, FREODVLPHVS, THEODORICVS, ETHELRICVS, ETHELFREDVS. Alij quatuor illos, qui THEODVLPHVM antecedunt, prætermittunt, alij ad aliam rationem eos recensent. ETHELFREDVS vero multa egregia & fortiter gessit, non modo contra *Britannos* & *Scotos*, sed & suæ gentis homines. Is verò in tanto rerum successu non satis sibi cautum existimans, nisi EDWINVM, ALLAE Regis *Deiræ* filium patrisque heredem, iuuenem præclaræ spei & indolis, vel è medio tolleret, vel quàm longissimè e patria ablegaret, (veritus ne fortè tantos ille rerum suarum successus aliquándo interpellaret) nulla vel pietatis vel necessitudinis ratione habita (ACCAM enim sororem eius in matrimonio sibi collocatam habebat) in exilium extrusit. In hac ille rerum perturbatione, confugit ad REDOALDVM *Orientalium Anglorum* Regem, qui eum in suam fidem tutelamque sacrosancta contestatione recepit. Sed REDOVALDVS, partim spe munerum, quæ amplissima promittebantur, emollitus, partim minis ETHELFREDI contractus, hospitalem tesseram confringere, hospitémque hosti prodere cogitauit.

Polid. lib. 4. Hist. sæcul. c. 2.

Historiam Edwini, Vide apud Bed. l. 2. c. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 29. 30.

HÆC EDVVINVS intelligens, intempesta nocte de rebus suis magno cum animi mœrore, solus secum sui conseruandi, expediendæque salutis rationem meditatur. Repente verò inter has anxias cogitationes, ignotus quidam se illi obtulit, bonóque animo esse iubet, omne hoc periculum mox discutiendum narrat; ingentia si hæc ita euenirent pollicenti EDWINO, manus capiti illius imponit, iubetque, quando hoc illi deinceps signum accideret, promissi

missi memorem tenacémque fore. Móxque e conspectu euanuit. Nec vanum fuisse vatem euentus rerum docuit. Adeo enim facilitatis & perfidiæ suæ REDOVALDVM mox pœnituit, vt vltro ETHELFREDO bellū indixerit, in quo & ille peremptus est; móxque EDWINVM in regno paterno collocauit. Quod ille tam amplum habuit, atque *Anglorum* nemo ante eum, omnésque tam *Britannos*, quàm *Anglos* Imperio dictóque audientes habuit. Quod tamen multo nobilius, Christo se suósque postea dedicans, ornauit: Cuius boni occasio hinc manauit, quod Christianam virginem ETHELBVRGAM, EDBALDI *Cantuariorum* Regis filiam vxorem sibi asciuisset, cui à sacris erat PAVLINVS. CINCHELMVS interim *Occidentalium Saxonum* Rex, maleuolentia suffusus, tantísque EDWINI successibus intidens, sicarium immisit, qui ferro Regem nefarie conficeret. A quo per confossi militis, qui se interposuit, corpus, vulnus quidem & ipse, sed non lætale accepit. Nocte quæ insequuta est, ETHELBVRGA Regina filiam, quæ ENFREDAE siue ETHENFREDAE nomen habuit, peperit. Atque hic cum EDWINVS dijs suis gratias ageret, commodum de Christo Deo vero subiecit PAVLINVS, & ad eum tantummodo huius beneficij gratiam referendam. Quam eius orationem adeo Rex non est auersatus, vt filiam Christo mox tanquá primitias consecrari passus sit, & se quoque ad eadem sacra transiturum sponderet, si inimicum illum suum Regem vlcisci liceret; vltus est, neque tamen expedita illi adhuc, & soluta ad liberandum fidem videbantur omnia. Neque nisi post longas moras, auitam superstitionem excutere potuit.

QVI cum prudentia ingenióque valeret, neque ignoraret quos reip. motus, casúsque, & quanta incommoda auitę religionis abolitio trahere secū soleret, in noua religione suscipienda, diu multúmque deliberandum censuit. Inter deliberandi moras, superueniunt tam ad ETHELBVRGAM quàm Regem BONIFACII Papæ literæ, quæ eius animū magis ad Christum complectendum incitarent. Atqui nihil vnquam omnino hanc illius cunctationem adeo abrupisse videtur, atque illa PAVLINI ad eum vox, qua manu semel capiti eius admota, nihil iam amplius procrastinandum esse dixit, nisi forte fidei olim datæ memoriam omnem deposuisset. Tum vero magnitudinis beneficij promissique memor (quod PAVLINVM diuinitùs intellexisse credibile est) manus gloriámque Deo dedit, seque totum tam in PAVLINI potestate futurum, Christique fidem susceperum spopondit. Daret † tantum paululum inducarum, vt rem ad principes suos referret vt & illi quoque assentirentur, atque ad capessendam Christi religionem omnes simul conspirarent. Re communicata, & hinc inde differendo agitata, in eandem omnes sententiam concurrunt. Quin pontifex ipse dæmonum, cui, ex more per manus deducto, non licebat nisi equæ equitando insidere, arreptis armis emissarium Regis ascendens, dæmonum suorum aras præclaro exemplo euertit. Rex igitur cum Regina, liberis, & nobilibus *Eboraci*, in qua vrbe PAVLINO sedem posuit, salutari baptismate abluitur. Alij passim in *Gleni*, *Swalua*, & alijs fluminibus baptismum accepere. Et vt gratum suum animum tam erga Christum quàm REDOVALDVM, salutis regnique sui authorem iam defunctum testaretur, non prius conquieuit, quàm filium ipsius CARPVALDVM ad Christum quoque transtulisse.

† *Alias tamen paul. ind. vt ea ad Primi suos relata si illi quo essent adcap. Ch. vel. om si conspirarent.*

HONORIVS ad hæc tempora *Romanus* pontifex, ingenti lætitia affluebat, cum EDWINI pietatem intellexisset, gratulatoriasque ad eum literas transmisit. Iamque beatus omnibus EDWINVS videbatur, in cuius imperio omnia tam sacra quam profana florerent. Inter cetera enim reip. illius ornamenta, & illud prophetæ repræsentatum videbatur. *Iustitia & pax osculatæ sunt.* Atqui ne nihil nobis certi & stabile in rebus humanis polliceamur, NORTHVMBRIA mox incidit in summas rerum omnium conuersiones, perturbationes & calamitates. Cæsus est enim pius Rex in prælio, quod ei CADOVALLA Rex *Britonum*, & PENDA *Merciorum* à nostra religione abhorrens, (malo enim ea in re Bedam quàm quosdá sequi, qui sine solido fundamento faciunt eum Christianum) intulerunt. CADOVALLA licet Christum amplecteretur, indulgens tamen antiquo gentis suæ odio in ANGLOS, & insitæ animi feritati, crudelitate PENDAM ipsum vicit; in mulieres, atque infantes etiam vbique promiscuè desæuiens. Quanquam in vniuersum BRITANNI ANGLORVM religionem, & catholicos ritus nimia insolentia contemnebant, proprios quosdam & deprauatos, improba ab ecclesia discessione sectantes. Ab his itaque circumuentus pius Rex, oppressus & cæsus, regnum terrestre cum cælesti commutauit, postquam septemdecim annos regnasset, ad annum Christi sexcentesimum trigesimum tertium, & quarto idus Octobris,

Psal. 84. 11.

De OSWALDO Northumbriæ Rege & Martyre.

CAPVT XXVI.

De Oswaldo Bed. li. 3. c. 3. 6. 9. 10. 11. 12. 13.

INTERFECTO pio Rege EDWINO, quemadmodum dictum est, res *Northumbrorum*, & Christiana religio simul ruere cœperunt. Longissimè patebat ea natio, iam inde à primi Regis IDEAE morte, qui circiter annum quingentesimum quadragesimum septimum, eam regionem quadraginta nauibus ingressus totam sibi subiecit, in duos populos Regésque distracta BERNICIOS & DEIROS. DEIRI ab *Humbro* ad fluuium *Tinam*, BERNICII inde ad ipsam *Scotiam* pertingebant. Octauus BERNICIORVM Rex fuit ETHELFREDVS, quo occiso per Regem EDWINVM, filij eius OSWALDVS & EANSFREDVS, cum matre in *Scotiam*, præsidij sui causa profugere, quos postea soror EBBA sequuta est: quod illis exilium salutare fuit, quòd ibi sanctam nostram religionem primùm hauserint; quanquam alter eorum, leuem se † perfugam ostenderit postea. Cæso enim EDWINO, OSRICVS, qui & ipse PAVLINI opera baptismo donatus erat, filius EDFRICI, qui patruus erat EDWINI, DEIRORVM; BERNICIORVM vero regnum EANFREDVS, OSWALDI frater maior natu adeptus est. At illi ad sacrilegos se statim ritus, Christo contempto, contulere. Hæserunt mox in atrocibus impietatis suę pœnis. Nam præter æternam animarum internecionem, intra annum regno vitaque per CADOVALLONEM, siue CEDVALLAM *Britannorum*, & PENDAM *Merciorum* Regem exuti sunt; tamque sacra & detestanda postea fuit posteris ipsorum memoria, vt quod olim Romanis quibusdam, hoc & illis in ANGLIA contigerit: vt ne in fastos quidem ipsorum nomina referrentur propter perfidiæ immanitatem, calamitatisque magnitudinem, quia eo anno NORTHVMBRIA miserandum ad modum deuastata est. EANFREDO OSWALDVS successit, qui omnem illam contractam maculam penitùs deleuit, resque suas non antiquo modo splendori, sed longe maiori reddidit. In cuius regni tempora, & annus ille, quo perfidi illi periere, congeritur, eorum nominibus obliteratus; vt simul cum ipsis eorum etiam memoria sepeliretur. Præclaram statim, ad ipsa principatus principia, spem sui nominis præbuit; fraterna enim morte audita, licet se suósque vasto hostium exercitui, furorique impares cerneret, pietate tamen magis quam armis munitus, ad hostem processit, eumque parua manu strauit, & peremit.

† *Alias* profugam.

PRAECLARVM autem eius stratagema, fiduciáque in Deum plenum perfunctoriè non est prætereundum. Pugnam initurus, crucem sublimem egesta in tumulum terra infixit, ad quam supplex cum toto exercitu procumbens, diuinum auxilium contra insolentem hostem implorauit. Cuius crucis frusta postea abscissa, aqua macerata, atque ea deinde potata, multis mortalibus, atque animantibus, ad morbos, aliásque calamitates singulari fuere adiumento. OSWALDVS tanta victoria cœlesti beneficio potitus (quod credo antiquum loci illius nomen præsagiebat, quem HEVENFELD, id est cœlestẽ campum appellabant) totum se ad promouendam Christi religionem inter suos contulit. Ea de causa sanctissimum Episcopum AIDANVM e *Scotia* ad se accitum, eique congruam sedem attribuit, cui, sanctissimisque eius præceptis, ipse per omnia parebat; AIDANVS in dies assidua prædicatione multos ad Christũ perduxit. Qua in re pulcherrimũ sanè spectaculum obortum est. Conciones quidem habuit plurimas AIDANVS, sed quoniam ANGLORVM linguam exactè non nouerat, Episcopi interpretem apud proceres & populum egit OSWALDVS; & quę ille *Scotico*, hęc iste suo suis sermone reddidit. *Scotorum* enim linguam bene callebat, apud eos diu commoratus. Confluebant interim quotidie plures, qui operam suam AIDANO consociarunt in tam sancto negotio, quos Rex plurimi fecit. Ecclesiæ itaque quotidie, & monasteria magno numero erigebantur, & possessionibus à Rege augebantur. Erant autem plęríque fere omnes monachi, qui è *Scotia* aduenerant. Quare factum est vt ex nostratibus plurimi, vbi accepissent Christi cognitionem, idem vitæ genus sectarentur. Hanc tantam Regis ad veram pietatem prouehendam propensionem, Deus valde amplexus est, cúmque maximis animi beneficijs externisque amplificauit; eiusque terrestre regnum, qui ad cœleste promouendum totus incubuerat, ita promouit, vt per *Britanniam* totam, id est inter ANGLOS, BRITANNOS, *Scotos*, *Pictosque* longè latéque dominaretur. Ita enim solet Deus suos remunerari.

Sane

SANE inter cetera virtutum suarum ornamenta, singulariter ad fouendos pauperes propendebat, adeo, vt cum aliquando prandium iniret, & accepisset magnum pauperum numerum præ foribus stare, cibos sibi paratos & discum argenteum in mensa positum, quem manu ipse sua ministro porrigebat, pauperibus distribui iusserit. Hanc Regis munificentiam admiratus AIDANVS qui conuiua assedit, precatus est vt tam liberalis manus nunquam arefceret; cuius precatio ad hæc nostra tempora nunquam frustrata est. In hoc tam insigni virtutum cursu nouem iam Imperij consumptis annis, noluit Deus tam eximium sui cultorem plebeia & trita morte oppetere, sed voluit vt vitam, ita & mortem eius cohonestare, vt nobili triumpho martyrijque laurea redimitus cælos ascenderet. Quare patruum EDWINVM, & in cursu virtutum, & à Rege MERCIORVM perfido peremptus, nobili etiam martyrio insequutus est. Et quemadmodum per totam prius vitam in orationibus assiduus fuit (adeo vt à nocturnis laudibus ad lucem vsque orationem continuare soleret) ita & inter medias orationes, quibus præter cetera, exercitus sui animos regnúmque Deo commendauit, cæsus est sexto Augusti. Caput eius à fratre *Lindisfarni* olim reconditum, nunc dicitur DVNELMI inter brachia diui CVTHBERTI recondi. Cuius mortem virtutésque, multa diuina signa orbi commendarunt, quorum nos aliqua breuiter pertractabimus, eoque propensius, quod hæc sint quasi primitiæ, diuinæ hoc in genere benignitatis, in illa gente. Vix est enim vt huiusmodi antea ab aliquo edita reperire liceat.

EO loci vbi cæsus est, ex puluere ibidem desumpto homines, & animalia remedia sæpe contra morbos sensére. Quare factum est vt temporum cursu tantum terræ sit ablatum, vt extaret fossa ad humanæ staturæ magnitudinem. Puella paralysi grauissime afflicta, curru eò producta, cum ibidem paululum obdormisset, pedes domum redijt sana. Puluis inde sumptus, cum ceteræ domus partes vndique deflagrarent, eam in quam coniectus erat, integram & illæsam seruauit. Apud *Bardeonum* monasterium non longe à LINCOLNIA, reliquum eius corpus diu quieuit, quod antequam humaretur, tota nocte cælesti quodam lumine admirabiliter illustrabatur. Quo monasterio per barbaros infestato, ossa beati martyris CLAVDIOCESTRIAM translata sunt. Quidam à dæmone miserabiliter exagitatus, cum neque exorcismi sacerdotis, neque quicquam aliud prodesset, allato ad eum prædicto puluere, liberatus est. Puerum ad tumulum eius febris demisit. Cum Sacerdos aquam benedixisset, in eamque frustum pali, cui caput martyris ab hostibus infixum erat ad ludibrium, immisisset, bibendámque iam iam animam exhalaturo præbuisset, morbum mortemque ille depulit; & emendata vita, quam licentiosè priùs duxerat, inculpatissimè postea vixit, corporis animæque salutem post Deum beato martyri tribuens. Munifica illa manus de qua iam dictum est, numquam exaruit, & quod *Beda* suo, [a] alij alio postea tempore verum fuisse postea prodidêre; nostra quoque ætas confirmauit. Viuunt hodie dignissimi, omnique exceptione maiores testes, qui eam à se visam mihi retulére. Intercessione beati OSWALDI apud Deum fera lues, quæ sæuissimè debacchabatur apud *Australes Saxones*, discussa & profligata est, quod [†] antea commemorauimus. Vt denique finiam, eo loci quo cæsus est pro Christo in Cambria, non procul à SALOPIA, in memoriam eius ecclesia Anglice *Whitchurch*, id est candida ecclesia constructa est. Adiacet ecclesiæ fons qui OSWALDI nomine censetur. Oppidum denique ibidem hodie OSWESTRE Britannica lingua, id est OSWALDI oppidum dicitur.

1 2 3 4 5 6.7 8 9

[a] *Gul. Malmesb. de Regib. Ioan. Capgr. Simeon Dunelm. Anno 774.*

[†] *Huius fas. 20. Ioan. Capgr.*

De OSWIO & OSWINO Northumbriæ *Regibus & filia* OSVVII ELFREDA *ex voto patris virginitati dedicata, &* Mercijs *per* OSVVIVM *ad Christi fidem perductis, déque* *Regibus* EGFRIDO & ALFREDO.

CAPVT XXVII.

POST cædem OSWALDI *Northumbria*, quæ tota ei parebat, in duos rursus principatus scinditur. *Berniciam* [a] OSVVIVS, OSWALDI frater, Deiram OSWINVS OSRICI, à CADOWALLONE, vt diximus, cæsi filius obtinet. Coniunctissimis aliquamdiu animis imperitabant. Sed quia vnum arbusculum (vt dici solet) non alit duos erithacos, improborum tandem consilijs imperijque propagandi cupiditate abreptus OSVVIVS, ad arma prosilijt, cæsóque OSWINO, totius *Northumbriæ* principatus in OSVVIO consolidatus est. Inhorruit postea ad memoriam huius cædis OSVVIVS, & quod solum supererat pœnitendo, quacunque poterat ratione, eam expiare satagebat, eóque ipso loco vbi cædes admissa (locus verò [b] GITHLINGVM dicebatur) monasterium positum, vt pij viri vtriusque Regis animas perpetuis precibus Deo sollicite commendarent. Quod postea in *Danorum* depopulatione complanatum est. Abbas, [†] ibidem TRVMHERVS est constitutus, *Mercíorum* deinde Episcopus. OSWINI postea corpus, non procul à *Tino* fluuio sepultum, miraculis non caruit. In quo præter alia eius decora, mira inerat humilitas, quam id quod iam afferimus palam ostendit; Donauerat AIDANO equum insignem vt eo veheretur, neue nimium senile corpus immoderatis itineribus pedes attereret. Paulo post AIDANVS incidit in pauperem, cui stipem roganti, cum nihil ad manus haberet, quod roganti donaret, equum regium, vt erat instructus, donauit. Rex id audiens, ægrius tulit. Cui AIDANVS, Quid, inquit, tam præposterè rationes instituis? ecquid equinus pullus apud te, antiquior est Dei filio? Hæc ita Regis animum pupugerunt, vt mox ad pedes AIDANI se abiecerit, & inconsulti dicti veniam postularet.

PENDA verò *Mercíorum* Rex, acérque hostis, grauibus OSVVIVM incursionibus infestabat, neque vllis donis, quæ valde prolixa & ampla, supráque fidem, mitigandi hominis causa offerebantur, inflecti ad æquam aliquam conditionem potuit. Re ita apud omnes deplorata, itur à supplice ad diuinum præsidium, [c] votúmque sacrosanctum concepit, se filiam perenni Deo virginitate dedicaturum, monasteriúmque se omnibus possessionibus auctum posituru[m], si superbum, & insolentem hostem reprimeret. Repressit, tyrannúmque è medio sustulit, votóque mox se in filia [d] ELFLEDA vix [†] annuali liberauit. Monasterium *Heruthen* seu cerui insula dicebatur, cui HILDA præfuit. Atqui post biennium positum est monasterium apud *Streaneshal*, vbi ELFLEDA regi primum, deinde & regere cœpit, inque ea sancta conuersatione sexaginta annos integerrime versata, ad sponsum suum cælestem, quem vnice adamauit, perrexit, sexagesimum ab eo virginitati in Euangelio fructum dicatum perceptura. [e] Monasterium illud postea deletum est a Danis, & deinde à monachis Benedictinis cultum, & *Whitbi* dictum, ad mœnia postea EBORACI translatum, diuæque virgini MARIÆ consecratum. In illa *Danorum* vastatione ossa HILDAE *Glasconium*, & alia aliorũ Sanctorum alio translata. [f] Victoria hæc OSVVII, vt illi ipsíusque regno ad securitatem, dignitatémque; ita *Mercijs*, licet alioqui luctuosa, quia tamen ipsius opera cohortationéque, Christi sunt fidem professi, ad æternam salutem fructuosa fuit. [g] PEDA autem Rex *Mediterrancorum Anglorum*, qui filiam OSVVII [†] ALVCHEFREDRAM, ea conditione vt Christianus fieret, viuo nec abnuente patre PENDA acceperat, iam ante patris mortem cum multis suorum, per baptismum in familiam Christi coaptatus fuerat.

CONSPICVVM iam erat & illustre præ ceteris omnibus OSVVII regnum, cuius dicto & ceteri ANGLIAE Reguli audientes erant. Constituto iam suo regno, atque ita vt dixi amplificato, nihil magis OSVVIVS contendebat, quàm vt religionem quoque Christianam constitueret, eamque miseris illis & perditis temporibus duorum illorum Regum, sanctæ nostræ religionis perfugarum, detestabili defectione, & sanctissimi principis EDWINI & OSWALDI cæde afflictam atque oppressam, in veterem libertatem vindicaret, quod certè perfecit.

a Bed. li. 3. c. 14. & 14. Mmmsat c. 26.

b Bed. dict. lib cap 14 Githingum appellat Ioan. Capgr. & dicit situm prope Richmondiam † Alias item.

c Bed dict. c 24.

d Quam Gul Malm. & Polyd. Edelfredam appellant † Alias annali.

e Gul. Malm. de Regib.

f Bed. dict c. 24.

g Idem l. c 21

† Beda vocat Alchfledam.

tè persecit. Quin & [a] *Northumbriæ* Ecclesias, quæ à *Scotis* hactenus administrabantur publica illis disceptatione, cui ipse interfuit confutatis, ad legitimam catholicámque Paschatis obseruantiam reuocauit. [b] OSWIVS defunctus ad annum salutis sexcentesimum septuagesimum, principatum quem viginti octo annos administrarat, EGFRIDO filio reliquit. Sepultus est apud *Streanshal*, vbi vxor ENFLEDA, & filia ELFREDA humatæ etiam sunt. Magno OSWIVS cum ægrotaret, *Romam* peregrinandi, vitámque deinceps ibidem transigendi ardore ferebatur, perfecisséque adeo WILFRIDO (qui *Eboracensis* Episcopus factus est) itineris duce, si ab ea ægritudine conualuisset. Cui defuncto successit filius EGFRIDVS: cui, licet alioqui pio, duo vitia ascribuntur. Alterum, quod WILFRIDVM Episcopum, alterum quod *Hibernos* mox & *Pictos* iniuste vexauerat, hostilique exercitu in homines innocentes debacchatus fuerat: illos quidem, valde dehortante eum ab eo instituto, pio viro EGBERTO; hos, aduersante diuo CVTHBERTO. Cuius suæ incon sultæ facilitatis graues [c] pœnas pependit, à *Pictis* per insidias circumuentus, atque cæsus, cum magno præterea reipub. ANGLIAEQVE ditionis detrimento, quo *Picti* ANGLOS insigniter mulctarunt. ÆLFREDVM fratrem, parum probatis natalibus † ignobilius ortum, successorem habuit, inuitatum ex Hibernia à Proceribus ad regnum capescendum, vbi exul, sed magno suo bono delituerat. Literis sacris præsertim egregiè ibidem animum excoluit, in quarum insigniter cognitione profecerat, & administrandæ reip. magis inde accommodus, atque idoneus redditus est. Quam & cum laude gubernauit, nisi quod illius in Regem OSWINVM & WILFRIDVM insectatio, aliquam eius partem labefactauit.

a *Bed. li. 3. c. 25.*

b *Bed. li. 4. c. 5.*

c *Beda li. 4. c. 26. Gul. Malm. de Reg. li. 1. c. 35.*

† *Al.* ignobilis.

De Archiepiscopis Eboracensibus *quorum primus* PAVLINVS.

CAPVT XXVIII.

FVERAT primis nascentis fidei temporibus *Northumbriæ* regnum quatuor Episcopis insignitum, *Lindisfernensi*, *Hagulstaldensi*, *Eboracensi*, & *Candidæ casæ*. Is verò terræ tractus vbi *Candida casa* posita, non ita multo post *Pictorum* imperio adiunctus, *Lindisfernensis* DVNELMVM translatus; *Hagulstaldensis Eboracensi* tandem consolidatus est. At initium *Carleolensis* (vt suo loco dicemus) GVLIELMI *primi* tempora respicit, [d] PAVLINVS hunc sacrum *Eboracensium* ordinem ductat, de quo aliqua iam superius adiunximus, fuit vero ex illis fidei nostræ architectis vnus, quos GREGORIVS in ANGLIAM ad promouendum, & propagandum sacræ religionis negotium amandauit. Ad quem, EDWINO Rege nostris semel sacris addicto, tanta frequentia populus baptismatis gratia in *Northumbria* vndique confluebat, vt totos triginta dies a mane ad vesperum, nulli alij rei quàm tingendo instruendoque populo vacaret, quem in publicis fluminibus, nondum ecclesijs constructis, tingebat. Sed non continuit se pij præsulis diligentia intra solius *Northumbriæ* fines. Progressus itaque in LINDISSAM prouinciam, cum alios, tum *Bleccam Lincolniæ* præfectum eiusque familiam Christiana fide imbuit, in qua ciuitate ecclesiã eximiam constructit. Cui, HONORIO Archiepiscopo † *Cantuariensi*, consecrationis munus impendit. Quæ licet postea collapsa fuerat, inter medias tamen ruinas non cessabant edi diuina miracula, & ægris sæpe hominibus reddita est sanitas.

d *De quo Beda li. 2. c. 9. 14. 16. li. 3 c. 14.*

† *Alias* Cantuariæ sedenti.

COMMVNEM & diligentissimam cum eo, in promouendo euangelio operam posuit IACOBVS diaconus quem *Eboraci* cæso EDWINO reliquit. Sedem sibi IACOBVS posuit prope oppidum CATARACTAM, vbi vicus ille quem inhabitabat, ab eo suum postea nomen sumpsit. Fuit IACOBVS canendi peritissimus, peritiámque suam in alios plurimos in illis regionibus transfudit. In quibus longo postea tempore, pace *Northumbriæ* ecclesijs restituta, versatus est. PAVLINVS vero cum ETHELBVRGA ad Regem EDBALDVM profectus est, inter alia magni precij vasa aureum calicem, aureamque crucem *Cantuariam* deferens. Qui thesaurus ad *Bedæ* tempora in eadem ecclesia remansit. Mortuo id temporis *Rossensi* præsule, ab HONORIO in eam sedem († quod antea diximus) suffectus est. [e] GREGORIVS vero quasi diuinans, & hanc quoque ANGLIAE ditionem Christo aliquando lucrifaciendam, promisit & hanc etiam † ciuitatem Archiepiscopali dignitate, palliique honore amplificandam. Quæ eius promissio, HONORIO, qui secundum GREGORIVM quintus erat, sedente ad reip. Christianæ gubernacula, ad rem collata est. Qui PAVLINVM hunc

e *Beda li. 2. c. 9. 14. 16. li. 3. c. 14.*

† *Huius fac. c. 11.*

f *Beda li. 2. c. 20.*

nostrum pallio insigniuit. Decretũ vero GREGORII erat, vt AVGVSTINVS quoad viueret, totius ANGLIAE iurisdictionem atque primatum haberet. Atqui eo defuncto, pallij honor atque prærogatiua, apud *Londinensem* & *Eboracensem* Archiepiscopos resideret; vtque singuli duodecim Episcopis præessent, neque *Londinensis* in *Eboracensis*, neque *Eboracensis* in *Londinensis* iurisdictionem, quasi alienam messem manus immitteret. Inter ipsos vero is honoris prerogatiuam auferret, cui temporis prærogatiua priorem ordinationem tribuisset. Sed defuncto AVGVSTINO, Metropolitana dignitas *Cantuariensi* ciuitati, quæ metropolis erat regni ETHELBERTI, (tum quòd Christi ibidem fides opera AVGVSTINI primum se exeruit, quodque in ea sedem AVGVSTINVS viuens, & mortuus sepulchrum locarit; tum quòd id precibus ETHELBERTVS à Romano Pontifice obtinuerat, cum præsertim *Londinum* non esset in ETHELBERTI, sed SIBERTI ditione,) & non *Londinensi* adhæsit.

Thomas Stubbæus in vita Eb. Archiepisc.

MAGNAS hoc postea decretum, eiúsque interpretatio, peperit inter *Cantuariensem* & *Eboracensem* sedem altercationes, dum ista illius aliquam potestatem atque authoritatem agnoscere detractaret. Quod suo loco vberiùs explicabitur. Post fugam de qua diximus PAVLINI, CEDDA, frater CEDDI *Orientalium Saxonum* Episcopi, sufficitur Abbas monasterij *Leistingaldu*; Qui post tres administrationis suæ annos dignitate illa se abdicans, quietisque appetens, monasterium suum repetijt, à quo tamen postea abstractus, *Merciorum* Episcopus designatus est, vt iam diximus. Neque per totos postea triginta annos, propter immanes barbarorum in eas oras incursiones, vastationésque, certum aliquem stabilem propriúmque Episcopum sedes illa habuit; sed *Lindisfarnensium* AIDANI, FINANI, COLMANI, & TVDAE vicaria opera atque administratione gubernabatur. Tertius itaque genuinúsque eius Episcopus fuit WILFRIDVS de quo nobis largior tractatus occurrit, quem iam subijciemus.

Beda lib. 3. c. 25.

De WILFRIDO *Archiepiscopo* Eboracensi.

CAPVT XXIX.

Beda lib. 4. c. 13. 16. lib. 5. c. 20 Gul. Malm. lib. 3. de Pontif.

VTVRAI olim in adulto excellentis virtutis omen fuit flamma, innoxia tamen, quæ matris parturientis domum totam incendisse videbatur, cuius etiam clarissima signa etiamnum puer dedit. Pueritiam enim tam sanctè grauitérque transegit, vt maiores natu eũ mirifice amplexarentur & suspicerent. Postquam decimum quartum ætatis annum attigit, monasticæ cum primis vitæ desiderio arsit. Quare vt ad illud se vitæ genus præpararet, *Lindisfarnensem* insulam petijt, sanctorúmque se cœtui adiunxit, nec adhuc cooptatus in monasterium tonsúrve, eos qui antè cooptati erant, non æquales modò, sed longè prouectiores, ingenij laborisque magnitudine, pietatis ardore, doctrina, insigni animi dimissione atque humilitate superauit. Post aliquot annos ibi positos cum matureſceret ætas, ingenij acrimonia, discendique ardore perspexit, *Scotis* multa defuisse, in catholicæ ecclesiæ disciplina. Quare vt exactiùs hisce de rebus instrueretur, ROMAM ipsam religionis fontem adire decreuit. Quod eius consilium, ENFLEDA Regina & prudentiores monachi probarunt. Illa vero eum auunculo ipsius ERCOMBERTO commendauit, à quo ROMAM, viatico instructus, missus est, adiecto comite BENEDICTO Episcopo. Ingressus iter per *Galliam Lugdunum* venit, ibique in notitiam DALFINI *Lugdunensis* Episcopi incidit, qui eum propter virtutem doctrinámque, adeo est amplexus, vt amplissimas ei conditiones offerret, si in *Gallia* hærere vellet. Sed cum propositum iterque vrgeret dimissus est.

ROMAM perueniens, magna diligentia quid in quauis re ecclesiastica tenendum reiiciendum ve foret, veras atque genuinas euangelij interpretationes, & rectam celebrandi Paschatis regulam aliáque perdidicit. Qua cognitione auctus patriam per *Galliam* repetit, vbi DALFINVM inuisit, à quo laute atque amplè tractatur, ab eóque in Clerum selectus cum quo tres annos mansit; quo tempore in vitæ periculum incidit. Nam cum eo tempore turbata rep. quorumdam tyrannide, DALFINVS ad supplicium mortémque raptus esset, sequutus est eum WILFRIDVS, paratus cum eo occumbere, quantumvis ille prohiberet.

Sed

Sed cum milites eum peregrinum intelligerent, manus ab eo abstinuerunt. Redijt itaque in patriam, magnáque in gratia fuit apud ÆLFREDVM Northumbrorum Regem. Curauit deinde Rex vt præsbyteri honorem susciperet, eoque intimo, omniumque consiliorum participe, aut potius duce atque gubernatore vsus est: neque prius destitit, quam eum EBORACENSIS sedis pontificatu, omnium animis conspirantibus ornasset, eoque in eum propensioribus, quod *Scotos* manifesti, in Paschali obseruatione, erroris palam conuicisset. Verumenimuero magnus hic Regis in eum fauor, postea in atrox odium est conuersus, adeo vt eum ipso Episcopatu exigeret. Ita ille deturbatus Romam appellandi causa profectus, nauimque ingressus, aduersante vento in FRISIAM abreptus est, magno *Frisiorum* bono, quibus primus felix illud Christi euangelium anuntiauit, multósque ad fidem pertraxit. Quod postea munus WILLIBRORDVS, vt dicemus, magno successu obiuit ROMAM inde venit sedente Pontifice AGATHONE, qui causa eius audita pro eo pronunciauit; adeoque non habuit ratam illius electionem, vt cum eo tempore Romæ, synodus centum viginti quinque Episcoporum haberetur aduersus *Monotholitas*, ipse quoque vt Episcopus *Eboracensis* in eo consilio assederit, honorariámque cum alijs sententiam dixerit.

REVERSVS est postea in ANGLIAM cum literis AGATHONIS, quæ causam eius Regi commendarent, sed cum non cessaret eum Rex exagitare, secessit ad *Australes Saxones*, adhuc Christo non initiatos. Cui prouinciæ quam fructuosa illius opera fuerit, in ea ad Christum traducenda, iam antea diximus. Moritur interim EGFREDVS Rex. Emenso itaque biennio, per ALFREDVM EGFREDI successorem reuocatur. Sed male sarta gratia facile rescissa est. Post quinquennium enim rursus nouæ turbæ; nouum exilium; rursus ROMAM tanquam ad iustitiæ asylum confugitur. Quo tempore ita forte euenit, vt IOANNI pontifici synodi illius sub AGATHONE authoritates, Episcoporúmque nomina recitarentur, cumque per ordinem ventum esset ad WILFRIDI *Eboracensis* nomen, Ecquis (inquit) iste *Eboracensis*? cumque astantes subijcerent, hunc esse Episcopum qui recens ex ANGLIA profugerat; cuius Romæ causa disceptabatur, IOANNES indignatione rei motus, tantáque innocentis hominis iactatione, missis literis præcepit WILFRIDVM in integrum restitui. Iterum ergo in ANGLIAM itur. In itinere per *Galliam* periculoso morbo, vique ad valetudinis deplorationem, medicorúmque desperationem decubuit. In his angustijs posito apparuit MICHAEL Archangelus, seque à Deo missum dixit vt annunciaret B. Virginis, discipulorúmque WILFRIDI precibus, datam ei à Deo vitam protractiorem ad quadriennium. Euentus veritatem huius visionis ostendit; reualuit, redijt, & per quadriennium post tot iactationes, & tredecim secundi sui exilij annos quieuit, eoque exacto, omnibus huius vitæ procellis liberatus, ad cœlestem portum appulit quarto idus Octobris, post quadragesimum quintum Episcopatus annum, post salutem per Christum partam anno septingentesimo nono, vt epitaphium monumento eius inscriptum testatur: vbi inter alia, de cruce quam sublimem in eadem Ecclesia posuit, mentio his verbis facta est. *Quin etiam sublime crucem radiante metallo hoc posuit trophæum*, sepultus est in monasterio RIPENSI quod ipse construxerat.

FVIT vero alter propemodum *Athanasius*, & Episcopatus & iactationis suæ prolixitate, nisi quod illum hæretici, hunc catholici, sed inimici Reges exagitarint. In quibus animaduersione dignum est, quod EGFREDI res retro semper, inque deterius cesserint, tandemque a *Pictis* occisus sit, cum graui regni *Anglici* à *Tweda* ad mare Scoticum minutione. Quæ omnis prius prouincia principibus *Northumbriæ* parebat. Deinde quod ALFRIDVS, post spretas apostolicæ sedis de restituendo WILFREDO literas, mox lætali ægritudine correptus obijt: testatus tamen quantum potuit, voce vi morbi præclusa, se WILFREDVM si longius superesset, primo quoque tempore in suam dignitatẽ restituturum, eamque curam se prius mortuo, hæredi suo iniunxit. Quid? quod THEODORVS Archiepiscopus supplex veniam à WILFRIDO petierit, studueritque successorem eum sibi *Cantuariæ* constituere? literis certe quæ hodie extant, accurate egit de WILFRIDO restituendo apud ETHELREDVM Regem *Merciorum*. Ceterum miracula, quibus eum viuum mortuumque amplissimè nobilitauit Deus, multa & insignia feruntur. Viuus puerum nondum baptizatum, monachumque e sublimi lapsum, mortuos vitæ restituit. Carcer, in quem ab inimico Rege coniectus erat, tenebris horrens, totus diuino lumine illustratus; vincula, quibus astrictus est, sine humana opera dissoluta sunt. Cetera id genus non est necesse persequi, multaque adhuc dicenda restant de hoc præsule, quæ iusti operis speciem prẽberent si persequerer. Quare

ceteris

ceteris omissis vt breuitati consulam, egregiam illius operam in schismate de paschatis varietate abolenda, oculis legentium proponemus.

Bed. libr. 3 cap. 25.

ACRIS interceserat contentio ANGLIS & *Scotis* ea de re, vtrisque ecclesiæ suæ mores vehementer defensantibus. Venit tandem res ad amicam & literariam disceptationem, præsentibus Regibus OSWIO & ALFRIDO, variisque Episcopis. COLMANNVS pro se suisque *Scotis*, maiorum suorum qui doctrina, pietate, miraculisque adeò claruere, & *Ioannis Euangelistæ* qui per *Asiam* non aliter obseruauit, authoritatem adducebat. Contra quem WILFRIDVS (missus pro reliquis respondere) sacrarum scripturarum, diui PETRI, NICENIQVE Concilij, & reliquæ totius ecclesiæ, præter *Scotos* & Britannos, præsidio opéque pugnabat. Quam omnem authoritatem *Scotos* præuaricari dicebat. Nam cum vetus lex præciperet à decima quarta luna sub vespere, ad lunam vigesimam primam à vespere, Pascha celebrari, *Scotos* ab eo more planè aberrare, qui inciperent a vespere decimotertio, & absoluerent Pascha ante vigesimam primam lunam. PETRVM vero Apostolum ROMAE, item *Alexandriæ* MARCVM (propterea quod Christus dominico die resurrexerat) si sabbatum quidem in decimam quartam lunam incidisset, ab illis vesperis Christianum Pascha obseruari iussisse, ita vt proximus dies verum, & germanum resurrectionis diem complecteretur. Sin Dominicus dies non decimoquinto, sed decimosexto, aut alio hebdomadæ die occurreret, expectabat eum vsque ad vigesimam primam lunam, & ab illius vesperis Pascha inchoauit, ad sequentis diei Dominici vesperas, ita vt nunquam Pascha Christianum vigesimam primam lunam egrederetur. Quam consuetudinem per totum orbem obtinere dicebat: Cum *Scoti* interim longè à legis præscripto recederent, qui Pascha præmaturiùs, videlicet decimatertia luna inciperent, & præmaturiùs, id est ante vigesimam primam lunam finirent; Quem lex vt præcipuum Paschalis festiuitatis diem assignauit.

NEC obstare *Ioannis Euangelistæ* aliorúmque consuetudinem, qui *Iudæos* sequebantur; Id enim ea ratione factum ad tempus, Iudeorum gratia, vt & alia multa. Neque enim simul omnia legis antiquæ scita, conuellenda ab initio putarunt consentaneum. Sic à suffocatis & sanguine abstentum est ad tempus, sic *Paulus Timotheum* circumcidit, sic caput cum *Aquila & Priscilla* totondit. Quos mores si quis hodie obseruaret, omnes eum detestarentur. Præterea inscitè eos *Ioannis* exemplum ad suam causam attulisse, qui ipsius, & *Iudæorum* morem à decima quarta, ad vigesimam primam lunam neutiquam obseruarent; atque ita omni vndique facti sui exemplo destituerentur, peculiarique obseruantia, per summam ignorantiam aut potius pertinaciam, proprios sibi Paschatis ritus tribuerent. Sed nec maiorum suorum, quorum sanctitatem & doctrinam iactabant, maiorem debere esse authoritatem, quàm reliquorum per totam ecclesiam: quos forsan ignorantia excusare potuit; credibilé- que esse, si fuissent admoniti, reuersuros fuisse ad morem catholicæ ecclesiæ. Ipsos iam scientes & prudentes præuaricari, nec habere quo subterfugiant, præsertim cum causa ipsorum diui PETRI authoritate, præiuditióque premeretur, cui dominus ecclesiæ suę claues crediderat. His alijsque ad hunc modum vtrinque allatis, Rex in hæc verba prorupit. Si Christus claues ecclesię PETRO dedit, & super eum ecclesiam ędificauit, contra quam portę inferi non pręualebunt, vereor ne si ab ipsius placitis discedam, à cęlestis quoque ianuę ingressu (cuius PETRO claues sunt creditę) misere excludar. Atque ita Rex ceterique omnes, catholicos ritus magno plausu approbarunt. Quos tamen *Colmanus* cum suis admittere noluit, quamuis aperto Marte superatus.

De Episcopis Hagustaldensibus.

CAPVT XXX.

Guil. Malmes. Vlor. 678.

WILFRIDO, de quo diximus, qui totam ditionem *Northumbricam* regebat per EGFRIDVM pulso, duo in locum eius suppositi sunt. BOSA apud *Eboracum*, qui *Deiros*; EATA apud *Hagulstaldenses*, qui *Bernicios* gubernaret. EATA deinde translato ad *Lindisfarnensem*, per THEODORVM *Cantuariensem* suffectus est [a] TIMBERTVS. Quo postea exauthorato per THEODORVM, rediit EATA *Hagustaldiam*. Post mortem vero EATAE, IOANNES [b] prouinciam eam administrauit, de quo plura proximo sęculo, cum ventum erit ad *Eboracenses*, dicemus. Restituto vero per ALFREDVM WILFRI-

[a] *Alius* Trumwertus. *Bed. li. 4 c. 28.*

[b] *Obiit an. 687. Bed. li. 5. c. 2. Vlor. 686.*

WILFRIDO, totam rursum *Northumbriam* administrat WILFRIDVS; at enim † cum post quinquennium WILFRIDVS iterum pelleretur, priores BOSA & IOANNES sedes repetunt. Rege deinde mortuo, concordiáque inita, WILFRIDVS *Haguſtaldenſem* eccleſiam accipit administrandam, IOANNE *Eboracum* (BOSA iam mortuo) migrante. Fuit vero EATA prius Abbas *Mailorenſis*, id enim COLMANVS diſcedens impetrauit à Rege OSVVIO, propterea quòd fuit vnus ex his duodecim [a] pueris ANGLORVM, quos AIDANVS, in primo ſuo ingreſſu, in ſuam curam atque diſciplinam recepit. Coaluit vero poſtea Epiſcopatus *Haguſtaldenſis* in *Eboracenſem*. Videtur vero [b] *Haguſtaldenſis* eccleſia quindecim circiter miliaribus ab *Eborico* abfuiſſe, ædificiorum ſplendore, quæ Romanam conſtructionem magnificè æmulabatur, olim celebris. In quo loco poſiti ſunt poſtea Canonici, quos vocant *Regulares*.

† *Alias poſt quinquennium, cum.*

[a] *Bed. l. 3. c. 26.*

[b] *Guil. Malmeſ. de pont. Flor.*

De Epiſcopis Lindisfarnenſibus, *primóque illic Epiſcopo* AIDANO.

CAPVT XXXI.

OSWALDVS, (id quod aliàs dictum eſt) inter *Scotos* exulans, magno ſuo bono, diſcuſſis idolatriæ tenebris, Chriſtianæ veritatis lucem primum hauſit. Quare adeptus poſtea regnum, illinc potiſſimum, ab inſula videlicet quadam, quæ *Hiiſtinatus* dicebatur, accerſcebat ad ſe fidei doctores, è quibus celeberrimus fuit AIDANVS, ſumptus ab eadem inſula & cœnobio quod ibi erat. Qui innata quadam ſua prudentia, tractandíque homines ſcitè, mira quadam dexteritate, concionandi aſſiduitate, pietatíſque præſtantia, inſigniter apud nos fidem Chriſti ampliauit. Cui pro ſede OSWALDVS *Lindisfarnenſem* inſulam, (quæ non eſt eadem vt quidam falsò putant cum * *Farne*) attribuit. Eſt quidem propinqua inſula, & *Lindisfarne* appellatur à flumine *Linda*, quod per occultos maris meatus illuc penetrat. Quæ olim, & hodie etiam *Holy-Ilande*, id eſt ſacra inſula appellatur, quod ibi AIDANI, CVTHBERTI, aliorúmque ſanctorum corpora quieuére. Tranſlata eſt autem ſedes poſterioribus temporibus DVNELMVM. Tradunt vero olim quemdam virum pium in *Northumbriam* ante AIDANVM tranſmiſſum, ſed vacuum rediiſſe ab omni Euangelico fructu; quod eo accidit, quòd neſciret rudes ac infirmos hominum animos illicere, commodéque tractare, quòd vitium abunde per AIDANVM penſatum & reſarcitum eſt. Cuius grauior fuit apud omnes authoritas, quòd dictis facta reſponderent, nec aliter viueret quam loquebatur, nec alijs ea præciperet quæ ipſe facere detrectaret. Res omnes mortales & caducas penitus ſpreuit; quidquid diuitum, aut principum munificentia conſequebatur, id omne ſtatim Chriſto, id eſt, pauperibus tribuebat; pedes non eques (niſi maior neceſſitas flagitaret) concionaturus pagos obibat; in quoſcunque incidiſſet, eos vel ad fidem ſuſcipiendam, ſi eſſent alieni ab ea, vel ad pietatis & miſericordiæ opera inuitabat. Comites quos ſibi adhibebat, ſiue illi Clero aſcripti, ſiue Laici, ſemper aut ſcripturis lectitandis, aut Pſalmis atque orationi vacabant, quod nunquam omittebant, quocumque diuertiſſent.

De quo Bed. li. 3. ca. 3. 5. 14. 15. 16. 17.

* *Alias* Forne.

Heſſ. Boet. li 9. de hiſtoria Scot. appellat Cotmanum.

INVITATVS ad Regis menſam rarò accedebat, & tum quidem vno aut altero ex Clero adiuncto, inde abitionem maturabat ad orationes, & ſolita munera obeunda. Ab omni adulatione & palpatione remotiſſimus. Vehementer & acriter in diuitum, & potentum peccata inuehebatur, tantum abeſt vt eorum beneuolentiam muneribus, aut eccleſiæ opes profundendo in eos aucuparetur; in redimendis potiſſimùm captiuis eas erogans, quorũ multos ad magnum virtutis, ſacerdotijque gradum perduxit. Quid cetera commemorem? nullum eſt ſancti præſulis decus, à quo ille vacuus fuit. Nã quicquid ex Euangelicis, aut Propheticis libris legendo hauſit, ad vitam ipſe ſuam actionéſque impigrè traducebat. Quare mirandum in modum homines ad virtutis exactiorem curam exacuebat ſuo exemplo, præſertim eos, qui ſeuerius viuendi genus ſectabantur; qui ad imitationem cum cetera, tum præclarum ieiunandi eius exemplum rapiebant, quòd per totum fere annũ ad nonam vſque proferebat. Huius viri virtutes meritáque, multa quidem alia, ſed duo potiſſimùm oſtendunt. Nauigaturis aliquando periculum denunciat, quibus conſecratũ oleũ dedit quod in mare conijcerent, quo illi immanem poſtea tempeſtatem pacarunt. Hoc quidẽ præclare aduerſus maris, alterum beneficium

aduersus ignis periculum contulit. Cum enim in *Farne* insula versaretur, videretque regiam vrbem, in continenti non procul positam, (quam tum à BEBBA Regina *Bebburgam*, hodie luxato nomine *Bamburgam*, in qua iam solum castrum est) à PENDA incensam, statim se ad Deum precando, ad restinguendum incendium conuertit. Mox obortus contrarius ventus, omnem illum ignem à ciuitate in ipsos hostes auertit, ita vt alij combusti, alij magno timore perciti, præcipites aufugerent. His tantis virtutibus, hic solus næuus adhæsit, quòd non catholico more Pascha obseruaret, vel legitimum tempus ignorans, vel indulgens patriæ suæ consuetudini. Et sanè hanc decessionem aliarum virtutum accessio abundè supplebat, sincera præsertim erga ecclesiam, omnésque charitas, à qua omnis insolentia & proteruia longe aberat. Obijt pius vir decimo septimo Episcopatus anno, eodem quo OSWIVS, & duodecimo post die; cuius ille mortem antea & præuidit, & prædixit. Reliqua quæ de hoc præsule dici possunt, partim in OSWALDI & OSWII, partim in CVTHBERTI historiam aspergimus.

QVO modo viuus, absens tamen ignem arcuerit, iam diximus, cuius sanè beneficia cum corpore non sunt extincta: Atque vt alia præteream, illud memorabile, quòd quum ignis cetera depasceret, eum locum, in quo beatus vir obijt, vastare & consumere nequiuit. Quo etiam loci multi multa morborum remedia sunt consequuti, adeo vt frustis ex lignis eius loci abreptis, & in aquam immissis, ea potata multis præsens remedium attulerit. Cooptatus est in eius locum FINANVS, & ipse *Scotus*, qui & ipse ab eadem insula, & eodem quo AIDANVS monasterio, ad nos prodijt. Huic post decennium COLMANVS, & post triennium COLMANO, TVDA successit. COLMANVS enim, qui ab ANGLIS reliquáque ecclesia in Paschatis obseruatione dissidebat, in congressu velitationéque literaria coram Rege OSVVIO superatus, nec inueteratum morem, cui cum suis decessoribus assueuerat, deserere volens; ob hanc inquam causam, & non ob grauem luem, quæ in Anglia versabatur, (vt quidam existimant) in *Scotiam* redijt. Vir alioqui magnæ virtutis, abstinentiæ & pietatis. Qui, vt sui decessores, nihil præter pecora possideret; quod si quid pecuniæ acciperent, statim ad pauperum vsus transmittebatur; sed nec terras, nec possessiones ad monasteria construenda, nisi coacti suscipiebant. Quæ consuetudo, in alijs aliquamdiu *Northumbriæ* ecclesijs religiosè conseruata est. Magno itaque id temporis Clericos & Monachos honore populus prosequebatur; ita vt si in aliquos vel in itinere incidissent, ad eos statim concurrerent, submissáque ceruice, vel manu, vel ore ipsorum benedici, enixè postularent. Et si quid, quod ad pietatem promouendam pertineret, dicerent, magna id, ab eorum ore pendentes, audiendi auiditate arriperent. In COLMANI abeuntis locum surrogatus est (vt dixi) TVDA, qui intra annum peste obijt, & post TVDAM, EATA *Lindisfarnensis* cœnobij Abbas, CVTHBERTVS deinde.

De CVTHBERTO & *successore eius* EADBERTO.

CAPVT XXXII.

[a] *Multa habet Beda de eo in hist. eccles. sed speciale præterea volumen de vita illius conscripsit. Ex quo nos ista nostra derivauimus.*

[b] *Vide prologum Bedæ.*

RARISSIMVM vero BRITANNIÆ nostræ, hoc sæculo ornamentum fuit CVTHBERTVS.[a] In cuius rebus narrandis; si expectatam fortè non teneam breuitatem, non erit tibi (ni fallor candide Lector) molestum, cum hoc omne tædium, vel rerum gestarum, vel vtilitatis tuæ, quam inde haurire poteris, & haurire optarem magnitudo, vel summa totius narrationis[b] certitudo, quæ accuratè, exquisitáque fide descripta est, facile sit discussura. Qui, vt summatim dicam, id fuit nobis, quod ANTONIVS *Aegypto*, quod HYLARION *Palestinæ*, quod *Italiæ* BENEDICTVS; nisi quòd non fuerat primus, qui apud nos hanc disciplinam excoluit. Sed enim hoc supra illos egregium habuit, quòd sacrosancta Episcopatus quoque dignitate sit amplificatus. Hanc autem omnem magnitudinem præsagiebat, imo potiùs clarè prædicebat, admirabilis illa vox infantis adhuc triennis, qui eum puerilibus ludis puerum, vt fit inter æquales, vacantem, serio constantérque cohortatus est, vt mentem à puerilibus illis ineptijs, ad seueritatem grauitatémque reuocaret. Quam cum ille admonitionem surdis acciperet auribus, corruit in terram infans, totúmque se lachrymis oppleuit.

oppleuit. Ad quem consolandum cum inter ceteros pueros CVTHBERTVS accurreret, causamque tam repentinæ mutationis inquireret, in has tandem ille voces erupit. Quorsum CVTHBERTE, presbyter, & antistes sanctissime, his te rebus immiscens, quæ a natura gradúque tuo abhorrent? Quid pueriles lusus consectaris? quem Deus maioribus natu, virtutis, pietatisque magistrum atque Doctorem præstituit? CVTHBERTVS hanc admonitionem, tanquam à Deo ipso (vt erat) profectam amplexus, totum se deinceps, licet in tantilla ætate, ad virtutem colendam, cælestiaque meditanda, conuertit. In quo stadio cum per aliquot annos feliciter curreret, multa atque admirabilia diuinæ erga se pietatis testimonia expertus est. Cui vt ille quia poterat, gratitudine responderet, arctius & penitius, omni externo impedimento abrupto, diuinis contemplandis inhæresceret; in monastica se totum deinceps vita, communi relicta, abdere proposuit. Nec prius destitit, quàm cogitationes suas perfecisset, monachum sub auspicijs EATAE, *Mailrosensis* cœnobij Abbatis professus. Vnde cum EATA postea ad *Ripense* siue *Ripense* monasterium profectus est, in eóque hospitum excipiendorum præfecturam, curámque suscepit.

CETERVM non ita multo post, EATA CVTHBERTVM, ceteróque quos adduxerat, *Mailrosium* reducere coactus est. Vbi CVTHBERTVS monasticæ se vitæ exercitijs strenuè addixit, & BOISILI viri sanctissimi, cœnobijque illius præpositi, consilio, monitisque se, suámque vitam potissimùm gubernabat. In eo monasterio pestis eum arripuit, quæ ad ea tempora longe latéque in BRITANNIA grassabatur; pro cuius salute solliciti monasterij fratres, tota nocte excubias agentes Deum obsecrabant. Quod cum illi mane nunciatum esset, Quorsum, inquit, iam amplius lecto affixus iaceo? Neque enim tot talium que virorum preces, vacuæ atque irritæ apud Deum esse poterunt. Moxque exurgens baculum arripuit, eóque gressus regere tentabat, paulatimque eundi, totiusque corporis vires recepit. Defuncto deinde BOISILO, monasterio illi in eius locum præfectus est. Quo ille certe munere præclarè perfunctus est, cum non solum domesticis, sed & circumfusæ vndique per ea loca plebi, partim sanctæ & inculpatæ vitæ exemplo, partim salutaribus fructuosisque concionibus, partim etiam in hominibus ægrotis diuina quadam virtute sanandis, permagnas adferret quotidie vtilitates. Quæ plebs valde quidem depranata erat, quod alij rectam fidem prauis erroribus contaminassent, quidam etiam ab ea ipsa improbe desciuissent, magicis nefarijsque dæmonum artibus pestem, quæ tum vigebat, propulsare auerteréque conati. Huic igitur malo opem vt adferret, nonnunquam equo, sed sæpius pedibus, vicinas regiones peragrabat, monitisque salutaribus, magno cum auditorum fructu instruebat. In permouendis enim hominum animis summus quidem erat artifex, in quibus adeo & dicendi quadam vi diuina, & Angelici cuiusdam vultus gratia & maiestate dominabatur, vt vltrò illi homines peccata sua abditissima (quippe quæ illum nullo modo latere posse existimabant) detegerent, eáque digna ex eius præcepto pœnitentia expiarent.

EA autem potissimum loca adire solebat, quæ in arduis asperisque montibus sita, difficilem aditum habebant, horrorémque videntibus adferebant, & propter rerum etiam penuriam, hominúmque rusticitatem, raros doctores inueniebant. Huiusmodi loca illi in delicijs erant, ibi totam hebdomadam, nonnunquam binas ternásque, atque adeo integrum mensem, vt rudi & inculto populo concionaretur, commorari solitus est. A *Mailrosensi* deinceps ad *Lindisfarnense* cœnobium per EATAM translatus, eidem præfectus est, vbi & prioris vitæ (solito etiam diligentiùs) cursum tenuit, & clarioribus signis edendis magis enituit. In primis verò mira in eo patientia emicuit. Nam cum sæpe præfractiores, dissolutioréque fratres ad regulæ obseruantiam accuratiorem hortaretur, multis ab illis iniurijs contumelijsque affectus est, quas ille dissimulans solebat concilium dimittere, & leni atque placido vultu discedere. Postridie vero nihilominus, eadem quæ prius monita ingerebat, neque prius quieuit, quam paulatim eadem instillando, peruicaciámque eorum sua lenitate superando, eandem prorsus tandem frangeret, fratréque ad officium perduceret. Hac igitur inuicta & heroica animi magnitudine præditus, quicquid animo corporiue triste, atque acerbum accidisset, magna patientia constantiáque pertulit, lætum hilarémque semper vultum præ se ferens. Vigilijs autem & orationi tam singulariter deditus erat, vt aliquando tribus, vel quatuor continuis noctibus, somnum nullum admitteret. Qui si forte (vt est humana natura) ingrueret, manibus operando insu-

lam circumeundo, & quo se modo singula haberent diligenter explorando, illum & prolixæ simul orationis suę tædium discutere solebat. Et cum alij ægerrimè ferrent si quis illorum vel nocturnum, vel meridianum somnũ excussisset, solebat dicere, huiusmodi interpellatorem iucundum sibi potius, quàm molestum esse. Efficit enim (inquit) vt excusso torpore, vtile aliquid aut agam, aut animo mecum mediter.

FVIT vt in arguendis peccatis seuerus, ita & in eos quos pœnitudo peccati cepit, leuis & remissus. Tanta vero erga eos, quos confiteri sua peccata audiebat, nonnunquam misericordia afficiebatur, vt totus in lacrymas prorumperet: quod & de AMBROSIO traditur. Vestimentis vtebatur neque sordibus, neque nitore insignibus. Nequet alium colorem vestimenta, quibus eiusdem monasterij fratres vsi sunt, præ se ferebant, quàm quo natura ipsa ouium lanam imbuit. Tanto autem cælestis vitæ desiderio flagrabat, vt nunquam missarum solemnia celebraret, victimęque salutaris sacrificium, sine profusis lacrymis Deo offerret. Post multos annos in hoc cœnobio transactos, subijt animum CVTHBERTI anachoriticæ vitæ desiderium. Quo tandem, ex voluntate Abbatis & fratrum potitus est. Secessit itaque in insulam *Farnen*, dæmonum infestatione priùs tam infamem, vt nemo antea solus ibi commorari ausus sit. Sed hanc glaciem scidit CVTHBERTVS noster, & armatus prœclarus noster heros galea salutis, scuto fidei, & gladio spiritus, dissipauit procúlque fugauit omnes has hostiles copias. Inuisebant tamen nonnunquam CVTHBERTVM fratres, quibus ille venientibus, è cella obuiam ire, eisque inseruire, pedésque illorum aqua calida abluere solebat. Quibus & ille aliquando suos pedes abluendos, sed coactus præbebat. Qui calceos per integros nonnunquam menses, imo aliquando per totum annum non exuebat. Hinc factum, vt in pedibus eius ob precandi genuáque incuruandi frequentiam, magnus callus repertus sit. Posteriore vero tempore, rarò ad se inuisendum aliquem admisit, nec nisi è fenestra alloquebatur, quam & ipsam postea clausit, nec nisi magna aliqua de causa aperiebat.

† *Alios alium desinceps.col.*

SED quo magis ille se abdidit, eo fama gloriáque eius illustrior euasit, adeo quidem vt cum celebris synodus apud *Adtwifordam* cogeretur, cui præfuit THEODORVS *Cantuariensis* Archiepiscopus, cuique Rex EGFRIDVS interfuit, summa omnium voluntate miráque animorum propensione *Lindisfarnensis* Episcopus designaretur. Euocatus vero ad synodum, munúsque suscipiendum, multis cum literis tum nuncijs, ne pedem quidem mouit, adeo ille Episcopatum licet dignissimus refugiebat. Quare Rex ipse EGFRIDVS cum ERVMWINIO Episcopo, multísque è nobilitate, alijsque pijs viris, in insulam nauigat, qui omnes orando, genuflectendo, lachrymando, quanta poterant animorum contentione, no tantis omnium votis atque desiderijs, publicæque ecclesiæ saluti repugnaret, obtestantur; nec priùs quieuere, quàm CVTHBERTVS totus lacrymis oppletus, è dulci illa solitudine se in Synodum perduci passus fuerit, vbi rursus cum ab omnibus vrgeretur, vel inuitus eorum voluntati cessit, totúmque se eorum potestati dedidit. Initiatus itaque est ad sequens Pascha EBORACI; Rege septémque Episcopis, (è quibus erat THEODORVS) præsentibus. In quo se munere ita gessit, vt nihil eorum prætermiserit, quæ à summis & perfectis pastoribus præstari solent, aut debent. Post biennium tamen solitas latebras repetijt, quod diuinitùs intelligeret, vitæ mortalis finem sibi instare. Tribus continuis septimanis morbo afflictus est, quarta primum feria morbum sensit, quartáque feria obijt. Quantum & quàm grauiter hoc tempore non solùm ab ægritudine, sed à dæmonibus vexatus sit, non est facile explicare; Illis præsertim quinque diebus, quibus omni hominum præsidio, præsentiáque destitutus, ne loco quidem se mouit; quibúsque cum extrema siti conficeretur, nihil aliud quo se reficeret, sitimque extingueret, quam cepam habebat, quam totis his quinque diebus, vix dimidiatam comedit. Inter extrema verba de pace & charitate mutua, curáque hospitij, & cum primis catholicæ ecclesiæ vnitate, à fratribus conseruanda, loquutus est, vtque nihil omnino commune cum his haberent, qui præter consuetum ecclesiæ ritum Pascha obseruarent, voluitque monasterium potiùs relinquerent, & quocunque eos locorum Dei voluntas ferret incolerent, quam se ijs coniungerent, qui schismaticorum more, Pascha alieno tempore celebrarent. Catholicorum præterea patrum, suáque etiam, de vitæ monasticæ ratione, decreta diligenter eis obseruanda commendauit; nocteque insequuta, cum se corporis sanguinisque dominici communione munijsset, oculis manibúsque ad cælum erectis felicem spiritum emisit. Sepultus postea est in monasterio *Lindisfarnensi*, victus fratrum precibus, qui id ab eo enixè flagitabant. Proposuit enim sepeliri apud *Farnem* iuxta oratorium, ad meridiem, contra Orientalem plagam sanctæ Crucis, quam ibidem erexerat.

De miraculis

De miraculis CVTHBERTI *dum viueret.*

CAPVT XXXIII.

MIRACVLA vero operum admirabilium, quæ per eum Deus tam in hac mortali vita, quàm postea designauit, si pro rei magnitudine describerem, integrum volumen desiderarent. Sed summa sequar vestigia rerum. Quemadmodum itaque concionando, cohortandóque in animorum morbis depellendis plurimum valuit, ita & in corporum quoque morbis profligandis diuina quadam potestate, absque humana omni medicina & alijs rebus, afflictis opem ferendo, valde excelluit. Testimonio huius rei est nobilis illa ELFLEDA, virtutibus tamen quam regio sanguine nobilior, quæ in desperato quodam à medicis morbo, cum zona se absentis CVTHBERTI, quam forte apud se habebat, cinxisset, repentè conualuit. Quod beneficium virgo quædam ex eo monasterio, cui ELFLEDA præfecta erat, sensit, quæ ex dolore capitis ita laborauit, vt pro deplorata haberetur. Cuius omnis dolor discussus est, quamprimum CVTHBERTI zona caput virginis circumligatum fuerat. Testimonio sunt seruus cuiusdam Comitis EGFREDI Regis, & alterius Comitis vxor, qui potando aquam, quam CVTHBERTVS precibus consecrarat, grauissimos lætalésque morbos mox excussére. Testimonio fuit *Hidmerus*, & puella quædam, ille sanatus per gustum panis consecrati à CVTHBERTO, ista verò mox sanata, postquam oleo ab eo consecrato delibuta fuisset. Testimonio sunt inuenis quidam, & puer alius, quorum alterum sola benedictione, alterum osculo à morte iam iam vrgente reuocauit. Testimonio est prædicti *Hidmeri* vxor, à qua dæmonem excussit. Testimonio sunt fratres illi, quos suis precibus à naufragio liberauit. Testimonio est flamma quæ per ædes grassabatur, quam ille orando extinxit. Testimonio denique (præter alios) est *Walchstoldus* ille, qui morituro inseruiebat, solóque corporis CVTHBERTI contactu, à profluuio ventris liberatus est.

PRAEDICTIONVM prophetiçque de rebus futuris dote, insigniter à Deo ornatus est. Inter quas sunt illæ, quibus & maris tranquillitatem post sæuam tempestatem, & in summa ciborum in itinere inopia, cibaria mox diuinitus per aquilam, quam in sublimi volantem videbat, ad futura & prospexit, & prædixit. Inter concionandum etiam aliquando cum plebem de cauendis hostis insidijs, qui callidè solebat hominum animos ab auditione verbi Dei auertere, disseruisset, en tibi rumor adfertur, domum proximam violento igne ardere. Ad quem reprimendum cum passim, reclamante CVTHBERTO, excurreretur, frustráque aquam iactando laboraretur; orando ille inuisibilem hostem, qui fallaciter illusis hominum sensibus, commentitium ignem illorum oculis obiecerat, fugauit. Mox reuersa turba, instabilitatis & inconstantiæ suæ, flexis genibus veniam à viro Dei postulabat. Qui deinde exorsam concionem prætexuit. ELFREDAE quoque, cuius meminimus, Regis fratrísque EGFRIDI mortem ante annum, & quemnam successorem haberet, seque futurum Episcopum, sed non supra biennium (hæc enim ab eo curiosius inquisiuit) denunciauit. Quin & ea ipsa hora, qua à *Pictis* cæsus est EGFRIDVS, certamen & cædem illam in spiritu, licet longè absens, sensit, nec id obscurè præ se tulit. Sed & *Herebertum* Anachoretam, eodem secum temporis momento, è mortali hac ad immmortalem illam vitam emigraturum contestatus est. Quod postea rerum euentus comprobauit. Illud vero quantæ gratiæ & dignitatis fuit? quod in mortali adhuc corpore positus, sanctissimi illius Episcopi AIDANI, & alterius cuiusdam, alio postea tempore, animam in cælum delatam diuinitùs viderit? Quantæ dignitatis? quòd vel ab Angelo ab ægritudine sanatus sit? vel Angelum hospitem receperit? vel cælesti quadam prouidentia diuinitus in itinere sit pastus? Quantæ patientiæ & pietatis, quod nocturno sæpe tempore, toto ad collum vsque corpore mari immerso, ad diluculum fere orando consistere, tum deinde flexis genibus in littore orare soleret? Quàm denique stupendum diuinæ prouidentiæ opus, quod quadrupedia duo è mari emergentia, ante eum in arena se consternerent, suóque anhelitu, pedes CVTHBERTI fouerent, villóque suo extergerent, perfuncti deinde suo munere mare repeterent?

SVPER sunt iam & alia non minus stupenda, quòd orando aquam è saxosa terra elicuerit; quòd solo verbo volucres, quæ hordeum ab eo satum depascebantur, ita depulerit, vt postea non redierint, nisi eo permittente, innocuáque se postea contra suum morem præstitere;

quòd oceani æstus lignum quoddam ad ædificium extruendum aptum (quod fratres, quibus ea cura commissa erat, præ oblivione, vt fit, secum non attulerant) non solum adiuexerit, sed in eo ipso loco deposuerit, vbi ædificium ponendum fuerat. Quod dæmones, qui lapidibus eum sæpè appetebant, quique ex alta rupe præcipitem deiecere, aliisque eum sæpe periculis obiecere; nunquam potuere è solitudine eum depellere, vel corpori aliquod nocumentum, vel menti ipsius metum aliquem adferre. Denique quòd aquam in vini saporem conuerterit. Sed non fuére hæc, & id genus alia beneficia, quæ viuus vbertim contulit in homines, cũ vita & corpore eius consumpta. Sed iniurius sũ viro Dei, deóque ipsi. Neque enim vita eius cõsumpta est, quę perennis est, & qui tum demum viuere cœpit, cum hanc mortalem vitam deposuit. Viuit igitur, vitámque hanc immensa, & innumera eius post obitum beneficia luculenter testata sunt. Fuit enim qui ad sepulchrum eius orando paralysim; fuit & qui alium morbum depulerit. Fuit qui capillos eius oculis admouendo, morbum oculi, qui omnem medicorum artem & industriam superauit, excusserit. Quid? quod portio humi, in quà proiecta est aqua illa, qua demortui corpus ablutum est, postquã ori hominis grauiter à dæmone vexati, per aquam macerata infusa fuisset, dæmonem excusserit? Quid? quod paralyticus, qui calceos CVTHBERTI induerat, mox morbo se leuatum senserit?

De miraculis diui CVTHBERTI, *quæ post obitum eius acciderunt, & admirabilis de incorrupto illius corpore narratio.*

CAPVT XXXIV.

VIVIT, viuit igitur beata illa apud Deum anima, per quam eiúsque sacrum corpus, hæc & cetera id genus infinita beneficia, mortalibus Deus elargitus est; aliáque stupenda, quæ operosum esset recensere, mirificè designauit. Et antecedens quidem omnis narratio, à venerabili BEDA petita est, qui vitam CVTHBERTI, memoria rerum ab eo gestarum adhuc flagrante, & quasi calente, summa atque singulari fide, tam soluta oratione, quam heroicis versibus complexus est. Qui, vt in alios, ita & illius in se (cuius opc, malum quoddam in lingua contractum, se discussisse scribit,) collata beneficia, officiosus & gratus debitor commemorat. Sed quoniam quæ post obitum BEDAE contigére, & inter alia ea presertim, quę de incontaminato, atque integro illius per tot sæcula corpore traduntur, & numero & magnitudine sua non modò æquant, sed longe superant ea, quæ BEDA recenset; non debent tam illustria, tamque certa Dei, per seruum suum CVTHBERTVM, opera nobis exhibita, inofficioso atque ingrato, per nos, silentio prorsus obrui. Eorum igitur saltem vel aliquem gustum, idque ceteris iam prætermissis, ex vno SIMEONE *Dunelmensi*, qui de DVNELMI Episcopis, CVTHBERTO maximè, singulari fide, accurataque diligentia conscripsit, lectoribus harum rerum cupidis præbebo.

In prologo vitæ quam carmine conscripsit.

ADMIRANDA sanè Deum, ad seruorum suorum beatas reliquias & sacra corpora, per omnem ecclesiæ memoriam opera, miraculáque patrasse, probatissimæ ecclesiæ historiæ passim demonstrant. Quæ, & in quanta sint beatæ illorum animæ apud Deum in cælo gratia; supremæque illius defunctorum resuscitationis olim futuræ; & quanta sit etiam corporum beatorum, post illam, futura in cælis gloria; facile fidem verè Christiano homini facere poterint. Inter cetera vero non aliud admirabilius, vel ad confirmandam Christianam de communi illa corporum resuscitatione, persuasionem efficaciùs videtur; quàm quòd plurima multorum beatorum corpora, ad multa postea sæcula incontaminata, atque inuiolata permanserint, & adhuc permaneant. Quod spectaculum, nescio an in vna aliqua Christiani orbis prouincia, insignius quàm in hac nostra BRITANNIA sit repræsentatum. Tradunt certè nostræ ecclesiasticæ historiæ, admiranda in hoc genere, de corporibus EDWARDI Regis atque confessoris, D. ETHELREDAE, D. WIBVRGAE, ELPHEGI Archiepiscopi & martyris, EDMVNDI Regis & martyris. Ceterum, quòd ad nostram ætatem in sua integritate perdurarint, non mihi satis liquet. De diuo autem CVTBERTO, res est explorata atque expedita. Et hoc quidem tam stupendum spectaculum, vndecimo post beatam illius dormitionem anno, cum corpus eius in alium locum transferebatur, primò editum est. Cuius rei locũplex est testis BEDA. Cum vero *Dani* postea illius regionis cœnobia atque ecclesias immaniter deuastarent, EADVLPHVS *Lindisfarnensis* Episcopus cruentas illorum manus ægrè effugiens,

Vide Gul. Malmes. de Reg. lib. 2. c. 9.

Sim. Dunelmen. l. 2. c. 5. 6 11. 13 14. & in præfa.

effugiens, illibatum illius corpus secum alibi extulit. Qui cum propter immunentes vndique, & sęuè omnia depopulantes barbaros, nullum ferè locum, vbi securè conquiescerent, reperire potuisset; toto septennio in varia se loca proripuit, thesaurum illum (ne in barbarorum fortè manus incideret) secum circumferens, Abbate EADREDO, & quibusdam alijs ex Clero, fugæ & peregrinationis illius socijs.

QVI cum iam omnem spem deploratam haberent, aut vitæ suæ consulendi, aut beati illius corporis in illis regionibus amplius conseruandi, propter continuas barbarorum grassationes, post diutinam consultationem, in *Hiberniam* cum illibato illo corpore traiicere cogitabant. Sed immani orta tempestate, naufragio pænè obruti, coguntur vnde discesserant redire. Quo interim tempore vnum, aut alterum admirabile prodigium accidit Nam & aqua marina, quæ nauim inundans, eam pæne euerterat, in sanguinem conuersa est, & euangelij quoddam volumen auro gemmisque fulgens, quod fortè, dum nauis in alterum latus obuertitur, in mare decidit; post aliquod tempus, mari ad tria millia passuum recedente, in imo repertum est, nullo prorsus ab vndis detrimento accepto, & ad authoris nostri tempora, in cœnobio *Dunelmensi* magna cum religione conseruatum. Post septem tandem annos, in cœnobij vico, qui *Creca* dicitur, sacrum hunc thesaurum ad quatuor menses deponunt. Rebus deinde pacatioribus redditis, regnãte CVTHREDO, & Episcopatu apud CVNICACESTRE iam locato, ibi se EADVLPHVS cum suis fixit. Sed cum post centum & tredecim annos, *Dani* eam rursus regionem sęue infestarent, ALDVNVS Episcopus se & suos, atque sacra hęc CVTHBERTI pignora ad RIPVM transtulit. Quæ cum post tres aut quatuor menses, quiete atque tranquilitate temporum reddita, ad priorem locum deferre vellet, iamque in itinere cum populo prope DVNELMVM venisset; nulla ratione, nullisque hominum aut iumentorum viribus, currus, quo sacra corporis arca vehebatur, vlteriùs promoueri potuit, arcáque instar montis, fixa & immota constitit. Quare cum omnes tristitia & stupore, ad hoc spectaculum afficerentur, Episcopus populum admonuit, vt triduo se orationi, vigilijs, & ieiunio, ad Dei voluntatem explorandam dederet. *Idem lib. 3. cap. 5.*

INDICATVM interim est pio cuidam monacho EADMERO ex cæleſti oraculo, ne sacrum corpus ad priorem locum, sed DVNELMVM transferrent. Cui cum obtemperandum putarent, itérque DVNELMVM flectere cogitarent, tentarentque num sacrum corpus loco mouere possent, facili iam impulsu mouebatur. Fuit autem DVNELMVM id temporis locus desertus, & squallidus, & vastis vndique siluis septus, & occupatus. Ecclesiam mox Episcopus ex virgis, tumultuario opere, vt ibidem corpus beati locaret, quanta potuit celeritate construxit, vbi corpus triennio positum est. Excisa est interim Antistitis, atque VTHREDI *Northumbriæ* Comitis, populique ingenti studio, cura, atque labore, densa illa & vasta silua, locúsque habitationi commodus redditur, ingensque ex lapide templum constructum est, in quod beati impollutum corpus traductum est. Sedes itaque ibi Episcopalis, quæ *Lindisfarnæ* primum posita erat, ab eo tempore DVNELMI, cum sacris his CVTHBERTI reliquijs permansit: qui fuit annus trecentesimus nonus ab obitu illius. Quo loci ad beati corpus, plurima & illustria miracula edita sunt; Quibus nec locus ille, vbi priùs iacuerat, destitutus est. Inter alia mulier, cuius pedes & crura inuersa, & retro contorta erant, quæque miserabili spectaculo, de loco in locum manibus reptabat, gressus pedúmque firmitatem recepit. Adeo vt *Romam* postea, atque in *Hiberniam* orandi, Deóque gratias agendi causa profecta sit, vbique grata contestatione, acceptum à beato CVTHBERTO beneficium diuulgando. Quod author meus à presbyteris quibusdam, qui eam viderunt, accepisse se tradit. Qui multa eáque admiranda beati opera, postquam DVNELMI corpus eius repositum erat, recensct. Quorum aliqua nos paucis perstringemus. Equibus illud est, quòd ALVREDO Regi, in summis rerum temporúmque difficultatibus atque angustijs, in *Danica* illa infestatione versanti, apparuerit, eumque ad bonam melioris propediem successus spem erexerit, denuncians fore, vt posteri ipsius, totius ANGLIÆ imperio potirentur. Nec defuit postea suus huic prædictioni euentus. *Idem lib. 3. c. 5.* *Lib. 2. c. 11. & 12.*

ILLVD etiam idem author commemorat, fuisse *Osulphum* quendam, virum vitæ valde contaminatæ: Quem, quocunque loci progrederetur, serpens quidam inuadere solebat; & licet reiectus, & in frusta nonnunquam concisus, rursus tamen, qua ratione planè nesciebatur, à collo miseri hominis, citra noxam tamen pependit. Quoties verò templum diui CVTHBERTI ingrediebatur, mox à collo illius resiliebat: sed egressum statim corripuit. Quæ res cum omnibus stuporem, mirámque homini molestiam crearet, ad ecclesiam diui *Libro 3. c. 13.*

CVTHBERTI

CVTHBERTI profectus est, vbi tres dies & noctes perseuerans, Deique atque diui CVTHBERTI opem implorans, à serpentis deinde infestatione est omninò liberatus. Quam au-
Idem li. 3. ca. 13. thor meus historiam à multis, qui eum ipsum hominem viderant, hausit. Ad quæ tempora, cum nummos quosdam è sepulchro CVTHBERTI interceptos, in os suum quidam coniecisset, vt furtum tegeret, repente os hominis incredibili dolore, quasi ignito quodam ferro incensum, miserabiliter torquebatur. Cumque nummos ex ore ejcere cuperet, nullo modo potuit, neque vllam vocem edere. Vndique vero per ecclesiam discurrebat, vultu, nutu, totóque corporis habitu, afflictionem suam, quam voce non potuit, contestatus. Ad sepulchrum demum beati viri accurrit, ibique prostratus, veniam atque opem beati expostulauit, & quædam etiam de suo, vt admissum expiaret, ad beati sepulchrum obtulit; illudque deinde exosculatur, & mox cum ipso osculo, nummi ex ore illius exciderunt. Atqui vt morbis miserijsque afflictati, qui opem ipsius supplices expetebant, præsens & admirabile sæpe remedium sensêre; ita qui beato viro eiusque ecclesiæ iniurij erant, in præsentibus & grauibus scelerum suorum pœnis hærebant: & inter alios OSBERTVS, atque ELLA Reges à
Lib. 2. c. 6. *Lib. 2. c. 14.* *Dacis* cæsi, & HALDENVS Dux *Dacus*, quem, præter insaniam, grauissimus morbus corripuit, tantóque fœtore & tam tetro corpus illius impleuit, vt exercitus eum ferre non potuerit, sed eum à se extruserit; quare cum tribus nauibus à *Tina* fugiens, cum suis omnibus in mari paulo post perijt.

Lib. 2. c. 17. FVIT & *Oulsbaldus* quidam *Dacus*, qui cum in Ecclesiam diui CVTHBERTI, eiusque possessiones grassaretur, admonitus est ab Episcopo, vt abstineret, ne forte in grauem diui CVTHBERTI vindictam incurreret. Quid me, inquit, vanis his sermonibus, & periculo à mortuo imminenti territas? Ego Deos meos omnes contestor (fuit iste à religione Christiana alienus) me tibi, tuisque omnibus grauiora deinceps negotia exhibiturum; neque iste tuus, in quo tantopere confidis, CVTHBERTVS quicquam tibi proderit. Vix hæc dixerat, cum pedem è limine domus efferens, repentè immotus constitit, nulla ratione è loco se expe-
Lib. 3. c. 16. dire valens, moxque miseram ibidem animam exhalauit. Ad hæc *Michael* quidam vir potens, diui CVTHBERTI ministros contumelijs, eiúsque ecclesiam iniurijs afficiebat: qui repentina morte interceptus, inferni pœnis addictus est. Cuius pœnas, & repentinam illius mortem, præsbyter quidam *Ernestus* longè ab eo loco absens, diuo CVTHBERTO monstrante, indicauit, eiusque assertionem ipse rei euentus apertissimè postea confirmauit. Quam narra-
Lib. 3. c. 20. tionem *Simeon Dunelmensis* ab ipso *Ernesto* accepit: Ad quem lectorem, si plenius ea de re scire desideret, remitto. *Ranulphum* quendam GVILIELMVS *primus* DVNELMVM misit, vt tributum ab illius regionis hominibus, (qui antea immunes esse solebant,) exigeret. Cui per visum CVTHBERTVS nocte apparens, graui commination, immissóque morbo, quo valde infestabatur, ab eo illum exigendo deterruit. In quo illud mirè accidit, quòd quoties in *Dunelmensi* Episcopatu maneret, toties morbo esset obnoxius; quàm primum vero egressus fuisset ex ijs finibus, mox morbo liberaretur.

QVID? quod hiatus terræ *Scotos* quosdam, *Lindisfarnensis* cœnobij direptores, atque ex-
Lib. 2. c. 11. *Lib. 2. c. 7 8. 9.* *Lib. 3. c. 11.* pilatores, vt olim *Dathan* & *Abiron* absorbuerit? Id etiam antiquis saltem temporibus obseruatum fuit, mulieres nunquam diui CVTHBERTI templum, absque luculento damno in-
Eugrius lib. 1. c. 14. gressas. Cuiusmodi olim traditum est de templo SIMEONIS Stelitæ. Quod si tentassent ingredi, grauissimis detrimentis, & morte nonnunquam multabantur. Hæc & alia id genus, quæ admirandis & stupendis rationibus, Deus per beatum hunc virum, tam in mortali hac vita positum, quàm ea exutum, designauit: mirificum quendam Regum, Procerum, populique erga eum amorem, & ad templum illius ornandum, possessionésque amplificandas studium incenderunt. Quod multis priuilegijs, amplis beneficijs, atque possessionibus, inter a-
a *Lib. 1. c. 10.* b *Lib. 2. c. 11.* c *Lib. 2. c. 18.* d *Lib. 2. c. 20.* e *Lib. 3. c. 8.* *Lib. 3. c. 7.* lios Reges a EGFRIDVS, b ALVREDVS, c ETHELSTANVS, d GVTHREDVS, e CANVTVS & GVLIELMVS *primus*, motus maximè ex eo, quod *Ranulpho* accidisse diximus, mirificè ornarunt. Id quoque hoc loco adijcere non erit alienum, inter cetera, quæ ad reliquias beati viri admirabiliter contigêre, stupendum de capillis capitis ipsius spectaculum oblatum fuisse; qui nullo igne consumi aut dissipari potuêre, sed vt aurum in igne splenduêre, & educti priorem prorsus formam retinuêre.

SED vt reliqua, quæ ad illibati, atque incorrupti huius corporis integritatem astruendam pertinent, attexamus, sub Imperio HENRICI *primi*, RANVLPHO tum *Dunelmensem*
Gul. Malmes. de Pontif. Sum. Dunel. li. 1. c. 11. *sedem* gubernante, sacrum hoc corpus, omnibus illud intueri volentibus, visendum palam expositum est. Quod & author noster vidit, vt ipse his verbis testatur. Nos (inquit) illi gratias

tias referemus, quibus incorruptum corpus eius, quadringentesimo decimo octauo dormitionis eius anno, quamuis indignis, diuina gratia videre & manibus contrectare donauit. A quo tempore quadringẽti supra viginti tres anni effluxere, quando nostris temporibus nouũ rursus documentum de eadem integritate datum est. Cum enim Regis HENRICI octaui iussu Diuorum thecæ vbique in ANGLIA diriperentur, atque confringerentur, & beatę illorum reliquiæ in loca ignobilia abiicerentur, confracta est & lignea arca beati huius corporis, quæ tegebatur albo marmore. Cumque is, cui dissipandi atque confringendi sepulchri negotium datum erat, arcam graui ictu confregisset, delatus est ictus in ipsum beati corpus, tibiámque vulnerauit, vulnerisque mox manifestum in carne signum apparuit. Quo viso, totiusque simul corporis integritate, nisi quòd summa nasi pars, nescio qua de causa defuerat, res relata est ad CVTHBERTVM TVNSTALLVM, *Dunelmensem* eo tempore Episcopum; Quem, quid de corpore agendum statueret, consulebant: quod eius iussu effossa humo, eo loci, vbi preciosium eius serenium prius locabatur, repositum est. Nec corpus modo, sed & vestimenta, quibus induebatur, integra prorsus erant, & ab omni labe atque corruptela libera & immunia. Habuit vero in digito annulum aureum sapphiro ornatum, quem ego aliquando vidi atque contrectaui, & tanquam diuinum quoddam monumentum, omnique thesauro preciosius, mirifice amplexus atque exosculatus sum. Huic autem sacri corporis in lucem producti spectaculo, ad fuere inter ceteros Doctor *Whithead* cœnobii præses, cum Doctore *Sparke*, & Doctore *Tod*, & Gulielmo † *Wilam* sacri feretri custode. Atque ita satis iam constat diui CVTHBERTI corpus inuiolatum, atque incontaminatum, octingentos & quadraginta annos perdurasse.

Anno 1104.

Anno 1537.

† *Alias* Wicam *vel* Witam.

SVCCESSIT CVTHBERTO, EADBERTVS, qui dum pro more in solitario quodam, remotóque ab ecclesia loco quadragesimam exigeret, quam magna abstinentia, vigilijs, orationibus exegit, quem etiam morem quadraginta ante diem Christi natalem constanter obseruare solebat; ecce fratres, quibus munus hoc impositum fuerat, vt CVTBERTI sepulchrum digniore altioréque loco reponerent vndecimo post anno, corpus cum vestibus nulla ex parte consumptum reperiunt: hæc itaque renunciaturi, propere ad eum veniunt. Quibus ille auditis in lachrymas profusus, Deo gratias egit, qui tanta signa in beatum CVTHBERTVM contulerat, & quasi spiritu diuino inflatus ait: Non diu certe effossum, & apertum CVTHBERTI sepulcrum possessore carebit. Iussitque vt corpus eius ex eo sublatum, nouisque vestibus ornatum, in eminentiore loco poneretur; statimque morbo abreptus, triduo post, pridie videlicet nonas Maias, prædictionem ipse suam impleuit, in sarcophagum ipsius CVTHBERTI coniectus, cuius videbatur, vt & Episcopus, hæres; loculus autem nouus CVTHBERTI super idem sepulchrum positus est. Quo loci amborum meritis, magna sanitatum signa ibidem collata, luculentum testimoniuu præbuerunt,

a In dict. vita Cuth. & Beda eccles. histor. li. 4 ca. 30.

De cœnobijs Northumbriæ *hoc saculo, pijsque viris monasticam vitam ibidem degentibus.*

CAPVT XXXV.

PRIMA, quæ in *Northumbria* monasticam vitam professa est, sacróque flammeo velata est, fuit HEIV in monasterio HEORTHEV, quod ipsa condidit, quæ postea ad ciuitatem CALCARIAM, quam ANGLI CALCACESTER appellabant, secessit; eiusque deinde monasterio HILDA præfecta est. Neque sane vllibi in tam exiguo tempore, tot cœnobia exædificata; neque monastica vita exactius vspiam in ANGLIA culta est, siue viros, siue feminas respicias. Celebre fuit inter alia *Lindisfarnense* cœnobium, propter AIDANVM, EATAM, & CVTHBERTVM; licet enim AIDANVS *Lindisfarnensibus* fuerat Episcopus, ibique maneret cum Clero, fuit tamen & Abbas eius loci, frequensque cúm monachis, & ipse monachus vitam traducebat; quam rationem vitæ EATA quoque Episcopus tenere postea solebat. Quem etiam tenorem vitæ, & AVGVSTINVS prius CANTVARIAE, idque ex præscripto GREGORII obseruabat: vt primæ illæ episcopales ecclesiæ, faciem planè normámque Apostolicorum temporum repræsentarent, cum nemo quicquam de suo, sed in communi possideret. Huius monasteri

Bed. li. 4. c. 25.

Bed li. 4. c. 27.

Lib. 3 c. 26. Abbas EATA, abeunte COLMANO, designatus est. Hunc autem locum CVTHBERTVS, qui post prima monasticæ vitæ apud *Mailrosium* tyrocinia, miræ pietatis virtutisque splendore primùm in hoc cœnobio, cui ab EATA Abbate præfectus erat, deinde in ipso Episcopatu *Lindisfarnensi* enituit, præ ceteris ornauit.

Bed. lib. 5. c. 1. FVIT & *Farne* insula, quæ non procul aberat, licet non cœnobio, propter solitariam tamen & abditissimam vitam, quam primùm CVTHBERTVS, deinde ÆDILVALDVS ibidem degebant, insignis & celebris: duodecim enim ÆDILVALDVS annos, eum vitæ cursum tenebat, in quo præter alia illud illustre fuit, quòd GVDFRIDVM & alios se inuisentes, suis precibus seruarat ab immani tempestate maris, quæ discedentes oppressit, deplorata iam prorsus salute. Qui quamprimùm ad terram appulerunt, tempestas quæ paululum conquieuerat, mox per totum illum postea diem immaniter efferbuit. Fuit & alius hoc

a Lib 4. c. 29. tempore Anachorita, & ipse CVTHBERTO intimus, [a] HEREBERTVS nimirum, cui cum CVTHBERTVS fatalem sibi diem instare prædiceret, id vir pius audiens supplex in terram se prostrauit, obortísque lacrymis CVTHBERTVM obtestatus est, ne ita destitueretur; sed vt qui coniunctissimè vixerant, simul etiam morerentur. Id quod CVTHBERTVS precibus à Deo impetrauit. Quare eodem die, id est decimo tertio calendarum Aprilis, vt in vita se mutuo dilexerunt, ita neque in morte sunt separati, & ad æternam requiem translati. HEREBERTVS vero antequam moreretur, graui longáque ægritudine afflictatus, & valde discruciatus est, credo, vt si quid inferior esset meritis beati CVTHBERTI, aliquidque vitæ eius, quasi impurum aspersum esset, id omne diuturna illa corporis ægritudo, quasi ignis excoqueret, vt totus vndique purgatus, tanquam aurum purum cælos cum

b Bed. l. 4 ca. 27 & 28. Ioan. Cap. CVTHBERTO ingrederetur. [b] MAILROSIVM vero condidit AIDANVS ad ripam *Tvedæ* fluminis, cuius inter alios Abbas fuit EATA, de quo diximus, illiusque primariam sub eo curam gerebat BOISELVS, vir absolutæ & antiquæ pietatis, donoque præsagitionis, futuráque prædicendi ornatus; vir qui totum se diuinis meditationibus affigebat, totus ad cælestia anhelabat. Cui se totum CVTHBERTVS in disciplinam dedit, vitæque ab eo exempla, sacrarumque literarũ cognitionem hauriebat. Quo mortuo, & ipse eidem sub

Beda li 3. c. 26. † al. Ripense. EATA cœnobio præpositus est. † *Ripponense* cœnobium, authore ALFRIDO per EATAM constructum, tenuere aliquamdiu *Scoti*. Qui cum inueteratum de paschatis obseruantia errorem mordicùs tenerent, malléntque locum potiùs quàm errorem deserere, ALFRIDVS præfecit ei cœnobio WILFRIDVM, in quo aliquamdiu versatus est CVTHBERTVS, ex præcepto EATAE præfectus excipiendis hospitibus, qui Angelos aliquando instar hospitum excepit. *Gethlingense* vero siue [c] *Gillingense* cœnobium, quod

c Bed li 3. c. 14 & 24. quidam putant non procul à *Richmundo* situm à Rege OSWIO Rege *Berniciorum*, expiandum Regis Deirorum OSWINI cædem, vt & aliud ob victoriam, quam contra Regem *Merciorum* consequutus est, sicut diximus conditum est, quod *Heruthen* dictum est, vbi filiam ALFLEDAM Deo consecrauit. Quæ sub celebri illa virgine HILDA, prima pietatis suæ tyrocinia posuit, de qua & eius cœnobio vberius iam mihi dicendum est.

Dist. cap.

De

De HILDA *Abbatissa* & CEDMONO *Monacho*.

CAPVT XXXVI.

GENERIS splendorem alioqui clarum, quod à Rege EDWINO auo trahebat, animi, propter excellentem virtutem, nobilitate [a] HILDA longè superauit. Quæ vt Christum solum sponsum haberet, eáque impedimenta, quæ tali præsertim feminæ obiici solent, remoueret, & liberius atque intentiùs Deo inseruiret, ac faciliùs perpetuam in cælis patriam promereretur, quasi spontaneum sibi exilium indixit, atque in *Calensi Galliæ* monasterio peregrina vixit. In quo etiam monasterio soror ipsius HERESWIDA, mater ADVLPHI Regis *Orientalium Anglorum* Deo erat consecrata. Postea vero cum AIDANVS Episcopus, HILDAE præsentiam suis in ANGLIA necessariam existimasset, ab eo in patriam est reuocata; & in monasterio, quod pia mulier HEV regebat, quæ prima, vt diximus, in Prouincia *Northumbrorum* sacram vestem per manus AIDANI suscepit, Deóque virginitatem consecrauit, conuersata est. Nec ita multo post, illa defuncta, præfecturæ monasterij admota. Post quod tempus aliud HILDAE monasterium, quod *Strenshalche* olim, hodie *Whitbye* appellant, regendum suscepit. Quod illa munus tam integrè, tam absolutè obiuit, vt omnium in se admirationem conuerteret. Quid enim ea iustius? quid sanctius? quid castius? quid prudentius? Quam propter innatam quandam rerum intelligentiam, & scitè obeundarum dexteritatem, non mediocres modò homines, sed ipsi Reges consilij capiendi causa sæpe adiere. Quare omnes, præsertim quibus præerat, ad eius virtutem æmulandam imitandámque, exemplúmque ab ea capiendum certatim se conferebant.

[a] Bed. li. 4. ca. 23

VIDERES itaque in eius monasterio primæ & apostolicæ plane ecclesiæ amabilem faciem, in quo cum nemo abundaret, nemo tamen egeret, omnibus rebus ibidem ad æquabilem & communem vsum expositis, cum nihil esset, quod quisquam sibi vt proprium præriperet. Pietatis sane atque doctrinæ tam singularem curam habebant, vt plurimi ex eius monasterio ad ecclesiastica & altaris munera deligerentur, quorum quinque BEDA recenset & nouit, omnes Episcopos singularis meriti & sanctitatis; BOSAM ÆDAM, OSTFERVM, IOANNEM & WILFRIDVM. Quare virtutis pietatísque eius fama, longè latéque per ANGLIAM disseminata, etiam procul absentibus magnam æmulationem, virtutisque desiderium iniecit, totámque ANGLIAM quasi cælesti quodam lumine illustrasse credita est. Cuiusmodi quiddam mater ipsius olim præsagisse videtur. Quæ visa est sibi aliquando gemmam quandam sub veste gestasse, tam fulgentem, vt sua luce totam BRITANNIAM illuminarit. Atque vt illa mundo bonorum suorum operum, ita & illi Deus cælestem suam morienti lucem effudit, in qua anima ipsius per angelos in cælos deducta est Quam lucem longè solis splendore illustriorem, BEGA pia quædam virgo monasterii *Hacanensis*, quod HILDA condiderat, quod circiter, tredecim millia passuum aberat, ipsiusque animam cælos petentem diuino beneficio vidit, lectóque exiliens Præfectæ monasterij, quid vidisset narrauit. Quæ statim reliquas virgines excitari iussit, ecclesiamque properè ingredi, vt animam HILDAE Deo per orationes & hymnos commendarent. Septennio autem antequam è vita decederet, vt virtus eius in infirmitate (vt Apostolus ait) perficeretur, graui & ardenti febre laborauit. Quo toto tempore nihil tamen ex publico, & priuato officio prætermisit, Deóque ob eam ægritudinem officiosè gratias egit, easque quibus præerat admonuit, ne valetudine corporisque infirmitate abuterentur, sed eam totam diuinis obsequiis impenderent, proque læsa & labefactata valetudine, gratias etiam Deo reddere non cessarent.

2. Cor. 12. 9.

SEPTEM itaque iam annos ita affecta, corporéque exhausto, cum iam extrema sibi imminere cerneret, ad galli cantum, postquam sacrosanctam Eucharistiam accepisset, & sororibus circumfusis salubria viuendi, præsertim de mutua secum, & cum omnibus charitate præcepta dedisset, ad sponsum, quem tantopere diligebat, cum ea quam diximus gloria, & luce læta perrexit. Fuit autem HILDA non ijs solùm quas attigimus virtutibus, sed & mira quadam prodigiorum edendorum potestate prædita, quibus ego, vt cetera prætermittam, duo tantum recensebo; sed tam certa & explorata, vt si quis

propter rerum admirabilitatem, (vt fit) de rerum fide hæreat, possit, nisi itineris molestiam refugerit, ipse esse huius rei arbiter, ac eorum, quæ dicemus, partim scriptis, partim traditione à maioribus relicta, suos ipse oculos indices constituere. Fuit eo tempore ille locus, quem *Strensshalche* & *whitbie* appellant, vbi HILDA commorata est, serpentibus [a] tam lætalis & infestus, vt virgines ne ad hauriendam quidem aquam secure prodire † poterant. Præterea aues, quas siluestres anseres appellamus, ita vastabant agros monasterij frumento satos, vt multum detrimenti dederint. Quid ergo HILDA? confugit ad sponsum; magnaque spe erecta, casta, vehementi, plenáque fiducia oratione illius opem implorauit: post quam ecce serpentes è latebris turmatim se proripientes, populo spectante, per deuexa montis se in mare præcipitarunt; neque ab eo tempore quisquam læsum se à serpente, in illis locis questus est. Quo autem loci serpentes se præcipitarunt, lapides inuenies ad serpentum effigiem efformatos, ita vt nihil vnquam tale humana manus ingeniumve præstare, aut assequi possit.

a *Ioan. Capgr.*

† *Lege* possent.

PRAETEREA per omnes agros, qui illius monasterii Dominio subiecti erant, qui suo ambitu circiter duodecim hodie millia passuum complectuntur, nemo vnquam siluestrem anserem depascentem sata, aut agris illis insidentem vidit. Stupendum sane, sed quotidianum vicinis illis spectaculum cernere licebit, anseres illos ad fines illius ditionis vndique frequentes circumuolare & consistere, sed à monasterii agris, nescio quibus vinculis, & diuina quàdam vi arceri. Quod si, vt aliquando † contigit, aliqua quasi præscriptos fines violare, & monasterii ambitum volando ingredi audeat, statim quasi inuisibili quodam telo vulnerata, in terram corruit, nec euolare potest. Quæ ego sanè hoc loco non recensebo, nisi hæc ita esse certò mihi constaret, non tantùm ex libris antiquorum, sed & ijs referentibus, qui domicilia ibi constituta habent; remque ipsam perinde vt digitos suos norunt, vt merito hic, & in alijs similibus exclamare cogar, *Mirabilis Deus in sanctis suis!* Neque vero quid [b] CEDMONO monasterij huius alumno acciderit, hic pertranseundum puto. Dona igitur illa linguarum, sapientiæ, atque doctrinæ, aliaque similia quibus Deus Apostolos & nascentem præcipue ecclesiam ornauit, vt nec posterioribus defuere temporibus, ita neque huic tempori, quo ANCLI recens fidem amplexi sunt. CEDMONVS noster abundè hoc sensit. Qui cum iumentorum curam ageret, omnisque literarum liberalisque ingenii cultus prorsus expers esset, repente scite & eleganter carmina *Anglice* cecinit, diuinitus dictata, quæ nihil impuri aut spurci haberent, è solis sacris literis petita. Quæ tanta erant elegantia, tanto rerum & verborum pondere ita efformata, vt frustra postea doctissimi quique similia attentarent, longóque ab eo interuallo relinquerentur. Hæc eius in sacris carminibus pangendis præstantia, vt multis admirationi, ita & bono fuit. Qui ea occasione ad diuinum amorem, vitæque emendationem rapiebantur.

† *Alias* contingit.

Psal. 67. 36.

b *Bed. li. 4. c. 24*

CEDMONVS vero ne diuinis se beneficijs ingratum esse ostenderet, quæ Deus in eum tam ampla, tam insperata posuerat; vtque accepta illa dona doctrinámque, qua non institutus, sed planè imbutus erat, meditando augeret, magnóque aliorum bono proueheret, in monasterium se contulit. Erat autem vir omnium simplicissimus, ab omni fuco & vanitate remotissimus, nec aliorum donorum expers. Qui cum leui corporis molestiâ tangeretur, instare tamen sibi mortem prædixit, & ad mediam noctem Eucharistiam sibi deferri iussit, ab astantibus, si quos offendisset veniam precatus: quibus & ceteris omnibus, omnia aduersum se admissa condonauit. Deinde cum nulla astantibus mortis esset suspicio, cruce se signauit, capútque ad ceruical inclinans, vbi paululum obdormisset, summo silentio, magnáque animi corporisque tranquillitate, in Christo in perpetuum obdormiuit. Qui quàm charus Deo fuerit, miracula, quæ Deus per eum præstitit, post obitum abundè testata sunt. In hoc vero cœnobio ELFREDA cum patre OSVVIO, matre ENFLEDA, alijsque multis Proceribus & Episcopis, humata erat in ecclesia diuo PETRO sacra. Cœnobium vero in *Danica* vastatione (vt alia complurima) euersum est. Post GVILIELMI *Normanni* tempora sacræ reliquiæ ELFREDAE, & prædicti CEDMONI, atque aliorum repertæ sunt, & idoneo loco honorificè reconditæ. Constructit vero HILDA & aliud monasterium, quod *Hacanos* appellabatur.

Gul. Malm. de gestis Pontif. Eboracensib.

Beda li. 4. c 23.

De alijs

De alijs hoc sæculo Northumbriæ *Cœnobijs, Deque* BENEDICTO *&* COLFRIDO *Abbatibus, &* EBBA *Abbatissa.*

CAPVT XXXVII.

COLVDENSE monasterium ornauit EBBA, OSWALDI & OSWII Regum soror, & Regis EGFRIDI amita, quæ illis regnantibus tam celebris fuit propter virtutem, vt totius regni quasi parens obseruaretur. Multa fuere eo tempore virorũ, multa feminarum in ANGLIA cœnobia, quæ monasticam disciplinam exacta quadam cura, & ad amussim obseruabant. Quibus quidem temporibus ij demum vere nobiles censebantur, non qui inani mundi pompa, aut fumoso maiorum stemmate gloriarentur; sed qui humiliter atque submisse, cum summa paupertate, suique abiectione Deo seruiebant, diuina solum meditantes. Quos sibi EBBA ad imitationem proponens, à primis annis veræ pietatis gustum quemdam haurire, mundi oblectamenta, ceteráque à Deo auocamenta diligenter respuere cœpit. Cumque eam magna ambitione *Scotorum* Rex AIDANVS vxorem sibi asciscere tentaret, illa se Christo meliori sponso consecrari desiderans, à FINIANO *Lindisfarnensi* Episcopo velata est, præfuitque postea sacris virginibus in *Coludi* monasterio; id est eo loco quem COLDINGHAM iam appellant prope BERVICVM, in quo monasterio versabantur tum viri, tum sacræ virgines. Quibus omnibus etiam supra sexum, EBBA totius se monasticæ disciplinæ egregiam magistram præbuit, vt & istis se matrem, & illis etiam heroicis plane & masculis virtutibus, magnum de se præstaret bene viuendi exemplum. Ex huius schola prodijt beata ETHELDREDA *Elienſium* gloria, EBBAM autem cum ceteri omnes pij, tum imprimis diuus CVTHBERTVS impense propter virtutẽ coluit. Qui licet diligenti semper cautione mulierum consortio abstineret. Hanc tamen sæpe adire, cum ea aliquot dies ponere in sacris colloquiis solitus est. a Bed. l. 4. ca. 25.

FVIT & aliud virginum monasterium, quod ab ipsius nomine *Ebcester*, id est EBBAE castrum appellatum est, per fratrem ipsius OSWINVM constructum. Quod postea *Danorum* irruptionibus vastatum, & in solitudinem redactum est. Quin & ipsum *Coludi* monasterium, paulo post ipsius mortem flammis absumptum est, id quod ita futurum vir pius prædixerat. Quæ historia, cum & legentibus fructuosa esse possit, vt vitæ suæ diligenter caueant, simulque quam chara nostra EBBA Deo fuerit ostendat; paulo altius eam referendam existimaui. Fuit in eo monasterio ADAMMANVS quidam *Scotus*: is cum in adolescentia graue quodpiam piaculum aduersus Deum admisisset, Sacerdoti, id per confessionem vulneris aperiens, iussus est ab eo vt ieiunijs, orationibus alijsque piis exercitiis, Deum sedulo placaret, & priora admissa resarciret. Quod ille cum strenuè postea præstitisset, adeo vt totam hebdomadam, præter Dominicam & feriam quintam, ieiuniis, nec diem modo sed noctem pænè omnem vigilijs, orationibus, atque lacrymis consecraret; ecce aliquando in oratione ita pernoctanti, vir quidam repente astitit, eiusque diligentiam in redimendis peccatis collaudauit, aliorúmque fratrum & sororum, qui alto somno oppressi aut stertebant, aut voluptatibus vacabant, negligentia grauiter increpata, prædixit fore vt tantam ipsorum socordiam ignis propediem castigaret, quo totum illud monasterium conflagraret; neque tamen id eum, viuente EBBA, vnquam visurum.

HAEC EBBA cum ab eo audisset, vehementer indoluit, solitóque acriùs sorores ad officium virtutémque excitauit. Quo factum est, vt cum propter ipsius cohortationes, tum propter imminentis mali metum, cautiùs suæ vitæ virgines prospicerent. EBBA autem defuncta, & metu illo pœnè ex omnium animis propter temporis tractus detersо, tanquam ad volutabrum reuersæ, ad pristinas vitæ sordes rediere. Deinde cum quasi securæ de incendio viderentur, nihilque minus expectarent, vasto incendio monasterium illud torum in cineres redactum est. Hæc itaque & alia multa, quæ præclarè non viuens modo, sed & post obitum designauit, EBBAE sanctitatem omnibus manifestant. Postquam igitur multos annos in hoc virtutum curriculo posuisset, quarto anno ante mortem beati CVTBERTI ipsa ad immortalem sponsum & Regem cælestem, pro quo terrena sponsalia nihil fecit, feliciter profecta est, octauo calendarum Septembris. b Bed. l. 4. ca. 18. Qui & vitam eius peculiari libro conscripsit, vt & Colfridi. Gul. Malm. de Reg

IAM mead sereuocant[c] BENEDICTVS & COLFRIDVS Abbates. BENEDICTVS in magna gratia positus erat apud Regem OSWINVM, magnisque per eum possessionibus auctus. Quæ omnia Christi & pietatis ardore relinquens, in monasterium se contulit vbi sanctissime vixit, nomini vere respondens. Cui si nullum aliud adesset ornamentum, amplum sane vel illud vnum fuisset, quod BEDA eius potissimũ cura, diligentiáque ita educatus fuerit vt in lumen ecclesię euaserit. Quinquies ROMAM adijsse traditur. Eo tempore quo THEODORVS in ANGLIAM primùm venit, comes ei fuit, multasque Sanctorum reliquias secum attulit. Plurimi etiam eũ fecit EGFRIDVS Rex. Duo monasteria BENEDICTVS, de quibus in COLFRIDO dicemus, constituit, quæ Rex EGFRIDVS possessionibus cumulauit, & AGATHO Papa priuilegijs muniuit. Aduexit secum in ANGLIAM Architectores, qui domus lapideas fabricarent, quæ raræ id temporis erant in ANGLIA, fenestræ vero vitreæ nullæ, quas eius industria ANGLIA primùm vidit. Æquanimitas vero eius, animique patientia cum primis celebratur, quod faciliter & lubenter, THEODORO *Cantuariensi* id postulante, dignitate, qua monachis *Augustinianis Cantuariæ* præerat, cesserit; & ADRIANVM successorem sine murmure admiserit, quódque parem animi æquitatem erga monachos suos *Wirenses* ostenderit, qui eo absente insciosque alium Abbatem suffecerant. Quem & ille rediens, magna semper reuerentia honoréque coluit.

BENEDICTO Episcopo successit in monasterio Apostolorum PETRI & PAVLI, COLFRIDVS[a] vir vndequaque laudatissimus. Erat vero duplex monasterium, alterum ad fluuium *Tinam*, alterum ad fluuium *Wirum*, *Wirmuthense* videlicet & *Girwicense* non procul distantia. Quasi tamen vnum censebatur, & propter vicinitatem, eidem vtrumque Abbati subierat. In vtroque monasterio degebant sexcenti viri religiosi, COLFRIDVS vero vir fuit ingenio acuto, & in rebus agendis grauis, religionísque feruore flagrans, qui priuilegia suo monasterio à Romana sede, quemadmodum decessor BENEDICTVS obtinuit. Tandem postquam omnibus numeris munus illud implesset, præclarúmque docendi, orandi, vigilandi, continendique & aliarũ virtutum exemplum suis præbuisset, illa se administratione liberans, ROMAM quam iuuenis inuisit, senex repetere cogitauit. Sed in itinere obijt apud *Lingones*, Calendis Octobris, anno nati Christi septingentesimo decimosexto. Sepultus est ibidem in ecclesia beatorum geminorum martyrum, annos natus septuaginta quatuor, & post trigesimum quintum annum administrationis suæ. Qui, quantumuis prouectæ ætati nihil indulgens, solitos labores eadem semper alacritate obiuit, nec de ecclesiastico, statutóque penso quicquam, vel propter affectam ætatem, vel valetudinem, tædiùmve itineris, vnquam detraxit ad diem obitus: solitus per singulos dies, præter statas canonicas preces, bis psalmos Dauidicos Domino occinere, quotidie salutaris hostiæ Deo munus offerre, excepto vno die, quo per oceanum nauigabat.

[a] *Beda hist. lib. 4. ca. 18. & lib. 5. ca. 22. Ioh. Capgra.*

CVIVS doctrinam cùm alia, tum illa imprimis epistola testatur, quam NAITANO *Pictorum* Regi, desideranti ab eo, ecclesiasticæ tonsuræ, Paschatisque rationem scripsit. In qua ille perspicue, doctè, eleganter in Paschate obseruando tria ista concurrere debere asserit, primi mensis tertiam hebdomadam, & ex veteri lege decimum quintum eiusdem diem, ita vt à decimo quarto sub vespere inchoetur per septem dies continuatos, ad vesperã diei vicesimi primi. Ex euangelica vero traditione expectandum eiusdem tertiæ septimanæ Dominicum diem, qui si incidat in decimumquintum, æqualem † eam nostris & *Iudæis* obseruationem; alioqui differri euangelicum pascha ad eum diem tertiæ septimanæ, qui primus Dominicam resurrectionem repræsentat. Æquinoctium præterea expectandum & plenilunium, vt decimus quintus dies mensis post illud æquinoctium, Iudæis & etiam Christianis si dominicus sit, æquali obseruatione colatur pro Paschate; alioqui si anteuertat dies paschæ æquinoctium, iam non noui & primi mensis, sed præcedentis anni rationem haberi, atque ita à præceptis Paschatis obseruandi alienam. Hanc vero esse veram, & germanam celebrandi Paschatis formam. Ita Christum ex præcepto legis, ad vesperam decimæ tertiæ lunæ agnum & obtulisse, & comedisse; deinde antiquatis veteris legis vmbris, id, quod vmbræ delineabant, repræsentasse, id est euangelicam cœnam, sacrámque corporis sui, sub forma panis & vini, in sacramento oblationem, cuius ille Mosaicus agnus, oblatus simul & comestus, typum gerebat. Postridie vero idem corpus in cruce pro humani generis expiatione obtulisse, atque ita verum Pascha absoluisse, id est decimoquinto mensis die. Qui dies insignis fuit discessu filiorum *Israel ex Aegypto*, vt vmbra respondeat veritati. Atque ita quidem Christus Pascha celebrauit.

† *lege esse alias est eam.*

VIRVM

VERVMENIMVERO ad honorandam & amplificandam Christi nostri resurrectionem, ex Apostolica traditione Pascha nostrum, id est Christianum, in Dominicum semper diem reiectum est. Qui semper in aliquam partem tertiæ illius septimanæ incurrit, & sæpe in eundem diem quem *Iudæi* celebrant, ne quis calumnietur ecclesiam vel in hac re prorsus à lege recessisse. Quare eos non satis consulte rationes suas instituere, qui anteuertunt diem decimumquartum vel æquinoctium, aut diem Paschalem prorogant ad vicesimum secundum, vtrinque eos longe à Legis & Euangelij scopo excidere. Hæc ille quidem de Paschate; de Tonsura vero ecclesiastica ad hunc fere modum. Nullã vnquam grauiorem fuisse in ecclesia disceptationem aut motum propter eam, vt de Paschate, quasi in re minoris momenti; eósque qui vna fide, spe, charitate in Deum conspirarent, neutiquam de corona capitis degladiatos. Sibi tamen eam maxime sequendam, quam ipse PETRVS Apostolorum princeps gestabat in vertice; non illam planè quam *Simon* ille *Magus*, totius ambitionis & rerum sacrarum nundinationis sceleratus author; qui tonsus quidem est, sed nullam in vertice coronam gerebat. Nec debere Christianos, qui nefarias eius actiones detestantur, quicquam cum eo vel in cæremoniis commune habere, cum præsertim meliora & certiora suppetant. Neque hoc solum momenti hac in re verti, quod PETRVS coronam gestarit; sed coronam sacerdotum & monachorum illam spineam coronam, qua Christus redimitus est, in memoriam reuocare; & raso vertice palam nos ipso corporis habitu profiteri, nullas nos pro Christo nostro capite contumelias atque ignominiam deprecari, vt coronam tandem cælestem adipiscamur.

HAEC & alia, quæ perdoctè & scitè COLFRIDVS de his rebus disseruit, mirum in modum Regi grata erant, eóque Regem perduxerunt, vt hanc Paschatis & tondendi rationem, *Pictorum* omnium ecclesijs statim imperarit, exactéque deinceps obseruari præceperit. COLFRIDVS alteri ex his monasterijs, de quibus diximus, [a] *Esterwinuon* præfecit, sibique in administratione consociauit, virum omnibus pietatis numeris absolutum. Quam curam suscepit anno Christi sexcentesimo nonagesimo tertio, & permansit in ea quatuor annis, decessit nonis Maij. Monasterium vero *Lestingense* condidit diuus CEDDVS, sumptus possessionésque suggerente EDILWALDO, filio diui OSWALDI Regis, quod non prius condidit, quam diuturnis, accuratisque ieiunijs & precibus locum Deo consecrasset, quod posuit in semotis ac arduis montibus. Cui in ea præfectura successit frater ipsius CEDDA, *Merciorum* postea Episcopus. Fuit inter alios in hoc cœnobio OSWINVS monachus, primarius quondam vir in aula ETHELDREDAE Reginæ, qui mundi fatur, rebúsque diuinis totus vacare satagens, non perfunctoriè hoc muneris, sed strenue & grauiter aggressus est. Venit itaque ad beatum CEDDAM simplici & plebeia veste tectus, securim & asciam manu ferens, atque in sodalitium illius se ascribi postulauit. Ascriptus est, & egregiè suis partibus defunctus; & quod illi in sacrarum literarum cognitione deerat, abunde duro, pertinacique manuum labore suppleuit: CEDDAE valde charus, imo & Deo, adeo vt angelorum concentus imminente iam morte dicto CEDDAE, solus ex ceteris omnibus audiret.

[a] *Io. Capg. in Colfrido.*

Beda lib. 4. c. 3. li. 5 c. 23.

De quibusdam prodigiosis euentibus, qui in hoc sæculo in Northumbria *contigere.*

CAPVT XXXVIII.

DIRTHELMVS vir pius *Northumbriam* incolens, lætali ægritudine lecto affixus, pro mortuo habitus, repentè reuixit, constantique fide narrauit, inferorum se & beatorum sedes vidisse, & eos, qui temporalibus ibidem afficiebantur pœnis, sæpe ante diem iudicij, eleemosynis ieiunijsque viuorum, missarum præsertim celebratione, eisdem pœnis liberari. Vitæ redditus, omnes statim facultates in tres portiones, & ex his vnam vxori, aliam filijs, tertiam sibipsi distribuit: quam mox pauperibus erogauit. Monasterium deinde petiit, in quo admirabili vitam austeritate duxit, adeo vt intensissima hyeme, inter medias glacies humeris tenus in aquis consisteret, neque vnquam vestes ita madidas, aut glacie constrictas exuerit. Mirantibus qui tantam asperitatem ferret, Respondit, asperiora longe vidi.

Bed. li. 5. c. 12. & 13.

vidi. Longe vero dispar fuit hoc tempore duorum, alterius militis, alterius monachi, vita & exitus. Miles licentiosè viuens sæpe admonitus vt maturè resipisceret, eámque etiam morbo correptus admonitionem contemnens, narrauit se vidisse in libro scriptas omnes suas sceleratas actiones, atque adeo cogitationes; atque identidem tragicè se damnatum exclamans, miseram animam exhalauit. Sed hoc contigit in prouincia *Merciorum*. Atque ad eundem modum fere, monachus quidam apud *Deiros* misere perijt, quare extra cæmiterium sepultus est, neque quisquam pro eo orare, aut missas celebrare ausus est.

De CAMBRIA *siue* WALLIA, *de Rege* CADOVALLADRO *deque quibusdam* CAMBRIÆ *Episcopis & doctis viris, & de Paschatis die à* CAMBRIS *perperam obseruato.*

CAPVT XXXIX.

EXPECTABIS forsan lector, vt aliquid iam de BRITANNIS, veteribus insulæ incolis & possessoribus explicem. Et ego quidem totus huc specto, sed harum mihi rerum explicatio salebrosa sane est atque impedita, cum pauca hoc in genere inueniam, & vix vel in illis gressum aliquem, absque prolapsionis metu, firmum figere valeam. Adeo eorum semel imperio infracto atque euerso, veterique gloria defloreſcente, nullas deinde res præclare gesserunt; aut huiusmodi, quarum omnis fere memoria exaruit; aut quicquid sit, huiusmodi fere sit, vt vix quicquam pro certo habeamus; nec, quæ expeditiora sunt, valde nostro instituto cohæreant. Id verò frequentius apud omnes receptum est: eorum imperium aut ineunte hoc sęculo, aut longius aliquantulum progresso, per *Saxones* labefactatum; detrusosque illos in extremam illam insulæ partem, quam hodie WALLIAM appellant. Quod nomen a *Saxonibus* profectum est, qui eos *Walshmen*, id est WALLOS appellabant. Quo nomine *Germani* homines extraneæ & exteræ gentis designant. Postremumque eorum Regem fuisse CADOVALLADRVM CADOVALLONIS, aut (vt *Beda* eum appellat) CEDWALLAE filium. Reliqua minùs expedita sunt.

Lib. 8 POLYDORVS & alij tradunt CAMBROS siue WALLOS, non solum *Saxonum* armis, sed & immani quadam fame ac peste expugnatos, misere debilitatos atque exhaustos; & CADOVALLADRVM, maioris aduersus *Saxones* auxilij corrogandi causa, in *Armoricam* profectum, & cum exercitu reuertenti vocem cœlitus obiectam, ne patriam repeteret, cui supreuma iam fata, Deo ita constituente, imminerent, denunciantem. Quare religione motum, exercitu dimisso, ROMAM abijsse, atque ibidem fato functum, idque hoc sæculo nascente, vt *Polydorus* scribit. Cui hic aliquid humanitus, vt fit, vtque memoria laberetur contigit. Quippe qui tradat CADAVALLONEM longe post ab OSWALDO Rege cæsum, qui EDWINVM primò ad annum sexcentesimum trigesimum tertium occiderat, & deinde CADOVALLADRVM patri cæso succesisse. At alij regni destitutionem, eiusque abitionem, ad postrema fere huius sęculi tempora, & ad ea, quæ BEDA de CEDOVALLA *Visisaxonum* Rege ROMAM profecto tradit, temporum ratione, totiusque veritatis fide corrupta & deprauata, trahunt. Tamque latam & amplam in ANGLIA dominationem ei tribuunt, vt ea in *Orientalem* vsque ANGLIAM permanarit, & *Cantabrigiensi* academiæ, amplissimas prærogatiuas immunitatesque irrogarit, *Bedamque* CADOVALLADRVM, CEDVALLAM appellare. Quod ille quidem neutiquam facit, quamuis duos CEDVALLAS statuat, alterum BRITANNORVM, alterum *Visisaxonum* Regem; nec Regnis solum, sed & temporibus distinctos, & longe dissitos: & à CEDVALLA BRITANNO, atque PENDA cæsum Regem *Northumbriæ* EDWINVM, ad annum sexcentesimum trigesimum tertium. Atque hæc quidē de CADOVALLADRO. De ceteris CAMBRIAE post eum principibus, nihil habeo quod liquido doceam. Quorum historiam *Caradocus Lancarmanensis*, ex CAMBRIA oriundus, ad quadringentos postea & amplius annos scriptis suis complexus traditur, quæ ego hactenus non vidi. Reliqua ergo persequamur.

Videlicet ad annum 600. libr. 3. pag. 61, Lib. 4. pag. 80. Sigeb. & Florid. an. 676 & 686. Galfr. Monum. th. sine hist. Bruti Hist. Cantabr. quam quidam asseribunt Nicolao Cantilupo. Ioan. Leland.

ID igitur satis constat; Christianam religionem, quam regnante LVCIO, & antiquioribus etiam, vt traditur, temporibus, hauserant; ad hæc vsque tempora inter eos perdurasse. Multis tamen erroribus & peruersis ritibus, qui circa tonsuram sacerdotalem, baptismatis,

sacerdotum

Sacerdotum & Episcoporum initiationem, legitimamque Paschatis obseruationem irrepserant (quod commune illis vitium cum *Scotis* & *Hibernis* fuit) valde his temporibus violatam & contaminatam. Neque hic eos audiendos puto, qui hos ritus ab ipsa primæ, atque nascentis in insula Christianæ fidei, informatione, ad eos a patribus per manus, illam maximè dissentaneam Paschatis obseruationem manasse: & ad AVGVSTINI vique aduentum passim in BRITANNIA obtinuisse contendunt. Nam cum insula palam publicéque, imperante primum LVCIO, operáque potissimum ELEVTHERII *Romani* præsulis, ad Christi cultum rituíque Christianos sit traducta; ELEVTHERII inquam illius, cui beatus Pontifex & Martyr VICTOR successit, qui propter perperam Pascha obseruatum *Asianos* anathemate confixit, constetque ELEVTHERIVM & ceteros præeuntes *Romanos* Pontifices, non aliter Pascha obseruasse quam VICTOR obseruarit, cum nulla ista istorum disceptatio, temporum aut veritatis ratione post fidem Christi, LVCIO præsertim imperante denunciatam, coniungitur. *Euseb. li. 5. c. 24. & 25.*

ACCEDIT iam & alia illustris confirmatio, quod ad CONSTANTINI *Magni* & *Nicenæ* synodi tempus, qua centuriatis (vt ita dicam) & amplissimis patrum totius Christiani, orbis suffragijs, paucæ illæ Orientis regiones, quæ in contrariam obseruationem aliquot annis incurrerant, ad æquabilem, rectum, communemque morem & vsum traductæ sunt, liquidò constat omnem reliquum orbem, & BRITANNOS præsertim nostros, rectum in Paschatis obseruatione cursum, ordinemque tenuisse. Quos, posterioribus illisque maxime temporibus, quibus *Saxones* insulam vastarunt, suoque maximà ex parte Dominio adiecerunt, error iste vt & *Hibernos* atque *Scotos* homines simplices & rudes, & ab ecclesia *Romana* longe remotos, inuasisse credendus est. Et recentem hunc fuisse apud *Scotos* errorem, IOANNIS *Romani* Pontificis literæ ad eosdem ostendunt. In quem facilè propter causas commemoratas, & inconstantem lunæ cursum, à qua hæc omnis obseruatio pendet, incidere potuerunt. Cum præsertim huius festi rite suoque tempore obseruandi, accurata ratio, doctissimorum hominum, qui diligentius præ ceteris, suas hac de re meditatas rationes habebant. ipsiusque adeo nonnunquam *Romani* Pontificis cogitationes impeditas & perplexas tenuerit: adeo vt ALEXANDRIAM ad homines, qui omnium exquisitissime eam rem ad calculum reuocare solebant, mittere cogeretur. In moreque positum fuit *Alexandrino* Patriarchæ, missis maturè literis, omnes ecclesias, de certo & stato die Paschatis antea informare. *Vt apparet ex literis Constantini apud Euseb lib. 3 de vita Const.* *Quæ extant apud Bedam li. 2. c. 19.* *Epistola Leonis 62. ad Martianum Augustum.* *Bed li 5 ca. 22.*

SED istis, huius & aliorum errorum facilis ad ignoscendum veniæ locus erat, si aliquis ipsis, cum opportune & idoneè ad emendationem admoniti fuèrant, errorem agnoscendi, veniamque deprecandi locus relictus fuisset.† A quo tantum aberant, vt non modo alios rectius sentientes non audirent, vt eos potius quasi sacros & execratos homines auersati sint; neque quicquam sibi cum illis, vel in mensa vel in hospitio habere commune voluerint. Quid? quod BRITANNI tam infesto ANGLOS odio prosequebantur, vt neque AVGVSTINO in aliis parere, neque communē illam operam in promouenda nascente apud ipsos fide, ad vllas illius preces ponere voluerint. Et hunc quidem istorum errorem, non solum amplissima patrum decreta, omniumque aliarum nationum, in vnum eundemque Paschatis colendi diem sancta conspiratio, & insignia sæpe, priorique præsertim sæculo in *Hispania* prodigia, cum fontes baptismatis, qui diuinitus ad sacrum Paschæ diem repleri solebant, non eo quem alij perperam, sed eo quem Catholici rite colebant die inundarent: accurataque AVGVSTINI cum eis, in synodo quadam in *Wigornensi* prouincia coacta, disceptatio; sed & cæci per eum illuminatio (cum id BRITANNI sacerdotes frustra tentassent) palam conuincebant. † *Alius ad quæ.* *Bed li 4. ca. 4.* *Vide Sigeb ann. 417 & Passionem inter epistolas Leonis post epistolam 63. de nouis modis pontificum. vide & Sophronium in prato spirit. cap. 114. & 215.*

ET licet non solum rationis, sed & miraculi huius magnitudo, illis eas voces exprimeret, vt saniora atque rectiora esse faterentur, quæ ab AVGVSTINO suggerebantur; adeo tamen animos inueterato errori affixos habebant, vt eum deponere, & in rectiorem AVGVSTINI sententiam transire noluerint. Causati non posse se à pristinis suis ritibus, nisi frequentiori suorum consensu accedente, discedere. Noua igitur & frequentior synodus indicitur, ad quam septem Episcopi, qui metropolitano *Menenensi* parebant (quorum, vt quidam tradunt, sedes erant, *Henefortensis*, *Tauensis*, *Paterniensis*, *Elutensis*, *Wiccensis*, ac *Morganensis*) cum celeberrimis ipsorum doctoribus conuenerunt; inter quos fuisse dicitur DIONOTVS *Bannachorensis* cœnobij (quod bis mille ducentis monachis abundabat) Præses. Sed tamen & hoc quoque tempore, omnis AVGVSTINI opera, omnis illius susceptа apud *Bed li. 2. ca. 2.*

eos cohortatio, sine fructu & inanis fuit: Prætexentes AVGVSTINVM hominem insolentiorem, fastúque plenum, qui nec ipsis aduentantibus assurgere, nec aliquod honoris & reuerentiæ signum ostendere voluerat. Aspernabantur igitur & hominis imperium, omnémque simul (licet sanam & rectam) hominis doctrinam.

AVGVSTINVS cum omnem se suam operam perdidisse, & BRITANNOS tam præfractos vidisset, indoluit quidem grauiter ob illam præsertim illorum pertinaciam, qua in Christiana fide tam necessario tempore propaganda, sanctas operas consociare recusabant. Moxque cœlitus afflatus, Videritis, inquit, qui iam prę insigni hac vestra inuidia & maleuolentia, æternam istis salutem, vitámque sempiternam annuntiare detrectatis; quomodo vos ad summum Dei olim tribuual expedieritis à tam graui, in fraternam salutem admisso scelere: neue præter æternam vobis repositam, temporariam quoque per violentas istorum manus mortem incurratis. Nec vana quidem fuit sancti viri prædictio, nec tarda Dei vltrix manus. ETHELFREDVM enim Regem *Northumbriæ*, post paucos annos in illos Deus ad vindictam immisit, qui immaniter prouinciam illam depopulatus est; & cum aliorum, tum ipsorum *Bannachorensium* monachorum, qui non procul ab exercitu suorum, Deum pro illo oraturi constiterant, grauem stragem (cæsis circiter mille ducentis) edidit. Quinquaginta salutem sibi fuga quæsierunt. Sed hanc stragem mors AVGVSTINI anteuertit. Nam quod quidam male feriati homines, & minuti (ne quid duriùs dicam) historici atque Theologi, & erga eum, cui post Deum ob annuntiatam nobis primum æternam salutem, maxime præ alijs mortalibus debemus, ingratissimi; non modò eum tum vixisse, sed & facem atque tubam fuisse illius belli, infirmis & ficulneis quibusdam rationibus, odiosè contendunt; pios omnes aduersus falsas, & tetras huiusmodi calumnias, aures animósque obstruere iubeo.

Beda li. 2. c. 4. INCVBVIT & LAVRENTIVS, *Cantuariensis* postea Archiepiscopus, in hanc prouinciam, vt hunc BRITANNIS errorem eriperet. Scripsitque sed parum illis fructuosas literas, quibus cohortatus est, vt se ad catholicam ecclesiam, communésque mores & ritus aggregarent. *Ioan. Leland.* Sunt qui & synodum ob eam illam causam in *Mona* insula habuisse tradunt. Tam refractarios verò, proximorúmque æternæ salutis inuidos homines, non solum ea quam dixi, sed & alia, eáque iusta Dei vltio perculit. ANGLORVM enim gloria, réisque præclare gestę, nobilésque successus, nouas & mirificas quotidie accessiones sumebant; eorumque res gestę, multorum monumentis, æternæ memoriæ consecratę sunt. Cum interim aut nihil à BRITANNIS egregiè, vt diximus, gereretur; aut quidquid illud erat, perpetua fere obliuione, scriptorum inopia, obrueretur. Quid? quòd perpetuis ANGLORVM depopulationibus, quorum illi animabus succurrere perfide detrectabant, ipsi, totáque illorum prouincia fœdè vastarentur, ipsique tandem sub ANGLORVM imperium prorsus redigerentur.

AD hæc, vt vnum peccatum aliud ex se trahit, & non solum peccatum est, sed pœna etiam sæpè peccati; isti in longissimis diuturnæ suæ perfidiæ tenebris iacebant, clarissima catholicæ veritatis luce non solum inter ANGLOS, sed & inter *Scoros*, qui in eodē aliquandiu, quod dicitur, luto, & errore cum eis hærebant, gloriosè illucente. Nam istos ante *Bedæ* obitum resipuisse, & hilare atque cupide ecclesiæ se catholicæ coniunxisse, cū illi interim pristinis errorum sordibus contaminarentur, satis constat. *Bed li. 5. c. 21. 23. 24.* Quod totū iustis sanè, & æquis diuina prouidentia rationibus struxit, & mirificè gubernauit; vt isti, qui lubentes communē operam in disseminando apud vicinos Euangelio impendebant, maturiùs, idque ANGLORVM beneficio, qui gratiam pro gratia reponebant, ad ecclesiæ vnitatem redirent: Illi propter inuidiam & maleuolentiam, qua suffusi proximorum saluti consulere detrectabant; in longioribus, sed iustis ignorantiæ atque perfidiæ suæ tenebris, hærerent. Hæc habui quę de BRITANNIS siue WALLIS hoc loco dicerem, & nihil ferè præterea illustrius, præter eos quos iam recensebo.

FVIT itaque quidam scilicet Anonymus, qui diui ALBANI vitam luculenter satis conscripsit. *Ioann. Leland.* Fuit DIONOTVS, de quo dixi, qui & ipse ab ETHELFREDO cæsus inter alios traditur. Recensetur & BEVLANVS præsbyter, discipulúsque ipsius, atque ELVODVGI PROBI NENNIVS, quem fuga elapsum ex *Ethelfrediana* illa strage tradunt, fuisséque FINANI *Lindisfarnensis* educatorem, & ex libris scriptis nobilitatum. Recensetur & SAMVEL presbyter cum ELBODO *Venedotarum* Archiepiscopo, qui suos BRITANNOS & *Scoros*, propter peruersam Paschatis obseruationem, scriptis impugnauit. Recensetur

fetur & ASAPHVS, qui vel hoc ineunte, aut vergente, & vertente ferè posteriore sæculo inclaruit, KENTEGERNI discipulus, & sub eo in *Elmensi*, siue *Elguensi* cœnobio, vbi & Episcopatum KENTEGERNVS fixit, monachus. Ex illustri ille quidem BRITANNORVM stirpe & genere: Quod tamen suis virtutibus, doctrina, signisque diuinitùs edendis magis illustrauit. Cum itaque ob singulares animi corporisque dotes ceteris emineret, KENTEGERNVS cœnobii primum illi curam delegauit, successorem deinde illum sibi in Pontificio munere adoptauit; à quo diœcesis illa, quam sanctissimè administrauit (quæ *Asaphensis* hodie dictur) nomen suum sortita est. Scripsit inter alia præceptoris & decessoris sui KENTEGERNI vitam. *Ioán Capgrauus in Kentigerno.*

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ ANGLICANAE. OCTAVVM SÆCVLVM.

De Romanis Pontificibus, de Imperatoribus, deq; VITHREDO & aliis regibus Cantiæ.

CAPVT PRIMVM.

PONTIFICES, qui hoc sæculo sacerdotio functi sunt, hi fuere: IOANNES sextus, IOANNES septimus, SISINNIVS, CONSTANTINVS, GREGORIVS secundus, GREGORIVS tertius, ZACHARIAS, STEPHANVS secundus, STEPHANVS tertius, PAVLVS, STEPHANVS quartus, HADRIANVS, Imperatores hi fuere: *Heraclius, Philippus Anastasius, Theodosius Leo, Constantinus* sextus, *Constantinus* septimus. WITHREDVS autem Rex *Cantiæ*, hoc sæculo & Remp. egregiè domi gubernauit, foriſque fortiter defendit, & religionē sanctissimè per triginta tres annos coluit. humatus est cum ceteris suis decessoribus, in cœnobio diui AVGVSTINI, sed postremus Regum qui ibi sepultus est. Ad cuius felicitatis magnam accessionem, adiungitur & filiorum ipsius bona, & moderata gubernatio. E quibus EDBERTVS viginti tribus, ETHELBERTVS vndecim, ALFRICVS triginta quatuor annis feliciter regnarunt. Sed vt nullum in rebus terrenis bonum solidum & perpetuum est, ita post eorum obitum, adulterinum degenerum Principum genus exortum est, qui se & Rempub. penitus pessum dederunt. ETHELBERTVS enim à *Mercys* bello captus, & diu apud eos detentus, tandemque remissus, à suis prorsus reiectus est. CVTHREDVS octo annis nomine tenus imperauit. BALDREDVS se, suosque omnes, belllo superatus in manus, atque potestatem EGBERTI *Vissaxonum* Regis, transmisit. Ita desitum est in *Cantia* regnari, post annos trecentos septuaginta quinque ab Imperio ibi primùm constituto, ad annum Domini quadringentesimum quadragesimum sextum.

Vitas Onuphrius recenset in chron. Ecclesiastico.

Guil. Malm. de Regib.

De BRITHWALDO, EADWINO, NOTHELMO, CVTHBERTO *Archiepiscopis, Deque Synodo* Glouesshoënsi.

CAPVT II.

THEODORVM excepit BRITHWALDVS, *Cantianam* regionem gubernante WITHREDO. Permansit in ecclesiastica administratione triginta septem annos, menses sex, dies quatuordecim, obiitque anno septingentesimo trigesimo primo, quarto iduum Ianuarij. Vir (inquit *Beda*) scientia scripturarum imbutus, & ecclesiasticis simul ac monasterialibus disciplinis summe instructus. Quidam tradunt eum fuisse *Glasconium*, & in celebri ea societate educatum, tandemque post WORGRESIVM, quartum illius loci Abbatem. Synodum habuit *Londini*, in qua imaginum adorandarum causa tractata est, de qua apertius cum ad Occidentales Episcopos ventum erit disseretur. Ordinatus vero est a GODWINO *Galliarum* Archiepiscopo, ad annum sexcentesimum nonagesimum tertium. Scripsit vero BRITHWALDVS de origine cœnobij *Eueshamensis*, vitamque EGVINI *Victiorum* Episcopi. Post BRITHWALDVM Episcopum EADWINVS & NOTHELMVS eam sedem

Bed. li. 5. c. 9. & sin quem Boitwaldū *appellat.*

Ioan. Leland.

Flor. an. 693.

sedem obtinuere. Illum in sua *Dorouernensi* DANIEL *Wentanus*, INGVALDVS *Londinensis*, ALDVINVS *Lichfeldensis*, ALDVVLPHVS *Rossensis*, consecratunt. Fuit ex prouincia *Merciorum*, *Brenutonensis* monasterij presbyter, vir religione & prudentia insignis, & sacris literis nobiliter instructus. Eodem autem quo *Beda* anno, videlicet septingentesimo trigesimo quarto, post tres annos administrationis suæ decessit. *Beda dict. c. fina'i.* *Gul. Malmes. de Pontif. li. 1.*

AT NOTHELMVS *Londinensis* prebyter, virtutis doctrinæque suæ commendatione, postea *Dorouernensem* sedem adeptus est. *Romam* aliquando præfectus, ea monumenta ex scrinijs retulit, quæ *Bedæ* in ecclesiastica historia concinnanda vsui fuere. Post tres annos administrationis suæ defunctus, successorem nactus est CVTBERTVM *Magesetum* ad annum Christi septingentesimum quadragesimũ, *Herefordensem* antea Episcopum; qui accepto pallio DVNVM *Rossensem* consecrauit, perdurauitque in gubernatione sua septemdecim annos. *Beda in præfat. hist. 4ta.* *In epitome additâ hist. Bed.*

Coëgit CVTHBERTVS synodum apud *Clouesho*, ad annũ Christi septingentesimũ quadragesimum septimum. Cui ETHELBALDVS Rex *Merciorum* interfuit, multáque ibidem sancita sunt, & inter cetera, vt septem canonicæ horæ singulis diebus, Rogationũmque dies maiorum ac minorum, annuáque GREGORII, atque AVGVSTINI memoria celebriter obseruetur; & quatuor temporum (vt appellant) ieiunia. Maximam huic concilio cogendo occasionem dedit BONIFACIVS *Moguntinus* Archiepiscopus ANGLVS, & postea sub ipso Pontifice Martyr, qui tam Regem ETHELBALDVM quàm CVTHBERTVM accuratè cohortatus est, vt nihil prætermitterent curæ atque diligentiæ, in Cleri & Laicorum peruersa vita, de qua iam malè passim audiebant, in meliùs reformanda. Omnium vero primus humatus est CVTHBERTVS in Ecclesia Seruatoris *Cantuariæ*, & non in cœnobio diui AVGVSTINI, vt ceteri decessores; qua de re, grauis inter cœnobitas eius monasterij, & monachos Seruatoris orta est controuersia. *Gul. Malm. de Regib.*

De commemorato BONIFACIO *Archiepiscopo* Moguntino, *&* Germaniæ *Apostolo.*

Vitam Bonifacii conscripsit Willibaldus primus Eistetensis Episcopus, & post eum quidam magna fide, qui tamen nomen suũ suppressit. Multa de eo Ioannes Auentinus li. 3 histor. Baiorum. Ex quibus nos nostra desumpsimus.

CAPVT III.

IAM quoniam BONIFACII mentionem fecimus, visum est aliquid hoc loco de eo & alijs ANGLIS, qui vtilem & salutarem operam, in traducendis hoc sæculo ad Christianam fidem Germanis, & alijs populis collocabant, enarrare. Postquam ANGLI, ex *Germania* profecti, BRITANNIAM insulam occupauere, nomenque illi suum indidere, longe felicissima commutatione (regionem enim rebus omnibus ad vitam abundantem, rectamque postea opera AVGVSTINI, fidem adepti sunt) multi pij viri, etsi se beatos merito hinc putarent, tantorum bonorum tam luculenta accessione; aliquid tamen ad cumulum felicitatis deesse putabant, quod antiqua, quam reliquerant, patria, adhuc damnata religione obcæcata detineretur. Quæ cogitatio atque cura, cum multorum pectora versaret & exerceret, tum præcipue WENEFRIDI, siue vt quidam eum appellant VINOFRIDI, qui BONIFACIVS postea appellatus est. Qui etiamnum puer, cælestis sapientiæ, vitæque perfectioris miro amore rapiebatur, adeo vt suum patri desiderium patefaceret. Quod patri eius mirum in modum displicuit, à quo eum partim blanditiis & ingentibus promissis, partim minis frustra deterrere conabatur. Cuius tandem constantia fractus, ad cœnobium illum *Adescancastter* transmisit, *Wosthardóque* eum commendauit cœnobij Præfecto, prope quod oppidum circiter sex millibus passuum natus est, *Cridioduni* in comitatu *Deuonienſi*. Insigniter illic pro ætate in literis, & omni pietatis progressu profecit. Cúmque immenso quodam sacras, & alias litteras cognoscendi desiderio flagraret, neque sitim illam suam eo loci, propter doctorum virorum inopiam explere potuisset, bona Præfecti & fratrum venia, ad *Nutscellum* cœnobium profectus est; vbi maximas sub WINBERTO Abbate in sacris, & aliis disciplinis, omnique virtute progressiones fecit.

QVO loci sacro sacerdotio, circiter tricesimum ætatis annum ornatus est; fuitque, doctrinæ virtutisque ergo, in ea regione adeo venerandus; vt cum eo tempore, ob quasdam ecclesiasticas controuersias, synodus coijsset, & decreta quædam sanxisset (quæ tamen *Cantuarienſis* Archiepiscopi, quasi honorario suffragio submisisset) Regis synodíque consensu, ille potissimum deligeretur, qui cum Archiepiscopo de re tanta tractaret. Quod negotium

tium tam commodo, & dextrè confecit, vt magnam propterea apud omnes ordines gratiam iniret. Ille vero cogitationes illas pias, quas iam diximus animo inclusas, retinens, continuéque apud se versans, perficeréque summopere desiderans; rectéque intelligens, omne bonum eo cumulatius & absolutius, quo communius, omniúmque bonorum maximum atque augustissimum illud, quo ad diuina & Deum, quo à tenebris idolorum, ad euangelicam lucem peruenitur: contemptis omnibus domesticis honoribus, omnique periculorum salutis, corporisque sui ratione, totus ad tam sanctum opus rapitur. *Germaniam* cogitat, vbi alij nihil vnquam de Christo, aut tenuiter; alij de Christo quidem abundè audierant, eiusque fidem professi fuerant, sed pænè ad idololatriam delapsi, & nomine tantum christiani, quales multi erant ex *Turingis*, *Boiarijs*, *Frisijs*, illos vt duceret, hos ad fidem vt detersis corruptelis reduceret. Traiecto itaque mari in *Frisiam* venit, vbi ille primũ & vltimum euangelij laborem posuit. Eo autem ipso tempore RATHBODVS *Frisiorum* princeps, superato *Francorum* Rege CAROLO, recens a victoria redijt; resque pessimè cum iis, qui prius in ea regione Christo crediderant, processit: quos ille odio CAROLI, & Christiani nominis, grauiter insectatus est

HVNC WENEFRIDVS licet ignotus, & apud sæculum abiectus, adire tamen tanta victoria inflatum, animosque erigentem, in medio victoriæ cursu non dubitauit; & rogare vt a pauperibus, piisque vexandis se contineret, vt clementiam optimum principis ornamentum, vt fidem christianam, quæ vna vera & germana esset, amplecteretur. Christiani hominis audaciam princeps quasi reueritus, manus ab eo abstinuit. Ceterum BONIFACIVS cum post omnia tentata paruam, aut nullam spem boni alicuius in *Frisia* successus habuisset, in patriam reuertitur. Cumque WINBERTVS interea obiisset, cœnobij fratres omnia ad eum sua vota studiáque deferunt, rogantque vt cœnobij præfecturam susciperet. : sed ille vetus illud suum desiderium perficere cupiens, rogabat vt de alio præfecto dispicerent, & se peregrinatorem, quod optabat, esse sinerent. STEPHANO igitur, per DANIELEM Episcopum, in defuncti locum surrogato, ipse re cum DANIELE communicata, literisque commendatiis Episcopi munitus, veterem peregrinationem repetiit. Quóque maiore & consilio, & authoritate instructior, semen illud euangelicum sereret, ROMAM profectus est, GREGORIOque *secundo* propositum suum aperuit. Quod cum probasset, hominémque illi functioni accommodum videret, cum literis in *Germaniam* dimittit, quibus potestatem illi indulgebat, Hominibus à Christo alienis, fidem euangelicam per *Germaniam* denunciandi. Admonuítque, vt si quid impeditius accidisset, vnde se commodè expedire non posset: id ad sedem Romanam referret.

REVERSVS itaque diuertit ad *Thuringas*, & tum apud prouinciæ Principes, sacris suis concionibus, tum apud sacerdotes, qui flagitiosè & turpiter viuebant, quos ad emendationem vitæ cohortationibus suis perduxit, perutilem posuit operam. Audita deinde RATHBODI morte, in *Frisiam* contendit, multósque ad Christi fidem ab idolis traduxit. *Traiectensem* tum sedem WILLEBRORDVS (de quo vberiùs mox agemus) administrabat, homo prouectissimæ ætatis; qui ad BONIFACIVM, qui triennio iam in propaganda Christi doctrina, strenuam operam in illa regione posuerat, Pontificiam suam dignitatem, cui propter ætatis magnitudinem impar erat, transferre omnino cogitabat: sed nulla ratione BONIFACIVM, ad id muneris suscipiendum, inflectere potuit. Proficiscitur deinde BONIFACIVS in *Hassiam*, siue in *Catthorum* prouinciam, in qua multa animarum millia Christianæ fidei lucrifecit: certioremque facit *Romanum* Pontificem de rebus omnibus, nec ita multo post *Romam* ab eo accitus venit, quem ille humanissimè excepit, sæpéque ad colloquium admisit, in quo nonnunquam integrum pæne diem ponebant.

PONTIFEX vbi felices illius in re euangelica promouenda progressiones, fideique suæ rationem, quam scripto complexus Pontifici obtulit, accuratè didicisset; eámque catholicæ ecclesiæ satis consentaneam vidisset, vt maius aliquod illius concionibus pondus, & authoritatem adiungeret, Episcopum illum ordinauit. In qua ille initiatione, Deum opt. Max. sacrumque diui Petri, ad quod astabat, corpus religiosè contestabatur, se catholicæ fidei sinceritatem integram, atque illibatam per omnem vitam conseruaturum; Romanæque ecclesiæ Pontificibus, vt diui Petri successoribus, officiosè pariturum; nullas se vitæ rationes cum illis Episcopis habiturum, qui sacra Patrum & Canonum placita violarent. Dimittit eum deinde GREGORIVS cum litteris ad CAROLVM MARTELLVM, ad Episcopos, Clerum, Principes, Populúmque *Germaniæ*; quibus BONIFACIVM (nam id ei nominis

iplius

ipsius actionibus consentaneum, in sacra initiatione pro WINIFRIDO indiderat) illis accurate commendat; rogátque vt operam, quam in promouenda re christiana positurus esset, sua singuli ope pro re nata proueherent, eiusque dicto & admonitionibus parerent. Multa vero de varijs rebus, quæ ad negotia ecclesiastica spectabant, discedenti mandata dedit. Et vt paratior & instructior esset ad omne Pontificium munus, donauit discedenti librum, qui Pontificum & Patrum scita complectebatur. Rediens itaque à *Roma Hessos* rursus adit, vbi multi adhuc in ethnicæ suæ perfidiæ antiquis tenebris iacebant; multi qui Christo nomen aliquando dederant, aut susceptam fidem perfidè proiecere, aut sceleratis atque detestandis Ethnicorum actionibus & superstitionibus, nefariè commacularunt.

ERAT in ea regione arbor quædam immensæ molis, quæ *Iouis* arbor vocabatur, in loco qui *Geismere* dicebatur, quam pagani superstitiosè colebant. Eam igitur, vt præcipuum quoddam superstitionis ethnicæ monumentum, excindere & euertere BONIFACIVS aggressus est. Qui conatus cum mirificè illorum animos exulceraret, correptis armis pium virum opprimere cogitabant. Ille vero cum arborem sensim excidere occœpisset, ecce tibi, diuina quadam vi in quatuor partes fissa est. Quod spectaculum adeo emollijt feros homines, vt abiectis erroribus Christianam fidem susciperent; quæ magnas, ab eo tempore, accessiones indies accepit. Cui felicitati & res in *Thuringia*, pari paulo post successu respondebant; vbi multum illi negotij, pseudochristiani *Dorthuuinus*, *Bertherus*, *Erimbertus*, & *Humedus* aliquamdiu exhibebant, homines scortationibus, adulterijs, & aliis flagitijs obruti: Quos ille tandem, anathemate inustos profligauit. Dum ibi versatur, sedulámque sacris concionibus, & baptismis operam dat, MICHAEL *Archangelus* se illi visendum præbuit, valdéque hominem consolatus est. Quo etiam loci in summa cibi inopia, auis quædam piscem illi insperato detulit. Hæc apud flumen *Oraham* ita accidêre; quo ille postea loci cœnobium, quod est in *Ordorffe*, in memoriam & honorem Archangeli construxit. Re igitur Christiana luculentis accessionibus quotidie augescente, cum magna esset, præ tanta messe, operariorum penuria, BONIFACIVS ex ANGLIA aliquot accersit, non viros modo, sed & feminas, qui tam sanctum institutum, tam feliciter progressum, consociatis operis promouerent, quorum postea nomina recensebimus.

DEFVNCTO interim GREGORIO, GREGORIVS alter *Romanam* sedem capessit, ad quem BONIFACIVS nuntios misit, per quos, & suum erga eam sedem GREGORIVMque obsequium, obseruantiamque contestabatur; & simul, quid à se in *Germania* gestum esset, significabat: consiliumque multis de rebus expetebat, De quibus per litteras ille non modo sigillatim respondit, sed & misso præterea pallio honestauit. Inuisit deinde *Boioariam* BONIFACIVS, cui *Hubertus* dux tum præerat, & sacris concionibus, atque *Ernwolpho* hæretico, qui multos corruperat, ab ecclesia proiecto, rem christianam multum ibi prouexit. Nec ita multo post *Romam* iterum profectus est, vbi cum ab alijs, tum à Pontifice amplè & honoratè habitus est, dimissúsque est cum litteris commendatitijs Pontificis, ad omnes omnium hominum, tam sacrorum quàm profanorum in *Germania* ordines. Reuersum dux *Boioariæ Vtilo* ad se, ecclesiarum ibi rectè constituendarum gratia, euocauit. Erant enim qui partim sacerdotij, partim Pontificias sibi partes, à seipsis creati impudenter arrogabant, varijsque populum erroribus contaminabant: quos ille ex illa regione protrusit, magnáque cautione & prudentia, huiusmodi in futurum fallacijs occurrit; Prouincia in quatuor parœcias distributa, quam vnus solummodo prius Episcopus *Patauiensis* administrauit. Adiunxit itaque BONIFACIVS *Salisburgensem*, *Frisingensem*, & *Ratisbonensem*; quod eius factum GREGORIVS Pontifex per litteras confirmat, sublatísque ad cælum manibus, immensas se Deo gratias agere significat, ob sementem euangelicam tam feliciter per BONIFACIVM in *Germania* iactam, vbi ad centum millia animas Christo lucrifecerat.

CAROLO autem *Martello* iam mortuo, res *Francix* CAROLOMANNVS cum fratre PIPINO, CAROLI filio administrabat. CAROLOMANNVM itaque natu maiorem BONIFACIVS adit, eumque ad paternæ pietatis, erga Dei ecclesias æmulationem, accurate hortatur: quem ille, nihil in ea re à patre degenerantem inuenit. Rogat itaque BONIFACIVM vt synodum cogat, per quam disciplina ecclesiastica (immane quantum tam in Clero, quàm profanis hominibus lapsa) ad exactam Canonum obseruantiam reuocetur. Ad octoginta enim annos nulla ibidem synodus habita fuit; Canonum decreta passim iacebant; Ordinationes Episcoporum ab ijs expediebantur, qui nullam ordinandi potestatem habebant; ad sacerdotia & Pontificium munus, sine delectu, fornicationibus & alijs criminibus obruti se

obruti se ingerebant. Multa itaque in ea synodo (cui ille ex ZACHARIÆ Pontificis *Romani* authoritate præfuit) ecclesiæ apprime salutaria decernuntur; & inter alia, ne Episcopi aut sacerdotes, præter dignitatis & officij sui rationem in militiam, nisi ij tantummodo qui sancta sacrificia in exercitu peragerent, lapsisque & pœnitentibus, post sacram peccatorum exomologesin pœnitentiam indicerent, proficiscerentur. Multi autem vitæ turpitudine, aut peruersæ doctrinæ magisterio notati, de gradu deiecti sunt; atque inter alios, duo insignes damnatorum dogmatum magistri, *Clemens* & *Adelbertus*, item *Gerulio Moguntinus* Episcopus, qui patris occisorem sua manu insidiose peremerat, cui principes fratres BONIFACIVM substituunt. Et vt magis eum eiusque sedem ornarent, non eam modo eximunt ab eius ecclesiæ iurisdictione, cui prius parebat; sed & principem, & metropolim omnium *Germaniæ* ecclesiarum constituunt, missisque *Romam* Legatis, illius etiam sedis honorario suffragio decreta sua constabiliunt.

AT BONIFACIVS nihil adeo prioris diligentiæ imminuit, vt cum honoris accessione eam multo magis auxerit crebris concionibus, frequentibúsque & difficillimis ob eam causam itineribus, noua cœnobia, nouas ecclesias exædificando, nouósque Episcopos, vbi nulli prius, præsertim apud *Wirzburge*, *Buriburge*, & *Erphesfort* sufficiendo; quos & ZACHARIAS confirmauit, cuius multæ extant ad BONIFACIVM, & ad Episcopos principésque viros, ad eum ornandum & amplificandum; variæque rursus ad ZACHARIAM, de multis ad causas ecclesiasticas quæstionibus spectantibus litteræ; de quibus prolixius agere, propositum nobis non patitur compendium. Commemoratos vero *Adelbertum* & *Clementem* Scotum natione, non tam Episcopos quam aposcopas, & verius apostatas, ZACHARIAS etiam *Romæ* per synodum damnauit. *Adelbertus* ille, nouam quasi apotheosin, instar *Simonis* illius, adhuc viuo sibi concinnabat, & Apostolis atque martyribus in ordinem redactis, neque dignatus ecclesias in eorum honorem dedicare, templa ad suum ipsius honorem consecrabat, aut potius conspurcabat; vngues suos, & capillos fascinato populo dedit, quibus pro sacrosanctis reliquijs veteretur. Cumque populus supplex se ad illius pedes proijceret, ad exomologesin peccatorum faciendam, Frustra (inquit) vos mihi ea enunciaretis, qui expedite iam ea omnia, & ad vnguem teneo, à quibus ego vos omnibus libero & expedio. Securo itaque & tranquillato animo domum redite. *Clemens* vero præ se non modo ceteros illius sæculi doctos & pios Episcopos: sed & *Gregorium*, *Augustinum*, *Hieronymum*, Conciliáque omnia miro fastu contemnebat, & præter alia opinionum monstra, miris blanditijs, & blanda titillatione in stulti populi aures, animósque concionando influebat, cum certa omnibus salutem, etiam idolorum cultoribus (quos cum alijs Christum, in suo ad inferos descensu, liberasse aiebat) polliceretur.

BONIFACIVS vero, etsi tantis támque infinitis curis in *Germania* vndique distineretur, non tamen omnem cogitationem aut curam ANGLIÆ suæ deposuit; vbi cum multa tam ab Episcopis quam Regibus, perperam & vitiosè agi intelligeret, illos sui per litteras officij admonuit. De quibus nos, cum ventum erit ad Reges *Merciorum*, prolixius narrabimus. Aduentabat iam BONIFACIO tempus illud, quo tantorum laborum à Christo remunerationem caperet, sementisque euangelicæ prædicationis per eum iactæ, amplissimum fructum. Quare suggerente spiritu sancto *Frisiam* repetit, vt ibi vltimum humanorum suorum operum poneret; vtque vbi initium, ibi & finem euangelicæ prædicationis, & terrestris simul huius vitæ faceret. Profectus itaque eò est, non sine omine quid sibi immineret. Profecturus enim LVLLVM Achatem suum, si quid humanitus sibi contigisset, *Moguntinæ* sedis successorem suffecit. Admonet vt incœptam à se *Fuldensis* basilicæ ædificationem strenuè vrgeat, vt cum libris linteum, quo mortui corpus inuolueretur transmitteret; vt denique demortuum corpus *Fuldam* transferri curaret. Hæc audita, LVLLO lacrymas exciêre.

CVM ad *Frisiam* peruenisset, maximam multitudinem ad Christum perduxit, & per baptismum illi consecrauit. Discedentibus qui erant baptizati, indixerat reditus diem, quo per manuum impositionem chrismate confirmarentur. Cæterum neophyti, à fide quam susceperant, scelerata perfidia interea recesserant; iamque non quieti & tranquilli, vt spiritum sanctum per manus impositionem acciperent, sed cum telis & armis, vt spirituali patri, pro cuius salute vel vitam profundere deberent, socijsque nefarias manus inferrent, aduenere. Fuerant ex famulis BONIFACII, qui se ad resistendum parabant, quibusque omnis honesta ratio videbatur expediendæ salutis; sed eos coercuit BONIFACIVS. Non conuenire

dictitabat

dictitabat vt se vleiscerentur, aut tam pulchram præclarámque moriendi, martyriique occasionem, vllo modo amitterent; néue sibijpsis tantam gloriam inuiderent. Cæsus itaque est BONIFACIVS, cum Coëpiscopo EOBANO (quem antea ordinarat) sociisque quinquaginta, sexagesimo ætatis anno, à nato Christo septingentesimo, quinquagesimo quinto, nonis Iunij, & peregrinationis suæ anno quadragesimo. Corpus *Traiectum* delatum, tum *Moguntiam*, postremò *Fuldam*, vt præceperat. Quod ille cœnobium in vasta solitudine condiderat Benedictinæ disciplinæ monachorum, qui à vini potu, carniúmque esu abstinebant; nec seruorum opera vtebantur, sed suis ipsi manibus operabantur. Nefarios vero illos carnifices, diuina mox vindicta grauiter perculit. Reuersi enim, orta, vt fit, rixa in spolijs quæ cœperant diuidendis, mutuis se vulneribus confecere. Quique ex illis superfuerant, à Christianis postea occisi, iustas sacrilegij sui, & homicidij pœnas luerunt. Hic est ille BONIFACIVS, qui rogatus, an liceret ligneis calicibus sacrificare, respondit: Olim aureos sacerdotes ligneis vasis litasse, nunc versa vice, ligneos aureis vti.

De WILLIBRORDO *& alijs* ANGLIS, *qui partim ante* BONIFACIVM, *partim post eum in* Germaniam, *seminandi Euangelij causa profecti sunt. Deq;* LIOBA, WALPVRGA, *& alijs sanctis feminis illuc profectis.*

CAPVT IIII.

RECENSEBIMVS iã aliquot alios ex nobili illa ANGLORVM cohorte, qui ex omni ferè ordine, ætate, sexu, partim priùs, partim cum BONIFACIO, partim postea ad eum profecti sunt, vt iactam per eum euangelicam sementem ad opimam aliquam (vt postea contigit) messem communi labore proueherent. Exordiar à VVILLIBRORDO ceterorum id temporis principe, quos EGBERTVS pius monachus, de quo postea dicemus, in *Frisiam* Christi docendi causa emisit. Natus est in *Northumbria*, ex patre admodum pio, virtutique addicto. Ablactatus, traditus est monachis *Ripensis* ecclesiæ, vt ferè cum lacte pietatem sugeret. Postquam adoleuit, sponte id vitæ institutum amplexus est, nec æquales modò, sed longe prouectiores, omnibus illius vitæ officijs exactè obseruandis, vicit; quem adhuc puerum mira grauitas commendabat. Crescente ætate, creuit perfectioris vitæ desiderium. Quare cum eo tempore in *Scotia* cælestium, doctorúmque hominum societas floreret, eò profectus est, virtutis doctrinæque augendæ causa; séque sanctis viris EGBERTO & VVICBERTO coniunxit. Quam cælestem viuendi consuetudinem duodecim annis sequutus est, iam maiora animo concipiens, adeóque prouehendæ Christianę pietatis studio flagrans, vt se, propter eam, morti obiicere atque exponere non dubitaret. Cum duodecim socijs *Frisiam*, eo tempore idolis addictam, petijt, tentaturus si quas animas ab ea seruitute abreptas, ad Christi libertatem transferre posset. Cuius sancto desiderio prosperos Deus dedit successus, maximè postquam præclari *Francorum* Ducis PIPINI auctoritate, patrocinióque ornatus est. Accessit & *Romani* Pontificis SERGII auctoritas, qui & eum *Traiectensis* sedis Episcopum constituit, & commutato nomine CLEMENTEM appellauit, anno sexcentesimo nonagesimo sexto. Maxima itaque per eũ in *Frisia* Christianæ fidei accessio facta est. Nec *Frisijs* modò, sed & *Batauis*, atque *Flandris* Euangelium attulit. Decessit in monasterio suo *Epternacensi*, vt quidam arbitrantur anno salutis septingentesimo trigesimo sexto, (alij septingentesimo trigesimo nono, alij aliter) septimo Idus Septembris: vixisse certè eum constat, cum *Beda* Ecclesiasticam suam historiam absoluisset, triginta sex in Episcopatu suo annis perfunctum.

Bed. li. 5. c. 11. & 12. Sigeberti Luc. Meierus rerum Bland. tom. 1.

COMMVNI cum eo opera & WVLFRANVS *Senonensis* Episcopus, apud *Frisios*, *Batauos*, *Flandros*, Euangelium promouebat. Cuius prædicatio, Duci *Frisiorum* RATHBODO non tã fuit fructuosa, vt alijs. Cum enim baptismo tingendus esset, rogauit WVLFRANVM, vtrum maior pars maiorum ipsius, qui Christũ ignorabant, infernũ an paradisum incoleret? cum respondisset, infernũ: retraxit pedem. Certe (inquit) & ego me maiori parti adiungã. Sed saluti ipse suæ mulier inuidit, non animę modò, sed & corporis. Nã intra triduũ mortuus, sensit quã impiè egerat, qui Christianã religionẽ ludos fecerat. Profectus est ante WILLIBRORDVM

in *Frisiam* WICBERTVS, ob pietatem, doctrinam, & monasticam vitam insignis; qui toto biennio RATHBODVM, populúmque frustra ad christianam pietatē hortatus, ad priorem solitudinem, quam in *Hibernia*, spontaneo, pietatis causa, ab ANGLIA exilio excoluerat, reuersus est. Profectus est rursus cum ipso WILLIBRORDO, & alijs, de quibus mox commemorabimus. Qui cum apud insulā *Fosciландiam* Christum nunciaret, mandante RATHBODO, captus, & exquisitis tormentis enecatus, palmam martyrij, quam ardentibus votis desiderabat, consequutus est. Præclarum WILLIBRORDI in propagando Euangelio studium, multi alij in exemplum traxêre. Inter quos erant duo HEWALDI qui diu è patria, in sancta illa, de qua diximus, WILLIBRORDI societate, voluntarij exules degebant. Pietate deinde producti *Frisiam* adiere. Vbi apud rusticum quendam diuersati, hymnis & orationibus vacabant, quotidie sacrificiū salutaris victimæ Deo offerebant, circumferentes ad eum vsum sacra quædam vascula, & tabulam altaris vice dedicatam. Rustici, qui erant in vicinia, cum intelligerent eos homines alienæ religionis, & ipsorum illos sacra contemnere, atque adeò abolenda asserere; impetu in eos facto, pios viros iugularunt, nono Octobris. Peremptorum corpora à paganis in amnem coniecta, aduerso flumine per quadraginta fere passuum millia, ad socios ipsorum delata sunt; singulisque noctibus, emicans è cælo insolita quædam lux ea illustrauit. Fertur fons eo loci ebullijsse, qui sanguinem eorum excepit. PIPINVS, vbi hæc intellexisset, curauit ad se martyrum corpora deferri, quæ honorificè *Coloniæ* condidit.

Marcell. in vita Swib.
Bed. li. 5. ca. 11.

RELIQVORVM, qui cum WILLIBRORDO profecti sunt, hæc sunt nomina. MARCELLINVS, GWIBERTVS, WERENFRIDVS, WILIBALDVS, WINEBALDVS, LEBVINVS, ADELBERTVS filius Regis Deirorum: Presbyteri omnes, præter ADELBERTVM, qui Leuita erat. SVIBERTVS vero, WILLIBRORDO *Romam* profecto, à reliquis in *Frisia* dignus est habitus, propter mansuetudinem & modestiam, qui Episcopus designaretur. Quare in ANGLIAM ab eis transmissus est, vt ordinaretur. Et quia *Cantuarien sis* tum sedes vacua erat à Pastore, à WILFRIDO sacro illo ordine insignitus est, reuersúsque paulo post, abijt ad *Boios*, non sine insigni Christianæ doctrinæ successu. Quibus, paruo post tempore, à *Saxonibus* bello victis, pij viri, qui se Christo consecrarant, fugam inire compulsi sunt; atque adeo SVIBERTVS ipse, qui posito postea, apud insulam quandam *Rheni*, monasterio, ibidem ad vitæ finem permansit. Et hæc quidem de eo *Beda*. Cuius vitam MARCELLINVS, quem supra memorauimus, communium laborum pro Christo socius, & oculatus testis, præter *Ludgerum Monasterien sem* Episcopum, qui miracula post obitum illius patrata recenset, vberius conscripsit. E quibus nos iam paruam *Bedæ* accessionem dabimus.

Marc. in dicta vita Swib.
Bed. li. 5. c. 12.

Ex dicta vita Swib.

FVTVRAM itaque beati viri magnitudinem, stella, quam mater antequam nasceretur, per quietem nocturnam in cælo vidit, in *Galliam* & *Germaniam* radios longè latèque diffundentem, ipsúmque tandem matris cubiculum incredibili luce illustrantem, portendit. Natus est in *Morthumbriæ* regno ex splendidissimis parentibus, *Sigeberto* Comite et *Noirtingramiæ*, & *Berta* matre. In ipso statim puero magnarum, ad omnium admirationem, virtutum semina apparuerunt, quæ adulta ætate maturauerunt; tantóque perfectionis, & accuratioris vitæ desiderio flagrabat, vt monasticæ vitæ decimoquinto ætatis anno se dederit, ad cuius præscripta tam exquisite se formabat, vt virtutum illius fama vndique dispergeretur. Qua excitatus *Eboracensis* Archiepiscopus, eum ad se accersiuit, ecclesiæque suæ Canonicum, & *Dacorensem* postea Abbatem designauit. Sed necesse fuit omen matri oblatum impleri, stellámque illam non solum ANGLIAE, sed exteris etiam nationibus illucescere; lucéque sua *Galliam*, & *Germaniam* complere, gentésque varias, quæ in perfidiæ suæ tenebris iacebant, illuminare: *Frisios*, inquam, *Saxones*, *Batauos*, *Lotharingios*, *Westphalos*, *Danos*, & *Baioarios*. Qui in primo suo ad *Frisios* accessu, atrociter ab eis cæsus, in carcerémque abreptus, noctu per Angelum vinculis est exolutus. Quæ res audita, & alia multa, quæ mirificè per eum in dæmonibus profligandis, in morbis curandis, in mortuis denique resuscitandis Deus patrabat; Ethnicorum dura corda, valdè ad Christi fidem amplectendam emolliebant. Quæ non cum mortali vita obruta sunt, sed magis potius enituerunt; adeo vt non solùm plebei sed & principes viri passim opem illius, ad morbos & pericula discutienda, anxiè implorarint. Quam, magno suo bono, clarissimus ille Princeps PIPINVS, CAROLI *Martelli* filius, in summo vitæ periculo ab hostibus circumuentus sensit. Quo periculo defunctus, patroni mox sepulchrum officiosè nudis pedibus inuisit, magnísque donarijs ecclesiam *Verdensem* honorauit.

Ex Ludgero Episcopo monasterien si, de Sui berti miraculis post obitum.

honorauit. Sensit & *Bruno* quidam, solitus certis quotidie precibus eum sibi fauere; qui cum aliquando lætalibus vulneribus confossus in prælio, & inter cadauera derelictus, animam iam exhalaturus patronum ad opem appellasset: ecce SVIBERTVS Pontificis vestibus indutus ei se visendum obtulit, iussitque esse bono animo, vitam enim se illi a Deo impetrasse. Qui, ad omnem deinde stuporem, reualuit, & qua ratione curatus esset, CAROLO *Magno* significauit; & *Verdam* postea profectus, monachorum se societati ascripsit.

ET vt obsequio suorum clientium, bonam gratiam, ita hostibus meritam vindictam reposuit. Incenderant illius ecclesiam *VVestphali* & *Saxones* pagani, sacerdotesque atrociter trucidarant. Primus qui ignem immiserat *Ogellus* fuit. Qui cum de ea re gloriaretur, & SVIBERTO insultaret, repente non in lubrico aut salebroso, sed inoffenso & plano loco prolapsus ceruicem confregit. Quem cum socij in cœmiterio SVIBERTI humare vellent, terra effossa & egesta, mox sine humana manu in priorem locum regeritur, & reuoluitur. Quod toties accidit, vt re desperata, & diuinam vindictam agnoscentes, in *Rhenum* cadauer miseri prouoluerint. Obijt beatus Episcopus apud *Verdam*, anno salutis septingentesimo decimo septimo, ætatis sexagesimo nono, in cœnobio illo, de quo mentionem facit *Beda*. Quo postea loci LEO summus Pontifex, cum CAROLO *Magno* præsens, inter Diuos eum retulit, magnisque vtérque donariis ecclesiam ornauit.

MARCELLINVS supra septuaginta annos in hac glorioſa palæstra decertauit, magnámque *Frisiæ* partem ad suaue Christi iugum traduxit. Qui cum propter prolixam ætatem, corporisque imbecillitatem, à *Gregorio Traiectensi* Episcopo, *Traiectum* reuocatus esset, multi ad veterem perfidiam delapsi sunt apud *Aldensidum*, & alios vicinis locis. Quare ad eas rursus partes reuertitur, suaque diligentia perfidiam illam omnem excussit, illique labori feliciter ibi immortuus est. Qui, quo tempore hoc iter ingressus est, duos, quos horrenda lepra corripuerat, obuios habuit, qui eleemosynã, & stipem postulabant. At ille pro nummulo, quem expectabant, horrendum illum morbum, omnibus stupentibus ad id spectaculi, ab eis mox depulit, multâque ille alia admiranda designauit. *Ex eodem Ludgero.*

ACCA in *Angliam* postea reuersus, *Hagustaldensis* ecclesiæ Episcopus à WILFRIDO constitutus est; & ibi diem supremum obiit. LEBVINVS Episcopus martyrio functus est, prope *Gandauum*, pridie Idus Nouembris, cuius translatio celebratur septimo Calendas Iulii. VLFRIDVS magnam Christo multitudinem circa *Batauam* lucrifecit. Obiit apud *VVesterwic* idibus Septembris, præclaris in vita, & post obitum miraculis ornatus. WILLIBALDVS non solum *Romam*, sed & *Hierosolymam* adisse traditur. In *Bauariam* tandem profectus, quercubus vastæ solitudinis excisis, oppidum ibidem condidit, quæ *Dichsted* siue *Aystetum* ideo dicta est; vbi & ipse postea per BONIFACIVM Episcopatum adeptus, anno septingentesimo quadragesimo septimo, cum præclarè illum gessisset, obiit septimo Iulii. Cuius vitam conscripsit *Reginaldus* vndecimus *Aestatensis* Episcopus. WINEBALDVS eius frater, *Heynadamensis* Abbas constitutus est. Superest iam ADELBERTVS, EDELBALDI *Deirorum* Regis filius, nepos OSWALDI Regis & martyris; fuit *Traiectensis* ecclesiæ Archidiaconus; apud *Batauos* suam operam maximè posuit, Templum apud *Egmondam* construxit, vbi & obiit, septimo Calendas Iulii, ibique humatus. Multis, cum mortalem hanc vitam degeret, & multò illustrioribus miraculis Deus eum post obitum amplificauit, quæ ego ab aliis haurienda (ne iusto sim prolixior) relinquo. Atque hæc hactenus de duodecim hisce sociis. *Ex Marcellino.* *Hermannus Studensis ætate 6.* *Io. Aurea lib. 3. Boerum Marcel. in vita Swib.* *In dicta vita Swib. vide & vitam eius conscriptam per monachos Medelocenses, apud Surium mense Iunio.*

SED hic lectori scrupulum aliquem, qui eum forte alioqui torqueret, & aliquid forsan de authoritate & fide vel *Bedæ*, vel MARCELLINI minueret, eximendum putaui. Nec ille quidem in eo versatur, quòd contraria aut varia, de actionibus & rebus gestis duodecim horum cælestium legatorum, ipsi scribant: Sed omnis hæc varietas ab eo pendet, vtrum ab *Anglia* in *Germaniam*, ab EGBERTO monacho, quod *Beda* scribit, quem nos sequimur: an potius ab *Egberto Eboracensi*, quod MARCELLINVS tradere videtur, amandati sint? Nec ego quidem video, quin MARCELLINI hac in re, si fortè reconciliari non possent, authoritas præponderaret. At enim res tota, ni fallor, salua est; salua & illibata sua vtrique constat authoritas. Restituantur tantummodo suæ integritati MARCELLINI exemplaria, per imperitum quempiam corrupta atque contaminata. Quod dominus *Ioannes Molanus*, Sacræ Theologiæ *Louanij* professor (qui diligentem & vtilem operam in *Vsuardi* Martyrologio castigando, atque annotationibus illustrando, neque illo suo de sanctis *Belgij* indiculo potuit) coniectatus est. *Lib. 5 cap. 11.* *In vita Swiberti tom. 2 de vitis sanctorum apud Surium mense Martio.* *Ioannes Molanus in indiculo verbo Egbertus*

Neque hic solùm, sed & alibi adulteratum & deprauatumest exemplar, Illic præsertim, vbi paulo antè tradit CEDWALLAM Regem ANGLIAE (quem appellat CRADVVALLAM) cum OFFA Rege *Cantuariorum* ad annum sexcentesimum octogesimum nonum Romam profectum, & monasticæ vtrúmque vitæ initiatum; contra conspirantem *Bedæ*, & reliquorum nostræ gentis historicorũ consensum. Qui tradunt OFFAM, iam non fuisse *Cantuariorum*[a], sed *Orientalium Saxonum* Regem, aut certè Regis filium. Sunt enim qui putant eum monastica vita[b] regnum præuertisse. Nec hoc tempore, sed alio, nec cum CEDWALLA, sed[c] CHENREDO *Merciorum* Rege *Romam* profectus est. Sed nos istis dimissis, vrgeamus id potius, de quo controuertitur. Affirmamus itaque EGBERTVM monachum, vitiato exemplari falsò in Archiepiscopum transformatum. Cuius rei nobis est in promptu, & ex ipso MARCELLINO expedita probatio, qui tradit cælestes hos legatos, venisse primùm ex[d] ANGLIA *Traiectum*, anno sexcentesimo nonagesimo. Non potuére itaque ab EGBERTO tum Archiepiscopo mitti, qui adeò non fuit illo tempore Archiepiscopus, vt propius vero sit, aut non natum, aut vix natum. Atenim si fuisset tum Archiepiscopus, qui factum est, vt[e] *Beda* eum prætermitteret? Qui cum absolueret suam historiam ad annum septingentesimum trigesimum primum, WILFRIDVM constituit Episcopum. Quo tempore[f] WILLIBRORDVS triginta sex annos in Episcopatu *Traiectensi* transegerat. Huius autem WILFRIDI successorem[g], omnes EGBERTVM assignant. Non potuit itaque WILIBRORDVS cum socijs ab illo mitti.

a Bed li 5 ca 20 Flor. sine Matth. Westmon. Ioan Capgra. in Chronicis, Florent Wigorn. Malm. Polid. li 4.
b Sim. Dunelm. Henri. Hunting.
c Bed. dicto cap. 20. Gul. Malm. li 1. de Reg. cap. 78 Sim. Dunelm. Henr. Hunting. Floril. Polid.
d Cap. 6.
e Li. 5. ca. fin.
f Bed lib 5. c. 12
g Epitome addita Bedæ impresso. Floril. Gul. Malmes. Tho. Stob. de Ebor. Henr Hunt. Sim Dunelm. Asserius. Polid li 4. Vide commemoratam vitam Bonifacij.

NVNC itaque ad alios ANGLOS, qui ijsdem temporibus fidem Christi sua opera, & diligentia promouere, eamus. E quibus est LVLLVS, quem BONIFACIVS ex *Anglia* euocauit, qui omnia sua in eum officia, omnemque suam diligentiam ad doctrinam christianam in *Hassia*, *Turingia*, & alibi propagandam strenuè contulit, adque monachos *Fuldenses* instituendos amandauit. Amandauit eum etiam BONIFACIVS *Romam*, ad ZACHARIAM, negotiorum ecclesiasticorum expediendorum causa; qui ita ei in omnibus suam fidem industriámque probauit, vt eum ex omnibus potissimũm designaret, qui morituro sufficeretur: cui suffectus est anno Domini septingentesimo quinquagesimo sexto. Obijt trigesimo primo præfecturæ suæ anno, ad annum septingentesimum octuagesimum septimum inter Diuos post mortem à maioribus nostris relatus. Ad hunc *Beda* libros, ad consolationem peregrinationis scripsit. Est ex hoc numero WIRO *Detrorum* Episcopus; est PLECHELMVS Episcopus Candidæ casæ; est OTHGERVS Leuita; est præter ceteros[h] BVRCHARDVS, BONIFACII necessarius, à quo piè, & ingenuè ita est educatus, vt magno postea vsui, atque ornamento nascenti apud *Saxones*, & vicinas nationes fidei, fuerit. *Herbipolensis* primum ad annum septingentesimum quinquagesimum primum, postea *Wirzenburgensis* ecclesia ei commissa est. Huic CAROLVS *Magnus*, deuictis *Saxonibus*, duodecim nobiles adolescentes obsides sibi datos, vt eos liberaliter piéque informaret, tradidit, Post ecclesiasticam administrationem quadraginta annis nobiliter gestam, MENINGANGO successore designato, sex monachis secum assumptis, in castro HAHENBVRGE residuum vitæ transegit, ad annum vsque septingentesimum nonagesimum primum. Est & ex hoc numero[i] BVTA; est & GREGORIVS, qui ex ANGLIA accersitus, monachum professus est in *Collegio Crucis* prope *Vltraiectum*; & deinde *Moguntinus* Episcopus factus est: FRIDERICVS præterea *Cridiodunus*, BONIFACII ipsius nepos, qui & individuus ei comes adhæsit, *Traiectensis*, vt proximo sæculo ostendemus, Episcopus. Fuit & VITANVS seu WINCANVS *Anglus* ex hac societate.

h Herm. Stadel. etate 6. Ioan. Auent li 3. Ioan. Leland.
i Ioan Auent li 3. Boiorum. Ioan. Leland.

POST WILLIBRORDVM siue CLEMENTEM primum *Traiectensem* Episcopum, & BONIFACIVM martyrem, qui illi suffectus est, fuere & alij ANGLI, qui hanc hoc sæculo administrationem obiere; ALBRICVS videlicet, siue ALBERTVS *quartus*, & HERMAGARVS ex *Northumbria*, sextus eiusdem sedis Episcopus.[k] Inter alios vero BONIFACII socios, qui ex ANGLIA eum sequuti sunt, ad euangelicum in *Germania* semen serendum; fuit & SOLA monachus & presbyter apud *Fuldam*; cuius annua memoria celebratur tertio Decembris. Neque vir solum, sed & mulieres, virili plane masculóque animo, sese quoque tam longo, periculosóque itineri, nulla patriæ parentúmque ratione habita, vt suo vel exemplo, vel labore, feminis instituendis, informandisque prodessent, ad BONIFACIVM se contulerunt.[l] E quibus sunt TECLA, LIOBA, & CHVNITRVDA materterra LVLLI, cum WALBVRGA vel WALDOPYRGA BONIFACII nepte, sorore WILIBALDI: duæ priores in veteri *Francia*, sequentes in *Baioaria* ab eo collocantur. WALBVR-

Vide Ludgerum de monasteriis sua post obitum.
k Vide Vsuardi martyr. & add. 5. Decembr. & Hagiologium Vuicelij.
l Ioan. Auent. dicto lib 5. Vide Vsuard & addit. 5. Mart. & 28. Octobr. & Hagiol Wicelij.

GA vir-

ea virginum monasterio præfuit *Heidehemensi*, sepulta *Aichstadij*. E cuius ibi corpore oleum sudasse traditur. Obijt primo Maij. LIOBA vero præfuit *Bischofesmensi*, & *Stouersheimensi* monasterijs prope *Moguntiam*. Multa miracula non solùm viua fecit, sed & post mortē sepulta est in *Fulda* iuxta præscriptum BONIFACII vigesimo octauo Septembris. Hanc sanctam feminarum societatem ornabat CHVNILDA, & filia BEREGITHA insigniter doctæ, quæ ad *Turingos* missæ sunt.

NEC defuere in ANGLIA, qui martyrio BONIFACII apud *Frisiam* audito, vel ad promouendam Christi causam à BONIFACIO cœptam, vel ad ipsum, si ita res ferret, martyrium, toti inardescerent. E quibus illustris est WILLIHADVS, qui triginta duos annos in hoc nobili instituto, summa sua cum laude, magnóque animorum fructu, non sine præsenti vitę periculo versatus est; egréque sortibus, qui mos fuit, vt Tacitus scribit, illius gentis, socijs occisis seruatus est, cum diu in hac sancta palæstra decertasset. *Saxonia* iam per CAROLVM *magnum* armis domita, summam omnium suarum cogitationum hic pius Princeps retulit, vt eam Prouinciam ad Christi fidem traduceret. Quod vt facilius conficeret, varios ibidem Episcopos, amplis reditibus authoritatéque ornatos, in ea Prouincia; scholásque tam Latinæ, quàm Græcę linguæ præsertim apud *Osnaburgam* posuit. Cumque iam de Episcopo *Bremensibus* designando consultaretur, visus est tam CAROLO, quam ADRIANO summo Pontifici, & LVLLO *Moguntino*, alijsque hominibus, WILLIHADVS ad idem munus accommodatissimus. Summis eam sedem CAROLVS priuilegijs amplificauit, & ne videretur magis sui, quam Christi causa illos subiugasse, *Saxones* omni exonerauit tributo, id solùm cauens, vt Deo & Pontificibus decimas integra fide redderent. Obijt vero post duos annos, & tres menses administrationis suæ, in hac sede, ad annum septingentesimum nonagesimum primum, & ad sextum idus Nouembris.

Crantius in Metropoli Saxoniæ lib. 2. c. 8. 7 & 8.

De BRITHWINO, LAMBERTO *&* ATHELARDO *Archiepiscopis; & metropolitanæ sedis* Cantuariensis *dignitate, per* OFFAM *Regem imminutæ, & paulo post restituta; &* Cantiani *regni sub* ALREDO *interitu, &* ALCVINI *epistola ad* ATHELARDVM.

CAPVT V.

REVERTAMVR iam ex *Germanica* nostra peregrinatione in ANGLIAM rursus. CVTHBERTVS itaque post decimum septimum gubernationis suæ annum, ad annum septingentesimum sexagesimum defunctus, sedem suam BERENGWINO, siue BRITHWINO viro prudenti, & docto reliquit; sed paulo post ad annum septingentesimum sexagesimum tertium, præmature ex mortali vita abrepto. Alij reijciunt mortem eius ad annum insequentem. BRITHWINVS successorem habuit LAMBERTVM, ALRICO siue ALFRICO *Cantiæ* imperante, Archiepiscopum, ordinatum ex Abbate diui *Augustini*. Eo Pontifice, quamuis nulla eius culpa, magna & indigna *Cantuariensis* sedis dignitati decessio facta, iniuriáque irrogata. Quam ille laboribus, sumptibúsque ingentibus, & tam vetustis quam nouis sedis suæ prærogatiuis frustra nitendo refringere, atque resarcire, in vanum conatus est. At eo ad annum septingentesimum nonagesimum primum, aut vt quidam ad septingentesimum nonagesimum quartum, morte intercepto, post vigesimum septimum Pontificatus annum, & apud monachos *Augustinianos* sepulto, successor eius ATHELARDVS in integrum omnia restituit. Fuerat is antea *Hludensis* monasterij Abbas, & *Wintoniensis* Episcopus, vir qui magnum lumen animi, ingenij, consilijque sui ostendit, magna industria, & summa apud proceres gratia. Rex *Merciorum* OFFA tam vitijs quam virtutibus ingentibus, cum regnum sibi vndique florentissimum constituisset, res quoque ecclesiasticas, aut animi & regni sui magnitudine metiens, aut certe vtrique *Cantuariorum*, id est ciuili & ecclesiasticæ dignitati inuidens; nescio quibus artibus, ADRIANO summo Pontifici obrepens effecit, vt veteri illa *Cantuariensis* dignitate imminuta & debilitata, splendoréque pristino obfuscato, metropolis apud *Lichfeldiam*

Gul. Malms. Florii.

An. 763. Flor.

Gul. Malmes.

Flor.

Gul. & Flor.

Idem.

Gul. Malmes de pontif. li. 1 Flor.

diam constitueretur: Cui reliqui *Merciorum* Wigornienſis, Legeceſtrenſis, Sidnaceſtrenſis, Herfordenſis, atque etiam Orientalis ANGLIAE Epiſcopi *Helmenſes*, atque *Dummocenſes* ſubiici cebantur.

a Floril an 780. Onuph. an. 786.
b Al. an 781
c Floril an 789. & Sim Dunelm. ſed an. 780.
† Alias Gregorias.
d Floril. 792. Sed Sim. Dunel apud Pincabale an. 787.

DVAE ſunt eo Pontifice habitæ ſynodi, altera apud *Chalthrith*[a] valde illuſtris, tum propter præſentiam[b] OFFAE Regis *Merciorum*, qui in eadem filium[c] EGFRIDVM diademate inſignitum, imperijque participem fecit; tum legatorum *Romani* Pontificis ADRIANI I. qui magno cum honore, ſplendoréque à Regibus, populóque vbique excepti ſunt; Quorum primarius fuit † *Georgius*, qui veterem fidem, quam à beato GREGORIO, per diuum AVGVSTINVM hauſimus, inſtaurabant & confirmabant. Qui poſtea nec ſine amplis donis dimiſſi ſunt. In hac[d] Synodo LAMBERTVS veterem ſuæ ſedis amplitudinem imminutam videre, déque iure ſuo propter maiorem potentiam decedere coactus eſt. Habita vero eſt altera ſynodus apud *Suehaie*. Sed mirè variant authores in ipſo harum *Synodorum* tempore. Magnam igitur hoc Pontifice, *Cantuarienſis* ſedes dignitatis ſuæ iacturam paſſa eſt, ſed longe grauiorem fides ipſa catholica apud totam *Angliam*, ſi quod à quibuſdam occinitur, *Matthæo* inquam *Weſtmonaſterienſi*, & *Simone Dunelmienſi*, aut potius eis veteratorie aſſuitur, verum eſſet: Oecumenicum videlicet *Niceæ*, de imaginibus Chriſti & Diuorum adorandis, paulo ante habitum concilium, noſtra, ſi dijs placet, *Anglicana* ſynodus penitus, vt verbo Dei ſinceræque fidei contrarium, reiecit, & graui cenſura, idque ALBINO præcipuas in hac ſcena partes agente, damnauit. Quam nos commentitiam & inſulſam fabulam, ſatis eſt hic attigiſſe. Sed iam reliqua de LAMBERTO perſequamur. Debilitatam diximus *Dorobornenſium* Epiſcoporum dignitatem, ſplendorémque offuſcatum, non extinctum, non obrutum, & exhauſtum; *Londonienſis* enim, *Wintonienſis*, *Seleſienſis*, & *Roffenſis* hunc ſolum Metropoliten, vt prius agnoſcebant. Ceterum ATHELARDVS hanc omnem labem induſtria, laboréque ſuo depulit, profectus ea gratia *Romam*, ad LEONEM ADRIANI ſucceſſorem; qui reſcidit omnia, quæ ADRIANVS his in rebus egerat. *Romanæ* enim eccleſiæ ſcrinia ſcrutatus repererat, GREGORIVM primum Beato AVGVSTINO duodecim prouincias, cum eorum Epiſcopis, in cauſis eccleſiaſticis ſubiecíſſe; cuius & ipſe decretum, per omnem poſteritatis memoriam ratum & illibatum eſſe miſſis litteris voluit.

b Al. an 781
c Floril an 789. & Sim Dunelm. ſed an. 780.
† Alias Gregorias.
d Floril. 792. Sed Sim. Dunel apud Pincabale an. 787.

Gul Mal. lib. 1. de Pont.

EANBALDVS *Eboracenſis* Epiſcopus, indignè tulit hanc *Dorobornenſis* eccleſiæ iniuriam, Quare coniunxit operam ſuam cum ATHELARDO, apud *Merciorum* Regem CHENVLPHVM, eumque adeo inflexit, vt non grauatè *Cantuarienſem* eccleſiam in priſtinam dignitatem reponi pateretur. Hanc ATHELARDI & EAMBALDI animorum coniunctionem, ALBINVS, intimus eo tempore in FRANCIA apud CAROLVM *magnum*, qui omnes eius in rebus ſacris cogitationes gubernabat, valde probauit; vt ex epiſtola ipſius (quę hodie cum alijs extat) ad ATHELHARDVM patet. In qua id quoque apparet, diſſuaſiſſe eum primo hoc iter ATHELHARDO, quippe qui maluiſſet domi eum manſiſſe vt eccleſijs, & ijs, qui in eis Deo inſeruirent, conſuleret: quorum, vt ipſius verbis vtar, vita magna ex parte diu corrupta viluit, & pænè laicorum vanitati coæquata erat, ita vt tonſura tantummodo diſcreta videretur; ceterum moribus multa ex parte conſimilis, ceu in veſtimentorum vanitate & arrogantia, & conuiuiorum ſuperfluitate. Verum accepta poſtea eius ſatisfactione, in ATHELARDI ſententiam totum abijſſe, miſiſſéque ſuos, qui ATHELARDVM in FRANCIAM *Romam* verſus peregrinantem, pro ratione dignitatis excíperent; imo equum ſuum inſtructum, cui ipſe equitando inſidere ſolebat, ATHELARDI vſibus inſeruire, ſi ipſi ita viſum eſſet, voluit. Monuit etiam, vt ſi forte CAROLVM regem adiret, ipſe cum ſuis ita ſe compararet, vt tam veſtitu, quàm moribus, quocunque pergeret, reliquis ſobrietatis, continentiſque vitæ exemplum præberet. Gratulatur etiam litteris reuerſo a *Roma*, quod votis potito omnia proſpere ſucceſſiſſent, tantamque inter *Eboracenſem* & *Cantuarienſem* metropolitanos concordiam, pacémque ANGLIAE eccleſijs poſtliminio redditam. Agit præterea cum eo, ne (licet omnia ETHELARDO repoſita ſint in integrum, reſtitutaque ei ordinandorum, de more, Epiſcoporum ſuæ prouinciæ authoritas) *Licifeldenſis* tamen Archiepiſcopus, quamdiu viueret, pallio ſpoliaretur.

Inter 90. Alcuini ſiue Alcuini epiſtolas 47.

ADcommendationem huius ATHELARDI ſatis erit pauca, ex epiſtola LEONIS commemorati: ad Regem CHENVLPHVM, delibaſſe, vbi eum ſanctiſſimum, chariſſimum atque pertiſſimum, & verum paſtorem appellat; qui valeret veram pœnitentiam iis, qui ſub ditione ſacerdotali illius erant, indicere, & offerre pro illis hoſtiam dignam, & immaculatam in

Cal. Malmeſ

latam in conspectu diuinæ maiestatis omnipotenti Deo. Designatus est autem ATHELARDVS *Cantuariensis* præsul, ad annum septingesimum nonagesimum septimum, sedítque tredecim annos. BALDREDVS his temporibus *Cantiæ* præfuit. Qui cum ad decimum octauum regni, & annum Domini octingentesimum decimum quartum peruenisset, ab EGBERTO *Visisaxonum* Rege, regno pulsus est. Atque ita deinceps semper *Cantianum* regnum apud eam gentem remansit, & in eius gentis regno consolidatum est. Dispari certe conditione à *Dorouernensi* ecclesia. Cuius luminibus licet *Lubfeldensis* falsio inanísque splendore ad tempus obstruxerit, antiqua tamen luce paulo post enituit. A quâ dignitate, ad nostram vique memoriam adeo nihil detractum est, vt non modo duodecim, iuxta GREGORII præscripta, sed duplicatum Episcoporum numerum sibi subiectum habeat. AT *Cantianum* regnum, quod trecentos septuaginta annos steterat, ita iam collapsum est, vt neque se postea vel ad minimas vires erigere potuerit. *Idem.*

De Cœnobijs & Monachis diœcesis Cantuariensis

CAPVT VI.

ADRIANO cœnobii diui AVGVSTINI præsidi, ALBINVS suffectus est dignus eo, & THEODORO Archiepiscopo præceptoribus discipulus; vir qui sacras literas, linguámque Græcam accuratè, latinam vero tam exactè, atque maternam ANGLORVM callebat. PRIMVS fuit ex nostra gente, qui illam cœnobij administrationem capessebat; ceteri enim hactenus *Itali* fuerant. Initiatus est in suo cœnobio (vt & decessores omnes, ex veteri instituto & priuilegio) ab Archiepiscopo BRITHOWALDO. Huic magna ex parte debemus, quod *Bedæ* hodie historia ecclesiastica fruamur, non solum quòd consilium illi dederit, perpuleritque sua suasione hunc laborem capessere; sed & quòd plurimum ad id operis commodè conficiendum, auxilij, corrasis vndique monumentis, quæ gesta diui AVGVSTINI, & aliorum discipulorum beati GREGORII in *Cantia*, & vicinis regionibus complectebantur; diligentique perquisitione alia, quæ in viua hominum memoria hærebant, & per manus tradebantur, perscrutatus suppeditarit. Quæ ille per NOTHELMVM, de quo diximus, partim scriptis, partim viua voce illi communicanda transmisit. Cum deinde ad annum Domini septingentesimum vigesimum secundum obiisset, NOTHBALDVS locum eius capessit, & huius ALDVINVS, qui à CVTHBERTO, suo in cœnobio, pro more consecratus est. Constitutum erat ab AVGVSTINO, variisque *Romanorum* postea Pontificum scriptis corroboratum, vt Regum, atque Archiepiscoporum corpora, in hoc cœnobio terræ mandarentur. Atque ita sensim *Augustiniani* omni illo suo veteri iure spoliati sunt. Et hæc quidem de hoc cœnobio. Constitutum vero est à WITHREDO Rege, apud *Doueriam*, hoc sæculo monasterium diui *Martini*, rebus, & possessionibus affatim ornatum. Celebris fuit hoc sæculo *Heddius Stephanus*, *Cantianus* monachus, canendi peritus, ob quam peritiam à WILFRIDO in *Northumbriam* inuitatus est, vt eas gentes sua peritia iuuaret, non solùm WILFRIDO, sed & ACCAE, atque abbati THATBERTO charus. WILFRIDI vero, ÆTAE, atque TVMBERTI vitam litteris mandasse dicitur. Claruerunt etiam hoc sæculo circiter annum septingesimum septuagesimum, GISLA, & RICHTRVDA sacræ virgines, perquam doctæ, ALBINIque *Eboracensis* discipulæ, quas quidam credunt fuisse *Cantianas*. Cœnobium vero de *Menstre* in *Taneto*, cui tum MILDREDA præerat, variis prædijs ornauit ETHELBERTVS Rex, WITHREDI filius.

Bed. lib. 5. ca. 22. Gul. Spina. de Abb. cœnob. dioc. Augus.

Beda in præfat. suæ histor.

Gul. Spina. Bed. li. 1. ca. 35.

Gul. Spina.

Gul. Malm. li. 1. de Regib.

Bed. lib. 4. ca. 2. Ioan. Leland.

Gul. Spina.

De Episcopis Roffensibus.

CAPVT VII.

SVCCESSIT GEBMVNDO TOBIAS à BRITWALDO Archiepiscopo consecratus, vir ampliore & honoratione sede, si locus hominem, & homo locum non commendaret, dignissimus, qui THEODORI & ADRIANI discipulus fuit. Quantum vero sub his præceptoribus profecerit, luculenter ostendit *Beda*, qui cum omnium humanarum, diuinarúmque rerum scientissimum

Li. 5. p. 6. 29.

mum fuisse, & Latinam Græcámque linguam, tam accuratè, atque maternam calluisse affirmat. ARDVLPHVS illi ab eodem BRITHWALDO est substitutus. Obijt TOBIAS ad annum Christi, septingentesimum vigesimum sextum, in ecclesia sua humatus. ARDVLPHI etiam meminit *Beda*, cuius obitum referunt ad annum septingentesimum trigesimum octauum. Post eum succedere WEREMVNDVS, & alij solis nominibus, & ne illis quidem satis nobis noti; quæ toto ferè sæculo nonnunquam intertumpuntur: quorum qualemcumque nomenclaturam, ad vndecimum posteà sæculum reijciemus.

Ditto cap. 24.

De Regibus & Episcopis Orientalium Saxonum, *deque* ETHELBVRGA, *vxore* INÆ *Regis.*

CAPVT VIII.

DEFVNCTIS SIGARDO, & CENFREDO, vocatur ad reip. administrationem OFFA SIGERII filius. Qui cum positus esset in florentissima ætate, maximáque apud suos omnes gratia floreret, nihili fecit hoc omne terrestre regnum, præ ea beatitudine, quæ pijs alibi reposita est. Quam vt securius expeditiúsque assequeretur, Romam profectus, pro sceptro regio, cucullum gestabat. Profectus est autē cum CENREDO *Occidentalium Saxonum* Rege, qui similiter regno abdicato, monasticam solitudinem ibidem amplexus est, Pontificatum administrante CONSTANTINO. Miror si multa huiusmodi spectacula *Roma* vnquam viderit, atque vidit hisce temporibus ex ANGLIA nostra oblata. Sequuti sunt CELREDVS triginta octo annis imperitans, tum CVTHREDVS, sub quo *Orientalium Saxonum* Principatus ad *Occidentales Saxones*, eodem fere, quo *Cantianorum*, de quibus diximus, tempore translatus prorsus interijt. Et nescio quo fato, (si ita loqui liceat) interijt simul his duobus sequentibus sæculis, rerum omnium à *Londinensibus* Episcopis gestarum mentio. Adeo vt & sepulchrorum, quibus conditi sunt, simul memoria intercident. Episcoporum nomina hæc reperio, WALDHERII, INGVALDI, qui TADWINI, de quo diximus, Archiepiscopi consecrationi interfuit, eumque obijsse ad annum septingentesimum quadragesimum quintum, EGVLPHI, WIGETHI, atque EDBRITHI, Cuius obitum quidam referunt ad annum octingentesimum secundum.

Beda lib. 5. c. 20.

Gul. Malm. li. 2. de Pontif. Flor.

AT celebris interim est ETHELBVRGAE, INAE *Visosaxonum* Regis, vxoris memoria, quæ *Berchingensi* cœnobio hoc sæculo præfuit: Quæ pio æstu & se à maritali, & maritum ab omni mundi rerúmque terrestrium vinculo exoluit. Maritum illa quidem graui multiplicique cohortatione, vt vel ætate saltim ingraueſcente, à curis seipsum rerum mundanarum exolueret, totúmque se Deo & rebus diuinis dederet, aggressa est. Sed cum verbis nihil proficeret, aliam rationem meditata est. Expiscata igitur est oportunum tempus, cum Rex in palatio, magnificè aulęis raris & preciosis instructo, mensa cyathis, & discis aureis, atque argenteis onerata, multa per summam, vt fit, luxuriam effudisset, atque consumpsisset. Postridie cum Rex discessisset, illa mandatum dat ei, qui regiæ domus custodiam habebat, vt illam vndique fimo pecudum, ruderúmque coacerua copia, omnem illam priorem domus speciem dignitatémque, quantum fieri poterat, commacularet atque deformaret; vtque in ipso lecto, quo decubuerat Rex, porcam recens enixam collocaret: viro deinde vix ad mille passus progresso, ficta aliqua causa subornata, quasi festinatus reditus magni res esset momenti, nec citra graue periculum prætermitti posset, facilè reditionem persuadet. Ille admiratus tantam, tamque repentinam rerum metamorphosim, tamque fœdum spectaculum; hæsitabundus aliquamdiu in eius rei cognitione hærebat. At illa subridens, rogat maritum, quò euanuerat omnis ille hesternus splendor & apparatus, omnisque illa luxuria? adiecitque hanc veram esse splendidarum, & lenocinantium rerum mundi faciem. Ad cuius defectionem contemptúmque, rerúmque diuinarum deinceps meditationem, arrepta hac occasione, sedulò eum cohortatur. Mirum dictu quantis hæc res stimulis INAE animum perfoderit, quantúmque apud illum, omni oratione, spectaculum ipsum præponderarit, vt non sine causa poëta ille scripserit.

Gul. Malm. li. 1. de Regib.

Horatius de arte Poetica.

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus, & quæ
Ipse sibi tradit spectator.

Quid

Quid plura? tales hoc spectaculum aculeos IMAE animo infixit, vt non multò post regno renuntiato, *Romamque* profectus monachum professus sit. Illa se ad prædictum cœnobium, cui soror eius præerat contulit, eiusque postea & ipsa præfecturam sortita.

De Regibus & Episcopis Orientalium ANGLORVM.

CAPVT IX.

ALDVVLPHVM sequutus est Rex ELVOLDVS, hunc BEORNAS ad annum septingentesimum quadragesimum nonum. Cui quidam ETHELBERTVM regni socium adiungunt. BEORNAM filius eius ETHELREDVS, hunc ETHELBERTVS, qui etiamnum puerulus, clara magnæ indolis virtutisque, quæ adultiore ætate magis in eo emicuere, signa dabat. Non est captus aut delinitus, vt regij pueri solent, mundi & voluptatum illecebris, sed erat potius totus in assiduis orationibus, eleemosynas larga manu pauperibus effundens, in literis puer, pro ætate super coæquales profecit. Cumque illi ad pueriles ludos (vt fieri consueuit) confugerent, ille ad ecclesiam secedere solebat. Demũ cum patri successisset, omnibus boni Principis, iustitiæ præcertim & misericordiæ, dotibus enituit. Sermone sæpe vsurpare solebat, Quo celsiore sunt homines gradu, eo animo demissiore, benigniore que esse debere. Neque tã sermone, quàm factis ipsis, totaque vita illud vsurpabat, atque exprimebat. Quæ cum res in mira apud populum gratia posuit. Cúmque pro instito virtutum, castitatisque colendæ amore, a nuptijs totus abhorreret; virgentibus tamen Proceribus, ne alioqui, si sobole destitueretur, resp. in magnum aliquod aliquando discrimen vocaretur, eorum desiderio succubuit, nuptiisque animum adiecit. Deligitur tandem post maturã deliberationem, nobilissima sponsa ALFREDA, OFFAE Regis *Merciorum* filia, ad quam deducendam à paternis laribus, vt arctius sibi & eam & patrem OFFAM deuinciret, officiosus adolescens in *Merciam* profectus est. A quo illum itinere multa, quæ illi oblata sunt prodigia, valde deterrebant. Confirmauit tamen animum, & in proposito suo pertinax perseuerauit, amolitus sinistras omnes, pro animi sui genuino candore, fraudis suspitiones, pergebat in itinere, venitque in *Mercia* ad OFFAM: vbi insigni ad omnem posteritatem detestandæ perfidiæ exemplo, siue iubente, siue connitente ad id OFFA, siue, quod alijs magis placet, prorsus inscio, & cædem tam infamem, ægerrimo animo ferente, neiarie QVENDREDAE, OFFAE vxoris, scelerata potissimũ fraude, in domo ipsius OFFAE cæsus est. Comites illius, cum tam atrox auditio ad aures illorũ peruenisset, tantam perfidiam summopere detestantes, tristes propere abiere. Pro epithalamio, lugubria & epitaphium canere coacti. OFFA vero, quæ res maiorem aduersus eum suspitionem auxit, exercitum mox in Prouinciam *Orientalium Anglorum*, tam repentè Rege suo destitutam, prorsúsque iam exanimatam immisit, regnúmque illud suo consociauit. At ETHELBERTI, tam scelerate cæsi pietatẽ, Deus non mediocribus postea miraculis, præsertim apud tumulum eius *Herfordiæ*, omnibus claram & insignem fecit, atque adeo pro martyre per omnes deinde ætates habitus est; adeo vt *Herfordia* postea, insigne templum Cathedralis ecclesiæ magnificè sit structum, eiusque nomini consecratum.

Gul. Malm. & Floril. De Ethelberto

Gul. Malm. & Ioann. Cappr.

Gul. Malm. Ioann Cappr. Asser. an. 793.

DE Episcopis nihil præter nuda nomina tenemus. Scisso igitur, vt diximus Episcopatu, duobúsque constitutis, BALDVINO apud *Helmaham*, HECA apud *Dumaum* siue *Dumucum*. Fuit vero *Dumucum* Emporium olim ANGLORVM celeberrimum; *Helmaham* vero, siue vt quidam appellant *Hamtum*, pagus fuit obscurus & ignobilis. Hi deinceps successere, NORTHBERTVS & ASTVLPHVS, NICOLAVS & EDREDVS, EDELFRIDVS & CVTHWINVS. LAMFREDVS & ADALBERTVS ATHELVLFVS & EGLAFVS, HVMFERDVS & ERDREDVS, SIGGA & ALTHVNVS. Quo vero tempore OFFA *Cantuariensem* prærogatiuam auertit *Lichfeldiam*, ALTHVNVS erat *Helmhamensis*, TITFRIDVS *Domnucensis*, siue *Dumucensis* Episcopus. Et ad hanc quidem rationem *Guilelmus Malmesburiensis* Episcopos, & nomina eorum digerit. *Florentius* vero *Vigornensis* post BEADVINVM (quem *Malmesburiensis* BALDVINVM vt dixi appellat,) collocat NORTHBERTVM, HEATHLACVM, ÆTHILBERTVM, LANIERTHVM, ÆTHELVLFVM, SIBBAM, HVMFERTHVM, HVMBERTVM; post ADDAM (quem *Malmesburiensis* HECAM nominat) ÆSCVLFVM. HARDREDVM, CVTHWINVM, ALDBERTVM, ECGLAFVM, HEADREDVM, ALFVNVM, HIDFERTHVM,

Malmes. & Ioann. Cappr.

MVNDVM

WERIMVNDVM & WILREDVM. Sed credo exemplar meum alicubi corruptum. Habeo manuscriptum ex *Norwico* Episcoporum catalogum, sed & eum ni fallor alicubi vitiosum, qui BEDWINVM non BALDWINVM; & quem *Malmesburiensis* NICHOLAVM, *Florentius* HEATHELACVM nominat, ECCLASTVM appellat. *Matthæus Westmonasterienſis* EDBERTVM ponit apud *Helmaham*, & ÆTHELACVM, quem *Beda* appellat HADVLACVM, licet sedem illorum disertè non nominat, apud *Dummocum* ad annum septingentesimum trigesimum primum, vt & *Beda*. Post ALHARDVM siue HALARDVM, quem proximo loco post EDBERTVM recenset, constituit HVMBERTVM & WILREDVM, de quibus dicemus proximo sæculo. Sed nullo hic modo Abbas HESIVS prætereundus est, qui multa *Bedæ* suggessit de rebus ecclesiasticis huius prouinciæ; quæ ille in suam postea deriuauit historiam.

Lib 5. cap. fin.

Beda in præfat. histor. sua.

De INA, *& alijs Regibus* Occidentalis Saxoniæ *hoc sæculo.*

CAPVT X.

INAS fuit Rex vndecimus à GERDITIO, vir heroicis planè dotibus, vir in quo ex æquo certauit rei militaris atque politicæ scientia, atque pura & sincera Christianæ religionis deuotio. Nisi fortè ista illam, licet alioqui egregiam, longè superarit. His igitur virtutibus domi, foriſque in alta pace constitutus, adiecit animum salutaribus & æquissimis legibus, perditos & dissolutos populi mores coercendi, & quæ perperam admissa erant emendandi. Quas se cum consilio HEDDAE, & ERKENWALDI Episcoporum promulgasse dicit. Sed de ERKENWALDO vereor ne impressa exemplaria vitiosa sint. Nam vetustum exemplar, quod vidi, solius HEDDAE nomen habuit, & forsan pro ERKENWALDO, BRITHWALDVS *Cantuariensis* substituendus. In illis legibus quædam & ecclesiasticam politiam, atque prærogatiuam respiciunt. In quibus grauis pœna apponitur; si infans intra triginta dies baptismo non potiatur. Quòd si morte interim, haud lotus sacro baptismate, præoccupetur, additur omnium bonorum mulcta. Seruus, qui iubente domino die dominico operabatur, à domini nexu deinceps vindicabatur, adiecta etiam triginta solidorum mulcta. Sin id priuato consilio tentaret, verberibus in eum animaduertebatur. Graues, etiam liberi homines, huius culpæ pœnas expendebant. Tulit etiam de primitijs soluendis, de immunitate, atque sanctitate templi, quod noxijs voluit esse asylum, profugijque locum; déque alijs id genus rebus leges. Celeberrimum WELLIAE sacerdotum collegium, ædémque Diuo ANDREAE sacram posuit, amplisque possessionibus insigniuit, in eáque Episcopalem, ex quorundam sententia, sedem collocauit. Sed quod de Episcopali sede traditur, mihi adhuc non satis firma, & solida fide traditum videtur; cum, ante EDOVARDI *senioris* tempora, constet nullum ibi Episcopum sedisse.

Quæ nuper Londini impressa sunt cum aliorum quorundam Saxonum Regum legibus.

Cap. 2.

Cap. 6.

Cap 4.

Cap. 5.

Polid. l. 4.

Gul Mal. Flor. Wig. Floril & catalogus Bathoniensium & Wellensiũ. quem habeo manu scriptum ad Nicholaum Bubwithum.

HVIVS etiam insigne opus est cœnobium GLASCONIENSE, de quo mox plura. Cumque iam triginta septem, aut triginta octo annos in hoc tam præclaro magnæ laudis, præclarorúmque in Remp. beneficiorum curriculo egregiè decurrisset: regnum, quod tanta cum gloria & laude tam diu gessit, non vi aut hostium metu extortum, sed spontanea voluntate, pietatéque erga Deum perductus, depositum, nescio an non maiore cum gloria & laude reliquerit. Si non apud homines forte, quorum oculos inanis falsi honoris splendor, aut terrena voluptas mentis lumina perstringit: apud Deum certè, vt mea quidem fert sententia. Ille vero mihi interim perbeatus fuisse videtur, cuius mentis luminibus non ita offecit momentaneus ille terrestrium rerum splendor, vt non seriò, vel in decursa ætate, cogitaret de animæ sordibus: quas tantæ fortunæ altitudo & gloria, homini haud accuratè omnes vitæ suæ rationes, & momenta meditanti, aspergere interdum solet, iusta, dignáque pœnitentia abstergendis. Quod vt commodiùs atque fructuosius præstaret, beatorum Apostolorum *Romæ* limina inuisere, illisque & illorũ se patrocinio, ad Dei faciliùs gratiam promerendam, atque ibi, vnde gens sua primam fidem hauserat, reliduum vitæ feriato, quieto, atque tranquillo à rebus omnibus terrestribus animo, inter monachos traducere voluit. Quod & præstitit, monachúmque se, non palam, astantéque, vt fit, populi concione (quæ frequens

Malm. & Floril. & Bed. li. 5 ca 7 Polichronic. an. 721.

Bed li. 5. ca. 7.

Gul Malm. de Reg Pol. l. 2. c. 2

fine

sine dubio ad tam insolens spectaculum accurrisset) sed clam in solo Deo, eiusque aspectu acquiescens, professus est. Cui rei magnam vxor ETHELBVRGA occasionem, vt alibi diximus, præstitisse traditur; illa frigidum suffudit, nutantem aliquamdiu & labentem animum illius erexit, & confirmauit.

PRIMVS fuit, ex Regibus ANGLORVM, INAS, qui *Romano* Pontificibus vectigal illud annuum, ex singulis domibus, quod *Romescote*, siue denarios PETRI appellamus, persoluit. In cuius postea vestigia & exemplum, Rex *Merciorum* OFFA, simili pietate incurrebat. Ædificauit *Romæ* ecclesiam beatæ MARIAE, in qua ANGLI *Romam* confluentes sacra audirent & perciperent: vbi & humarentur, si quid illis eo loci humanitùs contigisset. Ædificauit & scholam in qua ANGLI erudirentur, & informarentur ad liberaliores disciplinas, & pietatem Christianam capiendas. Quam annuis redditibus ornauit. Quæ videtur eo loci constituta, quo hodie est Hospitale (vt appellant) ANGLORVM, quod ad vsus ANGLORVM sacerdotum qui ibi commorantur, & aliorum ANGLORVM illuc peregrinantium fructuosè hodie inseruit. Regnauit deinde ETHELARDVS quatuordecim annis, & post eum CVTHREDVS totidem, tum SIGEBERTVS vno anno, deinde propter crudelitatem in Principes viros, pulsus, & inter latebras ferarum à subulco *Combrani* viri nobilis, quem sana consilia suggerentem, innocentem e medio sustulerat, cæsus. CENOVOLPHVS deinde successor eius, post trigesimum primum regni sui annum, à SIGEBERTI fratre CHINIARDO cæsus est. Quem ille nihil tale suspicantem, & adulterinis voluptatibus turpiter operam dantem, & quasi in flagranti adhuc crimine per insidias oppressit, mox & ipse à nobilibus interceptus; eum ad sedecim annos subsequutus est BRITHRICVS. Quo regnante *Dani* primum in insulam prædatum appulére.

Polich. ca 28. Polid. li. 4.

Floril. an 727. Polid li. 4.

Gul. Malm.

De Episcopis Visisaxonum *apud* Wintoniam *&* Sherburniam, *& inter ceteros de insigni illo* Sherburniæ *Episcopo* ALDELMO.

CAPVT XI.

EDDA è rebus humanis exempto, qui totius *Visisaxonum* Prouinciæ curam solus sustinebat; Prouincia illa propter illius, oneríque magnitudinem, BRITHWALDI Archiepiscopi *Cantuariensis* auctoritate, in duos Episcopos scindebatur; è quibus alter, DANIEL videlicet, *Vintoniæ* locatus est, vir qui splendorem generis satis alioqui illustrem, doctrinæ & pietatis suæ lumine, longè superauit: MALDVLPHI illius, de quo diximus, vt & ALDELMVS, discipulus; ALDELMO & vitæ consuetudine, & ob pietatem atque doctrinam, coniunctissimus. Cuius diligentia & industria, in colligendis rebus gestis ad causas Ecclesiasticas spectantibus, in Prouincia *Visisaxonum*, & *Australium Saxonum*, & *Vecta* præterea insulæ, *Bedæ* laborem in Ecclesiastica sua historia contexenda promouit. Permansit quadraginta quatuor annis in sacro magistratu. Hunc sequutus est HVMFREDVS, deinde ad annum septingentesimum quinquagesimum sextum, CHINIARDVS, ETHELARDVS Abbas priùs *Meldunensis* & Archiepiscopus postea *Cantuariensis*, tum EGBALDVS, DVDDVS, EINEBERTVS, ALMVNDVS, WINGENIVS, HEREFRITHVS, EDMVNDVS, & HELMESTANVS. Alter ex his Episcopis ALDELMVS, *Shireburniam*, tenuem & exilem vicum Episcopatus sedem sortitus est, vbi ad multa sæcula hæsit. ALDELMVS ex illustri *Saxonum* genere, patréque *Kentenio* natus, qui INAE Regi *Visisaxonum*, sanguine valde coniunctus erat, ortus est. Sunt qui constituunt *Kentenium* INAE fratrem, * eiusdémque ALDELMVM filium, quorum sententia iustis de causis reijcitur. Sed hanc ille (quantumcumque fuerit) stirpis nobilitatem, animi generositate, doctrinæ, virtutúmque magnitudine longè superauit. Hunc pater in disciplinam celeberrimo illi, quique omnem illum disciplinarum orbem felicissimè absoluit, Diui AVGVSTINI apud *Cantuariam* Abbati ADRIANO tradidit. Dignus ille postea tanto præceptore discipulus euasit. In patriam deinde reuersus, omnibus mundi illecebris, inanique splendore fortiter contemptis, eam vitæ rationem sibi incundam secum constituit, in-

De Daniel. vide Bed. li. 5 c. 19. & Gul Malmes.

Aldelmi vitam conscripsit Gul. Mal ex quo ista sumpsimus de quo Bed li. 5. ca. 19.

* *Alias* eiusque

qua & Deo & literis, minimis obiectis impedimentis assiduè inseruiret. Quare monachum apud cœnobium *Meldunense* (*Malmesburiam* hodie appellamus) professus est. MELDVLPHVS quidam illud, *Scotus* & monachus, vir philosophiæ disciplina imbutus (vt diximus) condiderat. Quod cum esset tenue, & re valde accisa, ALDHELMVS in magnum postea splendorem, magnificentiámque euexit. *Cantiam* tamen ad maiorem ingenij cultum, literarúmque accessionem repetijt, ibique commoratus est, donec fragilis & incommoda valetudo reditum ei in patriam extorsisset.

QVANTOS in literis progressus fecerit, monumenta, quæ post se reliquit, abundè testantur. Quorum tamen plurima, temporum nobis iniuria intercidisse, hodie videntur. Inter quæ iam ante quingentos ferè annos, non comparuit liber ille adeo à *Beda* celebratus, de recta & germana ratione obseruandi Paschatis, quem contra BRITANNOS scripsit: Quæ ALDHELMI opera multis illorum, ad inueteratum errorem ex animis eorum extirpandum, fructuosa fuit. Celebrat & illud de virginitate, vbi rhetorum more, in laude virginitatis versatur, nec difficilem aut arduam esse, propositis Sanctorum, qui eum exceluerunt exemplis, demonstrat. Quem hoc denique elogio ornat: vt dicat eum virum vndecúmque doctissimum, sermone nitidum, & scripturarum tam liberalium, quàm ecclesiasticarum eruditione mirandum. Primus sanè fuit nostratium, qui latina carmina condiderit. Qua de re ipse idoneus testis est, dum scribit.

Primus ego in patriam mecum, modo vita supersit,
Aonio, rediens, deducam vertice Musas.

In quibus etiam patria lingua scitè & eleganter tam componendis, quàm aut pronunciandis, aut canendis eminuit. Quorum aliquot ELFREDI Regis tempore (vt ipse Rex testatur) vulgò canebantur. Qui quid ea de re retulerit memoria sane cum primis dignũ est, fuisse videlicet illius sæculi populum adhuc rudem, agrestem, & rebus sacris perfunctorie deditum. Neque diuturnam aliquam in templis moram tulisse, sed sacris missarum mysterijs celebratis, domum mox confertim conuolasse. Hoc vir prudens ALDHELMVS cum perspiceret, abeuntibus in ponte, quo transeundum erat in rura, se obiicit, canendíque peritia eorum aures demulcet. Ob quam cum esset populo gratus, & plausibilis, viderétque quæ canerentur, magna cum voluptate in aures animósque eorum influere, magis seria & ex sacris scripturis petita sensim aspergit, eóque peditentim eos traducit, vt cum maiore animarum suarum fructu, sacros dies transigerent. Reliquam nunc vitæ eius rationem persequamur.

POSTQVAM igitur monachum induit, omnibus id viribus agebat, vt quod nomine pollicebatur, rebus ipsis præstaret. Quare pedem nunquam è monasterio, nisi necessitas aliqua vrgeret extulit, legendo orandóque omne tempus absumpsit: vt (sicut ipse alicubi in epistola testatur) legendo, Dei loquentis vocem audiret, orando Deum ipsum compellaret. Victus tenuis & oppidò quàm parcus erat, vt spiritui carnem seruire cogeret, quam alia mirabiliter austeritate frenabat: vicino enim cuidam fonti (qui nomen eius postea ferebat) se ad humeros noctu immergere solitus est, ibique eo vsque consistere; donec totius Psalterij, quali pensum quoddã nocturnum, precationes absoluisset. Quibus & alijs exercitijs ita carnẽ domabat, vt si forte prurientes eius stimulos motúsque sensisset, non ob id mulieris mox præsentiam effugeret & declinaret, sed eam retineret; nec prius dimitteret, quam post preces Deo redditas, psalmósque attentissimo animo decantatos, omnem illum corporis motum extinctum, & labefactatum prorsus cerneret. Rarum, licet alijs periculosum, vincendi genus, & ipsis sine dubio dæmonibus valde inuidiosum. Quòd si quis huius historiæ veritatem, in tam christiano philosopho laborare forte existimet, eum ego ad profanos illos scriptores relego; qui de suo *Xenocrate* tradunt, eum, cum totam noctem cum formosa illa *Phryne* cubasset, nullo prorsus libidinis æstu incensum, eámque postridie exclamasse, se non cum homine, sed statua, iacuisse.

Diogenes Laertius lib. 4. de vitis Philosophorum.

CVM itaque tanta virtute, doctrináque niteret, monachis *Meldunensibus*, vt omnium dignissimus præfectus est. Quæ dignitas non ita eum ornauit, vt suam ipse dignitatem ornauit. Ipsius enim industria tantum doctrinæ virtutibúsque suorum, tantum ædificijs possessionibúsque accessit, vt cœnobij illius quasi parens, & conditor merito habeatur. Prædiorum autem istorum accessio per ELEVTHERIVM *Occidentalium Saxonum* Episcopum, per *Kenfrithum* Comitem *Merciorum*, per Reges denique ETHELREDVM, CEDWALLAM & INAM potissimum facta est. Qui hominem virtutis doctrinæque ergò in oculis habuerunt, & mirificè

suspe-

suspexerunt. Condidit *Fromense* & *Bradefordiense* monasteria, quæ tamen aut *Danorum*, aut aliorum postea factis vastationibus, aliisve temporum iniurijs ante multa sæcula interierunt. Hanc præfecturam adeptus scripsit eum, cuius meminimus, contra BRITANNOS librum. Res agitata est in frequentibus *Westsaxonum* concilijs qua ratione illi, qui in celebrando Paschate a Catholica ecclesia aberrabant, ad officium reuocarentur. Fuerant qui vi & armis cogendos clamitarent; sed alia & lenior sententia obtinuit, vt non ferro, sed ratione & disceptatione ageretur. Nec difficilem victoriam futuram si ALDELMVS negotium in se susciperet. Suscepit, & egregiè vt diximus, atque fructuosè rem confecit, huiusque rei, emendationisque suæ gratia. BRITANNI post Deum, valde sunt ALDELMO obærati. Cuius etiam in eos pietas obseruanda est, quòd pro quibus emendandis scripserat, pro ipsis accuratè apud Deum orabat; precésque pij viri faustum, & felicem exitum fortitæ sunt.

ALDELMVS vero inter cetera, templum diui *Michaelis*, aliudque longè Augustius diuæ MARIAE exædificasse, trabémque quandam contractiorem repente, non sine summo astantium omnium stupore, iustæ suæ longitudini, in eo ædificio ponendo restituisse traditur. Auxit deinde miraculum, quod reliqua postea templi materia, bis incendio consumpta, nullæ trabs illa ignis iniurias sit exposita. Omnium vero celeberrima sunt, quæ *Romæ* illi accidisse memorantur, cum SERGIVM Papam ab incestus nota, qua laborabat, expressio infantis, qui vix nonum diem attigerat, sermone; quo, stupente populo, SERGIVM ab omni hac culpa longe remotum pronunciabat, admirabiliter liberauit. Cum casulam (vt appellant) quam absolutis missarum sacris, quas *Romæ* nullo die prætermisit, exuerat, solaris radius admirabiliter aliquandiu sustinuisset. Quæ *Meldunj* ad authoris nostri tempora, reseruata est. Vt & marmoreum quoddam altare, quod confractum precibus consolidauit. Quę ego certè aliaque non attigissem, nisi ab authore nostro commemorata (quem temere reijcere non licet) ita prodita essent; & quod magis multo mouet, nisi hæc & similia, antiquæ illi ALDELMI thecæ, qua beatæ eius reliquiæ conseruabantur, diu ante authoris nostri sæculum, egregijs cælaturis affabrè insculpta fuissent.

SERGIVS certe plurimum illi honoris detulit, & amplis priuilegijs, prærogatiuisque, quæ monasterijs illius concesserat, liberaliter donatum dimisit. ALDELMI que post ea tempora fama aluus quotidie euecta est; adeo vt HEDDA Episcopo *Wintoniensi* demortuo, idoneus præ omnibus visus sit, qui in SHIREBVRNENSEM Episcopatum (& eo magis, quo constantius, & obstinatius aliquamdiu eam dignitatem recusabat) asciceretur. Habuit HEDDA solus omnem illam regionem, quæ hodie in quatuor Episcopatus distrahitur, *Cicestrensem*, *Wintoniensem*, *Shirburnensem* (vnde *Sarisburiam*, postea sedes translata est) & *Exoniensem*. Post mortem HEDDAE duos habuit Episcopos, DANIELEM *Wintoniensem*, & hunc nostrum de quo loquimur. Sacrum illud munus per manus BRITHWALDI *Cantuariæ* suscepit. Quo tempore *Doueriam* profectus, vetus & nouum instrumentum, venerandæ tum antiquitatis (quod ad authoris nostri ætatem *Meldunj* remansit, à mercatoribus quibusdam *Galliæ* emit. Quos petulantius pio viro prius insultantes, repentina tempestas diuinitùs immissa obruisset, nisi beneficio ALDELMI fuissent ab ea liberati. Reuersus ad sedem nihil omisit, quod ad sanctissimi doctissimique Episcopi munus spectaret. Cumque alium sibi in monasterio sufficere voluisset, monachi adeo in eum propendebant, vt eo viuo nullum alium admitterent. Quorum & ille tandem voluntati paruit, concessitque vt se mortuo, ipsi ipsorumque ad omnem postea ætatem successores, liberè Præfectum sibi asciscerent. Quod eius postea decretum Synodus, & Rex INA ratum habuere.

OSMIN tandem beatus Antistes, post quintum Episcopatus annum, ad annum salutis septingentesimum nonum, apud *Dultingum* in Comitatu *Summersetensi*, in ecclesia quadam ex ligno ædificata, in quam se, viuus adhuc, inferri iusserat. Quæ cum postea ex lapide construeretur, & de more dedicationis solemnia obirentur, mulier cæca ad altare accurrens visum recuperauit. Quin & lapidis, cui moriens ibidem insedit, beneficio multi ægroti sanitatem adepti sunt. Locus ille à *Melduno* ad quinquaginta miliaria abfuit. Beatus vero EGWINVS, *Vigorniensis* Episcopus, de obitu ALDELMI cælesti quadam admonitione edoctus, eò conuolat & funebria obit, funúsque *Meldunum* solemni pompa duci curat, ad septimum quódque miliarium cruces quasdam lapideas erexit. Quæ postea insigniores ob id redditæ sunt, quod multi eo concurrentes, morbos grauissimos admirabiliter excussere. Quæ beneficia ad auctoris nostri memoriam assiduè perdurarunt. Hæc & alia id genus, quæ memorabiliter acciderunt, Regem permouere, vt Beati reliquias ad annum Domini nongentesimum

quadragesimum nonum preciosa theca includeret, in cuius vertice crystallum emicuit, in quo Beati nomen aureis literis conscriptum est. At beatus DVNSTANVS diuinitus, quæ consequuta est per *Danos*, rerum omnium humanarum & diuinarum vastationem prospiciens, beatas reliquias ex illa theca, in lapideam quandam, eo animo transtulit, ne forte splendor pretiúmque thecæ, reliquiarum auferendarum occasionem præstaret. Nec falsus est diuinus vates. Irruperat enim & in *Meldunense* templum *Danorum* rabies. Ex quibus cum vnus violandæ thecæ manus admolitus esset, repente mente excidit, Quæ res ita perterrefecit prædones, vt quasi panico quodam metu correpti nullam abeundi moram facerent; & cum omnia circumquáque templa misere spoliarentur, ALDELMI patrocinio *Meldunum* omnia integra, & inuiolata manerent.

SI quis vero cetera, quæ ad memoriam beati patris admirabiliter accidêre, vberiùs nosse velit, cum ego ad authorem ipsum amandabo. Inueniet cæcos, mutos, claudos, paralyticos, insanos, dæmone correptos, aliósque grauissimis, & deploratis morbis oppressos, Dei & ALDELMI beneficio sanitatem, summa cum omnium admiratione adeptos. E quibus aliquot beneficia authoris nostri ætate collata sunt. Quibus rebus commotus LANFRANCVS edicto sanciuit, vt per totam deinde ANGLIAM ALDELMVS inter eos, qui ciuibus cælestibus ascripti erant, honoraretur & coleretur. Ad annum vero salutis millesimum septuagesimum octauum, tertio decimo post *Normanorum* aduentum, cum iam omnia tuta essent à *Danorum*, & alijs vastationibus, per Abbatem WARINVM, & beatum OSMVNDVM *Sirebvrnensem* Episcopum, ossa ALDELMI in antiquam thecam reposita sunt. A quo tempore, diuina per eum miracula indies magis ac magis accumulabantur. FORTHERIVS ALDELMI successor eam sedem tenuit, quo tempore *Beda* ecclesiasticam suam historiam absoluit, & post paucos annos *Romam* profectus est, cum Regina illius Prouinciæ. Post eum, nescio quo modo, valde in recensendis Episcopis variatur. *Matthæus Westmonasterienſis* substituit WILBERTVM, & ei, ad annum ibidem septingentesimum octuagesimum quartum obeunti CASTANVM. At *Guilielmus Malmesburienſis*, & *Florentius Wigornienſis*, HERBVALDVM, ETHELMODVM, DENEFRITHVM, WIBERTVM & ALSTANVM temporibus EGBERTI Regis, de quo suo loco tractabimus. Vocatur in DANIELIS locum, HVMFREDVS, tum ascitus est CHINEBARDIVS, post eum ATHELARDVS Abbas *Meldunensis*, deinde ECBALDVS, DIDDVS, CINEBERTVS, ALMVNDVS, WIGENVS.

Beda li. 5. ca. 19. & fin.

De Cœnobijs & Monachis Visisaxonum *hoc sæculo.*

CAPVT XII.

Malmes. de Pontif.

GLASCONIENSE Rex INA cœnobium ob accuratam, quæ ibi semper viguit, monasticæ disciplinæ obseruationem, obque liberale hospitium omnibus aduentantibus semper obuium & expositum, valde omnibus temporibus celebre, construxit. Quanquam vt in principio nostræ historiæ latius diximus, IOSEPH ab *Arimathea*, aliorúmque postea piorum virorum fuerit illa sedes, multis prærogatiuis & possessionibus à Regibus BRITANNORVM, longè priùs amplificata. Locus, si aeris salubritatem, corporúmque sanitatem conseruandam spectes, parum commodus; sed Christianis philosophis, qui non corporum, sed animarum sanitate felicitatem hominum metiuntur, quique eo intentius rebus cælestibus meditandis se applicant, quo magis blandientes oculorum carnisque illecebræ remotæ sunt, quique etiam moderatione, & temperantia vitæ loci incommoda aut tollere, aut lenire solent, non minus, ac multo quidem magis, quàm *Platoni* illa sua academia, aptus & idoneus. Cuius hoc sæculo quartum, post WORGRESIVM primum Abbatem, BRITHWALDVM, *Cantuariensem* postea Archiepiscopum, Præsidem reperio.

Iohn. Leland

DE *Meldunensi* siue *Malmesburiensi* iam diximus, cuius & hoc, & priore sæculo Moderator fuit ALDELMVS. In quo (licet eius sepulchrum *Wintonienses* sibi vendicent) DANIEL, de quo diximus. Episcopus, abdicato (quem tam diu præclarè gessit) sacro magistratu, in Christo obdormisse dicitur. Cuius hoc sæculo Præfectus fuit CVTHBERTVS, & ante eum ETHELARDVS, *Cantuariensis* postea metropolita, qui ibidem humatus est. Construxit &

Malm. de Pont. Malm de regi. li. 1. cap. 14.

ſtruxit & alia ALDELMVS cœnobia, vt in vita eius recenſuimus, *Bradfordenſe* & aliud prope fluuium † *Fromenſem*. *Cap. præcedente.* † *Al.* Formeſe

FVIT & inſigne ſacrarum hoc ſæculo virginum (quæ cum alios pios & accommodos libros, tum illum ALDELMI de virginitate diligenti lectione voluebant) apud *Winburniam* † cœnobium poſitum à CVTHBVRGA, INAE ſorore, quæ quidem deſponſa fuit ALFRIDO Regi *Northumbriæ*. Quæ quoniam maximo vitæ ſolitariæ, atque virginitatis deſiderio tenebatur, vt poſſet Deo tutius atque expeditius vacare, enixè ardentique quotidiè voto Deum precabatur, vt ſi illud ipſi deſiderium placeret, benignitate opéque ſua ita diuinitùs promoueret, vt optatis tandem frueretur. Ita quidem illa precata eſt, Deuſque preces illas ratas gratasque habuit. Cum enim quotidie cum ALFRIDO multa de mundi contemptu, atque momentaneis huius vitæ voluptatibus fugiendis, prudenter atque grauiter differeret, déque ardua illa, & durtori vita ſectanda admoneret, & grandia, quæ talem vitam manerent, a Deo præmia quaſi ob oculos poneret; ALFRIDVS ſentiens quanto deſiderio propenderet ad virginitatem, vitámque ſolitariam excolendam, virginis pietate delectatus, non modo liberam ei permiſit vitæ deligendæ poteſtatem, ſed & ipſe ſpopondit ſimilem ſe quoque vitæ rationem velle capeſſere. † *Al.* Winburnaim *ſeu* vindogladium. *Floril. an.* 710. *De Cuthburga Gul. Malmeſ. & Ioan. Capg.*

CVTHBVRGA iam admodum læta, quaſi ex reti quodam, quo putabat ſe fuiſſe impeditam, ſemet explicuiſſet; quendam locum adijt, quem *Winburnium* appellant, eccleſiáque ibi ſtructa, & ſacrarum virginum monaſterio inſtituto, in rerum diuinarum meditatione præcationibus, ieiunijs, vigilijs continenter verſata eſt, magnúmque atque abſolutum quoddam, totius pietatis de ſe exemplum, ceteris virginibus præſtabat. Incidit tandem in longam ægritudinem, ex qua cum ſe deceſſuram intelligeret, ſanctiſſimis præceptis ſorores ad acre virtutis ſtudium excitauit, multa pie & prudenter ad eas confirmandas differens. Et ne deceſſum ipſius impotentiùs elugerent, diligenter admonuit, ſe inde ad benignum Dominum atque immortalem ſponſum, quem terreſtri præpoſuerat, lætam & ſecuram pergere. Poſt hæc & alia ſancta monita, & imprimis vt mutuam charitatem impensè colerent, percepto ſacræ Euchariſtiæ viatico, corpore terris relicto, beata virginis anima ſublimis in cælum delata eſt, pridie calendarum Septembris.

FVERVNT & alia cœnobia, quæ non eſt neceſſe commemorare, vt illud apud *Adeſcaceaſter* cuius præſes WOLFARDVS, ſub quo monaſticam diſciplinam, & pietatem aliquamdiu hauriebat BONIFACIVS ille *Moguntinus*, in *Friſia* vt diximus cæſus. Hoc cœnobium quidam ponit apud *Exoniam*. Niſi forte diſtincta fuerint, & tamen vtriúsque præſes WOLFHARDVS, *In vita Bonifacij. Cap. 1 huius ſæculi. Ioan. Leland.*

De Regibus Merciorum, *déque milite* CHENREDI *qui deſperanter obijt; Déque epiſtola* BONIFACII Moguntini *ad Regem* ETHELBALDVM.

CAPVT XIII.

HENREDVS ETHELREDI patrui vitam, virtutéſque egregiè æmulatus, eundem etiam vitæ exitum ſortitus eſt. Religionem erga Deum, pietatémque inſigniter coluit, patriæ pium & egregium ſe principem præſtitit: in quo ciues nihil, quod ad omnibus numeris conſummati Principis, optimique munus pertineret, deſiderabant. Qui cum iam quinque annos imperaſſet, totús ſoli Deo, cæleſtiúmque rerum meditationi incumbere deinceps conſtituit; quas ſuas cogitationes re ipſa perficiens, *Romam* cum OFFA *Orientalium Anglorum* (de quo diximus) Rege profectus, Regem exuit, & monachum induit, reliquumque vitæ in accuratis precibus, largis eleemoſynis, & prolixis ieiunijs, rerúmque diuinarum meditatione tranſegit. Quas illi cogitationes, militis cuiuſdam, in quem magno amore propendebat, infelix exitus iniecisſe videtur. Cui militi feliciter quidem cecidiſſet, ſi quam fuit in re militari acer & induſtrius, tam fuiſſet in procuranda animæ ſuæ ſalute diligens, & prouidus. Cuius remiſſam & diſſolutam vitam cum Rex intelligeret, pie & prudenter ad maturam pœnitentiam eum hortabatur, ne forte repentina morte abreptus, in negligentiæ ſuæ pœnis miſere hæreret. Sed fruſtra ſurdo canitur. Imo cum poſtea *Gul. Malm.* *Malm. Cap. 8. huius ſæculi.* *Malm.* *Bed. li. 5. c. 24.*

in grauem

in grauem morbum, qui eum & lecto affigebat, vehementique dolore affligebat, incidisset salutarémque illam Rex pius cautionem recineret, respondit: Tuis quidem præceptis parebo, & pœnitentiam subibo, sed tum cum firmæ valetudini redditus fuero, ne forte commilitones mihi insultent quasi ignauo, & cui metus mortis pœnitentiam solummodo extorserit. Sed huius suæ militaris ostentationis procrastinatęque pœnitudinis, graues mox pœnas luit. Cum enim vehementius morbus ingraueſceret, atque ad eum Rex redisset, ille iam deplorata prorsus omni animæ suæ salute, neque quicquam fiduciæ in diuina misericordia, quam toties contempsisset reponens, Frustra, frustra, inquit, hoc tam vrges negotium. Certo enim scio sempiternis me supplicijs irretractabili Dei sententia deuotum; ostenditque deinde duos pulcherrimæ, & nitidissimę speciei iuuenes sibi astitisse, librumque oppidò quàm exiguum, in quo quicquid vnquam cum laude & pietate gessisset, descriptum erat, legendum obtulisse. Aduenisse deinde ingentem dæmonum multitudinem, & librum immensæ molis intuitu horribilem, qui omnia, quæ vnquam improbè & scelerate egisset, atque adeo leuissimas improbarum rerum cogitationes complectebatur, in medium proposuisse. Nihilque iam aliud sibi restare, nisi vt mox ab illis, in tartara abriperetur. Qua illum scelerum conscientia, animique imbecillitate, ac desperatione, sine vlla meliorum, veniæue à propitio Deo spe, prorsus occupante, miseram paulo post animam exhalauit.

Guil. Malmes. ex epistola Bonifacii ad Regem Ethelbaldum.

Malmes. de Reg.

Extat epistola apud Malmes.

In Chenredi locum suffectus est Celredvs, cui post octo annos mortuo & apud *Lichfeldiam* condito, succesſit Ethelbaldvs ad annũ Domini septingesimũ decimum nonum, Pandæ pronepos ex Albino fratre. Celredvs ille & priuilegia eccleſijs irrogata infregit, & cum virginibus Deo consecratis nefarium stuprum fecit, horribilique deinde morte obijt. Cum enim ad mensam, quæ exquisitissimis epulis extruebatur, cum Proceribus sederet, nequam eum repentè spiritus inuasit, animamque illi vitalem cum dæmone sermones serenti, Deúmque detestabili lingua execranti, nulla pœnitentia aut confeſſione expiato, neque sacra Eucharistia munito, expressit. Ethelbaldvs vero, etsi ad pauperes fouendos, iustitiamque publicam, contra vim & violentiam prędonum & furum, vindicandam & asserendam propenderet; fuit tamen in hoc notatus, quod matrimonium suum cum nefario sacrarum virginum stupro pollueret, & priuilegia ecclesiarum atque cœnobiorum infringeret: quod ei per epistolam Bonifacivs Mogvntinvs (præamoris in patriam suam, Regémque sui magnitudine) palam obiecit, & ad resipiscendum hortatus est. Cuius epistolam, propter posteritatis nostrę, præsentisque temporis vtilitatem, ipsiusque antiquitatem, & quòd rara sit & minus obuia, hoc loco subijcere non erit alienum.

Domino charissimo & in Christi amore ceteris Regibus Anglorvm præferendo Ethelbaldo, Bonifacivs Archiepiscopus, Legatus *Germanicus* Romanæ ecclesiæ, perpetuam in Christo charitatis salutem. Confitemur coram Deo, quia quando prosperitatem vestram & fidem, & bona opera audimus, lætamur. Audiuimus enim quòd eleemosynis intentus furta & rapinas prohibes, & pacem diligis, & defensor viduarum, & pauperum es, & inde Deo gratias agimus; quod verò legitimum matrimonium spernis, si pro castitate faceres, esset laudabile; sed quia in luxuria & adulterio, etiam cum sanctimonialibus voluptaris, est vituperabile, & damnabile. Nam & famam gloriæ vestræ coram Deo & hominibus confundit, & inter idololatras constituit, qua templum Dei violasti. Quapropter fili charissime pœniteas, & memorare quàm turpe sit; vt tu qui multis gentibus dono Dei dominaris, ad iniuriam eius sis libidinis seruus. Audiuimus præterea, quod Optimates pænè omnes gentis *Merciorum*, tuo exemplo legitimas vxores deserant, & adulteras, & sanctimoniales constuprent. Quod quam sit peregrinum ab honestate, doceat nos alienæ gentis institutio. Nam in antiqua *Saxonia*, vbi nulla est Christi cognitio, si virgo in paterna domo, vel maritata sub coniuge fuerit adulterata, manu propria strangulatam cremant, & super fossam sepultæ corruptorem suspendunt, aut cingulo tenus vestibus abscissis, flagellant eã castæ matronæ & cultellis pungunt, & de villa in villam missæ occurrunt nouæ flagellatrices, donec interimant. Insuper & *Wisen*, quod est fidelissimum genus hominum, hunc habent morem, vt mulier viro mortuo, se in rogum mariti pariter arsura præcipitet. Si ergo Gentiles Dominum ignorantes, tantum zelum castimoniæ habent, quid tibi conuenit, fili charissime, qui Christianus, & Rex es? Parce ergo animæ tuæ, parce multitudini populi, tuo pereuntis exemplo, de quorum animabus redditurus es rationem. Attende & illud, quod si gens Anglorvm, sicuti in *Francia* & *Italia*, & ab ipsis Paganis nobis improperatur, spretis legitimis matrimo-

matrimonijs per adulteria defluit, nascitura ex tali commixtione sit gens ignaua, & Dei contemptrix, quæ perditis moribus patriam pessundet, sicut *Burgundionibus & Prouincialibus*, & *Hispanis* contigit. Quos *Saraceni* multis annis infestarunt, propter peccata præterita.

PRAETEREA nunciatum est nobis, quòd multa priuilegia ecclesiarum & monasteriorum auferens, ad hoc audendum Duces tuos exemplo prouoces. Sed recogita, quæso, quàm terribilem vindictam Deus in anteriores Reges exercuit, eius culpæ conscios, quam in te arguimus. Nam OELREDVM prædecessorem tuum stupratorem sanctimonialium, & ecclesiasticorum priuilegiorum fractorem, splendide cum suis Comitibus epulantem spiritus malignus arripuit, & sine confessione & viatico, cum diabolo sermocinanti, & legem Dei detestanti, animam extorsit. OSREDVM quoque Regem *Deirorum & Berniciorum*, earundem culparum reum, ita effrenem egit, vt regnum & iuuenilem ætatem contemtibili morte amitteret. CAROLVS quoque Princeps *Francorum*, monasteriorum multorum euersor, & ecclesiasticarum pecuniarum in vsus proprios commutator, longa torsione & verenda morte consumptus est. Quapropter, charissime fili, paternis & subnixis precibus deprecamur, vt non despicias consilium Patrum tuorum, qui pro Dei amore CELSITVDINEM tuã appellare sataguntnihil enim bono Regi salubrius, quã si talia commissa, cum arguuntur, libenter emendentur; quia per *Salomonem* dicitur, *Qui diligit disciplinam, diligit sapientiam*. Ideo, fili charissime, ostendentes consilium contestamur, & obsecramus per viuentem Deum, & per Filium eius IESVM CHRISTVM, & per Spiritum sanctum, vt recorderis quàm fugitiua sit præsens vita, & quàm breuis, & momentanea delectatio spurcæ carnis, & quam ignominiosum sit, vt breuis vitæ homo, mala exempla in perpetuum posteris relinquat. Incipe ergo melioribus moribus vitam componere, & præteritos errores iuuentutis corrigere, vt hic coram hominibus laudem habeas, & in futuro æternæ gloriæ gaudia. Valere CELSITVDINEM tuam, & in bonis moribus proficere optamus. *Prouer. 12. 1.*

NEC videtur BONIFACIVS omnem operam perdidisse, videtúrque ETHELBALDVM ad praui consilii mutationem (qui optimus est pœnitenti portus) protraxisse. Quædam enim postea priuilegia ecclesiis in concilio, quod CVTHBERTVS (vt diximus) Archiepiscopus habuit, cui & ipse interfuit, per scripta manu sua consignata, (quibus eas à publicis exactionibus & tributis liberauit) liberaliter indulsit. Qui licet per totos quadraginta annos summa cum pace & tranquillitate Remp. administrasset, suprema tamen illius vitæ hora, omnem illam felicitatem infeliciter, propter summam subditorum suorum perfidiam contaminauit; qua eum illi, scelerata contra eum coitione facta, nefariè è medio sustulerunt. Princeps coitionis fuit BERVRERDVS, qui ante vertentem annum, meritis tanti sceleris pœnis irretitus est, regno & vita dispoliatus per OFFAM, atque vt quidam annales habent, incendio absumptus. ETHELBALDVS vero apud cœnobium *Ripense* sepulturæ mandatus est. *Malmes.*

De OFFA, CHENVLPHO, & *alijs Regibus* Merciorum, *deq; Martyribus* CHENELMO, & VLSTANO.

CAPVT XIIII.

OFFA deinde sceptro potitur ad annum septingentesimum quinquagesimum octauum, virtutibus an vitijs maior nescio. Quæ tamen vitia maturior ætas aut sustulisse, aut valde imminuisse, hominémque ad magnam pietatem traduxisse videtur. Reges *Cantiæ*, *Visisaxonum*, *Northumbriæ*, & *Australium*, *Saxonum* prælio fudit, iámque antea, quo modo *Cantuariensis* sedis dignitatem imminuerit, atque ETHELBERTI Regis *Orientalium Anglorum* regnum in suam ditionem (eo de medio sublato) redegerit, diximus. De his & id genus aliis vitijs, ingrauescente ætate, acrem pœnitentiam, dolorémque hausisse, & ea insignibus beneficijs resarcisse, sacerdotibus & aliis indigentibus magna priuilegia tradituir rogasse. *Herfordiense* templum magnificis donarijs ornauit. In memoriam protomartyris *Floril. an 758. Gul. Malm. & Polich an 774. Floril. an 765. Polid. li. 4. Idem.*

S nostri,

Malmes. nostri ALBANI (cuius ad ea tempora sacræ reliquiæ, tanto posthuminio in lucem, & aspectum hominum diuina, vt diximus, patefactione venerant) cœnobium amplissimum constituxit, amplis possessionibus cumulatum. *Bathoniense* quoque *Benedictinorum* cœnobium ab eo positũ ferunt. *Romam* quoque peregrinationis, pœnitentiæque ergo profectus est, & annuum illud vectigal per singulas domos dependendum, quod D PETRI denarios appellant, HADRIANO, Ledique *Romanæ* indulsit, ad annum Domini septingentesimum septuagesimum quintũ. In eo itinere, cum in *Flandriam* veniisset, fœni inopia apud monasterium laborasse traditur, in quo ille loco prædia comparauit, constituitque vt eorum equis, qui deinceps *Romam* peregrini per eum locũ proficiscerentur, fœnum gratis suppeditaretur. Summã cum CAROLO *Francorum* Rege (qui aliquamdiu adeo ab eo abalienatus est, vt mercimonia vtrinque interdicerentur) amicitiam iniit. Ad quem CAROLVS literas & munera quædam postea, ad proprios ipsius vsus missit, & alia tam a se, quam ab HADRIANO Papa adhuc viuo ecclesijs ANGLIAE impertienda, ad eliciendũ earum preces & suffragia pro HADRIANO; atque alia postea eo defuncto, vt officiosis precibus animã defuncti Deo commendarent. Obijt deinde ad annum Domini septingẽtesimum nonagesimum septimum, humatus in sacello quodã extra oppidum *Bedfordiæ*, ad ripam *Vsæ* fluminis, cuius postea vi atque impetu sacellum illud cum sepulchro Regis, euersum & adeo obrutum est, vt nunquam deinceps reperiri potuerit.

Flores an. 794.

Malm. li. de Reg.

Flores. 775.

Mat. Westm. lib. 1. Floril.

Malm de gestis lib. 1. cap. 74.

EGFREDVM OFFAE filium magnæ expectationis iuuenem, quique damna ecclesijs, dignitatique *Cantuarienſis* sedis, per patrem OFFAM illata resarcire satagebat, prædiaque quædã ab eo ablata, *Malmesburiensi* cœnobio restituerat, mors præmatura post quatuor fatum menses abripuit; quod non tam propter peccata sua, quam patris, qui tanto profuso sanguine, regnum suum munierit, accidisse putat ALBINVS noster. EGFREDVS CHENVLPHVM nepotem Pendæ ex fratre CHENWARCHIO, Regem post se designauit; virum qui foris insigni Martia contra hostes virtute, domi, singulari religione, & pietate erga Deum, consilio & prudentia erga reipu. valebat. Tria sunt præ ceteris in illo illustria. Vnum, quod cœnobium *Winchelcombense* construxerit, & tam amplis annuis reditibus ornarit. Alterum, quod EGBERTVM *Cantiæ* Regem, quem bello cœperat, captiuúmque apud se detinuerat, in dedicatione ecclesiæ dicti cœnobij, apud sacrum altare liberum demiserit. Quæ eius lenitas & magnanimitas, tanto Episcoporum tredecim, Ducum duodecim; immensique populi, qui eo confluxerat, applausu excepta est, vt vix sit credibile; vt nihil hic dicam de profusa liberalitate, quam in dictos Episcopos, Duces, omnéque genus hominum, eodem die magnifice exercuit. Tertium vero, redintegratio illa antiquæ dignitatis *Cantuarienſis* sedis, quam ille apud LEONEM HADRIANI successorem missis ad eum literis, quæ hodie cum Pontificis responso extant, procurauit. In quibus præter alia apparet, quantis illius animum doloris aculeis ecclesiasticæ illius vnitatis diuulsio, quæ per importunum illud OFFAE factum nata est, pupugerit; quantùmque Sedi Apostolicæ studium honoremque detulerit, cum pro illius ecclesiæ pastore salutéque LEONIS, quibuscúmque periculis caput vitámque suam, si præsens illic fuisset, obiectare paratum se ferebat.

In epiſt. ad Osbertum Patrem eum. Mal li 2 de Reg. ca 74 75 76. & Floril. an. 798.

Apud Malm lib 1. cap. 68. & 69

CHENELMVM filium morituru, ad annum octingesimum decimum nonum sibi substituit, cum duabus sororibus QVENDREDA atque BVRGENILDA. Hæc satis officiose fratrem coluit; illa verò impotenti dominandi libidine abrepta, frustra sæpe appetitum alijs nefarijs artibus, interfici cum tandem veneno curauit. *Ascebertum* enim, cui educandi instituendique infantis cura credita erat, partim ingentium præmiorum, partim communicandi cum eo regni spe obiecta, fractum atque corruptum, ad hanc tandem carnificinam perduxit. Qui sub animi reficiendi, liberioriſque aëris hauriendi specie, infantem foras eductum per summum scelus nefarie trucidauit, corpúsque eius in occultissimis latebris abdidit. Quod tamen postea lux cælitùs in eum locum, ad intuentium stuporem demissa prodidit, detoxilique corporis locus innotuit, magnificéque deinde illud propter CHENVLPHVM patrem, in commemorato *Winchelcombensi* cœnobio humatum est. Quo postea loci magna Deus pro innocenti prodigia edidit, & pro Martyre deinde haberi & coli cœpit. Nefaria vero mulier non modo regno, ad quod tam scelerate aspirabat, excidit; sed varijs priùs cruciatibus, tormentisque diuinitùs excarnificata, & oculis dispoliata, miseram miserè animam non ita multo post exhalauit. Cum † quo decus omne *Merciorum*, potestasque simul fere concidit. Sequuti sunt tamen eum varij Reges, sed titulo ferè tenus, cum nihil essent nisi *Orien-*

De Chenelmo. Vide Malmes. de Reg. & Pont. Io. Capgr. Asser an. 819. Polichr. Flo. Iornalanſem. Richardum Cistersium.

† *Alias qui Malm & Polid li 4.*

aliis *Orientalium Anglorum*, *Visisaxonum*, & *Danorum* deinde præda, regnúmque præcario ad voluntatem *Danorum* possiderent, depositum cum reposcerent. Ad annum Domini octingentesimum septuagesimũ quintum, perpetuum *Visisaxonum*, ALFREDIQVE, EGBERTI Regis nepotis iugum subierant. Quorum iam nomina subdemus. *Malmes.*

POST diuum CHENELMVM CEOLVLPHVS regnum possidebat, tum BERNVLPHVS, fugatus primum à Rege *Visisaxonum* EGBERTO, cæsus deinde ab *Anglis Orientalibus*, vt & successor LVDICENVS siue LVDICANVS, VTHLACVS deinde siue WITHLAFIVS, à rege EGBERTO victus, in eius potestatem redactus. Successit BERTHVLPHVS, (quẽ vt successorẽ eius BVRTHREDVM post triginta duos annos DANI pulsatq; eiecerunt,) *Romam* profectus voti causa, ibi mortem oppetijt in ecclesia beatæ MARIÆ apud ANGLORVM scholam sepultus. Sufficiunt deinde *Dani* CEVOLPHVM BVRTHREDI seruum, ad summum *Merciæ* opprobrium & ludibrium, sacrosancta religione iurisiurandi astrictum, vt ad eorum se arbitrium atque mandatum, regno abdicaret. VTHLACII commemorati nepos, ex filio WIMVNDO & matre ELFREDA, fuit puer VLSTANVS, qui in puerili ætate & pectore, pueriles sensus non gerebat. Fuit ex Principibus *Merciæ* BERFERTHVS vir importune ambitiosus, regnique potiundi auidus. Ad quod vt viam sibi faciliùs muniret, Reginam in vxorem ambit. Sed VLSTANI opera qui illud matrimonium summopere detestatus est, quod ipsum BERFERTHVS de sacro fonte leuasset, matrique sua prudenti suasione, vt nec ei, nec cuipiam alij nuberet, persuaserat, elusus est, propositóque suo excidit. Quare vir impotentis animi, omnem suam iram & bilem in innocentem puerum immoderate effudit; neque priùs conquieuit; quàm per insidias eum nefarie oppressisset. Neque tamen vel regnum, vel nuptias, quæ tam importune ancupabatur, consequutus est, sed mox diuina vltione mente alienatus est. Corpus Pueri primum ad *Ripendonense* cœnobium delatum, deinde ad *Eueshamense*, Quod cum varijs postea Deus miraculis ornasset, posteritas cum pro martyre habuit. *Malmes.* *Aut vt quidam appellant, Vuiglauus.* *Polid.* *Malmes. lib. 1 de Regib Malm. & Polid.* *Malm. de Pont. vbi de cœnobio Eueshamense.* *Cæpio appellat Wistanum.*

De Episcopis Merciorum, *& primo de* Wiccijs *siue* Vigornienſibus *& inter alios de diuo* EGVINO.

CAPVT XV.

REPERIO itaque *Wiccios* seu *Vigornienses*, hos hoc sæculo, & hoc ordine (vt quidam volunt) Episcopos, BOSELVM ad annum septingentesimum decimum secundum, primum qui hoc munere functus est: proximum OFFERTVM, tertium EGVINVM; deinde ad annum septingesimum trigesimum quintum, WILFREDVM de quo *Beda* meminit, DENEBERTVM deinde ad annum septingesimum sexagesimum quintum, quo OFFA despoliauit sedem *Cantuariensem*, vt *Lichfeldensem* importunè ornaret; vtque, quæ cã capere oportuit, *Lichfeldensis* interciperet. MILREDVM deinde ad annum septingentesimum nonagesimum octauum, quo eodem anno defuncto, locum eius WEREMVNDVS suppleuit. Sed hæc enumeratio *Matthæi Westmonasteriensis* non cohæret cum recensione *Florentij Vigornensis*, & *Guilielmi Malmesburiensis*, qui post ECVINVM ponunt MILREDVM, WEREMVNDVM, TILERVM ETHELREDVM, & deinde DENEBERTVM, deinde HEREBERTVM, ALWINVM, HERFERTHVM ECELINVM, WILFERTVM, CHINEWALDVM DVNSTANVM &c. *Asserius* vero *Meneuensis* mortem WILFREDI, successionemque MILREDI, in annum septingentesimum quadragesimum tertium, Mortem deinde MILREDI & successionem TILERI ad septingentesimum septuagesimum octauum conijcit, Cui WEREMVNDVM in annum septingentesimum septuagesimum quintum, ETHELARDVM ad annum septingentesimum octuagesimum primum substituit; deinde illius obitum constituit ad annum septingentesimum octuagesimum septimum DENEBERTVM illi substituens, quas ego difficultates iam extricare non cogito, voluique tamen hoc loco lectori subiicere. *Florill.* *Lib. 5 ca. sex. Flo. vbi ao. 734.* *Quem Tilhere. tum appellat.* *Quem Herbert. dum appellat.*

DE OFFERTO siue OSTOPHERO meminit *Beda*, traditque eũ diligẽti sacrarũ literarũ lectione operam cœnobio HILDAE dedisse, deinde vt literas linguásq; vberius hauriret, adijsse *Lib. 4 ca. 12.*

THEODORVM Archiepiscopum, atque cum eo aliquamdiu conuersatum, *Romam* deinde vt omnia exactius cognosceret; vberiorisque doctrinæ gratia petiisse. Post reditionem *Wiccios* siue *Vigornienses* inuisisse, diúque ibi hæsisse, vtilémque operam concionando, adiuncto præclaræ vitæ suæ exemplo, posuisse. Quare cum BESOLVS præ imporenti valetudine ecclesiæ negotijs vacare non potuisset, omnium consensu Episcopus pro eo designatur.

Vitam eius scripsit Cuthbertus Cant. Archiepiscopus Vide & Ioan. Capgram.

EGVINVS vero inter præcipuos huius sæculi Episcopos enituit. Qui etsi genus sanguinémque ab illustribus *Merciorum* Regibus traheret, in prima tamen adolescentia omnem illum inanem mundi splendorem floccifecit, seque cælestium rerum meditationi totum affixit, Cleróque se ascribi curauit. In quo reliquos omnes ordines peragrauit, deinde ad sacri ordinis culmen perductus est. Quem honorem renitenu certe animo, inuitusque magnitudinem oneris reueritus, suscepit; susceptum vero egregiè administrauit, verúmque se, & germanum pastorem non solum sacris concionibus, in quibus mire valebat, acrésque pœnitentiæ & resipiscentiæ aculeos inde in auditorum animis reliquit; sed & vitæ sinceræ atque irreprehensibilis exemplo, inopes & egenos congruis alimentis, pascendo, vestibus, alijsque ad vitam necessarijs fouendo, patrémque se orphanis & viduis, alijsque id genus hominibus præstando. Mira erat erga omnes animi dimissione, in sermone magna affabilitate, in sacris concionibus, & diuinarum scripturarum lectione assiduus; In capiendis consilijs magna fuit illius prudentia, in dandis non minor fides & religio. Quare consilij sui gubernatione non solum priuatos, sed & ipsos Reges regebat. Singularis igitur fuit omnium ordinum hominum erga eum amor. Quibus non solum sanis consilijs ad animæ salutem, sed & sæpe suis precibus ad sanitatem corporis, graues eorum morbos tam viuus quam defunctus repente curando, insigniter profuit. Bis *Romam* inuisit, posteriore itinere socius & comes OFFAE & CHENREDI Regum, (de quibus diximus,) qui excussa omni regia dignitate, monasticæ se ibi vitæ addixerunt. *Euesshamense* cœnobium condidit, de quo plura mox dicemus. Decessit ad annum septingentesimum vigesimum, tertio Calendarum Ianuarij in suo monasterio, vbi & conditus est, longa infirmitate decoctus & absumptus. In qua tamen nihil vacui temporis, siue nocturni siue diurni habuit à sanctis precibus, atque meditationibus diuinisque laudibus. Quibus addebat intensa ieunia, & cilicium solito asperius, nam cilicio ab ipsa adolescentia vsus est. Accersitos ante obitum monachos, ad accuratum virtutis cultum, rerúmque terrestrium contemptum, egregiè cohortatus est.

De Episcopis Herfordensibus & Legeceſtrensibus.

CAPVT XVI.

Malm. & Florentius Vigorn.

VPVD *Herfordiam* sederunt PVTTA, TIRTELVS, TORTHERVS, WALSTOLDVS & CVTHBERTVS, qui *Cantuariensem* (vt ostendimus) postea sedem ascendit, qui & sepulchra decessorum, & facta illorum non omnimo ineleganter, pro temporum illorum ratione, versibus ornauit. E quibus aliquot hic subijcere non erit omnino alienum, vt & pietatem hominis, & eruditionem qualemcumque agnoscas.

Gul. Malm.

Hæc Veneranda crucis Christi, Veneranda sacrata
Cœperat Antistes Veneranda, nomine WALSTOD,
Argenti atque auri fabricare monilibus amplu.
Sed quia cuncta cadunt mortalia tempore certo,
Ipse opere in medio moriens, è carne recessit.
Ast ego successor præfati præsulis, ipse
Pontificis tribuente Deo qui munere fungor:
Quique gero certum CVTHBERT *de luce vocamen*
Omissum implebi, quod cœperat ordine pulchro.

Ceterorum sola nomina ad EDOWARDI vsque Regis tempora reperio. E quibus sunt PODDA, ECCA, CEDDA, ACBERTVS, ESNE, CELMVNDVS, VTELIVS, VLFERDVS, BEDNA, EDVLPHVS, CVTVLPHVS, MVCELVS, DEORLAFVS, GVEHEMVNDVS, EDGARVS TIDHELMVS, & ETHELSTANVS. Quorum alioqui certa & distincta tempora non se mihi obtulerunt, nisi quod WALSTODII mentionem

mentionē faciat *Beda*, *Matthæus* vero *Westmonasteriensis*, WVIVARDVM quendā constituit ad annum † octingentesimum sexagesimum quintum, sediſſeque tradit, ſub OFFA, quo tempore *Cantuariensem* ille dignitatem *Lichfeldiam* auertit. De reliquis ille nunquā (quantum memini) mentionem facit, niſi de CEDDA, cuius mortem refert ad annum octingentesimum quinquagesimum ſeptimum, ſucceſſorémque ei tribuit ALBERTVM. Conſtituit deinde poſt annos ſeptemdecim ATHELSTANVM quendam, virum doctum & ALFREDO Regi charum: poſt tredecim deinde annos collocat CELMONDVM ſucceſſorem ESNAE, defuncti ad annum octingentesimum octuagesimum quintum. Proximus, quem nominauit, eſt alius ATHELSTANVS ad annum milleſimum quinquagesimum ſextum. At iſta eius, quo modo cum reliquorum nomenclatura cohæreat, non video. *Legeceſtrenſium* etiam recenſio in ſolis nominibus, iſto & poſteriori ſæculo hæret. Sunt igitur TOTTA, ÆDBERTVS VNWONA WERENBERTVS, RETHVNVS ALAREDVS CELREDVS, LEVINVS, de quo dicemus ad tempora Regis EDGARI. Fuit autem TOTTA ad annum ſeptingenteſimum trigeſimum ſeptimum, VNWONA ad annum ſeptingenteſimum nonageſimum quartum, aſſuitque cum alijs Epiſcopis, cum reliquiæ beati protomartyris noſtri ALBANI in lucem primum emicuerunt. Eſt autem *Legeceſtria*, ſiue vt nunc vſitatius appellatur *Leceſtria*, antiqua ciuitas, vnde & Comitatus nomen trahit, condita à LEYRO *Britonum* Rege, vnde & nomen ſuum (vt quidam exiſtimant) ſortitur. Mihi eorum magis ſententia arridet, qui à *Legra* flumine præterfluente dictam exiſtimant.

† Sic omnia exēplaria ſed legendum 761.

Malm. & Florentius Wig.

Vide Flo an. 768 & Malmeſ. de Pontif.

De Epiſcopis Lichfeldenſibus, Dorceſtrēſibus, & apud Lindeſeiam.

CAPVT XVII.

HEDDAE, de quo alibi dictum eſt, ſucceſſit ALDWINVS, quo mortuo ad annum ſeptingenteſimum trigeſimum ſeptimum, tres Epiſcopos prouincia illa ſortita eſt. VITTAM *Lichfeldenſes*, TOTTAM (vt diximus) *Legeceſtrenſes* & ETHEADVM *Dorceſtrenſes*. VITTAE hi ad tempora Regis ETHELSTANI ſucceſſere; HIMELIVS, & ei ad annum ſeptingenteſimum ſexageſimum quartum defuncto, CVTHFRIDVS, BERTHVNVS, HIGBERTVS, ALDVLPHVS; qui pallio & metropolitana dignitate per OFFAM auctus eſt. HEREWINVS, ERCHENWALDVS, quem, (niſi vitioſum ſit exemplar, *Florentius* ÆTHELWARDVM appellat) HVMBERTVS, & ei ad annum ſeptingenteſimum ſexageſimum quintum defuncto TVMIRITHVS. *Matthæus* vero *Weſtmonaſterienſis* BERTHWINVM, HVMBERTVM appellat anno ſeptingenteſimo ſexageſimo octauo, poſt quem ſupponit ATHELWALDVM, & huic ad annum octingenteſimum quinquageſimum nonum defuncto HVMBERTVM, poſt quadriennium CINEBERTVM, & anno octingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo TVMBERTVM, EVMVRIDVM deinde, & huic ad annum nongenteſimum vigeſimum octauum defuncto, imperante ATHELSTANO, ELLAM. De *Lindiſſa* ſiue *Lindiſſarorum* & *Dorceſtrenſibus* Epiſcopis, non eſt expedita atque explicata, ſed impedita authorum noſtrorum oratio. Vbi *Cedenia* poſita fuit, in qua ſediſſe traduntur, ignoramus. Sitam vero eam Prouinciam ad meridianam *Humbri* fluminis ripam tradit *Beda*, & ſitam inter *Lincolniam* & *Humbrum*.

Malm & Florll. Wigorappellat Alwinum anno 784. & Bed lib. 5. cap. fin. Florll. Florll Sim Dunelm. anno 767.

MATTHAEVS *Weſtmonaſterienſis*, CIMBERTVM & alios, quos ſuperiore ſæculo poſuimus, vt & reſiduos, quos mox ponemus, & *Florentius Lindiſſæ*, *Gulielmus Malmesburienſis Dorceſtriæ* attribuit; qui nunc poſt CENEBERTVM catalogum contexuit. † ALPIVS (quem niſi depranatum ſit exemplar *Florentius* ALOYVIOCHVM appellat) ALDVLPHVS, COLVVLPHVS, ÆDVLPHVS, BRITHREDVS, LEOVINVS (hic eſt, vt cum *Gulielmo Florentius* teſtatur, qui *Legeceſtrenſem* cum hac ſede copulauit & coniunxit. ELFNODIVS, OSWINVS, ELFFINVS, EDNODVS, WLVINVS; tum ad tempora GVILIELMI *primi* REMIGIVS, atque hæc quidem nomina ex *Gulielmo*. Nā res geſtas illorum, temporum iniuria, hominumque incuria aboleuit. CINIBERTI vero opera, *Bedæ* haud exuola fuit in eccleſiaſtica ſua hiſtoria contexenda, ad quam exædificandam idoneam ex Prouincia ſua materiam ille ſubminiſtrauit. *Florentius* poſt EDNODVM ponit ETHELRICVM & EDNODVM rurſus, tum VLFVM ſede iectum, tum WLFWIVM ac deinde REMI-

† *Al. contexit.* ‡ *Al. Amplius.*

GIVM, sed credo exemplar non caret vitio. Proximus quem CIMBERTO *Matthæus Westmonasteriensis*, est EADVLPHVS, cui ad annum septingentesimum sexagesimum quartum obeunti sufficit CEOLVLPHVM. Obmutescit deinde duobus circiter seculis ad LEOFWINVM, cui fato ad annum nongentesimum quinquagesimum nonum fungenti, successorem dat AILNOTHVM, illi ASELVINVM, atque huic ÆLFIVM ad annum nongentesimum sexagesimum nonum; neque alium postea ante REMIGIVM ad annum millesimum octuagesimum, quintum recensere videtur.

De Cœnobijs & Monachis Merciæ *hoc seculo* Winchelcombiæ, diui ALBANI, & Eueshamensi.

CAPVT XVIII.

ILLVSTRIA hoc sæculo in hac Prouincia cœnobia sunt posita, præsertim *Winchelcombense* à CHENVLPHO Rege, vt antea narrauimus, *Albanense & Eueshamense*. *Albanense* diuo ALBANO protomartyri nostro sacrum, OFFA ædificauit Is diligenter accuratéque sepulchrum, & reliquias diui ALBANI perquiri præcepit, in qua perquisitione operam suam collocauit HVMBERTVS *Lichfeldensis*, OFFAE beneficio iam Archiepiscopus, cum suffraganeis suis CEWLPHO *Lindesiensi*, & VNWONA *Legeceastrensi* Episcopis. Pium illorum desiderium feliciter prouexit diuina pietas, columna lucida diuinitùs in locum eum demissa, qui sacras reliquias possidebat. Miro tum omnes efferri gaudio atque gratulatione, miro omnes honore atque reuerentia affici, cum sacras reliquias, tot sæculis, propter barbaricam illam *Saxonum* in ecclesias vndique debacchantium vastationem, hactenus ignoratas, Deus in lucem aspectúmque hominum protulisset. Quas OFFA in scrinio, auro & argento, gemmisque magnificè expolito reposuit, atque in cœnobio *Benedictinorum* à se condito, loco insigni locauit. Illa patefactio *Bedæ* fidem de alijs Diuorum reliquijs, ibidem à B. GERMANO *Antisiodorensi* positis, mirificè confirmauit. OFFA non solum prædiorum hoc cœnobium exuberantia, sed & varijs prærogatiuis, liberaliter ab HADRIANO pontifice Romano indultis, quibus illud ab omni Episcoporum, & Archiepiscoporũ potestate, atque iurisdictione exoluit, quemadmodũ & OFFA exoluit à ciuili, quam in Abbatem transtulit, magnificè adornauit: Sed longe maius insigniusque decus cœnobio accessit, ex amplis infinitisque miraculis, quæ Deus per beatum protomartyrem nostrũ, vt olim per beatum STEPHANVM, reliquorum omnium Martyrum noui Euangelij tempore primitias, & protomartyrem ad incredibilem opem, salutem, & sanitatem omnis sexus, & ætatis hominũ, qui eum morbis, qui omnem humanam opem superabant conflictabantur, ample, & insigniter effudit. A quo semper tempore reliquorum hoc fuit in *Anglia* cœnobiorum princeps. *Wilfegodus* primus omnium huius cœnobij præfecturam accepit. Ipsum vero iam oppidum diui ALBANI nomine insignitur.

De reliquijs diui Albani, & reliqua narratione. Vide latè apud Elor. an. 794.

Lib. 1. cap. 8.

Malm lib. 4. de Pontif

EVESHAMIENSE vero ope auxilióque CHENREDI Regis extruxit beatus EGWINVS Et fuerat ibi quidem olim ecclesiola à BRITANNIS posita. Hunc locum licet spinis vepribusque obsitum, quia tamen in solitudine procul ab hominum oculis, consortioque positus erat, EGVINVS in delitijs habuit; ibi diem noctemque in ieiunijs, orationibus, sanctisque meditationibus transigere solitus. Quibus sanctis exercitijs dum totum se aliquando dedisset, ecce beata virgo MARIA Christi mater, cum duabus alijs virginibus omnem humanam speciem, pulchritudinémque superantibus, se illi visendam obtulit, librum & crucem manu gestans. Qua cruce EGVINVM adorantẽ benedixit. Ex hac causa cœnobium *Benedictinorum*, hoc potissimum loco à fundamentis erexit. Quod CHENREDVS Rex *Merciorum*, & Rex *Orientalium Anglorum* OFFA, varijs possessionibus locupletarunt, CONSTANTINVSque deinde *Romanus* Episcopus, cum EGVINO, CHENREDO atque OFFA præsentibus *Romæ*, ad annum septingentesimum octauum, apud *Lateranum* confirmauit. Extant hodie CONSTANTINI, EGVINI atque CHENREDI scripta, in quibus de commemorata beatæ MARIÆ apparitione fit mentio. Ex qua occasione & synodus ad imaginum adorandarum confirmationem, quæ *Constantinopoli* impugnabatur, *Londini* celebrata fuisse traditur.

Aquila. Cap in catalogo sanctorum Anglia. Ex bron. Onuphrij an 711 & Ioan. Leland.

De

De Crolandiæ cœnobio, deque diuo GVTHLACO.

CAPVT XIX.

AD annum huius sæculi septingentesimum decimum quintum obijt GVTHLACVS, qui à Regibus *Merciorum* illustre genus ducens, postea generis splendorem virtutum suarum magnitudine longè superauit. Quam futuram viri amplitudinem, summamque qua apud Deum gratiam potiturus esset, admirabile quoddam, cum naceretur prodigium præmonstrare videbatur. Ecce enim quo tempore mater eius partui vicina decubuit, ad crucem, quæ ex aduerso maternæ domus sita erat, visa est humana manus crocei coloris cælitus demissa. Ad quod spectaculum cum vicinia frequens conflueret, manus illa crucis formam ostio puerperæ impressit, & mox euanuit manus. Omnibus miro stupore attonitis, & multis multa animo versantibus, egreditur vna ex mulieribus ad eos, & grauidam matrem GVTHLACVM nostrum feliciter peperisse nunciat. Qui sub militari disciplina postea primam adolescentiam traduxit, in qua insigniter profecit, multâque fortitudinis suæ, erga patriæ hostes fortiter decertando, argumenta ostendit, ingentémque sibi gloriam nomenque amplum acquisiuit. Neque tamen huius militaris gloriæ, cupiditatisque æstus ita eum absorbuit, vt non vel in eo ipso vitæ genere, germanæ pietatis aliquod specimen daret, quum & eorum, quæ bello ceperat, tertiam partem (quæ illius erat benignitas) hostibus redderet, vel ad memoriam postea reuocaret, quam lubricum & periculosum vitæ genus fuisset ingressus. Defixit igitur tandem animum, cum ad vigesimum quintum annum ætatis peruenisset, in acerima atque attentissima cogitatione id genus vitæ, imo totius humanæ vitæ, & quàm ea præceps ad celerem simulque incertum exitum ferretur. Complexus est etiam cogitatione infaustos multorum, à quibus longa serie ortus esset, Principum exitus, & quàm minimis momentis omnis humanæ gloriæ, rerúmque omnium in terris plausibilium, & illustrium inclinationes fiant; pœnas deinde ab irato iudice Deo illis, qui grauiter aduersus ipsum deliquerunt, in altero sæculo repositas.

HAEC igitur, & id genus aliæ graues, atque salutares cogitationes cum in animo eius versarentur, tum cultus illius militiæ † omnino pertęsus sub solo deinceps Dei stipēdia facere, spiritualique militiæ nomen dare constituit. Quas suas cogitationes vt commodius perficeret, monasticæ se vitæ apud *Repandon*, illustre hoc sæculo cœnobium, addixit; vbi vitam valde austeram ieiuniis, & fusas orationes, continuámque sacrarum literarum lectionem transegit: fuitque instar sedulæ atque officiosæ apis, quæ ex suauè spirantibus floribus vndique, quod suo alueario proficiat, exugit. Cumque vitia omnia summopere detestaretur, tum magna animi contentione pugnabat, & enitebatur, non vt vnam aliquam, sed vniuersas singulorum, quibuscum versabatur, virtutes sancta imitatione in se exprimeret. Quod erat igitur in singulis exors & egregium, id vniuersum, vnius doctrinam, alterius continentiam, huius patientiam, illius animi demissionem atque humilitatem, quorundam taciturnitatem, quorundam seueram in victu disciplinam, aliorum prolixas noctu diéque vigilias, omnium denique virtutum chorum in se vnum deriuabat. Cúmque iam probè per biennium periculum fuisset, præclarúmque se aliis exemplum in communi vita præbuisset, altiora meditatus est, miráque animum illius maioris solitudinis cupiditas incessit. Communicato igitur cum Abbate & fratribus proposito, bona illorum venia, & cum pia imprecatione dimissus est; delegitque sibi tandem sedem apud paludes *Crolandiæ*, in loco id temporis ab hominum frequentia remotissimo, & quem nemo prius, propter dæmonum infestationes, incolere audebat. Atque hic præclarus noster miles decertandum sibi putauit.

QVOD eius propositum, inuictámque animi constantiam, maligni dæmones miris artibus, terroribus, imo & grauibus plagis, verberibúsque corpori eius inflictis, abreptúmque per sublimem aërem ad os vsque inferorum deportantes, illumque in locum secum ad sempiternas pœnas luendas deturbaturos minantes, frangere, sed frustra conabantur. A quo tam graui terrore BARTHOLOMAEVS Apostolus, cuius sacro die, insulam primùm ingressus est, & cuius post Deum præsidio potissimùm nitebatur, eum magno splendore interueniens explicuit, & liberauit. Cuius etiam singularem opem in primo insulæ ingressu, aduersus nefarias sceleratorum dæmonum insidias, qui eum ad desperationem pæne omnis

melioris

Exist apud eum pergamino vita Cuthlaci, à coæquibus per Felicem Monachum Crolandiensem descripta. Quæ incipit: Fuit itaque quidam scripta paulo post illius obitum. In præfatione author dicit nihil se descripsisse, nisi post certissimam rerum gestarum inquisitionem.

† *Alias animo.*

melioris in suo instituto successus, adque cœpto vitæ illius cursui rerum tandem ferè perduxerant, opportunè sensit. Qui præsens præsentem consolatus est, deiectumque illius & fractum animum ita permulsit & erexit, vt nunquam postea huiusmodi tentationes subierit, quanquam nunquam cessarent sceleratí dæmones miris eum modis infestare. Aliàs in eum quasi hostilis BRITANNORVM, apud quos aliquamdiu exul fuit, exercitus incursu; aliàs quasi pecorum balatu, boum mugitu, serpentum sibilis, equorum hinnitu, luporum vlulatu, leonum rugitu, varijsque horrendarum vocum portentis in eum irruebant. Aduersus quos tam insignem ille patientiam, vt olim *Antonius*, *Hilarion*, & alij in *Ægypto*, & non ita diu antè CVTHBERTVS noster apud *Farnen*, tam egregiam animi fortitudinem in sanctis precibus, inque Deo solo omnem suam spem reponens, ostendit, vt non modo facile post aliquod tempus omnes eorum illusiones, omnia terriculamenta & machinamenta superarit, sed & eis plane quasi seruis imperarit.

IN hac ad eum solitudine delitescentem venit HEDDA Episcopus, qui & eum sacerdotio ornauit, venit & ETHELBALDVS exul, *Merciorum* postea Rex. Cuius ille animum magnitudine, diuturnitatéque rerum infelicium, meliorumque desperatione deiectum prorsus & fractum, ad meliorem spem erexit, regnóque eum, quod postea audit, potiturum, vt & multa aliàs alia prædixit. Multis GVTHLACVS, dum in illa solitudine viueret, ad salutem animæ corporisque consilio, morbisque & dæmonibus ex humanis corporibus depellendis, insigniter profuit; multa, quę longe gentium agebantur, quasi præsentia vidit, & expeditè veréque quid rerum gereretur sæpe nunciauit. Multa futura longè antè prædixit. In qua solitudine quindecim annos consumpsit. Quo toto tempore, omnes illius actiones, verba, imo & intimę cogitationes nihil nisi pietatem in Deum, pacem atque charitatem in homines spirabant. Nemo enim vnquam aut animo elatum, aut vultu iratum vidit, nemo vnquam mœrentem aut lugentem. Vna eademque semper inerat animi vultusque constantia; tranquilla & serena semper frons, magna sermonis comitas & affabilitas, magna in expediendis consilijs prudentia, singularis animi humilitas, summa in victu quotidiano continentia, cui singulis diebus modicum hordeacei panis, atque lutulentæ aquæ ad diei vesperum satisfecit. Quem cum dæmones ad continuum septem dierum ieiunium, sub specie maioris continentiæ hortati essent, ille eorum consilium captiosum, vt se sub pietatis specie immoderato ieiunio enecaret, irrisit planè, atque contempsit, & his verbis prophetæ *Conuertantur* *Psalm. 55. 10.* *inimici mei retrorsum*, insidiosos hostes fugauit, neque à pristina victus moderatione recessit. Lineo aut laneo panno nunquam vsus est, sed sola veste pellicea

ETSI vero humanam ferè naturam laborum, afflictionumque quibus se GVTHLACVS exponebat, magnitudo quodammodo superare videretur; labores tamen illi ex immenso illo suo in Deum amore, & cælestis laureæ non dubia, sed explorata quadam ferè spe, permodici & periucundi videbantur. Quos miris tam internis quam externis consolationibus Deus mirificè permolliebat & leniebat, cum præter alia, quæ dixi, aues atque pisces dicto sibi audientes haberet, bisque quotidie, post secundum quo eremum incolebat annum, cum angelo mane atque vesperi cælestes, atque inexplicabiles sermones conferret. Et GVTHLACVM quidem quasi colloquentem audiebat *Beccelinus*, qui ei inseruiebat, sed quid diceret, aut quocum colloqueretur ignorabat. Cui GVTHLACVS (quem iam moriturum per summum Deum obtestabatur, quicquid id esset ne reticeret) rem totam aperuit, & se cum angelo quotidie sermones instituisse affirmabat. Sentiens tandem vir pius mortem sibi imminere, ad exitum se præparabat, † cumque feria quarta ante Pascha in morbum incidisset, & septimo deinde die † obijsset, ad sacra Paschæ solemnia, quantumuis infirmis viribus, se recollegit atque excitauit, & Dominici corporis sacrificium immolauit, septimóque die iam iam animam exhalaturus, eodem se viatico muniuit,

† *Al.* Cum feria
† *Al obyisset.* Ad

SOROREM habuit *Pegam*, quam tamen in solitudine nunquam videre voluit. Moriturus vero per *Beccellinum* ei significauit, ideo se ab illius aspectu interim abstinuisse, vt apud Deum in cælesti illo regno sempiterno, illius aspectu præsentiáque securiùs incundiúsque potiretur. Rogauit tamen vt post mortem ipsius in insulam veniret, & iusta funeri faceret. Deus vero, vt viuentem in hac mortali vita multis suis, clarisque beneficijs, tum ad ipsius, tum ad aliorum salutem ornauit; ita præter cælestem illam gloriam, qua illius animam illustrauit, defunctum quoque apud mortales mirificè commendauit, & honestauit. Eo enim mortuo, tota domus, in qua obijt, inusitato & incredibili splendore illustrata est, visáque est turris quædam ignea è cælo ad terram pertingens, quæ solis fulgorem & lucem superare videbatur.

batur. Audiebantur cælestes & angelici cantus. Insula denique tota, quasi suauissimorum aromatum iucundissimo quodam odore perfusa videbatur. Cumque sepeliretur oculi cæci cuiusdam aqua perfusi, in quam portio quædam salis, precibus GVTHLACI consecrati immissa erat, pristinam lucem receperunt. Post annum a sepultura, cum *Pega* sepulchrum rursus aperuisset, vt alibi corpus reponeret, reperiunt GVTHLACVM instar dormientis potius quam mortui, totumque eius corpus solidum & integrum, & membra artusque quæ ad voluntatem astantium flectebantur, vestimenta denique non minus intacta & splendida, quàm quo primum die corpus illatum erat. Cui ETHELBALDVS Rex commemoratus, splendidum & magnificum postea posuit mausoleum. Qui cum adhuc in exilio permaneret intrauit GVTHLACI sepulchrum, eumque aduersus eas, quibus opprimebatur miserias, anxiè implorabat. Cui se per noctem quiescenti magno splendore illustratus GVTHLACVS videndum præbuit, sollicitudinémque omnem deponere iussit, fore enim vt propediem res omnes prospere ad ipsius voluntatem fluerent. Quam prædictionē non fuisse vanam, regno intra annum potitus intellexit.

NEQVE, rebus ad votum suum succedentibus, patroni sui ETHELBALDVS oblitus est. Insignem enim eo loci ecclesiam, cœnobiúmque monachorum *Benedictinis* ædificauit, & annuis abundè reditibus auxit. Licet autem valdè palustris sit locus, inter *Nenam* fluuium & insulā *Elienſem* positus, neque aditu nisi naugio possit: fuit tamen domus illa omnibus semper apertissima & hospitalissima, adeo vt benignitatis, ciuilitatis & vrbanitatis nomine ad nostra vsque tempora insigniretur. In qua etiam & illud, nec sine causa fortan animadiectum est, quod in tam multiplici conuersione & inclinatione temporū, in tam longa & furiosa *Danorum* infestatione atque debacchatione, quæ cætera id genus cœnobia vbique pessumdedit, incolumis & integra semper permanserit. Neque erit alienum hic iam adiungere FELICEM, illius paulo post cœnobij monachum, qui vitam ipsius GVTHLACI quam accuratè, cum à *Beccellino*, tum à *Cissa* presbytero, (qui post eum eandem solitudinem incoluit, licet ad obitum beati GVTHLACI non fuisset Christi baptismate perfusus, quod tamen ita futurum dixit GVTHLACVS) & *Wilfrido* Abbate didicerat, & miracula eiusdemque translationem, & Abbatum eiusdem gesta, tam soluta oratione quam carmine perscripsit: atque EALWALDO *Orientalium Anglorum* Regi (qui eum ad conscriptionem excitauit) dedicauit. Claruit FELIX circa annum septingentesimum trigesimum.

De ALFREDA OFFÆ *filia, de diua* FRIDESWIDA *& alijs quibusdam* Merciæ *Cœnobijs.*

CAPVT XX.

DELITVIT & in his paludibus egregia virgo ALFREDA OFFAE Regis filia. Quæ cum ETHELBERTVM sponsum, *Orientalium Anglorum* vt diximus, Regem à parentibus tam nefarie interceptum vidisset, tum magis pere eorum perfidiam execrata, meliori se statim & immortali sponso Christo, quem nemo auferre illi poterat, religioso voto dedicauit; diuinoque spiritu matri, cædis authori, tristia & dira (quorum fidem rei exitus confirmauit) ominata est. Non vixit ad triennium postea filius OFFAE EGFREDVS, cuius regnum ETHELBERTI cædem illa se munire & consolidare credebat. Neque illa amplius tribus mensibus post tantum scelus superstes fuit, & moritura tantis doloribus excarnificata est, vt linguam dentibus abscindere cogeretur. ALFREDAE accedat & diua FRIDISWIDA, & ipsa quidem illustris viri in *Oxoniensi* oppido filia, quæ cum deuota Christo virginitate sua id vitæ genus strenuè sectaretur, Regulus quidā *Algarus*, virginis pulchritudine formáque egregia captus, omnia enixè tentauit, quo eam in vxorem sibi asciceret. At illa precantem se abamatore & sponso Christo affirmat, nec iam esse sui iuris, nec decere vt cogitationes suas in tam humiles terrestris hominis nuptias abijcrat, quę illustri Regum omnium Regi & Deo Christo sic depacta. Quo magis illa renitebatur, tanto in illius pectore amoris flamma magis ingrauescebat, eo vsque vt ei, à qua se contemptū suasque nuptias abiectas clamaret, vi stuprum turpiter inferre conaretur. Iamque furibundus *Oxoniense* oppidū inuaserat, neque quicquā propius fuit, quā vt violenti hominis libidini virgo dederetur. A qua illā iniuria & contumelia, sponsus illius, ad cuius vnius opē supplex confugerat, mox vindicat immissa in impotentē hominē ce-

De quo vide Gul. Malm. & Ioan. Capgr. & Ioannem Quidam appellant Alfritham.

Gul. Malm. Polichr. lib. ca. 24. Ioan. Cap. Polid.

citate. Ille digitum præsentis Dei sentiens, virgini, cui vim inferre cogitabat, demissas supplex preces pro vitæ redintegrando offerre coactus est. Votóque post virginis ad Deum preces potitus, nullam deinceps illi molestiam exhibuit. A quo tempore, nescio quo terrore, horrebant ad mœnia postea sæcula Reges eam vrbem ingredi: quem primus HENRICVS *Secundus* abiecit, animoseque, & sine noxa aut fraude vrbem & ingressus, & egressus est, vt & alij postea Principes. Fuerunt & alia hoc sæculo in *Mercia* cœnobia, quorum hodie sola nomina tenemus, vt *Brewtonense* siue *Brindum*, cui præfectus fuit TATWINVS posteà CANTVARIENSIS (vt diximus) Archiepiscopus. Fuit & *Fledenburchum*, quod & hoc ipso sæculo ruinam meditabatur. Fuit & *Ripendon* (cuius meminimus) illustre id tempus cœnobium. Fuit & *Wadas* (non reperio cuius loci) Abbas, transmissus per CHENVLPHVM Regem ad LEONEM Pontificem, qui à Rege apud eum notatur legationis perfunctorie & dissolute obijsse. Ad quem postea *Birtmum* presbyterum cum literis, cumque dono centum viginti † mancularum siue marcarum misit.

Bed. lib. 5. ca. fin. Ioan Capgr. in Egfrids vita. Gul Malmes. Malel. de Reg. cap. 68.

† *Sic in S. sed Malmesburien. habet mancas &c.*

De Regibus Northumbriæ

CAPVT XXI.

ALFREDO patri successit OSREDVS, quem octennem reliquit pater. Qui cum libidinosè, ac flagitiosè vitam traduceret, neque sibi à constuprandis sanctis Dei sponsis temperaret, à cognatis suis CHENREDO & OSTRICO cæsus est. Illi igitur CHENREDVS, huic OSTRICVS successit, vterque à suis sublatus. Hos excepit CEOLVLPHVS, quem sibi OSTREDVS successorem assignauerat. Cuius regni primordia atque progressiones, videntur multis rerum aduersarum difficultatibus implicata. Quare ille prudenti cogitatione, vitam humanam, eiusque periculosos tumultus & præcipitia, maximasque in Regibus, minimis temporum momentis prosperæ fortunæ inclinationes incertum vitæ exitum, & horam accuratam denique, quæ de vel leuissimis cogitationibus Deo supremo iudici reddenda est, rationem seria cogitatione complexus: adeo rerum terrenarum cuiá munéinque totius mundi splendorem auersatus est, vt in Bedæ cœnobio, aut, vt quidam scribunt, in *Lindisfarnensi*, regia dignitate abdicata, monasticam vitam (aliorum sex *Anglorum* Regum vestigia sequutus) professus sit. Quod quam prudenter prouidéque fecerit, inter cetera successorum, de quibus mox dicemus, infausti & luctuosi exitus facilè ostendunt. Vir erat, præter summam prudentiam & pietatem, diuinarum & humanarum rerum cognitione excultus, & adeo absolutè doctus, vt Bedæ libros suos de ecclesiastica historia, non tantum ad legendum, sed ad probandum & emendandum ei transmitteret. Quorum lectio nam illa vt & totius antiquitatis, gentis præsertim suæ mirifice afficiebatur) non parum mi fallor momenti, ad id genus vitæ capessendum eum adferebat. Quæ animum illius, satis alioquin illuc inclinantem, magis tamen excitabat. Quem & post obitum Deus miraculis ecclesiæ commendasse creditur. Quid? quod & successor eius EGBERTVS patruelis, post alterum & vicesimum imperij annum cœnobium ingressus est.

Gul Malmes. de Reg.

Bed. 5. cap. fin.

Diff. cap. fin.

Gul. Malmes. de Reg.

In fine Hist.

Gul. Malmes. de Regib.

Polyd. & Sig. Mal. post 10. annum.

SEQVENTIVM iam tragicorum plane temporum tristis memoria, omnem mihi pænè non modo scribendi alacritatem, sed & voluntatem, commiseratione & rerum temporumque illorum indignitate excutit. Successor enim illius OSVLPHVS, suorum post annum, & MOLO OSVLPHI successor post vndecim annos, insidijs ALREDI periit. Quindecimo post anno à suis Imperio detrusus est, vt & successor eius ETHELBERTVS post quinquennium. Designatus deinde est Rex ETHWOLDVS, siue (vt quidam) ASWALDVS qui post vndecim annos, eiusdem coniuratione è medio sublatus. Cuius innocentiam, quantique fuit apud Deum meriti, miracula quæ diuinitus ad tumulum eius, in *Hagulstadensi* ecclesia, & alibi patrabantur, abunde testata sunt. OSREDVS deinde regnauit, sed annus vix volubatus est, à suis depellebatur regno. Simile fatum & ETHELBERTVM, siue ADELREDVM (qui & ETHELWALDVS dicitur, expectabat. Qui cum in exilio duodecim annos transegisset, cum quatuor posteà annis regnum possedisset, inueterata eorum perfidia sublatus est. Quæ rerum miserâ facies, multos principes viros & Episcopos, spontaneum exilium subire coegit. Cuius miseranda cædes audita, mirum in modum CAROLI Magni animum contra ANGLOS irritauit, atque † excitauit, adeo vt eum munera Regi *Mercensium* OFFAE, Regnique illius Episcopis remisisset, simultasque Regi ETHELBERTO, illiusque

Malmesb

Quidam Aswaldus. Gul Malm. de Reg. cum Dunst. anno XXII. Asserius & Ran.

Gul. Malmes. de Reg.

† *Al. exacerbauit.*

TO, illiúsque Prouinciæ Episcopis mittere decreuisset; non modò retinuerit, sed etiam, ni *Albinus* intercessisset, gentem illam perfidam insigni aliqua clade mulctasset.

HVIVS filius fuit ALCVMVNDVS, qui cum in subsidium venisset ETHELMVNDI subreguli *Merciorum* prælio contra *Vicontenses* decertantis, ibidem cæsus est: Cuius corpus apud *Albùm* monasterium, deinde apud *Darbeiam* reconditum est, structo eo loci memoriæ eius templo, quæ celebris propter miracula, ab eo ibidem post mortem edita, habetur. Post cædem vero ETHELBERTI res tam memorabilis accidit, vt vix parem vlla antiquorum monumenta memoriæ prodiderint. Nemo enim, triginta tribus posteà annis, regnum illud appetere audebat. Adeo istorum miserabiles casus omnium animos deterruerunt ab eius rei appetitione, ad quam per fas & nefas, & mille pericula atque mortes, proruere homines solent. Tanta est, & tam immoderata dominandi sitis. In hac igitur tanta destitutione, *Danisque* & vicinis eam interim regionem infestantibus, in manus potestatémque tandem EGBERTI *Visisaxonum* Regis deuoluitur, ad annum Domini octingentesimum vigesimum septimum. In hac autem narratione & Regum nomenclatura, *Malmesburiensem* potissimùm sequimur. Quod propter varietatem, quæ in alijs quibusdam historicis occurret, satis erit mihi semel admonuisse.

Polychr. li 5. cap 28. Assertus anno 801.

De Archiepiscopis Eboracensibus, *de* Hagulstaldensibus & Candidæ *casæ Episcopis, deq; diuo* IOANNE Eboracensi.

CAPVT XXII.

IOANNES adhuc puer, cum ingenuam virtutis atque literarum capacem indolem præseferret, THEODORO *Cantuariensi* Archiepiscopo instituendus traditus est. Sub quo ita profecit, vt ceteris omnibus æqualibus longè emineret. Habuit deinde & ipse celeberrimos auditores, inter quos *Herebaldus*, *Brithunus* Abbas; *Wilfridus* successor eius, & cum primis *Beda*. Quos ille non modo multiplici cognitione excoluit, verbísque ad pietatem incitauit, sed & præclarè vitæ suæ pietatisque exemplo, multo magis ad æmulationem inflammauit. In *Bedam* vero singulari amore propendebat, quem Diaconatus, & Sacerdotij honore ornauit. Eximia huius viri fama excitus ALFREDVS, post mortem EATAE *Hagulstaldensem* eum Episcopum constituit. Deinde defuncto BOSA ad *Eboracensem* ecclesiam translatus est. Cui officio maxima cum laude, summáque omnium admiratione satisfecit. Intenti erant in eum omnium animi oculique, tum propter summam eius virtutem cum pari doctrina copulatam, tum propter admiranda quæ designauit. Muto enim ab ipso ortu loquelam reddidit: puellam periculosè ægrotantem orando; & Comitis cuiusdam coniugem, postquam potasset aquam, quam precibus consecrauerat; puerumque, cuius adeo deplorata erat valetudo, vt iam loculus pro eo sepeliendo paratus esset, sanitati reddidit. Maius autem beneficium *Herebaldo* contulit, quem ab animi corporisque periculo conseruauit. Cum enim ipse se ritè baptizatũ fuisse arbitraretur, pius vir diuinitùs intellexit cũ non fuisse ritè baptizatum propterea quòd sacerdos, qui ministerium peragebat, propter ingenij tarditatem rusticitatemque ea non teneret, quæ de more ecclesiæ adhiberi dicique oporteret. Ea igitur quę ille omiserat, catechismum videlicet, & exorcismum, ipse in eo peregit, aquáque lustrali postea asperfit. Deciderat eo tempore *Herebaldus* ex equo, corporéque toto confracto & luxato, non sine vitæ periculo ægrotauit. Baptismo itaque expedito, & corporis ei sanitatem parauit, tanta celeritate, vt postridie sanus & vegetus, cœptum iter cum Episcopo continuaret.

De Iohanni Beda li. 5. c. 2. 3. & 5. 6.

IOANNES post triginta tres annos, quibus Episcopatum administrauit, quieti iam consulere, rudémque propter præcipitem, & emeritam ætatem accipere desiderans, relicto Episcopatu, *Beuerlacum* se contulit; vbi e vita migrauit, anno Christi nati septingentesimo vigesimo primo, Nonis Maij. Quem locum memoriámque defuncti Episcopi, tanta signa postea illustrarunt, vt non alius fere locus hodie in ANGLIA sit celebrior, propter insignia miracula; aut maioribus Principum priuilegijs amplificatus. E quibus miraculis lubet vnum aut alterum, è probatis historicis nostræ gentis sumptum, subijcere. Commendat itaque & hominis pietatem, & loci sanctitatem, mirum quod ibi sæpe solebat exhiberi spectaculum. Tauri efferatissimi maximéque immites, ad cæmiterium *Beuerlacensis* ecclesiæ magno hominem nisu atque sudore, arctissimis vinculis constricti, perducti, quamprimum cæmiterium

Gul. Malm. de Pont. Flor. anno 721.

fuerant ingressi, omnem mox feritatem & ferociam deponebant, vt non violentos & impetuosos tauros, sed mitissimas oues existimares. Quid? quòd anno Domini millesimo trecentesimo decimo secundo, oleum admirabiliter è tumulo eius, die diuo BERNARDO sacro, ad morbos depellendos salutare, vnius dici spacio profluxerit. Quid referam insignem victoriam ATHELSTANO Regi, precibus huius pij viri contra *Scotos*, datam? Et cum signum aliquod Rex posteris dari supplex ab eodem postularet, quod ANGLORVM Regis prærogatiuam in *Scotos*, clientes suos in perpetuum testaretur, duro mox Regem scopulo gladium impegisse, cauasséque locum in eo ad vlnæ longitudinem, eámque scissionem ad multa postea tempora in silice insigniter perdurasse? Quod ego certè non recitarem, nisi scirem EDOARDVM Regem eius nominis *primum*, cum apud summum Pontificem BONIFACIVM de suo in *Scotiam* iure, prærogatiúaque differeret: hanc historiam in subsidium suæ, coram Pontifice causæ, in medium attulisse. Ob hæc & id genus alia insignia, ad memoriam sancti IOANNIS miracula patrata, ALFRICVS decimus septimus post eum *Eboracensis* Episcopus, trecentis sedecim annis post obitum illius, regnante pio Rege EDOVARDO, reliquias eius in scrinio preciosè honorificéque collocauit, octauo Calendarum Nouembris.

Litera Edouardi extant in historia Tho Walsin. an. 1302.

Gul. Malm & Tho. Stubbeus in vita Eborac. Archiep.

IOANNEM WILFRIDVS (qui iunior dicitur, alius à priore) sequutus est; quē IOANNES antequam *Beuerlacum* secesserat, cum summo totius Cleri consensu, vt hominem, quem illi functioni maximè omnium accommodum nouerat, in suum locum suffecit. Qui post quindecim annos, honorem ad EGBERTVM transmisit. Reliquiæ eius, *Danis* omnia infestantibus, aut certe superioris WILFRIDI, per ODONEM Archiepiscopum sunt translatæ *Cantuariam*. Lis adhuc sub iudice est, *Cantianis* trahentibus id factum ad seniorem, *Eboracensibus* ad iuniorem. Post WILFRIDVM sedit EGBERTVS, fratei Regis EGBERTI, de quo paulo ante diximus, vir multis nominibus commendandus. Inter cetera, duo illustria fuere illius in eam sedem beneficia. Alterum, quòd pallii prærogatiuam, quo *Eboracenses* à PAVLINI obitu caruerant, sua industria, *Romanumque* Pontificem interpellando, tanto postliminio restituerit. Nam PAVLINVS cum fugeret ab *Eborico*, & *Rossensem* sedem accepisset (vt diximus) pallium quoque secum detulit. Nec illius rei cura successores PAVLINI quicquam commouit, qui simplici Episcoporum nomine contenti, nihil altius aspirabant. At EGBERTVS prudenter secum cogitans, multum interesse, vtrum aliena, quæque ad te non spectant inuadas, quod intemperantis & insolentis ingenij est; an tua iustè repetas, quod prudentis & frugi hominis est, amissum pallij honorem, sibi & successoribus, sua industria recuperauit. Alterum est insignis bibliotheca, qua *Eboracensem* suam ecclesiam instruxit. De qua satis ex *Albini* ad CAROLVM *magnum* epistola liquet. Date inquit, mihi exquisitiores scholasticæ eruditionis libellos, quales in patria habui, per bonam & deuotissimam magistri mei EGBERTI Archiepiscopi industriam; quod si placet. Excellentiæ vestræ, remittam aliquos ex pueris nostris, qui excipiant inde quæque necessaria, & reuehant in *Franciam* flores BRITANNIAE. Hæc *Albinus*. Humatus est in eadem porticu cum fratre suo EGBERTO, ad annum Domini septingentesimum sexagesimum sextum, post triginta sex annos Episcopatus suscepti. Inter cuius cætera ornamenta, non minimum censeri debet, quòd talem discipulum (qualis fuit *Albinus*) sortitus sit.

Malmsb.

Asserius an. 768.

VOCATVR deinde ad illud munus ALBERTVS, qui septimo anno pallium accepit, & deinde post septem alios annos sedem ad EANBALDVM transmisit. Fuit EANBALDVS vnus ex *Albini* discipulis, qui non mediocriter gauisus est, cum eum illo honore amplificatum audisset. Iste EANBALDVS communem operam posuit cum ETHELARDO *Cantuariensi*, vt dignitatis iacturam, per *Lichfeldenses* interceptæ, resarciret. Quam & egregiè, vt diximus resarcierunt. Obijt post septemdecim muneris sui annos, ad annum Domini septingentesimum octuagesimum septimum. In quo alius EANBALDVS renatus est. Nam & successor eius idem cognomen sortitus est, & vt nomine, ita & dignis Episcopo dotibus illi respondebat. Qui mox accepto pallio, ad annum septingentesimum nonagesimum octauum frequentem habuit apud *Pincanhal* synodum, vbi conspirantibus omnium votis, quinque œcumenicarum synodorum fides renouata est. Renouata sunt etiam decreta Patrum de stata & solenni Paschatis obseruatione, multéque ad disciplinam ecclesiasticam pertinentia constituta sunt. Et hæc quidem de *Eboracensibus*, quorum iurisdictionis cum *Hagulstaldenses* & *Candidæ casæ* Episcopi quasi appendices fuerint, & non ita multo post exoleuerint, in hunc quoque locum & eos conijciemus. Post obitum itaque WILFRIDI, presbyter

Quem Asserius appellat Ethelbertum, Malm. Ceno. Floril. constituit Ænbaldum Egberti successorem an. 767. Gul. Malm. de Pontif. Tho Stub. Eborac. Archiep.

Ita Thom. Stub. Sim. Dunel. an. 789. Asser. an. 788. appellant. & Ford. an. 793. Eutchaig.

byteripſius ACCA Pontificis *Hagulſtaldenſis* munus obiuit. Vir tanto magistro & decessore dignus. A puertia in familia & Clero BOSAE, *Eboracenſis* Epiſcopi ſanctè educatus est. Poſtea ad WILFRIDVM tranſijt, eique ad obitum totius vitæ, itineriſque *Romani* aſſiduus comes officiose adhæſit. Multa ille *Romæ* & vidit & didicit, vnde patriæ ſuæ deinde magno fuit vſui, & honori, eccleſiæ præſertim ſuæ HAGVLSTALDENSI. Catholicæ fidei, & conſtitutionum eccleſiaſticarum acerrimus ſectator fuit; à quibus ne latum quidem vnguem deflectebat. Eccleſiam ſuam non ſolum ſanctitate vitæ ſuæ, multiplicique doctrina, ſed & pulcherrimis ædificijs, atque inſtructiſſima Bibliotheca ornauit, multáque alia adiecit ad vſum & ornamentum eiuſdem eccleſiæ. Huc accedit peritia canendi, qua vt ſui vberius informarentur, MABANVM quendam ex diſcipulis GREGORII accerſijt, atque apud ſe duodecim annos retinuit. Quo tempore *Beda* eccleſiaſticam ſuam hiſtoriam, ad annum videlicet ſeptingenteſimum trigeſimum primum abſoluerat. *Bed. li. 5. cap. fin.*

HAGVLSTALDENSEM ACCA eccleſiam adminiſtrauit, in qua (vt quidam volunt) ad annum ſeptingenteſimum quadrageſimum perduraſſit, & deceſſit poſt viginti quatuor adminiſtrationis annos. Aduerſis tamen quibuſdam tempeſtatibus iactatus, pulſúſque Epiſcopatu videtur. Cuius rei certam & exploratam hiſtoriam adhuc non reperio. Cuius corpus poſt trecentos annos exhumatum eſt, vt honorificentius reponeretur, & ecce caſula, tunica, ſudarium, quæ cum corpore eius humata ſunt, priſtinam formam, ſpeciem & integritatem prorſus retinuerant, imo & multis poſtea ſæculis retinebant. Huius potiſſimum hortatu, *Beda* luculentas illas ſuas in LVCAM *Euangeliſtam* explanationes elucubrauit. Admotus eſt deinde FRITHEBERTVS huic muneri, & obijt ad annum ſeptingenteſimum ſexageſimum ſeptimum, & poſt eum ALCMVNDVS multis dotibus Epiſcopo dignis ornatus, qui obijt ad annum ſeptingenteſimum octuageſimum primum, quem ceteri agnoſcunt, *Guilielmus Malmesburienſis* non recenſet. Deinde TILBERTVS ad annum ſeptingenteſimum octuageſimum tertium, tum ETHELBERTVS, ad quem & eius ſocietatem, extat epiſtola *Albini*, qua illum ad æmulationem deceſſorum ſuorum in his locis pulchrè hortatur. Poſt quem EADREDVS, cuius obitus incidit in annum octingenteſimum. Deinde EADBERTVS, poſt quem *Guilielmus Malmesburienſis* TILFRIDVM quendam conſtituit omnium poſtremum. Immanis enim in illis oris *Danorum* deuaſtatio effecit, quo minus alijs poſtea ſuccederent. *Sim. Dunelm.* *Malm. & Sim. Dun.* *Sim. Dunelm. anno 740.* *Ioa. Cap. in vita Bedæ vbi extat epiſtola Acca.* *Gu. Mal. de Pont.* *Sim. Dun.* *Flor. Aſſer. Dun. ſed Mal. non habet eum.* *Floril.* *Mal. de Pontif.* *Floril. Gul Mal. appellat Lireuil.* *Flor Mal. appellat Lambertum.*

EST & alius in extremis ANGLIAE finibus, hoc fere ſæculo Epiſcopatus, ſimili pænè de cauſa ſimul & natus, & extinctus in Prouincia quidem *Pictorum*, ſed quæ ANGLICAE id temporis ditionis erat, locum *Witerne* appellant, alias *Candidam Caſam*, propter eam, quam ſuperius recenſuimus cauſam. Primum hic ad annum ſeptingenteſimum trigeſimum quintum ponit *Beda* PECTELMVM, ſed alij trahunt originem ad ſuperius tempus, & ad quedam ENVBERTVM, ad annum ſexcenteſimum nonageſimum octauum. Fuit is PECTELMVS ALDELMI *Sherburnenſis* prius diſcipulus cum ſequutus eſt FRITHWOLDVS, & obijt ad annum ſeptingenteſimum ſexageſimum quartum, FRITHALDVM PETHWINVS, qui ex hac vita abijt ad annum ſeptingenteſimum ſeptuageſimum octauum. ETHELBERTVS deinde *Witernenſis* Epiſcopus conſtitutus eſt. BALDVLPHVS deinde. Nec vlla poſtea illius ſedis Epiſcoporum, propter incurrentes crebrò *Pictos, Scotos, & Danos* memoria extat. *Lib. 5. c. fin. Mal. appellat Petelmū Floril.* *Gul. Malmeſ.* *Flo. ad an. 763* *Floril Sim Dun. 777. appellat Aldulphum.* *Aſſer. 791. Baldwulfus niſi fortè codex vitioſus ſit.*

De Lindisfarnenſibus, *ſiue* Dunelmenſibus *Epiſcopis*.

CAPVT XXIII.

EADBERTVM excepit EADFRIDVS. Huius potiſſimum hortatu BEDA, non ſolum ſoluta oratione CVTHBERTI vitam diligenter depinxit, ſed & eadem carminibus celebrauit. Hunc poſt viginti quatuor annos excepit EATHELWALDVS, qui paulo ante mortem BEDAE ea dignitate fruebatur, quo poſt ſedecim annos, ad annum ſeptingenteſimum quadrageſimum defuncto, CHENVLPHVS magiſtratu eo defunctus eſt. Cui poſt aliquot annos EADBERTVS Rex offenſus, eumdem ad vrbem *Bebbam*, quæ poſtea *Bamburi* dicta eſt, captiuum abduxit, ipſámque baſilicam diui PETRI armato milite obſedit. Quid? quod OFFA quidam, qui ad CVTHBERTI *Malmeſ.* *Bed. li. 5. ca. fin.* *Vita Post. Dun. & Sim. Dunel. Idem ad annum 749. Floril. anno 710.*

Vit. pont. Dun. & Sim. Dunel. 780. Floril. 781. Asserius 778.

reliquias opis tutelæque gratia confugerat, violenter inde auulsus est. Is, cum magistratum sacrum quadraginta fere annis obisset, ætate & functionis onere pressus, vt solutius & liberius deinde à grauioribus curis viueret HIGBALDVM ex totius Cleri consensu substituit, & intra triennium obijt. Cuius tempora *Danica* infestatio infamauit, de qua re grauiter apud eum quæritur *Albinus*, próque genuina sua in patriam pietate; promisit se enixè cum CAROLO *magno* acturum pro captiuis pueris redimendis, proque aliarum miseriarum leuandarum subsidio. Ille, post viginti duos administrationis annos, eam ad EGBERTVM transmisit.

Malmes.

De Cœnobijs & Monachis Northumbriæ *hoc sæculo, & primum de* Lindisfarnensi.

CAPVT XXIV.

MAXIME hoc sæculo illustres fuere monachi, propter regiam dignitatem abdicatam, CHENVLPHVS Rex, (qui in *Lindisfarnensi* cœnobio monachus factus est) & successor eius EGBERTVS, qui & ipse, vt diximus, monasticæ se vitæ addixit. Rarum & mirum quibusdam spectaculum fuit, videre illos pro fulgenti, & gemmis ardenti Regio diademate, tonsis crinibus, monasticam in vertice coronam gerere. Temperauit sua opera consilióque CHENVLPHVS rigidam illam, atque austeram *Lindisfarnensium* monachorum viuendi rationem. Qui hactenus ex traditione per manus ab AIDANO accepta, nihil bibebant præter aquam & lac. Iam vero benignius illis indultum est, vt ceruisiam atque vinum biberent. EGBERTVS vero octauus fuit ex his Regibus, qui ab AVGVSTINI aduentu monasticæ se vitæ dedidere & postremus (ni fallor) inter ceteros omnes ANGLIAE *Reges*. Quorum neminem eius vestigia sequutum reperio. E quibus fuere vt diximus, CEDWALLA & INA *Visisaxonum*, & ETHELREDVS & CENREDVS *Merciæ*, SIBERTVS *Orientalium Anglorum*, SEBBI *Orientalium Saxonum* Reges, & decessor eius CELVLPHVS Rex *Northumbriæ*. In *Lindisfarnensi* cœnobio EGBERTVS alius (vt quidam scribunt) ex illustri *Australium Anglorum* familia, prima iuuentutis suæ stipendia posuit. Quod si sit verum, merito hunc sibi locum vendicare potest, etsi peregrinam prorsus vitam in *Hibernia* & *Scotia* duxerit. In more enim positum erat hoc tempore multis ANGLORVM, vt adirent *Scotiam*, monasteriúmque AIDANI, FINANI, COLMANI, virorum illustrium; ibique vacarent sacris lectionibus, ieiunijs, vigilijs, aliísque exactioris vitæ exercitijs. Inter alios duo ex nobilioribus ANGLIS, ETHELHVNVS & EGBERTVS, patria ceterisque omnibus relictis, eò pietatis studio contendunt. Quos ibidem commorantes exitialis quædam lues cum alijs oppressit. EGBERTVS, cum nihil aliud quàm præsentem mortem expectaret, multis precibus lacrymisque maiores à Deo vitæ inducias, ad pœnitentiam prioris vitæ obeundam, postulabat. ETHELHVNVS vero è somno excitatus, eumque intuitus, Quid ita, inquit, EGBERTE egisti? Sperabam quidem post diuturnam, &. iucundissimam hanc nostram in mortali vita consuetudinem, simul nos etiam cœlestem societatem inituros. Sed hanc tuæ preces interrumpunt. Concessit tibi Deus prolixius viuendi tempus, provt postulaueras. Hæc ille effatus, proxima nocte vitam cum morte commutauit; aut potius mortuus est, vt Deo viueret.

Sim. Dun. anno 764.

Floril. 757. Malm. lib. 1. de Reg.

Ioan. Leland. Vide Bed. li. 3. ca. 4. & 27. li. 5. ca. 23.

EGBERTVS vero morbo omni leuatus, cum aliàs sanctissime vixit, tum ea potissimum exacte seruauit, quæ Deo ad depellendam eam ægritudinem vouerat, hoc est, peregrinaturum se per totam postea vitam, neque ad patriam rediturum; per singulas hebdomadas, vnum diem cum nocte in ieiunio continuaturum; per totam quadragesimam, semel se cibum capturum per singulas septimanas; neque quicquam aliud quam panem, & tenue lac, idque ad minimam quantitatem. Quem quidem ieiunij ordinem quadraginta dies ante Natiuitatem Christi, & totidem transacta Pentecoste, sanctè obseruauit. Hæc quidem EGBERTI fuit continentia. Qui cum intelligeret maiores suos, à quibus genus ex *Saxonia* trahebat, alioſque *Germanos* adhuc euangelicæ veritatis luce caruisse, gentilitatísque tenebris misere obcæcatos, pio quidem zelo cum destinatis socijs hoc iter suscipere decreuit. A quo tamen abstinuit, & diuina quadam visione vni ex socijs patefacta, & fœda præterea tempestate

pestate oborta, in nauigando prohibitus, iussusque à Deo vt COLVMBAE magis cœnobia verbo exemploque illustraret. Non tamen hanc curâ omnino excussit, sed alios postea misit, è quibus antesignanus fuit WILLIBRORDVS, de quo superius nobis est termo instituturus. Inter cetera præclara illius opera, hoc vnum omnium maximum est, quod *Hienses* monachos (quibus in ea insula diuus COLVMBA monasterium primus posuit, vnde per AIDANVM, FINANVM, aliosque, semina pietatis nostrorum animis primo sunt insita,) ad legitimam & catholicam Pascha tis obseruationem, & tonsuram ecclesiasticam post undecim annos, quibus cum eis conuersatus est, traduxerit. Quam re insigniter enituit diuina prouidentia, vt *Scoti*, qui tam promptè euangelio apud nos prouehendo incubuerunt, à nostris hoc quasi ἀντίδωρον acciperent, impletumque videtur illud PAVLI, *Si quid aliter sapitis, & hoc quoque Deus reuelabit*: Quod contigit quadragesimo anno postquam AIDANVS primum ad nostros venit. Obijt tandem vir pius octauo calendarum Maij, ad annum Christi septingentesimum vigesimum nonum, plenus dierum & pietatis; amplissimorumque bonorum operum, quasi fœnus Deo reddidit, propter humanæ vitæ communne debitum prorogatum, vt diximus. Cuius quidem mors non caret sua obseruatione, quod Paschalis die, eo inquam die, postquam missarum solemnia impleisset, ad cuius canonicam obseruationem, catholicámque vnitatem errantes pertraxit) mortem obiens, Pascha quod incœperat, in cœlo absoluerit; & quem mane sub sacramento humilitatis sumpserat, eundem sine velamento, facie ad faciem in gloria æterna sub vespere viderit. Primus huius cœnobij præses fuit EDMVNDVS, quem & ipsius cœnobij originem, *Ethelwolfus Bernicius*, in eodem hoc sæculo monachus, vir doctus, nec inelegans aliorum temporum poeta, celebrat. Vt & *Iolacum* commonachum suum virum sobrium, modestum & eruditum, qui monachus ibidem diuinas scripturas docte explicauit. Ad quod eum munus SIGWINVS Abbas selegit, cuius etiam vitam *Iolacus* descripsit. Anno vero huius sæculi septingentesimo nonagesimo tertio, *Dani* hanc ecclesiam, & omnia diuina atque humana depopulantur, magnamque in monachis cædem faciunt. Eiusdem etiam cœnobij hoc sæculo fuit *Vilfethus*, qui obijt ad annum septingentesimum septuagesimum tertium, fuit etiam in eodem oppido cœnobium sacrarum virginum cui HEBEVRGA præfuit.

ioan. Leland.

Phil p. 3. 15.

Sim. Dun.

Sim. Dunel.

Vetadun Bed. lib 5. ca. 3.

De Girwicensi *Cœnobio*, & BEDA, *de* Beuerlacensi & *alijs cœnobijs*

CAPVT XXV

POST tot sanctissimos ANGLIAE nostræ viros, quibus exuberantissime hoc, & superiore sæculo Deus nostram ANGLIAM ornauit, succedat tandem suo merito *Venerabilis* BEDA, non obid modo quod huius pænè solus diligentiæ debet ANGLIA, quod tot ipsius clara sanctitatis lumina ignorantiæ tenebris non sunt obruta; verum etiam quod tua doctrina virtuteque, in hanc piorum classem optimo iure referri debeat, quibus, supra octingentos annos, totus orbis celeberrimum dedit testimonium. BEDA itaque tanquam nouus *Samuel* postquam fari potuit, desijtque esse infans, templo Domini dedicatus est, atque in sanctissimorum & doctissimorum hominum celeberrima societate educatus, sub BENEDICTO & COLFRIDO Abbatibus (quo COLFRIDO iubente decimo nono ætatis anno Diaconus, trigesimo Presbyter à IOANNE *Eboracensi* designatus est) totam ætatem in sanctissimis studijs, orationibus, vigilijs & ieiunijs, ad sexagesimum vsque annum, vno fere posito dectriuit. Incidit in beata & aurea illa THEODORI & ADRIANI tempora, vnde magna ad literarias in Latina & Græca lingua progressiones, atque literas adiumenta accepit. Ad hanc tantam felicitatem cum intentam quoque diligentiam adiecisset, ingenij acrimonia laborisque assiduitate effecit, vt illius temporis quasi phœnix, idque in insula à reliquo orbe seiuncta appareret. Quam nec ipse vnquam, liberalioris ingenij cultus capessendi causa, egressus à multis creditur. Quicquid sane successui temporis, a quotidianis monasticæ vitæ muneribus, canendique (cuius præstantiam sub *Ioanne* celebri *Romanæ* ecclesiæ cantore, qui ad nos venit, imbiberat) decerpere potuit; id totum ad literarum studium detriuauit. Nihil illi plausibilius fuit, quam aut alios docendo scribendo-

vitam Bedæ descripsimus ex operibus eius libris ipsius exlo. Cap. Mann & Cuthberto discipulo illius, qui & vitam eius scripsit, quæ hodie extat.

scribendóque informare, aut ab alijs discere. Magnitudinem doctrinæ cum alia, tum & illa imprimis indicant, quod multi vndique ad eum confluerent discendi gratia, & qui commodè præsentiam sui facere non poterant, per vicarias literas cum exercitarunt, ad graues, & difficiles in scripturis, & alijs doctrinis quæstiones explicandas.

QVIN & SERGIVS Pontifex *Romanus* missis ad COLERIDVM literis, rogauit vt BEDAM *Romam* transmitteret, primo quoque tempore rediturum. Necessariam enim eius præsentiam, ad ardua quædam exequenda, ad totius ecclesiæ vtilitatem. vnde colligi potest peruagatam, & claram fuisse Bedæ, adhuc iuuenis famam, atque existimationem. Quo enim tempore SERGIVS obijt minime aut vix certè trigesimum ætatis annum attigit. Sed quid hæc consector? cum hodie præclara illius ingenij monumenta omnibus sint exposita? Quæ & ipse differre recensuit, ne aliena & suppositicia pro veris, & germanis venditarentur. Quantum autem authoritatis apud ecclesiam obtinuerit, & quam sanctimoniæ opinionem sustinuerit, illud probat; quod ipso adhuc viuo, homiliæ eius in ecclesijs palam legerentur. Quod non temere cuiquam à Christo nato contigisse, aut paucis admodum, extra Apostolos & Apostolicos viros, obtigisse reperitur. Huc accedit, quod & venerandum sanctitatis, & *Venerabilis Bedæ* nomen ei adhuc viuo (vt quibusdam placet) passim indultum sit. Postquam igitur in tanta doctrinæ & pietatis celebritate, ad quinquagesimum nonum ætatis annum peruenisset, in lætalem morbum incidit, qui eum per septem hebdomadas lecto affixit. In qua ægritudine, præterquam quod nihil omiserit de quotidiano precum stratarum penso, discipulis sacras literas prælegebat, variasque quæstionum difficultates expedijt. Quin vt suis ANGLIS, qui latinam linguam non callebant, consuleret, euangelium in maternam linguam transfudit. In qua etiam ægritudine, hac inter ceteras oratione visus traditur. Te deprecor bone IESV, vt cui propitius donasti verba tuæ sapientiæ, vel scientiæ dulciter haurire, dones etiam benignus aliquando ad te omnis sapientiæ fontem peruenire, & apparere semper ante faciem tuam. Qui viuis & regnas Deus per omnia secula sæculorum. Amen.

HAC ægritudine pressus, fratres astantes diligenter rogauit, vt exitum suum pijs ipsorum precibus Deo comendarent. Si vobis, inquit, aliquando mea industria fuit fructuosa, id mihi tantum à vobis gratiæ apponi postulo, vt ibi post meam mortem mei meminerits, vbi quotidie Christus est sacerdos & placationis sacrificium. Illud etiam AMBROSII morituri vsurpauit. Non ita me, cum inter vos vixi, comparaui vt pudeat me viuere, sed nec formido mortem, quia bonum Dominum habemus. Cumque grauibus morbi doloribus infestaretur, Aurum, inquit, fornax, at virum pium tentationum ignis probat; & adijciebat. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Noctibus vero cum deessent quos vel doceret, vel qui verba illius exciperent, eas totas pœne in pervigilio & orationibus transigebat; & si vel leuis eum somnus oppressisset, mox eum excussit, inque hanc vocem erupit. Suscipe Domine seruum tuum, ne calumnientur me superbi, fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam. Cum iam extremam horam imminere videret sacro Ascensionis Christi die, iussit sub se cilicium sterni, in quo decumbens hac orationis forma vsus traditur. O Rex gloriæ Domine virtutum, qui triumphator hodie super omnes cælos ascendisti. ne derelinquas nos orphanos, sed mitte promissum patris in nos spiritum veritatis, Alleluia: deinde cum applicuisset gloria Patri, & filio, & spiritui sancto, ad extrema verba, quibus spiritum sanctum complexus est, spiritum ipse suum beatæ Trinitati commendauit: eumque ad cælestia regna, quæ eodem die Christus Deus ascendit, feliciter transmisit, idque septimo calendarum Iunij, ad annum salutis nostræ septingentesimum trigesimum quintum. Mox præsentium omnium nares incomparabilis quædam odoris incundissimi suauitas, qualem nullæ vnguentariorum artes & officinæ præstare possunt, admirabiliter afflauit. Huius sacras reliquias quidam asserunt *Genuæ* in Italia conseruari, sed antiqua & probata apud nos *Dunelmensis* ecclesiæ monumenta probant, eum illic reconditum in loculo quodam auro argentóque exornato, licet primum in suo monasterio conditus fuerit.

Rom. 8. 18.

ROMAM fuerit necne à SERGIO accersitus, cum *Malmesburiensi* hæreo, neque certò pronunciare possum: misse tamen sunt qui contendunt, & *Parisijs* sacræ theologiæ fundamenta suis prælectionibus posuisse. Quem & *Cantabrigiæ* alij sacras prælegisse literas affirmant. De Romano illo itinere, quid MARTINVS *Romanus* Pontifex Pontificius ante eam dignitatem Legatus in *Gallia* pronunciarit, ex authore quodam nostræ gentis, sed incerto,

certo, ipsiusque adeo verbis subijciam. Successit NICOLAO Papæ anno millesimo ducentesimo octuagesimo primo MARTINVS, vir natione *Turonensis*, hic autem dictus fuit *Simon*, solemnis Legatus in *Franciam*, sed specialiter *Parisios* pro sedanda discordia inter scholares, nam sathanas seminauerat inter eos quasi schisma, vt quæque natio pro se contenderet primatum vniuersitatis ad se pertinere. Veniens autem Legatus & controuersiam audiens, pro lege promulgauit, esse ANGLOS primariam illius studij nationem. Nam *Beda* (ait) *Romam* petens, primus omnium scholas *Parisios* veniens tenuit, sacramque Theologiam ab Euangelio sancti *Ioannis* inchoans, dum primus ordinarie legit, omnibus alijs scientijs post se aditum pandit. Hæc ille. Alij ALBINO siue ALCVINO, & socijs illud tribuunt. Vtcunque sit, miror vel *Bedam* ipsum, vel discipulum eius CVTHBERTVM, qui vitam illius contexuit, huius rei nullam mentionem iniecisse, aut *Thomam* certe *Stubeum* in vitis *Eboracensium* Archiepiscoporum, vbi late de *Beda* pertractat, imo contrarium diserte affirmat; nec *Malmesburiensis* audet pronunciare quòd insulam vnquam egressus sit. Nam quod de præfectione *Cantabrigiana* dictum est, probationem in ea re authorem, propter ea quæ antea de illo protuli, & propter vel hanc ipsam narrationem, in qua fidem sibiipsi plane detrahit, desidero. In qua facit *Grimbaldum*, contra omnem historiæ fidem, *Vintoniensem* Episcopum, & IOANNEM *Scotum Bedæ* illius discipulum, eumque ad annum vsque octingentesimum quadragesimum quartum vixisse, vt necesse sit eum centum octo annos viuendo superasse. Illud vero inter cetera nullam excusationem accipere potest, quod contra omnium historiarum fidem, ipsámque adeo *Bedæ* ipsius contestationem fingit, eum, ab anno sexcentesimo nonagesimo secundo ad obitum, *Cantabrigiæ* vitam ferè traduxisse, & cum eò veniret, mente non habitu, monasticis (vt illius verbis vtar) disciplinis inhærentem.

INIVRIAM iam facerem & *Cuthberto* discipulo, cum primis præceptori *Bedæ* charo, valdéque in eũ officioso, & ipsi præceptori, si eum aut præterirẽ, aut alibi diuulsum à præceptore commemorarem. Cuius labori & industriæ aliquo modo, multa præclara *Bedæ* monumenta debemus. Quæ ille, præceptore dictante, cum ipse alioqui ad scribendum, propter incommodam & affectam valetudinem, dolorúmque magnitudinem impar erat, citato calamo excepit. Tantæ & ipse doctrinæ, vt (*Beda* mortuo) doctoris locum apud suos subiret. Qui non solum *Bedæ* opera industrie collegit, & concinnè digessit, sed & vitam illius, indiuiduus illi vsque ad mortem comes, præclarè & summa fide delineauit. *Derwood* id est *Deirorum* silua, *Beuerlacum* hodie dicitur, cœnobiúmque ibi à [a] IOANNE *Eboracensi* positum præterire non debet. Cuius Diaconus *Berethunus* eiusdem cœnobij postea Præses factus est. [b] *Ripensis* vero cœnobij hoc sæculo præsides fuere *Sethwinus*, *Albertus*, *Sigredus* ad annum septingentesimum octuagesimum septimum. Biennióque post, memorabilis quædam res accidit. Nam cum Dux [c] EARDVLPHVS à Rege OSREDO prope portam monasterij cæsus esset, cadauérque ad Ecclesiam delatum à monachis cum sacris cantionibus, vt paulo post humaretur, ecce media nocte Dux in ecclesia repertus est viuus. Cœnobium vero *Eboracense*, ad [d] annum septingentesimum quadragesimum primum huius sæculi, graui incendio conflagrauit. Sacrarum vero virginum apud *Strenesh al* cœnobio, ad tempus IOANNIS *Eboracensis* [e] ELFREDA præfuit. Fuit & [f] *Socriburgum* inter alia cœnobium, in quo EANBALDVS secundus *Eboracensis* Archiepiscopus initiatus est. BETTA vero Anachorita non procul ab *Eboraco*, obijt ad annum septingentesimum sexagesimum septimum. Fuit & *Ethelredum* monasterium, in quo EANBALDVS obijt ad [h] annum septingentesimum nonagesimum sextum. Fuerunt & alia, quæ difficile est, aut non necesse commemorare, quæ ante multa sæcula, vt pleráque ex prædictis, prorsus interiere.

a *Beda lib 5. c. 2. & 6.*
b *Sim. Dun. anno 780. 787.*
c *Idem anno 790.*
d *Idem.*
e *In vita Ioan. Ebor.*
f *In vit. Ebor. in Eanbaldo.*
g *Sim. Dunelm.*
h *Idem.*

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ ANGLICANÆ NONVM SECVLVM.

DE REGE VISIS AXONVM EGBERTO atque Romanis *Pontificibus, & Imperatoribus huius ſæculi.*

CAPVT PRIMVM.

Onuphrius Gul. Malm.

RAESENS quod iam ingredimur ſæculum in Regum noſtrorum EGBERTI, ETHELVOLPHI, ETHELBERTI, ETHELREDI atque ALVREDI: inque CAROLI *Magni*, LVDOVICI *primi*, LOTHARII, CAROLI *Calui*, LVDOVICI *Balbi*, CAROLI *Craſſi*, ARNVLPHI, atque LVDOVICI *quarti*, Imperatorum: & in LEONIS *tertij*, PASCHALIS, EVGENII *ſecundi*, GREGORII *quarti*, SERGII *ſecundi*, LEONIS *quarti*, BENEDICTI *tertij*, NICOLAI, HADRIANI *ſecundi*, IOANNIS *octaui*, MARINI, HADRIANI *tertij*, STEPHANI, FORMOSI, BONIFACII *ſexti*, STEPHANI *ſexti*, THEODORI *ſecundi*, & IOANNIS *noni* tempora, Principatus, atque Pontificatus incurrit. IOANNEM autem illum *octauum* quidam, ſed ſine ſolido certo aliquo fundamento, feminam ex ANGLO oriundam, ſexum & nomen mentitam fuiſſe tradunt. EGBERTVS ad rerum gubernacula poſt obitum BITHRICI, qui eum adoleſcentem Regiæ ſtirpis, ſummæ indolis & virtutis magnopere metuebat, atque ideo varijs artibus opprimere cogitabat, communi Principum conſenſu, è *Gallia*, vbi BITHRICI metu exulabat, ad annum Domini octingenteſimum euocatus eſt. Quæ illi aduerſa fortuna ſummo fuit bono, magnóque ad rempublicam feliciter gerendam adiumento, cum ibi maiorem & rerum ciuilium, moderatioriſque vitæ, atque adeo rei bellicæ peritiam (quàm domi potuiſſet) colligeret. Cuius poſt reditum, clara & illuſtria documenta dedit contra *Britannos*, *Cantianos*, *Mercios*, *Auſtrales Saxones*: Quos partim in ſuam poteſtatem, partim ad tributa pendenda redegit. Ita vt *Northumbri* potentiæ illius magnitudine territi, vltro ſe, ſuáque omnia illius fidei & tutelæ dederent. Atque ita tandem ſub eo, dilacerata & diuulſa prius in tot principes reſpublica, ad iuſti iam regni vires, auguſtiorémque quandam maieſtatis ſpeciem, ſe erigere cœpit. Qua potentia ſubnixus, edicto cauit, vt omnis populus, vnica ANGLORVM appellatione, totaque Regio, ANGLIAE ſolius nomine deinceps inſigniretur, BRITANNICO apud illos ſolos, quos WALLOS hodie ANGLI appellant, & apud *Armoricanos* in *Francia*, quò illi à *Saxonibus* pulſi, confertim confugerant, ad hunc vſque diem reſidente.

Aſſer Menev. in vita Alfr.

CVR autem non *Oſtroſaxonum* aut *Viſiſaxonum* (quemadmodum *Gothus*, *Oſtrogothorum*, & *Viſigothorum* inditum eſt) vel certe *Geuiſiorum* à *Geuiſio* vno ex illuſtribus illius maioribus (à quo BRITONES totam illam gentem *Geuis* appellant) nomen, potiùs quàm ANGLORVM indiderit, nullibi reperio vel expeditam, vel ab alijs propoſitam quæſtionem. Neque multum ea de re laboro. Suſpicari tamen licebit id ſtudio factum, vel vt magis *Merciorum*, *Northumbrorum*, *Orientalium Anglorum*, & aliorum ſibi beneuolentiam, gratiámque adiungeret, quibus ANGLIA *Germaniæ* genus ſuum ducebant: vel quia illa gens ceteris, id eſt *Vitis* & *Saxonibus*, qui in *Britanniam* confluxerant, multo fuit populoſior. Vtcunque ſit, hæc gentis totius appellatio (*non vt Saxo* ſcripſit ab *Angul* fratre *Dani* quam falsò dicit *Britannos* poſtea aboleuiſſe, nec minus falſo *Bedam* ſibi in teſtem aduocat, ſed ab EG-

Vide Etd. Lib. 1. c. 15

BERTI,

BERTI, cuius summa iam erat Imperij magnitudo, & magna felicitas, instituto primum manauit. Ceterum hanc omnem EGBERTI felicitatem, Imperijque magnitudinem conturbauit mox, & commaculauit, ac posterioribus temporibus plane euertit noua, & repentina paulo post calamitas, non à domesticis, sed ab infestis *Dacorum* piratis & latronibus profecta. Qui tamen instructa eum postea acie aggredi ausi sunt, & ni nox superueniens prælium diremisset, in summum periculum & dedecus adduxissent. Sed tenebratum beneficio ab ijs angustijs ereptus, postridie egregiè se vltus est, *Dacósque* ad fugam perpulit. Imperium deinde, post triginta septem annos, ad filium. ETHELVOLPHVM transmisit. Humatus est *Wintoniæ* in veteri cœnobio. *Saxo de histor. Danor. lib. 1 ita rem in principio.*

De Dacorum *in* ANGLIAM *irruptione, & cur Deus eos immiserit.*

CAPVT II.

DACI an *Dani* dicendi sint, & quænam sit prima eorum sedes, non parua est quæstio, sed non ita multum ad scopum nostrum spectans. Illud in confesso est, nostram gentem non solum hoc tempore à *Danis* (licet hi præcipuas in hac luctuosa tragædia partes agant) sed & à *Gothis, Norwegis, Suevis, Vandalis, & Frisijs* infestatam fuisse. Nec minus illud quoque in liquido est, illos, notissimam illam Aquilonaris *Germaniæ* partem (quæ olim *Cymbrica Cherronesus* dicta est) & vicinas regiones incoluisse, & hodie incolere. Quos à *Danis, Gothis, & Vandalis* illis, qui multis ante infestationem istam sæculis, tot insignes Romano Imperio clades intulere, & rursus non minores, longéque tandem maiores accèpere, oriundos, vt est credibile; ita quamdiu, & quando primum *Cherronesum* illam incoluerint, non est mihi satis adhuc expeditum. Sed vt ad id quod ab initio quæsiui reuertar, illud obseruaui in quibusdam vetustissimis scriptoribus, quos vidi, nondum impressis, *Dacos* appellari, in alijs tamen quibusdam *Danos*. Quam solam vocem *Saxo Dacicarum* rerum scriptor vsurpat. *Roger. Houeden. Floril. Hemingi. Huntingt. in Ethelwolpho. Vide Polyd.*

ILLA verò consideratio propiùs ad nostrum institutum accedit, vt diuinam in his rebus prouidentiam attentius ad cogitationes nostras reuocemus. Est enim Deus tam immensæ potentiæ (quod antea commemorauimus,) vt etiam mala in bona conuertere possit. Est rursus tantæ pietatis insignisque bonitatis, vt nec malum aliquod oriri sineret, nisi bonum aliquod ex eo eliceret. Quæ eius benignitas etiam in his, & id genus alijs barbararum nationum grassationibus satis elucet. Per quas etsi grauiter, non modo ANGLIAM nostram, sed & *Europam, Asiam* etiam atque *Africam*, propter scelera populorum castigarit, quemadmodum BRITANNIAM nostram prius per *Pictos & Scotos*, deinde per *Iutas, Vitas, & Saxones Anglos*, deinde per *Normannos* exercuit, res tamen tandem felicem & optimum exitum habuit: Castigasse dico, tacuit enim iam passim hisce apud nos temporibus, omnis honesti, virtutisque totius cura, vetusque ille pietatis ardor, qui *Anglorum* pectora in Dei amorẽ, rerúmque terrenarum contemptum incendere solebat, adeo se remisit, vt vbi prioribus melioribúsque illis temporibus, multi antea certatim omnium ordinum, adeoque Principes viri, spretis delicijs, abdicatóque omni prioris vitæ splendore, in solitaria se vita, vt diuinis rebus liberius vacarent, abdiderint; iam passim ventri & ambitioni, rapinis & cædibus indulgeretur. *Reg. Hoved. Flo. Hunt. Iisdem Annales Episcoporũ Dunelm.*

ETSI verò hæc barbarica colluuies in sola nostra *Anglia*, vt de alijs interim nationibus taceam, tantum Principum, vrbium, ecclesiarum, cœnobiorũ, omniumque ordinum ætatis, & sexus stragẽ ediderit, vt nullius eam hominis cogitatio, nedum oratio consequi possit; quando non tam cum hominibus quam cum Deo ipso, christianaque religione, à qua maxime abhorrebant, ad damnationis suæ cumulum pugnare viderentur; multos tamen interim nobis præclaros martyres peperit. Quid? quòd & ipsis *Danis* hæc ipsorũ impietas fructuosa esse tandem cœpit. Quippe qui ex hac occasione christianæ religioni animũ adiecêre, vt GVTHRVMVS Rex, & alij de quibus postea dicemus. Quod *Rolloni* & alijs *Danis* qui *Galliam* infestarunt hisce etiam temporibus accidit, vt & multo ante *Gothis* & *Vandalis*, qui in *Romanũ* Imperium tam truculenter grassati sunt. Longa vero fuit huius sæuæ depopulationis diuturnitas, & supra ducentos annos immaniter continuata, antequàm Imperio *Angliæ* potiri poterant. Sed & *Angliam* illi prius, non solum immanibus per omnes illius regiones, & ferè angulos, cædi- *Annal. Dunel.*

bus, vastationibus, atque depredationibus; verum & infinita quadam pecunia, inani quadam, & vana redimendæ pacis, atque quietis spe ostentata, atque promissa, ab ANGLORVM Regibus accepta, quasi ad ANGLOS miserè deglubendos nati, penitus exhauserunt. Nam vt cetera tempora prætermittam, ETHELREDA Rege regnante, oblata est primum DACO, quasi Cerbero placando, decem millium librarum ossa. Quæ summa paulo post ad sedecim millia, tum ad viginti duo, vel, vt alij scribunt, ad viginti quatuor librarum millia, & post quinquennium ad triginta sex librarum millia, postremo ad quadraginta octo millia excreuit. Quæ, vt & cetera quæ ad *Dacos* pertinent, *Marianus Scotus*, diligenter atque accuratè descripsit. Qui totius tandem ANGLIAE imperium, vt diximus, adepti sunt. Sed quàm fuit diuturnum adipiscendi, tam fuit profecto breue illius tandem adepti tempus. Neque enim vigesimum octauum annum egressum est, tamque fuit omnibus graue & inuidiosum, vt propensissima omnium voluntate edicto sancitum sit, nequis deinceps *Dacus* (vt suo loco dicemus) imperaret.

An 901. & 904 In fœdere quod Ethelredus icit cum Daco. Quod extat Saxonice impressum Lond. 1568. Marianus in Chron an. 1002. Mar. an. 1007. & 1019. Polid. li. 8.

IRRVPERVNT primo in ANGLIAM *Daci* regnante BITHRICO *Vissaxonum* Rege, vt diximus. Deinde ad posteriora, vt modo commemorauimus, EGBERTI tempora. Postea vero quasi diluuio quodam ANGLIAM totam inundarunt. Cælestia quædam signa auditu, visúque horrenda, ad illa se tempora ostenderunt, dira futuræ, vt credebatur, calamitatis huius præsagia. Triennio enim ante primam irruptionem, sanguinem de cælo pluit. Qua de re oculatum testem audisse iuuabit. *Ecce*, (inquit celeberrimus ille ALBINVS ANGLIAE nostræ, & totius huius seculi ornamentum) *ecclesia sancti* CVTHBERTI *sacerdotum Dei sanguine aspersa, omnibus spoliata ornamentis, locus cunctis in* BRITANNIA *venerabilior, paganis ducibus datur ad deprædandum. Et vbi primum post discessum sancti* PAVLINI *ab* Eboraco, *christiana religio in nostra gente sumsit exordium, ibi miseriæ & calamitatis cœpit initium. Quid significat pluuia sanguinis, quam in quadragesimali tempore in* Eboraco *ciuitate, quæ caput est totius regni, in ecclesia B.* PETRI *principis Apostolorum vidimus, de Borealibus domus sereno aere, de summitate tecti minaciter cadere? Nonne potest putari à Borealibus partibus venire sanguinem super terram?* Hæc ille. Quid? quod illo anno, qui primam illam irruptionem præcessit, vestes hominum crucis signo cælitus sunt aspersæ, atque insignitæ. Eo vero ipso anno, quo irruperunt, horrenda fulmina emicuerunt, & dracones ignem horribiliter spirantes visi, pectoribus hominum terrorem iniecêre.

Floril anno 788

Gul. Mal. li. 1. de Regib.

Flor. 790. Rog Houed. 886 Mar Scotus in Chron. 886. Rog. Houed. 793. Flor. hist. 795 Annales Dunst.

De *Regibus* ATHELVLPHO *siue* ETHELVOLPHO, ETHELBALDO, ETHELBERTO, & ETHELREDO, *crebrisque* Dacorum *irruptionibus atque infestationibus.*

CAPVT III.

SVMMA rerum ad vnum iam fere deuoluta, leniori & magis æquabili ductu fluet oratio nostra, neque in veteri illa salebra hærebit, in tot Reges quasi desultoria incurrens rerúmque omnium continuatio, ac series magis apta atque colligata sequentur. Excepit igitur EGBERTVM ETHELVOLPHVS, quieti, sedatique ingenij homo, & à bellicis tumultibus alieni; in illis tamen propter frequentes *Dacorum* irruptiones exercitu. Ad regnum admotus est inuito planè & alieno animo, quod & pertinaciter recusasset, nisi pertinacia illa cum magna reipub. iactura coniuncta videri potuisset. Iam enim diu antea, etiamnum adolescens, animum ab omni terreno honore, ad quem homines per fas nefasque proruunt, auerterat, & ad cælestium rerum meditationem totum traduxerat. Quidam eum Hypodiaconum, quidam & Monachum ordinatum, sunt qui & *Wintoniensem* Episcopum designatum asserant. Sed de monachatu atque Episcopatu non satis mihi liquidum adhuc est. *Asserius* vero *Menenensis*, qui vitam filij ALVREDI accuratè, & multa de ipso etiam conscripsit, ne Hypodiaconatus quidem meminit, nec plerique alij. Vtcumque sit, EGBERTO mortuo cum solus superesset ex regia sobole, omnium hominum tam ecclesiasticorum quam laicorum ordines, temporum difficultate perpensa, tum propter *Dacos* imminentes, tum propter ciuilem, quæ metuebatur in alio Rege asciscendo dissentionem declinandam; summa animorum propensione in hunc solum inclinabant. Quare Legati *Romam* quàm citissime amandati: ad ea impedimenta summi Pontificis authoritate discutienda, quæ sola tan-

Fab. c. 162. pa. 6. Gul Mal de Reg Polich. li. 5 c. 30. Polid li 3. Annales noui cæno Winton. Henr. Hunt. Sim. Dunelm Annales noui cæno Winton. Asserius de Reg. Floril.

sola tantum bonum morabantur. Neque enim ETHELVOLPHVS consensum suum aliter, vlla ratione accommodare voluit. *Romanus* Pontifex LEO, in tantis rerum angustijs eximit eum ab omni voti religione.

ETHELVOLPHVS deinde non tam suæ cupiditati, quam diu antea abiecerat, quàm communi vtilitati & quieti inseruiens, administrationem regni suscepit. Quod ita gubernauit, vt optimi sanctissimique Principis sempiternam laudem ab omni postea temporum memoria obtinuerit. Verus orphanorum pater, viduarum strenuus assertor, quorum destitutionem & solitudinem non solum ab omni aliorum iniuria vindicauit, sed & de suo profusè adiuuit, atque eximiè fouit. Sic enim erat homo, vt inter ceteras eius eximias dotes, eleemosynarum largitas, nuandique destitutos, atque inopes, intra propensio, præ ceteris in eo emineret. Decimam vero omnium suarum possessionum, Deo, ecclesijs, & monasterijs deuouit atque consecrauit. Imo prudenti cautione, piáque prouisione pauperibus in perpetuum alendis, & vestiendis prospexit. Tanti est à teneris sub bonis, & pijs magistris ad pietatem formari Sed quid impedit, vt non ipsa commemoratæ donationis verba, ad futurorum memoriam, atque imitationem hisce nostris scriptis annectam? *Regnante in perpetuum Domino nostro* IESV CHRISTO, *in nostris temporibus bellorum incendia, & direptiones opum nostrarum, & vastantium crudelissimus depredationes hostium barbarorum, paganarúmque gentium multiplices tribulationes, affligentium vsque ad † internecionem, cernimus tempora incumbere periculosa. Quamobrem ego* ETHELVOLPHVS *Rex* Occidentalium Saxonum, *cum consilio Episcoporum ac Principum meorum, consilium salubre atque vtile omne remedium affirmaui, vt aliquam portionem terræ meæ, Deo, & beatæ* MARIÆ *& omnibus Sanctis iure perpetuo possidendam concedam, decimam scilicet partem terræ meæ, vt sit tuta a muneribus, & libera ab omnibus seruitijs sæcularibus, necnon regalibus tributis maioribus & minoribus, siue taxationibus, quod nos* Witteredden *appellamus, sitque omnium rerum libera pro remissione animarum & peccatorum meorum, ad seruiendum, soli Deo sine expeditione, & pontis constructione & arcis munitione: vt eò diligentiùs pro nobis preces ad Deum sine cessatione fundant, quo eorum seruitutem in aliquo leuigamus. Placuit autem Episcopis Ecclesiæ* Sureburnensis ALSTANO & Wintonien*s.* SVITHVNO *cum suis Abbatibus & Dei seruis Viris scilicet & feminis religiosis, quibus supradicta collata sunt beneficia, consilia inire, vt omnes fratres & sorores omni hebdomada die Mercury, hoc est* Wodnesday *in vnaquaque ecclesia cantent Psalmos quinquaginta, & vnusquisque presbyter duas missas, vnam pro Rege, & aliam pro Ducibus eius in hunc modum consentientibus, pro salute & refrigerio delictorum suorum. Post quam autem defuncti fuerimus, pro Rege defuncto singulariter, & pro Ducibus communiter, & hoc sit firmiter constitutum omnibus diebus christianitatis, sicut libertas constituta est, quamdiu fides creuit in gente* ANGLORVM. *Scripta est autem hæc donationis charta anno gratiæ octingentesimo quinquagesimo quinto, Indictione quarta, quinto nonas Nouembris in Vrbe* Wentana, *ante maius altare beati* PETRI *Apostoli.* Et hactenus illius diploma.

Alured. Rieuall. de regib.

Gul. Mal. de reg. lib. 2.

Flor. anno 854. Gul. Malm. lib. 2. de reg. b.

† *Al:* interitum & internecionem

MIRO autem sacra Apostolorum limina inuisendi atque adorandi studio ferebatur. Nec prius conquieuit, quam desiderio suo potiretur. Inuisit itaque atque adorauit loca sancta, & vndique perlustrauit, totu ieiunijs, vigilijs atque orationibus deditus. Quo tempore non solum annuum illud, de quo diximus, denariorum diui PETRI vectigal persolut, sed & trecentas singulis postea annis auri, vt appellamus, marcas, sedi Apostolicæ transmisit. Ducentas ad fouenda lumina, quæ ad honorem Apostolorum accendebantur: centum verò ad priuatos Pontificis vsus. Scholam quoque ANGLORVM, quam INA Rex *Vvestsaxonum* construxerat, quæ incendio consumpta grauerat, reparauit, & tectam atque tectam fecit. Ea est hodie hospitalis domus Sacerdotum ANGLIAE, atque aliorum eiusdem nationis egentium vlibus deseruiens. Cúmque hoc tempore nonnullos videret, qui ex pœnitentiæ iniunctæ præscripto, ferreis palam vinculis obstricti obambularent, impetrauit à Pontifice, ne ANGLI hoc genus pœnitentiæ extra patrios lares subirent. Neque tamen interim domesticam reipub. contra *Dacorum* incursiones curam abiecit, quos grauiter bacchantes, fortiter repressit, regnóque expulit. Quippe quos tam memorabili clade apud *Odcum Australium Saxonum* contudit, qualis nec antea, nec postea illis vno die inflicta est. *Romanum* deinde de quo dixi, iter capessit Biennio postea superuixit, obijtque post trigesimum administrationis suæ annum, W*intoniæ* humatus, regno inter filios ETHELBALDVM, & ETHELBERTVM prius, ex supremis tabulis diuiso. Quibus multum *Dani* negotij facessserunt.

Annal. Winton.

Alii Offa Mercionum regi hãc scholam tribuunt.

Polid. lib. 5 Asser. in vita Hanrici Hunt.

Gul. Mal. de reg. Aster in vita Aluf Polydor. l. 5. c. 12 Fab. p. 6. c. 267 dicit concubinam patris.

CONTAMINAVIT insigniter famam suam ETHELBALDVS; si, quod quidam scribunt, IVDITHA nouercam vxorem duxerit, aut, vt alij volunt, concubinam patris. Vterque *Schireburniæ* sepultus. In quorum locum subijt tertius frater ETHELREDVS, vir summæ spei virtutisque. Quo regnante, licet exiguo tempore, nempe sex duntaxat, aut maximum octo annos, mirum quam insigni clade *Dacos*, immensa singulis annis multitudine

a Pol. Gul. Mal. de reg. lib. 3. & Aster. in vita Fab pa. 6 c 170 Gul Malm. l. 1.

in demortuorum locum succrescente, affecerit, & ipie nonnunquam rursus affectus sit. Ita sane, vt nouies vno anno infestis signis in hostem illatus sit, Regémque cum comitibus, populumque infinitum ceciderit; vt nihil dicam de quotidianis *Dacorum* vbique irruentium debacchationibus, & miseræ patriæ nefandis depopulationibus. Nec tamen hostes tam suis viribus (etsi deploratissime audaciæ homines) quàm nostrorum imprudentia, socordia & dissidijs creuere. *Northumbry* enim, *Mercij*, *Orientales Angli*, *Orientales Saxones*, & alij, qui ab EGBERTO placide in *Visisaxonum* imperio acquieuerant, dum nimio, importuno, atque præpostero illius excutiendi studio, ob *Visisaxonici* regni perturbationem & angustias, tenerentur; longe grauiori *Dacorum* iugo impliciti sunt: dum nec ex seipsis, in ciuili præsertim apud *Northumbrios* discordia, ad vim eorum infringendam, vires sufficerunt; nec illas cum ETHELREDO ad communem hostem propulsandum coniungere voluerunt.

Annales noui cœnob. Wint.

CVM igitur efferati & imimites isti homines, *Orientali* iam *Anglia*, & *Northumbria*, cæsis illorum Regibus, qui seram post mutuas dissensiones, concordiam refartientes, aduersus *Dacos* se consociauerant, potirentur, *Merciosque* ad obsides dandos coegissent, toti ad *Visisaxones* prorsus labefactandos, & euertendos incubuerunt. Et euertissent certè, nisi incredibilis ETHELREDI fortitudo labantes, & fatiscentes pæne omnium animos vtcumque sustinuisset. Et hæc quidem de fortitudine illius dicta sunto. Istud vero iam de pietate animi illius, præclaráque in Deum fiducia, subijcere, erit operæ pretium. Cum enim numerosus & robustissimus *Dacorum* apud *Essedunum* confluxisset exercitus, quem duo Reges ductabant, iamque furiosè ALVREDC Regis fratri, qui fratrem expectabat ita imminerent,

Aster. in vita Alured.

vt vel collatis signis decernere, vel pedem cum ignominia referre cogeretur; ETHELREDVS propere ad succurrendum euocatus respondit, Se ex eo loco pedem prius non velle efferre, quam tota sacra absoluerentur. Sacris tum missæ mysterijs presbyter operabatur. ALVREDVS itaque solus, idque loco prorsus iniquo (superiorem enim hostes magno suo commodo obtinebant) decernere coactus, parum abfuit ab internecione; cum ecce ETHELREDVS superueniens, confractos iam pænè omnium animos erexit, moxque tanto impetu in hostem irrupit, vt grauiter cæsum turpiter fugere compulerit. Quo in prælio cæsus est OSRICVS Rex, cum quinque Comitibus, & immensa barbari populi multitudine. Inter hos tantos, tam varios, tamque variante fortuna (vt aliàs *Daci*, aliàs ETHEL-

Fabianus.

REDVS victoriam auferret conflictus, accepit tandem ETHELBERTVS graue vulnus, ex quo postea occubuit, & in cœnobio *Winburnensi*, seu *Woburnensi* sepultus est.

De Rege ALVREDO *& eius præsijs.*

CAPVT IV.

Henr. Hunt. l. 5.

ANGLIA his temporibus tam immaniter infestata est à *Dacis*, qui eodem fere tempore, & nonnunquam die, in varias eiusdem regiones magna cum barbarorum colluuie, simul tam repentè irrumpebant, vt cum veniret ad Regem nuncius, appulisse barbaros in *Visisaxoniam*; mox alius tristis nuncius ex *Oriente* adferretur, qui illas ab eis plagas occupatas; tertius deinde grauis nuncius ex *Austro* veniret; atque in continenti alij præterea ex *Aquilone* aduersi nuncij, aut Pegasi potiùs, quos etiam nonunquam fama sua celeritate superabat, aduolarent, omnium aures & animos similibus terroribus implentes. Regni moderamen post tres fratres ALVREDVS siue ALFREDVS, vtrúmque enim nomen apud historicos occurrit, suscepit. De quo si pro meritis & dignitate viri dicerem, iustum res illius opus, prolixúmque postularent. Sed propositum mihi rerum compendium, quoad potero persequar. Cuius ego res gestas, præclaráque facinora quasi in duas classes distribuam; quarum alteram res publicæ, alteram priuata illius vita possidebunt. Publicæ vero illius functiones, aliæ ad bellicarum, aliæ ad quietarum, & sedatarum in Repub. actionum laudem, & decus trahuntur. De bellicis igitur, & Martijs illius

lius facinoribus primum perstringemus, Perstringemus, inquam, rerum enim magnitudo exquisitam iam mihi narrationem non permittit. Satis erit capita quædam libasse, & leuiter transire. Nolo tamen in tam spacioso campo ad nimias angustias orationem deducere.

REPRAESENTA igitur tuo animo atque cogitationi, optime lector, *Dacos*, iam in *Northumbria*, in *Orientali Anglia*, in *Mercia* longe latèque omnia depopulantes. Repræsenta tibi infestas reliquarum regionum per *Dacos* populationes. Repræsenta excisionem, inflammationem, euersionem & vastitatem, ipsi etiam *Vissisaxoniæ* (quæ propria & peculiaris illius, & maiorum ipsius prouincia erat) illatam, *Exoniam* & regiam sedem *Chippinghamensem*, aliasque vrbes illi ereptas, maximámque illius prouinciæ partem ad eorum imperium, incolis victis & abactis, redactam, ipsum denique ALVREDVM tantis angustijs pressum, in paludstribus *Somersetensis* Comitatus locis, apud *Ethelingiam* delitescere, & vel prædas, tum à *Dacis*, tum etiam à suis, qui *Dacis* parebant, vt quotidianum sibi suisque victum suppeditaret, agere; vel piscando, & venando, cum sibi suisque prebere coactum. *Polid. lib 5. Asser. in vita Annal. nouj, anob. Wint.*

Cum tamen ille nihil prius, quod ad præclari & strenui ducis, atque Imperatoris munus spectaret, prætermisisset, septiesque vno eodemque anno, magnis difficilibusque bellis, & in multa varietate fortunæ versatis, cum hoste conflixisset, multásque terra, marique eximias ab eis victorias, sed frustra ferè reportasset. Hydræ enim huius capita quantumuis recisa semper maiori numero ita renascebantur, vt cum triginta millia pridie cæderentur, postridie aut paulo post in duplum accrescerent. Cumque manus dare, fœderáque inire, sanctéque se deinceps ab infestandis *Vissisaxonibus*, abstenturos promitterent, obsidésque adeo sæpe in summis rerum suarum difficultatibus dare cogerentur; fœdera tamen paulo post nefarie perrumpebant, fœdéque omnia grauibus incursionibus vastabant, & diripiebant, ipsumque tandem ALVREDVM ad palustres illas latebras confugere compellebant. *Polid. lib. 5. Floril. an. 877. Polid. Henr. Hunt. anno 7.*

IN qua ille destitutione, licet esset perculso atque tracto animo, nunquam tamen vel de diuina ope animum despondebat: nunquam animum ad meliores res sperandas, vel has ipsas fortiter ferendas, scripturarum diuinarum lectione erigere, nunquam vel in his ipsis latebris, quæ ad defensionem pertinerent, parare atque prouidere, palustrémque illum locum arce munire prætermittebat. Cumque, licet non sibi deesset quantum humana ratione poterat, totus à Deo penderet, seque totum illius voluntati dederet, magnúmque Deus de illius æquanimitate & patientia, vt olim de *Iob*, & præclaro illo duce *Machabæo*, documentum cœpisset, ecce illustria mox illi optimæ spei signa dedit. Accessit ad eum quidam sub specie inopis, frustum panis ab eo emendicans. Tum ALVREDVS, Gratias inquit domino, maximas ago, qui inopem suum per alium inopem inuisit. Cui ex modico pane & vino, quod solum superfuerat, portionem præbuit. Sequenti nocte, cum se post longas orationes quieti dedisset, diuum CVTHBERTVM vidit, consolantemque, & vt bene speraret, & optima quæque, clarásque ab hoste victorias, quietiorémque reip. statum post tantas rerum asperitates expectaret, admonentem audiuit. Et præclarus paulo post rerum euentus huic visioni prorsus respondit. Ipse interim bona spe erectus, è latebris prodire cœpit, magnúmque quiddam ausus, dissimulata persona sua atque habitu, hostium etiam castra, consilia eorum expiscaturus, ingressus est. Confluunt interim ad eum Proceres multi, atque milites, iusti exercitus instar. Quos ille ad hostes alacriter inuadendos, graui fortique oratione animauit. *Asser. Annal. Wint. Annal Wint. Alured. de reg. Polid. Gul. Mal. lib 2. Annal Wint.*

GRATIAS, inquit, Deo Opt. Max. quantas mens nostra capere potest, maximas, optimi commilitones agimus, qui nos tot tantisque hactenus rerum difficultatibus implicuit, tot laboribus exercuit, tot angustijs patientiæ, fideique nostræ periculum experiri voluit. Grauiter quidem nos hactenus pressit, exercuit, & debilitauit, sed non penitus confregit & oppressit. Hæsimus in grauibus; sed iustis hactenus peccatorum nostrorum pœnis, quibus tamen nos penitus (quæ illius bonitas est) quod tamen merebamur, absorberi non est passus. Leuiter nos, si merita nostra respicimus, & molli, vt benignus pater, non virga ferrea, vt immitis tyrannus castigauit. Neque dubitare quicquam debemus, quin resipiscentes filios, post paterna ista verbera, in gratiam recipiet; & insolentes nostros hostes, qui ad hanc potentiæ magnitudinem, non suis viribus, sed nostris peccatis creuerunt, sit insigniter repressurus. Quibus, mihi credite, ingentem nuper à Deo iniectum terrorem, animóque eos labascere plane sentio. Colligite igitur animos, & quo vos Deus ipse iam vocat, alacri, fiduciéque pleno animo in immanes hos hostes ite. Non deerit à se pendentibus Deus, cuius ope freti hostes nostros aut prorsus pessundabimus, aut multo tolerabiliorem nostram conditionem efficiemus. Meminisse vos volo qui aduersus quos, quàm iusta, imo quàm necessaria de

rta de causa decertemus: Christiani nimirum aduersus Ethnicos, pij aduersus impios. Decertamus aduersus immanes piratas & latrones, qui nulla a nobis lacessiti iniuria, regiones nostras longè latéque vastauerunt, easque ferè omnes nobis eripuerunt: qui infinitam cædem nostrorum, nullo ordinis, ætatis, aut sexus discrimine habito, fecerunt. Decertamus aduersus eos, qui sexcenta fœdera, pactáque pacis sacrosanctæ ab eis inita nulla fidei promissionisque suæ habita ratione, conuulserunt. Decertamus, non vt nos aliena iniuste inuadamus, sed vt nostra, per summam à nobis iniuriam, ablata, iuste repetamus. Decertamus vt parentes, liberos, notque ipsos, reliquosque omnes nostros à fœdâ, & barbara seruitute, filias, cognatásque nostras ab immani eorum libidine, stupróque nefario vindicemus. Imo non tam pro focis, quam pro sacrosanctis altaribus, quæ ipsi scelerate euerterunt, próque Christiana prorsus religione asserenda (quam ipsi summopere, Deúmque ipsum, nostræ religionis authorem & conditorem, detestantur & exectantur) decertamus. Hæc & id genus alia ALVREDVS; simúlque quantam illi Deus, per nocturnam quietem, consolationem spémque obiecerat, Proceribus & militibus explicat.

Psal. 67. 36.

HAC ille oratione mirum in modum omnium animos ad virtutem, præclaráque facinora obeunda exacuit: Orationémque illam populus, tanquam oracului quoddam venerabundus excepit, & acclamauit: *Dominus dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus.* Neque vlla interposita mora, ad arma a nostris prorumpitur. Quorum vim & impetum hostes nullo modo sustinuerunt, ad internecionem pœne cæsi. Ereptumque illis est celebre illud ipsorum, quod *Rauen*, a corui na, quam præ se ferebat, effigie appellabant, vexillum.

Alured de Reg. Hanr. Hunt.

Reliqui deinde ALVREDI melius quotidie succedebant aduersus hostes, quos ille terra marique magna cæde cæcidit: adeo quidem, vt alij in *Franciam*, alij in patriam vnde venerant, transfugerent. Quas autem in *Francia* turbas & tragœdias cierint, quam longè latéque omnia depopulati sint, quantam internecionem fecerint, a *Francorum* annalibus petendum relinquo. Hoc tamen inter tot miserias commode accidit, vt & *Normanni* in *Francia*, *Dacique* etiam aliquot in ANGLIA christiana religione insigniti sint; post hanc præsertim ALVREDI, quam modò commemorauimus, victoriam. Inter quos fuit GVTHRVNVS Rex *Dacorum* in ANGLIA, cum triginta proceribus, aliáque ingenti multitudine, quem GORMONEM quidam appellant (alterum nomen fœdus, *Saxonica* lingua cum eo ictum præ se fert) quem de sacro fonte ALVREDVS suscepit, Christianum illi ATHELSTANI nomen imponens, *Northumbriamque* deinde ei, atque *Orientalem* ANGLIAM, ita vt regiam ALVREDI maiestatem, & successorum religiosè coleret, inhabitandas dedit. Quidam submouent *Orientalem* ANGLIAM, sed præter auctores plurimos, verba ipsius fœderis eum errorem conuincunt. Reperio (sed externum) qui GVTHRVNVM nec baptismo admotum dicat. Cuius nudo testimonio, summa nostrarum historiarum conspiratio prorsus derogat. Ita ALVREDVS ad aliquot annos, ab infestationibus DACORVM leuatus est. Quem tamen grauiter (licet obsides de pace dedissent) partim è *Gallia* postea redeuntes affixerunt, partim aliunde aduentantes. Quos ille vicissim variis, & insignibus cladibus affecit, & ad tantam famis magnitudinem redegit, vt equos suos deuorare cogeret. Omnis interim ANGLIA Imperium illius agnoscebat. *Mercijs* ETHEREDVM, cui filiam ETHELFREDAM in matrimonio locauit, præfecit. *Orientales* etiam ANGLOS, & *Northumbros* discessionem meditantes, in officio continuit, obsidésque ab eis accepit. Atque hæc quidem de bellicis illius laboribus, quanto potuimus compendio dicta sunto.

Polyd.

Gul. Malm. de reg.

Polyd. Extant ea hodie in lingua Saxonica Cranzius. Gul. Malsb. de Reg. Polyd. Ioan. Picus Sim. Dun. Asser in vita Matth. West. Hoveden. Hunt. an. 7. Alur. qui ait regnasse in Orient. Ang. non Northumbria. Polyd. li. 8. in 2. Mal. li. 1. de reg. Annal. Wint. Asserius.

Quomodo pacis tempore Rempub. administrauit: de Legibus illius, deq; Academia Oxonienſi *ab eo instituta.*

CAPVT V.

HIVS autem vel exiguo tempore indultæ quietis & pacis, reddidit tanquam bona quædam terra, magnam ALVREDVS vluram, vberésque fructus, prolixe de repub. prolixe de liberalibus & ingenuis disciplinis meritus. *Leges quasdam* sanxit (quæ hodie *Saxonica* lingua conscriptæ extant) religioni Christianæ, & publicæ quieti apprimè accommodas & salutares. In quibus de templorum immunitate, de sacrilegio coërcendo, de votis reddendis, de sacris virginibus non violandis, aduersus fornicationem, de festis diebus Domini,

mini, & Apostolorum PETRI atque PAVLI, omniumque Sanctorum, de solemnitate beatæ MARIÆ integra septimana in Autumno colenda, de anniuersario & stato GREGORII die obseruando, de statis Quatuor temporum ieiunijs colendis, & de alijs id genus cautum est. Quibus in rebus ille, non quasi pedem in alterius messem ponens, neque sibi dignitatem ecclesiasticam assumens (quod hodie solent) sed sequens per omnia priores Ecclesiæ & Episcoporum constitutiones, pro exactiore canonum obseruatione regiam potestatem adiunxit. Quod ille ipse (vt paulo post dicam) protestatur. Et quoniam post tantas vastationes, tantas rapinas, tamque diutinam bellorum assuefactionem, difficillimum erat continere homines à cæde, rapinis, & furto; populum omnem ingeniosè in centurias & * decimas distribuit, cauitque, vt si delictum quippiam admissum fuisset, centuriæ & decimæ illæ, reum ad pœnam subeundam producerent. Qui si effugisset, de suo centuriatu illi homines pœnam penderent. Mirum dictu est, quantam ista prouisio pacem in tam perturbata repub. paulo post procrearit, cum in publicis vijs armillæ aureæ suspenderentur, nullo eas intercipere (ne proditi abriperentur ad pœnam) audente.

* *Hundreden. Tubinges Gul. Mal. li. 2. de reg. Annal. noui cœnob. Winc.*

IAM vt publicas causas, de quibus ipse nonnunquam cognoscebat, summa sapientia & æquitate moderabatur; ita exquisitam quamdam curam & diligentiam adhibebat ad Iudicum suorum sententias, se absente latas, perueltigandas. Quos si à iustitiæ præscripto resilijsse intelligebat, diligenter inquirebat, Vnde ea iniustitia, vtrum à sordibus, odio, amore, timore, an ab inscitia promanaret; singulisque malis commoda adhibuit remedia. In ascisendis ad Sacerdotium diligenti atque acri delectu vsus traditur. Nec ecclesiastica beneficia, nisi ijs, quos vitæ probitas cum doctrina coniuncta commendabat, tribui patiebatur. Multus præterea erat in ædificijs eleganter, & splendide (qua ipse peritia valde præstabat) extruendis; vrbibusque, tam *Shaftisburia*, quam *Londino*, & alijs per *Dacos* miserè vastatis, reparandis & reficiendis. Sed præclarius longe domicilium doctrinæ, & sapientiæ, in pectoribus hominum extruere magna cura moliebatur. Viderat pro sua prudentia, & pro sua pietate, reique atrocitate ex animo indoluerat, tum aliarum rerum, tum tantam bonarum omnium disciplinarum vastitatem per *Dacos* factam. Cum & priuatæ atque publicæ passim Bibliothecæ quod ipse fatetur, incendio abolitæ fuissent; neque iam libri, vnde disceretur, neque animi aut voluntas, in tanta rerum perturbatione, * *Doctoribus* iam vndique sublatis, hominibus ad discendum suppeterent. Huic ille malo in primis omni studio, cura, impensa prospicere conatur. Doctos igitur ex his, qui in *Anglia* superfuerant; alios præterea à veteribus in *Wallia* BRITANNIS, atque etiam ex *Francia* ingentibus promissis ad se euocat; à quibus & ipse, & etiam alij, qui ipsius parebant imperio, bonis literis informarentur.

Asserius.

Polid. li. 5.

Asser.

Gul Mal de Episcopis. Asser. Asser. in prolog. Pastor Greg Magni ex Gul. Mal. lib. 2. de reg.

* *alias doctoribus.*

OMNIVM igitur bonarum disciplinarum quasi officinam quandam apud *Vadum Isidis*, id est, *Oxoniense* oppidum, constituit. Qua de re quid vetusti quidam, noui apud *Wintoniam* cœnobij, annales prodiderint, ipsius authoris verbis iam referam. Igitur anno dominicæ incarnationis octingentesimo octuagesimo sexto, anno secundo aduentus sancti GRIMBALDI in ANGLIAM, incœpta est vniuersitas *Oxoniæ*, primitus in eadem regentibus, ac in sancta Theologia legentibus sancto NEOTHO Abbate, necnon in Theologia doctore egregio; & sancto GRIMBALDO sacræ paginæ suauissimæ dulcedinis excellentissimo professore. In Grammatica vero & Rhetorica regente *Asserо*, & *Monacho*, & in arte literatoria viro eruditissimo. In dialectica vero, Musica, Arithmetica, legente *Iohanne* monacho *Menenensis* ecclesiæ. In Geometria & Astronomia docente *Ioanne* monacho, & collega sancti GRIMBALDI, viro acutissimi ingenij & vndecumque doctissimo, præsente glorioſissimo, & inuictissimo Rege ALFREDO, cuius in omni ore, quasi mel indulcabitur memoria, & totius regni sui clero ac populo; Vbi idem Rex prudentissimus ALFREDVS tale decretum edidit, videlicet, vt optimates sui filios suos, vel si filios non haberent, saltem seruos suos, si ingenio pollerent, concessa libertate, literis accommodarent. Hæc Annales illi. Cumque monasteria passim per *Dacorum* immanitatem euersa essent, atque incensa, ille de suo quatuor condidit, ad illas aliqua ex parte ruinas sarciendas, de quibus suo accuratius loco dicemus.

Historia incipit, Regnum quod modo Anglia, & à Rege Egberto pertingit ad an. 1030 in quibus multa Saxonica lingua conseruantur, & inter alia duo Alureda testamenta.

De priuata ALVREDI *vita, & aliis quibusdam ad illius historiam spectantibus.*

CAPVT VI.

Asser.

Asser Alured Rosnal. de reg Angl.

Asser Gul Mal de reg Flor. Wigornensis Floril. Anno 854.

Polid. li. 5.

Polid li. 5. Asser.

Asser.

T hæc quidem de præclaris illius in Rempub. belli pacisque tempore meritis; nunc cetera perstringamus. Natus fuit ad annum Domini octingentesimum quadragesimum nonum. Cuius genus à maioribus authores quidam ab ipso *Adamo* nominatim deducunt. Fuerat infanti singularis quædam gratia & forma. Quare illum ADVLPHVS pater egregio quodam, vt olim *Ioseph* Patriarcha *Iacob*, præ fratribus amore complectebatur. Illum mox honorato stipatum comitatu *Romam* ADVLPHVS transmisit. Quem LEO Pontifex in spiritualem sibi filium adoptauit, regiáque vnctione, vt olim *Dauidem Samuel*, delibutum honestauit; quasi prouida & præsaga mente, quod futurum erat longe post, licet eo tempore parum credibile, diuinans. Quis enim tum credidisset, cum tres fratres maiores natu superstites haberet, regnum ad eum aliquando deuoluendum? Sunt tamen qui *Romam* profectum voti causa tradant, postquam in regnum assumptus erat; & rursus non à LEONE *quarto*, cui rationem temporum retragari aiunt, sed ab HADRIANO *secundo* Regia corona redimitum. Sed certe præstantes authores, illius præsertim temporis æqualis ASSERIVS, LEONI id tribuerunt.

ALVREDVS autem nescio qua parentum incuria, aut temporum eorum infelicitate, ante duodecimum ætatis annum nullis discendis literis animum appulit. Carmina solum quædam *Saxonica*, quæ forte audierat, vt erat felicis memoriæ retinebat. Primos illi ad lectionem stimulos prudens mater addidit, cum illi & fratribus librum quemdam, qui carmina quædam Saxonica complectebatur, scite, eleganter & pulchre conscriptum ostenderet, eique se illum daturam pollicita, qui primus eum intelligeret & edisceret. Mox ille arrepto libro ad magistrum cucurrit, cuius opera citissime librum & legit, & memoriæ commendatum matri recitauit. Deinde vero omne tempus, quod publicis negotijs intercipere potuit, quoad valetudo patiebatur, lectioni impertiebatur. Mox post paucos annos grauissimis bellis totam fere vitam, non modo postquam Rex designatus esset, decimo octauo ætatis anno, sed etiam fratribus adhuc viuis, quibuscum se in expeditionibus consociabat & præclara suæ fortitudinis specimina edebat, implicabatur.

ERAT vero & aliud ab ipsa pueritia impedimentum, id est, infestissimus continuusque morbus. Quem tamen suis precibus incurrisse traditur. In ipso enim ætatis flore, antequam vxorem duxisset, miram pietatem in Deum spirabat, & alta nocte de lecto surgere, ecclesias & sanctorum reliquias inuisere solebat. Quo tempore cum serio apud se cogitaret, quam lubrica & preceps ea ætas esset ad vitia, veritusque ne ætatis feruore ad ea, quæ Deum offenderent, abriperetur, supplex Deum precatus est, vt immitteret morbum aliquem, qui carnis effrenes motus infringeret; ne voluptatum illecebris irretitus nuncium virtuti mitteret, vt carnem furentem, & exultantem comprimeret, facilioréque ea vteretur, vt equis nostris vtimur, postquam eos ferocitate exultantes domitores represserunt. O nouum sancti adolescentis votum! O rarum & inauditum fere, vel inconstanti & adulta ætate virtutis studium! O pium pectus, tanto ardore offensam Dei declinare satagens! Acerrimo igitur postea, idque ipso nuptiarum die, anno vigesimo ætatis morbo infestatus est. Sed cum vereretur, ne in lepram, aut aliquam aliam infirmitatem, quæ ipsum omnibus humanis actionibus ineptum & inutilem redderet, incidisset, commutationem solam morbi à Deo precibus postulat, & exauditus est. In alium itaque morbum grauissimis, continuisque ad quadragesimum quintum ætatis annum, & forte per totam postea vitam, doloribus, quibus vix vna hora caruit, eum affligentem incidit. Qui tamen nihil eum remoratus est, quin animum & bellis de quibus diximus, & literarum etiam studijs serio appelleret.

NEQVE quicquam erat de quo grauius querabatur, aut anxius doleret, quem sæpe dolorem crebris suspirijs testabatur, quàm quod maturius literis, & liberalibus ingenuisque artibus non fuisset imbutus; quodque ardentem animi ad discendum propensionem, morbi & negotiorum magnitudo valde remorarentur. Quæ tamen illius, alíque quæ obijciebantur impedimenta, licet discutere remoueréque prorsus non potuerit; effecit

rit; effecit tamen immenso discendi ardore, prudentique quadam vitæ moderandæ ratione, vt etiam in ipsis literarum studiis insigniter, quantum illorum temporum perturbatio, & iustitia patiebatur, proficeret. Quapropter & illos, de quibus diximus, & alios, quos sibi vsui & adiumento fore sperabat, vndique ad se accersit. PLEGMVNDVM videlicet, qui *Cantuariæ* sedit; VEREFRIDVM *Vigornien sem* Episcopum, *Tethelstanum* quoque & *Vernulphum* Sacerdotes *Merciorum*. Quos ille quotidie Latinos libros Saxonice interpretantes studiosè audiuit, tandemque eo & ipse profecit, vt potuerit citò atque acute intelligere, scite etiam & eleganter & ipse tranferre, atque interpretari. Tum igitur primum ANGLI OROSIVM, GREGORIVM in suo pastorali (quem librum cum aureo pugillari, & certa pecuniæ summa ad singulas regni sui episcopales sedes misit) BEDAM de gestis ANGLIAE ecclesiasticis, BOETIVM de consolatione Philosophiæ, Regis opera Saconicè loquentes magno suo cum fructu audiere. Conscripserat etiam Encheridion, sine Manualem librum, in quem ex varijs authoribus multa scitu digna coaceruarat. Aggressus est & psalterium, sed prius obijt quàm potuisset absoluere. *Gul. Malm. & annal. Winc.* *Gul. Malm. in præfatione Annal. inscript. Greg.*

ATQVE hos quidem Saxonicos libros voluit inter manus suorum versari, quasi proximum, & præsens leuandæ, in tam exulceratis temporibus ipsorum inscitiæ, adiumentum, vt possent postea quod optabat, si pax fortè redderetur, ipsos Latinos fontes, relictis riuulis adire. Interciderat enim prorsus omne literarum studium, cum vt Rex ipse fatetur, magis de vita sua omnes tuenda, quam de cognitione adipiscenda soliciti essent. Huic igitur malo & inscitiæ Rex, pro sua pietate succurrere quantum potuit, sedulo conatus est; adeo vt Procerum suorum liberos, qui in ipsius curia erant, diligenter ipse informaret. Quod vt conficere commodius posset, omnes à se voluptates, omnem luxum, omne otium prorsus amouit. Et quod multi alij Principes somno, conuiuijs, & lusibus; hoc ille tempus hisce, & alijs sanctis exercitijs dabat. Quod ita distribuebat vt octo diei horas, scribendo, legendo, orando; octo in publicis negotijs expediendis, octo denique in reficiendo corpore transigeret. Nullo die prætermisit sacrosanctis missæ mysterijs interesse, nec statas quasdam noctu, diéque preces. Ad quem vsum, semper precationum libellum in sinu circumferebat, *Gul. Malm. Annal. Winc.* *Asser.*

VT temporis, ita & facultatum suarum cautus, & prouidus erat dispensator & moderator. Annuos enim redditus bifariam, æquasque in partes dimisit. Quarum alteram in tres rursus portiones distrahebat. Illarum † autem prima ad curiæ suæ ministros; secunda ad architectos, & alios artifices, quorum opera vtebatur; tertia ad aduenarum, qui ad eum confluebant, vsum recidebant. Alteram vero in quatuor portiones distribuebat, vt vna pars pauperibus suæ regionis, altera cœnobijs, tertia scholasticis, postrema ecclesijs transmarinis cederet. Nam non solum ROMAE & alibi, sed etiam in ipsa *India* liberalitatem suam apud sanctam Apostoli THOMAE ecclesiam exercuisse traditur. Qua sua liberalitate effecit, vt MARINVS Papa ad eius preces, scholam ANGLORVM ROMAE ab omni tributo, ac vectigali leuarit, partemque pretiosæ crucis, in qua Christus delicta nostra expiauit, ad eum miserit. Quin ab *Hierosolymitano* patriarcha *Abelo* munera & litteras accepit. Etsi verò Proceres, reliquosque suos aulicos, magno amore prosequeretur, nullos tamen adeo atque Christi Sacerdotes & Pontifices, quos mirificè coluit, & summa illis omnia detulit; neque eorum diuinitus illis datam in ecclesias potestatem vnquam imminuere voluit, arbitratus illam maximam Regis dignitatem, si suam in ecclesias potestatem non exerceret: illámque demum genuinam & germanam Regis dignitatem esse dictitare solebat, si in regno Christi, quę est ecclesia, se non Regem, sed ciuem agnosceret; si non supra Sacerdotum se leges elatè efferret, sed legibus Christi per Sacerdotes promulgatis, subinisso, se atque humili animo subderet. In quo nouum nobis CONSTANTINVM repræsentauit. Et sane si exactè rationem illorum temporum subducas, hęreo an multos ANGLIA nostra, vel antea vel postea etiam præstantiores Reges nobis dederit. Triginta nouem annos & sex menses regnum administrauit. Extat hodie illius testamentum Saxonice conscriptum. In quo apparet quantam, quamque solicitam curam habuerit, ne cum aliorum cognatorum iniuria regnum adeptus videretur, (quod ASSERIVS eum inuitum suscepisse, & potuisse eum quidem si voluisset, cum fratre regnasse tradit) quod & legata eius continet, cum alijs, tum variis Episcopis atque ecclesijs relicta. Humatus est *Vuintoniæ* in nouo cœnobio, quod ædificari mandauit. *Gul. Mal. de reg. l. 2. Ann. Winc. & al. cæt.* *Gul. Malm. li. 2. de reg. Angl.* *Alur. In Ann. Winc. In vita Alfr.*

ET quoniam de ALVREDO ROMAE à Summo Pontifice, priusquam Regiam dignitatem adeptus fuisset, Regia corona redimitò mentionem fecimus, non erit

alienum ad maiorem posteritatis cognitionem & istud aspergere, insignia videlicet illa regiæ consecrationis (quæ regalia vulgo appellant) quibus Reges nostri cum regno initiantur, solemniter ornantur, ab ALVREDO illo primum manasse, posteriusque per manus tradita; licet vt esset magis apud populum & Reges commendata, honorata, & augusta vel ob singularē ipsius sanctitatē, vel quia de suo forsan aliqua adiecit, diuo Regi EDVARDO confessori tribuantur Qua de re extat disceptatio quædam *Guilielmi Sudburiensis* monachi *Westmonasterienſis*, ad Regem RICHARDVM *secundum* scripta. Qua ille, illi de qua diximus dubitationi, & illa quam dixi, & alijs rationibus occurrit, multaque alia coniuncta, & coherentia in hac materia adijcit, quibus docet tum ex vsu & consuetudine inueterata, tum ex Regum & Romanorum Pontificum rescriptis, statum illum locum, vbi insignia illa reponi & conseruari, Regesque consecrari debeant, esse cœnobium *Westmonastery*. Hæc harum rerum sitienti delibasse sat iam mihi erit. ALVREDVM vero cum alij, tum *Marianus* paucis verbis egregia laude ornat. Quem (vt ipsius verbis vtar) famosum, bellicosum, viduarum, pupillorum, orphanorū pauperumque prouisorem studiosum, poetarum Saxonicorum peritissimum, suæ genti charissimum, affabilem hominibus, liberalissimum, prudentia, fortitudine, iustitia, temperantia præditum, in infirmitate qua assidue laborabat patientissimum, in exequendis iudicijs indagatorem discretissimum, in seruitio Dei vigilantissimum & deuotissimum fuisse tradit.

Extat in chron. Rich. Ciceſt. li. 3. cap. 3.

Anno 90. quo & obiit

Hac Mal. (suppresse tamen Mariani nomine) verbatim abeo sumpsit lib. 2. de regib.

De Archiepiscopis Cantuariæ, *deque diuo* GRIMBALDO *eiusque oratione, quam habuit in Synodo.*

CAPVT VII.

SI iusto fortè vberior nostra cuiquam videatur de Regibus narratio, æquiorem se, credo, nobis præbebit, cum viderit quàm ieiuna & sterilis sit reliqua nostra huius sæculi historia. Quam pæne omnium temporum iniuria induxit, & obliterauit. Post ÆTHELARDVM sedit VLFREDVS, quem alij WILFRIDVM appellant, annis viginti octo, circiter annum octingentesimum octauum, sequentique anno pallio à LEONE summo Pontifice in Gallia honestatus est. Deinde obscuras ecclesiæ *Anglicanæ* causas ROMA cum WIBERTO *Shireburnenſi* Episcopo profectus est, & ad annum octingentesimum vigesimum secundum obijt. Quo anno habita est synodus in *Dunelmo*. Huic *Matthæus Westmonasterienſis*, *Simon Dunelm.* *Henricus Hunting.* & ante eos *Marianus Scotus* CELNOTHVM substituunt, *Guilielmus Malmesburienſis* & *Florentius Wigornienſis* FEOLEGELDVM THEOLOGILDVM siue PLEOGILDVM ad annum & tres menses interponunt. Post obitum CELVOTHI ad annum Domini octingentesimum septuagesimum, ETHELREDVS octodecim annis eam ecclesiam administrat. Qui defunctus est ad annum octingentesimum octuagesimum nonum. Cuius tempore celebris synodus *Londini* coijt, cui & ALVREDVS Rex cum proceribus interfuit, atque GRIMBALDVS Abbas, quem Rex recens è *Gallia* euocauerat. Qui Regis & Archiepiscopi rogatu, concionem ad cœtum illum habuit, qua grauiter & sapienter multa de dignitate humanæ naturæ, ad quam illā Deus ab initio ex summa sua bonitate euexit, vtpote ad imaginē Dei creatæ, & quo modo ingratitudine, atque peccato primorum parentum ea sit labefactata, atque euersa disseruit. Multaque subiecit valde accommoda, quibus auditores à turpi, vitiosa, & voluptuaria, molli & delicata, ad sanctam, grauem, continentem & seueram vitam reuocaret. Multa præterea, quibus eos ad magnitudinem animi, & altam rerum omnium terrestrium despectionem hortabatur. Summa Dei in illos, & omne humanum genus collata beneficia, memoriæ illorum suggerebat. Qui quamquam gratiam referre tantam non possent, quanta debetur; grati tamen ea in memoria tenerent, & gratias saltem accuratè agerent. Præmia denique illa sempiterna bonis & officiosis, pœnas rursus immortales apud iustum iudicem improbis repositas, in memoriam eis, vt magis à vitijs deterreret, & ad virtutis studium acueret, reuocauit. Quæ, & id genus alia, vt magno omnium applausu excepta fuerant, ita cum non mediocri omnium fructu dicta sunt.

Gul Mal. de Pontif. Flor. Vigor.

Flor. anno 805.

Mar anno 804. Annales qui tribuuntur Asserio subiungunt hic de Pallio Eboracensi sed Wilfredi, sed vitiose.

Flor. anno 814. Mar. Scotus in chron. 812. 813. 822

Mar. Scot. Flor. Gul. Malm de Pontif. Annales Wint. appellat Ethredum. Flo. Annales Wint. Extat hæc oratio in annal. Wint.

HABVIT etiam ALVREDVS verba ad Episcopos, Abbates, laicosque, qui dignitate, aut magistratu aliquo fungebantur. Quibus multorum ex omni genere insciti am grauiter increpuit,

crepuit, & temerariam eorum audaciam coarguit, qui cum idonea ad functiones suas obeundas cognitione destituerentur, & tantorum magistratuum adulteratam ad speciem solummodo personam gererent, illos vsurpare auderent. Quare aut eo se magistratu, ad quem se indignè ingesserant, exuerent; aut idoneam sibi congruamque officio scientiam, & sapientiam omni studio compararent. Quæ eius oratio magnam omnibus omnium ordinum hominibus, qui suæ inscientiæ conscientiam habebant, metum incussit, coegitque vt omne, quod à necessarijs negotijs supererat, tempus, scientiæ & sapientiæ augendæ studio tribuerent, ne dignitatibus alioqui suis exuterentur. Defuncto vero ETHELREDO ad annum octingentesimum octuagesimum nonum, vocatur ad eam functionem PLEGMVNDVS vnus ex ALVREDI magistris. Qui septem vno die *Cantuariæ* Episcopos ordinauit, de quibus suo loco dicemus. De *Rossensibus*, deque *Londinensibus* hoc sæculo Episcopis, sola reperio nomina, quæ priori sæculo posuimus. Neque aliud præterea de alijs in illis diœcesibus egregium, aut recensione dignum, nisi quod in *Londinensi* diœceli beata OSITHA, à *Dacis* irrumpentibus apud villam *Chichense*, quod hodie ab ea nomen mutuatur, cæsa, pro martyre ab eo semper tempore colatur. Quo postea loci *Benedictinorum* cœnobium, diuis PETRO & PAVLO & OSITHAE dicatum, constructum est. Fuit vero filia *Frithualdi* Reguli & *Vilburgæ*, quæ PENDAM Regem patrem habuit, sanctè à beata MODVENNA educata. Qua defuncta ad parentes rediit, & sacris virginibus in commemorata villa *Orientalium Saxonum* reguli spreto connubio, religiosè præfuit. Quæ cum à *Dacorum*, qui in eam oram appulerant, Principe, ad fidem christianam prodendam muneribus, minisque frustra minitaretur, ab eodem perempta est.

Flor. Guil. Mal. de Pont. de reg. l. 2. cap. 10. Mar. Scotus an. 858. Ioan. Capgr.

De Episcopis Orientalium ANGLORVM *& de martyrio* EDMVNDI *illius gentis Regis, & miraculis post illius cædem.*

† *Alias Edmundi Regis illius Gentis &c.*

CAPVT VIII

HOrum etiam Episcoporũ sola ferè nomina tenemus. Regnante itaque in *Visisaxonia* EGBERTO, HVMBERTVS apud *Dummocum*, WEREMVNDVS apud *Helmahamam* sedisse traditur. Sed cum BVRRHEDVS & LVDECANIVS *Merciorum* Reges hanc Prouinciam infestarent iucursionibus, in quibus & ipsi à prouincialibus cæsi fuerant, ad summas angustias Episcopatus redacti sunt. Quare *Dummocensis* coaluit in *Helmahamense*, & vna deinceps pro vtraque sede obtinuit. Quam post mortuũ WEREMVNDVM ad annũ octingentesimũ septuagesimũ, primus obtinuit WILFRIDVS WILREDVS siue VLREDVS cui ATHVLFVS, ÆLFRICVS, duo THEODREDI, ÆTHELSTANVS & ALGARVS ad tempora DVNSTANI, vt *Malmesb.* refert, successere. Sed non videtur tam diu WEREMVNDVS vixisse; Nomenclatura *Malm.* conuenit cum indice *Florentij Wigornensis*, & eo qui Chronico *Mariani Scoti* præfixus est. At *Matth. Westm.* ita eam digerit, WILREDVS, ATHVLFVS, ÆLFRICVS, THEODREDVS, AETHELSTANVS, ALGARVS. Habeo vero alium quemdam ex ecclesia *Norwicensi* indicem, qui post ALFRICVM, TELREDVM, & TEDREDVM ponit, sed fortè vitiosus est codex. Longus quoque fuit HVMBERTI in administratione cursus, si tam serò decessit atque *Matthæus Westmonasteriensis* scribit, id est, ad dictum annum octingentesimum septuagesimum. Vtcumque sit, traditur HVMBERTVS regio diademate EDMVNDI Regis caput, cum Principatui initiaretur cinxisse, & à *Danis* cum ipso Rege cæsus. De quo & celebri eius martyrio, vt pauca differamus, hic locus postulat.

Gul. Malm. lib. Pont. de Florent. Wigorn.

Ob. an. 870 Flor.

Flor. 851.

IN luctuosa hac *Dacorum* irruptione ac depopulatione, duo illorum Duces *Agnerus* & *Hubo*, quos nostrates latini & anglici scriptores *Hinguarum* & *Hubbam* nominant, *in Orientalem* ANGLIAM cum numeroso exercitu appulerunt. Cui tum EDMVNDVS præfuit, adeo honorem illum immoderatè non appetens, vt ei à Proceribus & populo vel inuito impositus sit. Susceptam deinde ille prouinciam, summa cum laude, summoque prouincialium commodo, cui vnicè studebat & non priuato, iustitia, mansuetudine, liberalitate, alijsque Rege dignis dotibus ornatus administrabat. *Agnerus* cum in eam Prouinciam venisset, nuncios ad EDMVNDVM misit, vt se suaque omnia *Dacorum* voluntati imperioque subijeret,

Polid. li. 4. Flor. Gul. Mal. & alii. Flor. 851.

Gul. Mal. & Flo. Rich. Cisell. Iornandes & alii.

ret, illorumque deinde beneficio regno & vita precario ab eis potiturus, alioqui vtroque se mox misere excutiendum sciret. Cum in hoc repentino terrore paululũ, quod optimum esset factu cum suis, *Helmahamensi* præsertim Episcopo, deliberasset, Vtinam, inquit, mors mea patriæ populique salutem redimere posset. Ad eam certè animo securo & expeditissimo pergerem. Certè huic immani & cruento tyranno, sacra christiana detestanti & abominanti, vt regni vitæque huius terrestris vsuram lucrifaciam, numquam me dedam. Cui Episcopus; In sola fuga tibi nobisque omnibus spem repositam video, & necessitati, cui nulla humana industria aut viribus succurri potest, parendum. Alioqui de tua, populique totius salute, quibus immanis iste hostis iam imminet, prorsus actũ videtur. Inueniet aliquando, vt speramus, Deus oportunius tempus ad hostes nostros exterminandos. Nunquam, inquit EDMVNDVS, famam meam hactenus, hostibus terga vertendo, cominaculaui, mihique pro patria & pro Christo (à quo me nec vita nec mors diuellet) mori magnæ duco gloriæ. Conuersusque ad nuncios. Renunciate inquit, Duci vestro, EDMVNDVM Regem christianum, hominis à Christi fide alieni potestati, atque imperio nolle se suosque credere, atque committere. Paratúmque esse pro patria, pro fide cruciatus omnes ferre, mortémque oppetere. Aduolat interim tyrannus, EDMVNDVMque ab ecclesia, ad quam confugerat extractum, ad arborem alligari iubet, & rogari, an Christo eiusque fidei renunciare vellet? quam cum constantissime profiteretur, verberibus crudelissime cædi, sagittisque transfodi, constanterque Christi fidei adhærescenti, eumque inuocanti, caput abscindi præcepit. Cæsus est eo etiam tempore *Helmahamensis* Episcopus.

Floril Fabianus. Capgrauius.

SVNT qui tradunt, post nunciorum abitionem EDMVNDVM cum exercitu *Agnero* occurrisse, commissõque prælio superatum ad ecclesiam confugisse. Barbari verò non contenti in viuum sæuisse, Christianis integrum eius corpus inuiderunt. Caput itaque abscissum in silua, vepribus & dumetis vndique septa, occuluerunt. Sed Deus hoc omne eorum studium feritatémque frustratus, conuertit ad suam martyrisque sui gloriam, variáque postea ad omnem temporum memoriam, insignia potentiæ suæ miracula in martyris corpore repræsentauit. Nam cum discedentibus barbaris, christiani caput illud anxiè quærerent, vt vna cum corpore religiosè sepelirent, en vox ex eo loco vbi abiectum erat caput, palam insonuit, hominesque eo inuitauit. Potuit sane Deus, qui veteribus martyribus radicitus linguis abscissis, articulatam & expeditam vocem dedit, imo & asinæ *Balaam*, huic quoque mortui hominis capiti vocem infundere. Attoniti itaque illuc occurrunt, a caputque integrum, & nouum interim prodigium conspiciunt, lupum videlicet lacertis illud religiosè complectentem. Quale olim Deus spectaculum in Vincentij martyris corpore repręsentauit. Nisi quod hic coruus, b lupum ipsum aliásque aues, ne sancti corpus violarent, abegerit, illic lupus ipse aduersus aliorum animalium iniuriam, caput sartum tectum, vt ita dicam, & integrum, suæ naturæ vim inferens custodiret.

Gul. Malm. de Pont Flor. Capg Iornalensis. Rich Cisestr.

De quibus vide Greg. lib. 3 Dial. cap. 35 Prudentium in Romano mart. Eusebium lib. 4. c. 14. Victorem de persecutione. Wandal.

a Poli Gul Mal. Capg. Flor. Rich. Cicestr. Iornal.

b Prudentius peristep. Hymn. 5 Augustin. in sermonibus de sancto Vincentio.

c Greg. Dial. c. 35.

MAGNO itaque Christiani gaudio, ex hoc tam insolenti spectaculo perfusi, caput cum reliquo corpore; ecclesia raptim & perfunctorie, pro ratione temporum constructa, sepulturæ mandarunt. At cum postea quieta & sedata essent tempora, ecclesia magnifica ex ædificata est, & in eam illatum martyris corpus. Quo rursus tempore admiranda renouantur prodigia. Et inter alia, vnum cuiusmodi olim in † *Herculani* martyris corpore accidit. Cuius caput cum fuisset à corpore resecatum, & deinde cum corpore sepultum, post quadragesimum diem, ita corpori in sepulchro consolidatum est, ac si nunquam fuisset resectum. Hoc tantum in vtroque discriminis repertum, quod in *Herculano* ne resectionis quidem vlla vestigia; hic in consolidato quamuis capite cum reliquo corpore, tenuia quædam resectionis vestigia † apparuerunt. Quid? quod & totum Martyris corpus, ad multa postea sæcula integrum prorsus atque incorruptum perdurauit. Atque hæc quidem quę hactenus recensuimus, cum multi recentiores, tum cum primis, & omnium primus præscripsit *Abbo* monachus, homo *Gallus*, omni humana diuinaque doctrina excultissimus, qui publicas in multis ANGLIAE cœnobijs scholas aperuit, excepta ex ore diui DVNSTANI, eiusque & Regis *ETHELDREDI rogatu. Quam historiam DVNSTANVS oculos lachrymis suffusus referebat, contestatus se iuuenem eam à sene quodam decrepito hausisse, qui & eam celeberrimo illi Regi ATHELSTANO referebat, sanctissimo iureiurando confirmans, se fuisse vnum ex diui EDMVNDI militibus, eo die quo cæsus est.

† *al apparuerunt Atque hæc quidem cetera expunctis*

* *al. Ethelred. In præfat. diui Antonij ad D. Dunstanum.*

ABBO autem etsi fateatur, miracula per beatum martyrem ab obitu illius patrata, tanta & tam celebria fuisse, vt nullius alterius eo tempore diui in ANGLIA; ea tamen non recenset, in

set, in illa, de qua diximus DVNSTANI narratione acquiescens. Recensetcaramen postea, idque magna, vt videtur, fide, & in multis non tam auritus quam oculatus testis *Hermannus* quidam, illius vt videtur, Prouinciæ Archidiaconus. Qui liber quoniam rarus est & parum obuius, multaque de miraculis beati martyris ab aliis, non tam certis fortè testimonijs munita traduntur, non alienum duxi, si paucissimis illius prolixam narrationem ad posteritatis memoriam perstrinxero, lectoribus quasi gustum quendam earum rerum præbens. Recensetitaque nominatim, quibus personis varia, & incredibilia ferè sanitatis ijs, quorum valetudo deplorata & desperata erat, vt & mancis atque mutilis, cæcis, naufragioque in mari tantum non obrutis, alijsque varijs aduersarum rerum angustijs pressis, beneficia, beati martyris patrocinium apud illius beatas reliquias, & alibi implorantibus, amplè & prolixè præstita sunt. Quamquam & multis nihil de eo cogitantibus, quo gratius & cumulatius esset beneficium, per beatum martyrem, nec appellatum quidem, vltro mirabiliter oblata sunt. Nec ea quidem intra ANGLIAE solius angustias, oceanumque se continuerunt, sed & in *Italiam* quoque effusa sunt, reliquijs quibusdam beati martyris eò, ad *Lucam* præsertim ciuitatem, per *Baldwinum* Abbatem *Romam* profectum depottatis.

† ATQVE vt in pios, opeque omni humana destitutos beneficus fuit, ita in insolentium & impiorum quorundam, qui in beatum martyrem, resque illius ecclesiæ dicatas & consecratas iniurij fuerant, Deus in gratiam martyris, & ad exemplum, proteruiam seueré sæpè animaduertit; & cum primis in *Loefstanum* Vicecomitem, qui mulierem ad ecclesiam martyris, tanquam ad asylum confugientem, vi inde abripere voluit. Qui mox à dæmone correptus miserè perijt, qui nec miseri cadauer quiescere permisit in sepulchro. Quo cũ retineri non potuisset quin † inde reijceretur, vitulina posteà pelle tectum in stagnum proiectus est. Simili amentia captus est *Osgodus* quidam, vir illustri apud Regem EDOVARDVM & Confessorẽ loco, idque ipso Rege *Beodrici* presente, & hominis illius calamitati ingemiscente. Quam tamen ille amentiam apud tumulum martyris, post piorum preces suppliciter ibi pro eo fusas, discussit; iureiurando contestatus, nolle se deinceps martyri, aut ecclesiæ ipsius aliquam iniuriam irrogare. Horum ille, & ceterorum omniũ diuinitus castigatorũ nomina, vt & superiorũ, & tempora etiam quibus singula quęque contigerunt, apertè & distinctè recensetatque digerit. Recensetautem quomodo mox à martyrio humatus sit in villa *Suithunæ*, non longè ab eo loco vbi capite luit. Quẽ locũ cum mirus & insolitus multis noctibus, cœlestisque splendor illustraret, in magnam ea res homines admirationem, & in maiorem martyris venerationem traxit. Quam tamen miracula postea crebrius, & admirabilius accumulata, mirũ in modum auxere; ita vt ab eo quasi viliore & obscuriore, in locum celebriorem nouamque ecclesiam transferretur. Quo tempore incredibilem quandam accessionem habuit commemorata hominum admiratio, atque veneratio, cum caput corpori vt diximus vnitũ, quasi numquam fuisset resectum, admaximum omnium stuporem reperiretur. Constructa autem est ea ecclesia apud *Bedericeworð*: id est *Bederici Curiam*.

VERVM cum *Danicæ* illæ infestationes, ANGLIAM grauiter vastarent, & *Thurkillus* ille Dux *Estangliam* immaniter depopularetur; pij quidam viri verentes, ne sacro illi corpori violentia aliqua barbarica inferretur, in alias illud oras, quo tutius esset, huc illucque transtulere. In quo itinere illud miri accidit, vt currus, qui sacrum illum thesaurum deferebat pontem quemdã, ipso curru longe angustiorẽ, sine noxa & detrimento, cum maximo omniũ præsentium stupore pertransiret. In illo itinere multi beati martyris ope multos morbos, quibus periculosè afflictabantur, excussere, sed nullibi frequentius & admirabiliùs quam *Londini*: vbi cum sacrum corpus ab ea porta, quæ *Ealsegate* appellatur, ad ecclesiam Diui GREGORII Papæ deueheretur, octodecim desideratam sanitatem recuperarunt. Triennio illius ecclesiæ hospes fuit Beatus EDMVNDVS. Miro autem ELFHVNVS *Londini* Episcopus desiderio flagrabat, suam diui PAVLI, & Principem ciuitatis ecclesiam tanto thesauro ornandi. Sed beati corpus tamquam *Marpesia* cautes immobilis perstitit, nullaque hominum vi aut ingenio moueri potuit. Cumque sedata esset *Danica* illa in *Estanglia* rabies, pius ille monachus *Ægelwinus*, qui præcipuam curam huius thesauri gerebat, submisse martyrem rogauit, vt si *Beodricum* referri vellet, aliquam voluntatis suæ significationem daret. Qui cum post preces humeros cum tribus socijs corpori leuando appositisset, minimo negotio illud ab ecclesia extulere, & pristino suo postea hospitio reddidere. A quo tempore magis & magis B. martyris miracula inclaruere, perque † omniũ ora, multorumque corpora singulari ipsorum bono volitarunt, idque potissimum EDOVARDI Regis ac Confessoris, & GVILIELMI

primi

† al. Atqui?

† al. malè.

† al. omnia.

primi temporibus. Quæ res GVILIELMVM commouit, vt magnificentiorem multo martyri ecclesiam construeret. In quam paulo post illius obitum beati martyris corpus, integrum adhuc & solidum, in maxima populi vndique concurrentis frequentia illatum est, ad annum videlicet millesimum nonagesimum quintum, & ad ducentesimum vigesimum quintum à cæde ipsius martyris. Quo tempore non defuere beneficia per martyrem præstita. Inter quæ fuit pluuia ad piorum preces, Deique atque martyris imploratione, cælo diuinitus dimissa, cum omnia longa & periculosa siccitate squalerent. Atque hæc & alia id genus, si quis prolixius scire desiderat, recensui iam authorem idoneæ, vt videtur, fidei, à quo hæc plenius hauriri poterint. Cæsus est Rex pius anno octingentesimo septuagesimo, ætatis suæ vigesimo nono, & regni decimo sexto; duodecimo Calen. Decemb. In hac populatione *Elienſe* cœ- 165
Gul. Malm. de Pontif. nobium, vbi ELFREDA de qua diximus præfuit, cum oppido *Seham*, vbi FELIX primus Prouinciæ Episcopus humatus erat, incensum est.

De Visisaxonum *Episcopis, & cum primis de* SVITHVNO *Episcopo* Wintoniensi.

CAPVT VIIII.

WINTONIAE hos hoc sęculo Episcopos *Guilielmus Malmesburiensis & Florentius Wigornienſis* locant, HEREFREDVM, EDMVNDVM,[a] HELMSTANVM, SVITHVNVM, ALFRITHVM siue ALFERTHVM, DVMBERTVM, DENVLPHVM. Sed DVMBERTVM siue[b] TVNIBERTVM non habet *Florentius*, vt nec index Episcoporũ chronico *Mariani* prętixus. HELMSTANVM nescio quomodo *Matthæus Westmonasterienſis* prætermisit, quem[c] ceteri recensent. [d]Sunt qui HEREFREDVM regnante EGBERTO, à *Dacis* in prœlio cæsum asserant. HELMSTANO SVITHVNVS successor submissus est, præcipuum inter reliquos omnes Episcopos huius sæculi decus. Qui ab ipsa pueritia magnam grauitatem sanctitatemque præ se ferebat, seque vt liberius Deo Diuinisque vacaret, monachorum *Wintoniæ* cœnobio coniunxit. Vbi cum ceteris omnibus illustre esset totius virtutis documentum atque exemplum, ab HELMSTANO Sacerdotio ornatus est. Peruagata probitatis eius fama ad aures EGBERTI Regis perducta, commouit eum, vt ADVLPHVM filium, eius potissimum curæ atque educationi crederet. Qui eum ingenuè, liberaliter, sanctęque educauit. Multaque ille, regnum postea adeptus, sapienter & piè, suggerente SVITHVNO gessit. Quorum aliquem iam gustum dedimus. SVITHVNVM vero ille, cuius pietatem prudentiamque reipsa tępius esset expertus, non tam ob educationis sanctæque institutionis referendam gratiam, quam quod esset ei muneri vnus omnium accommodatissimus, ex maximo GELNOTHI *Cantuariensis* Clerique consensu, *Wintoniensem* Episcopum, defuncto HELMSTANO designauit. In quo ille munere obeundo nihil prætermisit, quod ad sanctum verumque pastorem spectabat. Adeo nullo luxu deliciisque diffluebat, vt prolixis, continuisque orationibus & vigilijs, austera ieiunia adiungeret; adeo ab omni insolentia, ab omni humana gloria aucupanda, ambitiosaque omni ostentatione abhorrens, vt nihil esset eo humilius & demissius; vt nihil magis optaret, quàm quoties quid boni ageret, secretò id & tecte ageret, nullo aut paucissimis certè conscijs; neque alios quàm Deum, & conscientiam suam testes expetebat. Diligentem adhibebat operam, vt ecclesias sartas tectas conseruaret.

[a] *Siue Elmstanum.*

[b] *Mal. Flo Tho Rudburnus Catalog Wint Episcoporum*

[c] *Tunibertum appellat Flor & Thom. Rudburnus*

[d] *Gul. Malm de Pont. Capg in vita Swithuni, Ass annal anno Bpr. Anna. Wint. monac anno Flor. anno 874. Capgr Gul Mal. de Pont.*

QVOTIES ad nouæ ecclesiæ dedicationẽ proficiscebatur, nullo vano & ambitioso comitatu, nullis phaleratis sumptuosisque equis vtebatur, sed nudis eo pedibus, cum mediocri comitatu proficiscebatur. Adeo verò nulla magnifici sepulchri ambitiosa cupiditate ducebatur, vt moriturus præceperit, extra ecclesiam sub dio corpus suum terræ mandari, vbi sepulchrum eius conculcatum pedibus, pluuiæ & stillicidijs esset expositum. Sed quo magis humanam ille laudem & gloriam declinabat, eo illa magis, multisque post obitum annis resplenduit, & celeberrimum eum apud omnes fecit; cum multi suffragia illius, præsertim apud tumulum eius implorantes, afflictæ & deperditæ valetudinis præsens, atque admirabile remedium subito sensissent. Quæ quidem beneficia miraculaque diuina, cœperunt maximè increbescere post translationem ipsius, quæ facta est ad annum nongentesimum septuagesimum

mum primum. Idibus Iulij, cum decessisset è vita priùs ad annum octingentesimum sexagesimum secundum. Quoties verò huiusmodi aliquod beneficium ægroto alicui collatum esset, campanæ sonitu monachi ad gratias Deo in ecclesia agendas excitabantur. Sæpè verò vna aliqua nocte ter aut quater somno excusso, relictisque lectis, ad ecclesiam accersebantur. Quod cum multis ipsorum permolestum esset, & ægre ferrent quietem suam ita interrumpi, in lectis se continebant. Quorum segnitiem, atque in Deum fratresque affectos ingratitudinem ATHELWOLDVS Pontifex, apposita pœna continuati per hebdomadam in aquæ potu & pane solo gustando, ieiunij, ita repressit, vt congruè deinceps laudes gratiæque Deo, pro re nata semper postea redderentur. *Annales nouil tomo 6 Wint. ex Lamfrido.*

Ex his miraculorum horum magnitudinem facilè licet colligere. Quæ si quis exactiùs scire velit, eum ego ad illos, qui illis ipsis temporibus, cum res gestæ adhuc calerent, recentesque essent, illas memoriæ hominum scriptis suis commendarunt, relegabo. Hoc tolum iam apponam ex *Guilielmo Malmes.* bonæ fidei & oculato auctore. Vidi, inquit, quod mirum sit, hominē, cui violentia raptorum effodisset lumina, oculos vel illos, vel alios (nam illi longiusculè processi fuerant) per SVITHVNI merita recepisse. Eratque præteritæ calamitatis indicium, quòd aculei punctionum palpebras deformabant. Hæc ille. Post obitum diui SVITHVNI, ALFRITHVS eam functionem obiuit, tum DVMBERTVS, post eum DVNVLPHVS, siue DENEVLPHVS post eum FRETHESTANVS, si *Malmesburiensi* credimus: *Matthæus Westmonasteriensis* ponit ETHELINVM. Qui ad annum octingentesimum octuagesimum octauum, ALVREDI Regis eleemosynam *Romam* deportauit. De quo, vel quod *Wintoniæ* sederit, vel quod *Romam* profectus sit, nihil alibi reperio, & vereor ne vitium hic aliquod irrepserit. Lego SVITHELMVM ASSVRI *Shireburnensis* successorem in *Inisam*, & Ducem *Beccam Romam* anno octingentesimo octuagesimo nono, & biennio post Abbatem *Beornhelmum* cum eleemosyna ALVREDI profectum. Quod verò de DVNVLPHO traditur pæne est incredibile, ALVREDVM videlicet, cum in illis suis *Athelingianis* latebris delitesceret, DVNVLPHI, qui boum & aliorum pecorum curam ibi agebat, hospitio exceptum. Regnoque deinde redditum, quod sciret eum docili felicique ingenio, literis imbuendum curasse, & *Wintonienſi* deinde Episcopatu cohonestasse. Sed hæc historia magis videtur, etiam ipsis qui eam tradunt, à fama & incertis auditionibus, quam ab vlla solida veritate, aut probabilitate pendere. Neque satis hæc fabula suis diuisa est temporibus. Aut oportuit sanè valdè capax, & præcox fuisse DVNVLPHI ingenium, felicique, quod aiunt, diplomate nauigasse videtur, qui vnius anni, aut leuiore certè institutione instructus, idoneus repertus sit, qui tantum magistratū capesseret. Prodijt enim ex latebris ALVREDVS ad regnum ad annum octingentesimum septuagesimum. Et proximo DVNVLPHVS ex eisdem & à pastoritia atque agresti vita, è subulco, à pedo pastoris pecorum ad Episcopatum, & pedum Pastoris animarum prouectus videtur. Sed hæc in media relinquentes ad reliqua feramur. *Lamfr. Annal. citat. Wint. qui scripsit vitam S. Swithuni, circa annū 980 & Wolstanus qui claruit an. 1010. Guil. Mal. Flor. Asserius an. 868. Anno 888. Mar. Scotus in chronic. Si fama credituo inquit Gu. Mal. de Pont. & asseuerum Marianus An. 873.*

De Grimbaldo *Abbate, & nouo cœnobio* Wintonienſi, *nouoque Virginum ibidem cœnobio.*

CAPVT X.

ALVREDVS Rex, cum Reipub. à *Dacorum* depopulationibus virtute sua aliquantulum recreasset, cœpit & ecclesiasticæ quoque disciplinæ emendandæ manum admouere. Ad quod præclarum opus felicius conficiendum, cum vidisset illam partim frequenti *Dacorum* incursione, sæuaque debacchatione, totque monachorum, Sacerdotum, sacrarumque virginum cæde, partim negligentia prælatorum, subditorumque ignorantia, aliisque temporum iniurijs, cum literarum pæne omnium deplorando interitu, grauiter collapsam atque debilitatam; non solum domesticâ ad illam rursus erigendam atque restaurandam, vt FLEGMVNDI, VERIFRIDI, ASSERII, & aliorum, sed & externa IOANNIS presbyteri, atque GRIMBALDI subsidia conquisiuit. Amandauit itaque nuncios ad *Fulconem Rhemensem* in *Gallia* Episcopum, vt *Grimbaldum* Sacerdotem, & vt *Asserius* scribit, venerabilem monachum, nec canendi modo, sed omnium ecclesiasticarum disciplinarum, & sacræ scripturæ peritia insignem virum, omnibus bonis moribus ornatum, è monasterio diui *Bertini* ad se transmitteret. Cuius aliquam ALVREDVS notitiam habuisse traditus, cum *Romam* adhuc puer adierat. *Ex epistola Fulconis vt in annal. nouis cœnob. Wint. In vita Alur. Diff. annal. Wint.*

puer adierat. In quo itinere diuertit ad cœnobium diui *Bertini*, multaque salutis precepta à *Crimbaldo* audiuit. Neque ab eo tempore viri illius gratam memoriam ex animo deposuit. Re igitur cum ETHERedo *Cantuariensi* communicata, summaque cum eius voluntate, illustres Legati missi sunt ad *Fulconem*. Qui etsi ægrè tantum *Galliæ* ornamentum à se, *Galliæque* diuelli pateretur; noluit tamen tam honestæ petitioni Regis atque Archiepiscopi, & ipsi temporis necessitati deesse. Cum summo igitur ipsius & Præfecti cœnobij *Bertinensis* consensu, transmittitur in ANGLIAM *Grimbaldus*, vnà cum FVLCONIS literis, in quibus amplissimis verbis mirificè commendat singulare Regis, in vtraque tam politica, quam christiana republica reparanda, studium; gratiasque simul pro muneribus transmissis magnas agit. Quæ hodie literæ extant satis prolixè, sed piè & sapienter conscriptæ.

QVOD de munere loquitur, fuit quidem illud plane, vt ita loquar, caninum. Canes enim quosdam ad lupos, qui in illis regionibus magno incolarum damno grassabantur, abigendos misit. Et ipse apto planè atque accomodato, sed nobis magis fructuoso commercio canem itidem remisit. *Grimbaldum* intelligo, non ex illis mutis canibus, non valentibus latrare, quos coarguit sacra scriptura, sed qui optimi canis, id est pastoris veras dotes haberet. Qui gregem dominicum fideliter custodiebat, qui domesticis & bonis adblandiebatur, qui aduersus externos, id est improbos, & latrare & acri illos reprehensione mordere poterat. *Fulco* vero iste, vt istud ex abundanti adijciamus, martyrio postea obijt. Cuius rei pleniorem cognitionem ex alijs hauriendam relinquo. At ALVREDVS & ETHELREDVS, vbi GRIMBALDVM in ANGLIAM appulisse cognouerant, obuiam cum magno Procerum comitatu illi eunt, LONDINVMque honorificè deducunt; vbi illam, quâ supra commemorauimus, in Synodo concionem habuit. Ab eo deinde tempore intimus fuit ALVREDO, arcanorumque consiliorum particeps, eiusque inter alios opera, in constituenda, vt diximus, *Oxoniensi* Academia vsus est.

Isaiæ 6. 10.

Vide chron. Reg. an. 905.

QVO mortuo, EDOARDVM Regem adijt; supplexque rogat, vt cum bona illius venia liceret sibi iam tandem ad monasterium redire, & excussis omnibus alijs curis, soli deinceps Deo vacare. Inuitis hanc ille auribus postulationem accepit, nec mediocriter indoluit, cum à GRIMBALDO se destituendum, cuius consilio, atque authoritate consilia sua maximè gubernari optabat, metueret, acuratisque precibus cum eo egit, ne discederet. Quas nec ille omnino aspernatus est, mansurumque se promittit, ita tamen vt eius ope, à veteri *Wintoniæ* cœnobio tantum terræ consequi posset, quantum nouo cœnobio erigendo sufficeret. Cuius Rex postulationi libenter annuit, reque cum Episcopis & Proceribus communicata, magno omnium consensu, magnáque celeritate intra sequens biennium exædificauit monasterium, quod varijs possessionibus, pro animæ suæ patrisque salute, exornauit, quas etiam Proceres auxerunt; vbi GRIMBALDVS beati IVDOCI reliquias, ex territorio *Pontiuorum* delatas, honorifice reposuit. Quas Deus postea multis miraculis cohonestauit. Hoc verò monasterium, ab omnibus ferè adscribitur ALVREDO, non quod ipse ædificarit, sed ædificare prôposuerit, curaritque ædificandum. In quod ipsius corpus (positum ab initio in veteri cœnobio *Wintoniensi*) delatum est, & matris ipsius ELSVITHAE. Cuius filijque opera & ope, cœnobium beatæ MARIÆ, sacris virginibus dicatum, *Wintoniæ* extructum est.

Annal. Wint.

ILLVD verò monasteriũ nouũ appellatur, vt distinguatur ab illo veteri, cũ tamen ab initio, monachorũ penuria, soli Canonici ibi locarentur; sed monachos, si diutus vixisset, GRIMBALDVS ibi ponere constituerat, & EDOVARDVS vbique in suo diplomate monasterium appellat. Sed proximo ETHELVOLDVS *Wintoniensis* sæculo, electis canonicis, monachos substituit, vt & in veteri, quod dicitur cœnobio, qui id temporis Canonici etiam fuerant, GRIMBALDVS vero ingrauescente iam ætate, quotidie magis atque magis à negotijs, & curis omnibus mundi se subduxit, de quibus neque loqui, neque audire sustinebat, totumque se in orationes & ieiunia effudit; raro prodibat, nisi vt salutaribus admonitionibus aliquos ad pietatem accenderet, homines afflicto & perculso animo erigeret, & consolaretur. Quæ sancta exercitia, graui & lethali morbo accedente ad tam prolixam ætatem, adeo non remittebat, vt vehementius ad cælestia animum defigeret atque intenderet, tam continuis orationibus affixus, vt vel valentem defatigarent. Obijt deinde vir pius octauo Idus Iulij, creditúrque inter cælestes choros ascriptus, humatus in dicto nouo cœnobio, quod *Hyda* appellatur.

De

De ASSERO & alijs Shireburnensibus Episcopis.

CAPVT XI.

HAc *Malmesburiensis & Florentius Wigornienſis* serie, huius sæculi *Shireburnenses* Episcopos constituunt. Nempe post WIBERTVM, HALSTANVM, HADMVNDVM, siue HAITHELMVNDVM, ETHELIGVM, ALFIVM, ASSERVM, SIGHELMVM, siue SWITHELMVM, ETHELVORDVM, siue ETHELWOLDVM, nisi quod *Florentius* SVITHELMVM non recenseat. At *Matthæus Westmonasteriensis* post WIBERTVM, quem collocat ad annum octingentesimum decimum quartum, recenset ÆTHELSTANVM ad octingentesimum vigesimum septimum, SIGHELMVM ad octingentesimum trigesimum quartum; tum ETHELVOLDVM, deinde ad annum octingentesimum quadragesimum quintum ELSTANVM; HADMVNDVM ad octingentesimum septuagesimum primum, & successorem tribuit ETHELHEGVM virum in rebus ecclesiasticis eruditum; tum ad octingentesimum octuagesimum tertium, ASSERI obitum; cui successorem SVITHELMVM, & ei ETHELWOLDVM tribuit ad octingentesimum nonagesimum nonum. Ita & alios ponit † quam alij, & videtur duos nobis ELSTANOS siue ETHELSTANOS pro vno, duos ETHELVOLDOS, & forte duos SIGHELMOS siue SVITHELMOS pro vno. alieno etiam vtrumque tempore reddidisse. Quod mihi discrimen obiter indicasse, satis iam erit. VVIBERTVS eo quem descripsimus anno, *Romam* ob negotia quædam ecclesiæ *Anglicanæ* expedienda profectus traditur. SIGHELMVS & HAMVNDVS, incertamine christiani exercitus cum *Dacis*, cæsi creduntur; ille EGBERTO, iste apud *Mereronam* imperãte ETHELREDO. ÆLSTANVS vero siue ÆTHELSTANVS, missus cum EGBERTI filio ETHELVLFO, *Cantianos & Orientales Anglos* graui prælio attritos, ad EGBERTI Imperium redegit, & apud *Pedredesmutham Dacos* immani strage contudit. Neque EGBERTVS solum, sed & ETHELVLPHVS eius consilio, operaque vsus est. Imo vtrique superuixit, mansitque in episcopatu quinquaginta annis. Quæ res causa forsan fuit cur *Matthæus* reductus vnum ALSTANVM in duos distraxerit.

Mar. Scotus vel locat obitum Assseri an. 884. successorem ei Swithelmum tribuit. Sed in indice Episcoporum quos præponit chronico, Athelwardus, necessitate ductus designauit.

† *al. deest* quàm alij.

Flor. an. 854. & an. 871. Flor. 857. & 849

Guil. Malmes.

APVD ETHELVLPHVM ALSTANVS an SVITHVNVS plus potuerit, non satis possim pronunciare. Vterque certe præ ceteris, illius omnia consilia regebat. SVITHVNVS, qui terrestria prorius contemnebat, ad cælestia totus erectus, Regis quoque animum huc accuebat. At ALSTANVS cum videret Regem non satis esse expediti, atque prompti ingenij hominem, neque multi in ciuilibus negotijs vsus; hic se, suamque potissimum operam, nec infeliciter interponebat. Aliqua tamen a *Malmesburiensi* grauiori nota labéque aspergitur, quasi in *Malmesburiense* cœnobium fuisset iniurius. Sed nihil adeo famam eius læsit & commaculauit, quàm quod redeunti à *Roma* Regi se opposuerit, eoque illum redegerit angustiarum, vt meliorem regni partem filio cesserit. SIGHELMVS is est, qui munera Regis ALVREDI *Romam* & in *Indiam* vsque detulit, nec inanis rediit, cum ab *India* graues & fulgentes gemmas, & rara quædam aromata, & quod omnibus geminis antiquius est, particulam Crucis Dominicæ a *Roma* secum reportarit. Fuit vt & ASSERVS sub ALVREDI imperio; vt mihi suspecta sit superior illa de cæde illius, illo præsertim anno, narratio. Post obitum vero ETHELWORDI siue ETHELWOLDI septennio vacauit sedes.

Gul. Mal. de reg. lib. 2.

Gul. Malm. de reg. li. 2. & de Pontif.

Gul Mal de reg. li. 2 Flo an 889. Gul Malmes. de Pont Gul Malmes de Pont.

REDEO iam ad ASSERVM, quem ad se ALVREDVS ex vltimis BRITANNIÆ finibus, *Menevia* inquam, siue monasterio sancti *Dauidis*, euocauit. Quem aduentantem humaniter ille recepit, & enixe rogabat, vt apud se deinceps remaneret, suisque vsibus & necessitatibus inseruiret. Cuius sui obsequij atque laboris amplam foret percepturus mercedem. Subiistere primo ASSERVS; cum præsertim non intelligeret, ob quam potissimum causam operam suam flagitaret. Neque satis sibi integrum aiebat, deserere eum locum vbi & educatus fuit, & reliqua vitæ suæ subsidia percepisset, & sacrosancto sacerdotij charactere insignitus fuisset. Cum vigeret Rex vt vel dimidiati anni obsequium, operamque pollicereturi, residuo singulis annis tempore apud suos moraturus; ne id quidem se, nisi suis consultis promittere posse respondit. Quos se aiebat consulturum, & deinde post sex menses, cum expedito responso rediturum. Dimissus itaque *Werotam*, mox vt parabat discessionem, grauissima febri per duodecim menses afflictus est. Deinde suorum voluntate cognita, Regem, vt promissioni satisfaceret, certiorem fecit de morbo, in quem

Asser in vita Alur.

† *al. abest &*

inciderat; per quem stetit, & nullam suam culpam, quo minus eum præscripto tempore inuiserit. Cumque postea recaluisset, summa suorum omnium venia consensúque ad Regem rediit. Qui eo pronius libentiús que assenserunt, quod sperarent Regis beneficio & ope, tutiores se deinceps fore ab iniurijs & depopulatione HEYMEIDI Regis, qui eam regionē grauiter infestabat, & Archiepiscopum ASSERI cognatum, ipsumque adeo ASSERVM aliquando ex his locis exterminarat.

DISERTE verò cum Rege ASSERVS cauit, vt lapsis sex mensibus, libera sibi ad suos abitio pateret, rediturο, & apud eum pari postea temporū vicissitudine commoraturo. Permansit autem apud eum octo menses. Quo toto tempore ALVREDVS inter tot mentis corporisque, de quibus diximus, impedimenta, interdiu & noctibus numquam prætermittebat, aut ipse recitare aliquid, quod pectus & mentem excoleret, aut alios recitantes audire. Inter quos primarius fuit ASSERVS. Qui cum Regi aliquando insigne quiddam & memorabile recitasset, Rex oppido cupiebat vt illud libello chartaceo, quem semper quocumque locorum circumferebat, inscriberetur. In quem Psalmos, orationes, & alia quædam selectissima congesserat. Sed charta penitus oppleta, nullus vacuus locus nouis accessionibus dabatur. Quare nouæ quædam vacuæque chartæ scitè illi libello, consilio & opera ASSERI assutæ sunt. Quibus & illud, & alia postea id genus testimonia inscripta sunt. Quæ plurimi ALVREDVS fecit. Ægrè tandem ASSERVS post octo illos menses dimissus est, sed non sine egregia Principis liberalitate, qua illi & multa munera, atque etiam duo cœnobia *Cungresbery & Banwille*, omnibus rebus instructissima, munificè contulit; præter cœnobium aut præfecturam aliquam Exoniæ. ASSERVS præter alia vitam ipsius ALVREDI, summa vt videtur fide, & rerum gestarum magna ex parte amplissimus, & oculatus testis, quæ hodie supersunt, conscripsit. Extant & chronica quædam ALVREDI tempora præcedentia, quæ illi nescio an genuino parenti, vt proximo sæculo dicetur, ascribuntur. *Matthæus Westmonasterienſis* obitum eius constituit ad annum octingentesimum octuagesimum tertium. *Marianus* reijcit in sequentem.

Incipiunt ab anno 743. & desinunt ad annum 1100.

De Ethelingensi *& Abbate eius* Ioanne; Septoniensi, Cernelensi, *aliúsque cœnobiis: de* EDWOLDO *Eremita*, FREMVNDO Martyre, *& Abbate* Glasconiensi NEOTO.

CAPVT XII.

Polid. lib. 6.

Gul Malm. de Pont.

SEPTOMAM siue SHAFTISBVRIAM ędificasse dicitur Rex *Britanniæ* RVDVBRASIVS in præruptο monte. Oppidū vero fuisse vetustissimū argumento fuit lapis quidam, in cœnobium sanctimonialiū à muro translatus, ad annum octingentesimum octuagesimum octauum. Quod cœnobium exædificasse ELGIFAM EDMVNDI Regis vxorem, tradit *Malmesburiensis*. Quod non de prima exædificatione, cum constet ab ALVREDO hoc cœnobium constructum, filiamque eius ELFGIVIAM eidem præfectam, vt fuit & *Abindonense* cœnobium; sed magnificentius noua aliqua restauratione, post euersionem à *Dacis*, postea reparatum & ornatum accipiendum est. Ad liberandum vero fidem meam, (etsi abundè satis liberata est) & in nostrorum gratiam, qui antiquitates anxiè venantur, & magni faciunt, apponam ipsa diplomatis ALVREDI verba Saxonicè & Latinè, vt ea reperio in antiquis *Septoniensis* cœnobij monumentis. Latinè verò ita: *Ego Rex* ALVREDVS *in honore Dei, & sanctæ Virginis, & omnium Sanctorum, dono & concedo viuens, & in prosperitate adhuc vigens*, Septoniensi ecclesiæ *centum hidas terræ cum hominibus & alijs pertinentijs, quemadmodum modo se habent, &* Ailenam *filiam meam cum eisdem, quæ cogente infirmitate in eadem ecclesia facta est monialis*. Et claudit donationem his verbis: *Quicumque hæc auerterit, sit a Deo & sancta* MARIA *Virgine, & omnibus sanctis maledictus in æternum Amen.* Saxonicè verò ita. This is the quide that ALVRED cining i an in to *Sceaftesburi*, Gode to lofe et seint MARIE, et ealfe Godes halegen mine saule to fearne on halre tongen, that is an hund hide mid mote and vnd manne, also it stant, and mine dochte AGELINE forth mid rore erie into than minstre, for thanne hie thoes en broken i haded, and mine soene into than minstre that it solue achte, that is forstal, &c. And loke hida

Ibid Sim. Dun. 888. Flor. ibid. Anna Wint Asser de vita Alured. & ipse Mal li 2. de reg ita appellat Gul Mal & Annal Wint. Flor. Algimam an. 888.

Sim Dun Ethelgeofam, & Asser. in vita & Marianus Annalis & monumento ecclesiæ Septonensis Agilmo Saxonice Ailenam Latine.

theses

theses asandie, habe he Godes curse et Seint MARIEN, and all Godes halegen ac mecnesse. Amen.

NEQVE in Deum, neque in *Ethelingianum* illud suum ALVREDVS latibulum, postquam summis illis rerum asperitatibus, temporúmque illorum angustijs se explicuit, ingratus fuit. Nobilitatus enim est deinceps incultus, & desertus ille locus, vt ab eo semper tempore *Ethelingia*, id est nobilium insula dicatur. Nobilitatus est etiam monachorum cœnobio, quod ALVREDVS accepti beneficij & voti, quo se ad istud, vt quidam aiunt, astrinxerat, non immemor, ibi noua ædificandi ratione posuit, cum quatuor postes solo defixi, totum ædificium sustinerent, quatuor cancellis sphæræ instar, in circuitu circumscriptum & conclusum. Cumque pristinus animorum ad pietatem, vitæque austeritatem ardor refrixisset, & vt reliqua, sicut diximus, ecclesiastica disciplina, ita & monastica ita essent debilitata, vt pauci, partim propter tantam à *Dacis* vastitatem illatam, partim propter exuberantes, quas Anglia præbet delicias, & multiplicem rerum omnium, quibus humana vita sustinetur copiam, ad id genus tam districtæ vitæ animum appellerent, & qui appulissent, ægrè idoneos instituendæ vitæ, ad exactam instituti monastici rationem, præceptores adipiscerentur: vt vtrique difficultati occurreret, ALVREDVS tam presbyteros, quam monachos è *Gallia* accersebat, eisque Abbatem *Ioannem* illum, vnum ex illis de quibus meminimus, antiquum genere *Saxonem*, hoc est, vt ego accipio ex *Westphalia*, præposuit.

Flor ann 878. Gul Malm de Pont. Flor. 878.

Asser in vita Alured.

SED crudeliter ingrati monachi isti Gallici, subornarunt quosdam ex eiusdem gentis famulis, qui clam & furtim delitescentes, subitóque irrumpentes, Abbatem alta nocte pro more suo ad altare precantem interficerent. Et interfecissent quidem, nisi ille ad primum strepitum anteuertisset, & vtcumque se defendisset. Grauiter tamen vulneratus est, & eductus, ante ædes meretriculæ cuiusdam, ad maiorem innocenti inuidiam conflandam nefarie proiectus, quasi in flagranti crimine fuisset deprehensus. Sed malefici, licet fugam præpropere cepissent, deprehensi sunt tandem, & meritas nefarij sceleris pœnas pependerunt. Fuit *Ioannes* iste vnus ex ALVREDI, vt diximus, præceptoribus. Hunc quidam GRIMBALDI collegam appellant, nescio an ob eam causam, quod ex eodem diui BERTINI cœnobio huc profectus est. Certè, vtrúmque ex *Gallia* auocasse ALVREDVM, sunt qui scribant. Celebratur etiam hoc tempore & alius *Ioannes*, quem alij ERIGENAM; alij, & frequentius, IOANNEM SCOTVM appellant, & *Scorum* natione crediderunt: non tamen natione *Scotum* alij existimant; sed BRITANNVM, sed ideo *Scotum* dictum, quod in *Scotia*, id est *Hibernia*, ad quam frequens erat nostratium, hoc & superiori sæculo, ad ingenium excolendum, disciplinásque hauriendas concursus, versatus fuerat, & venisse ad ALVREDVM ex cœnobio sancti DAVIDIS *Meneuensis*. Atqui NICOLAVS summus Pontifex *Scotum* genere, vt mox dicemus, eum appellat. Quem quidam BEDAE discipulum, & *Papienses* scholæ à CAROLO *Magno* præfectum tradunt. Quorum oratio cum temporum ratione neutiquam cohæret. ASSERVS, qui optimus fuisset in hac re arbiter, item non satis expedit. Duos vt mihi videtur constituit *Ioannes*, alterum *Ethelingiani* cœnobij, vt diximus, Præsidem, ex antiqua *Saxonia*; alterum, quem ERIGENAM nominat, nec vnde ad ALVREDVM ascitus explicat; nulla de templo sancti DAVIDIS mentione facta, neque in vita ALVREDI (quod mirum) neque in his, quæ ego vidi, chronicis. Quæ etiam * reperiuntur in *Malmesburiensi*, *Simone Dunelmensi*, *Matthæo Westmonasteriensi*. Annales *Wintonienses* vtriusque *Ioannis* meminere, & alterum è *Menenia* vt diximus, accitum palam dicunt. RANVLPHVS vnius meminit *Ioannu*, quem *Meneuensem* monachum fuisse ostendit.

Annal. Wint.

Flor. an 878. Asser in vita Gul Mal. de reg. lib 2. Flor an. 883. Sim. Dun. in chron an 883

Polichron.

Hector Boet Gallus. 3. de Pont.

* al. septimitur.

SED his minutioribus prætermissis, de ipso potiùs homine, eiusque dotibus dicamus. Quæ certè egregiæ, & singulares fuisse à quibusdam traduntur; adeo vt in exteras nationes doctrinæ amplificandæ causa profectus sit, & non solum Latinam, Græcam, Chaldaicam, & Arabicam linguam exactè calluerit; sed & in intima totius diuinæ, atque humanæ Philosophiæ penetrauerit. Qui reuersus per *Gallias*, in magno fuit pretio cum CAROLO *Caluo*. Et quia præter accuratam, multiplicémque doctrinam, omni tempore & venustate affluebat, habebátque ingenium, quod dicitur, in parato, natúmque ad ingenuos sales; mirificè CAROLVS illius consuetudine delectabatur. Accubuerat aliquando ex aduerso in mensa CAROLI, & nescio qua de re, aliquantulum aduersus eum propter liberiorem sermonem commotus, salsè interrogauit, quid *Scotus*, *Soto* interesset? Magna libertate, non minore cum sale, miro lepore aspersit; vt nihil interesso, nisi mensam diceret. Aliáque id genus scita, &

Gul. Mal. lib. 5. de Pont.

venusta illius dicta feruntur. Sed omnes has dotes commaculauit aduersa quædam de fide illius non satis recta, fama. Nam inter alios libros quos conscripsit, liber eius de corpore & sanguine Domini, *Vercellensi* postea concilio, quasi non satis sanam de Eucharistiæ transubstantiatione doctrinam contineret, reprobatus est. Sed & eisdem ipsis, quibus in *Gallia* fuit, temporibus, in aliquam non satis integrę fidei suspitionem, apud NICOLAVM summum Pontificem venit.

Gul. Mal. li. 3. de pontif.

QVOD si ex verbis authoris nostri, & ex eius non satis obuio libro, & difficulter parabili ostenderimus, non erit omnino alienum. Relatū est (inquit NICOLAVS ad CAROLVM) apostolatui nostro, quod opus beati *Dionysij Areopagitæ*, quod de diuinis nominibus, vel cœlestibus ordinibus Græco descripsit eloquio, quidam vester genere *Scotus*, nuper in Latinum transtulit. Qui iuxta morem nobis mitti, & nostro iudicio debet approbari, præsertim cum idem *Ioannes*, licet multæ scientiæ esse prædicetur, olim non sane sapere in quibusdam frequenti rumore dicatur. Propter hanc ergo infamiam (credo) tæduit eum *Franciæ*, venitque ad *Regem* ALFREDVM, cuius munificentia & magisterio vsus, vt ex scriptis Regis intellexi, sublimis *Melduni* resedit, vbi post aliquot annos, à pueris quos docebat, graphijs perforatus animam exuit. Hactenus *Guilielmus*. Hæc eò libentius vel ob id recitaui, vt appareat duos fuisse hoc tempore *Ioannes* apud ALVREDVM (quia quidam è duobus, tantum vnum faciunt) alterum qui *Ethelingiæ* præses fuit, vt *Asserius* tradit: alterum, qui *Melduni* siue apud *Malmesburiam* docuit, vt author noster ex ipsius Regis scriptis ostendit.

CELEBRIS fuit hoc sæculo NEOTVS, de quo prius meminimus, vir ex illustri prosapia, magis tamen ex litterarum & virtutum omnium ornamentis nobilitatus. Monasticam ille *Glasconiæ* vitam amplexus est. Deinde ad *Cornubiæ* solitudinem, haud longe à templo diui PETROCI secessit, commoratus in loco, qui *Neustochum* dicitur. Vnde post septennium prodijt, diligentemque operam in disseminando Dei verbo adhibuisse traditur. Sunt qui commemorato *Glasconiensi* cœnobio præfectum postea dicunt. Cui ALVREDVS portiunculam illam Crucis à Romano Pontifice sibi missam donauit. Defunctus est apud *Atnesburiam* pridie Kal. Augusti, quod nunc templum NEOTI dicitur. Vnde postea *Henricus Crolandiensis* Abbas, ossa illius *Crolandiam* transtulit, ad annum domini millesimum ducentesimum decimum tertium. NEOTVM recte excipient EDVVOLDVS & FREMVNDVS, ille EDMVNDI Regis & martyris frater, Iste etiam ex præclaris & splendidis natalibus ortus, quibus par fuit pietatis, & solitariæ vitæ studium. EDMVNDO cæso, populus & Reges EDVVOLDVM substituere in Regem voluerunt. Quibus ille nulla ratione assentiri voluit, sed omnibus relictis, in Comitatum *Dorcestriæ* secessit, vbi austerissimam & seueriſſimam vitam traduxit, magnaque viuus, & multo magis mortuus sanctitatis suæ opinione, totā illam Prouinciam oppleuit. Quæ res ÆGELVVARDO occasionem dedit, vt cœnobium ibi postea construeret, quod *Cernelienſe* dicitur. Qui locus celebris habetur ob fontem quendam, quem suis diuus AVGVSTINVS precibus repente aperuit. In cuius rei memoriam conseruandam, sacellum super fontem illum constructum est, & sub altari arcuato fontis illius origo ostenditur. Reliquit humanam hanc vitam quarto Kalend. Decembris. FREMVNDVS ALGARI *Orientalium Saxonum* Ducis filius, eandem etiam vitæ rationem diu coluit, & tandem à perdito quodam, qui fidei christianæ nefaria decessione renunciauerat, cæsus est, ad annum octingentesimum sexagesimum sextum, quinto Idus Maij. Cuius comes, & socius fuit in ea solitudine *Burchardus* quidam, qui & vitam eius conscripsit.

Iean. Capgr.

De Episcopis & Cœnobiis Merciorum.

CAPVT XIII.

WIGORNIENSIVM siue *Wictiorum* Episcoporum nomina priori sæculo recensuimus ex *Florentio*, & *Malmesburiensi*. Quos Matthæus *Westmonasteriensis* hoc sæculo recenset ad hunc modum. Post DENEBERTVM (quem *Marianus* dicit obijsse ad annum octingentesimum vigesimum secundum.) EDBERTVM, eiusque obitum ad annum octingentesimum quadragesimum septimum, tum ALHVNVM siue ALVVINVM, qui templum diui ANDREAE apud *Chimesium* construxit. Eique ad annum octingentesimum septuagesimum secundum succesisse HEREFRIDVM,

In Chronic. Flo 868.

bvm, (*Malmesburiensis* libro suo de Pontificibus Herefердvm, de Regibus Weretrithvm appellat) alij Werferthvm. Hic ille Wereferthvs est, quem ad se literis informandum accersiuit Rex Aivredvs, quique Gregorii *Romani* Pontificis Dialogos in *Saxonicum* sermonem Regis iussu transtulit, cuiusque & Plegmvndi *Cantuariensis*, Asserii, Grimbaldi, & *Iohannis* Sacerdotis ope & auxilio, Pastoralem Gregorii eiusdem in eandem linguam, licet tot bellicis & politicis negotijs tantum non enecatus, conuertit. Quam se ideo operam nauasse dicit, quòd Latinam linguam iam olim in Anglia intercidisse vidisset. Quam translationem ad *Wiccionum*, & ad alias, vt diximus, Principales regni sui ecclesias transmisit. Post eum obiit illud muneris Ethelhvnvs qui obijt ad annum nongentesimum vigesimum secundum. Est in hac diœcesi apud *Glocestriam*, monachorum cœnobium vicinum *Malmesburiensi*, quod regnante Aivredo filia eius Elfreda cum marito Ethelredo magnificè erexit. In quod reliquiæ diui Oswaldi Regis & martyris à *Bardano* deductæ sunt. Sed euersum est à *Danis*, vt & *Winchelcombense* eiusdem diœcesis, de quo prius meminimus, vt & multa alia *Merciorum* cœnobia, *Crolandiense*, *Thornense*, & *Rameseiense*, *Petroburgense*, & *Elyense*.

Lib. 2. de Reg.

Alured in præf. transl. sua ad ipsum Werferthum

Flor. an. 922.

Gul. Malm. de Pont. li. 4

Flor. an. 870.

Legecestrensivm, *Lichfeldensium*, *Dorcestrensium*, siue *Lincolniensium* Episcoporum acta aliqua memorabilia non reperio. Nomina prius recensui. Quædam tamen, quæ suis distincta temporibus reperio, subijciã. Inuenio itaque obeunte Rethvno *Legecestrensi* ad annum octingentesimum sexagesimum primum successisse Aldredvm, & huic deinde (nescio qua de causa exauthorato) Celredvm ad octingentesimum septuagesimum tertium. Ponit etiam *Matthæus* ad octingentesimum septuagesimum secundum. Werebertvm, nescio an satis recte. Accersit ad se eum Alvredvs, sed an hoc tempore, vel postea Episcopus sit designatus, non est mihi liquidum. Apud *Herfordiam* reperio, post funus Ceddae ad octingentesimum quinquagesimum septimum sedem eam administrasse Albertvm. Numerat *Matthæus* & Ethelstanvm ad dictum annum octingentesimum septuagesimum secundum, de quo indico vt de Werebertо. Et Ceolmvndvm, eique Esne ad octingentesimum octuagesimum quintum defuncto successisse. *Lichfeldensium* vero (licet non omnium) ita tempora digerit, vt Ethelwaldo defuncto (quem *Malmesburiensis* appellat Herkenvaldvm) ad octingentesimum quinquagesimum octauum substituat Hvmbertvm, & huic, ad annum octingentesimum sexagesimum quartum, Cvneferthvm, siue vt *Malmesburiensis* Cvnebrthvm. Huic deinde ad octingentesimum septuagesimum secundum Tvnberthvm, quem *Malmesburiensis* Tvnfrithvm apellat. Apud *Dorcestriam* Halardvm, siue Ealhardvm reperio, ad annum octingentesimum nonagesimum septimum, de quo tamen *Malmesburiensis* nihil meminit.

Flor. ann. 868. 873. & 881.

Malm. li. 4. de Pontif.

Floril. Mat. in chron.

Fvit hoc sæculo Edbvrga, Offae Regis filia, & monacha, sed non melior monacha, quam prius fuit Regina. Vxor fui Brithrici Regis *Vissaxonum*, quæ Proceres quos oderat, veneno clam tollere solebat. Ex quo & maritus, licet alij parato, interijt. Pulsa itaque à comprouincialibus, fugit in *Galliam*, vbi & cœnobio sanctimonialium beneficio Caroli *magni* præfecta, postea que à seruo compressa, inde extrusa est. In summa deinde egestate & mendicitate vixit. Conditum est hoc sæculo sacrarum virginum apud *Pollis wirthum* iuxta syluam *Ardeniam* in *Cestrensi* diœcesi per beatam Modvennam cœnobium. Illi diuam Editham Alfredi Regis sororem, quæ ibi vsque ad nostra tempora religiosè colebatur, præfecit. Ipsa vero apud aliud monasterium, quod prope *Streneshalium* condidit, versata est. Modvennae discipula fuit diua Athea & diua Ositha, de qua diximus. Ad hanc Modvennam dicitur Ethelwolphvs Rex filium Alvredvm deplorato quodam morbo implicitum, curationis gratia in *Hiberniam* transmisisse. Quæ, & cœnobia, quæ commemoraui postea condidisse, & septennio ante vita exitum in † silua *Andresia* non procul à *Burtonia*, solitariam vitam traduxisse traditur. Huius defunctæ reliquiæ in *Burtonense* cœnobium postea conditum translatæ sunt. Obiit tertio nonas Iulij.

Mal de reg li. 2. Asser in vita Alur.

Polichr li. 5 c. 30 Ioan. Capgr.

† *alias in insula.*

De

De Episcopis Eboracensibus & Dunelmensibus, *& cœnobijs illius Prouinciæ, &* ALBINO Eboracensi.

CAPVT XIV.

Flor. 871 vita Ebor. Ardbig.

Flor. 854 Sim. Dun. in chron. Vita Ebor.

EALDVM *Eboracensem sequutus* est WILFRIDVS, secundum *Malmesburiensem. Florentius* & ceteri appellant WVLSIVM siue VLFIVM. WILFRIDVM vero siue VLFIVM WIMVNDVS. Post WIMVNDI obitum ad octingentesimum quinquagesimum quartum, post decimum sextum annum WLFRIVS. Quo sedente, immensa barbarorum colluuies illam Prouinciam inundauit; omniáque fœdo, miseróque spectaculo ferro, & igne vastauit. A quibus duo illi æmuli Reges, de quibus dixi, serò in gratiam redeuntes, intercepti sunt. Inter has clades Episcopus longius ad *Addingham* secesserat. *Northumbri* vero post hæc nouas sibi turbas excitantes, Regem suum EGBERTVM cum Episcopo suo exterminarunt, aliumque Regē sufficerunt. Sed EGBERTO post annum è vita decedente, Episcopus reuocatur, & demum post quadragesimum septimum Episcopatus sui annum è vita hac terrestri abijt, ad octingentesimū nonagesimum quintum, vt *Matthæus Westmonasterienſis*; vt SIMON *Dunelmensis*, ad octingentesimum nonagesimum secundum, post triginta nouē Episcopatus annos. Cui, ETHELBALDVS substitutus est. *Dunelmensiū* verò series hoc sęculo hęc est. Post HIGBALDVM EGBERTVS sedit, qui obijt ad octingentesimum vigesimū secundum. Post eum HEATHVREDVS, EGREDVS (siue vt quidam appellant) EGFREDVS, EANBERTVS, quos tres *Florentius*, & *Guliel mus Malmesburiensis* prætermiserunt. Deinde ad annum octingentesimum quinquagesimum quartum EARDVLPHVS. EGREDVM vero, non natales modo illustres, sed & præclaræ etiam ipsius actiones valde nobilitarunt. Multos ille vicos ædificauit, & templa in ijsdem, quæ sedi ille diui CVTHBERTI donauit. Construxit templum in vico *Northam* in honorem PETRI Apostoli, diui CVTHBERTI & Regis CEOLVLPHI in quod eiusdē CEOLVLPHI corpus transtulit. EARDVLPHO sedente, societas monachorum quæ hactenus apud *Lindisfarnensem* insulam perdurauit, propter vastationis & cladis *Dacorum* immanitatem dissipata est, & aliò transmigrare coacta. Translata est itaque sedes *Cestriam*; vbi deinceps EARDVLPHVS sedit annis nouemdecim. Ab eius obitu, post quadraginta sex annos suscepti primum *Lindisfarnensis* Episcopatus, CVTHERDVS quindecim annis. Qui sedem illam suam *Cestriæ* plurimis possessionibus auxit. EADVLPHVS, vero & *Eadredus* Abbas, reliquias diui CVTHBERTI secum exportarunt, cum quibus septem annis incertis sedibus vagabantur; tandem domicilium apud *Cestriam*, quæ antiquitus *Cunegecestria* dicta est (vt ante diximus) constituerunt. Aut vitiosa sunt & deprauata exemplaria mea, aut in enumerandis ijs Episcopis *Matthæus* vel memoria, vel ignorantia lapsus est. Nam EGBERTI mortem ad annum octingentesimum vigesimum octauum reducit, eique EARDVLPHVM substituit, eundem tamen postea ad annum octingentesimum quinquagesimum quartum; EANBERTO quoque substituit: sed scriptorum credo vitio, pro HEATHVREDO, EARDVLPHVS irrepsit. EAGFREDI etiam & EANBERTI mentionem facit, de quibus alij, vt diximus, tacuerunt, vt magis credibile sit, perperam pro HEATHVREDO ARDVLPHI nomen suppositum

La vita Episcoporum Dun. per Sim. Dunelm. Sedit an. 18. Ann 9. Ann. 16. ann. 8.

Flor. an 871 & 872. Sim. Dun. 881. & 874 in chron. & in vita Episcop. Dunel.

An. 854 & 844

COMMEMORATA *Dacorum* vastatio, multis in *Lindisfarnensi* diœcesis cœnobijs, clades hoc sæculo intulit, ipsi præsertim ecclesiæ (vt diximus) *Lindisfarnensi*; & *Collingamensi*, sex millibus passuum in *Scotia* à *Berwico* distanti; sed quæ antiquitus erat in ditione ANGLORVM, & à monachis *Lindisfarnensibus* inhabitabatur. Sed non hoc primum sæculo *Danorum* rabies in *Lindisfarnensem* ecclesiam sæuijt, sed & priore. Quo immaniter in Sacerdotes, in monachos, & populum grassati sunt. Ex monachis *Lindisfarnensibus*, quosdam telis interficiunt, quosdam in mare prouoluunt, quosdam omnibus contumelijs vexatos, nudos dimittunt. Quosdam vinctos secum abducunt. Noua vero eis per eosdem hoc sæculo, post octoginta tres annos clades superuenit, a qua pauci euasere. De commemorati *Collingamensis* cœnobij præsidē EBBA iam ante diximus. Cui iam et altera valde memorabilis EBBA præfuit. Quæ cum alijs sanctis virginibus, totoque cœnobio: igne à *Dacis* submisso, conflagrarunt

Ioan. Capgr. in Ebba.

Anno 981 vt Sim in hist. Lindisf. episcop.

gratum. De quibus quidam ſtratagema quoddam, magna admiratione dignum tradunt; quod ab illis petendum relinquo. Euerſa ſunt & alia cœnobia, vt *Tinemuenſe* factis virginibus dicatum, *Girmenſe*, & celebre illud *Beatæ Viremuthenſe* atque HILDAE apud *Streneſhalam*. Quod beneficio ALVREDI Regis beata MOLWINNA reparaſſe traditur, & aliquandiu incoluiſſe, Ornatunt vero *Lindisfarnenſem* hoc ſæculo diœceſim, Dux *Edmundus*, cœnobij diui PETRI apud *Lindisfarnum* primus præſes, & cum alij, tum & *Ethelwolphus*, qui & ſe lupum appellat, eiuſdem cœnobij monachus. Quod ille, ipſiúsque originem, heroicis verſibus, licet pro ratione illorum temporum impoliti oribus, celebrat & cohoneſtat; quos ad EGBERTVM ille Epiſcopum miſit. Oſtendit ille ALFRIDI filium, quem HORRET appellat, fuiſſe fero, immiti, atque intractabili hominem ingenio, & in multorum procerum cædem graſſatum; inter alios quos vexauit, dicit fuiſſe præclarum ducem *Edmundum*, qui & cœnobium diui PETRI condidit, eique primus præfedit. Hunc ſequuti ſunt in eo magiſtratu *Corthwinus*, & ipſius frater *Aiwinus*, tum *Sigbaldus*, & ipſius frater *Sigwinus*, *Wiſſigus* deinde, cum quo *Ethelwolphus*, ante præfecturam imitam, coniunctiſſime ſe vixiſſe teſtatur. Hos, vt reliquos eiusdem cœnobij fratres, *Vltanum*, *Cincuinum*, *Iglacium* præsbyterum & lectorem, cum præsbytero *Winfrido*; ob ieiunia, vigilias, precandi aſſiduitatem, curam ſingularem erga pauperes fouendos, totiusque monaſticæ vitæ accuratam obſeruantiam, ſummopere commendat; & miracula etiam quædam, quæ Deus in eodem cœnobio edidit, commemorat, Tradit *Cincuinum* fabrilem, in eo cœnobio, artem exercuiſſe, & cum diem obiret ſupremum, viſos cæleſtes ſpiritus, qui animam illius in cælum, admirabili luce illuſtratam deferebant. Quin & cæleſtes harmonias nonnunquam in eo cœnobio, magno audientium ſtupore atque admiratione auditas, easque ſuis ſe *auribus cum aliis hauſiſſe*. *Vltanus* ille *Scotus* fuit, qui politè atque concinne libros ſacros, ad cœnobij vſum exſcribere ſolebat; Vir ſingulari pietate, quod & poſt mortem eius Deus oſtendit. Defuncti enim manus (cum oſſa poſt aliquot annos à tumulo eruerentur, alibi reponenda) fratri cuidam periculosè ægrotanti, repentinam ſalutem ſuo attactu attulit. Inter alios fratres mentionem facit de quodam, qui antequam vitæ monaſticæ initiaretur, matrimonio implicatus erat. Communi verò conſenſu pactum interceſſerat, vt, vter eorum prius è vita abiret, ſuperſtes matrimonium non repeteret. Defuncta autem vxore, hunc fidem datam feliſſe. Is autem cum aliquando defunctus omnium ſententia iudicaretur, repente magna omnium cum admiratione vitæ redditus eſt. Quam ille ſibi à benigno Deo (ad cuius iudicium raptus erat, & in magno damnationis periculo conſtitutus) redditam ideo fatebatur, vt iuſta deinceps pœnitentia illud delictum expiaret, acrius alioquin in altera vita expiandum. Dum autem *Iglacius* veneranda myſteria celebraret, viſum fuiſſe Chriſtum, qui manu illum benedixerit. *Sigbaldus* vero ædificijs, & donarijs cœnobium illud mirifice auxit, & ornauit. Et alia ille quidem de hoc cœnobio, quæ iam prætereo, tradidit.

Flor. an. 870.

Flor. ibid.

Instituunt summa ſacer. &c.

OBIIT vero in principio huius ſæculi vir omni memoria dignus FLACCIVS ALBINVS ſiue ALCVINVS,[a] vtrumque enim in vetuſtis manuque ſcriptis exemplaribus reperio, præſertim in antiquiſſimo epiſtolarum eius exemplari, vbi vtroque inſignitur. In quo diſerte & FLACCI nomen apponitur, licet [b] quidam vir doctus dixerit, ſe adhuc non reperiſſe in vetuſtis codicibus. Sunt qui putant *Cantianum* fuiſſe, & cœnobium ibidem diui AVGVSTINI præfectum. Sed illius nominis ſimilitudo, & temporum aliqua vicinitas impoſuit. Qua factum eſt, vt ad hunc hanc præfecturam trahant, quæ non ad eum, ſed ad alium *Albinum*, vt ex [c] *Ioanne Spina* oſtendimus, trahenda eſt. Fuit enim natione *Northumbrius*, bonis literis atque artibus primum ſub *Beda*, quem paſſim multis præconijs ornat, & [d] magiſtrum ſuum, vt alias *ſui temporis* [e] *Magiſtrum nobiliſſimum* appellat. Deinde ſub EGBERTO *Eboracenſe* Archiepiſcopo informatus, quem [f] & magiſtrum ſuum appellat, cuius *Eboracenſem* Bibliothecam apud [g] CAROLVM *Magnum* magnificè, vt alibi diximus deprædicat. Huc tacit quod alibi ſcripſit. [h] Noſtrum, inquit, *Northumbriæ* regnum pœne periit præter noſtras diſſenſiones, & fallaces iurationes. In *Northumbriæ* itaque regno, apudque *Eboracum*, vt ipſe fatetur, nutritus & educatus, adeo inſigniter in literis profecit, vt ſecundum *Bedam* & *Aldelmum*, primas totius literaturæ, inter omnes alios ANGLOS ferat. Magnitudinem doctrinæ ipſius, tum libri eius, tum diſcipuli, quos primum in ANGLIA, deinde in *Gallia* habuit, facile arguunt; adeo vt & feminæ inſigni, eo præceptore, doctrina ornatæ ſint. Ex quibus ſunt *Giſla* & *Richtruda* ſanctæ Virgines, de quibus antea meminimus. Ad *Giſlam* extat hodie *Albini epiſtola*. Omnium verò in *Anglia* cele-

[a] *Vide epiſt. numero 90. ſed & alias in probatis authoribus reperio quæ non ſunt in meo exemplari.*

[b] *Melch. Hittorpius in præfat. de diuinis offic. col. 108.*

[c] *Vide prius de Abb. cœn. D. Aug.*

[d] *Epiſt. 22. Incipit Sanctiſſimus in ſanctis Petri, &c.*

[e] *Ad Witerniſcos vt Guil. Mal. lib. 1. de reg. c. 53.*

[f] *Ad Carol. Mag. vt Guil. Mal. de Eboracen.*

[g] *Incipit ad Car. Mag. vide Guil. Malm. de Pont. Eccl.*

[h] *Osber. Patricio Merciorum Guil. Mal. de reg. lib. 1. cap. 50.*

celebertimus fuit [a] SIMEON EMBALDVS *Eboracensis* Archiepiscopus, cuius teneros * animos ipse *Albinus* se eruditisse, & formasse dicit. Non tolum *Eboraci*, sed in Academia *Cantabrigiensi* docuisse traditur. [†] Quod vt forsan sit verum, ita nullo modo consistit, quòd Doctoris titulo & insignibus, vel a *Beda* ad annum sexcentesimum nonagesimum secundum, vel omnino ab eo ornatus sit. Neque ego *Bedam* magistrum ab illo magis ideo appellatum puto, quòd viua voce, quam quòd scriptis illius sit informatus: & authoris, qui hæc tradit, [b] historia infirmæ fidei est, multaque tum hac de re, tum de aliis habet à veritate abhorrentia, quæ iam persequendi non est locus. Eboraci autem eum sacras literas, aliasque disciplinas professum satis constat. Cuius doctrinæ excellentis peruagata fama, huc etiam exteros attraxit, & inter alios *Ludgerum Frisium Monasterienſem* postea Episcopum, virum, doctrina, pietate, & præclaris in vita, & post obitum miraculis insignem. Qui quatuor annis & dimidiato in sacrarum literarum lectione atque meditatione, inque aliis disciplinis hauriendis, cum eo permansit.

SED non continuit se vel gloria, vel eruditio *Albini* intra Oceanum, vel præstantia discipulorum * eius. Vltra ipsum enim se effudit, totamque *Galliam* impleuit; adeo vt [l] *Amalarius* Archiepiscopus, doctissimus sanè & ipse æstatis suæ, *Galliarum* eum doctissimum magistrum appellet; recensetque *Amalarius* à quibusdam cum *Rabano Moguntino* Archiepiscopo, & *Haimone* Episcopo *Trevirensi* inter eius discipulos. Cuius discipulum [c] non modo [d] alii passim tradunt fuisse CAROLVM *Magnum*, sed & eum ita [e] Carolus ipse, cum magna amoris ac venerationis testatione appellat. Qui eum ad se in *Galliam* venientem, humanissime habuit, præfecturaque cœnobij diui *Martini* apud *Turones* donauit. Causa abitionis eius in *Galliam* hæc traditur [h] Intercesserat, nescio qua de causa, animorum offensio inter CAROLVM *magnum* & OFFAM *Merciorum*, aliosque ANGLIAE Reges, adeo vt commercia negotiationis mercatoribus vtrimque fuerint interdicta. Legatio itaque pacificatoria *Albino* iniuncta est. Quam tam dextre obiuit, vt non solum concordiam sarcierit, sed CAROLVM in tantum sui amorem traxerit, vt dimittere eum deinceps noluerit; sed ex legato hospitem, & ex hospite magistrum illum sibi, vt *Gorgiam* olim *Athenienses*, accerserit. [i] Alij anno Domini septingentesimo septuagesimo quinto, sed forsan præmaturius (nam constat fuisse in ANGLIA, cum sanguinea illa quam dixi pluuia è cœlo demissa est, quæ ad annum Domini septingentesimum octuagesimum octauum refertur) [k] alij octingentesimo primo: sed sine dubio iusto tardius, tempore que omnino alieniori, primum in GALLIAS profectum asserunt.

AT fuisse in *Gallia* ad septingentesimum nonagesimum & [l] *Sigebertus* tradit, & facilè ex ipsis *Albini* scriptis colligitur. Ad quæ [m] tempora *Feliciana* hæresis, quod Christus in humana carne esset nisi adoptiuus Dei filius, ingraueſcebat in *Gallia*. Quam & eius discipulus *Beatus*, *Toletanus* Episcopus, mordicus tuebatur. Quam *Albinus* sæpius tum alibi, [n] tum in epistolis euertit. Congressus est cum ipso *Felice*, aduersusque illius hæresim disseruit, [o] *Carolo* sanctisque patribus præsentibus: diu se pertinacem & obstinatum ostendit *Felix*, sed tandem emollitus errorem palam agnouit, & se deinceps in catholica fide acquieturum promisit. Scriptis etiam eundem [p] *Felicis* errorem conuicit, librumque eius priore anno ad se missum confutasse se ostendit. Atque hæc, ni fallor concertatio *Albini* cum *Felice* in celebri illa *Francofordiana* synodo, quæ frequenti Episcoporum *Galliæ*, *Italiæ*, *Germaniæ*, atque adeo BRITANNIAE nostræ calculo & consensu, *Felicianum* hæresim damnauit, finita est ad annum septingentesimum nonagesimum tertium vel septingentesimum nonagesimum quartum. Certe abfuisse *Albinum* ab ea synodo, & à CAROLO suo, cuius omnia, præsertim in rebus ecclesiasticis, consilia gubernabat (quemque varijs in [q] *Gallia* synodis interfuisse, deque peregrinationibus, itinerumque suorum molestijs [r] queri constat) non est credibile. Presertim cum, vt dixi, Episcopos ab ipsa BRITANNIA illuc euocauerit, tantæque fuerit id temporis *Albinus* celebritatis, vt [s] *Galliarum Magister*, vt diximus, & haberetur & diceretur. Traditur etiam bonas literas *Lutetiæ Parisiorum* docuisse, fuisseque illius Academiæ, præsertim post *Bedam*, vt quidam volunt, Princeps, atque initiator; ita vt CAROLVS illius suasu & consilio Academiam illam, alteramque apud *Ticinum* in *Italia* constituerit.

NEC est quod iam ego, in eruditione eius ambitiose deprædicanda, operam abutar mea; cum illa multo melius, quàm in filijs parentum vultus atque effigies, in ipsius libris reluceat: Quorum multi & typis excusi prostant, multi in publicis & priuatis conseruantur

[a] Epist. dilectiss. suo Albino, quem ego inquit, loco magni patris, nutrimi, & doctorem, & ad perfectum perduxi virum.
* al. animos.
† Hæc omnia ab ho. signo vsque ad illa verba, sed non continuit in vno exemplari non habentur.
[b] De qua antea mentionem habeo
[c] In vita Ludg. lib. 1. cap. 7.
* al. ipsius.
[d] Cap. 58 accordine antiphonar.
[e] Melchior. Hittorpius in præfat. ad diuinum officium. Gul. Malmesb. reg. ca. 49.
Sigeb. an. 790 scribit Albinum Caroli Magistrum.
[g] Scripsit ad Albinum de ratione septuagesi. & impressi an. 1565
[h] Gul. Malm. l. de reg. ca. 49. vt
[i] Flores Gul. de reg. 652. Flores anno 788
[k] Polyd. an. 801
[l] In chronic. Sigeb. ibi & Otho in chron. Prima incipit Filius Dei Christus & ad hæc tardum Canonicum adnot.
Epist. Bo. incipit diuino hortatu vestro, Aquinæ Pontif. &c.
[o] Sigeb. Otho ph. in chron.
[p] Vide literas Caroli ad Elipandum & reliquos in nouiss. Conc. Col.
[q] Vide præfat. eius in l. de Trinit. ad. &c.
[r] In Gretseri Latinis à principio Sæculi in supplem. li. 10. Anton. in chron. tit. 24. ca. 4. & Platin. & in Naucl. lib. 14. Ann. 802. & Annal. lib. 4. Pontif. anno

seruantur bibliothecis, quorum nomina passim licet reperire. Illud tantum lectores iam admonitos volo, ne adumbratis & fallis scriptisque quorumdam suppositijs illusi, & circumuenti, existiment *Albinum* contra veneration em imaginum aliquid scripsisse. Præfecit eum CAROLVS cœnobio diui MARTINI apud *Turones*. Quod & cæteri scribunt, & ipse grato & ingenuo animo apud ipsum CAROLVM testatur. Apud quem & suppliciter agit pro condonanda quadam culpa (quæ monachis diui MARTINI falso forsan atcribebatur) ob tumultum quendam exortum in defendendo quodam reo, qui ad ecclesiam & patrocinium diui MARTINI confugerat. Aliam dignitatem, qua auctus est in *Gallia*, non reperio. Illam CAROLO iam Imperatori & Augusto designato, vt & proximam scripsit epistolam, in qua poscenti illi significat, quid sibi velint illa Euangelistæ verba: *Et homo dicto*. In priore vero apparet eum, beneficio & voluntate CAROLI, propter ætatem & morbos ingrauescentes, ad illud cœnobium dimissum, vt omnibus alijs mundi negotijs curisque exolutus, soli Deo quiete, placideque inseruiret. Cuius rei nomine accuratas illi gratias agit. Sed neque illud reperio, an Sacerdotio vnquam honestatus fuerit. Passim se in epistolis aut Leuitam aut Diaconum inscribit, Abbatem eum CAROLVS ipse appellat. Et ipse in epistolis prædictis ad CAROLVM, & alibi, matricularium se nominat, sed quo sensu, certo adhuc pronunciare non possum.

Fleur. ann 798. Sim. Dunelm. 798.

Gul Malm de reg li ca 32. Epistola 2 de manse excellent.

In epistola ad eum de ratione festmagestima. Epist 74. dat anno.

IAM si vir iste tanto ingenij lumine illustratus, tanta doctrinæ vbertate & præstantia præditus, tanta vitæ sanctitate ornatus, suo quodam certóque proposito, atque vt mea conjectura fert, ideo à Sacerdotij functione abhorruerit, quod magnitudinem muneris, & accuratam atque exquisitam de illa reddenda rationem vereretur; quid de nobis miseris fiet, qui omnibus idoneis ad eam obeundam præsidijs destituti, vitijs præterea omnibus cooperti, ad eum indigne irrumpimus? Vtrum in ANGLIAM aliquando, postquam in *Galliam* venerat, reuersus sit, mihi adhuc haud constat. Diuturnæ suæ illic moræ causam, his alicubi verbis ostendit. Non pro auri auaritia, testis est mihi cognitor cordis, *Francium* veni, nec remansi in ea; sed, vt dixi, ecclesiasticæ causa necessitatis: & ad OFFAM Regem MERCIORVM, ego paratus eram cum muneribus CAROLI Regis ad vos venire, & in patriam reuerti. Sed melius mihi visum est, propter pacem gentis meæ, in peregrinatione remanere; nesciens quid fecissem inter eos, inter quos nullus securus est, vel in salubri consilio proficere potest. Ecce loca sancta à paganis vastata, altaria periurijs fœdata, monasteria adulterijs violata, terra sanguine Dominorum & Principum fœdata. Nihil itaque de eius in ANGLIAM reditu, sed fuisse in *Gallia* ad annum Christi octingentesimum nonum imo & in *Gallia* obijsse in *Cormaricensi* cœnobio, quod ad *Turonense* spectabat, ibique humatum lego. Etsi vero diu à patria abfuerit, & in aliena terra consenuerit, atque etiam obierit, nunquam tamen patriæ, quo mire flagrabat, amorem depositit ex animo. Neque satis scio, non dicam an prolixius, sed an vel magna ex parte tam bene, siue de tota ecclesia, siue de patria merer i potuisset, si se in ea solum continuisset. Non solum enim CAROLVM ANGLORVM Regibus, vt dixi, conciliauit, sed & eum grauiter postea *Northumbris* iratum, insigniique eos aliqua clade afficere cogitantem repressit, eiusque liberalitatem elicuit ad redimendos multos ANGLOS à *Danis* captos.

Ad Eboracenses lib 1. de reg ca. 18

In vita Ludgeri memorat epist li. incap fin.

Gul Mal li. 1. de reg ca 14.

OMNIBVS iam omnium ordinum omnisque sexus, suis literis, suis pijs & salutaribus consilijs licet absens valde profuit; ardentesque ad pietatem strenue sectandam faces in omnium animis accendit: omnibúsque, pro conditione cuiusque sancta consilia suggessit. Manifesto huius rei documento sunt, vt nihil de alijs eius libris dicam, epistolæ eius, quæ adhuc non interierunt, ad Reges[a] *Merciorum & Northumbriæ*, ad[b] *Osbertum* Patricium, ad[c] *Cantianos* & alios laicos, ad[d] ETHELARDVM *Cantuariæ*, ad SIMEONEM[e] EMBALDVM *Eboraci* Archiepiscopum. In cuius gratiam scribit etiam[f] LEONI Summo Pontifici, ad[g] CVTHRADVM & CVTHBERTVM, ad[h] *Eboracenses* suos discipulos, ad fratres i *Girwiensis*, alioíque in *Northumbria*: adeo vt & feminas sanctasque Virgines, tam longe absens, totque curis obrutus, ad cogitationem curámque suam[k] reuocauerit. Vt nihil hic dicam de eius epistolis ad exteros. Quæ à me ita inuolutius dicta, si exoluerem & latius explicarem, & singula ad suas quæque causas, occasionésque & circunstantias accommodarem, plus iusto nostrum excresceret opus. Satis erit quasi digito indicasse, vnde certa summæ, & incredibilis cuiusdam illius in patriam, & Deum ipsum, ad quem omnia sua hic, & in alijs consilia, eiusque voluntatem perficiendam retulit, argumenta à volentibus petantur. Vt mihi non sit incredibile, hanc tam singularem hominis pietatem, Deum præclaris e-

a Epist 8. 67 & 87 Gul Mal li. 2 de reg ca 13.
b Epistola 9.
c Epistola 58.
d Epist 2 & 47 Gul Malm de Pont lib 1.
e Epist 19 21. Vide & 50 ad Canutum & Lucal um.
f Gul Mal de Pont li. 1 epist 15
g Epist 7 & 66.
h Epistola 4
i Epist 11. & 14.
k Epist. 75 & 90

tiam miraculis edendis (quod scio à quibusdam traditum) ornasse.

De FRIDERICO Traiectensi *Episcopo. De* HAMONE, WALEFRIDO STRABONE, *& alijs* ANGLIS, *qui illustres hoc sæculo apud exteras nationes fuere.*

CAPVT XV.

Caput 15.

Cranzius. Gasp. Bruschius.

REFERT vt & alios iam aliquot ANGLOS, qui sua hoc sæculo præsentia, doctrina, & pietate exteras quoque Regiones ornarunt, & illustrarunt; recensemus. Inter quos fuere CEVILO siue LEVILO, ISINGERVS Willihadi Bremensis (de quo superiore sæculo diximus) discipuli. HELIGANDVS præterea siue HELINGARDVS, & ERLVLPHVS qui *Verdensem* Episcopatum administrarunt. Postremus martyrio etiã per *Dacos* nobilitatus est. A quo nec reliqui longe abfuere. Adeo hanc sedem & Regionem in medio atrocissimorum hostium positam hinc *Vandali*, hinc *Duci* & *Normani*, hinc *Saxones* sæpe & grauiter infestarunt. In qua gloriosa palæstra IERON siue IERONYVS presbyter ANGLVS, qui mirifico euangelij disseminandi ardore in *Hollandiam* pro-

Ioan. Leland.

fectus erat, à barbaris irrumpentibus, apud *Northwickum* nobiliter occubuit. Insigniter inter alios enituit FRIDERICVS *Denonius*, qui *Traiectensi* Episcopatu ornatus est. Fuit ille BONIFACII illius *Moguntini* discipulus & nepos, & *Romanæ*, vt quidã scribunt, peregrinationis socius. Eum autem *Traiecti* Episcopũ LODOVICVS *Augustus* CAROLI Magni filius

Ioan. Leland.

Gul. Malm. de reg. lib. 1 cap. 5.

designauit. Quo die consecratus est, assedit mensæ cum *Augusto*. Quem ille inter epulas hortatur, vt strenuè & impigrè maiorum suorum exempla sectatus, sceuere peccata hominum argueret, nec vllius personæ rationem haberet, & pertinacibus etiam anathema infigeret. Egit mox FRIDERICVS *Augusto* gratias, quod in ipso muneris sui ingressu ipsum officij sui tam religiosè admonuisset. Sed est hic, inquit, aliqua difficultas, à qua me per te, *Auguste*, expediri cuperem; & ne longius, inquit, rem repetam, Quæro Vtrum piscem hunc (designabat autem piscem, qui mensæ cum alijs cibis appositus erat) honestius sit à capite, an à cauda aggredi? Cumque ille propere (suo se vt olim *Dauid* Rex prophetæ *Nathan* respon-

so implicans) respondisset, A capite, Tum FRIDERICVS; Et tua inquit *Auguste* oratio, & fides atque Christiana pietas hoc à me extorquent, vt peccatorum emendationem, quã à me modo postulabas, non ab alijs tanquam à cauda, sed à te vt reliquorum capite exordiar. Vt reliqui, cum nec tuis vitijs parci viderint, nullam sibi delictorum impunitatem deinceps policeantur. Abrumpe itaque *Auguste*, abrumpe vetitum, & incestum istud tuum, contra canonum & ecclesiæ leges atque scita, cum *Iudith* nefarie initum matrimonium. Neque enim conuenit regium thorum tali macula, atque labe contaminari.

HAEC etsi *Augusti* animũ vrerent, dolore tamen omni dissimulato, nullo grauiori verbo aut facto læsum, dimisit Episcopum. At *Iudith* animo quiescere non potuit, donec dolorem suum vlta esset. Immisit itaque siccarios, qui pium Pontificem conficerent & confoderent, quorum ille aduentum diuinitus seu aliunde intelligens, cum sacris vestibus induto, iamque parato ad sacrificium conficiendum nuntiaretur, adesse quosdam ab *Augusta*, qui eum conuenire cuperent, curauit vt exitum sacrorum expectarent. Quibus expeditis, ad se sacris adhuc vestibus indutum, in sacrarium eos remotis arbitris, introduci iubet. Vbi nefariè ab illis iugulatus est, telo non solum per corpus traiecto, sed & corpore à pectore ad inguina dissecto. Ad *Rhenum* mox se illi summa celeritate proripuere, veriti ne si res resciretur, a *Traiectinis* discerperentur. Et certe meritas mox pœnas exoluissent, nisi mirifica quædam FRIDERICI clementia eos liberasset. Ingresso enim mox vno ex familia in sacrarium post illorum discessum, cum videret Episcopum vulneribus tam atrociter confectum, interrogauit quid illi accidisset? A quo ille aliud responsum auferre non potuit, nisi vt propere abiret, & videret an nuncij illi *Rhenum* adhuc traiecissent. Qui traiectione illorum renunciata, cum intelligeret iam eos extra periculum positos, quod illis à suis metuebat; accersit ad se suos, prorumpentia viscera, & intestina manibus comprimens, ne effunderentur, & constanti atque imperturbato vultu atque sermone, rem omnem illis aperit, mox que animam

mam exhalauit. Sed hic HAIMONEM & WALEFRIDVM STRABVM, *Fuldensis* cœnobij in *Buconia* prope *Moguntiam* magna ornamenta, *Bedæ*que non vt quidam scribunt fratres, sed forte tamen necessarios, nullo modo prætereire debeo. Fuit vero HAIMO tertius *Herfeldensis* Abbas, tertius etiam *Halberstatensis* Episcopus. Qui præter varia alia opuscula, totum vetus nouumque testamentum commentarijs illustrauit. Quod & WALEFRIDVS magna quidem ex parte egregie confecit. Cuius extat nobile de ecclesiæ officijs opus. Sunt qui & SIMEONEM quendam ANGLVM, & *Alcuini* discipulum Episcopum alicubi in *Gallia* constituunt. Sed non ille in *Gallia* Episcopus, sed in ANGLIA *Eboracensis* Archiepiscopus fuit, SIMEON inquam EMBALDVS, de quo prius commemorauimus, Quem *Simeonem* ipse *Albinus* appellat. Peregrinatus est etiam hoc sæculo in *Gallia* CANDIDVS *Lindisfarnensis* presbyter, & cum *Alcuino* versatus, qui postea in ANGLIAM redijt. Versatus est hoc sæculo *Traiecti* MARCHELMVS vir pius, & WILLEBRORDI discipulus. Versatus & ALVBERTVS ANGLVS ob pietatem & doctrinam præclarus, qui & Corepiscopus GREGORIO *Traiectensi* Episcopo designatus est.

Ioan. Leland.

Ioan. Leland. Vide epist Albi. 19 11 & 30. ad Calcuinum & Cuculum.

Ioan. Leland. in vita Ludgeri lib. 1. cap. 7. & 12.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ ANGLICANÆ DECIMVM SÆCVLVM.

DE ROMANIS PONTIFICIBVS, *Imperatoribus &* ANGLIÆ *Regibus hoc ſæculo.*

CAPVT PRIMVM.

Cauſrius.

INGREDIMVR iam, Deo auſpice, decimum ſæculum, *Quo ciuile* Imperium hi magiſtratus adminiſtrarunt *Ludouicus* quartus *Conradus, Otho* magnus, *Otho* ſecundus, *Otho* tertius. Eccleſiæ vero hi fuere Principes & Pontifices, BENEDICTVS quartus, SERGIVS tertius, ANASTASIVS tertius, IOANNES decimus, LEO ſextus, STEPHANVS octauus, LEO ſeptimus, STEPHANVS nonus, MARINVS ſecundus, AGAPETVS ſecundus, IOANNES duodecimus. LEO octauus, IOANNES decimus tertius, BENEDICTVS ſextus, IOANNES decimus quartus, GREGORIVS quintus, SILVESTER ſecundus. ANGLIAE autem Regnum hi Reges tenuère. EDWARDVS primus, ETHELSTANVS, EDMVNDVS, EDREDVS, EDWINVS, EDGARVS, EDOVARDVS ETHELDREDVS; De Regibus itaque ANGLIAE, quatenus eorum acta cum noſtro ſcopo cohęrent, iam diſſeramus.

De EDOVARDO *primo*, ETHELSTANO, EDMVNDO, EDREDO, *&* EDWINO *Regibus.*

CAPVT II.

Malm. de regib.

EDOVARDVS ſacris ceremonijs in Regem ab ETHELDREDO *Cantuarienſi* conſecratus eſt, vir qui patrem, ſi non literarum, rerum tamen Martiarum peritia æquabat, aut potius ſuperabat, regnumque, adiunctis etiam *Mercijs* nobiliter amplificabat; & aut veteribus reparatis, aut nouis oppidis ad regni defenſionem præſidijs opportunè impoſitis, aduerſus *Dacorum* inſultus egregiè vindicabat, tamquefortiter & toties repulit, vt parum iam ei negotium † poſtea faceſſerint. Sed quod ſibi in literarum cognitione defuit, id abundè in liberis ſuis ETHELWALDO præſertim reſarciri curauit, quem egregiè eruditum fuiſſe tradunt, & quaſi vnicam ALVREDI aui effigiem tam vultu, quam moribus & cognitione repræſentaſſe. Qui paulo poſt patrem obijt. Quin & filias literis imbui curauit, à quo ſtudio cum vacarent, colo & acu ocium propulſabant. E quibus ELFREDA & ETHELHILDA, filiæ ELFLEDAE, virginitatem per omnem vitam coluerunt: ſed illa in communi tamen, licet abſque nuptijs, vita permanſit; iſta cœnobio ſe virginum addixit. Habuit & ex tertia vxore EDGIVA EDBVRGAM, quæ virginibus ſacris *Vincomiæ* ſe aſſociauit.

† *al. abeſt poſtea.*

NEC ſolum oppidis, ſed & legibus idoneis reimp. muniuit. Quæ & hodie cum legibus GVTHRVNI Regis *Dacorum*, quas ALVREDVS primum, deinde EDOVARDVS cum GVTHRINO tulere, cum eodem fœdus ineuntes, *Saxonica* lingua conſcriptæ, extant. In

Impreſſe Londi. an 1568.

quibus

quibus aliquot sunt, quæ religionem Christianam, disciplinámque ecclesiasticam promouent. De vno Deo colendo, & aduersus leuissimos Christianæ religionis transfugas; aduersus Sacerdotes, qui sacrosanctum oleum præscripto tempore non comparant, qui baptismum denegant, qui in statis ieiunijs populo indicendis errant; aduersus duos fratres, qui eandem mulierem duxerint; aduersus eos qui mercantur, aut die Dominico operantur, ieiunia que infringunt; aduersus sagas & alias maleficas. Ne quis rei capitalis damnatus, prohibeatur peccata sua Sacerdoti confiteri. Ne quis die Dominica pœnas luat capitales, & id genus aliæ. Et vt legibus in hunc modum saluberrimè promulgandis, prudentem sese Principem præstitit, ita & literarum studijs fouendis promouendisque, Reipub. Christianæ maxime profuit. Nam *Cantabrigiensem* Academiam à *Dacis* paulo ante vna cum oppido flammis abrumptam, ad pristinam gloriam restituit. Aulas enim, vt vocant, studiosorum iterum erexit. Doctorum, Magistrorumque cathedras, atque sedes reposuit, & nonnullos qui liberales artes, ac Theologiam profiterentur, *Oxonio*, vt refert *Ioannes Rossus*, euocari curauit. Nec vetera solum decessorum suorum priuilegia, Academiæ *Cantabrigiensi* facta tecta conseruauit, sed & noua ipse concessit. Grauiter verò EDOVARDVM FORMOSVS Papa per literas increpuit, quòd sedes Episcopales in regno *Visisaxonum* Episcopis suis plus iusto destitutæ fuissent. Quare quam primum Synodum acciri iubet, cui & ipse interfuit. De qua mox plura suo loco dicemus. Obijt EDOVARDVS post annos viginti tres, humatus in nouo cœnobio *Vintoniæ*.

Ioan. Rossus Warwicensis. Angl.

† al monastero.

Guil. Malm.

HVIC ETHELSTANVS non minori in re militari præstantia, rebusque non minus præclare aduersus *Wallos*, *Scotos*, *Danos*, in Northumbria gestis nobilitatus, EDOVARDI missu & testamento Rex designatus succedit. Non ille quidem legitime genitus, aliaque grauiore nota fraternæ EDWINI cædis (ad quam illum sinistra importuni homines delatione impellebant) aspersus. Quam ille graui septennij totius postea pœnitentia, exdeque pincernæ, qui ad hoc facinus falsa criminatione faces illi suggerebat, expiauit: omnemque, si quæ talis fuit, (res enim vtraque magis à fama & vulgatis cantilenis, quam à probata certaque historiæ fide pendet) ita præclaris virtutibus abstersit, vt inter præstantissimos, & dum viueret, & semper postea ab omni hominum memoria Princeps habitus sit. Quas illius dotes, quasi in herba adhuc nascentes, prospexit olim auus ALVREDVS qui infantem, egregiamque illius indolem plurimi fecit, eumque diligenter, & nobiliter apud filiam ELFLEDAM, & generum ETHELREGVM *Merciorum* Regulum educari curauit. Cuius animi amplitudinem atque magnificentiam, inter alia non parum illustrat, quod cum INDVALVM *Wallorum*, CONSTANTINVM *Scotorum* Regem regnis suis pepulisset, in pristinum eos tamen dignitatis splendorem restituerit, gloriosius esse dictitans, Regem facere, quam Regem esse. Et sit illud quidem magnificentiæ; hoc verò pietatis eius indicium, quod partim ad placandum Deum, pro suo in fratrem (vt quidam tradunt) admisso, partim ad piorum preces sempiternas pro regni perpetua fœlicitate promouenda, ad Deum eliciendas, *Medtonense* siue *Nidelmonense*, & *Michelmense*, aliaque cœnobia à fundamentis de nouo erexerit, de reliquis verò ita sit meritus, vt nullum fere totius ANGLIÆ fuerit vetus cœnobium, quod illi vel ædificijs, vel libris, vel prædijs, vel alijs rebus non ornauerit. Quod partim alibi attingemus. Accedit ad hæc illius ornamenta, mira in fouendis pauperibus animi propensio. Quibus vt de suo per ANGLIAM prospiceretur diligenter prouidit. Leges etiam salutares ad Rempublicam administrandam (quæ hodie lingua *Saxonica* conscriptæ vsurpantur) ex consilio VLFHELMI *Cantuariensis*, & aliorum Procerum in concilio *Graculeano* sanciuit. Postea decimosexto regni administrati anno defunctus, *Malmesburiæ* conditus est.

POST cum regnauit EDMVNDVS frater ad sex annos & dimidiatum. Qui *Northumbros* nouam seditionem molientes, & *Anlauum* sibi Regem, contra pacta inita cum ATHELSTANO, sufficientes reprelit, atque ad officium colendum pepulit. Dedidit se tamen Regi *Anlauus*, & vt magis deinceps securum de sua in illum fide, atque obseruantia eum redderet, Christi religionem profitetur. Quam cum omni Regis obseruantia mox abijciens, & nouos motus ciens, sequenti anno e *Northumbria* extrusus, perpetuóque exilio mulctatus est. DVNSTANVM EDMVNDVS abipsis regni auspicijs magna coluit obseruantia, eiusque potissimum consilio se, suáque gubernabat. Sed intercessit tandem magna animi erga illum offensio delatorum opera, qui DVNSTANI virtutibus inuidentes, nihil intentatum relinquebant, quo Regis animum iniustis, falsisque criminationibus aduersus eum exacerbarent.

barent. Nec quieuere donec DVNSTANVS aula extruderetur. Post paucos Rex ales venatum profectus, dum pernici equo in præcipiti; & prærupto monte cetuum citissime insequitur, qui cum ipsis canibus ex præcipitio periit, Rex ipse ad idem pæne prorsus periculum redactus, nec equum sustinere valens, omnique iam deplorata spe, repente iniuriam suam in DVNSTANVM ad mentem reuocat; peccatique condonationem, celerémque, beati viri precibus, periculi propulsationem expetit. Ipsasque mox cogitationes prætens salus, equo præter omnem expectationem incitatum cursum retardante, subsecuta est. Reuersus Rex euentum hunc Principibus suis commemorat, DVNSTANVM accersit, temeritatisque suæ veniam ab eo postulat; & per totam eum postea vitam, in magno honore atque veneratione habuit.

HVIC suffectus est EDREDVS EDOVARDI frater, propter ætatis tyrocinium filiorum EDMVNDI, EDWINI videlicet & EDGARI; vir qui piè et cum laude functionem regiam obiuit, mortemque vitæ consentaneam reperit, hoc est, vt pie vixit, pie etiam obijt, Quod DVNSTANO angelica reuelatione patefactum est. Cum enim e *Glastonia* citato itinere ad Regem ægrotantem pergeret, repente medio in itinere vocem audiit insonantem, EDREDVS in pace obdormiuit. EDREDVS itaque, post nouem annos & dimidiatum, EDVINO sceptrum paternum reliquit. Qui & ipsa regni sui initia, progressionemque fœde commaculauit. Quo enim primum die regia corona solemniter redimitus est, mox a prandio, relicto Principum solemni consessu, ad cubiculum se recepit, ibique inter matrem & filiam, in quas turpiter deperibat, medius consedit. Principes vbi intellexere, grauissimis id animis tulere, DVNSTANVMque amandant, qui Regem educat. Qui a DVNSTANO ob tantam turpitudinem increpatus, & ad reditionem rogatus, cum negaret se ad preces DVNSTANI redituru, DVNSTANVS, arrepta illius manu, & diademate capiti impositio, pia quadam violentia, eum tandem reduxit. Nec desijt deinceps EDWINVS (mulieribus præsertim eum quotidie magis exacerbantibus, & acuentibus aduersus DVNSTANVM) negotium facessere tam DVNSTANO quam alijs monachis, quos fortunis bonisque spoliatos, & cum primis DVNSTANVM in exilium detrusit. Qua immoderata illius dominatione offensus populus, *Northumbri* præsertim & *Mercij*, ab eo deficiunt, fratremque eius EDGARVM in Regem sibi præficiunt. Nec diu ille superuixit. Post quadriennium enim, quam regnare cœperat, decessit è vita humana.

Osbernus in vita Dunst. Marian. in Chron. an. 955.

Mal. lib. 2. de reg.

† al. è humana vita.

De EDGARO, EDOVARDO, *&* ETHELREDO *Regibus.*

CAPVT. III.

Guil. Malm.

MORTVO EDWINO, residuum totius ANGLIAE regnum in EDGARI persona consolidatum est. Omniumque ille tandem bonorum, conceptæ de eo summæ expectationi, egregie satisfecit. Etsi enim velut impotenti quodam importunæ libidinis æstu abreptus, *Athelwolaium* Comitem, vt *Dauid* olim Propheta *Vriam* nefarie oppressérat, eique vxorem *Alfridam*, vt olim ipse *Bersabee*, interceperat (qua tamen in re, eo facilius indulgeri poterat, quod eam ipsi fraude quadam, falsaque renunciata Legatione ille præripuerat.) Etsi nec alias à vetita Venere, præsertim *Wilfridæ*, quæ inter virgines etiam sacras, licet sacro flamineo solemniter non velata, versata est, abstinuerit: præstantibus tamen ille virtutibus, inque Rempub. meritis, ita omnem illam labem absterſit, deleuit, & quasi obruit, vt & illius Imperium fuerit patriæ exoptatissimum, atque maxime salutare, & ipse tum viuus, tum mortuus, optimi ac laudatissimi Principis celebre semper nomen obtinuerit DVNSTANVM ille ab exilio reuocauit, & summa sua omnia in illum officia contulit, eiusque potissimum consilio in Republica gubernanda nitebatur. Qui cum intellexisset quam turpiter se cum *Wilfrida* deduxet, accedenti ad se postea, conantique ad solium suum, apprehensa manu illum perducere; manum ille repente retraxit. Regi causam roganti, & eam repulsam ægre ferenti; Tu omni, inquit, pudore excusso, fœdo te adulterio commaculasti, tu Deo contempto, sacróque virginitatis insigni virginem inuitam stupraſti: & iam tandem, cur ego, manum quæ in Sacrosanctis mysterijs patri virginis filium immolat, incestis istis tuis manibus non porrigam, quæris?

Osbernus.

HAEC & alia id genus, ad pœnitentiam hominem inuitantia, vbi multa cum grauitate dixisset,

xisset Rex ad pedes eius decidit, doloremque animi gemitu contestatus, peccatum ingenuè confitetur, & resipiscentiam pollicetur, septennemque ad illius culpæ expiationem, pœnitentiam iniunctam libenti animo suscepit, susceptamque accurate absoluit. Quem Deus, vel ob tantam animi demissionem, qua olim Dauid Rex præditus erat, vel ob singularem eius alias pietatem, adque ciuilem & ecclesiasticam disciplinam promouendam, animi propensionem, tantis beneficijs auxit & ornauit, vt nihil eò imperante desiderari posse videretur, quod ad bene constitutæ, beatæque Reip. vbertima commoda spectare crederetur. Arma foris & domi silebant, totaque BRITANNIA in eius imperio placide acquiescebat. Maximas ædificauit, ornauitque classes, quibus singulis æstatibus insulam circumuectus, eam ab hostium insultu tutissimam reddebat. Hyeme equo per Prouincias ferebatur, accurate & exquisite de Præfectorum & Iudicum suorum sententijs inquirens, iniusteque oppressos eripiens, & ab iniurijs asserens. Visuntur hodie & leges eius *Saxonica* lingua conscriptæ, Reip. oppido salutares. In quibus seueram, ac nostris ni fallor, temporibus, necessariam cautionem adhibuit aduersus improbos calumniatores, falsa crimina bonis obiectantes, qua sanciuit linguam huiusmodi præcidendam, nisi forte eam redemerint. His alijsque suis regijs virtutibus effecit EDGARVS, vt Alcyonia quædam ac tranquillissima, & quasi noua quædam *Salomonis* tempora, Angliæ post tot immanes tempestates representarentur. Cum & præter cetera, magna aëris temperies & salubritas; magna, præ aliorum temporum inopia ac caritate, annonæ vilitas, aliaque vndique cœli, terræque beneficia affluentissimè concurrerent.

Gul. Malmes.

Impressa dict. an 1308.

Alured. Riuual. de reg.

NEQVE ego istam, ex alio magis fonte, felicitatem manasse crediderim, quam quod à puero EDGARVS (licet nonnumquam per ætatis lubricum, &, vt fit in tanta potestate, humanitus lapsus sit,) pie & sancte erga Deum & diuina, à quibus reliqua Respublica, eiusque felicitas tota pendet, affectus fuerit; quodque fidelibus, amicissimis, sapientissimis, sanctissimis consiliarijs, qui adolescentiam eius, cui ætati maxima sæpe consilij imbecillitas inest, piè ac sancte regebant, vsus fuerit OSWALDO, inquam; ÆTHELWALDO, & cum primis DVNSTANO. Cum quibus & id genus aliis, ipse crebro de sacris literis, de rebus diuinis, de ecclesiastica disciplina conferebat. Et sancta documenta quæ ab illis hauriebat, rebus ipsis postea, suoque salutari exemplo præstabat; vnde factum est, vt EDGARO potissimum authore, & prædictorum consilio atque ope, monasteria, quæ ab ineunte Christiana apud nos fide, per AVGVSTINVM & alios, constructa sunt; quæ rursus per tã violentas, tamque longe lateque patentes *Dacorum* incursiones, per totam fere ANGLIAM aut euersa sint penitus, aut valdè labefactata: partim sint restituta, partim de nouo ædificata, idque huius Regis temporibus, numero quadraginta octo. Monastica simul disciplina, quæ prorsus fere interierat restaurata est. Accitisque ex celeberrimo *Floriacensi Benedictinæ* disciplinæ cœnobio monachis, aliisque ex locis præscripta quædam dictata sunt, ex *Benedicti* aliorumque patrum scitis collecta, quæ vna & eadem, accuratáque obseruatione apud omnia cœnobia conseruarentur. Quæ adhuc visuntur, digna sanè & quæ ab aliis legantur, & exacta monachorum præsertim obseruantia, Habitáque est celebris *Wintoniæ* Synodus, quę decreta illa rata, firma & fixa esse voluit. Ad quam EDGARVS litteras scripsit, quibus & eos ad perseuerandum in sancto proposito animauit: & hortatus præterea est, vt omni cautione prouiderent, vt (quoad fieri poterat,) vna eademque monasticæ disciplinæ obseruantia omnibus vbique præscriberetur. Et ipse quidem ad suam curam defensionemque, virorum cœnobia reuocauit: Vxorique ELFRIDAE curam de sacris Virginibus, earumque cœnobiis iniunxit.

Edmerus in nona historia Alured. Riuual. Extant in antiquo quodam Cantuar. monumento partim Saxonica lingua conscripta.

IN illa vero superiorum temporum tam infelicium tanta perturbatione, spoliatione, & rapina, monachis vbique aut sublatis, aut metu alio dispersis, cum non essent qui priora cœnobia repeterent, sæculares vt appellant Clerici in ea paulatim loca irrepserunt, & quasi vacuas sedes possederunt. Qui cum remisse & dissolute viuerent, statas præscriptasque preces aut negligenter, aut omnino non obirent, & contra ecclesiæ scita, & ordinis sui rationem, partim vxores, partim alias mulieres illicita venere sibi adiungerent: malumque illud longe lateque (iacente passim omni ecclesiastica, in tam tristi rerum, & publicarũ calamitatum facie, disciplina: neque vel ad EDGARI, vel ad huius temporis Episcoporum admonitionem resipiscerent) serperet, electi sunt in plerisque locis, & monachi quasi ex postliminio, ad antiquam reuersi sunt possessionem, ex qua fuerant tam diu iniuria temporum, & hominum

minum idoneorum, qui incolerent, inopia deturbati: Alicubi monachi, quo loci prius non fuerant, pro Clericis illis substituti sunt præsertim in nouo *Wintonien si* cœnobio, quod *Hyda* dicebatur. Extatque hodie exemplar Regij ea de re priuilegij, vbi multa de scitis & præscriptis monasticę vitæ ab eo differuntur, & in quò grauiter de Canonicorum vitiosa, & contaminata vita conqueritur. Quorum preces tantum abest, vt fructuosas sibi indicaret, vt magis iusti iudicis vindictam prouocare, palam confiteretur. Sed istos magis graphice depingit in oratione quadam, quam habuit ad Episcopos, cœnobiorumque Præfectos. Quæ cum rara sit, nec quod scio alicubi impressa, & quæ legatur oppidò digna, subijciam eam lectori, non meis, sed illis, quæ reperi apud authorem meum verbis.

In monumentis noui cœn. Winton. incipit Edgar. Rex hoc priuilegium nouo. &c. Extat hæc oratio apud Alur. Rieuall. de reg Angl.

» QVONIAM magnificauit Dominus misericordiam suam facere nobiscum, dignum est ô Patres reuerendissimi, vt innumeris illius beneficiis, dignis respondeamus operibus: neque enim in gladio nostro possidebimus terram, & brachium nostrum non saluabit nos; sed dextera eius, & brachium sanctum eius, quoniam complacuit illi in nobis. Iustum proinde est, vt, qui omnia subiecit sub pedibus nostris, subijciamus & nos illi animas nostras: & vt hi, quos nobis subdidit, eius subdantur legibus, non segniter elaboremus. Et mea quidem interest laicos cum æquitatis iure tractare, inter virum & proximum suum iustum iudicium facere, punire sacrilegos, rebelles comprimere, eripere inopem de manu fortiorum eius, egenum & pauperem à diripientibus eum: sed & meæ solicitudinis est, ecclesiarum ministris, gregibus monachorum, choris Virginum, & necessaria procurare; & paci eorum, ac quieti consulere. De quorum omnium moribus ad V o s spectat examen; si vixerint continenter; si honeste se habent ad eos qui foris sunt; si in diuinis officiis soliciti, si ad docendos populos assidui, si victu sobrij, si moderati habitu, si in iudicijs sint discreti. Pace vestra loquor Reuerendi patres, si ista solerti scrutinio curassetis, non tam horrenda, & abominanda ad aures nostras de Clericis peruenissent. Taceo quod nec illis est corona patens, nec tonsura conueniens; quod in veste lasciuia, insolentia in gestu, in verbis turpitudo, interioris hominis loquuntur insaniam. Præterea, in diuinis officiis quanta sit negligentia, cum sacris vigilijs vix interesse dignentur, cum ad missarum solemnia ad ludendum, vel ridendum, magis quam ad psallendum, congregari videantur.

Psalm. 43 4.

Psal. 34.10.

DICAM, dicam quod boni lugent, mali rident: dicam dolens, si tamen dici potest, quomodo diffluant in comessationibus & ebrietatibus, in cubilibus & impudicitis, vt iam domus Clericorum putentur prostibula meretricum, conciliabulum histrionum. Ibi aleæ, ibi saltus & cantus, ibi vsque ad medium noctis spatium protractæ cum clamore & horrore vigiliæ. Sic, sic patrimonia Regum, eleemosynas Principum, imo, quod magis est, illius pretiosi sanguinis precium profligatis? Ad hoc igitur exhauserunt thesauros suos patres nostri, Ad hoc fiscus regius, detractis redditibus multis, detumuit: Ad hoc ecclesiis Christi agros, & possessiones regalis munificentia contulit, vt deliciis Clericorum meretrices ornentur, luxuriosa conuiuia præparentur, canes & aues, ac talia ludicra comparentur? Hæc milites clamant, plebs submurmurat, mimi cantant & saltant; & V o s negligitis, V o s parcitis, V o s dissimulatis. Vbi gladius *Leui* & zelus *Simeonis*, qui, vt scorto abutentes filia *Iacob Sichemitas*, eorum habentes figuram, qui Christi ecclesiam pollutis actibus fœdant, etiam circumcisos succiderunt? vbi spiritus *Mosi*, qui caput vituli adorantibus, etiam domesticis sui sanguinis non pepercit? Vbi pugio *Phinees* Sacerdotis, qui fornicantem cum *Madianita* confodiens, sancta hac æmulatione Dominum placauit iratum? Vbi spiritus *Petri* cuius virtute perimitur auaritia, hæresis *Symoniaca* condemnatur?

Genes. 34.25.

Exod. 32. 27.

Num. 25. 7. 8

Actor. 5. 5 & 8. 20.

ÆMVLAMINI, ô Sacerdotes, æmulamini vias Domini & iustitias Dei nostri: Tempus faciendi contra eos, qui dissipauerunt legem Dei. EGO CONSTANTINI, VOS PETRI gladium habetis in manibus, iungamus dextras, gladium gladio copulemus, vt eijciantur extra castra leprosi, vt purgetur sanctuarium Domini, & ministrent in templo filii *Leui*, qui dixit patri & matri, Nescio vos, & fratribus suis, ignoro illos. Agite quæso solicitè, ne pœniteat nos fecisse quod fecimus, dedisse quod dedimus; si viderimus illud non in Dei obsequio, sed in pessimorum luxuria, impunita libertate consumi. Moueant Vos Sanctorum reliquiæ, quibus insultant; veneranda altaria, ante quæ insaniunt moueat vos antecessorum nostrorum mira deuotio, quorum elemosynis vçlania Clericorum abutitur.

Num. 5. 2. Deut. 23. 9.

PROAVVS

PROAVVS meus, vt scitis, totam terram suam ecclesijs & monasterijs decimauit; sanctæ memoriæ atauus meus ALVREDVS, vt ecclesiã ditaret, non thesauris suis, non patrimonio, non sumptibus, non redditibus parcendũ putauit. Auus meus senior EDOVARDVS quanta contulerit ecclesijs, vestram Paternitatem non latet. Patri meus, & fratres eius, quibus donarijs Christi altaria cumulauerunt, meminisse vos decet.

O PATER patrum DVNSTANE, contemplare quæso patris mei oculos, ab illa lucida cœli plaga in te radiantes; audi querulas eius voces, cum quadam pietate in tuis auribus resonantes. Tu mihi pater DVNSTANE, tu mihi de constituendis monasterijs, de ecclesijs ædificandis, consilium salubre dedisti; tu mihi adiutor in omnibus. & cooperator extitisti, te quasi pastorem & Episcopum animæ meæ, morumque meorum custodem elegi, Quando tibi non parui? Quos vnquam thesauros tuis consilijs prætuli? Quas possessiones te præcipiente non spreui? Si quid pauperibus dandum existimabas, præsto fui; si quid conferendũ iudicabas, non distuli. Si quid Monachis Clericisue deesse querebaris, suppleui. Æternam dicebas esse eleemosynam, nec aliam fructuosiorem, quam quod monasterijs ecclesijsue confertur, quo & Dei serui sustentantur, & quod supereſt pauperibus erogatur. O præclaram elemosynam! ô dignum animæ precium! ô peccatis nostris salubre remedium! quod a sinu Sibyllæ in peregrinum muris pellicula fetet, quod eius auriculas ornat, quod corpus delicatum in byſſo stringit & purpura. Hiccine est, Pater, eleemosinarum mearum fructus, hiccine desiderij mei, tuæque promissionis effectus?

Apostropho Patris Regis Edgari ad Dunstanum.

QVID huic patris mei querimoniæ respondebis? Scio, scio, cum videres furem non currebas cum eo, nec cum adulteris portionem tuam ponebas. Arguisti, obsecrasti; increpasti; contempta sunt verba, veniendum est ad verbera. Habes hic tecum venerabilem patrem ETHELWOLDVM *Wintoniensem* Episcopum, habes reuerendissimum præsulem *Wigornien sem* OSWALDVM. **Vobis istud** committo negotium, vt & Episcopali censura, & authoritate regia turpiter viuentes de ecclesijs eiiciantur, & ordinate viuentes introducantur. Hæc EDGARVS. DVNSTANVS igitur, ETHELWOLDVS, OSWALDVS, & alij, cum ad purgandam ecclesiam, & hanc quasi sentinam exhauriendam satis per se essent prompti, mira ista pij Regis propensione magis incitati non ante quieuerunt, quam deturbatis Clericis ex *Wintoniensi*, *Wigorniensi* aliisque ecclesijs monachos in eorum locum sufficerent. Post sexdecim deinde annos obijt. Quem *Marianus* non minus ANGLIS fuisse memorabilem tradit, quam fuit *Romanis Romulus*, *Persis Cyrus*, *Macedonibus Alexander*, *Parthis Arsaces*, *Francis Carolus Magnus*. Corpus autem eius *Glasconiæ* humatum est.

Psal. 49. 18. 1. Timoth. 4. 8.

Almr. Rivul. de regib.

Sim. Dunel. Hist. an. 975.

De EDWARDO *Rege ac martyre, deque Rege* ETHELREDO, *& ELFRITHA matre* ETHELREDI.

CAPVT IV.

EDGARVS duas habuit vxores EGELFLEDAM siue ELFLEDAM *Ordmeri* Ducis filiam, quæ CANDIDA dicta est, quę ei EDOVARDVM peperit. Habuit deinde alteram ELFRITHAM Ducis *Ordgari* filiam, matrem EDMVNDI, qui quinquennio præmaturè patris obitum præuenit, & ETHELREDI. ELFRITHA mulier valde ambitiosa & factiosa, vt sub vmbra & titulo filij infantis ETHELREDI ipsa regnaret, nihil non mouit, quo sceptrum ad eum traheret. Nec defuere, qui ei gratificandi reip. vexandæ, se suosque euehendi, atque amplificandi causa, in eandem nefariè societatem coirent. Hi præsertim Clerici, & eorum fautores, qui tam splendidam sibi bolam, e faucibus præreptam per monachos, dolebant. Sed dissipata sunt hominum studia? Alij melioriſque notæ homines, cum quibus stabat DVNSTANVS, EDOVARDO cui & iustitia, legitimaque successio, & paterna voluntas, & designatio suffragabantur. Alii, inter quos *Alfstius Merciorum* Comes, ETHELREDO studebant: sed melior pars euertit pecorem. At cum impotenti suæ cupiditati satisfaceret hic non potuerat, omnem suam bilem, & efferatam rabiem ad demolienda cœnobia omnia suæ Prouinciæ *Alfernus*, qui postea stacurientibus è corpore vermibus periit, conuertit, atque effudit. Cuius vęsanis conatibus Dux *Orientalium Anglorum Ethelwinus*, cum fratre *Alfwaldo* & Comite *Brithnotho*, alique fortiter se opposuere. Res deinde ad Synodum & communem

Fab. p. 6 ca. 192. Mal. Annal. Bremon. Wint.

Malmes.

Gul. Mal. Sim. Dunelm. & al. hi non potuerant.

Malmes.

deliberationem, de qua postea dicemus, reiecta est. Importuna interim mulier, etsi propter summam officiosorum ciuium constantiam, singularémque in EDOVARDVM obseruantiam, quorum omnium sibi animos optima sua indole, paternarumque pro ætate virtutum studio, valde deuinxerat, de voto suo deiecta esset; non tamen nefarium propositum, ex animo abiecit, opportunam, si qua daretur, vel per innocentis internecionem, occasionem propositi sui promouendi aucupatura. Quæ paulo post oblata est.

CVM enim in venatione à socijs forsan aberrasset, intellexissetque fratrem ETHELREDVM in proximo habitasse, ad eum vel sitis leuandæ, vel eum nouercamque inuisendi gratia diuertit. Quem illa ementitis ad omnem pietatis, obseruantiæque speciem officijs excepit. Sed bibentem mox sica transfodi iussit. Quo ille statim ex vulnere perijt. Quem illa loco ignobili, & vili apud *Werrhamum* abijci iussit; cui iustum imperij decus, ei etiam iusta in sacro loco nefariè inuidens · arbitrata vno eodemque flagitioso facto, omnem eius memoriam aboleri posse, iamque sibi tuta & secura omnia. Sed quantum illa defuncti memoriam deprimere & obruere conata est, eo illam Deus magis in admirabilem splendorem, & celebritatem extulit. Adeo, vt paulo post, [a] & columna lucis cælitus demissa, & magna tum mutis, tum claudis, tum alijs infirmis indulta beneficia, locum illum, quantumuis abiectum, memoriamque cæsi cohonestarent, atque amplificarent. Iamque certa tam admirabilium euentuum fides, totam longè lateque ANGLIAM peruaserat. Qua tanta celebritate excita, ELFRITHA ipsa locum adire, martyremque sibi reconciliare cogitabat. Sed Deus omne hoc illius propositum admirabiliter, cum pernicem alioqui equum nullis clamoribus, aut flagris ad iter vrgere potuisset, frustratus est. Illa deinde ad veram solidámque pœnitentiam conuersa, nefarij criminis memoriam horrere, animo corporeque tota contremiscere, nihil defugere, quo omnibus testaretur doloris, & pœnitentiæ suæ magnitudinem; mollem & delicatam carnem duris ieiunijs, & cilicio atterere, noctu solo strata, remoto ceruicali somnum capere, aliaque seuerè arctèque vitæ in [b] *Werwelensi* sacrarum Virginum cœnobio, munia obire. Quod illa, cum *Amesburiensi*, sanctimonialium etiam cœnobio, ad huius criminis expiationem construxit.

CERTE, vulgo creditum est, in huius cædis vltionem, Deum *Dacos* postea immisisse. Ipse ab eo tempore, [c] pro sancto & martyre & habitus est, & passim cultus, Reliquiæque eius *Shepthoniam* illustre feminarum cœnobium delatæ sunt. Qui locus, ob ingentia quæ ibi præstitit beneficia, ad *Sanctum* EDOVARDVM vulgo appellatus est. In quibus reliquijs illud præ ceteris admiratione dignum, quod ad [d] authoris quidem nostri tempora, pulmo martyris integer plane, & quasi viuentis ac recens defuncti visebatur. Quod quidam non ad miraculum, sed naturalem causam, sed frustra referre conati sunt: iactitantes venenum in potu à nouerca illi oblatum, *Suetoniumque* tradere, pulmonem veneno infectum, nec putredine, nec igne vnmquam euanescere. Sed hæc nulla ex parte cohærent, cum *Suetonius* non de pulmone, sed corde differat; fabulaque est de veneno (quorsum enim tum sica opus?) & si quod adhibitum, intima non penetrauit, ferro prequentū. Miracula certe ista adeò certa, & solidaillis ipsis temporibus, non modo ab alijs, sed ab ipso Rege ETHELREDO habita sunt, vt illius gratia multis ille, præclarisque præsidiis *Shepthoniam* [e] ornaret. In qua donatione, & flagellum sibi à Deo per *Dacos* immissum, & ista ingenuè miracula, ipsumque adeo vt martyrem cum illius temporis Episcopis & Abbatibus, cum filijs & Proceribus agnouit. Cæsus est post tres annos & dimidiatum, quo regnauerat; pars reliquiarum eius ornauit etiam postea [f] *Leof* monasterium siue *Leministram* non procul ab *Herfordia*. Reperti sunt tandem, qui nostra ætate & miraculis, & martyrio eius detrahere, imo ipsum infamia, vt nothum & adulterinum EDGARI filium aspergere conati sunt. Quorum putidis, & impudentibus calumnijs iam confutandis, ecclesiasticam hanc historiam contaminare nolumus, & lectorum ocio, atque nostro labore, alieno loco abuti.

CAESI locum & sceptrum occupat ETHELREDVS, cuius regnum quàm fuit longum adtriginta septem, [g] vel vt alij, annos triginta octo productum, tam fuit funestum & miserabile. In quo DVNSTANI prædictio euentum habuit, contrarium plane illi, qua de EDGARO vaticinatus est. Nam [h] nato EDGARO Angelos de sublimi audiuit, pacem *Anglie* altam annunciantes. At de isto [i] tristia & dira semel atque iterum ominatus est. Nam cum eo tempore, quo baptismo sacro perfusus esset, suo fontem stercore fœdaret, vecordem eum hominem futurum, magnaque regnante illo patriæ mala impendere, non minus vere vaticinatus est, quam priore sæculo beatus *Germanus Constantinopolitanus* Episcopus de *Constantino* Augusto

[a] Gul. Mal. de Episcopis. Annal. nouicenob Wint
[b] Si quis forte hunc & quosdam alios, quos aliunde commemorauimus martyrum nomine, cum pro nullo Christiano religionis fide obeuntes non putet insignendos, cum illo nolimego valde contendere. Eo inuecommunem vulgi famam nostre, quæ passim historicos equutus sum
[c] Gul Malm. de pontif Vt apparet in diplomate ipsius quod incipit, Conditore creaturarum, quod extat inter monumenta exulis Septonia sine Scptesseria, vt ibidem appellatur, vbi inter alia & hæc habentur. Ego Etheldredus Rex Anglorum, vt ſu pradicta merear particips fore promissionis quod dam Christo & sancto suo germano meo felicis memoriæ Edouardo, quæ proprio cruore perfusus p mul splicia virtutum signa ipse Dominus noster mirificare dignatus est temporibus, cum adiacentes undique villæ humili deuotione offerre consuessent quod & & mox quatennis aduersus Barbarorum insidias ipsa religiosa congregatio cum Beati martyris, cæterorumque sanctorum reliquiis ibidem Deo seruiendi impenetrabile obtinuerat: confugium Scripta &c. an 1001
[d] Gul. Malm de pont Annal Winton
[e] Her Hist Gul. Malm. Polid.
[f] Osbernus
[g] Gul Malm de reg. Hunt. lib. 3.
[h] Osbernus
[i] Gul Malm de reg. Hunt. lib. 3.

gusto Constantinopolitano, qui ob patrem sœditatem *Copronymi* nomen sortitus est, prædixerat. Et graue quidem de eo tulit, id temporis, præiudicium DVNSTANVS, sed tamen grauius, cum eum sacra redimiret corona. Quod ille in eum munus conferre diu detrectauit. Sed tamen cum eum potissimum, proximam regni successionem respicere, sciret, contulit quidem, sed non sine grauiminentium malorum denunciatione. Quia ad sceptrum hoc per fratris cædē viam tibi munisti, audi, inquit, quid interminetur dominus. Seuere Deus aduersus te matremque tuam, & alios, qui nefarium hoc consilium suggessere, toramque ANGLIAM, vindictam huius cædis exequetur. Sanguis tuorum inimicus exhauriretur, patria immani depopulatione hostium (qui nihil cum gente tua in moribus, aut lingua commune habet) horribiliter vastabitur; qui non conquiescent, donec, regnum ipsum posteris tuis extorserint, crudeli eos dominatione oppressuri. Infelicia itaque futere prima ineuntis regni primordia, infeliciores progressiones, infelicissima denique postrema illius tempora.

Annales Constantinop. impressi cum Eutropio in fol. Basil. 1550. Zonar. &c.

Osbernus in vita, Damas. Guil. Malm. Chron. non cano. Wint.

VIX iam triennio regnarat, cum initia se malorum ex noua irruptione *Dacorum* ostenderunt. Quæ viuente adhuc ETHELWOLDO & DVNSTANO qui decimo principatus illius anno fato functus est) initiora erant. Sed illis sublatis, qui se, non secus ac *Moyses* olim, alijque prophetæ, velut sepem ac murum imminenti diuinæ iræ opposuerunt, eamque retardarunt, Oceanus ipse omnium malorum in miseram gentem vndique inundauit, *Dacique* sibi *Northumbriam*, *Merciam*, maioremque partem, vniuersam deinde, pulso in *Normanniam* vecordi ETHELRED O, vindicarunt. Pax tæpe interim pecunia redempta, nihil aliud fuit nisi noue & infestioris irruptionis, vt parationes instructioresque ANGLORVM pecunia ad euertendam patriam venirent, irritamentum. Ventum est ad decem, ad sexdecim, inde ad viginti, tum ad viginti quatuor, mox ad triginta, postremo, ad quadraginta milia librarum, eo vsque vt tot pensionibus annuis exhausta ANGLIA, amplius quod corraderet, & quo inexhaustam illam *Dacorum* Charybdim saciaret, non haberet Omnia deinde elementa in ANGLORVM perniciem coniurasse videbantur, cum cælum esset ferreum, & fame ac peste hominum, & iumentorum miserè passim laboraretur, & oceanus, miserabili æstu inundans terras, quæ *Dacorum* spoliatione superfuerant, violenter abriperet. Triste verò, malique ominis, ipso regnum ineunte, spectaculum in cælo exhibitum est Nubes videlicet, dimidia quidem ex parte sanguinem, dimidia ignem representans; in varios deinde colores scissa, proximo mane euanuit. Quid porro dicam de turpi in Dominum suum ipsorum ANGLORVM, *Elfridi* præsertim & *Edrici* perfidia? Quorum alter nauale m, alter terrestrem exercitum hostibus nefarie prodidit. Qua in re vt non socordiam, ita nec Regis proteruiam, & insolentiam atque petulantiam excusare possum; cum eo stertente atque torpente, hostes magnis viribus, potentiaque atque animis augerentur, & Proceres fictis, atque commentitijs criminationibus pecunijs, atque possessionibus spoliati, erga defectionem patriæ frigescerent. Nec desineret ille interim, tantis vndique calamitatibus eum circumuallantibus, infami adulterio, cum ornatissimos liberos ex vxore haberet, se commaculare, diuinamque in se magis iram concitare,

Hunt.

Gul. Mal. Polid.

Malm.

FVIT vero alia omnium potentissima causa, quæ *Dacos* in illius perniciem capitali odio armaret. Acceperat ETHELREDVS in vxorem, defuncta priore, ex qua natus est EDMVNDVS, EMMAM *Richardi Normannorum* Ducis filiam. Cuius amicitiæ accessione insolenter efferatus, pace cum *Dacis* iam pacta, matrimonijsque vltrò citroque inter eos & ANGLOS cocuntibus, illisque quasi tutum & securum domicilium in ANGLIA constituentibus: ecce, nescio quibus leuibus ex suspicionibus, omnes *Dacos* cuiuscumque ordinis, ætatis atque sexus, vna die in tota ANGLIA, vno nuncio, vnáque literarum significatione, vt olim *Romanos* in *Asia Mithridates*, necari trucidarique mandauit. Fuit is dies diuo BRITIO sacer. Inter reliquos cæsa fuit *Gunhilda Swenonis* Regis *Dacorum* soror, christiana, *Palingi Dacorum* Comitis vxor. Quæ generoso fortique animo mortem excepisse dicitur, neque quicquam expauisse, occiso prius ante oculos marito, & optimæ indolis filio quatuor lanceis confosso. Huius mors *Swenonis* animum mirum in modum ad vindictam exacuit, quam & vberrimè sumpsit, omniaque tandem in suam potestatem redegit, & ETHELREDVM in *Normanniam* pepulit. Quem, cum vxore ac liberis (quos præmiserat) humanissime *Richardus* Dux *Normannus* excepit. Quamuis grauis antea inter eos animorum offensio intercesserat. Quos IOANNES *Romanus* Pontifex in gratiam reduxit Sed *Suenone* mortuo, licet *Canutum* filium *Daci* sibi Regem optabant, ANGLI tamen iugum *Dacicum* excutere desiderantes, primo quoque tempore in *Normanniam* miserunt Legatos, accitum ETHELRE-

Gul. Mal. Hunt.

Cicero pro Pompeio.

Gul. Mal. de reg.

Vide epist. Iohan. apud Gul. Malm. lib. 2. de reg.

DVM, cui se, si humanius & leuius solito ipsos haberet, paratissimis & promptissimis animis parituros spoponderant. Videtur vero [a] *Sueno* ex quorumdã sententia ipsam christianam religionem ex ANGLORVM pectoribus delere cogitasse. Quod ego tamen apud nostrates aut alios authores adhuc nõ legi. [b] Nostrates certè eum aut repentina morte obijsse, aut quod frequentius [c] traditur, à diuo Rege & martyre EDMVNDO, post *Burienſe* ipsius cœnobium, & alia sacra loca sacrilege expilata, vocesque quibus martyris sanctitati probrosè detrahebat, cælitus aiunt peremptum. Exteri aliquot placida & consuetæ morte functum tradunt, nec [d] eum Christianis modo sacris imbutum, sed & curasse omnium primũm, vt & *Dacia* iisdem sacris initiaretur. Habeo illius temporis [e] authorem, qui encomium Emmæ latinè conscripsit ipsi *Emmæ* dicatum. In quo quædam de [f] *Swenone* agitat, eiusque in ANGLIAM cum classe appulsu, & quo modo tandem ANGLOS vicerit ac subegerit, pauloque post obierit. Qui tradit eum *Canuto* filio ad se accito, ANGLIAE regnum tradidisse, salutariaque ei de Christiana religione accuratè colenda mandata dedisse, & vt corpus suum in *Daciam* humandum reueheret. Ad quæ tempora, [g] *Bernardus* quidam ex ANGLIA profectus, in *Norwegia* Christiana fide imbuenda egregiam posuit posuit operam. ETHELREDVS vero tertio postquam è *Normania* redierat anno, ex vita decessit, ætate & curis confectus; regnum perturbatissimum, & totum pæne in hostium manibus relinquens. Visuntur hodie aliquot leges *Saxonicæ* ab ETHELREDO latæ, & capita quædam fœderum, quæ cum *Aulauo*, *Iustino* & *Guthmundo* iniit. In quibus inter alia apparet, pacem cum [h] *Dacis* viginti duobus millibus librarum redemptam.

a Polid. li 7. licet ea illi sententia placere non videatur, vt nec illio de nece illius.
b Henr. Hunt. an. 18. Reg. Ethelred.
c A Florilego, Richardo Cicestrensi Florentio. Sim. Dun. Polit. & Maria. Scoto anno 1013
d Saxo Gram. li 10. Qui vt in narratione de Sueuone Rege Ethelstanum pro Ethelredo sita & in rebus gestis Canuti à nostris historicis variant pro regis Edmundo, Edouardum substituit.
e Sed innominatum primus liber incipit, solus tibi à Domino. Secundus mortuo patre.
f Saxo dict. li. 10
g Polid.
h Impressa dist. anno 1568.
i Polid. lib. 6. Florilegus appellat Æsimum Guil. Malm. Polid. lib. 9.
l Annal. nouiom. Wint.
m In Addit. annal. D. Asser. Menevens.
o Guil. Mal. de pontif.
p Guil. Malm. de reg. li. 2. ca. 10
q Floril. An. 901. Scribit Ætheldmum Wellensi Ædulphum Cornub. Herstanum assignat. Sed ex emplaribus recto corruptum.
r Martin. in chronic. & Flor. ann. 925. Athanas. de imag. non crucifixi. Bertii Nicena Synod. t. act. 4. Greg. Turon. in vita Christi. Ado in chron. Vide Nauclerum ann. 1492. & addit. Basilii Pontanum rerum memorabilium, anno 1556. & Aria. Pontan. cum eo Chronologia eodem anno.

De PLEMVNDO, ETHELMO, VLFHELMO, ODONE, ELSIO, & BRITHELMO Cantuariensibus *Archiepiscopis*.

CAPVT V.

ETHELREDO [i] *Wintonienſi* prius Episcopo, viro summæ virtutis & authoritatis, post octodecim annos successit PLEMVNDVS. *Malmesburienſis* diserte, quo anno ETHELREDVS obierit, nihil dicit. *Matthæus Westmonasterienſis* atque *Simon Dunelmenſis*, & *Marianus Scotus* referunt obitum eius ad annum octingentesimum octuagesimum nonum. Quæ illorum cum [k] aliorum supputatione non quadrat, qui EDOVARDO illum ad annum nongentesimum primum regiam coronam imposuisse tradunt. Primo certè quo EDOVARDVS regnauit anno, qui à [l] quibusdam ponitur nongentesimũs, ab aliis nongentesimus primus: reperio [m] inter Episcoporum subscriptiones regiæ cuiusdam donationis, PLEMVNDI quoque subscriptionem. Vtcumque sit, traditur fuisse vnus ex [n] ALVREDI præceptoribus, quẽ sibi ex *Mercia* accersérat, sedisséque [o] *Cantuariæ* triginta quatuor annos. Quo Pontifice, [p] FORMOSVS Papa literas EDOVARDO Regi, quarto quo imperabat anno scripsit, quibus anathema Regi, Episcopis & populo minatus est, nisi ocyus destitutis ANGLORVM ecclesijs prospiceret. Nullus enim fuerat toto septennio in tota *Visisaxonia* Episcopus, propter recentem *Dacorum* illi Prouinciæ illatam cladem. Confestim itaque vrgente EDOVARDO, coijt Synodus. Quæ hoc omne detrimentum cum accessione luculenta, nouis episcopatibus additis, resarcijt. Datus est [q] itaque FRIDESTANVS *Wintonienſi*, VERSTANVS *Shireburnenſi* vetustis, & nouis sedibus *Cornubiensi* ADELSTANVS, *Cridiensi* EDVLPHVS, *Wellensi* ATHELMVS. Consultum est etiam *Australibus Saxonibus*, per BERNEGVM, & *Mercys* apud *Dorcestriam* per CENVLPHVM *Romam*que profectus est PLEMVNDVS, non sine amplis muneribus, & quid actum esset, significauit, Pontifexque ratum & firmum id habuit. Reuersus deinde, vno die septem Episcopos *Cantuariæ* initiauit, quale raro alias spectaculum visum est. Defuncti deinde sedem impleuit ATHELMVS de quo modo recensuimus, vsque ad annum nongentesimum vigesimum quartum. ATHELMO [r] Pontificio munere fungente, sanguis, qui ex imagine CHRISTI à perfido Iudæo contumeliosè violata, admirabili spectaculo profluxerat, in ANGLIAM delatus est. Cuiusmodi sæpe spectacula non modo imago CHRISTI, sed & Sacrosancta Eucharistia aduersus Iudæorum, & pseudochristianorum furiosas contumelias, in ecclesia representauit. Cuiusmodi nec nostro æuo, cum alibi, tum in *Polonia*, cum sacra Eucharistia

charistia à *Iudeo*, & *Moguntiæ*, cum Christi imago ab iconomacho contumelia, & iniuria afficeretur, defuisse certum est.

IN defuncti *Athelmi* anno nongentesimo vigesimo quarto locum, VLFELMVS siue VLTHELMVS vocatus est, qui ei apud *Wellas* prius successerat. Sed vereor ne non satis exactus sit ille calculus, cum reperiam triennio ante, regiæ cuidam donationi nouo cœnobio *Wintonienſi* concessæ, VLTHELMVM vt *Dorobernensem* Archiepiscopum subscripsisse. Quod si recipimus, id quoque recipiendum est, ATHELSTANVM Regem non ab ATHELMO (quod frequentius traditur) sed ab VLTHELMO corona insignitum; sed ego à communi sententia discedo, quam & *Mariani* authoritas confirmat, & forte vitium aliquod in annorum computatione diplomati illi irrepsit. Obijt ad annum nongentesimum trigesimum quartum, cum biennio ante diplomati cuidam, quo possessiones quasdam ATHELSTANVS Rex *Septonienſi* cœnobio donauerat, his verbis subscripsisset. Ego WLFHELMVS *Doroboracensis* ecclesiæ Archiepiscopus consensi & subscripsi. Sed ODO iam ad se orationem nostram propter suam præstantiam reuocat. Fuit non ANGLVS sed *Dacus*, at ANGLIS à Deo, ad summum illorum bonum iam olim prouisus. Et, quod magis mirere, licet à parentibus à fide Christi alienis prodijsset, ipse tamen etiamnum puer Christianorum puerorum se societati adiungere, ecclesiasque adire mira cupiditate solebat, & quod ibi audierat, magna constantia parentibus referebat, eos quoad poterat tacite ad rectam & Christianam persuasionem proliciens. A qua constantia cum nullis ipsorum aut blanditiis auerti, aut minis deterreri potuisset, ab illis abdicatur. Qua ille iactura rerum terrestrium & hereditariarum adeò non est commotus, vt in lucrum sibi deputarit, subductisque secum rationibus, ad Comitem *Athelmum* virum illustrem, & pie affectum se contulerit, illique se suaque omnia aduersus parentum iniuriam crediderit. Qui in suam eum tutelam recepit, Latina, Græcaque lingua instrui, posteaque ad Baptismum, & Hypodiaconatum promoueri curauit. Nam Sacerdotio initiari quantumuis huc vrgeretur, imo nec Diaconatui sustinuit, ætatis infirmitatem causatus.

In Annal. mss. cœnob. Wint. Incipit O ficulia an. 21. Edouardi.

Mar. in chron. An. 924. Ex monument. dicti cœnob.

Extat vita eius per Osbernum.

CVM Comite deinde desiderante sacra Apostolorum sepulchra inuisere, Romam profectus est, eumque graui in itinere morbo depressum, cum paulum vini, quod ille post preces cruce signarat, ebibisset, sanum mox & firmum reddidit. Quæ & alia occulta ODONIS ornamenta, cum reuersus Regi ALVREDO retulisset, in oculis eum deinde Rex habere cœpit; EDOVARDO etiam successori eius, valde charus (quo imperante, sacerdotio initiatus est, nam Diaconus viuo adhuc Comite, propter importunas illius interpellationes designatus est) & cum primis EDOVARDI filio ETHELESTANO. Iam enim clara & illustria doctrinæ & pietatis eius indicia, in omnium oculos, aures & mentes incurrebant. Quæ Regem ETHELSTANVM perpulere, vt cum summa VLFELMI *Cantuariensis* consecutione, *Wiltonienſem* eum Episcopum, quantumuis tergiuersantem, & renitentem designarit. Quo ille in munere omnes laudati Præsulis partes insigniter obiuit. Neque deinceps à suo eum ATHELSTANVS latere dimittere voluit. Sed & eum secum in expeditionem illam suam, contra barbarum & ethnicum illum *Analaphum* duxit, in eius precibus se, & sua omnia reponens. Nec spe ille sua elusus est, à summo per illum periculo, rebus ad summas angustias redactis, vindicatus & assertus. Quod cum liquidò tam Regi, quam ceteris constaret, mirifice nominis ODONICI celebritatem, & quasi in immensum extulit, eumque paulo post, defuncto ETHELSTANO, in Regis EDMVNDI summa gratia constituit, ita vt eum VLFELMO *Cantuariensi*, non diu postea superstiti, sufficere niteretur. Sed mirum est, quantopere ODO reniteretur, inidoneum se tanti muneris magnitudini clamitans. Sed cum testata eius virtus, omnique exceptione & calumnia maior, hanc causationem infringeret, præuentum se *Wiltonienſi*, quasi altera vxore, & summi instar piaculi duos episcopatus eundem hominem occupare, non minus quam duas vxores simul asciscere, vociferabatur.

SED cum Rex regereret, canones non reijcere translationem Episcoporum à communi fratrum consilio, ad Reipublicæ Christianæ vtilitatem & necessitatem manantem, sed priuatum & effrenem ambitiosorum hominum cupiditatem, qui vltro & sæpe indigni inuolarent, & se ingererent; & MELLITI *Londinensis*, IVSTI *Roffensis*, aliisque vetustatis probatis exemplis suam postulationem fulciret, ceteris omnibus destitutus ODO, huc confugit, Absit, inquit, vt consuetudinem ab Apostoli nostri AVGVSTINI vsque deductam temporibus, qua monachi solum hactenus huic ecclesiæ asciti sunt, ego huiusmodi

iusmodi nulla vnquam professione illigatus, pessimo primus exemplo perturbem & labefactem. Nec diffiteor animum meum ad hoc semper genus vitæ valde propendisse, sed fuisse aliquot semper impedimenta obiecta, quo minus meo satisfacerem voto. Et quoniam non tua solum Rex optime, voluntas, sed & aliorum multorum, quibus temere repugnare nolim, ad istam me dignitatem Sacerdotalem inuitum & indignum vocat, age hactenus quidem parebo, vt monachum quidem profiteri primo quoque tempore non recusem. Ceterum quod ad pontificatum spectat, totam eam curam ad Deum reijcio. Erectus hoc responso Rex celerrime transmisit nuncios ad *Floriacense* cœnobium, præ ceteris id temporis, propter exquisitam monasticæ vitæ disciplinam celeberrimum; pauloque post Abbas *Floriacensis* in ANGLIAM venit, à quo & illius vitæ præscripta accurate didicit, & sacro diui BENEDICTI amictu ornatus est. Nec deinceps tergiuersari potuit, quo minus Archiepiscopatui initiaretur. Intercepto deinde nefaria cede EDMVNDO, non minore apud fratrem & successorem eius EDREDVM gratia polluit. Ad quæ tempora delati sunt quidam ad eum, perperam & vitiose de corporis Christi in Eucharistia præsentia sentientes. De quorum ille grauiter dolens errore, cum lachrymis inter sacra missæ mysteria, Deum precatus est, vt pro immensa suæ potestatis magnitudine, aliquid palam ostenderet, quod & sacrosanctæ Eucharistiæ veritatem assereret: & miserorum illorum errorem retunderet. Et mox ecce tibi sanctum panem in carnem, vinum sanctum in sanguinem palam conuersum. Quo horrendo spectaculo attoniti, qui errore illo illusi erant, grauiter de perfidia sua quærebantur, & per totam postea vitam, fidem sartam tectam & sinceram conseruabant.

ODO, vt bonis & laudatis Principibus obsequentissimus fuit, ita cum res disciplinam arctiorem postularet; nullo regiæ, aut cuiuscumque terrestris potestatis metu, ab officio suo in delictis vindicandis deterreri potuit. Audiuimus iam antea, quàm turpiter & flagitiose se dederit Rex EDWINVS, eo ipso die quo Regia corona insignitus est, & quo modo DVNSTANVS missus ab ODONE & Proceribus, Regem vel inuitum à petulantibus illis mulieribus abduxerit. A quibus ille magis excitatus, omnem suum in beatos illos viros, & omnem monasticum ordinem furorem effudit. Ast ODO adeo nihil de solitæ seueritatis rigore remisit, vt cum apud impudentia illa scorta nullus precibus, obsecrationibus, aut increpationibus ipsius locus daretur; curarit, vt Procerum consilio & auxilio, vna ex illis, quæ maxime effeminabat Regis animum, à Rege vel inuito extorqueretur, & in exilium facie stigmate, cauterioque turpiter compuncta & dehonestata, in *Hiberniam* ablegaretur. Peruenit ad EDGARI etiam Regis tempora, ad quæ DVNSTANVM in *Wicciorum* seu *Wigornien sem* Episcopum ordinabat. At ille, cum ad sacras & statas initiationis cæremonias, preceslque ventum esset, non eas quibus *Wigornien sis*, & ceteri minoris ordinis Episcopi, sed quibus *Cantuarien sis* initiari solet, vsurpauit. Qua de re cum mira astantes admiratio incesseret, credereturque errorem, vt fit, humanitùs Archiepiscopo obrepsisse, vitioque creatum DVNSTANVM; Non sunt hæc ô filij inquit, humana opera, nec lubrici, falsi, & errantis hominis lapsus. Deus ipse sacro suo hodie spiritu hæc moderatur. Nec ignoro *Wigornien sem* me hodie ordinare Episcopum, sed & illud vt diuinitus afflatus non minus scio, *Cantuarien sem* me hodie suo tempore futurum ordinasse Archiepiscopum.

EGO vero cum cetera illius ornamenta, tum vel precipue indicibilem illum in gregem suum amorem admiror. Quo adeo incensus est, vt si totius mundi opes in eum (si fieri posset) congererentur, eas omnes ad gregis salutem, imo & vitam ipsam lubens proijceret & contemneret, vt ipse in epistola quadam, quam ad omnes Episcopos scripsit, testatus est. Qua eos ad munera sua diligenter, & strenue peragenda hortatur. Obijt deinde pius Pontifex post vigesimum optimæ & felicissimæ suæ administrationis annum, præsentibus, lugentibus, & flentibus omnibus ecclesiæ suæ *Cantuarien sis* filijs. Quos ille consolatus est, speque boni successoris, quem Deum illis post obitum suum prospicere, & prouidere velle pollicebatur, valde recreabat & erigebat. Nec fefellit suos vir pius. Inuasit quidem sedem eo mortuo ELSINVS quidam, siue ÆLSIVS aut ALFFIVS per sordes, nouus *Simonis Magi* discipulus, ODONI semper tam viuo quam mortuo infestus, quod eam sibi illum dignitatem falso præripuisse crederet. Cumque *Cantuariam* venisset, magno fastu, magnoque verborum opprobrio beato viro insultans, baculoque, per summum contemptum, sepulchrum eius contundens, non ita multo post graues insolentiæ suæ pœnas exoluit. Cum enim hyeme per Alpes iter faceret, *Romam* pallij adipiscendi gratia petiturus, tanto repente frigore totus obriguit. vt ad eius magnitudinem pellendam hoc remedium comparare cogeretur. Equos suos

Extat apud Gul. Mal. de pontif

necari

necari præcepit, & mox intra calentia illorum viscera pedes ininiſit. Sed cum hoc remedio nihil proficeret, miseram animam exhalauit, veramque tandem ODONIS prædictionem (quam nocturna quadam visione cum didicisset, prorsus vt nocturnum quoddam ludibrium contempsit) qua significauit illi, frustà illum iter Romanum pro pallio, quod nunquam consequeretur, capessere, expertus est. Designatus est post eum BRITHELMVS *Dorsetensium, siue Bathoniensium* Episcopus, vir quidem mitis, modestus, humilis; sed ad tantum tamen onus, tam perturbatis saltem & exulceratis temporibus non satis idoneus; vir nec in castigandis vicijs satis acer, nec in disciplinis ecclesiasticis expertus: vir qui non satis bonos tueri, aut malos comprimere sciret. Quare ad suam sedem remissus est, deque alio substituendo deliberatum est. Regis, omniumque tandem vota in DVNSTANVM conspirarunt.

Floril. & vita Dunst. Sim. Dun. Mat. & Florent. cum inter Archiepiscopos non recenseant ... quaeri ... Vide ... regio ... vianum ... & imperauit ... piscopis bathon.

De Diuo DVNSTANO *Archiepiscopo* Cantuariensi.

CAPVT. VI.

Extat vita eius per Osbernum.

HVIVS viri magnitudinem præstantiámque futuram Deus, vt olim in *Ioanne Baptista*, alijsque pijs, accommodato vtique miraculo, etiam antequam hunc solem aspiceret, præsignificare, miramque de puero expectationem in omnium animis (quam ille postea accumulatissime reddidit) excitare dignatus est. Parentes habuit *Herstanum & Chinedritam*, in conspicuo quidem & splendido apud mundum loco positos; sed magis tamen à virtutum, & pietatis studio nobilitatos. Mater, dum puerum in vtero gereret, & solemni illo B. *Virginis* die, quo in memoriam veræ æternæque lucis, mundo tenebroso tandem in Christo illucescentis, & cigneæ illius iusti *Simeonis* cantionis, cereos manibus gestamus: gestaret & ipsa cum reliquis parochianis, ecce, repentè omnium cerei extinguntur. Quo casu cum omnium animi essent perculsi & consternati, nouo mox & admirabili miraculo recreati & erecti sunt, cum *Chinedritæ* cereum, demisso cælitus lumine, accendi palam viderent; deque eius lumine, suos vniuersi cereos accenderent. Puer scholæ traditus, in literis magnas paruo tempore, sed maiores in pietate, Deique amore progressiones fecit. Qui cum quotidie maiores flammas in animo illius subijceret, in ecclesijs totos dies ponebat, vbi ea, quæ ad disciplinam ecclesiasticam pertinebant, & discebat, & pro ratione temporis & ætatis strenuè exequebatur. Reliquum tempus piæ meditationes, orationes, & sacrorum voluminum diligens lectio possidebant. Musicis ita se dedidit, vt exactam quandam canendi; & musica instrumenta tractandi peritiam teneret. Qua valde omnium animos demulcebat. Scribebat præterea, ac pingebat, scitéque ex auro, argento, ære, & alia materia quælibet fingebat.

PATRVVM habuit ATHELMVM *Cantuariensem* Archiepiscopum, apud quem aliquandiu conuersatus, multa salutaria vitæ pie instituendæ documenta hausit. Qui cum pro prudentia sua videret summæ, & solidæ cuiusdam pietatis in adolescente semina, futurúmque eum aliquando magno patriæ ornamento, Regi illum ETHELSTANO commendauit. Qui singulari illum aliquamdiu studio, gratiaque complexus est. Sed tandem fictis apud ETHELSTANVM criminationibus æmuli, inuidique homines à curia pellendum curarunt. Ad patruum itaque reuertitur. Qui eum sæpe ad monasticam, vt vitam alijs perfectiorem, hortabatur. Ad quam alieno ille quidem erat animo. Sed tamen eo vsque apud eum patrui admonitiones profecere, vt cum antea nuptijs animum adijcere, quasi certo proposito cœpisset, iam hærere animo occiperet, & de illis remissius quotidie & frigidius cogitare. In qua interim fluctuatione, valida febri corripitur, quæ omnem illi prorsus vxoriam cogitationem excussit. Remittente se deinde febre, voto priuatim virginitatem Deo nuncupat, nec ita multo post monachus, & deinde per gradus a canonibus præscriptos, & sacerdos ordinatus est. Paruo interiecto tempore, postquam monasticæ, se vitæ addixit, *Glastoniam* profectus, propè eam ecclesiam, in qua vniuersi suum de lumine matris, vt dixi, lumen accendebant: domunculam sibi ad inhabitandum constituxit (quam author noster vidit, & mensus est) longam ad quatuor tantùm

pedes, latam verò ad duos & dimidiatum pedem. Ibi *Antonij, Hilarionis,* & reliquorum id genus patrum sancta instituta, vigilando, orando, psallendo, sacras scripturas lectitando, meditando, ieiunando, manibus operando, & ceteris id genus exercitijs imitari. Quibus dæmonum infestas, vt fit, in se insidias irritauit (Qui vt prius è palatio, ita & ex hac eum spelunca, potiùs quàm domuncula, expellere conabantur) quas gloriosè ille confregit. De quibus mirum, quàm magnifica trophæa tulerit, non solum propter se, sed alios passim ad ipsum consilij, ad vitam piè informandam, expetendi gratia confluentes. E quibus præcipua fuit *Elfgina* quædam nobilis matrona. Quæ moritura opes suas omnes illius fidei commendauit. E quibus & paternis, quæ amplæ fuerunt, possessionibus quinque cœnobia construxit.

ETHELSTANVS interim Rex fato functus est, cui succedens EDMVNDVS accersit ad se DVNSTANVM, eiusque potissimùm consilijs nititur, & inter cetera, quæ in illum ampla contulit beneficia, *Glasconiense*, in quo DVNSTANVS natus & educatus erat, oppidum, vt illud ad monasticos, aut ad alios pro suo arbitrio vsus transferret, liberaliter donauit. Posuit itaque eo loci DVNSTANVS monachos, quibus & ipse præfectus est; vnde magno posteà numero prodierunt viri, omni pietate & doctrina ornati, ad Episcopatus, ad Abbatias, & ad alia Ecclesiastica munera selecti. Ecce iam tibi materni cerei, qui ceteros extinctos illustrauit, mysterium. Quod tamen non hic se sistit, sed longiùs multò, vt postea intelliges, se porrigit & tendit. Post EDMVNDVM ad sceptrum vocatur EDREDVS, princeps sanè egregius, & qui mirificè DVNSTANVM coluit, & nihil non per se & matrem suam (quæ multum apud DVNSTANVM valuit) egit, vt ELPHEGO defuncto, *Wintonienſis* ordinaretur Episcopus. Sed nunquam DVNSTANI consensum elicere potuerunt. Imò palam professus est, regnante EDREDO nunquam Episcopatum se potiturum. Obeunte deinde EDREDO, optimo pessimus, EDWINVS videlicet EDMVNDI filius sufficitur, qui DVNSTANVM ob causam, quam antea attigimus, proscripsit. Qui aliquamdiu apud *Gandauum* in *Flandria* solum vertere coactus est. Sed non multum interceſsit temporis, cum EDGARVS Rex eum reuocaret. Qui suas omnes actiones illius potissimùm consilijs gubernabat. A quo *Wigornienſi*, *Londinenſi* deinde Episcopatu, *Cantuarienſi* præterea Archiepiscopatu honestatus est.

DVNSTANVS verò vt huiusmodi magistratus minimè appetebat, nec nisi inuitus suscepit, ita illis semel susceptis, nunquam optimi & vigilantis, imò & acris pastoris, quoties res vrgebat, officio defuit; vt & in EDWINO, & in ipso, quemadmodum diximus, EDGARO, licet mirificè in eum propenderet, satis apparet. Cuius etiam seueritatis similes aculeos Comiti cuidam, qui cognatam suam matrimonio asciuerat, nec vllis DVNSTANI admonitionibus eam dimittere voluit, infixit. Nam nec Regi deprecanti, nec *Romano* Pontifici (quem Comes falsis relationibus circumueniſse videtur) mandanti, vt anathemate eum solueret, parere voluit, nisi per pœnitentiam rescisso matrimonio. Quæ illius constantia adeo Comitem perterrefecit, magnósque illius spiritus confregit, vt vltrò tandem ad celebre Episcoporum concilium, cui DVNSTANVS præsedit, nudis pedibus, laneisque solummodo vestitus, & virgam manu gerens accederet multo gemitu, profusisque lacrymis veniam delicti supplex postulans. Sed in nulla magis re constantiam, magnanimitatémque suam ostendit, quàm aduersus impudicos illos Clericos, qui magnas illis temporibus turbas illi faceſsebant, quoad ipsis eiectis ab ecclesijs monachi suffecti sint. Variæ itaque querelæ ad Regem deferuntur, variæ Synodi coguntur ad eas querelas & turbas pacificandas. Multa in vtrámque partem vltrò citróque, *Wintoniæ* præsertim, dicta & prolata sunt. Ecce verò in medijs altercationibus, vox ex imagine CHRISTI crucifixi palam insonuit. *Non fiet, non fiet, iudicastis bene, mutaretis non bene.* Attonitis omnium animis, Quid, inquit, de his rebus amplius controuertimus, cum de sublimi Deus ipse sententiam suam dictarit? monachis itaque *Wintoniæ*, nemo ex his Clericis, qui stupendum hoc miraculum nouerant, faceſsebat posteà negocium.

Iean. Cap. vlsim. fo. vid. ſſ. eam imaginem Wintoniæ, & verba ſubſcripta eadem in vita Dunſani.

RECRVDVIT tamen eadem deinceps lis. Accersitúsque est ex *Scotia* nescio quis *Bertelmus*, precióque carè redemptus, qui Clericorum patronum ageret. Noua itaque disceptatio apud villam, quæ *Calne* dicitur, initur. DVNSTANVS respondit, illorum causam & rationum momentis, & ecclesiæ authoritate, & diuino iam olim confossam præiudicio, frustra in nouam quæstionem vocari. Optare se, vt ingraueſcente iam & præcipiti ætate, quietem colere posset, causamque se illam, remota omni disceptatione, Deo credere & committere. Vix hæc dixerat, cum solarium corruit, DVNSTANIQVE aduersarios

ruina

ruina illa aut obtriuit, aut grauiter mutilauit. DVNSTANVS verò, & qui ab eo stabant, ab omni damno immunes erant. Neque monachis deinceps vllum negocium exhibitum est. Imminentem post hæc sibi mortem, diémque quo obiret, sacro Ascensionis CHRISTI festo diuinitus edoctus, venerandum eo die Missæ sacrificium publicè peregit, concionémque apud populum (qualem nunquam antea) habuit. Vbi multa de vera corporis CHRISTI in Eucharistia præsentia, multa de nostra post mortem resuscitatione, deque cœlesti vita admirabiliter, maximo cum auditorum fructu & voluptate disseruit. At mox, cum & appropinquantem suum etiam obitum, certumque illius diem prædiceret, magno omnium animos mœrore repleuit. In morbum deinde læthalem incidit. Qui cum cum lecto defigeret, ecce ante paucas, quàm obiret, horas, lectus ipse in quo decubuit, in altum tertio leuatus, tot etiam vicibus demissus est. Et mox salutari exhortatione, omnium animos ad diuina cogitanda & meditanda erigens, sanctam animam exhalauit. Sed nec illud inter præclara eius opera silentio obruendum est, quod cum videret ANGLOS intemperantius bibere, seque inuicem pernicioso exemplo ad mutuam intemperantiam ingentibus haustibus prouocare, curauerit vt in cyathis aurei vel argentei claui infigerentur, præcepítque ne quis eam quasi metam transgrederetur in bibendo. Iam si alia stupenda miracula, quæ per eum vel in carne manentem, vel carne exutum Deus designauit, narrare velim, longum ea sola narratio tractatum, prolixúmque librum desideraret. Et quoniam quædam prioris generis vtcumque attigimus, cetera id genus dimittentes, quæ facile aliunde peti poterunt, pauca perstringamus, quæ sanctum illius obitum commendant & ornant.

Guil. Malm. de reg.

De miraculis Diui DVNSTANI *post obitum, deque successoribus eius* ETHELGARO *&* ALFRICO.

CAPVT VII.

VAE nos à duobus authoribus fide dignissimis, oculatis nimirum maxima ex parte testibus, mutuabimur. E quibus primus quinque mulieres, & virum vnum lumen; alios pedum, aliarúmque corporis partium, quæ inutiles & mutilæ erant, firmitatem; alium loquelam ad beati viri sepulchrum recuperasse, alium, qui propter flagitia anathemate per Sacerdotem deuotus erat, dæmonem, à quo mirè, cumque horrendo corporis tremore, infestabatur, excussisse tradit. Visus est aliquoties à fratribus per nocturnam quietem ab ecclesia exire: Quem cum illi retinere conarentur, Non possum hic, inquit, manere diutius, propter hominum improbitatem, & immunditias flagitiosorum hominum in hac ecclesia sepultorum. Nec ita multò post, ecclesia Saluatoris *Cantuariæ* igne conflagrauit. Illud verò cum primis, ad ingratorum hominum insolentiam retundendam, memorabile est. Fuit *Ceonulphus* Sacerdos quidam, *Folcanensium* præpositus, diues & nobilis. Qui sæpius admonitus vt sepulchrum beati viri ad paralysim, qua citra omnem remedij spem, diu laborauerat, depellendam, oratum se deferri pateretur, diu restitit, quasi indignatus coniungere se cum pauperibus, qui passim eò confluebant. Sed morbi & miseriæ magnitudo coëgit eum has omnes cristas, ingentesque spiritus deponere. Delatus est igitur ad sepulchrum, orauit, & integra mox sanitas orationem consecuta est. Domum reuersus, amicis & vicinis accersitis grande epulum præbet, omnibus de sanitate reddita gratulantibus. Vbi, cum inter Dei laudes, & hoc adijceretur, quòd non minus iam nobilem & clarum virum, quàm prius pauperes DVNSTANVS curasset, mira mox iste indignatione percitus, An me, inquit, inter mendicos & homunciones istos reijcitis? video vos falsa ratione duci. Nam & remota omni DVNSTANI ope, ego nihilominus certè conualuissem. Horrendus mox totius corporis tremor eam tam ingratam vocem excepit, vetusque, & ea quidem infestior paralysis hominem inuasit, miseróque horribiles clamores expressit, in quibus ingratam simul animam euomuit. Author denique noster beati DVNSTANI & in se beneficia, grata commemoratione his verbis ostendit. Ita namque cùm in alios, me vidente, cùm in meipsum, me sentiente, eius merita valuerunt.

Ea vita eius per Osbernum & per alium, qui suum nomen non adscripsit.

OSBERNVS cum quædam, quæ iam commemorauimus, recitasset, adijcit de *Scotlando* Abbate, à quo in frequentissima concione, milites duo, qui nepotem ipsius occiderant, ad sacras beati viri reliquias supplices rogant, vt in gratiam & honorem DVNSTANI criminis illius gratiam faceret. Qui cum flecti nequiret, ecce eodem interim tempore mulier quædam quæ ab infantia audiendi facultate priuata fuerat, rectè audire cœpit. Proxima nocte Sacerdos quidam honorandi vultus Abbati se per quietem obtulit, & immitem illum suum in supplices animum exprobrans, præcepit teterrimis quibusdam viris, vt arreptum Abbatem cum nepotibus in ardentem cacabum conijcerent. In his ille angustijs, veniam illis, modo sibi parceretur spondet. Ad quam vocem tetri illi viri euanuerunt. At Abbas cum nepotibus ante solis ortum beati viri sepulchrum adijt, & lachrymis oppletus, quid sibi accidisset monachis narrat, & palam militibus delictum condonat. Dum missæ sacra solemnia celebraret LANFRANCVS Archiepiscopus, iuuenis quidam monachus, qui in illis sacris LANFRANCO inseruiebat, à dæmone horribiliter vexatus est, neque aliquod ad aliquot dies leuamen sentire potuit. Perductus postea est ad B. DVNSTANI reliquias. Quas, mirum est, quo modo dæmon horrebat. Iamque per totum miseri corpus, sursum deorsumque se iactabat, quasi vel per os, vel per turpiores corporis partes erupturus. Arripit interim ELFWINVS quidam vnus ex monachis crucem, quæ coram DVNSTANO, cum Archiepiscopus esset de more ferri solebat, impressitque eam corpori afflicti hominis, cum lachrymis ita precatus; Sancte DVNSTANE respice hunc miserum, & misericordiam tuam exere. Vix hæc dixerat, cum dæmonem ille excussit, lachrymisque totus oppletus, Gratias tibi, inquit amplissimas pater DVNSTANE, ago, quia tuis meritis; & tibi etiam frater, ago, quod tua intercessione aduersarius propulsatus sit.

ACCIDIT interim memorabile quiddam. Cum enim à quibusdã monachis inuiseretur in istis angustijs, ex eorum aduentu miram præseferebat lætitiam, diserte crimina quædã ab illis clam admissa in os exprobrans, eos suę se damnationis socios habiturũ gratulatus. Quæ res magna eos verecundia affecit, coegitque ad accuratam peccatorum per confessionem, apud Sacerdotem expiationem. Post quam, cum rursus ad dæmoniacum venissent, torue illos intuens, Vnde, inquit, venistis, & quo demum fonte sordes vestras eluistis, à mea iam prorsus societate disiuncti? Hæc magno eiulatu vociferabatur, & spumas ore ciebat. Atque huic nostro author tragediæ interfuit. *Odo* vero Comes *Cantiæ*, idemque *Baiocensis* Episcopus, fratrisque GVILIELMI primi (qui ANGLIAM armis in potestatem redegerat suam) potentia fretus, quem etiam ad id pecunia expugnauerat, graues LANFRANCO calumnias de rebus & possessionibus *Cantuariensis* ecclesiæ, quas ad se rapere cogitabat, intendebat LANFRANCVS, licet bonam causam, deploratam tamen propter callidas & malitiosas, quas aduersarius per leguleios suos, veteratores homines, iuris interpretationes nectebat, & amplissimam eius authoritatem, prorsus habebat. Confugit igitur ad beatum DVNSTANVM, apudque tumulum supplex illius opem implorat. Cui se ille proxima nocte per visum exhibuit, bonoque animo esse iussit; curaturum enim se vt causa felicissimum haberet exitum. Qui præter communem opinionem secutus est. Cuius etiam beneficio, per nocturnam quietem LANFRANCO se offerentis, LANFRANCVS cum salus illius desperata prorsus esset, repente reualuit: Et quo die funus eius efferendum credebatur, sacris missæ mysterijs operatus est. Eademque etiam hora vnus ex Clero, qui LANFRANCO inseruiebat, quartanam febrem, quæ octo eum menses confecerat, excussit.

HVIVS quoque, quã iam recitabimus, historiæ, author noster testis idoneus, & omni exceptione maior est, quippe qui rem à se visam referat. Fuit itaque EDOVARDVS quidam *Londinensis* ecclesiæ Archidiaconus; qui monachorũ se postea apud ecclesiã Saluatoris albo inscripsit. Qui cum aliquot annis probè suo muneri respondisset, cœpit tandẽ negligentius, & dissolutius viuere. Quare cum ob id in monachorũ reprehensionẽ incurreret, offensus & infestus eis factus, cœpit de fuga & abitione cogitare ita secum, licet perperam & vitiosè meditatis rationibus, vt nollet sine bona DVNSTANI venia discedere, quam falsus animi sperabat. Cum itaque certum discedendi propositum arripuisset, moxque se cum alio conscio ad discessionem pararet, abijt prius ad tumulum DVNSTANI, precatus ne ægrè ferret discessum suum. Abiturus mox è templo incurrit in reuerendi vultus monachum, qui opposito scipione egressum illius impediebat, iubebatque vt rediret ad tumulum, & mentem cum oratione mutaret. Reuertitur ad tumulum, veterem orationem renouat, ac mox ad fugam sese parat. Incurrit rursus in eundem monachum, & eandem sed asperiorem increpationem audit.

audit. Reuersus itaque veterem cantilenam repetit, moxque fugam meditaturus [illegible] venit ad cœnobii ostium. Ibi rursus DVNSTANVS quis esset iam se aperiens, non solum verbis grauiter castigauit, vt leuem religionis votique perfugam; sed & fustem illi impegit; maleque eum mulctauit, ac deinde euanuit. Ille cum præ infirmitate & debilitate se tollere, gressumque sustinere non posset, delatus est in nosocomium vbi valetudo in dies ingrauescebat, adeo vt iam conclamata salute, animam eius iamiam emigraturam, precibus Deo & Sanctis fratres commendarent. In quibus cum eo loci ventum esset, vt dicerent, Sancte DVNSTANE intercede pro anima eius, cœpit ægrotus meliuscule se habere, & circumspicere astantes, accersitque *Henricum* cœnobij Priorem. Cui totius huius rei gestæ, fugæque suæ rationem (quam hactenus suppresserat, nulla exomologesi facta) aperire; grauiter se huius delicti pœnitere dicit, & de more ecclesiæ ab eo se, per Sacerdotalem absolutionem eximi desiderat. Qua exomologesi facta, lætiore animo deinde e vita abijt. Refert deinde hæc omnia fratribus *Henricus*, & ecce illic, qui fugę conscius erat, de quo nemo quidquam nouerat, neque ille hactenus quid EDOVARDO cum B. DVNSTANO negotij intercesserat, humi prostratus, manantibus vndique per genas lachrymis, culpam suam ingenue confitetur.

HIC iam lectores admonitos volo, vt si forte incidant in commentitia illa scripta, quibus significatur reliquias B. DVNSTANI à *Cantuaria Glastoniam* delatas, ad annum Domini millesimum duodecimum & circiter vigesimum quartum annum ab obitu DVNSTANI, vt ne facile circumueniantur. *Edmerus* enim vir fide dignus ANSELMO Archiepiscopo familiaris commentum illud prorsus explodit, ostenditque sepulcro à LANFRANCO Archiepiscopo, GVNDVLPHO *Roffensi* Episcopo, *Scotlando* D. AVGVSTINI Abbate, astante vtriusque cœnobii societate, & infinita omnis ordinis & sexus multitudine, corpus illius à veteri sepulchro (in quo inuentum est cum thyara, annulo, pallio, & alijs Pontificijs ornamentis, & lamina plumbea, & cum scriptura quæ declarabat esse illius corpus) in nouam ecclesiam à LANFRANCO recens constructam, illatum esse. Quid? quod ante paucos quam ego nascerer annos, GVILIELMVS WARHAMVS *Cantuariensis* Archiepiscopus, ad annum videlicet millesimum quingentesimum octauum, curauit & hoc sepulchrum aperiri. Quo tempore caput cum omnibus ossibus repertum est, & cum plumbea illa, de qua dixi, lamina. Quæ multi dignitate & doctrina clari viri, præter Archiepiscopum, suis oculis vsurparunt. Quæ omnia ita vt gesta sunt, IOANNES *Barretus*, *Ioannes Colmanus*, *Guilielmus Porkinus* notarij publici, ad sempiternam rei fidem & memoriam scriptis consignarunt publicis. Extantque literæ Archiepiscopi ad Abbatem monachosque *Glastonienses*, qui contra tantam, tamque certam fidem iactarent apud se repositas reliquias B. DVNSTANI, nec esse *Cantuariæ*. Et hæc quidem de B. DVNSTANO. Nunc ad reliquos Archiepiscopos feramur.

De quibus apud Ioan. Capgr. In vita Dunst.

In epistola scripta ad Glast: quæ incipit: Gloriosa conuentui.

Dicto anno 1508

POST DVNSTANVM ÆTHELGARVS noui cœnobij *Wintoniæ* Abbas, & *Seleseiensis* deinde Episcopus, vno tantum anno sedem illam tenuit, & post eum ALFRICVS *Abingdonensis* Abbas, & *Wiltoniensium* Episcopus, vndecim annis administrauit. Sunt qui asserunt illum Clericos ex ecclesia Saluatoris *Cantuariæ* exegisse, & pro illis monachos substituisse. Sed hæc assertio nullo fundamento nititur, cum constet ipsis AVGVSTINI temporibus monachos ibi positos, quibus LAVRENTIVS præfuit. Sermones scripsisse, & super GREGORII dialogis aliquid commentatus, & Genesim atque multas veterũ conciones, diuorum atque martyrum vitas, quæ & hodie extant, è *Latina* in *Saxonicam* linguam transtuliſſe traditur. Obijt ad annum millesimum sextum, humatus *Abingdoniæ*. Sed corpus eius postea relatum *Cantuariam*. Sunt qui *Berengarianum* hunc faciunt, imo & pertinaciter defendunt *Berengarianam* hoc sæculo doctrinam, publice & passim in ecclesijs ANGLORVM receptam, quam nos ieiunam, proiectam, & impudentem calumniam satis erit hoc loco vel ostendisse. Ceterum, vtrum ALFRICVS qui & ÆLFRICVS, ALVRICVS, & ALVREDVS, & *Saxonice* ALRIO appellatur, ATHELGARO successerit, an SIRICIVS, inter historicos nostros variatur. [a] Alij ALFRICO priorem, [b] alij posteriorem locum dant. Ad secundam ego sententiam eò magis accedo, quod & diplomate [c] ATHELREDI Regis adiuuatur, cui his verbis subscripsit. Ego ALRIC *Dorobornensis* ecclesiæ Archiepiscopus [d] confirmaui. Et quinquennio postea [e] obijt. Incidi in chronicon [f] quoddam cuiusdam monachi *Abingdonensis* (sed nomen eius non apparet in eo volumine) qui tradit eum fuisse successorem SIGERICI Archiepiscopi, quem alij SIRICIVM appellant. Ex quo apparet ALFRICVM fuisse

Gul. Malm.

Vide epistolam Bonifacij Papæ ad Eleu. horium, apud Gul. Malm. de pont. in Lanfranco. Flor. & Maria. In libro quodam Saxonico nuper edito.

a Gul. Malm. de pont. & Matth. West.

b Index Episcoporum prefixus Mariano & Flo. & ipsorum chro. cum Sim. Dun.

c Extat inter monumenta coenobij Stepton.

d Anno 1001. vt in eo diplomate.

e Mar. an. 1006. sinceps Exlabe. rs remedium.

fuisse eiusdem cœnobij monachum. Prolixam ille habet de miraculis quibusdam; quæ ALBRICVS etiamnum puer patrauit, narrationem, ostenditque etiam post obitum insignes virtutes apud tumulum eius *Abingdoniæ* editas: vtcumque sit, pietatis certé & doctrinæ illius luculentum extat testimonium, à Principe totius ANGLIAE ecclesia depromptum, adque monachos *Abingdonenses* transmissum. Quod ipsis ecclesiæ verbis, ad posteritatis memoriam subijcere, non erit forte alienum.

VNIVERSIS sanctæ *Cantuariensis* ecclesiæ filijs, clerus & populus eiusdem ecclesiæ deuotas orationes. Vniuersitati vestræ est cognitum, quantum temporis est ex quo accidentibus varijs euentibus, mater ecclesia ANGLIAE, suo sit viduata pastore, ac destituta Rectore. Quod non solum ad nostrum, verum & ad vestrum, ac omnis huius insulæ detrimentum pertinere dignoscitur, cum totius patriæ solicitudinem Metropolitano constat esse commissam. Propterea elegimus sanctæ *Abendonensis* ecclesiæ monachum ELFRICVM nomine, nobis sufficientissimè cognitum, natalibus & moribus nobilem, Apostolica & ecclesiastica disciplina imbutum, fide Catholicum, natura prudentem, docilem, patientem, moribus temperatum, vita castum, sobrium, humilem, affabilem, misericordem, literatum, in lege Dei instructum, in scripturarum sensibus cautum, in dogmatibus ecclesiasticis exercitatum, & secundum tramitem scripturarum, traditionemque orthodoxorum, & canonum, ac decretorum sedis Apostolicæ Præsulum constitutiones, sano sensu ecclesiasticas regulas intelligentem, sanoque sensu docentem, atque seruantem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, sermonem fidelem, & cum modestia corripientem eos qui resistunt, & qui sanæ doctrinæ aduersantur, eis resistere & redarguere prævalentem, hospitalem, modestum, domui suæ benè præpositum, non Neophytum, habentem bonum testimonium, in gradibus singulis secundum traditionem ecclesiasticam ministrantem, ad omne opus bonum, & ad satisfactionem, omni poscenti rationem, de ea, quæ in illo est spe paratum. Quem nobis &c. Ostendit idem **author** quomodo *Romam* pro pallio adipiscendo, idque vt quidam asseruere, nudis pedibus **profectus sit, penulámque**, qua in eo itinere vsus fuerat, in monumentum postea *Abingdoniæ* reseruatam: Fuere celebres hoc sæculo virtutis & doctrinæ nomine, *Cantuariæ* apud cœnobium diui AVGVSTINI *Serlo*, & apud cœnobium *Saluatoris Fridegodus*. Ille præter alia, commentarios in Pentateuchum; iste vitam WILFRIDI *Eboracensis* Archiepiscopi, & *Audoeni* carminibus heroicis scripsisse traditur.

De Visisaxonum, *& cum primis Diuo* ETHELWOLDO, *& alijs* Wintonien*sibus Episcopis, de Diua* EDBVRGA *præfecta cœnobij* Wintonien*sis, deq; alijs in hac Diœcesi hoc sæculo structis cœnobijs.*

CAPVT VIII.

DE *Orientalium Saxonum*, atque *Orientalium* ANGLORVM Episcopis, nihil ferè hoc sæculo memorabile occurrit. Diuertamus itaque ad alias oras, & ante alios ad *Visisaxonum* Episcopos. Ex his Episcopis, quos PLEMVNDVM initiasse diximus, fuit[a] FRITHESTANVS qui DENEVLPHVM sequutus est. Deinde ad quatuor annos[b] BIRSTANVS, homo magnæ humilitatis & pietatis, erga pauperes præsertim, quibus alendis & vestiendis solicite prospiciebat. Nullam diem prætermittere solebat quo id genus hominum aliquot pedes non lauaret, & deinde linteo abstergeret. Nec minus laudatum successorem habuit ELPHEGVM, cognomento *Caluum*, DVNSTANI propinquum, quem, mira prædicendi futura & occulta dote, ornatum tradunt. Cum eo die, quo de more ecclesiæ, ad lubricæ mortalitatis nostræ, primorumque parentum lapsus memoriam, cineres capitibus nostris imponuntur, pœnitentes quosdam ab ecclesia proscripsisset; concionem deinde habuit ad populum, qua illum ad acrius solito seuerioris vitæ studium, propter instantem quadragesimam excitabat. Hoc etiam adijciens, vt castitatem quoque accuratius illo ieiuniorum, & orationis tempore, à proprijs adeo vxoribus se temperantes excolerent. Et eam demum iustam, & dignam peccatorum expiationem esse, si qui multa sibi illicitè contra Deum vsurpasset, etiam licita alioqui respueret. Ibi ceteris diligenti au-

a *Mal. de pontif. Flor. Wig. Theo. Rudburnus in chron. Catalogus Winton. Episcoporum.*

b *Dicti authores. Solus Florilegus ponit Æthelwoldum ad annum 888. ante Frithestanum.*

re, &

re, & defæcato corde Episcopi orationi intentis, impudentior aliquis exclamat. Impossibile sibi vt & à venere, & à cibis simul se cohibeat. Imo, inquit, vxorem, quam ad aliquot dies à meis complexibus submoui, proxima nocte lateri asciscam, & rei vxoriæ dabo operam. Id dictum quibusdam risum mouit. At Episcopus submurmurans, Magna me, inquit, miser, tristitia afficis. Et tu, inquit, ignoras, quid serus vesper vehat. Proximo mane compertum est, eum in cubiculo repentinam mortem obijsse. Quo tempore DVNSTANVM, ETHELWOLDVM, & ETHELSTANVM monachos, sacerdotio insigniebat, palam * prædicabat, illum *Wigornien sem* & deinde *Cantuarien sem*; alterum in sua sede futurum Episcopum: *Ethelstanum* verò reiecta seueriore, arctioreque, quam diu ingressus esset vita, ad dissolutioris & mollioris vitæ illecebras turpiter lapsurum. Et rerum postea euentus, prædictioni illius plane respondit.

* *Al* prædicebat.

VIR bonus post 12. annos successorem malum habuit ELFFIVM siue ELFFINVM, alij ELSIVM & ELSINVM, qui, vt diximus ambitiosè in *Cantuarien sem* se sedem ingessit, & mala morte mulctatus est. Ecclesiam deinde *Wintonien sem* gubernat[a] BRITHELMVS & eo defuncto ETHELWOLDVS; in qua vrbe ex parentibus honestis natus est. Quibus, & eorum facultatibus satis amplis relictis, profectus est *Glasconiam*, & DVNSTANO præfecturam cœnobij gerente, in monachorum album relatus est: Monasticamque ille disciplinam in ieiunijs, vigilijs, orationibus, lectionibus, manibus operando, alijsque pijs exercitijs accurate excoluit. Decanus deinde illius cœnobij constitutus est, & cum peruagata esset virtutum illius fama, *Abingdonen si* cœnobio ab EDREDO Rege præpositus est, & deinde ab EDGARO sedi *Wintonien si*. Ad quæ tempora, SVITHVNI memoria, propter admiranda, quæ in illa ecclesia post obitum patrabat opera, celebris, vt diximus, facta est. Qui ETHELWOLDO, cum BIRINO & BRISTANO, nocte oranti apparuit. Quare magna erga ETHELWOLDVM hominum accreuit reuerentia, cum præsertim vitæ sanctitati, doctrinæ magnitudini, concionandi assiduitati, accuratęque illius, in cœnobijs construendis ad cultum Dei castè promouendum diligentiæ, insignia etiam miracula, vt appellamus, accesserint. Veneni, quod infesti Clerici ex inuidia & odio ei parauerant, iamque inscius hauserat, & in viscera traiecerat, magnitudine fidei vim prorsus omnem à se excussit. Chrismatis necessarij exiguitatem, vt olim farinam ELISEVS admirabiliter auxit. Monachi, qui quædam furto intercepterat, nec restituere voluit, * imprecatione sua brachia inuisis quibusdam vinculis ita alligabat, vt cum reliquum corpus, brachia tamen, nulla ratione aut arte expedire, vel mouere posset. Quod cum ipsi soli innotesceret, ETHELWOLDVM adijt, veniam supplex flagitat, & mox vinculis illis expeditur. Dum veterem renouat ecclesiam, quidam ex alto præceps ruit, sed pij viri beneficio & precibus, ab omni prorsus nocumento immunis, mox operi se impigrè, omniúmque cum admiratione accingit.

[a] *Anno 963. Flor. Malm. & Cata'og. Tho. Rudburnus ponit cum post Elfium. Florentii catal. omittit vt cæteri præfixum Mariano Huius vitam descripsit, nisi Volstanus scripsit.*

1. *Reg.* 17. 14. * *Al* intercepta nouc.

ISTA præclara quidem sunt, & speciosa, sed nescio, an aliquid forte specioſius, quàm quod in summa annonæ difficultate, quæ multis omni vitæ præsidio destitutos oppresserat, & enecarat, cum priuatam suam omnem prius in pauperum vsus pecuniam exhausisset, vasa ecclesiæ aurea & argentea, aliaque ornamenta distrahi, & pecuniam ad egenorum victum distribui iusserit. Neque se æquanimiter ferre potuisse dicebat, vt homo ad imaginem Dei formatus, inedia potius periret, quàm ista non diffrangerentur, quæ ex terrestri solum materia conflata essent. Quid iam dicam, de incredibili eius abstinentia? Fuit infirma & fragili prorsus valetudine, noctibusque fere omnibus grauissimis corporis doloribus, ex morbo torquebatur. Et tamen ille, quasi nihil passus interdiu dissimulabat, & impigre, quæ sibi varia & multiplicia agenda erant, obibat. *Paulini* nimirum illius memor, *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis*; & illius Christi, *Virtus in infirmitate perficitur*. Sed vt occœperam dicere, in hac tanta valetudinis & corporis tenuitate, atque fragilitate, adeò sibi nihil licentius indulsit, vt carnibus quidem, nisi bis, semel mandato DVNSTANI in graui infestoque morbo; atque iterum in ea, de qua obijt, ægritudine vesceretur. Et, vt ipse exacto Dei Optimi Maximi voluntatem, præscriptáque monasticæ vitæ obseruabat: ita in alios monachos, qui præuaricabantur, nec se emendabant, omnisque generis malos homines, acer vindex erat. Bonos verò omnibus officijs & beneficijs prosequebatur. Quare nec Clericos illos terre potuit, qui in veteri *Wintoniæ*, & illa altera noua ecclesia, per luxum, & delicias, & libidinem ecclesiasticos reditus, contra canonum & ecclesiæ scita, perdite profundebant. Nec prius conquieuit quàm huiusmodi ex illis, & alijs ecclesijs deturbatis, monachos, qui integrius, castigatiúsque viuerent, sufficiisset. Clericis tamen illis aliunde abundè prospexit. Ducebant

2. *Corinth.* 12.

cebant quidem, licet ecclesiæ totius more & scitis aduersantibus, vxores; & ductas eadem facilitate reijcientes, alias sibi turpiter adsciscebant. Quare à præcipuis quibusdam eos ecclesijs ETHELWOLDVS amouit, & monachos substituit. Quibus multa cœnobia EDGARI ope & auxilio construxit, & inter alia (de quibus alibi attingemus) virginum sacrarum vnum Wintoniæ, quibus præfecit ETHELDRIDAM virginem anum. Quanquam fuerat & priùs eo loci cœnobium, ab EDOVARDO Rege *primo* exædificatum, sed quod iam collapsum erat, cui id temporis diua EDBVRGA præfuit. Fuit illa quidem EDOVARDI filia, quæ cum esset prima & à lacte nutricis penderet, iussit in conspectu illius pater, calicem & euangelia, armillas præterea & monilia proferri, indolem & propensionem infantis hinc periclitaturus. Illam cum pater genibus imposuisset, Elige, inquit, EDBVRGA, quod tibi ex istis potissimùm arridet. Illa vultu quasi *auersata* reliqua, auide ad calicem & librum manum porrigit; arreptumque est mox illud in omen, quod quasi præsagiebat ad quodnam potissimum vitæ genus illa propenderet. Et persanctam illa quidem inter virgines traduxisse vitam traditur, adeo ab omni fastu aliena, vt noctu furtim virginum calceos, & soccos tergeret, & mundaret. Quam & viuam & mortuam, miraculis claruisse tradunt. Obijt vero ETHELWOLDVS vigesimo quarto suæ administrationis, & ad annum nongentesimum octuagesimum quartum. Cui alius ELPHEGVS successit, de quo proximo sæculo inter *Cantuarienses* Archiepiscopos opportunius dicemus. In nouo vero Wintoniæ cœnobio exactis clericis, & inductis monachis, datus est Abbas ATHELGARVS *Cantuarensis*, vt diximus, postea Archiepiscopus. EDGARVS vero Rex *Rumseiense* cœnobium sacris virginibus erexit, quibus diuam MEREVINNAM præfecit. *Varuellense* vero sanctimonialium cœnobium ædificauit ELFRIDA, nouerca EDOVARDI Regis & martyris, & verè nouerca, id est, illius, vt diximus, carnifex. Cuius delicti asperam de se pœnam, per seueram pœnitentiam in dicto cœnobio postea, vt iam commemorauimus, exegit.

Gul. Malm. de pontif.

Maillanus Floril.

Gul. Malm. de pontif. Mar in chron. Anno 967.

De Episcopis Schireburnensibus, Viltunensibus, Bathonensibus, Cridiensibus & Cornubiensibus: deque variis harum diœceseon *cœnobijs hoc sæculo constructis, deque* ELGIFA, & ELSGIVA *pijs mulieribus.*

CAPVT IX.

VIISAXONVM Prouincia ante EDOVARDI primi tempora, à duobus tantum regebatur Episcopis. Wintonienses, *Hamptunensem* & *Suthreensem* Comitatum: *Schireburnenses*, *Viltunensem*, *Dorsetanum*, *Berruchensem*, *Somersetanum*, *Damnoniensem* & *Cornubiensem* administrabat. VERSTANVS in Synodo illa PLEMVNDI, *Schireburnensibus*, sed parte diœceseos multatus, vt mox dicemus, datus est Episcopus. Qui in expeditione ETHELSTANI contra *Analaphum* cæsus est. Cum enim Rex castra in alium locum repentè mutasset, Episcopus eius rei ignarus, eadem nocte non ita procul cum suis resedit. *Analaphus*, qui illa nocte Regem per insidias opprimere putabat, elusus est, sed in Episcopum tamen incidit. Quem cum comitibus ipsius è medio sustulit. ATHELBALDVS illi suppositus est, huic ALFREDVS, & huic ad annum nongentesimum quadragesimum defuncto VLSINVS, siue, vt quidam appellant, VLSIVS *Londini* natus, & cœnobij D. PETRI ad ciuitatis ipsius occidentem, quod *Westmonasterium* appellatur, monachus. In quo ille positus, nihil sibi reliqui fecit ad exactissimam monasticæ disciplinæ obseruationem, in sacrarum præsertim scripturarum lectione diligens & assiduus. Quas & fratribus prælegit, eosque salutaribus exhortationibus ad acre virtutis studium vehementer accendit. Quibus & ipse postea, vt ceterorum dignissimus, DVNSTANI opera præfectus est. Quo munere cum præclarè fungeretur, ad pontificium *Schireburnense* per Regem ETHELREDVM vocatus est, quam ille functionem egregiè obiuit. Quadragesimam apud monachos in exactissima monastica disciplina ponere solitus, in cœna demum Domini prodibat in publicum, & sacrum de more chrisma conficiebat. Post Pascha diœcesim inuisebat, & sacris eam concionibus informabat, & quæ perperam admissa, corrigebat. Hic Clericos è *Schirburnia* detrusit,

Gul. Malm.

Flor. An. 918.

detrusit, adductis monachis, quibus & Abbatem dare voluit; sed illi in illius magis gubernatione acquiescebant. Neque quicquam ille vt monachis consuleret, de Episcopatus reditu detraxit, sed aliundè, vnde eis prospiceret, comparauit. Post quinquennium administrationis suæ, & sexto Idus Ianuarij obijt; non solum obitus sui, sed alterius pij viri, qui ei inseruiebat, qui *Egelinus* dictus est, certum diem prædicens, mandansque vt cum ipso *Schirburniæ* sepeliretur. Vlsinus vero moriturus, suauiter secum canebat, Ecce video cœlos apertos, & IESVM stantem à dexteris Dei, optimum certè bene constitutę, & tranquillatę conscientię argumentum.

INSECVTI sunt * ALFWOLDVS, ETHELRICVS, ETHELSIVS, BRITHWINVS & alius ALFWOLDVS; Cuius historiam proximo sęculo opportunius contexemus. Et hæc quidem *Malmesburiensis. Florilegus*, post VLSIVM, BRITHICVM quendam collocat, & huic ad annum millesimum nonum defuncto, ÆLMARVM sufficit. Neque alium, ante ROGERVM ad annum millesimum centesimum secundum, recenset. At † *Florentius*, post ÆTHELBALDVM, SIGHELMVM ponit, & post ETHELSIVM BIRTHWINVM (eum fortè quem *Florilegus* appellat BRITHICVM) tum ÆLMARVM, BRITHWINVM rursus, deinde fratrem eius ÆLWOLDVM, quam varietatem significasse satis erit. Detracti sunt VERSTAN o in synodo prædicta *Somersetatus*, *Danmonienſis* & *Cornubienſis* Comitatus, vt diximus, & mox vberius dicemus. * Detractus est postea sub eodem Rege EDOVARDO & *Viltonensis*, proprioque Episcopo apud *Rameſberiam* honestatus. Qua de re hic locus ad dicendum aptus est. Primus itaque fuit ETHELSTANVS, proximus ODO *Cantuarienſis*, vt diximus, Archiepiscopus, tertius, OSVLPHVS, quartus ALGARVS, quintus ELSTANVS monachus *Abingdonensis*, qui mira sedulitate fratribus inseruiebat, qui [e] *Ethelvoldo* Abbate præcipiente, manum in feruentem lebetem immisit, neque quicquam detrimenti sensit. Cœnobio deinde præfectus est, & *Viltonensi* postea sedi, & post eum SIRICIVS, tum ALFRICVS. Quorum vterque *Cantuariæ*, vt antea diximus, sedit; & ita quidem eos *Gulielmus Malmesburiensis*, *Florentius Wigornienſis*, & *Matthæus Vueſtmon.* collocant, nisi quod *Wigornienſis* in meo exemplari ALGARVM sufficiat ÆLSTANO. ALFRICVM BRITHWOLDVS sequutus est, & eum HERMANNVS, qui hanc sedem cum *Schireburnenſi*, vt proximo sæculo dicemus, coniunxit. Hos *Wiltonenſes* Episcopos appellat *Malmesburienſis* Est autem Pronincia VVilronia siue *Vilugia*, à fluuio VVil, vt & VViltoniæ oppidum Prouinciæ caput, quod fluuio illo alluitur, appellata.

SED hic scrupulus aliquis, quem satis adhuc expedire nequeo, intercurrit. Appellantur enim hi & [d] *Sunningenſis* Ecclesiæ Episcopi, *Sunningum* autem non in *Wilugiana*, sed *Berscheria* apud *Atrebates* prope *Redingum* visitur, vbi eos sedisse & [e] *Lelandus* testatur. Tertia, si ordinem institutionis spectes, *Visiſaxoniæ* Episcoporum sedes fuit apud *Wellas*, oppidum à fontibus ibi manantibus ita dictum. Quam tenuerat hoc sæculo † ATHELMVS, VLFELMVS, *Cantuariam* postea translati, ELFEGVS siue ELFETHVS, VLSINVS, BRITHELMVS CHINEVARDVS, SIGARVS, ELVINVS. Et hæc quidem nomenclatura à *Gulielmo Malmesburiensi*, & *Florentio* petita est, nisi quod pro VLFELMO *Malmesburiensis* VLSIVM habeat. At *Matthæus Weſtmonaſterienſis Schireburniæ* constituit ETHELMVM, & WERSTANVM apud *Cridiam*, & apud fontes EADVLPHVM. Qua in re aut ille in errorem, aut nos in deprauata exemplaria incurrimus. Nam & ille, paulo post *Schireburnenſi* eum sedi, & successorem eius † ETHELBALDVM illi, & *Cridienſi* EDVLPHVM recte attribuit. Apud quem corrupti, ni fallor, exemplaris vitio, ODO & OSVLPHVS hic locantur, [g] *Wellenſi*, pro *VViltonenſi*, ecclesia subiecta. [h] *Cridienſes* vero, ex sententia *Malmeburienſis*, Episcopi hi fuere, EDVLPHVS, ETHELGARVS, ELFVODVS, SIDEMANVS, ALFRICVS, ELFWOLDVS, & EDNODVS, qui & VVINE dictus est LIVINGVS. [i] Est autem *Cridia* villula *Danmoniæ* siue *Deuoniæ*, duodecim passuum millibus ab *Exonia* dissita. *Matthæus VVeſtmonaſterienſis obitum* EDVLPHI statuit ad annum nongentesimum trigesimum primum, eique ÆTHELGARVM substituit, quem ALGARVM postea appellare videtur, eique ad annum nongentesimum quinquagesimum secundum obeunti ELSWOLDVM sufficit: nec alios *Cridienſes* Episcopos ad LIVINGVM recenset. Sed post commemoratum annum superstitem fuisse apparet, & proximo obijsse tradit *Marianus* [k] Qui in chronico ELSWOLDVM, SIDEMANVM, ALPHRICVM non recen-

* *Cum Mal. in nonnullis catalogis Florentij, & qui Mariano præfiant est.*

† *In indice qui chronico præponitur. Cui congruit & index Episcoporum Mariani chronico præfixus*

* *Malm. depont. & Flor. an. 905.*

a *Osulphi huius variæ scriptiones visuntur in regijs diplomatibus ad ann 935. 938 961. et patet in monumentis eiusdem Scepturnienſis.*

b *Alias Alfgarus, vt patet in subscriptione diplomatis Regis Edmundi in dictis monumentis.*

c *Mar in chron. 940. & Gul. Malm. de Epiſc. Florentinus in indice Episcoporum chron præfixo eandem seriem habet, & commemoratus index Mariani chronico præfixus. Sed Marian. in chronico an. 981. pro Algaro Vulgarum habet, appendicis autem chronicis quod Aſſero tribuitur, Algarum, Elstanum, Osulphũ, vitiosè pro Wilton. Wintoniẽſes Episcopos facit ann. 970. & 981.*

d *In vtroque indice commemoratus.*

e *In commentarijs in cygneam cantionem.*

† *Quem Malm. in meo exemplari Adelelmum appellat.*

f *Index etiam præfixus Mariani Wilfelmum non Vlfium habet. Hic, ni fallor, Saxonice Vlfigo audit, qui diplomate Regio ad an 956 licet Episcopatus loco supposito subscripsit. Cuius modi post biennium & Brithelmi subscriptio in commemoratis Sceptonienſibus*

g *An 934.*

h *Cum nomenclatura Mal. congruit index præfixus Mar. & Flor.*

i *Ex diplomate Regis Edredi an 955. cui subscripsit, vt patet ex monumentis eiusdem Sceptonienſis, in quo Athelgarus non Algarus nominatur.*

k *Mar. Scotus in chronico an. 951.*

Cc

conobii monumentis reperitur, qui Saxonice Brithelmi *sæpe appellat, Marianus tamen in chron. cum commemorat, & ei obeunti ad an. 958 sufficit* Brithelmum. *In appendicibus annalium, qui Aſſero tribuuntur, corrupte in meo saltem exemplari pro* Vlfi *legitur.* † *Anno 905 918*

Vide Mar. anno 891. & 913. set, & ÆDVLPHO ETHELGARVM substituit. Et huic ELFWOLDVM siue ÆLFWOLDVM. *Cornubia* autẽ, vt diximus, data est ATHELSTANO. Cuius nec successores, nec liquidò locus ipse illius sedis cognoscitur, nisi quod quidam aiunt fuisse apud sanctum PETROCVM, in oppido BODWINO, siue BODVANO, quidam apud sanctum GERMANVM. Proximo autem sæculo *Cridiensi* consociata est. Defuncto enim BRITHWOLDO, LIVINGVS *Cridiensis* regnante CANVTO, *Cornubiensi* quoque potitus est, atque ita vtraque in vnam coaluit.

Cuius obitum refert ad annum 970.

Florent. anno 905.

COENOBIA quædam in his locis, hoc sæculo, aut condita sunt, aut restaurata, & ornatiora facta. In Comitatu *Dorsetano*. *Medultunense* Cœnobium ETHELSTANVS Rex construxit, vt eædem fraternam, vt quidam tradunt, eleemosynis, & piorum precibus expiaret. Quod multis reliquijs ex *Britannia* transmarina, SAMPSONIS præsertim *Dolensis* Episcopi, decorauit. Hic exactis clericis incontinenter viuentibus, monachos Rex EDGARVS locauit, quibus *Chineuardum* præfecit. *Sceptoniense* superiore, vt diximus, seculo, exædificatum, reparauit insigniter ELGIFA, EDMVNDI Regis vxor, quę ibidẽ humata est: mulier multis virtutibus, præsertim egregia in pauperibus fouendis pietate prędita, adeò, vt pretiosam, qua induebatur, vestem sæpe egeno daret; & quos carcer, propter æris alieni magnitudinem claudebat, illa de suo redemit. Nec viua prædictionum, nec post obitum ægrotos, mutilosque admirabiliter sanandi, dote destituta est. Comitatus *Wiltunensis*, cœnobia habuit *Ambresburiense* & *Wiltunense* feminarum, *Mildunense* siue *Malmesburiense* virorum. Primum ELFRIDA Regina ob eandem, qua *Waruellense*, causam hoc sæculo condidit; residua EDGARVS ædificijs, possessionibus, & alijs rebus amplificauit, & *Malmesburiense* ante eum ETHELSTANVS Rex. ETHELSTANVS verò, quo tempore filiã eius HVGO *Gallorũ* Rex in vxorem ambiuit, munera ab eo, quæ omnem planè terrestrem thesaurum superant, amplissima accepit (cetera omitto ab alijs petenda) quæ ipse ad successores suos transmisit. Huius inæstimabilis thesauri portio fuit fragmentum Crucis, qua expiatæ sunt orbis delicta, & spineæ corona, qua nefario ludibrio milites Christum confixere. Cuius coronæ spineæ portio *Rhodi*, præsertim nostra ætate, antequam in Turcarum manus veniisset, magno honore culta fuit: iucundumque atque admirabile spectaculum, singulis sacræ paraseues diebus, quibus annuatim efflorescens germinabat, exhibuit. Hunc Rex crucis & coronæ thesaurum, cœnobio *Meldunensi* impartitus est.

Flor. 664.

Gul. Malm. de pontif.

Gul. Mal. de reg. lib. 2 ca. 28.

Thomas Mor. in Dial. quos anglio. ęsorip. 6.

HONESTARAT etiam hoc cœnobium possessionibus, quæ ad eum, propter seditiosam, *Alfredi* aduersus eum coitionem, deuolutæ erant. Cuius donationis verba (authographum autem illius *Malmesburiæ* remansit) & propter antiquitatem, & propter insignem quæ ibidem interspergitur historiam, vt eam ipse Rex extulit, posteritatique commendauit, referre operæ precium duxi. *Sciant* sapientes regionis nostræ non has præfatas terras » me iniuste rapuisse, rapinamque Deo dedisse; sed sic eas accepi, quemadmodum iudicauerunt omnes optimates regni ANGLORVM; Insuper & *Apostolicus* Papa *Romanæ* » ecclesiæ IOANNES, ELFREDO defuncto, qui nostræ felicitatis & vitæ æmulus extitit, nequitiæ inimicorum nostrorum consentiens, quando me voluerunt, patre meo defuncto, necare in vrbe *Wintonia*, si non me Deus sua pietate eripuisset. Sed denudatis eorum machinamentis, remissus est ad *Romanam* ecclesiam, vt ibi se coram *Apostolico* IOANNE iureiurando defenderet. Et hoc fecit coram altari sancti PETRI, sed facto iuramento, cecidit coram altari, & manibus famulorum suorum portatus est ad Scholam ANGLORVM, & ibi tertia nocte vitam finiuit. Et tamen *Apostolicus* ad nos remisit, & quid de eo ageretur, à nobis consuluit, An cum ceteris Christianis corpus illius poneretur? His peractis, & nobis renunciatis, optimates regionis nostræ, cum propinquorum illius turma efflagitabant omni humilitate, vt corpus illius, per nostram licentiam, cum corporibus poneretur Christianorum; nosque illorum efflagitationi consentientes *Romam* remisimus, & consentiente Papa positus est ad ceteros Christianos, quamuis indignus, & sic iudicata est mihi tota possessio eius in magnis & in modicis. Sed & hæc apicibus prænotauimus literarum, ne quamdiu Christianitas regnat, aboleatur, † verum mihi præfata possessio, quam Deo & sancto PETRO dedi, donatur. Nec iustius noui quam Deo & sancto PETRO hanc possessionem dare, qui æmulum meum in conspectu omnium cadere fecerunt, & mihi prosperitatem Regni largiti sunt. Hactenus ETHELSTANVS. Auxit & EDGARVS hoc cœnobium possessionibus, quas ab indoctis se clericis iniustè possessas abstulisse ipse fatetur, & ad præstantiores accommodasse vsus.

Malm. lib. 2 fo. 30.

† *Al.* Vnde

ANNO-

ABINGDONENSE vero cœnobium, à Dacis superiore sæculo euersum, EDREDVS siue ETHELREDVS Rex. ALVREDI nepos, per *Ethelwoldum* Abbatem tanto studio reparare. & restaurare cœpit, vt Rex ipse describeret & locum metaretur, primaque fundamenta iaceret, possessionesque olim ablatas restitueret. Sed quod tum per præcocem Regis mortem, & *Ethelwoldi* absentiam, quem EDGARVS *Wintoniam* reuocauit, perfici non potuit, per Abbatem postea *Ordgarum Ethelwoldo* suffectum, absolute per omnia consummatum est. Hoc verò cœnobium, primo à CISSA, vt diximus, constitutum est. Cuius primus præfectus fuit vir quidam sanctus *Heanus*. INA deinde Rex possessiones auxit ad annum sexcentesimum nonagesimum nonum, quas ETHELBALDVS Rex postea confirmauit, præfecturum gerente *Cumano*. Ad tempora vero KENVLPHI Regis, RETHVRVS Episcopus Abbatis locum obtinuit, & circa annum octingentesimum vigesimum primum *Romam* profectus, pontificia authoritate priuilegia cœnobij communiuit. Cui & ETHELSTANVS Rex varias possessiones dedit ad annum nongentesimum trigesimum primum, ad tempus *Cinothi* Abbatis. *Ethelwoldus* vero maxime illud extulit, qui & viros monasticæ disciplinæ exquisitè callentes, ex *Corbiensi Galliæ* cœnobio accersit, & *Ordgarum Floriacum* misit, ad exactiorem eiusdem disciplinam hauriendam. Quo factum est, vt huic potissimum præfecti sint, qui alia cœnobia gubernarent, vt *Elyense*, *Burgense*, *Thornense*, & alia; multique præterea Episcopi. ETHELWOLDO *Wintoniensi* sede amplificato, *Abingdoniensi* cœnobio *Osgarus* præficitur. Quod post eum *Edwinus* & *Wlgarus* administrarunt. Atque hæc quidem de *Abingdonensi* cœnobio ex *Mariano*, spectatissimæ homine fidei, potissimum desumpsimus. Chronicon verò illud, de quo antea commemorauimus, *Abingdonensis* cœnobij, quosdam alios illius cœnobij præfectos enumerat; è quibus multi fuere simul & Episcopi, recensetque varia diplomata, non modo Regis illius CISSAE, sed & CEDWALLAE, INAE, & aliorum *Westsaxoniæ*, imo, & quorundam *Merciorum* Regum, qui in illud cœnobium benefici, & perliberales fuerunt,

Gul. Mal. li. 2. de reg. cap. 40.

Malmes.

Mariā. in chron. Anno 948.

Mar. anno 948. Malm. de Epis.

DE antiquitate illius cœnobij, & celebritate illius ante ANGLORVM aduentum, multa refert, & quod monachi supra quingentos illi fuerant adscripti, qui per siluas & loca deserta, quæ in vicinia fuere, manuum labore victitabant, ad cœnobium singulis sabbatis & dominicis conuenientes, præter sexaginta, qui assidue in ipso cœnobio versabantur, & quod CONSTANTINVS ille magnus *Abingdoniæ* educatus fuerit. Quæ quoniam ex nullis certis, exploratæque fidei authoribus, sed ex maiorum quadam per manus ducta traditione, atque affirmatione depromit, nihil eorum constanter affirmarim, Narrat per eundem CISSAM (antequam Christi sacris esset initiatus) monachos *Abingdoniæ* partim cæsos, partim fugatos; eumque in reliquos omnes christianos immaniter sæuisse, eundemque CISSAM ELLAE filium, fuisse non solum *Australium* ANGLORVM, apud quos condidit *Cicestriam*, quæ adhuc nomen illius refert, sed & *Visisaxonum* Regem. Sed de *Visisaxonia*, altum apud nostros scriptores silentium. Ipse tamen se CISSA se *Visisaxonum* Regem appellat in suo diplomate, quo possessiones quasdam commemorato *Heano*, & *Abingdonensi* cœnobio donat. Constat certè patrem illius ELLAE latissime, vsque ad *Humbrum* imperasse. In illis autem CISSAE, & aliorum Regum diplomatibus, apparet, quanto illi studio flagrarunt per temporaria in pios, æterna sibi apud Deum beneficia lucrifacere, vt cum defecerimus (inquit KENTWINVS *Visisaxoniæ* Rex) recipiant nos viri sancti, serui Dei, in æterna tabernacula sua, vt consortes simus consolationis & remunerationis meritorum suorum, sicut hic participes fuerimus laborum suorum, CISSA autem diploma suum his verbis orditur: Ea quæ temporalia, perfunctoria & caduca, ea vero quæ æterna, mansura & cælestia sunt. Sed quia temporalibus æterna, perfunctorijs mansura, caducis cælestia comparantur, vbi eleemosyna exterior fideli deuotioni accedit, quam deuoti, quam munifici in Christi seruos esse debemus; idcirco ego CISSA Rex *Westsaxonum*, quibus &c:

Incipit. Ea quæ temporalia, perfunctoria & caduca Ex chronico Abingd. Incipit diploma Cuius dei cæ scriptura.

WELLENSIS autem Comitatus *Glasconiense* cœnobium habet. Quod à *Dacis* labefactatum EDMVNDVS Rex restaurauit, magnisque possessionibus auxit, & post eum EDGARVS: Cui EDMVNDVS DVNSTANVM, qui eo in oppido natus erat, præfecit. Qui monachis, quos vndique sibi adiunxerat, claras totius pietatis & sanctitatis faces accendit. Ex eo itaque cœnobio postea manarunt plurimi, doctrina & sanctitate præstantes, qui partim ad Episcopatus, partim ad aliorum cœnobiorum præfecturas rapiebantur. Ista vrgebant

Gul. Mal.

mirum in modum communem nostrum hostem, qui nullas non rationes comminiscebatur molestiam DVNSTANO exhibendi. Aliâs itaque in lupi, aliâs in vulpeculæ specie noctu se illi precanti exhibuit. Quem tamen à firma & solida erga Deum animi intentione, ne modicum quidem auertere potuit, eiusque ille ludibria prorsus contempsit, conuitijsque appetendo, vt priùs, cum in illa angusta domuncula habitaret, nobili prorsus stratagemate abegit. In qua cum ille fabrili cuidam operi noctu vacaret, accessit infestus hostis, hominem se simulans, & nescio qua DVNSTANI opera in re aliqua fabrili indigere dicebat. DVNSTANVS cum alacriter se, operi illius desiderio satisfacturus, accingeret, veteratorias ille suas omnes artes ad circumuenien dum DVNSTANVM explicare cœpit; nunc pueri, nunc
Sozom. lib. 6. c. 28. senis, nunc petulantis & procacis puellæ vocem ementitus. DVNSTANVS iam non ignarus quis esset, *Apellem* illum *Ægyptium* monachum repræsentans, candentibus forcipibus arreptum monstri nasum, tam fortiter magnitudine suæ fidei compressit, vt explicare se hostis, nisi ad voluntatem DVNSTANI, non poterat, Et postea ab eo dimissus immaniter eiulando abiret, sua ludibria prodita & contempta grauiter dolens.

NEC hic post DVNSTANVM prætereunda est insignis illa, de qua superiùs mentionem fecimus, matrona *Elfgina*. Quæ sibi non procul a DVNSTANO mansionem quandam constructerat, vbi consilio DVNSTANI, eleemosynis, ieiunijs & orationibus totam se dabat. Quæ orationibus suis, cum ad eam fortè inuisendam Rex ETHELSTANVS diuertisset, effecit, vt licet largiùs, & liberaliùs biberetur ex eo potu, quem *Medonem* appellamus, cuius exiguam quantitatem habebat, neque tot conuiuijs sufficientem, nihil omnino diminutum sit, ex exigua illa copia. Cui iamiam morituræ, cœlestes etiam spiritus videre
Gul. Malm. datum est. Commemoratus Rex *Miceluiense* huius diœcesecos monasterium condidit, ad eluendam fraternam cædem, Deique misericordiam eliciendam. Locus est aquis vndique conclusus, & eo minus hospitum molestijs, tantoque magis cœlestibus meditandis expositus & accommodatus. Fuit hoc sæculo & *Hortunense* cœnobium, sed irruptione *Dacorum* videtur
Gul Mal Floril an 961. dissipatum. In *Deuonia* vero *Thamstochiense* cœnobium originem suam cœpit, sumptu *Edgari* Comitis, cuius filiam ELDRITHAM EDGARVS Rex in vxorem, vt diximus, asciue-
Floril. an. 907. Marian. an. 996. rat. Sed triceſimo sexto post anno, cum ea pars *Vallia*, quæ respicit Septentrionem, cum *Dorsetana* prouincia; *Deuonia* & *Cornubia* miserè à *Dacis* vastaretur, immisso ab eis igne con-
Flor. & Marian. anno 981. flagrauit. Quemadmodum & diui PETROCII in *Cornubia*, ante paucos annos ab eisdem e-
Flor. & Mari. an. 968. uersum est. Restauratum est & *Exoniense* per EDGARVM cœnobium, Cui datus est moderator *Sidemanus*.

De diua EDITHA *sacra virgine apud* Wiltoniam, *& admirabili historia quorundam diuinitùs punitorum, ob natalem Christi diem profanatum in* Saxonia. *Quorum vnus post longam peregrinationem, apud tumulum diuæ* EDITHÆ *sanatus est.*

CAPVT X.

Gul. Malm. de reg. & pontif. WILFRIDAM Rex EDGARVS per vim, vt diximus, stuprauit. Quæ postea non modo corpus suum integrum & incontaminatum conseruauit, sed & tam seuerè atque sanctè vitam apud virgines sacras *Wiltoniæ* (quibus & præfuit) traduxit, vt inter cœlestium choros post obitum, ab omni posteritate ascripta censeatur. Et Deus vel virtutibus matris, vel patris pœnitentia, de qua commemorauimus, vt credibile est, excitus; ita partum *Wilfridæ* nobilitauit, hanc, inquam, cuius meminimus, EDGITHAM, siue EDITHAM, vt tam viua quàm mortua, illustria pietatis suæ documenta dederit. Magna illam pia mater cura atque diligentia, inter sacras illas virgines religiosè ab ipsa infantia educauit, ita vt mundum & terrestria, non tam deseruisse, quàm nunquam nouisse censeatur. Matris sancto proposito & voto, sanctæ filiæ pietas egregia respondit. Nihil illa humilius, &
Io. Capg. in vita. demissius fuit. Mira autem sedulitate ægrotis inseruiebat. Quo quisque tetrioribus, & horridioribus morbis afflictabatur, eò illis illa solicitiùs curam impendebat. Orationi & lectioni

miri-

mirificè dedita, tenerem & delicatam carnem, non modo multis & longis ieiunijs, sed & aspero cilicio attriuit. Supremum autem beata virgo diem, in ipso ætatis flore, & vigesimo tertio ætatis suæ anno, obijt. Quam & viuam & defunctam, multa & clara miracula commendarunt, quæ ab alijs peri possunt. Ego vero vnum tantùm, quod post beatam eius dormitionem, accidit ad tumulum illius *Wiltoniæ*, quod & rarum sit atque insigne, tam ex morbi eius, qui sanatus est, magnitudine, quam causa; & eò quidem propensius, quod à *Malmesburiensi*, *Florentio*, *Matthæo Westmonasteriensi*, *Ioanne Capgrauo* & alijs, nescio qua ratione prætermissum sit, iam explicabo.

An. 824. 6 Kal. Octob.

Gul. Mal. de reg. & pontif. lib. Cicestrius in chronico. Ioan. Capg.

CETERVM, antequam eò perueniam, erit operę pretium, originem narrationis totius causæ (propter illius raritatem, atque admirabilitatem) altius repetere. Cum præsertim tanta fide narratio nitatur, quantam quisque desiderare posset; à Brunone videlicet *Tullensi* tum Episcopo, & summo postea pontifice qui LEO *nonus* dictus est, viro egregiè pio, atque docto conscripta. Quam ego & propter hominis eminentem authoritatem, propter vetustatem, & propter maiorē totius rei fidem atque authoritatem, LEONIS ipsius verbis subijciam. *In nocte natalis* Domini, *qua lux sæculorum est orta, nos duodecim socij, in vanitate & insania venimus ad locum qui dicitur* Colebecta, *ad Basilicam dedicatam sancto* MAGNO *martyri, sanctæque* BVCCESTRAE *eius sorori. Dux nobis erat nomine* Gerleus, *ceteri quoque duodecim maioris fidei gratia, nos miserandi sic sumus dicti*, Theodoricus, Manoldus, Otbertus, Bono, Gerardus, Verselo, Astelmus, Eolfwoldus, Heldebrandus, Aiuardus, Benna, Odricus. *Quid moramur infelicitatem nostram exponere? Tota causa hæc erat damnosi conuentus nostri, vt vni sodalium nostrorum insuperbia, & in abusione puellam raperemus, Parochiani filiam nomine* Roberti, *Puella vero dicebatur* Ana. *Non* * *virginalis natiuitatis* Domini, *non christianitatis memoria, non totius fidelis populi ad ecclesiam concurrentis reuerentia, non diuinæ laudis audita præconia, imprudentiam nostram à tanta temperant audacia. Mittimus geminas puellas*, Mersuuidem & Wibetinam, *quæ similes similem de ecclesia allectarent, ad iniquitatis nostræ choream, quam venabamur prædam. Quid hoc aucupio? fœlicius?* † *adducitur* Ana *vt auicula irretita, collegit aduenientes* Bono, *tam ætate prior quam stultitia. Conserimus manus, & chorellam confusionis in atrio ordinamus. Dux furoris nostri alludens, fatale carmen orditur* Gerleus. *Equitabat* Bono *per siluam formosam. Quid stamus? cur non imus? Istud ioculare incœptum infelo Dei iudicio miserabile est factum. Istud enim carmen dies & noctes incessabiliter girando, per continuum redintegrauimus annum.*

10 causæ (propter illius raritatem, atque admirabilitatem) altius repetere. Cum præsertim tanta fide narratio nitatur, quantam quisque desiderare posset; à Brunone videlicet *Tullensi* tum Episcopo, & summo postea pontifice qui LEO *nonus* dictus est, viro egregiè pio, atque docto conscripta. Quam ego & propter hominis eminentem authoritatem, propter vetustatem, & propter maiorē totius rei fidem atque authoritatem, LEONIS ipsius verbis subijciam. *In nocte natalis* Domini, *qua lux sæculorum est orta, nos duodecim socij, in vanitate & insania venimus ad locum qui dicitur* Colebecta, *ad Basilicam dedicatam sancto* MAGNO *martyri, sanctæque* BVCCESTRAE *eius sorori. Dux nobis erat nomine* Gerleus, *ceteri quoque duodecim maioris fidei gratia, nos miserandi sic sumus dicti*, Theodoricus, Manoldus, Otbertus, Bono, Gerardus, Verselo, Astelmus, Eolfwoldus, Heldebrandus, Aiuardus, Benna, Odricus. *Quid moramur infelicitatem nostram exponere? Tota causa hæc erat damnosi conuentus nostri, vt vni sodalium nostrorum insuperbia, & in abusione puellam raperemus, Parochiani filiam nomine* Roberti, *Puella vero dicebatur* Ana. *Non* * *virginalis natiuitatis* Domini, *non christianitatis memoria, non totius fidelis populi ad ecclesiam concurrentis reuerentia, non diuinæ laudis audita præconia, imprudentiam nostram à tanta temperant audacia. Mittimus geminas puellas*, Mersuuidem & Wibetinam, *quæ similes similem de ecclesia allectarent, ad iniquitatis nostræ choream, quam venabamur prædam. Quid hoc aucupio? fœlicius? adducitur* Ana *vt auicula irretita, collegit aduenientes* Bono, *tam ætate prior quam stultitia. Conserimus manus, & chorellam confusionis in atrio ordinamus. Dux furoris nostri alludens, fatale carmen orditur* Gerleus. *Equitabat* Bono *per siluam formosam. Quid stamus? cur non imus? Istud ioculare incœptum infelo Dei iudicio miserabile est factum. Istud enim carmen dies & noctes incessabiliter girando, per continuum redintegrauimus annum.*

* *Sic habet MS. sed forte legendum, Non vigilia.*

† *Ita in exemplari forte esset infelicius, vel fœlicius.*

QVID *multa? Finitis nocturnalibus sacris, prima missa tantæ noctis reuerentia debita incipitur; nos maiori strepitu, quasi Dei ministros ac Dei laudes nostro perdendo choro superaturi, debacchamur. His auditis, presbyter de altari ad ecclesiæ ianuam congreditur, nosque emissa voce, vt diuinitati daremus honorem, & more christianorum intraremus ad diuinum officium contestatur. Sed cum nemo acquiescere vel audire vellet, obdurato corde, sacerdos diuino zelo Dei vltionem, per sanctum* MAGNVM *martyrem imprecatus est nobis, &, Ab isto, inquit officio, ex Dei nutu amodo non eseretis. Dixerat, atque ita nos prolata sententia alligauit, vt nullus nostrum ab incœpto cessare, nullus ab alio dissolui potuerit. At presbyter mittit filium nomine* Azonem, *vt raptam de medio nostrum, ad ecclesiam adducat* Anam *suam sororem, sed non ita resolubilem iniecerat nobis manicam, nimisque tarde ei filiæ salus venit in memoriam. At ille patrio præcepto, arreptam manu sororem trahebat. Inauditum sæculis miraculum! totum brachium sequutum est, suaque compage auulsum, in manu trahentis vltrò recessit; atque illa cum reliquo corpore sociali choro inseparabilis adhæsit; maximóque hoc maius additur prodigium, quia ex hausto brachio, nulla gutta sanguinis effluxit. Refert filius patri munus lamentabile, refert partem natæ, quasi ramum de arbore, cetero corpore remanente, cum tali animaduersione. En pater, suscipe, hæc est soror mea, hæc filia tua, quam tu iussisti adducere. Tum ille luctuosus, & sero pœnitens sententiæ suæ, solum brachium sepelit superstitis natæ.*

MIRACVLIS *miracula repensantur. Sepultum membrum inuenit, sequenti die* * *summo tenus proiectum. Iterum sepelit, iterum postera die inhumatum reperit. Tertio sepelit, tertio nihilominus die altius eiectum offendit; quod vltro temptare timens, in ecclesia brachium condidit. Nos nullo momento intermittimus chorizando circuire, terram pede pulsare, lachrymabiles plausus, & saltus dare, eandem cantilenam perpetuare, semper vero insultabat nostræ panè cantilenæ regressus, Quid stamus? cur non imus? qui nec restare, nec circulum nostrum mutare potuimus. Sicut ante nullus alius rerum nobis dabatur modus. Ita quicquid est humanæ necessitatis, nec fecimus, nec passi sumus. Reuera enim, in toto illo anno districtæ expeditionis nostræ, nec comedimus, nec bibimus, nec dormiuimus, sed neque famem, neque sitim, neque somnolentiam, nec quicquam carnalis conditionis sensimus. Nox, dies, æstas torrida, hyems gelida, tempestates, inundationes, niues, grandines, vniuersa aeris intemperies, omnino nos non tange-*

* *Ita in exemplari, forte esset humo tenus.*

re, nec lassati sumus circulationis diuturnitate. Non capilli, non vngulæ nostræ crescebant, non sunt attrita vestimenta nostra. Ita clemens erat pœna, ita nos suauiter torquebat superna clementia. Quas terras hæc fama non adyt? Quæ gens, quæ natio ad hoc spectaculum non cucurrit? Ipse Christianissimus Imperator HENRICVS, *vbi audiuit, à facie Altissimi Imperatoris vt cera à facie ignis defluxit, suffususque vbertim lacrymis, iudicia Domini vera magnificauit. Tunc à cœli turbine defensoria fabricari, sed frustra laborauerunt artifices lignarij, quia quicquid in die ædificabatur, in nocte subuertebatur. Nec semel, hoc bis, hoc etiam tertio inceptum, & cassatum est.*

SIC *nobis cum toto anni circulo sub nudo aere rotatis, rediit, mundo fausta, & remediabilis nox Dominici natalis: illa nos alligauit, illa reuersa absoluit: in eadem quippe hora temporis resoluti, qua vel cœpimus iocari, vel constricti sumus ore sacerdotali, repentina violentia, in ictu oculi, singuli manibus ad inuicem sumus excussi: subitòque in pauimentum proiecti, post longas vigilias, triduo integro obdormiuimus immoti. Tertio demum die, vbi per resurgentem a mortuis resurreximus atque erecti sumus, comestu longæ inquietudini, tu causa & exemplum tantæ animaduersionis, quæ dextram amiseras datam, locus prænaricationis tam tuos labores finieras; & somno perpetuæ pacis vti credimus dedita, quiescebas* Ana *puella, paterna virga nobiscum percussa: nobis surgentibus, iacebas mortua, stupor & tremor omnibus, videntibus hæc, facta. Beata cuius perijt vnum membrum, ne perires tota, quæ diuinis flagellis à corruptione seruata, & moriendo à morte es liberata. Ipse quoque presbyter* Robertus, *proxima nocte filiam est sequutus. Brachium verò puellæ insepelibile, Imperator* HENRICVS *auro argentoque fabricatum, ad exemplum Dei magnalium in ecclesia iussit dependi. Nos licet ab inuicem essemus dissoluti, tamen eosdem saltus & rotatus, quos simul feceramus, fecimus singuli, atque ita singuli iactu membrorum videbamur tumultuari. Stipat nos frequens populus, & intuetur nos quasi tunc primum cœpissemus. notant vestes nostras, crines, vngulas, & cetera spectabilia, inueniuntque eodem modo omnia, quo fuerant ante fera discrimina, munda, nitida, integra.*

Videtur locus iste vitiosus in exemplari.

ITA *ergo ab inuicem, quasi conuersa in aliam vindicta pœnam, sumus seiuncti, vt qui prius non poteramus separari, iam non possumus amplius congregari, ita vagamur per omnes terras dispersi; & quibus antea nusquam licuit prodire, iam nusquam liceat stabiles durare; quocunque fuimus, iste nos rotatus membrorum fugat & comitatur. Iamque nobis plures anni tam districtæ euagationis censentur, propitius Deus illi propitietur, quicunque pys precibus, nostram vicem miseretur.* Et hactenus quidem LEONIS narratio, ab ipsius verbis petita. Quam secum commemoratus *Theodoricus* ad rei maiorem fidem, vbique circumtulit. Et vt alij ad alias regiones sanitatis recuperandæ gratia diuertêre, opem Dei & Diuorum, ad eorum beatas reliquias imploraturi, ita *Theodoricus* in *Angliam* appulit, & cum multa sanctorum sepulchra inuisisset, venit tandem ad beatæ huius Virginis sepulchrum *Wiltoniæ*, ÆDOVARDO pio Rege atque confessore tum imperante, vt author meus eorum temporum æqualis refert. Qui inter alia & hæc verba habet. Romanus orbis nouit, & hodierna iuuentus recolit, hominesnoua inquietudine corporis diuinitus percussos, & vbiuis gentium peruagatos, ex quibus quatuor nobis conspecti, & adhuc superesse possunt aliqui. Hæc ille.

Intidi in vitu flum quendam Ebora aut Dunelmensi vt arbitror ecclesia co dicē In quo hoc miraculum repertio, sed authoris nomen non exprimitur.

CVM itaque *Wiltoniam* aduenisset, & totum illius corpus miserabili spectaculo, horrendo illo tremore concuteretur, qui agrestiori erant ingenio, eum quasi insanum & mente alienatum horrere: sacræ vero Virgines hominis calamitati piè indolere. Ille interim narrationem illam LEONIS, quam recitauimus, de se & socijs conscriptam è pera profert, & legendam omnibus exhibuit. Quæ mira legentes & audientes, omnes stupore perculsit. Assidet postea *Theodoricus* Virginis sepulchro, & supplex opem illius, & apud Deum precum patrocinium die noctuque implorat, Aduenerat iam ille dies, quo Christus de illibata Virgine conceptus erat, & ceteris post sacra è templo egressis, ille sepulchro officiosè, & continuatis precibus adhæret, vbi repente obdormire cœpit, somno deinde excusso, sensit etiam longum, & horribilem illum morbum à se excussum, & antiquam corpori sanitatem redditam. Ad quod spectaculum populus magna frequentia obstupefactus occurrit, sanitatem redditam mirari, & lætari omnes ob hominem miserum à tantâ calamitate explicatum, gratiæ Deo ab omnibus actæ. *Theodoricus* cum primis, ad quem totius huius beneficij fructus potissimum redundabat, mira gestire lætitia, quod Dei atque Beatæ Virginis, cuius vix nomen proferre poterat, ope, salutem quam tot annis & locis frustra quæsierat, in ANGLIA, quasi in altero quodam mundo, recuperasset. Deo itaque & Beatæ ÆDITHAE gratias, quantas mens illius capere potuit maximas, officiosissime agebat. Ita, qui natali Christi die, ob sacrum illum diem nefarie profanatum atque contami-

natum,

natum, pœnis illis diuinitus erat implicatus, eo ipso die, quo Christus ex intemerata matre atque virgine conceptus erat, ab illis est expeditus.

Eo autem tempore quo hæc contigere, *Brithina* sacris virginibus Wiltoniæ præposita erat. Cui quid contigerit, cum sacro baptismate perfunderetur, cum & ad historiæ nostræ scopum, & ad EDITHAE quoque historiam atque laudem respiciat, nos hoc iam loco recensebimus, Trigesimo illa post obitum EDITHAE die, nata est ex parente illustri. Rogata vero fuit ante obitum EDITHA vt prolem, quæ fortè nasceretur, de sacro fonte susciperet, & pro ea de more ecclesiæ sponderet. Suscipiam, inquit, si Deo visum fuerit. Sed illa prius nata est cælo, quam *Brithina* mundo. Infantem itaque cum ELPHEGVS Episcopus sacris aquis expiaret, & inter alios ecclesiæ ritus cereum manu accipiens, diceret, Accipe puella lampadem, qua illustrata, ad Domini tui nuptias accedas; ecce infans, quasi quæ dicerentur intelligeret, & manum vltro protendit, & acceptum cereum eadem constanter & firmiter continebat. Qua ex re ELPHEGVS cum reliquis admiratione perculsus est, & mox ille parentibus: Infantem hanc Deo soli educate, & postquam ablactata fuerit, diuinis eam ministerijs atque obsequijs, in hoc virginum cœnobio totam denouete atque consecrate. Sed redeamus iam vndè diuertimus.

Ioan Capg in vita Edith.

VT *Theodoricus* ita & alij, qui eadem cum illo calamitate implicati erant, & varias regiones peregrinando, quo sanitati restituerentur, peragrabant, literas secum detulere, quæ causam calamitatis & infelicitatis suæ complectebantur, & inter alios *Orbertus* commemoratus. Quas dictauit *Peregrinus Coloniæ* Archiepiscopus, beati *Hereberti* successor. Quæ & illud testabantur; *Herebertum*, ad vicum illum hac istorum calamitate nobilitatum, anno emenso venisse; & *Orbertum* atque socios, à sacerdotis execratione exolutos, in templum induxisse, ibique mox non modo filiam illam sacerdotis, sed & illas alias duas feminas spiritum exhalasse. Hanc historiam de miserorum istorum calamitate, ex nostris [a] *Matthæus Westmonasteriensis* [b] *Florentius Wigornienſis*, [c] *Guliel mus Malmesburiensis*, & chronicon quoddam à [d] *Ioanne* quodam gallicè scriptum (cuius fortè author monachus fuit *Cantuariensis*, res illius cœnobij tam accuratè prosequitur) describunt. Et *Guliel mus* quidem atque *Florentius* ipsas *Peregrini* literas recitauit, quas se *Guliel mus* ab ipso *Peregrino* accepisse narrat. Atque hæc quidem historia non multum abhorret ab illa, quam diuus *Augustinus* recitat de decem fratribus, quorum septem masculi, & tres feminæ ex *Cæsarea Capadociæ*, nisi quod isti in similem quidem morbum ex imprecatione matris, quam verberibus impiè pulsarant, illi ex sacerdotis, quod natalem Christi nefariè prophanassent, inciderint; & fratres illi quidem longinquas regiones, Dei & diuorum apud illorum tumulos opem, piorumque hominum preces imploraturi petiere. E quibus frater vnus, cum sorore in *Africa* apud *Hipponem*, vbi *Augustinus* Episcopatum gerebat, ad proromattyris STEPHANI beatas reliquias, vt *Theodoricus* in ANGLIA, morbum magno omnium stupore depulit. Brachium autem illud, à muliere, vt diximus, auulsum, in ANGLIAM sequenti sæculo, ad rei gestæ memoriam & monumentum allatum est.

a *Anno* 1018.
b *Anno* 1021.
c *Lib* 2. *de reg. ca.* 68.
d *Scripsit eulogari Gallorum idiomate à Bruto ad ann.* 1341. *Quod incipit chronicon ex multis ex Mariano Edmero, aliisque scriptoribus qui aut interesse, aut vidisse sunt. Appellat chronicon Postillarum Augustini de ciuit. Dei. 22.*

Vt refellatur Polydorus ex Edmer. ad an. 1098.

De Wigorniæ *& aliis* Merciorum *Episcopis, de variis cœnobijs hoc sæculo in* Mercia *structis aut reparatis; deque singulari certamine* Guidonis *Comitis* Waruicensis *cum* Colbrando Daco, *homine giganteæ magnitudinis.*

e *Flor. an.* 918. & 915.
f *Flor* 922.
g *Floril.* 930.
h *Floril.* 957.
i *Floril.* 960.

CAPVT XI.

POST HEREFERTVM siue VVEREFERTHVM [c] ATHELHVNVS *Wigornienſem* regit ecclesiam Abbas *Borcestrensis*, post eum [i] WILFERTHVS tumE KINEVOLDVS, deinde DVNSTANVS, [b] OSWALDVS postea *Eboracum* inde transmigrans. Ad quem locum narrationem de eo nostram referemus. Postremus hoc sæculo fuit EADVLPHVS. Et hæc quidem *Matthæi Westmonasteriensis* nomenclatura illi consentanea est, quam tradit *Florentius Wigornienſis*. A quibus tam index qui *Mariano* præfixus est (qui fere cū *Florentij* catalogo in alijs congruit) quā *Malmesburiensis* dissidet. De *Maiseuetis* seu *Magesetis*, siue *Herfordensibus*, nil memoratu dignum reperio hoc sæculo. Nec de *Lichfeldiensibus*: aut *Dorchestrensibus*

Index ille Mari. præfixus post Æl. Winum subiicit Ethelhunum Wefterthum, Hereferthum, KineWoldum. *At Mal post* Alwinum, Hereferthum, Ecelinum, Wilferthum, Chinewoldum.

Dorcestrensibus. Imo ne nomina quidem *Herfordensium* reperio apud *Matthæum Westmonasterien-*
sem, à CELMONDO, quem dicit ESNE, ad annum octingentesimum octuagesimum
quintum successisse, ad ETHELSTANVM, qui obijt anno milletimo quinquagesimo
Hæc nomenclatura conuenit cum ea quæ prefixa est chronico Mariani. sexto. Intermedios ad hunc ferè modum *Gulielmus Malmesburiensis* & *Florentius* recensent
VTELMVM, VLFERDVM, BENNAM, EDVLPHVM, CVTVLPHVM, siue CV-
THVLPHVM, MVCELVM, DEORLAFVM, CINEMVNDVM, EDGARVM, TI-
DHELMVM, VLFEMVM siue VLFELMVM, ALFRICVM, ATHVLPHVM. *Dorcestrium*
& *Legeceastrensium* prius recitauimus catalogum. Cetera itaque despiciamus. Celebre igitur
illud, de quo alias diximus, *Wichelcombense Wigornensis* diœceseos cœnobium, nudum hoc
tempore nomen retinuit. Sed OSVALDI *Eboracensis* diligentia, & *Germani* Abbatis stu- 10
dio & opera, quem à *Floriaco* secum aduexerat, tam possessionum, quàm doctrinæ & pieta-
tis luculenta accessione reflorescere cæpit.

Idem. Capgr. in vita Oswaldi. PERSORENSE temporibus EDGARI conditum tradit *Malmesburiensis* ab *Egeluardo* Dor-
setano duce, cui OSVALDVS *Fulbertum* Abbatem dedit. Quod cum postea temporum
Ex monumentis eorundem. Teuchesbir. iniuria corruisset, maiorem possessionum partem EDOVARDVS & GVLIELMVS Reges
Westmonasterio addiderunt. Sed fortè non tam primo conditum est ab *Egeluardo*, quam
restitutum. Nam videtur fuisse cœnobium octauo ante sæculo, vbi ODDO & DODDO
Merciorum id temporis reguli sepulti sunt. *Huntingdonensis* vero Comitatus complectitur
Burgense, de quo antea diximus, & *Ramesiense cœnobium*. *Burgense* siue *Petroburgense* à princi-
pali ecclesia Diuo PETRO consecrata, *Medehamsted* ium ante dictũ. Postquam OSVALDVS 20
hoc sæculo cœnobium, muris concluſum, & cui tota pæne vicina regio parebat, instar vrbis
(quod *Burgum* appellamus) ample exornasset, nouum illud sibi nomen asciuit. Per quem &
Ramesiense eiusdem Comitatus cœnobium, *Egelumi Orientalium Anglorum* Comitis ope, atque
liberalitate sultum extruitur. Solemnia dedicationis peracta anno nongentesimo nonages-
mo primo. Huic cœnobio *Ednothum* præfecit, & huius cœnobij scholæ *Abbonem Floriacen-*
Gul. Malm. Ioan. Capg. in vita *sem* monachum, virtute & literarum scientia, & monasticæ disciplinæ peritia insignem præ-
posuit. Quin & illud *Eliense* cœnobium à sacris olim virginibus, & propter memoriam di-
uæ ETHELDREDAE celebre, à Dacis incensum, constituit, amplissimisque de suo posses-
sionibus auxit. Præfecit vero monachis BRITHNODVM. Constituit & *Torneiense Benedicti-*
norum in insula *Elienſi* cœnobium, cum locus paluſtris vepribus & dumetis (vnde & nomen 30
hausit) esset totus oppletus. Locus propter solitudinem, cælesti philosophiæ meditandæ ac-
commodatissimus, vbi & ipse ETHELWOLDVS solitariam, & eremiticam vitam transi-
Incipit' vniuersis Septembris An. anno 978. gere cogitauerat. Cui & ipse cœnobio aliquandiu præfuit, vt testatur rex EDGARVS in
rescripto quodam suo de eiusdem cœnobij exædificatione per ETHELWOLDVM, quod
amplissima sua authoritate confirmat, multisque priuilegijs possessionibusque adornat. Vbi
& de *Tancredo*, atque *Thorteredo* mentionem facit, qui anachoreticam ibi vitam traduxerant,
quorum alterum confessionis, alterum martyrij gloria insignem facit: deque *Toua* eorum so-
rore, quæ solitariam eodem loci vitam transegerat. Recenset etiam possessiones quibus E-
THELWOLDVS cœnobium auxerat, & inter alia, quod tanta anguillarum copia stagna
illa redundarint, vt sedecim quotannis *Angullarum* millia in illis caperentur. Eximit cœnobium 40
ab omnibus publicis oneribus, præterquam pontis & arcis reparandæ. Se denique & succes-
res suos Reges, eiusdem cœnobij patronos & tutores constituit, vtque defuncto cœnobij
præfecto, alius ex eiusdem cœnobij cohorte, ex voluntate & consilio Regis eligatur. Com-
plectitur eadem prouincia Comitatum *Cestrensem*. In quo præfuit hoc sæculo cœnobio sa-
crarum virginum *Polleſuerthij* EDITHA pia mulier EDGARI Regis soror.

NEQVE hic silentio præterire debeo celeberrimum illum *Varuicensem* Comitem *Guido-*
nem, fortissimum patriæ assertorem & *Danicæ* insolentiæ vindicem. Peregrinatus erat ille re-
ligionis & pietatis ergo in exteris nationibus. *Daci* interim in ANGLIAM, ad totius patriæ
excidium confertim ruebant. Tandem cum infinita strages vtrinque ederetur, in hanc sen-
tentiam Rex ATHELSTANVS, & *Daci* communibus suffragijs abierunt, vt si pro totius 50
patriæ salute ETHELSTANVS militem *Anglum* produceret, qui cum *Colbrando Daco* sin-
gulari certamine confligeret, eumque superaret, *Daci* ANGLIS imperium cederent; sin
pugil *Anglicus* obrutus esset, *Dacorum* ipsi Imperium agnoscerent. Admissa vtrinque con-
ditione, valde solicitus fuit ETHELSTANVS, cum nemo facile reperiretur, qui auderet cum
homine immanis, & Giganteæ corporis vastitatis, atque roboris congredi. Appulit inter
has angustias, quasi in ipso temporis articulo, *Guido* apud *Portismutum*, rectáque ad curiam

Regis

Regis contendit, ignotus & peregrini habitu tectus. Quem ETHELSTANVS, graui cura huius pugnæ saucius, per quietem admonitus est pugilem seligere, qui cum nouo illo *Philistæo* ac *Goliath*, committeretur. Qui tandem, licet multa sui purgandi causa, pugnámque deprecandi attulisset, commissus est, & ancipiti diu certamine, dubióque Marte cum eo luctatus est, aliàs superiores, aliàs inferiores pugnæ partes sortitus. Et cum iam supremum ac præsens immineret, gladio confracto, periculum, repentè in *Colbrandum* irruit, sicamque ei præripuit, & eadem nouus quidam *Dauid* patriæ, & Dei immanem hostem glorioso triumpho confecit. Nec retinere eum postea potuit, licet amplissima omnia ei promitteret ETHELSTANVS, sed nec quis esset, ei se prodere, nisi sacrosancta silentij stipulatione voluit. Recessit igitur vsque ad obitum incognitus, & vitam deinde solitariam, instar eremitæ, non procul à *Varuico* transegit. Obiturus verò se demum prodidit. Pugna illa inita est propè nouum cœnobium *Wintoniæ*, in prato quod *Hide* modò appellant, olim *Denmarche* appellato. In monumentum vero victoriæ, multis postea sæculis (& forè ad nostrum) sica illa inter cimelia cathedralis ecclesiæ *Wintoniensis* reseruabatur. Quam nostra lingua *Colbrandes axe*, id est, *Colbrandi* sicam, appellabant.

Ann 929. tertio Ethelstan. 4. Idus Iuly

Hanc historiam habent Thom. Rudburnus in breuiore chronico Dictum chronic. noui cœno Wint. & alia antiquum Winton. monumentum scriptum ante annũ 449. incipit paganitas in Britannia Gir. Cambrensis in. Ludgat Fas. p. 6. c 182. Columnas qui vixit ad tempora Regis Ioannis.

De Diuo OSWALDO *& reliquis Archiepiscopis* Eboracensibus *& Dunelmensibus, deque variis huius sæculi Episcopis, quorum nomina non visuntur apud authores, qui eorum historiam describunt.*

CAPVT XII.

VLFERO [a] mortuo, Archiepiscopatum suscepit ETHELBALDVS, ad annum [b] nongentesimum, & quarto post anno pallio honestatus est. Hunc secutus RODEVALDVS siue [c] RODEVARDVS, RODEVARDVM WOLSTANVS. Cuius & ODONIS *Cantuariensis* consilio, in expeditione illa contra *Analaphum Dacum*, cum immensa militum vtrinque strages ederetur, EDMVNDVS pacificationem cum illo ita iniit, vt *Transhumbranas* ille regiones teneret, ipse reliquum. Sed *Analaphus* cum proximo anno ecclesiam Sancti BALTERI & *Tumingamensem* igne absumpsisset, statim è medio interceptus est, EDMVNDVsque ditionem illius in suam redegit potestatem. VLSTANVM ETHELSTANVS Rex in vincula coniecit, quod in Dacos pronior & iusto propensior videretur. Sed non ita multo post è carcere dimisit. Sed ille exiguo tempore superuixit. Hæc quidem *Malmesburiensis*. Sed tamen ne hic ei applaudam, reliquorum historicorum frequentior consensus, & res ipsa cogit. Nam non solum ETHELSTANI sed & EDMVNDI tempora transcendit, & ad postremam EDREDI Regis tempora peruenit. A quo carcere [d] claulus dicitur ob *Theodfordenses* ciues ab eo occisos, necem *Aldelmi* Abbatis vindicante, quem illi iniuste peremerant. [e] Quanquam & alia fortè causa satis idonea suberat. *Northumbri* enim post datam EDREDO fidem, alium sibi Regem perfidè asciuerunt, cum quibus se forte VLSTANVS coniunxit.

SEDEM deinde Pontificalem tenuit post eum [f] sexdecim annis OSCITELLVS, tum [g] ADELVALDVS, qui tranquillioris vitæ apperens, Episcopatum dimisit, eumque deinde diuus OSVALDVS [h] egregie administrauit. Is patruum habuit ODONEM *Cantuariensem* à quo sancte atque pie educatus, literisque sacris pro ætate eleganter informatus, canonicatu [i] *Wintoniensi* honestatus est. Sed cum clericorum corruptos & adulteratos mores ferre non posset, nec suis admonitionibus locum vllum dari vidisset, ipse in ipsa iuuentute profectus est *Floriacum*, vbi corpus diui *Benedicti* quiescit, & vbi monastica disciplina illis temporibus ad vnguem conseruabatur. Monachum ibidem induit, in sanctis exercitijs nemini deinde secundus. In cibo somnoque capiendo, valde in se rigidus, in sermone valde cautus & temperatus, patientia, mansuetudine, animi demissione, & sincera sua in omnes beneuolentia omnium sibi animos deuinciebat Orationibus & sacræ scripturæ lectionibus magnum tempus tribue-

a Elor. an. 995.
b Ann. 900. Vita, Ebor.
c Gul Malmes. vit Eccor. Flor anno 940. & 941 Gul. Malmes.
d Mar. & Sim. Dun. Im. 912. Flor. 931.
e Sim Dun. 950. & Marian. 949 Flor 948
f Vita Ebor Varias Vlftani in regyt diplomatibus subscriptiones inter monumenta scepton. cœnob. reper o An. 912. 941. 949 954. 956. Ille verò an 942. sua subscribit. Ego Vlftan Archiep. urbis Eboracæ metropolitanæ.
g Vita Ebor. & Polid sed reliqui vt Gul Mal Mar Flor Sim. Dun. Florent nihil de eo, qui Ositelo, Oiwaldum sub. stituunt Ositelus autem Ositelus Saxonice idem sonat manum. Scapt appellatur.
h Saxonice Oswodo Ego Oswodo Archiep. consensi, vt patet in dict monum. Anno 984 quo subscribit Athel. diedi Regis diplomati.
i Mal. lo. Capg.

tribuebat. Quorum illius,& ceterorum ornamentorum cum certa fama ad ODONEM peruolaret,mirificè oblectatus,illum ad se accersit;ille miras moras nectere,multaque tergiuersari. Sed tandem periculosę ęgrotationis patrui accepto nuncio, iter ingressus, cum *Cantuariam* veniisset defunctum eum inuenit. Cui cum iusta persoluisset, reditionem meditabatur, in veteri illa sua vita totus acquiescere cogitans. Sed tandem suorum precibus (qui eius valde necessariam patriæ operam importune flagitabant) cessit, inuisitque OSCITILLVM cognatum, primò *Dorcestrensem*, deinde *Eboracensem* Episcopum. DVNSTANVS interea cum iam *Cantuariam*, relictis *Wigornienſi* & *Londinensi* sede, migrasset; cum OSWALDI virtutes singularesque dotes accuratè nouisset, mirificè erga eum affectus, egit cum Rege EDGARO, vt *Wigornienſi* eum dignitate ornaret. A qua tamen non tam ille ornatus est, quàm eam singularibus suis,& Episcopo dignis dotibus honestauit, atque ornauit.

ILLVSTRE suis ille vitæ præbebat exemplum, eosque, diœcesim diligenter & sæpe obiens, salutari pauit doctrina. Et cum non aliter viueret, quàm doceret, plurimos ex eis etiam clericis, qui valde dissolutè id temporis viuebant, ad sui æmulationem prouocauit. Sanciuerat DVNSTANVS in Synodo,ex authoritate IOANNIS Romani Pontificis, vt clerici, qui præcipuas obtinerent ecclesias, & contra canonum & ecclesiæ scita, concubinas aut vxores palam tenerent, castius & integrius viuerent, aut ecclesijs illis excuterentur. Sed cum surdis (propter longiorem peruersæ consuetudinis vsum, temporumque exulcerationem) fabula caneretur, DVNSTANI, OSVALDI, & ETHELWOLDI *Wintonienſis* opera, regia etiam illis EDGARI authoritate opeque communitis, excussi sunt clerici, & monachi suffecti. Qua in re quantum OSVALDVS præstiterit, pauló ante recensuimus. Sed ad hoc VVIGORNIAE non tam violento quodam imperij impetu perrupit, nec tam extorsit continentiam, quàm sancta quadam, prudentique circumuentione, fraudeque persuasit, & blandè elicuit. Cum enim principalis ecclesia D. PETRO consecrata esset, ille aliam in honorem genetricis Dei, seorsum molitus est. In ea ille cum monachis frequentius conuersari, & orare solitus, ad eam sacra audiendi, & Episcopalem benedictionem consequendi ergò, confluebat populus. Ita clerici cum se destitutos, & pænè contemptos viderent; ingenuo potius pudore, quam vllius Imperij vi, monachorum se vitæ & disciplinæ consociarunt. Mirum est in quantam posteà magnitudinem res monasticâ creuerit, cum ad eam euehendam omnes omnia sua studia, auxilia & opes OSVALDO vltrò deferrent. *Eboracensi* interim ille ab EDGARO Episcopatu donatus est. Nec tamen à Rege, à DVNSTANO, summóque Pontifice STEPHANO, à quo *Romam* profectus pallium reportauit, *Wigornienſem* dimittere permissus; ne res ibi & alibi monastica, tenera adhuc & quasi in herbis, periclitaretur. In hoc sanctæ suæ administrationis cursu, multos doctos ex exteris regionibus, & cum primis *Abbonem*, de quo diximus, accersiuit.

Gul. Malm. Ober in vita Dunstani.

Vita Elor.

SVPERVIXIT DVNSTANO quinque, ETHELVOLDO decem annis. Quos ille solus ita virtutum suarum magnitudine repræsentare videbatur, vt leuiùs illorum homines desiderium ferrent. Multa sunt & præclara, quibus eum Deus tam viuum quam post obitum insigniuit, miracula. Quæ alij nec sine causa suspiciunt, & in oculis ferunt. Sed mihi interim mirificam sancti Pontificis animi deiectionem, humilitatémque, & in pauperibus fouendis assiduitatem, beatúmque hominis exitum recolere iam lubet. Quorum quotidie maximum numerum suis profusis sumptibus à fame, frigore, & inopia vindicabat. Atque ita erat homo, vt duodecim id genus abiectorum, & sordidorum hominum pedes aqua abluere, deinde illos dulciter suauiatus, lintheo tergere, tum abluendis illorum manibus aquam ipse præbere, & in mensa sedentibus cibos, potumque apponere, pecuniam largiri, aliaque ministri munera obire, & ad sacrum Pascha vestes etiam præbere soleret. Hæc exercitia nullæ vnquam occupationes, nulla ægritudo, ne postrema quidem excutere illi potuêre. Pridie verò quàm sanctam animam deponeret, præ foribus stans, erectis in cælum oculis, obtutum illic diutissimè, nec sine profusis lachrymis fixit. Admirati qui aderant, Ecquid ita oculos obfirmasset in cælum, interrogabant. Ad quos ille, Sinite, sinite, fratres, vt illuc oculos figam, quò pergere festino. Suprema enim mihi iam impendent huius caducæ vitæ tempora, pro qua expecto æterna. Ad hanc vocem obstupescentibus illis, qui nulla ægritudinis in eo signa videbant, ad oratorium mox reuersus, sacrosanctæ Eucharistiæ viatico se muniuit, & sacra Vnctione delibutus est. Ad nocturnas deinde horas surrexit, solitasque omnes ipse partes persoluit. Manè verò, solitum etiam pauperibus officium præstitit. Cumque iam omnibus, quæ ad lotionem & absterſionem pertinebant, peractis, pauperes

Vide Capg. Vitã Oſwaldi Senatus ſcripſit Abbas VVigornienſis.

Capg. & Mal.

gratiã

gratias de more acturi surgerent, ipséque flexis genibus, illa post reliquos psalmos verba pronunciasset, Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto, repente in Domino feliciter obdormiuit.

CORPVS eius terræ mandatum est *Wigorniæ* in commemorata B. Virginis, quam extruxerat, ecclesia. Ad cuius tumulum cum varia in dies miracula increbrescerent, duodecimo post anno ab ARDVLPHO *Eboracensi*, eius vt *Wigorniæ*, ita & *Eboraci* successore, leuatum est corpus, pretiosaque in theca, & sublimi repositum. Nec ita multo post, in eadem & ipse Ecclesia sepultus est. Fuit autem ARDVLPHVS Abbas antea *Medeshamstedensis*. OSVALDO verò & illud admirabiliter accidit, vt toto corpore cum vestibus consumpto, sola sacerdotalis stola, ad multa postea sæcula, integra & incorrupta permanserit. *Lindisfarnenses* verò apud *Concestriam* siue *Cestriam*, post EVTHREDVM siue CVTHEARDVM, hi fuere Episcopi, [a] MILREDVS [b] VITHREDVS [c] SEXHELMVS, & post paucos menses [d] ALDREDVS. Post eum ALSIVS (pro quo *Matthæus Westmonasterienſis* [e] MILREDVM, nescio qua de causa, nominat, & SEXHELMVM atque ALDREDVM prætermittit) tum [f] ALDVINVS, qui à *Concestria* ad oppidum *Dunelmi* septem miliaribus distans, cum corpore Diui CVTHBERTI omnino incorrupto & integro (quod *Concheſtriæ* centum tredecim annis manserat) transmigrauit. Vbi & Episcopalis deinde (vt antea commemorauimus in vita CVTHBERTI) sedes diuina præmonitione fixa est. *Florentius* verò, nisi deprauatum sit meum exemplar, MILREDVM, WILREDVM appellat, cui substituit SIGREDVM, tum EDREDVM, VTHREDVM deinde, atque SEXHELMVM, hinc ALDREDVM, & post eum ALSIVM, huic ALDVNVM; quam variationem satis erit indicasse. Index verò *Mariano* præfixus, post CVTHEARDVM ÆLDREDVM habet, tum WIGREDVM. Sed ipse in chronico subijcit CVTHEARDO, ad annum nongentesimum decimum quintum, TILREDVM; huic obeunti ad annum nongentesimum vigesimum octauum WIGREDVM, & huic obeunti ad annum nongentesimum quadragesimum quartum VTHREDVM. In quibus & reliquis *Simeon Dunelmensis* cum eo conuenit. Apud *Simeonem* itaque [g] EARDVLPHO defuncto succedit CVTHEARDVS, & illi post quindecim annos [g] TILREDVS. Tum [h] WIGREDVS, VTHEREDVS, SEXHELMVS, ALDREDVS, [i] ELFIGIVS, tum ALDVINVS. SEXHELMVS verò paucis mensibus in episcopatu permansit. Qui cum sordide & auarè in munere se gereret, multosque suos molestius & iniurijs vexaret, per somnum illi CVTBERTVS apparuit, & mandauit vt ab episcopatu se abdicaret, & alio discederet. Sed cum ille post primam atque etiam secundam id genus admonitionem, abitionem procrastinaret, tertio eum idque valde terribiliter aggressus est, iubens, vt primo quoque tempore inde se propriperet, neque quicquam ex rebus ecclesiæ secum efferret, præsens alioqui illi exitium imminere. Vnde ille valde exterritus, & morbo simul correptus, properè abijt. Vbi verò *Eboracum* venit, sanitati redditus est, morbúmque excussit. Pro quo ALDREDVS substitutus est. ALDVINVS autem multis dotibus, egregio præsule dignis ornatus est, virtutumque eius memoria quasi recens, multis postea annis in illa regione frequenti hominum sermone, atque laude excolebatur. Quanto autem affectu, & quam mirifico populum amore prosequebatur, exitus ipsius illustri est documento. Illata est CANVTO regnante, atrocissima prouinciæ illi per *Scotos* clades. Quam ille tam ægro animo tulit, vt non modò valdè illi indoluerit, sed & Diuum CVTHBERTVM precatus sit, ne illi populi cladi superesset. Et post paucos dies morbo afflictatus, desiderio potitus est. Ex viginti nouem annis, quos in pontificio munere transegit, quinque apud *Cestriam*, viginti quatuor apud *Dunelmum* exegit.

VT autem curiosiori lectori satisfaciamus, significabimus etiam qua ratione *Matthæus Westmonasterienſis* huius sæculi Episcopos digerat & recenseat. Post CVTHARDI itaque obitum, sufficit [k] MILREDVM. [l] TILREDO autem obeunti WITHREDVM [k] Alterum ille rursus MILREDVM habet, cui [m] defuncto ADVNVM substituit. Reliquos non habet. Illud etiam ex abundanti iam subijcimus, apparere satis luculenter ex *Sceptonienſis* cœnobij monumentis, fuisse & alios huius sæculi Episcopos, quorum nullus, in quem hactenus incidimus, authorum (quantum adhuc obseruauimus) mentionem faciat. Visuntur ibi multorum Episcoporum (quorum tamen sedes non ascribuntur) subscriptiones.

An. 992.

Alias Adulphus *siue* Edulphus.

a *Vita Dunst.* appellat Tilredum. & *Flor. ad.* 917. *sicut an.* 915 Milredum

b *Ad an.* 927. *Flor. Maria* Vigedum *appellat.*

c *Alias Sephelmus*

d *De quo nil in Floril.*

e *Anno* 990 & *vita Dunelm. appellat* Eilmum

f *Vita Dunelm. Mar. & Florilegus anno* 975.

Eardulph. obiit anno 901

g *Sedit annis* 13.

h *annis* 17.

i, 32 *Quem alij* Alfinum *siue* Elfinum *appellant.* *Cuius mortem Marianus refert ad anno* 990.

l *Sedit annis* 29 *Simeon in vita Dunelm. l.* 2. *c.* 20

Simeon l. 3. *c.* 5.

k *An.* 915.

l *An.* 927.

m *An.* 990.

scriptiones. Quarum vt aliquas ex idoneis,& certis coniecturis deprehendimus, earumque Episcopos suo iam loco recensuimus, ita quorundam sedem adhuc exploratè non cognouimus,nec eorum nomina alibi adhuc, vt diximus, occurrunt. Quorum tamen subscriptiones, regijs hoc sæculo diplomatibus affixæ,visuntur. Inter quos est [a] ALPHEC *Pitauiensis* ecclesiæ (de qua alibi non lege) Episcopus, nisi fortè vitiosum sit exemplar,& vox *Pitauiensis* pro *Wintoniensis*, per errorem librarij supposita. Huc accedunt [b] CENWODO, ALVRIC, & BVRGRIC Episcopi. Et fortè CENWODO CHINEWEDVS siue [c] CHERNWOLDVS *est* *Wigorniensis* Episcopus. Sunt præterea [d] ALVRED, ALVRIC, BVLGRIC, Episcopi. Neque idem est ALVRED & ALVRIC,cum separatim eodem anno & tempore subscribant. Est & [e] VLSIGE. Sed ille,ni fallor, est VLSIVS ille *Fontanensis* (de quo diximus) Episcopus. Est [f] DANIEL, est LEOFWINVS, est CINSIVS, est & CHENWARVS. Sunt & alij,quos non est necesse curiosiùs excutere. De his lectorem admonuisse sufficerit.

[a] *Anno 915.*
[b] *Qui anno 948 subscripsere*
[c] *Cuius mortem Marianus & Sim. Dun. in annum 959 referunt.*
[d] *Qui subscripsere anno 942.*
[e] *Qui subscribit 948 956*
[f] *Quorum subscriptiones visuntur an. 956.*

Finis decimi sæculi.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ ANGLICANÆ VNDECIMVM SÆCVLVM.

DE ROMANIS PONTIFICIBVS IMPERATORIBVSQUE & Angliæ Regibus huius sæculi.

CAPVT PRIMVM.

AGGREDIAMVR iam, diuina ope freti & fulti, vndecimi sæculi Ecclesiasticam historiã, quod à SILVESTRO *secundo* per hos *Romanos* Pontifices, IOANNEM *decimum septimum*, IOANNEM *decimum octauum*, SERGIVM *quartum*, BENEDICTVM *septimum* siue *octauum*, IOANNEM *decimum nonum*, BENEDICTVM *octauum*, siue *nonum*, GREGORIVM *sextum*, CLEMENTEM *secundum*, DAMASVM *secundum*, LEONEM *nonum*, VICTOREM *secundum*, STEPHANVM *decimum*, BENEDICTVM *nonum*, NICOLAVM *secundum*, ALEXANDRVM *secundum*, GREGORIVM *alium*, VICTOREM *tertium*, VRBANVM *secundum*, diffunditur. Ad clauum vero occidui *Romani* Imperij, hi sedere. *Henricus*, *Conradus*, *Henricus alius*, *Henricus tertius*. ANGLIAE interim Reges fuere, EDMVNDVS, post ETHELREDVM, CANVTVS *Dacus*, HARALDVS *Dacus*, & alius CANVTVS, EDOVARDVS *secundus*, HAROLDVS, GVILIELMVS *primus Normannus*, & post eum filius eius GVILIELMVS *Rufus*. *Onuphrius.*

De EDMVNDO, CANVTO Daco, HARALDO primo Daco, & HARDECANVTO Daco, ANGLORVM *Regibus, & indigna cæde* ALFREDI *filij* ETHELREDI *Regis*.

CAPVT II.

DEFVNCTO ETHELREDO, varias in factiones hominum studia scindebantur. ANGLI in EDMVNDVM *Ironside*, id est ferrei lateris, propter laterum firmitatem, & fortitudinem corporis dictum: at *Dani* in CANVTVM, SVANI filium propendebant. Et dum vterque totum ad se regnum rapit, nulla oratio capere potest magnitudinem cædis, quæ vtrimque accidit. Cuius cum nullus videretur exitus, cautioribus consilijs huc ventum est, vt singulari certamine committerentur, & victorem regni possessio sequeretur. Aiunt deinde CANVTVM, cum valde premeretur, egisse, vt partitio inter eos fieret; & priore loco defunctus, regnum in assem ad superstitem transfunderet: EDMVNDVMque ratum id habuisse, nec multos postea menses superuixisse, vt nostrates tradunt. Qui in eam frequentius sententiam decurrunt, vt proditione interceptum asserant. [a] At apud *Saxonem* septennio post regnat. Humatus est cum auo EDGARO *Glastoniæ*. Vtcumque sit ANGLIAE totius Imperium ad CANVTVM deinceps deuoluitur. Qui etsi durius antea ANGLOS habuisset: mollius iam & lenius in dies se habuit, euasitque deinde in non pœnitendum principem. Et vt hominum animos arctiùs sibi deuinciret, regnúmque sibi & suis magis firmaret, in celeberrimo *Vintoniæ* omnium ordinum consessu, leges sanciuit oppido

Ex Gul. Malm. Flor. wig Saxon. Gram. Flor. Polydore. & innominato quodam huius sæculi authore atque alijs.

[a] *Saxo. l. 10 init. Danica dicit Edmundum iam fractis viribus hanc conditionem detulisse Canuto, nulla mentione facta, singularis certaminis. Idem affirmat innominatus eiusdem temporis author in encomio Emmæ licet dicat Edmundum singulare certamen obijsse, illum vero recusasse.*

quam salutares, per quas consultissimè & publicæ quieti, & sacrosanctæ religioni prospexit. In quibus sacerdotes vt sacris concionibus, & salutaris doctrinæ informatione populum diligenter imbuant, deque magnitudine & præstantia sui muneris, quo per miros baptismi exorcismos, & sacrosanctam Eucharistiam dæmones propellunt & profligant, & quorum sacris angelos assistere fatetur, accuratè admonet. Multæque cautiones & sanctiones sunt, & aduersus eos qui sacerdotes, qui sacras Virgines, aut sacra loca violant, & aduersus ipsos sacerdotes & monachos, qui præscriptam viuendi formulam præuaricantur; quibus omnem feminarum societatem veneris causa prorsus interdicit. Similes sunt de decimis domi, & diui PETRI denarijs *Romæ* ex fide soluendis. Aduersus eos etiam, qui dominicam orationem, & Apostolicum symbolum ignorabant, quos à Christianæ sepulturæ mortuos, & ab eucharistiæ communione viuos, & ab infantis à sacro fonte susceptione prohibet, & ne Christianorum quidem nomine dignos rèputat.

CAVTVM vt dominici diei, singularis ratio haberetur; tum ne quis reus, eo die mortis supplicio afficiatur: tum ne quis eo, aut quocumque festo die, operis quicquam terreni conficiat. Quod admissum ignorante Domino, seruus virgis luebat: Dominus vero, qui hunc vrgebat, serui dominio excidebat. Statuta vero quadragesimæ, & alia ieiunia, ne quis carnibus comedendis præuaricaretur, speciatim enumerantur, † stataque etiam tempora quibus † iustitium indicebatur, vt & solemnia Christi Diuorumque festa, inter quæ annua EDOVARDI Regis, & DVNSTANI memoria religiosè celebrabatur. Si sacerdos aut quispiam, qui ad certam religionis formulam vitam adstrinxerat, de crimine fuisset delatus: licebat missæ celebratione, & sacrosanctæ eucharistiæ perceptione se purgare, si innocentiæ suæ tantam fiduciam haberet; alioqui crimen, si clericus esset, congruæ pecuniæ satisfactione compensare cogebatur. Sed monachus neque exigebat ob iniuriam cognatis illatam, neque etiam quicquam pecuniarum ab eo, ob huiusmodi crimina exigebatur, cum iam olim rebus omnibus terrestribus repudium misisset. Matrimonia etiam ad sextum vsque gradum inter cognatos & affines, ijsdem legibus submouentur, & cum vxore cuiuscumque repudiata. Seuerè interdictum, ne quis sacerdos aliquod Christiani hominis ius ei tribueret, qui concubina legitimæ vxori coniunctus frueretur. Mulieri adulteræ rebus omnibus mulctatæ & spoliatæ (quæ ad maritum deuoluebantur) nasus insuper, & auriculæ præcidebantur, Dote etiam excidebat, quæ nubebat antequam maritum ad annum eluxisset. Si quis sacris tactis periurio se commaculasset, manus etiam ei præcidebatur, nisi eam ad arbitrium Episcopi redemisset. Aduersus nummarios iudices, & constuprata iudicia seuerè sancitum, aliaque multa ad summam tam ciuilis, quàm Christianæ reipublicæ vtilitatem. *Rowam* etiam posterioribus temporibus, religionis ergo profectus est, vbi colloquium habuit cum *Romano* Pontifice, multisque alijs Principibus, à quibus impetrauit, ne sui, dum *Romam* proficiscerentur, grauibus vt antea consuetum erat, telonijs & rapinis vexarentur. Egit etiam cum Pontifice de immoderatis illis pro pallio Archiepiscoporum suorum exactionibus leuandis, quod & impetrauit. Quæ & alia Principibus suis, missis in *Angliam* interim litteris (ipse enim *Daciam* ante reditum erat inuisurus, & res ibi turbulentas compositurus) significauit: & cum primis quod religiosè *Deo* deuouerat vitæ prioris emendationem, & intemperantis iuuentutis, totiusque præsentis ætatis admissa, varijs pietatis officijs cumulate se compensaturum.

† *Alias* statutáque.
† *Alias* iustitia.
Iutant apud Gul. Mal. lib. 2. de reg. cap. 69. & Florent Wigorn.

MAGNAM in hoc itinere in pauperes refocillandos pecuniam: magnam etiam in Ecclesias, præsertim apud sanctum *Audomarum*, & sanctum *Bertinum* effudit. Singularemque illi laudem author meus in iustitia & æquitate colenda, in pupillis & viduis defendendis, in sacerdotio honorando tribuit. Ostenditque Deum res illius in summam magnitudinem, cum illi non solum ANGLIA, sed & *Wallia, Scotia, Dacia & Norwegia* pareret, extulisse. Et valde ille certè in ANGLOS propendebat, postquam EMMAM ETHELREDI vxorem sibi adiunxisset, & ANGLORVM in illa sua contra *Norwegos* expeditione, fidem & militarem virtutem liquidò explorasset; eosque in maximo pretio habebat, quos summa & inconuulsa fide ETHELREDO & EDMVNDO adhæsisse nouerat, & sibi quoque fideles futuros ratus; sinistrè rursus de illis suspicatus, & paruam in eis fiduciam reponens, qui principes suos nefariè prodidissent: vnde & EDRICVM insignem illum perfugam & proditorem, aliquando se inde iactantem, & quasi ingratitudinem tacitè exprobrantem, è medio tolli præcepit. Celebratur & illud illius pietatis documentum. Cum aliquando littori maris astaret, & maritimus se æstus propius inferret, præcepit ne suos pedes contingeret: qui cum mox probè essent madefacti, conuersus ad suos, Vos, inquit, me perinde ac magnum quemdam princi-

Author dissi encomij qui se fuisse præsentem dicit.

Author dicti encomij.

pem

pem mirificè effertis, cum tamen ne modicum aquæ cursum meo iussu sistere valeam. Video, video hoc tam amplum Regis nomen, nulli nisi vni omnium Regi Deo deferendum, ad cuius vnius omnia nutum pendent. A quo tempore religione quadam tactus, regium diadema imagini Christi crucifixi *Wintoniæ* imposuit, neque vllo deinceps vsus est: Et post vicesimum deinde annum obijt (a licet de loco varietur) relicto ex EMMA filio HARDECANVTO, quod est si interpreteris CANVTVS *fortis & audax*: ita enim author meus qui id temporis vixit, & nominat & interpretatur. *Floril. an. 1035. Polid. li. 5.*

HABVIT verò CANVTVS[b] non quidem ex alia vxore, sed potius concubina filium HARALDVM, in quem cum multorum ANGLIAE procerum studia proniora essent, abesset HARDECANVTVS in *Dacia*, & ETHELREDI filij in *Normannia*, Rex salutatur. Neque ille paterna, sed inhumanitatis & crudelitatis potius plena vestigia sequutus est: callidas & nefarias rationes meditatus, quibus & EMMAM, & filios illius in *Normannia* opprimeret. Adulterinas igitur comminiscitur, & EMMAE nomine adumbratas literas, quibus illa significat ANGLOS HARALDI imperium execrari, & multis partibus malle alteri illorum, quàm ipsi parere. Quare de ea re deliberarent, & alter quam citissimè in ANGLIAM, ad paratam & expositam prædam conuolaret. His ita ad fraudem structis circumuentus ALFREDVS, in ANGLIAM paulo post appulit, & humanissimè à *Godwino* exceptus, nihil sinistrè suspicatus in nefarias insidias incidit. Noctu omnes itineris socij per varia hospitia dispositi, repentè comprehenduntur, & vinculis astringuntur, & miserè decimo quoque excepto, iugulantur. ALFREDVS in *Elienſem* insulam transmissus est; vbi effossis prius oculis, nefariè cæsus est. EMMA verò cum has primùm turbas olfecisset, clam in *Flandriam* abijt, honorate à *Balduino* Comite accepta, & habita. Vbi eam primum ex *Normannia*, EDOVARDVS, ex *Dacia* deinde HARDECANVTVS inuisêre, & omnem, quam potuerunt consolationem dolenti adhibuerunt. Supervenerunt interim nuntij post EDOVARDI abitionem ex ANGLIA, qui omnem hunc EMMAE & CANVTO angorem, & dolorem mirificè permulcerunt & lenierunt, significantes obijsse supremum diem HARALDVM: & principum populique totius animos totos in HARDECANVTI aduentum erectos esse, cui parati essent omnia officia à subditis principi debita, officiosissimè deferre. Aduolat itaque ille cum matre, nec ita multo post accersit ad se fratrem EDOVARDVM, cui perhumane & perliberaliter partem etiam regni communicauit. In hanc ferè author illius temporis meus sententiam. Humatus est HARALDVS, postquam quatuor annos imperasset, *Weſtmonaſterij*. Hanc autem HARDECANVTVS omnem sui in matrem, fratremque officij laudem contaminauit, nimia in demortuum HARALDVM (cuius corpus exhumari & in Tamesim proijci iussit) crudelitate, & in subditos seueritate; quos immoderatis tributis expilabat. Vnde & eos ad seditiosam coitionem, præsertim *Wigornienſes* coëgit. At ille necdum biennio impleto (vt est humana vita huiusmodi casibus exposita) repente inter medias epulas obijt.

a *Saxo li. 10. dicit eum obijsse in Normannia & ibi humatum, nostri in Anglia & humatum. Vnd. tomus, Flor. Wigorn. & Matth. Weſtm. Author encomij non nominat locum obitus, sed epultum dicit in monaſterio sancti Petri in quo videtur cum Florent. & Matthæo conuenire*

b *Ex dicto encomio in qua narratione plurima sunt quæ alibi non reperiuntur, quæque tam à noſtris chronicis quam a Saxone diſſident.*

De EDOVARDO *Rege & Confeſſore.*

CAPVT. III.

TEMPORIBVS iam stiloque ad vltima ANGLICI imperij tempora decurrentibus, postremi ANGLORVM Regis EDOVARDI, & deinceps aduentitiorum, peregrinorumque Regum nobis texenda est historia. Etsi enim HARALDVS EDOVARDVM excepit, in nullo tamen eum numero ponimus, vel quia contra ius omnium fere gentium, vero heredi EDOVARDO ATHELINGIO (quod nomen clarum & illustrem aliquem sonat, qui ex ignobilitate respondet *An Vnderling*) ad quem successio regni tanquam ad proximum regium semen deuoluebatur: vel quia *Guilielmo Normanniæ* Duci, licet alioqui nulla iuris, legitimæque successionis æquitate nitenti, summa perfidia, sacraque iurisiurandi (qua ei obstrictus erat) religione rescissa, nullo ipse iure titulóue fulcitus nefariè vtrinque regnum præripuit; vel quia integram impotentis ambitionis, ne vno quidem anno vsuram habuit; nondum vertente anno, & regno, *ad quod improbè & scelerate irrepserat; & vita, qua propter tantum scelus indignus visus est, simul excidens. Ad EDOVARDVM itaque vt reuertar, ante omnia hic diuinæ prouidentiæ rationes admirari cogor: raramque Dei in ANGLORVM gentem benignitatem. Qui cum ab ETHELBERTO *Cantiæ* Rege, primoque

Vitam eius scripſit Ailredus Rhieuallenſis sub Henrico Secundo & Osbertus prior Weſtmonaſt. sub Stephano Rege.

* *Al. deeſt ad.*

moque Christianæ religionis ex omnibus Regibus alumno, tam multos ANGLIÆ suæ sanctissimos Reges, qui ciuium cælestium & angelorum choris inserti pie creduntur, ANGLIÆ indulserit, vt (sit sane sine inuidia dictum) de nullo forte alio Christiano regno simile quicquam adhuc sit proditum, noluit tanquam iners poeta in vltimo quasi suo actu degenerare: sed prioribus suis actionibus & beneficijs egregie respondent: & postremum etiam Regem aut postremo certe proximum dederit, hunc nostrum inquam EDOVARDVM. Qui pietate & sanctimonia, multos ex his adeo, qui celebratissimi sunt à tergo reliquerat, nulli fere cesserit. Cuius virtutes magis conspicuas reddit insequentium Regum conditio, quorum nullus, ad nostra vsque tempora (quod quidem tempus prolixius est, quàm fuit illud ab ETHELBERTO ad EDOVARDVM nostrum) ad eas nisi longissimo quodam gradu, longeque infoelior accessit. Nisi quod HENRICI sexti virtutes, miraculis etiam, vt fertur, Deus orbi testatus est, sed nec tanta earum firmitudo & certitudo, nec ecclesiæ adhuc authoritas accessisse cognoscitur. Illustrem itaque hunc athletam, licet longe infra illius dignitatem (quam nec exacta, & elaborata curiosi oratoris oratio, nedum hæc tam compendiosa assequi potest) vtcunque delineabimus.

AB incunabulis itaque ordiamur, quibus si splendorem dignitatémque Maiorum amplitudo aliquam addat, & illa certe in EDOVARDVM nostrum amplificantur; cum ex alijs, tum ex nobili illo Rege ALVREDO, cui decimo loco successit, tum potissimùm ab illustrissimo illo EDGARO, eodemque auo suo. Ceterum illa quanta, & quàm ampla diuinæ erga eum propensionis testificatio, quod quo tempore pater ipsius ADELREDVS Episcopos, principes, populumque ad disquirendum de successore suo acciuerat, etsi Rex ex altera vxore EDMVNDO, cui Ferreum latus nomen dedit; ex altera, id est EMMA EDOVARDI etiam matre, ALVREDO filio ornatus esset; etsi tempora essent turbulentissima & acerbissima, propter sæuissimas *Danorum* incursiones, ad EDOVARDVM tamen nostrum, nescio quo, nisi diuino quodam motu, eorum animos gubernante, licet adhuc intra materna viscera hærentem, non sine bono aliquo ANGLIÆ aliquando per eum pacificandæ (quod euentus probauit) præsagio; omnium vota confluebant. Cuius regnum, rerumque per *Danos* exacerbatarum ab eo in eunda pacificatio, longe antea BRITHWALDO *Vintoniensi* Episcopo, diuinitus, vt antea diximus, significabatur. Grassante interea *Danica* procella omniaque inundante, EMMA in *Normanniam* cum EDOVARDO puero adhuc profugit. CANVTVS postea *Dacus*, occiso EDMVNDO de quo diximus, totius regni ad se monarchiam rapit, filiosque eius obtruncandos extra ANGLIAM ablegat; missaque in *Normanniam* legatione EMMAM sibi vxorem asciscit. Quam eius postea filius HARALDVS in exilium abegit, & filium eius ALVREDVM siue ALFREDVM è medio, vt diximus, flagitiosè sustulit. In his se angustijs EDOVARDVS totum Deo commendat, eiusque cum in alios, tum in EDOVARDVM, OSVALDVMque ANGLIÆ Reges, beneficia, quibus eos cum res prorsus deploratæ viderentur, præsentibus periculis eripuit, animo recolit, eorumque memoria animum suum consolatur & reficit, & præter spem, in bonam se tamen spem erigit: Quæ nec eum fefellit. HARDECANVTO enim postea in conuiuio, vt diximus, mortuo, tota ANGLIA *Danorum* iugum abdicat, & EDOVARDVS ad imperium accersitur. Cœpit statim magna rerum domi in melius conuersio: cœperunt omnia tam domi quam foris meliori loco esse, Imperator, Rexque *Franciæ* EDOVARDO legationem cum summa gratulatione mittunt, amicitiam fœdusque cum eo ineuntes. Ille vero ab exilio, in tantam rerum amplitudinem gloriamque prouectus, adeo nihil factus est elatiore animo, vt magis se postea ad omnem humilitatem, animique demissionem abiecerit. Et quanto magis omnium rerum splendor ad elationem prouocabat, eo ille se magis demittebat.

ACCESSIT ad hanc aliarum omnium virtutum consociatio; summa iustitia & æquitate, ius iudiciumque moderabatur, a qua neque pauperis, neque diuitis, aut potentis alicuius gratia deflectebat; abira, gula, ceteriſque crassioribus id genus vitijs longe remotissimus. Mira in Deum diuinámque omnia pietate propendebat. Et vt domesticis æqualem se quodammodo, populoque gratum & plausibilem, ita Dei se sacerdotibus humilem præbuit. Monasteria delapsa temporum iniuria, *Danorumque* incursionibus & grassationibus, vel restaurabat, vel alia de nouo erigebat. Vultus certe & sermo illius, omnis pietatis index erat. Vultus quidem suauis & iucundus, sanctitatem quandam spirabat; Sermo summa semper grauitate, & cælestium rerum narratione conditus. Aliàs salutari doctrina instruens: aliàs miseros & afflictos iucunda consolatione reficiens, aliàs blanditijs leniens: aliàs pro re

nata

nata grauis, & regia maiestate terrens. Sed inter cetera, duo in eo eminebant: continuata videlicet & intenta pauperum, orphanorum, viduarum, & perpetuæ castitatis cura. Adeo sanè à coaceruandis per fas nefasque diuitijs, (qui communis iam fere principum morbus est) abfuit, vt pænè in alteram partem profusione, & dissipatione potius peccarit. Certe cum egentior aliquis Rege præsente, sed somnum simulante, ex arca regià tertiò iam pecuniam repetitis furtis intercepisset, adeo eum non prodidit, vt * *Hugulinum* regij cubiculi thesaurique custodem aduentare sentiens, furem ocyus ne ab eo comprehenderetur, auolare admonuerit; & eundem grauissime de furto illo querentem, ita compescuerit, vt diceret: Fruatur pecunia illa, illi forsan magis quam nobis necessaria est, quod supereſt, inquit, nostris vsibus abunde satisfaciet. Magnus aliquando pecuniæ aceruus, ex pecunia quam populus pendebat, coaceruatus est. Cui ad se allato, insidere dæmonem videbat EDOVARDVS: quare omnem eam auersatus, auferri iussit, & singulis, quod quisque tribuerat, reddi. Vt itaque nihil, nisi iustis de causis, à populo corradebat, neque quicquam per calumniam cuiquam extorquebat, neque cuiusquam sanguinem iniquo iudicio exorbebat; ita quod honestis rationibus, iustisque paratum erat, in sanctos piosque vsus, large effuseque conferebat. Summa ille, post Christum & diuum PETRVM, in IOANNEM *Euangelistam* pietate, singularique affectu propendebat. Quem cum aliquando egenus quidam, ob eleemosynam, vel in gratiam IOANNIS erogandam interpellaret, neque quicquam ei pecuniæ in parato esset: annulum digito detractum, egeno illi liberaliter dedit. Atqui IOANNES ipse fuit, qui eum annulum sub egeni persona & specie acceperat. Relatus est postea Regi à duobus ANGLIS *Hierosolymam* profectis, quibus eum IOANNES tradiderat, vt hi eum ad Regem deferrent, & simul ei significarent, vt se ad obitum, qui imminebat muniret.

* *Al.* Hugelinum.

VIRGINITATIS veræ, integræ, illibatæque conseruandæ, miro flagrabat studio, quod eum à nuptijs alieniorem, & fere abhorrentem fecit. Sed cum eas ab eo proceres importunius efflagitarent, nec tutum ei esset vel pertinacius illis aduersari, vel propositum suum detegere, eorum se tandem voluntati totum tradidit, vxoremque sibi EADGIDAM filiam Comitis *Goduini*, sed ab illius moribus longe dissidentem, lectissimam vtique seminam asciuit, quam facile ad commune virginitatis propositum, sancta adhortatione pellexit. Certe per totam illam postea vitam virginem in ipso matrimonio perstitisse, & eo ipso tempore passim ferebatur, & vt res certa, à scriptoribus fide dignis prodita est. Neque id genus alia exempla (vt singulare interim illud MARIAE matris CHRISTI, & *Iosephi* prætermittam) vel in externis, vel in domesticis nostris, præsertim de ETHELDREDA Regina, historijs desunt. Cui rei non obscuro iudicio esse possunt, non solum corpus EDOVARDI, sed & vestes cum corpore sepultæ, ad trigesimum sextum postea annum huiusmodi reperta, vt primam per omnia integritatem, decoremque admirabiliter conseruarent; cuiusmodi quiddam & commemoratæ ETHELDREDAE accidisse post obitum traditur. Neque ego vllo modo eos audiendos arbitror, qui *Goduini* odio, per quem ad matrimonium quodammodo inuitus abreptus est, neue proditores ipse nouos eo ex matrimonio excitaret, à maritali eum opere abstinuisse existimant. Quorum sententiam; & reliqui EDOVARDI virtutes, & summus erga EADGIDAM amor, & ratio omnis, & præclarum illud ante omnia Dei, post obitum in demortui corpore, ita amplificando & ornando testimonium, plane confutant. EDOVARDVS vero cum in summis illis temporum difficultatibus in *Normannia* exularet, post Deum spem suam omnem in beato PETRO apostolorum coryphæo reposuit, atque adeo si eum Deus aliquando his difficultatibus exolueret, regnoque auito redderet, peregrinationem *Romam* vsque, ad inuisenda Apostolorum corpora se adornaturum spospondit. Quod desiderium in pio Rege, res prospere & feliciter postea fluentes, non vt sæpe multis accidere solet) excussere. Quare totus in hoc erat vt fidem liberaret, procereſque solicitabat, vt gubernandi interim regni rationem commodam inirent. Quorum imo totius generatim populi animos, adeo ab eo itinere auersos & abhorrentes reperit, vt palam verbis & lacrymis, testarentur se regis desiderium, & tam longam absentiam ferre nullo modo posse, omniaque eiulationibus, lamentisque miserè implebant, quasi de rebus ANGLICIS, si ille proficisceretur, prorsus actum esset, omniaque mox hosti immaniter grassanti, in prædam cederent.

VARIAE hinc curæ EDOVARDI animum distrahebant: nam & votum frangere contra religionem, & suos tam obstinate renitentes deserere, patriamque periculis obijcere, contra Remp. regnique officium existimauit. Re tandē mature deliberata, ad LEONEM *nonum* sin-

gularem certè & sanctissimum virum legationē amandat: illius consiliū opémque flagitat: & consilio mandatóque eius pariturum se promittit. Ille re diligenter perpensa, votum commutauit. Hoc igitur conscientiæ onere, aculeóque leuatus, quicquid priùs vel in Rep. sanctè iustéque administranda, vel in alijs sanctis operibus cœpit, acrius indies vrgebat, eóque felicitatis Remp. perduxit, vt illa, quę tot annis, quasi immanibus ventis iactata nauis, periculosè dissipabatur, securè placique, eo sedente ad Reip. puppim, clauumque tenente, gubernaretur, planéque in eo quasi in quodam portu conquiesceret; ita quidem, vt pius Rex antiquum illud *Salomonis*, id est Pacifici nomen obtineret. Tum leges illę salutares (quas sancti EDOVARDI leges vulgo appellant) robur virésque suas exeruere, & in summa pace tranquillitatéque Rempublicam constituerunt. Quę non ab illo quidem primum promulgatę sunt, sed ab auo EDGARO. Quas ille, cum in summa illa *Danicorum* temporum asperitate, sexaginta octo annos exoleuissent, ad Reip. vsum reuocauit, & ex illo tempore, ab illo suum nomen mutuatæ sunt; quas GVILIELMVS *primus* postea ratas habuit, & confirmauit. Quæ partim positæ sunt in rebus ciuilibus, partim in rebus ecclesiasticis moderandis, eaquè fere continent, quæ priorum Regum INAE, ALVREDI, ETHELSTANI & aliorum scita complectuntur: nisi quòd præter quędam alia, cautio illa contra eos, qui vsuras & fœnus exigunt, EDOVARDI nostri ptopria videtur; qua prouisum est, vt huiusmodi homines omnibus facultatibus exciderent; & præterea instar exulum haberentur. O salubrem & sanctam cautionem atque prouisionem! sed nullis vnquam temporibus, atque nostris hodie, nostręque ANGLIAE pręsertim, vbi immoderatæ vsurę omnia exedunt & exorbent, adeo necessariam. Harum legum per insequentes *Normannorum* Reges antiquatio & abolitio, multas sæpe grauésque in ANGLIA turbas tumultúsque ciebant: nullaque vnquam gratior fuit Regum vox populo *Anglicano*, quàm illa illorum, qui vt nonnullis accidit, vel inescandi deuinciendique sibi arctius populi, vel pręsentis periculi expediendi gratia, se lęges illas in vsum reposituros pollicebantur.

EDOVARDVS vero, etsi ad res publicas gerendas, non satis accommodus quibusdam videretur, propter inditam quandam morum animique simplicitatem, & quod videretur à rebus publicis, regnique cura propter nimiam, vt quibusdam visum est, in rebus diuinis pijsque alijs exercitijs occupationem, iusto alienior; Deus tamen, si quid ea in parte diminutum erat, abundanter suppleuit. Et quia EDOVARDVS totus ab eo & pietate pendebat, quasi in se totam regni curam recepit. Cui non minus fere admirabiliter prouidit, atque olim selecto suo populo *Israelitico*. Ecce enim tibi *Pharaonem* rursus in abyssum pręcipitatum. Rex enim *Daciæ*, cum ingentem classem aduersus ANGLOS parallet, in ipso egressu è naui in mari delapsus interijt. Atque ita tota illa expeditio in irritum recidit. Quod Rex, cum sacrosanctis mysterijs, ad sanctum Pentecostes diem interesset, spiritu vidit, palámque testatus est; eiúsque verbis euentus postea per omnia respondisse inuentus est. Nam & inter diuinas dotes, quibus eum Deus honestauit, inerat & ista qua longe dissita, tanquam pręsentia oculisque subiecta, & futura quasi iam pręterita sæpe diuinitus nouit. Sic cum *Goduini* Comitis filij, puerili more ludentes, lusum in pugnam conuertissent, & *Tostinum Haraldus* pene strangulasset, prædixit quod rebus ipsis postea impletum est, *Tostinum*, opera *Haraldi*, de medio tandem tollendum, ipsumque non ita multo post *Haraldum* funesta calamitate innoluendum. Nec visus est procellam illam *Normannicam*, antequam irruebat, ignorasse, cum *Haraldum* in *Normanniam* proficisci meditantem, vti fratres suos apud Ducem obsides iuuiseret, retinere, sed frustra conatus est. Futuram enim illam illius profectionem testabatur, magno cum reip. malo coniunctam. Extorsit enim insiurandum *Normanniæ* Dux vt regnum ANGLIAE sibi, si EDOVARDVS absque liberis diem obiret, procuraret. Quam calamitatem (vt & aliam prius orbi toto Christiano imminentem) manifestè præuidit per visionem, cum extrema illa ęgritudine langueret; quam si quis scire desiderat, habet vnde petat. Huiusmodi enim cælestia secreta, Deus illi large & affluenter communicauit, qui aliquando inter sacra mysteria IESVM in forma pueri in ipso altari vidit, protenta manu crucis signaculum effingentem, sibique benedicentem. Cuius visionis Comes etiam *Lefricus* particeps fuit. Quam liberalis & profusus fuerit in egenis subleuandis, iam diximus. Sed hoc multi alij Reges præstitere, & omnes prestare possunt. At Deus hunc pium Regem, ob tantam suam in pietatem paupereſque propensionem, alio quodam beneficio ita ornauit, vt morbis etiam membrorúmque mutilationibus, supra ceterorum fere Regum, & supra omnem medicorum facultatem, opem, aut spem, admirabiliter suppetias sæpe tulerit.

AT QVA vt ille simplicem corporis animęque oculum habuit, totusque interna illa pietatis cœlestis

cœlestis luce splenduit, ita in illuminandis cęcorum oculis mirè valuit; adeo sane, vt aqua, qua manus abluerat, præsens & salutare cæcitati depellendæ remedium reperta sit. Qua tres vtriusque oculi lumine priuati, duxque eorum monoculus, eodem temporis momento aspersi, statim, cum omnium stupore, visum receperunt. Fuit adolescentula quædam in matrimonium collocata, cuius fauces faciémque horrendo quodam modo morbus, quem strumam vocant, occupauerat, & deformauerat. Sanguis computruit in saniem; inde innati vermes, tetrum & pestiferum quiddam olentes. Accessit ad miseriæ cumulum vteri infæcunditas, inopia, qua prohibebatur medicorum opem accersere. Quod solum igitur infœlix mulier potuit, crebris precibus & lachrymis, ad diuinum præsidium confugit, quod nec eam destituit. Admonita itaque fuit per somnum, vt Regem EDOVARDVM adiret, qui si faciem eius tangeret, lauaret, cruceque signaret, pristinæ valetudini redderetur. Magnitudo morbi, sexus, & conditionis suæ, regiæque maiestatis, obliuisci eam coegit. Irrumpit igitur in curiam Regisque auxilium implorat. Ille nec cælesti admonitioni, nec depellendæ miseriæ mulieris calamitati deesse volens, locum affectum aqua lauit, impressóque prius crucis signo, manu pus exprimit, cum quo & vermes simul erumpunt. Mulier post paucos dies plane conualuit, & maiori beneficio aucta, fœcunda deinceps mater facta est. Quam strumosos sanandi admirabilem dotem, in posteros suos ANGLIAE Reges, ad nostra vsque tempora transfudisse, & perpetuasse merito creditur; quin & annulus ille, de quo diximus, magna in *Westmonasterienſi Londini* cœnobio postea reuerentia reseruatus, aduersus comitialem morbum multis profuit: indéque etiam ortum, vt ad sacram parasceuen Reges ANGLIAE certos annulos, statis quibusdam precibus & cæremonijs consecrare consueuerint, aduersus eundem morbum salutares. Quæ consuetudo & ad nostra vsque tempora perducta est, multique huiusmodi annulorum beneficium, nostra etiam ætate senserunt. Iam quid de illo narrem spectro potius hominis, quàm homine, miserabili certe omnium hominum illius temporis spectaculo (*Gillemichel* is appellatus est) qui vtriusque pedis beneficio spoliatus, pro pedum manuumque obsequio, per illas substrato scamno reptando vsus est. Hunc cum Rex ad ecclesiam palatio proximam dorso suo gestasset? (hanc enim solam recuperandę sanitatis rationem Apostolus PETRVS misero apparens prædixerat) & ante sanctum altare deposuisset, mox ille beneficium magnum, licet non integrum sensit, & paulo post solido firmóque pedum officio vsus est.

CLARA quidem sunt, ista & illustria diuinæ erga EDOVARDVM nostrum gratiæ, excellentisque cuiusdam in EDOVARDO pietatis erga Deum testimonia. Quæ nec eum post obitum deseruere. Imo quanto ille iam Deo suo coniunctior factus est, tanto ille dilectum suum maioribus id genus beneficijs, & mox ab obitu, & multis postea temporibus, ad multorum tam corporis, quàm animæ salutem amplificauit. Ex aceruo (qui omnibus paratus & expositus est) nos paucula iam decerpemus, alibi forsan nonnulla, vt locus dederit, aspersuri. Corpus itaque, vt iam diximus, cum vestibus, post trigesimum sextum annum integrum prorsus repertum est. Et mox vt sanctum spiritum exhalauit, in ipso cadauere cælestis cuiusdam corporis species se omnium obtutibus obtulit, faciesque admirabili quodam rubore suffusa, totumque corpus niuis instar candescens, omnium astantium oculos, animósque ad se conuertit. Ad sancti vero tumulum, tanta mox sanitatum beneficia, varijs languentibus, diuersisque morborum generibus, indulta sunt; vt ad eorum vitium auditionémque obstupescerent homines, diuinámque ea in re prouidentiam admirarentur, gratiásque amplissimas Deo vbique agerent. Quæ tam frequentia & tam certa fuerunt, vt GVILIELMVS Rex, qui *Haraldum* profligauit, sepulchrum ipsius theca, auro argentóque vndique fulgenti ornarit. Quæ partim alij, partim *Osbertus* supradicti cœnobij monachus (cum in alijs sanatis oculatus, tum maximè in seipso grauissima quartana febri, post EDOVARDI opem imploratam excussa, fidelis & certus testis est) summa fide prosequuti sunt. Sed inter cetera, duo maxime conspicua fuerunt, alterum de VLSTANI *Vigornienſis* Episcopi pastorali baculo; (qua de re alibi fusius) alterū de septem vtriusque oculi beneficio spoliatis, & monoculo qui eos (re miserabili visu) ductabat, aut potius quasi captiuos, & inuicem catenatos post se trahebat, ad sepulchrum beati Confessoris, pleno & integro obtutu donatis. Obijt beatus Rex, cum Christo in perpetuum regnaturus, ad annum Christi millesimum sexagesimum sextum, pridie nonas Ianuarij, cum in terris feliciter regnasset annos viginti trés, & menses sex, *Westmonasterij*, in ecclesia, quam ædificarat, multisque donarijs & possessionibus auxerat, ad præeuntem diuorum *Innocentium* diem solemniter prius dedicata, humatus.

De EMMA *matre* EDOVARDI, *& quomodo stupri se purgauerit, per vomeres ardentes illæsa transiens, deque varijs purgationum generibus, quatum vsurpabantur.*

CAPVT IV.

ANTEQVAM ad EMMAM veniamus, non erit abs re, ad vberiorem saltem lectoris notitiam aliqua, de his purgationum rationibus, quæ præter duellũ, his & posterioribus tẽporibus passim, tam in ANGLIA, quam alibi vsurpabantur; licet ab ecclesia postea, & multis antea sæculis, atque à primo nostro Apostolo GREGORIO improbatis, præmittere. *Ordalium* hæc purgatio *Saxonicè* dicitur, quod duplex erat; aliud per ferrum candens, aliud per aquam. Ferrum autem candens reus, aut manibus ad nouem pedes longum gestabat, aut nudis pedibus in pauimento ecclesiæ stratum, ad nouem pedes latum pertransibat. In aquam vero aut feruentem aut bullientem manus, aut in frigidam totum corpus rei immittebant, vehementi omnium persuasione (quam rerum sæpe euentus confirmauit) noxios & culpę conscios, insigni aliqua calamitate & clade nobilitandos, immunes vero à crimine, à pœnæ quoque totius sensu immunes futuros: vt olim in aqua zelotypiæ apud *Iudæos* accidisse scimus, & trium dierũ pręuio ieiunio, in quo ab omnibus alijs esculentis & poculentis præterquam pane, sale, aqua, & herbis temperabatur, cui crimen impingebatur, se expiabat. Tum celebrabatur missa cui reus intererat, & interim ferrum accendebatur, multisque cęremonijs & orationibus vtebatur præterea sacerdos, quibus à Deo precabatur, vt veritas rei gestæ, quæ occulebatur, in lucem erumperet. Rei deinde præsentibus tam Regis quam Episcopi ministris, qui diligenter prospicerent vt omnia accuratè, ad præscriptam statamque purgationis formulã obirentur, ad locum purgationi designatum producebantur. Sed de his satis. EMMAE vero nomen & æstimatio, varijs grauibusque ex criminibus valde laborabat & onerabatur; quæ infestis ad Regem querelis & exaggerationibus, aduersarij eius, *Robertus* præsertim *Cantuariensis* postea Archiepiscopus, quique hoc tempore, impedito & morbo sontico afflicto Archiepiscopo, vt illius vicarius totius Archiepiscopatus curam gerebat, quemque Rex supra ceteros omnes suspiciebat & colebat, amplificabant. Non passurum se *Robertus* aiebat vt tanta scelera impunita abirent. Pessimo hanc impunitatem exemplo, nihil aliud fore quàm similium in alijs quoque scelerum admittendorum irritamentum. His & similibus cum optimi Regis, nec satis ad veteratoris fraudes capiendas instructi, aures quotidie oneraret, rem totam *Roberto* & Episcopis committit. Celebrem mox Episcoporum synodum *Robertus* Vintoniæ indicit. Carcere *Emma* apud cœnobium *Varuellense*, & *Vintoniæ* ALVINVS Episcopus clauduntur; & possessionibus tuis omnibus expoliantur.

De purgatione vulgari in decret. li 5. Greg. in regist. cap 512. & capite Manus 9. q 5.

The. Rudburnus mon. Wint. in chron maiore & minore chronic. vetustum, quod desinit ad tempora S t phani quod scriptum est versu incipit. England is a well Good land, iche Wene of eche land telle. Polych. li, 6 c.23.

QVERITVR interim apud Episcopos EMMA, nefarijs se per æmulos premi calumnijs, eorumque fidem & opem implorat, paratámque se ostendit, omnibus legitimis rationibus innocentiam suam astruere; altiusque in pectore suo doloris vulnus, ex conflata ALVINO Episcopo infamia, quàm de sua residere. Confluentes deinde Episcopi, has omnes facile apud Regem turbas composuissent, nisi violentius has *Robertus* calumnias vrsisset atque exaggerasset. Qua, inquit, fiducia, non dicam feminæ, sed monstri potius, & feræ huius defensionem suscipitis, quæ sacrilego se cum Episcopo stupro commaculauit? At hoc Episcopi crimen legitima, vsitataque satisfactione purgare & diluere se velle dicit; Sit ita; eximatur ille à reatu sed quomodo seipsam eximet? quomode se explicabit? qua satisfactione expediet à duplici illa, & atroci criminatione quæ illi, & de nece filij ALVREDI (cuius illa erat conscia & particeps) & de veneno, quo alterum filium, & augustum nostrum Regem EDOVARDVM tollere conata est, intenditur? Etenim quoniam innocentię fiduciam simulat, nondetrecto, quin si nudis pedibus, fitmóque gressu quatuor ignitos vomeres ad suum priuatum, & quinque pręterea ad commune cum Episcopo crimen diluendum, inoffenso pede, illęsa, nec ambusta pertransierit, falsis & nefarijs calumnijs impiè appetita censeatur, & me facile de dignitate mea deijci patiar. Atqui si graues ignis sensus, & manifesta vestigia pedibus impressa, hanc omnem illius vanam iactationem compriment & redarguent; tum legitimis & iustis tantorum criminum præterea pœnis, vt par est inuoluatur, Hanc deinde & reliqui Episcopi, propter summam præcuntis *Roberti* authoritatem, propter tantam infamię & criminum

num magnitudinem, sententiam amplectuntur. Præscribitur deinde à Rege certus purgationis dies, cuius cum per omnium aures pernagata fama volitaret, mirum dictu, quam immensa omnium ordinum, omnisque sexus multitudo, adeo vt eam ciuitas capere non potuerit, confluxerit. Pridie illius diei venit *Wintoniam* EMMA, & recta ad templum diui SVITHINI pergit, eiusque ad tumulum in ieiunio, vigilijs, & orationibus totum illud tempus consumit, Dei & beati Episcopi opem solicite implorans.

POSTRIDIE statis ceremonijs peractis, à duobus Episcopis flentibus, & hinc inde vtrumque eius latus claudentibus: plebeia veste contecta, pedibus & tibijs ad genu ipsum nudis, per nouem illos ardentes vomeres, in ecclesia diui SVITHINI positos, populo aspectante ducitur: quos illa erectis in cœlum semper oculis, neque deorsum in pauimentum vnquam deflexis, orationique tota intenta, suamque Deo causam vt olim *Susanna* committens, illis ductantibus, post nouem passus pertranijt. Apud populum vero, interim de rei euentu solicitum, omnia fletu, & lugubri eiulatione plena; vna omnium vox Dei & SVITHINI opem anxie implorantium, iamque extra ecclesiam pergebant Episcopi, quibus illa; Quando, inquit, ad vomeres peruenietis? Illi vero lachrymis oppleti, eam vomeres illos omnes & calcasse, & pertransijsse, & egregie suæ conscientiæ, omniumque expectationi satisfeciisse aiunt. Respexit deinde illa, & tum primum vomeres illos vidit; defunctamque se sua purgatione intellexit. Amplissimas deinde Deo & SVITHINO gratias egit. Populus, cum quid actum esset intellexisset, mira lætitia gestire, miros pro admirationis & gaudij magnitudine clamores edere. Ipsa rectà in eo, quo erat apparatu, ad Regem filium proficiscitur, vt certa oculis illius, innocentiæ suæ documenta subijceret. Demisit se igitur ad matris pedes Rex, veniam submisse precatus, quod ita innocentem matrem vexari, tantæque infamiæ exponi passus esset. Tum illa, Naturales, inquit, & materni stimuli facile à me veniam extorquent: sed tu quomodo ALVINO Episcopo satisfacias, iterum atque iterum cogitato. Accersitur deinde ille, à quo Rex veniam nimiæ suæ facilitatis, & crudelitatis accuratè postulat, & facile impetrat: quam paucis & lenibus nudo corpori per Episcopos, & matrem flentem impressis virgarum verberibus expiauit, Mox matri & Episcopo omnia, quibus spoliati fuerant, reddunturi. *Robertus* interim in euentum rei intentus, & veritus ne, si Reginæ innocentia palam testata esset, ea res ingenti sibi dedecori, & damno foret, subduxit se in *Cantiam*: & mox celebri illo euentu passim diuulgato, mare traiecit, neque in ANGLIAM vnquam, vt quibusdam placere video, postea rediit. Has autē turbas *Robertus* contra EMMAM & ALVINVM adeo ciebat, quod cum conniuente Rege, omnia regni negotia suo arbitrio administraret, neque Rex quicquam eo inconsulto gereret: EMMA cum ALVINO sæpe se illi opposuit, vt & *Godwinus* Comes de quo postea dicemus. Occasionem *Robertus* ALVINVM criminandi hanc maxime arripiebat, quod EMMA sepe ad eum diuerteret. Ideo autem diuertebat, tum quod proxima cognatione illi esset coniuncta, tum vt illius præsentia consilióque viduitatis molestias facilius propelleret. Nouem vero illi vomeres, in claustro *Wintoniensis* cœnobij humo obtecti sunt. Iste autem tam illustris rei euentus, luculentis possessionibus, quas nominatim recenset *Rudburnus*, cœnobium auxit. E quibus nouem à Regina, nouem aliq ab ALVINO, tres à Rege profectę sunt.

De HARALDO *Rege, &* ANGLIA *per* GVLIELMVM primum *subacta, id quod prius à quodam pio viro prædictum erat; & diuinæ ea in re prouidentiæ consideratio quædam.*

CAPVT. V.

DEFVNCTO EDOVARDO, *Vssisaxonum* progenies, quę à CERDICIO septingentis septuaginta duobus annis nobiliter imperarat, exaruit prorsus, inuasitque ANGLIAE regnum, alij, vt diximus, debitum, *Haraldus Godwini* filius. Quod vt ad interitum pergebat in ETHELREDO, post quem illud sibi *Daci* arripiebant: ita iam sublato omni *Dacorum* imperio, & metu, ex alio latere per *Normannos* impetitur, concutitur, & prorsus (cęso à GVILIELMO *Normanno Haraldo*) labefactatur, immani inter eos & *Dacos* discrimine. Nam *Daci* ducentos supra annos prędas magis, & rapinas, quàm statum aliquod, &

solidum regnum possidebant. Quod licet per CANVTVM postea integrum possiderent, vix tamen supra tres & viginti annos possidebant. At *Normanni* vnica statim victoria res suas, regnúmque sibi constituerunt. Quod ad hunc vsque diem (eo tamen cum Regio ANGLORVM simul sanguine coëunte) perpetuarunt. Sunt qui tradunt ANGLOS totam illam noctem, quæ bellum præcessit, insomnem & securos, canendo & immoderatè bibendo; *Normannos*, & ipsos quidem insomnem, sed orando, & per confessionem peccata elaendo, duxisse, mane vero sacram Eucharistiam religiosè sumpsisse. At GVILIELMVS in victoriæ testimonium, *Haraldi* vexillum ALEXANDRO summo Pontifici transmisisse dicitur. Ita sane quartò BRITANNIA, primùm per *Romanos*, deinde per ANGLOS, tertio per *Dacos*, & iam postremo per *Normannos* veteri imperio excussa est. Quam postremam mutationem beatus Rex EDOVARDVS (vt diximus) diuinitùs præsensit. Et diu ante illum vir quidam pius, eremique cultor prædixerat. Cum enim EDOVARDI pater ETHELREDVS, EMMAM sibi ex *Normannia* coniugem aduocasset, interrogatus vir ille, ecquid animo illius arrideret illa coniunctio, Ita certe, vt nihil magis respondit. Fore enim vt per huius amicitiæ, *Normannicarumque* virium, accessionem, ANGLIA securior aliquando redderetur. Sed illud tamen incommodi adhæresceret, quod tota in *Normannorum* manum potestatemque, non longo post tempore transiret. Passa est igitur à *Normannis* ANGLIA, quod olim *Assyrij* à *Medis* & *Persis*, à *Græcis* *Medi* & *Persæ*, *Græci* à *Romanis*, & multæ aliæ nationes, à variis populis per quos illæ vi, & armis occupatæ, & oppressæ sunt, passæ antea fuerunt. Sic Deus res humanas temperat, & sublimia etiam imperia deprimit, ne quid forte fixum, aut stabile in rebus humanis falso errore ducti constituamus, magisque ex huiusmodi conuersionum accurata consideratione, à solo Deo pendeamus. Quanquam alias (licet nobis arcanas) prouidentiæ suæ Deo causas subesse, nihil dubitemus. Quas vt nos curiosius excutere, & disquirere non proponimus; ita certe huiusmodi immutationes, propter castiganda & reprimenda populi peccata, ex irata Dei voluntate promanare, Prophetæ passim denuntiant, idque palam *Israelitico* populo testabantur. Quò & Deum iam respexisse si constanter dixerimus, nihil credo ab historiæ nobis propositæ, aut diuinæ prouidentiæ scopo aberrabimus.

Gul. Malms. Mat. Par. Polich.

Hoved. Ranul.

QVAE igitur causa ANGLOS primùm contra BRITANNOS; eadem & priùs *Dacos*, & iam *Normannos* contra ANGLOS immisit. Etsi enim ante ducentos annos Christianæ pietatis ardor, rerumque cælestium meditatio valde refrixerat, hisce tamen temporibus multo se magis remisit, & elanguit: resque eò prolapsa est, vt non modò in omnia se scelera Laici, sed & Clerus, & monachi adeo effunderent. Rara erat in Clero doctrina, illi ordini functionique respondens. Accessit ignorantia, aut potius, ni fallor, magna quidem ex parte inde nata est morum omnium corruptela, & deprauatio; Ambitio, luxus, libido, passim dominabantur. Quæ quidem, aliáque Cleri populique peccata, Deus grauiter nouo *Normannorum* iugo, eóque valde acerbo eis imposito, coercuit & vindicauit. Neque interim dixerim ANGLIS *Normannos* meliores, imò longè certè deteriores. Nam & *Babylonij*, *Persæ*, *Ægyptij*, aliáque Dei in *Iudæos* castigandis flagella, multo tamen illis fuere scelerationes. Disciplina ecclesiæ fuit indies, immoderata *Normannorum* principum ad se omnia rapientium ambitione, magis perturbata & conuulsa; & in publicis ciuilis reipublicæ legibus, facta est ex antiquis tanta per nouas, tamque impar commutatio, atque illa olim fuit (de qua priùs commemoraui) armorum *Glauci* & *Diomedis*. Aucta est tamen interim, & valde amplificata imperij magnitudo, & sensim suus virtuti, religioni, ecclesiçque honos; & imperium etiam post aliquot annos, veteri & auito ANGLORVM sanguini, simul cum *Normannorum* coëunti restituitur. Efflorueréque deinceps multi excellenti doctrina, & pietate homines. Diuinam autem prouidentiam vt in alijs omnibus, ita & hic admirari, suspicere, & gratis animis amplecti debemus: qui hanc omnem per *Normannos* reipublicæ incussam tempestatem, ad summam tandem ANGLORVM gloriam, regnique amplificationem conuertit. Quæ suis singula locis (quatenus cum ecclesiastica nostra historia cohçrebunt) commodiùs explicabimus.

Vide Alredum Rieual. in vita Edwardi confess. Matth. Paris. in Gul. Nothe.

De

De commemorato GVILIELMO *Duce* Normanniæ *& iam* ANGLIÆ *Rege.*

CAPVT VI.

CCISO in pago *Hastingensi* HARALDO Rege, regnum, licet alij iuris æquirate (vt diximus) debitum, inuasit GVILIELMVS, illiusque sibi habenas arripuit. Mater HARALDI amplam pecuniam, vt liceret sibi filium suo arbitratu sepelire, GVILIELMO obtulit, quam ille penitus reiecit, & gratuito pię matris desiderijs satisfecit. Sepultus est HARALDVS apud Canonicos *Valchamenses* (quos sæculares appellant) quam ille ecclesiam in honorem sanctæ crucis extruxerat. Ingentem vero sanguinis humani profusionem in hoc prælio, regnique *Anglicani* commutationem & excidium, ingens cometes (quam crinitam siue cincinnatam stellam appellant) sanguineo igne, & minaci suo crine, quæ ineunte hoc anno se ostendit, portendisse creditur. Cuius eam calamitatis imminentis, *Oliuerus* quidam *Malmesburiensis* monachus, fuisse prænuntiam, palam affirmabat. Vsus est GVILIELMVS non solum in hoc prælio, sed per totam postea vitam, felicissimo contra varias seditiones, domi in ANGLIA & *Normannia* ortas, contra *Wallos* & *Scotos*, & contra *Ducos*, qui ANGLORVM se seditionibus promouendis consociarant, & *Gallos* etiam aliosque successu. Prole multiplici vtriusque sexus ornatus est. Atque vtinam ille tantis Dei beneficijs digna gratitudine respondisset. Qui licet esset magnis & amplis animi, corporisque dotibus insignitus, multum tamen eas, suamque apud posteros famam commaculauit & contaminauit, nimis acerba & aspera dominatione, alijsque non mediocribus culpis. Tantæ molis est iusta & accurata, in summæ dominationis amplitudine, & rebus prosperè ad voluntatem & votum fluentibus Principem, & æquabili moderatione vti. Quantis itaque exactionibus populum ANGLIAE presserit, & exhauserit, non solum veterum monumenta, sed & hodiernæ hominum vbique fortunæ testantur. Quæ etiamnum nonnullos, quasi GVILIELMI aculeos (posterioribus Principibus illius quasi præiudicium sequentibus) sibi posterisque suis tenaciter impressos, & infixos sentiunt. Sentit adhuc totus illius regionis tractus, qui *noua foresta* dicitur, ad triginta miliaria se porrigens: vbi domibus, ecclesijsque euersis, hominibusque omnis ordinis & ætatis inde miserabiliter electis, reique indignitatem vociferationibus & lacrymis, sed frustra contestantibus, solas feras immisit. Quas; & quasi filiolas deosculari est visus, cum oculorum lumine spoliandum eum ederet, quicunque venando vnam ex ijs feris occidisset.

Matth. Paris.

Matth. Paris.

Gul. Malmesb. Matth. Paris.

NEQVE ego hic quorumdam de regno muniendo, præfidióque ex *Normannia* commode quoties res ferret accersendo, & similes causationes recipio. Cum facti immanitatem non solum homines, qui patrijs & auitis se sedibus, in ferarum gratiam excuti grauiter gemebant, sed & terra ipsa immani suo (qui paulo post sequebatur) hiatu testaretur, & quasi detestaretur. Et tollerabilitor quidem fuisset GVILIELMI acerbitas, si aut intra ciuilium legum conuulsionem, aut intra profanorum hominum fortunas spoliandas constitisset. Sed longius & violentius ad Episcopatuum, Monasteriorum, & Ecclesiarum, rerumque Deo optimo maximo Diuisque consecratarum direptionem, imo ad sacrosancta totius ecclesiæ placita & scita, præneque ad religionis totius summam conuellendam grassata; est perinde quasi & eam quoque, non minus quam ANGLIAE solium sceptrumque, suis sibi armis subegisset. Si quid enim auri & argenti in monasterijs repositum erat, id totum emunxit, *& fana* omnia depeculatus est. Nec sacrum modo thesaurum, sed & magnam possessionum partem ab Episcopatibus, atque cœnobijs violenter abripuit. Sed nescio an vllam magis ecclesiam, quam *Wintonienſem* spoliarit. Quid de Episcopi possessionibus detraxerit, cum ad Episcopos *Wintonienses* venerimus, dicetur. Quo modo autem principis ibidem ecclesiæ, atque *Hidensis* potissimum cœnobij possessiones inuaserit, quas EDOVARDVS senior, EDMVNDVS, EDREDVS EDVINVS CANVTVS & alij Reges eidem cœnobio donauerant, eiusdem cœnobij monachus sigillatum explicat. Erat in eo cœnobio crux aurea fulgentibus magni precij gemmis insignis. Erant inter sacra cimelia duæ ingentes imagines, auro argentóque ornatæ, quæ in prædam GVILIELMI cessere. Diuorum etiam sepulchra inuasit, & ipsos sacros calices sacrilege compilauit. Totius huius sacrilegij authorem & incensorem præcipuum, tradunt *Rogerium* quendam *Herefordensem* Comitem.

Tho. Rudburnus in chron. maiori lib. 1. Gul. Malmes.

Qui

Qui non ita multo post, cum in seditione quadam aduersus GVILIELMVM, cum alijs coijsset, comprehensus & in carcerem abductus est. Parum autem erat, quod nouo primum exemplo, Episcopatuum & Abbatiarum, antiqua libertate, immunitateque conuulsa, paribus ad belli sumptus oneribus, atque profanorum hominum fundos, & patrimonia in posterum subiecit, præ alijs eius conatibus; vlterius enim & multo licentius progressus est. Nullos enim PETRI in *Romana* sede successores, à populo ANGLICO aut *Normannico* agnosci passus est, nisi eos, qui ipsius desiderio, voluntatique se accommodarent. Synodum nullam ab Episcopis in ANGLIA iniri, neque quicquam ibi in causis ecclesiasticis decerni, neminem è proceribus suis, sacro anathemate ob quodcunque crimẽ feriri, nisi sua præeunte authoritate patiebatur. Et alijs sæpe in rebus ecclesiasticâ sibi iurisdictionẽ prorogabat.

NEQVE hæc ita ille ob aliquam animi errantis proteruiam, aut quod de rebus sacris, religione, aut Pontificia dignitate improbe peruersèque sentiret. Sed erat istud omne molimen, noua inescandæ pecuniæ venatio, nouum aucupium. Cuius coacernandæ impotenti cupiditate ita accendebatur, vt omnem ille illius augendæ occasionem quòmodocunque oblatam, quasi aptam & expeditam, suisque vsibus belle accommodatam arriperet. Quam illius rapacitatem & tenacitatem illud portendere certe videbatur, quod quamprimum ex matris vtero effusus fuerat, scirpos & iuncos, quibus solum cubiculi stratum erat, in manus sumpsit, contractisque manuum volis, cum omnium admiratione, quanta potuit vi eos intra eas comprimebat. Sed ista, et si quæ sunt alia id genus, non sunt in exemplum à bonis principibus rapienda. Videtur certo Deus illustria auersæ voluntatis suæ in eum, grauisque * præterea in eum & eius liberos animaduersionis documenta dedisse, & eum orbi ad cautionem & exemplum proposuisse. Ille, vt diximus, matri suæ ecclesiæ iustum honorem non præstitit. Neque illi rursus maior natu filiorum ROBERTVS, adeo vt & bello eum lacessiuerit, eiusque brachio graui infixo vulnere, ex eqùo eum etiam deiecerit. Quare grauissimis eum postea diris pater execratus est. Cuius paternæ execrationis per totam postea ille vitam aculeos, primum ab ANGLIAE imperio (quod ad eum potissime, quasi natu maximum, spectare videbatur) paterno iudicio; à *Normanniæ* deinde principatu per HENRICVM fratrem excussus, oculisque deinde per eundem priuatus, ac miserè in carcere voluntaria se inedia præ animi impotentia conficiens, post triginta fere annos, postquam ibidem inclusus erat, grauissimos sensit. Quid iam dicam de RICHARDO, qui ROBERTVM nascendo proximus excepit, adolescente certe summæ & egregiæ indolis, de quo sibi pater plurimum blandiebatur, & magna pollicebatur? Sed ille cum in tanta esset expectatione, in ipso flore ætatis, dum feras illas vnicas patris delicias (quas pater longè latéque in immanem Dei, qui his prius in locis religiosè colebatur, & hominum, qui auitis possessionibus exuti, in ipsa patria nouas tamen, quasi in quodam exilio sedes quærebant, iniuriam induxerat) venando excitaret & agitaret; nescio qua ab ipsis rabie percitis, interremptus est. GVILIELMVS RVFVS, qui ANGLIAM post patrem moderatus est, easdem venando, stupenda ad omnem memoriam morte (quod suo loco vberiùs explicabimus) repente abreptus est.

Gul. Malm. de reg. lib. 3.

** al. propterea.*

Gul. & Matth. Par.

Gul. Malm. de regib.

NEQVE in solis GVILIELMI filijs hæc vindicta diuinitùs immissa mansit, sed longiùs se ad RICHARDVM ROBERTI primogeniti filium se diffudit. Qui in eadem silua, confracto collo, aut vt quidam tradunt, ex arbore suspensus, instar *Absalonis* illius, miserabiliter perijt. Quid miserabile naufragium liberorum HENRICI primi, & filiam eius MATHILDEM, legitimam regni hæredem per STEPHANVM excusam, aut alia multa, quę in hanc causam suppetunt, commemorem? Ea quidem omnia supprimam. In eo iam solummodo diuinæ prouidentiæ rationes admirandas, humanæque conditionis miseram conditionem oculis proponendam statui: quòd tanto principi ex tam amplis possessionibus, ne post obitum quidem locus contigerit, in quo iuste corpus demortui sine alterius iniuria conderetur. Construxerat ille quidem *Cadomensem* ecclesiam. Quò cum esset funus eius ambitiosa pompa delatum; iamque in sepulchro cadauer ponendũ; en tibi militem qui immani vociferatione agrum illum, in quo ecclesia posita erat, sui iuris esse, vique ac summa sibi iniuria ereptum clamabat; monumenta testesque, in eam rem contestandam paratos, palam producebat, Nefas esse itaque, nisi damno sibi refarcito, GVILIELMVM ibidẽ humari, & dissimilẽ longe fuisse, GVILIELMVM Patriarchę ABRAHAM, qui locum prius redemit quo vxorem, & se, suosque sepulturę mãdari cõstituit. Aderat in efferẽdo, & deducẽdo funere solus HENRICVS filius; RVFVS enim patris exequias expectare noluit, sed in ANGLIAM propere profectus est.

est. ROBERTVS verò tum in *Gallia* erat, *Gallorum* Regi, aduersus patrem belligeranti, coniunctus. HENRICVS itaque centum libras militi expediuit, & patrem deinde sine alicuius intercessione aut querela ibidē sepeliuit. Præter filios de quibus diximus, auctus est GVILIELMVS & filiabus. E quibus CAECILIA flammeo sacro velata, *Cadomensibus* Virginibus præfecta erat. ADELA *Stephano Blesensi* Comiti collocata est in matrimonio; quæ eo mortuo, monasterium seminarum apud *Marcinniacum* ingressa, perpetuæ se castitati deuouit. Fuit & alia (cuius adhuc nomen non reperio) quæ desponsa quidem erat ALFONSO *Galiciæ* Regi, sed præmaturè, & Virgo obijt. Aiunt eam precibus à Deo postulasse, vt salua & integra virginitate moreretur; & ob frequentiam orandi, genua eius in callum obdurasse.

FVERVNT in GVILIELMO aliquot certe egregio principe dignæ dotes. Pudicitiæ ante nuptias, & postea, thorique genialis (quæ rara est in Regibus laus) sancta cura. Quædam etiam precandi, quantum negotia patiebantur, sedulitas. Nullum certe diem abire patiebatur, quo sacris missæ mysterijs, & statis tam mane, quam vespere precibus non interesset. Monasteria quędam tam in *Normannia* quàm ANGLIA (de quibus postea dicemus) condidit. Quotannis, cum esset in ANGLIA, Christi natalem diem *Claudiocestriæ*. Pascha *Wintoniæ*, sacros autem Pentecostes dies apud *Westmonasterium*, nobilibus vndique ex ipsius præcepto curiam frequentantibus, amplissime, vestium epularúmque magno splendore, & apparatu transigere solitus est. Cumque ordinaret suprema sua, ingentem pecuniæ vim monasterijs, aliisque ecclesiis, egenisque erogandam legauit. ODONEM fratrem, *Baiocensem* Episcopum, Comitémque *Canty*, alioſque ex nobilibus multos, & quoscunque vel in ANGLIA, vel in *Normannia* carcere incluserat, dimitti mandauit. Fuit ODO peracuto, sed callido & veteratorio ingenio, quod totum ad pecuniam vndique colligendam, & aggregandam conuertebat: qua ita affluebat, vt suffragatoribus inde delinitis, *Romanum* pæne sibi Pontificatum pararit, & coëmerit. Et quoniam omnium in ANGLIA animi, in eum euentum erant suspensi, Pontificémque *Romanum* futurum putabant, omnes pæne in ANGLIA controuersiæ, ad eius arbitrium deferebantur. Vnde & in magnam ille Regis offensionem incidebat: à quo in carcerem coniectus est. Qui prædam inde studiosè venatus est, & opimam deinde consecutus est. Minis enim ab ijs, qui ODONI erant intimi, confessionem extorsit, qua thesauros eius detegebant: quos etiam sub fluminibus defoderat, conscijs, ne eos proderent, de medio sublatis. Post obitum fratris carcere solutus, coniunxit se cum ROBERTO duce *Normanniæ* contra RVFVM, à quo captus & perpetuo exilio mulctatus, socius & comes fuit ROBERTI in Hierosolymitano itinere. In oriente deinde obijt, quo tempore Christiani *Antiochiam* obsidebant. Præcepit præterea GVILIELMVS, suis sumptibus, deiparæ Virginis apud *Mediantum* in *Gallia* (quam paulo ante mortem, cum toto oppido miserabili incendio cuerterat) ecclesiam restaurari. Ex quo incendio cum nimis prope ad illud accessisset, vt sua præsentia & voce militibus alacritatem excitaret, læthalis morbi causam manasse, ardentibus præsertim æstuis caloribus tradunt. Quidam ex equi postea saltu ilia perrupisse asserunt. Sed inter reliqua eius, quæ laude digna sunt facta, non temere aliud nobilius, salutariusque reperies, quàm quod quosdam selectos homines Episcopatibus, Abbatijsque præfecerit. E quibus antesignanus meritò est LANFRANCVS.

Malm. de regib.

Gul. Malm. de regib. lib. 3.

De Rege GVILIELMO *secundo*.

CAPVT VII.

ROBOAM olim spreto senum, & iuuenum acquiescens consilio: noluit temperare, & moderari graue illud iugum, quod pater *Salomon* imposuerat. GVILIELMVS verò noster, ante, & ad regni ipsius initia, splendidis quidem & magnificis verbis (vt & se in regia sede collocaret, & æmulum natuque maiorem ROBERTVM fratrem, in quem multi inclinabant, remoueret) se iugum paternum leniturum, præstantioresque ac meliores quam pater sancierat leges, veterem que *Anglicani* populi libertatem restituturum pollicebatur, Videbaturque prudentium & sanorum hominum, LANFRANCI præsertim consilio niti, & omnes actiones suas gubernare velle. At si euentum spectemus, si non verbis, rebus tamen ipsis, cum Roboam, *Pater meus vos flagellis cecidit, Ego autem cedam vos scorpionibus*, respondisse videtur. Etsi enim viuo LANFRANCO moderatiorem se præbuit, eo tamen defuncto non minore impetu in omnia ille vitia prolabebatur, quàm solet mare, perruptis semel aggeribus

3. Reg. 12.

bus, in agros vicinos irruere. Nec diuini beneficij recordatus est, quo tantum à patre (quod tamen patri nullo iure debebatur) ad se regnum, quòd potiùs ad ROBERTVM fratrem ætatis prærogatiua pertineret, transmissum esset. Nec recordatus quàm immoderatis patet illud exactionibus expilasset, illas ipse admirabilem in modum auxit. Et cum primis regni temporibus ceruorum venationem liberiorem reliquisset, postea in huiusmodi venatores grauiùs, quam vnquam pater, & capitaliter animaduertit. Cuius generis quidam, cum crimen inficiarentur, mandauit, vt feruentis ferri iudicio (de quo alibi diximus) se expurgarent. Quorum innocentiæ cum euentus testimonium quoddam præbuisset, quòd nihil prorsus ab igne læderentur; impia & sacrilega voce, Dei huiusmodi iudicium iniustum; nec se deinde illius, sed suo ipsius iudicio pariturum exclamauit. Reliquam illius crudelitatem cum in alios, tum in nobiles, & in *Guielmum* de *Alderis* præsertim, qui illum è sacro fonte leuauit, quem publicè prius flagellatum, in crucem (constanter suam innocentiam contestantem) sustulit, prætermittam. Coniugio prorsus abstinuit, non castitatis laudabili zelo, sed in alienæ pudicitiæ, alienique thori maiorem iniuriam. Qui erant illi intimi, alijque aulici, illius exemplo in eadem, aliaque eius vitia certatim proruebant; adeò vt iam curia illius (vt reliquas indignitates & magnitudine graues, & numero multas supprimam) turpe quoddam lupanar planè referret. Sed parum erat quod huiusmodi se stupro, & adulterio fœdè commacularet, nisi multò fœdiùs omnia pænè sacra, omnem pæne religionem polluisset, stuprasset, & adulterasset.

PATER eius, etsi, vt diximus, ad rem nimium attentus esset, vt qui omnem ferè venandæ, & corradendæ pecuniæ occasionem aucupabatur; Pontificibus tamen & Abbatibus defunctis, vacantes prouentus non in suos vsus conuertit, sed successoribus ad assem vsque reseruauit. Accuratum quoque delectum ferè habuit personarum, quibus sacros committeret magistratus. At RVFVS sic erat, vt Episcopi aut Abbatis morte semel audita, ex suis aliquem mandaret, qui bona & possessiones defuncti curiosè inquireret, & inquisita, in scripta, ad pecuniam in regios inde vsus redigendam, exquisitè referret. Medios enim omnes fructus, quasi in hostili vastatione, velut hastæ vocique præconis subiectos, turpissima nundinatione intercepit. * Exquisitis enim palam precijs, licitationibus factis, sacros huiusmodi prouentus is demum, qui alios licitatione superabat, sibi auferebat. Ita demortuo LANFRANCO, per quatuor annos in *Cantuariensem*, ita in multos alios vacantes Episcopatus grassatus est. Magna deinde de nouo aliquo successore inquisitio, & inuestigatio adhibebatur. Non vt gratis selectissimum quemque (quod aliquod fuisset malorum temperamentum) sed scelestissimum quemque, maiusque alijs precium offerentem, licitatorem sufficeret. Ita demum, sacra illa dignitas, indigne per indignum, & in indignum collata, * careque; medijs etiam vt diximus fructibus spoliata, maximóque animarum vtrinque periculo, summáque cum diuina indignatione redempta, conferebatur. Vnum tamen in hoc vitio reprimendo, illustre & ad memoriam insigne exemplum reliquit. Forte enim ita vsuvenit, vt defuncto Abbate cuiusdam cœnobij, duo eiusdem cœnobij monachi, ad eam præfecturam ambitiosè aspirantes, tale pactum & conuentum apud se inierint, vt alter alterum mutua ope & suffragijs ad * eam adipiscendam adiuuaret, & muniret. Adeunt itaque Regem & præclaros licitatores agunt. Rex interim alium monachum, qui eis inseruiebat conspicatus, ad se accersitum, quanti illam præfecturam redimere vellet, interrogat. Cum ille respondisset, se ne teruntium quidem dare velle, esse enim rem pernicioſi exempli; neque se vel gratis oblatam magni æstimare, quippe qui se in monasticam disciplinam, ad omnem diuitiarum honorumque contemptum ab initio dedisset: admiratus tam insolens RVFVS responsum, tamque rarum integritatis exemplum, reiecta turpi illa competitorum ambitione: probum hunc monachum in defuncti locum submisit. Cetera tamen sui similis permansit. Propter quam impotentem illius auaritiam, & illa, quæ diximus incommoda acciderunt: & his incommodis illud etiam accessit, vt qui tum venalem dignitatem adepti sunt, ipsi rursus quasi prædam suam eam facerent, & suos, homines grauissime spoliarent. Iamque omnes pæne qui Clero ascripti erant, pecunijs coaceruandis, litigijsque & forensibus rixis, & prædijs (*firmas* appellamus) redimendis, toti se dabant. Peruenerat querela multorum, aduersus sacrilegam hanc RVFI expilationem, ad aures VRBANI summi Pontificis. Qui eum per litteras, sed frustra, ad vitæ morumque emendationem solicitauit. Nequeenim partim propter seditiones, quibus per *Normannos* in *Apulia*, partim per *Wibertum* æmulum

* *Al. Ex quæ Ecc.*

* *Alias absq; ea vlque.*

* *Alias desq; eam.*

æmulum, vitio, & contra doctrinam ecclesiasticam creatum *Romanum* Pontificem exagitabat, aliaque impedimenta, iusta in RVFVM animaduersione visus est. Imo & magis in *Wibertum* RVFVS propendebat, eáque occasione arrepta, annuam illam *Romanæ* sedis pensionem intercipiebat. Fuitque hoc seminarium implacabilis eius cum ANSELMO discordiæ, viro omni veri Pontificis laude cumulato, quòd ille ab VRBANI partibus staret. De quo viro, & controuersijs illis, quibus cum RVFO implicatus erat, mox vberius dicetur. Qui nunquam ab eo impetrare potuit, vt synodum aliquam virorum ecclesiasticorum coire pateretur, ad ea vitia detrahenda & tollenda, quæ ecclesiam turpiter fœdauerant. Veritus est inter alia, vitiorum & flagitiorum suorum satis sibi conscius, ne forte ecclesiastica aliqua censura propter illa castigaretur. Quam tamen omnem, propter aliquod animæ impendens periculum non magni fecit. Neque multùm, si per totam vitam Diuinorum Sacramentorum expers esset, laborabat. Adeo erat in procuranda animæ suæ salute socors, & remissus. Imo & in ipsam Christi religionem, multáque ecclesiastica dogmata satis frigidè affectus erat. *Iudæos*, qui Christum professi erant, ad veterem superstitionem, tanquam canes ad vomitum, muneribus deprauatus redire impunè passus est. Traditur etiam, quod cum *Iudæi* illi, qui *Londini* commorabantur, quos pater à *Rothomago* accersiuerat, munera quædam illi detulissent, mirificè fuisse illis delinitus, iussisséque vt Christianos strenuè aggrederentur, argumentisque lacesserent ad religionis ipsorum propugnationem. quos si expugnarent, pollicitus est se quoque illorum sectam amplexurum. *Iudæi* vero, etsi manifestè vanitatis arguerentur, palamque conuincerentur, non se tamen solidis argumentis, sed factione premi iactabant. *Gul. Mal. de reg.*

FATO magis & casu, quàm diuinæ prouidentiæ, gubernationisque æternæ rationibus, omnia contineri agique existimauit. A Diuis nihil nobis opis, aut subsidij suppeditari, & irridendo, Ea scilicet cura mortuos torquet, vt nostris se negotijs interponant, aiebat. Cum ROBERTVS frater in *Hierosolymitanam* expeditionem profecturus, pro certa pecunia *Normanniam* illi oppignorasset, ad eam colligendam; quasi sub aliqua iam pietatis specie, ANGLOS intolerabili exactione deprædatus est. Cumque multi Episcopi & Abbates apud eum quererentur, de exactionis immanitate, neque posse se imperatam pecuniam sine grauissimo detrimento conficere; nullum aliud ab eo responsum auferre poterant, quàm illud; An non habetis capsas ex auro & argento fabricatas, mortuorum ossibus refertas? Ita illi, ad illius auaritiam explendam, aurum argentumque Diuorum reliquijs, Christique ipsius crucifixi imagini, calicésque ab altari detrahere cogebantur. De commemorata illa *Hierosolymitana* profectione, variisque eius euentibus, & quomodo ciuitas *Hierosolymitana* in potestatem, & manus Christianorum rursus reciderit, cum ad RICHARDI Regis historiam peruentum erit, aliquid attingemus. At GVILIELMVS, quo tempore alij multi principes, vt Christianam fidem in illis regionibus, vbi Christus nostra delicta suo ipsius sanguine expiauit, deperditam & extinctam, atque à perfidis oppressam erigerent & restaurarent, grauissimi itineris labores suscipiebant; nec bona sua tantum, sed & sanguinem suum generosè profundebant: nullis se huiusmodi laboribus, sumptibus, vel periculis exposuit. Imo ANSELMVM, & alios interim pios homines, grauissimè insectabatur, & pecuniæ solùm augendæ, & accumulandæ operam dabat. Neque vllum finem aut modum, effrenatæ huic suæ cupiditati imponere potuit. Cui vt inseruiret, arcámque nummis cumularet; ecclesias suis pastoribus diu destitui, summo cum periculo animarum eorum, qui suis pastoribus destituti, liberiùs & licentiùs in omnia vitia ruebant, patiebatur. Atque eo ipso tempore, quo defunctus est, tres Episcopatus, *Cantuariensem*, *Wintoniensem*, & *Sarisburiensem*, & duodecim Abbatias sibi retinuit.

HI ergo Regis vitiosi & deprauati mores, in magnam Dei offensionem atque iram, non dubium, incurrebant: Quam omnia pæne elementa, raris & inusitatis, (quibus singuli fere anni, quibus regnabat GVILIELMVS, insigniebantur) quibusdam prodigijs, sed nihil tam illustri documento, quàm mors ipsa Regis testabantur. Eo certe quo obijt anno, apud *Hastedium* in comitatu *Bershiry*, fons quidam ad quindecim dies sanguinem pro aqua effudit. Multa tam somniorum ipsi GVILIELMO, quàm alijs alia visa, prouidendi sibi si sapuisset, data occasione obiecta sunt; quibus, tristia GVILIELMO imminere fata, præsagiebatur. Pridie enim quàm mortuus est, sanguis sibi per somnum è venis ipsius ad cælum vsque stillaisse visus est, ipsumque cælum tenebris obduxisse. Quo somnio valde consternatus, & expergefactos, cubicularios excitat, candelam accendi mandat, neque eos à se abire, antequam dies eluceſceret passus est. Mane monachus quidam *Robertum Haimonem*, qui ei erat ab intimis consilijs, adit, quid ei per quietem horribili viso de *Vide Gul Malm. de reg. & Thom. Rudburnum in chron. maiore.*

Rege GVILIELMO representatum sit, non sine magno imminentis alicuius mali metu narrat. Visum enim sibi GVLIELMVM in Christi crucifixi imaginem magno impetu irruisse, eamque infixis dentibus graui morsu arrosisse. Imaginem mox tantum GVILIELMO colaphum pede suo impegisse, vt eum ad terram prorsus prostrauerit. In qua dum ille volutaretur, ex ore iacentis flammam, eiusque fumum ad ipsas stellas manasse. Sed hæc omnia GVILIELMVS pro nihilo habuit, & quasi delirantis monachi vanum somnium, & lucrum aliquod sibi inde captantis irrisit. Verum enim verò grauem in se post paucas horas Dei manum, & vindictam persensit. A prandio enim, dum in noua illa, de qua diximus, silua venaretur, sagitta non in illum quidem ex proposito, sed in prætereuntem fortè ceruum, a *Gualtero Tirello* iacta, non ceruũ, sed ipsum GVILIELMVM ita transfixit, vt mox exanimis, nulla penitus voce edita, ex equo corruerit. Famuli Regis alij alio dilapsi, corpus Regis in silua (quod mirum) reliquerunt. Illud tamen in curru positum, rustici quidam *Wintoniam* detulerunt, sanguine eius per totam viam copiosè stillante.

Gul. Malm.

EXVLABAT tum in *Gallia* ANSELMVS, qui cum insigni pietate præditum *Hugonem*, Abbatem illum *Cluniacensem* apud *Marciniacum* inuiseret, Præterita (inquit *Hugo*) nocte, Rex GVILIELMVS coram Dei se tribunali sistebat, tristisque aduersus eum sententia lata est. Multáque quibusdam comitibus ANSELMI visa acciderunt, ex quibus intelligebatur GVILIELMVS iam mortuus. Quæ non fuisse falsa, sed veracia, certi nuntij paulò post aduenientes ex ANGLIA, planè & perspicuè ostenderunt. Hunc infelicem exitum habuit RVFVS, qui licet sequentes Principes ab omni ecclesiarum vacantium spoliatione non prorsus deterruerit, frænum tamen quoddam iniecit, moderatioresque effecit; sed ita nihilominus, vt Episcopatuum & cœnobiorum, quæ maiores ipsorum instituerunt, ad annum fructus sibi vendicarent. Sed posterioribus sæculis aliquanto mitius, & temperantius actum est, quibus quasi transactione quadam, Regibus, certa quædam pecuniæ portio, à monasterijs pendebatur; & ipsi rursus ab illis, qui cœnobiorum conditoribus, nouum substituendi Abbatem potestatem accipiebant. Sic sex mensium, & nonnumquam totius anni, media emolumenta ex Episcopatibus ad Reges recidebant, tota interim iurisdictio, & profluentia inde commoda, ad Primatem hodie, destituta pastore prouincia, recidunt.

Edmerus in vita Anselm.

Polid. lib. 10.

De SIRICIO, *deque* ELPHEGO *martyre, & alijs* Cantuariæ *Archiepiscopis.*

CAPVT VIII.

PRIMARIA, post ELFRICVM, sede SIRICIVS ornatur, si *Guilielmum Malmesburiensem* & *Florilegum* sequamur, alij ELFRICO ELPHEGVM *Wintoniensem* Episcopum substituunt. SIRICIVS verò, siue [a] SIGERICIVS quàm malè [b] audit, quòd ANGLIAM exhauriendi & expilandi, sine aliquo solido pacis fructu, cum ASVOLDO & ALFRICO Ducibus, author fuerat Danici illius tributi dependendi: tam ELPHEGVS ad omnes temporum perpetuitates, celebris est, quod vitam etiam suam redimendi ergo, hominum suorum expilationes & direptiones pati noluerat, vt mox vberius dicemus. Qui etsi illustres natales haberet, virtute tamen sua, maioribus suis præluxit; & maius dedit, quam à natalibus accepit, ornamentum. Literis imbuendus, præceptoribus à parentibus traditus, breui feliciter in illis promouit: sed magis in pietate, & mirifico Dei amore, cuius solius voluntati, præ ceteris, parere summopere cupiebat. Quæ pia affectio cum in dies in adolescente augescetet, ne terrestres diuitiæ, occupationes, aut cura, aliquod pietati impedimentum obiicerent, summo fastidio despectis illis omnibus, in cœnobio *Derhirstensi* monasticam vitam amplexus est. Arctiorem deinde vitam meditatus, secessit *Bathoniam*, vbi structa exigua domuncula, solus diu mansit. Sed virtutum eius illustris fama multos illuc excitit, consilij ab eo expetendi causa, multos vt monasticam ab eo viuendi rationem discerent. Iamque illi ad magnam accreuerant multitudinem, illum sibi vitæ ducem, moderatorem, & præfectum accersentes. Quibus etsi ille, quoties grauior causa postulabat, salutari consilio, vitæque exemplo numquam deesset: non tamen domunculæ adamatam solitudinem deseruit. Discipulos inter cetera semper admonebat, ne veste sola, externaque specie monachos se ementiren-

Index præfixus Mariæ & chron. ipsius, atque Flor. Wigor. & Polid. ponunt post Ethelgarum. Siricium, tum Elfricum *siue* Alfricum, *qui &* Almitius & Aluredus *dicitur.*

Qui Saxonice Altic *dicitur, vt patet in subscriptione quadam eius anno 1001. in diplomate* Ethelredi *Regis concesso Septoniensi cœnobio.*

[a] *Saxonice* Sigeric.

[b] *Gul. Mal. de Pontif. Mar. in chron an. 991.*

tirentur, advmbratáque ad speciem pietate cum vestem mutarent, vitam tamen & animum non mutarent. Cuius admonitio cum in quibusdam locum non inueniret, qui nocturnis crapulis, & potationibus licentius indulgebant; quidam, eorum dux, noctu a dæmonibus horribiliter necatus est. Cuius rei auditio, admirandum ceteris incussit terrorem, multumque ad vitæ emendationem valuit.

DEFVNCTO postea ETHELVOLDO *Vintoniensi* Episcopo, cum non mediocris de creando nouo, contentio inter Clericos & monachos, vt fit, efferuescceret: illis ad alicuius ex Clero, istis ad monachi cooptionem promioribus: DVNSTANVS ELPHEGVM Abbatem *Bathoniensem* admonitu ANDREAE Apostoli (in quem colendum mirificè propendebat) cooptandum curauit. In quo nihil homines, docto & pio pontifice dignum, desiderare potuerunt. Atque ita se comparauit, moribusque se omnium accommodauit, vt cum esset in summa apud homines gratia, gloria & authoritate positus; nemo tamen illi inuideret. Id vero in homine eximium erat, quod ita suis pro sua pietate prospexit, vt nemini suæ diœceseos publicè mendicare necesse esset. Sed nec extraneos mendicos vacuos abire permisit. Atque in hos pios vius omnem ecclesiæ suæ thesaurum exhausit: & summopere eos detestatus est, qui nulla (cum facultatibus abundarent) erga pauperes iuuandos pietate mouerentur. Priuatæ verò vitæ rigor, quem obseruabat, pæne incredibilis* est, carnibus numquam nisi ægræ vescebatur. In reliquo victu tam parcus, vt præ macie, qua corpus extabuit, vix ossa cuti hererent: & tanta quidem fuit illa corporis tenuitas, vt cum de more sacrosanctam Eucharistiam in mysterijs inter manus attolleret, per medias manuum iuncturas, quasi in speculo, aduersi aëris claritatem liceret aspicere. Quid? quòd in summa & aspera hyeme, nudum corpus aquis immergens, maximam noctis partem orando transigebat? Sed nihil tamen corporis illa imbecillitas animi vires in eo, quo minus strenuè omnibus veri, & sancti Episcopi partibus defungeretur, retardabat: vt non immerito, beatus ille vir DVNSTANVS, illum sibi potissimum *Cantuariæ* successorem optaret. Nec voto ille quidem suo prorsus frustratus est, successorem enim sed alijs interiectis habuit; & cum successorem, vt eius ab eo vsque tempore pietas, per omnes omnium temporum successiones, & hodie quoque vbique cum celebri Martyrio coniuncta, sit illustris.

Osb. in vita Dunstani.

* *Alias erat.*

POST viginti & duos annos, quibus *Vintoniensi* præfuit, primariam *Cantuariæ* sedem adeptus est. *Romam* deinde pallij adipiscendi causa profectus, superatis Alpibus, in oppido quodam, vbi hospitio exceptus est, rebus suis omnibus non modo spoliatur, sed & verberibus, atque contumelia afficitur. Ille suas dissimulans injurias, inde discedit. Vix pedem oppido extulerat, cum illud incendio repentino conflagrat. Cuius cum nulla euidens causa, appareret, suspicati quod res erat, ob hospitalem illam tesseram sacrilegè violatam diuinitus immissum, ad ELPHEGVM concito gradu properant, eumque reducentes veniam postulant, intercepta restituunt, opem supplices implorant. Quibus ille non modò facilè condonauit, sed oppositio Crucis signo, incendium etiam illud omne mox repressit. Dum *Romæ* moram trahit, successor eius *Wintoniæ* obijt: cuius mortem tanto interuallo dissitus agnouit, alijsque etiam narrauit. Fuerunt hæc tempora, & ante ELPHEGI abitionem, & post reditionem eius, *Danica* depopulatione infestissima. ELPHEGVS verò omnem, quam corradere potuit pecuniam, in redimendis piè & liberaliter ANGLORVM captiuis, consumebat, neque minus interim solicitè apud *Dacos*, quoties occasio ferebat, egit, vt quemadmodum suorum corpora e misera *Dacorum* seruitute, ita & *Dacorum* animas, quorum multi adhuc à fide Christi alieni erant, à diabolico iugo, per sanctæ fidei persuasionem, vindicaret, & assereret. Et quemadmodum in salutem suorum omnes thesauros, ita & vitam ipse suam prodegit & exhausit: vt verè in illum quadraret, *Bonus pastor animam suam pro ouibus suis ponit*. Nam cum vastata *Cantia*, ad *Cantuariam* obsidendam *Dacorum* exercitus venire nuntiaretur, multique quotidie ex ciuitate, alij ad *Dacos*, alij aliò confugerent: primarij viri cum lachrymis obtestantur ELPHEGVM vt maturaret fugam, & suæ saluti consuleret. Ille verò illiberalis, sordidi & mercenarii pastoris esse dictitans, oues destituere, lupisque exponere; ad omnem euentum non se solum, sed & reliquos ciues egregia consolatione, exemplisque præclara à martyrum constantia petitis, sacrosancta denique eucharistia ad omnem tolerantiam armauit, & munuit.

DACI, cum aliquamdiu ciuitatem obsedissent, neque diu hostium violentiæ pares suos futuros ELPHEGVS videret, missis nuntiis solicitè cum *Daco*, sed frustra de pace agit. Nam magis ille post hanc legationem efferatus, non prius conquieuit, quàm incensa vrbe

potiretur. Mira deinde, & immani in omnem ordinem sexum, & ætatem crudelitate grassatur. Quod ELPHEGVS, qui in templo erat, intelligens, vltrò ad eos prodijt: hortatur vt leniùs & mitiùs, cum inermi populo, & mulieribus, ac pueris præsertim agant: in se potius omnem suum furorem effunderent. Mox itaque ab eis capitur, & manibus gutture intercluso, loquela illi omnis intercipitur. Vinculis pium Pontificem crudeliter astringunt, pugnis & calcibus latera contundunt, & genas eius vnguibus lacerant & dilaniant; ipsumque in tetrum carcerem conijciunt, ecclesiæ ignem immittunt, nouumque & multis partibus immitius, quàm illud in Thebæorum sacram legionem crudelitatis spectaculum repræsentatur. Ibi enim decimus quisque fortuitò morti obiectus est; hîc verò cæsis nouem, decimus non tam ad vitam, quàm ad longiorem miseriam reseruatus. E quibus monachi quatuor, ex reliquis octingenti. Sed non impunè tulerunt, hæserunt enim mox in grauissimis pœnis à Deo immissis, quæ immanibus capitis & viscerum doloribus, duo illorum millia exiguo tempore absumpsêre; & cum malum in dies ingraueiceret, cœperunt tandem vereri, ne digitus Dei esset, & mali magnitudine ad Episcopum, eiusque opem flagitandam, confugere coacti sunt. Ille iniuriarum deposita memoria, benedictum à se panem dari eis iubet, quo gustato, mox omnes conualuere. Molliores deinde erga eum redditi sunt, cum propter beneficium recens acceptum, tum propter iniurias, quas illi contumeliosè intulerant, quemque iam septem mentes in carcere continuerant; neque quicquam iam impedimenti supererat, quin liberè quò liberet, abire illi liceret, si pecuniâ suam salutem redimere vellet. Quam cum ille se daturum constanter negaret, quam sine insigni suorum hominum ecclesiæque detrimento conficere se non posse videbat; indignumque putaret, cum *Laurentius* martyr, quos acceperat nummos, CHRISTI hostibus prodere nollet; se, quos non habebat, cum aliorum damno conquirere, conquisitosque auaris & perfidis piratis prodere: feræ istæ bestiæ, cum viderent sibi prædam, cui soli inhiabant, intercipi, solito longe efferatiores, & immaniores factæ sunt. Exquisitiora iam illi tormenta parant. Veterator interim ille, & communis humani generis hostis, angelum se lucis simulans, à Deoque missum affirmans vt eum, vt olim PETRVM Apostolum, è carcere liberaret: tantum apud pium virum prævaluit, vt eum ductorem sequutus, carcerem nocte exiret. Cuius fraudes postea intelligens, seque illusum videns, supra quam dici potest animo consternatus, ingentique dolore affectus, diuinam opem aduersus hæc dæmonum ludibria implorat. Moxque verum Deus Angelum adiutorem, & consolatorem submisit. Redit ergo ad carcerem, & in ipso ingressu à custodibus comprehensus, ad internecionem propemodum cæsus, læsoque vehementer cerebro, in carcerem detruditur; vbi ad maiorem ei molestiam exhibendam, ea incendebantur, quæ tetrum & infestum odorem naribus excitant. Sed non destituit pium Pontificem diuina sequente nocte consolatio, quam ei, cœlesti canentium choro septus, DVNSTANVS adhibuit. Quo tempore & vincula illius sponte exciderunt, & plagæ illius omnes repentè sanatæ sunt. Postridie ad supplicum productus, lapidibus primum appetitus, deinde securi percussus, inter preces, quas pro salute hostium suorum fudit, sanctam Deo animam decimo tertio calendarum Maij reddidit.

De miraculis eius post obitum, corporisque à Londino Cantuariam *translatione.*

CAPVT IX.

NEcis authores defuncti corpus, omnemque simul, vt putabant, illius memoriam obruere cogitabant. Tandem cum Christiani multis illud sibi precibus, ad sepulturam concedi flagitarent, cum duri illi & difficiles essent, nec alia id conditione, quàm si aridum & decorticatum lignum postridie efloresceret & gemmaret, obtinere potuissent; cum id miraculi, mirando spectaculo, suis ipsi oculis repræsentatum vidissent, emolliti & consternati, Sancti illis corpus donarunt. Quod à pijs *Londinum* deductum, in principali ecclesia Diui PAVLI, honorata pompa conditum est. Iam quam graues seueræ suæ Deus vltionis aculeos, in *Haconem*, in *Trugillum*, & alios necis beati viri authores, terra marique infixerit, dicerem nisi ab alijs id peti posset: & nisi mallem in gloria potius viri,

qua

quâ eum post obitum Deus in terris extulit, & amplis beneficijs, quæ per eum Deus contulit humano generi, quàm in miserorum pœnis orationem verlari. Atque eo magis mallem, quod hæc, licet alioqui fidem pæne superent, author noster ab his hauserit, qui rei gerendæ interfuerunt. Eo verò loci, quo humatus erat, cæcis visus, surdis auditus, infirmis sanitas, claudis pedum firmitas, aliaque id genus beneficia conferebantur. Suggestum verò est à pijs quibusdam postea Regi CANVTO, vt si Deum beatumque virum placare; si res suas valde tum exacerbatas, inoffenso cursu fluere vellet; curaret beati Pontificis corpus *Cantuariam* deferri, vt ibi more maiorum, iuxta decessores suos conderetur. Quam satis propensa aure orationem ille audiuit, & rem eam, se ad suam curam opportuno tempore reuocaturum promisit, nec minore postea fide reuocauit. Accersit igitur post decennium EGELNOTHVM *Cantuariensem* Archiepiscopum, qui *Londinum* aduenies, rectà ad ecclesiam Diui PAVLI perrexit; quod cum Rex intellexisset, statim venit ad Archiepiscopum, & qua gratiâ eum accersit narrat, nimirum vt corpus ELPHEGI *Cantuariam* deferri curaret.

TVM Archiepiscopus ad primam auditionem obstupefactus, suas Regi rationes tantæ rei conficiendæ, non satis prouisas, & præmeditatas dicit. Vereri * præterea se, ne à ciuibus *Londinensibus* discerperetur, qui vita potius, quam tanto thesauro & patrono destitui vellent. Ad hæc, Vides, inquit, nos solos & duos monachos adesse, tantæ verò esse magnitudinis lapidem, quo monumentum clauditur, vt eum vix aliquot boum paria mouere possint. Rex magna fide armatus respondet, Dei & beati viri, si illis ea translatio placeret, opem non defuturam. Imponitur igitur hoc onus duobus illis monachis, quorum alter *Godricus* Pontificis, alter *Alfwardus* DVNSTANI olim familiaris dicebatur. Qui, cum alia deessent instrumenta, cæmentum & minores lapides ferreo quodam candelabro, quod fortè occurrebat, dissiparunt. Pleni deinde fiducia, qua nixi id, quod supra illorum vires erat, sola in Deum & beatum virum spe erecti, flexis genibus aggrediebantur; amouendoque ingenti illi saxo humeros admouentes, leui impulsu in alteram illam partem conrorquent. Atque mox beatas reliquias contemplantur. Alia tamen cura adhuc eos vrebat, quod lignea tabula, qua corpus ad nauem deucherent, deesset; & ecce, dum corpus componunt, & lintheis inuoluunt, conspicantur tabulam, quasi ad eum vsum paratam, corpori substratam. Fuit verò corpus omninò integrum & incorruptum; quod ita centum postea annis perduraſſe, quasi rem certam narrat *Guilielmus Malmesburiensis*. Humeris deinde suis impositum, monachi ad ripas *Tamesis* deferunt, Rege & Archiepiscopo prosequentibus. Dispoſuerat vero Rex per ciuitatem, & vtrasque *Tamesis* ripas præsidia, aduersum omnem (si quis forte accideret) ciuitatis tumultum. Cumque ad vltimas *Tamesis* ripas delatum esset corpus, naui eductum, Rex suis ipse manibus, currui imposuit; atque ita honorata pompa, magnóque militum cum præsidio *Cantuariam* deuehitur, exceptumque est summo cum honore, incredibilique ciuium omnium & Cleri lætitia. Et post tertium diem Regina EMMA, cum filio HARDECANVTO, religiosè illud inuisit, amplaque donaria obtulit. Nec defuerunt diuina miracula, quæ & eo tempore translationem hanc, (& posterioribus etiam cohonestarunt; habituſque est deinceps non solum pro pio Pontifice, sed & sancto martyre. Qua in re cum LANFRANCVS, *Cantuariæ* Archiepiscopus aliquamdiu hæsitaret, cum non pro fide; sed quia auaritiæ prædonum satisfacere nollet, obijsset; & *Beccensi* Abbati ANSELMO, qui ei postea successit, hanc suam hæsitationem aperiret, eleganter & grauiter vt cetera omnia, eam ille quæstionem tractauit: nec dubitandum dicebat, quin ELPHEGVS qui tanto Dei & proximi amore incensus erat, vt mori non recusaret, potiùs quàm proximos expoliari sua pecunia pateretur; oblatam pro Christi fide asserenda mortem, multò proniore, inflammatioreque desiderio subijsset. Iustitiæ igitur accuratè excolendæ, amor hanc illi voluntatem extorsit; Christum autem & iustitiam, & veritatem esse. Celeberrimum autem esse per omnem ecclesiæ memoriam IOANNIS BAPTISTAE martyrium, quo illum non fides, sed veritas nobilitauit; quidni igitur & ALPHEGI martyrium iustitia nobilitaret? His & aliis, quæ exquisitiùs postea ad mentem suam, & cogitationem LANFRANCVS reuocauit, permotus; non modò illum per totam postea vitam, vt amplum quemdam martyrem coluit: sed & vitam illius per *Osbernum*, (quem sequimur) eleganter summaque fide concinnari, suáque in ecclesia ANGLORVM authoritate confirmatam, legi curauit. Quam exactam in his rebus LANFRANCI diligentiam, si reliqui omnes sequentes Pontifices, vt par erat, obseruassent, neque quicquam

* *Alij propter Londinenſes.*

Eadmerus de vita Anſelm. lib. 2.

in

in ecclesia, legi, nisi grauiter bonáque fide scriptum, & diligenter excussum permisissent tam multa ascititia & commentitia in ecclesiæ lectiones non irrepsissent, quibus defuncti sancti non tam honestantur & ornantur, quam dehonestantur & dedecorantur.

De LEVINGO *& alijs* ELPHEGI *successoribus* Cantuariæ.

CAPVT. X.

Guil. Malm. de Pontif.

THELREDI verò Régis nomen & famām (vt cetera omittam) grauiter contaminauit nimia illa illius (vt leuissimo verbo vtar) socordia & ignauia, qua tantam stragem *Cantuariæ* editam inultam abire, & talem tantumque Episcopum totos septem menses, fœdo carcere claudi passus est, quam graui posteà pœna, exilioque luit. At ille interim pecunia, non armis, aut virili animo pugnans, eo ipso tempore & anno, quo ELPHEGVS *Dacorum* importunæ exactioni se, vt diximus, opposuit, suorumque hominum calamitatem spoliationemque suo capite redemit; à subditis toties exhaustis, quadraginta & octo librarum millia expressit: quibus vnius, aut alterius anni quietem turpiter lucrifaceret. Intra biennium enim aduenit SVENO numerosa classe instructus, nec prius homines, immane quanto numero, omniáque longè latèque vastare destitit, quam ETHELREDO in *Normanniam* pulso, omnia in suam potestatem redegisset. Suffecit interim ETHELREDVS ELPHEGO LIVINGVM, qui & ELSTANVS dicitur, *Fontanensem* prius Episcopum; & huic CANVTVS Rex ÆTHELNOTHVM, cuius meminimus in vita ELPHEGI. Post biennium *Romam* profectus honorificé à BENEDICTO Pontifice acceptus, pallium secum retulit, in quo itinere ingenti pecunia brachium diui AVGVSTINI emit apud *Papiam*, & in ANGLIAM transmisit. Summopere ÆTHELNOTHVM hunc Rex CANVTVS, tum quòd ab eo regia corona redimitus esset, tum propter hominis præstantes dotes (ob quas ÆTHELNOTHVS bonus vulgo appellatus est) complexus est, atque coluit: neque ille rursus suo vel in gratijs. vel in gratia

Author coætaneus mortuo præsertim referenda, officio defuit. Conuenit CANVTVS, cum EMMAM vxorem sibi coniungeret, cum ea, religiosèque promisit, nolle se quemquam ex alijs suis liberis, quamdiu supererent sibi ex EMMA liberi, successorem sibi in regno designare. Eo tamen defuncto, per studium partium, & quia ita comparari solet, vt præsentes facile regnum, quod alijs, sed absentibus debetur, sibi per subreptionem intercipiant, in regni administrationem HARALDVS, vt dixi, se ingessit. Accuratis igitur precibus cum ÆTHELNOTHO *Cantuariensi* egit, vt diademate regio ab eo de more insigniretur: hoc quasi firmamento quodam, res suas non satis adhuc firmas & solidas muniturus.

Ex dicto auctore. RESTITIT ÆTHELNOTHVS, & religiosa attestatione palam professus est, vnis EMMAE filijs, nemini hominum aliorum suffragia sua se daturum, aut benedictione sua regiaque corona ornaturum; hos, inquit, mihi CANVTVS moriturus, meæque fidei commisit, quam ego numquam fallam. Moxque sumptum diadema cum sceptro, altari imposuit, Episcoposque execratione deuouit, si quisquam eorum ea illi traderet. Denuntiat præterea Regi, ne sibi tantum arrogaret, vt ea ipse, quæ Deo & sanctæ mensæ credidit, inde sua priuatim authoritate tolleret. Hæc dicta miré animum eius exulcerabant, quare in omnem se partem versabat, nunc leniter blandiens, & ingentia officia atque munera amplissimis verbis pollicitus, nunc grauibus minis hominem sed frustra territans. Vtrum postea, & à quo, sit diademate redimitus, nihil reperio. ÆTHELNOTHVS verò eo ipso, quo HARALDVS obijt, post octodecim administrationis annos; eam ad EDSIVM, siue vt quidam appellant ad EDSINVM transmisit: à quo EDOVARDVS diademate insignitus est. Cum is deplorato morbo, qui eum ad sacerdotalem functionem muneriſque administrationem ineptum reddiderat, corriperetur; ita rem cum Rege, & *Goduino* Comite tractauit, vt abeunti sibi post duos annos ab eo magistratu, SIVARDVS *Abindonensis* Abbas succederet. Designatus igitur successor propter summam in EDSIVM ingratitudinem, cui tam impotenti & infirmo homini necessarium victum denegabat, reiectus est. Ne tamen nihil actum videretur, & minori verecundia afficeretur, *Rossensi* sede donatus est. ROBERTVS deinde *Normannus*, & *Gemiticensis* monachus eum magistratum inijt. Qui, quod EDOVARDO exuli in *Normannia* gratus fuisset, & officiosè inseruisset,

ab eo

ab eo *Londini* primùm, deinde & *Cantuariensi* sede amplificatus est, habuitque Regem in sua plane potestate, eius voluntatem ad arbitrium suum omnibus in rebus inflectens. Quare ANGLORVM in se offensiones, odiaque excitauit, *Goduini* præsertim, cui Regem, quibus rationibus valuit, infestum reddidit. *Romam* abijt, reuersusque cum literis, vt in gratiam pristinam & gradum reponeretur, cum venisset *Gemmeticum* fato ibi functus est.

VTRVM autem obierit, cum ab ANGLIA abierat propter EMMAE (vt quidam, sicut diximus, volunt) an potius vt alij (in quos magis propendo) propter *Goduini* causam, non videtur satis expeditum. Pace enim inter Regem & *Goduinum* Comitem coeunte, qui ingentem contra Regem exercitum conflauerat, quidam proceres & Episcopi *Normanni*, qui suis apud Regem contra *Godwinum* criminationibus, illum ad has tui bas ciendas concitasse censebantur, in exilium abacti sunt. E quibus fuere ROBERTVS commemoratus, GVLIELMVS *Londinensis*, VLF, siue VLPHIVS *Lincolniensis* Episcopus. Et in hoc ROBERTVM exilio, fato functum, non in illo priore, quo ad declinandam inuidiam, quam ob falsas contra EMMAM Reginam criminationes contraxerat, cum alij, tum *Thomas Rudburnus*, qui accuratè, vt alias, ita & huius temporis historias perscripsit, palam testatur. Qui & alium scrupulum, qui lectorem facile torquere possit, amolitur. Annales * quidam nostri cum ad ea tempora, quibus infamiam & maculam illam EMMA nobiliter eluit, ROBERTVM *Cantuariensem* Archiepiscopum appellant. Quod non posse consistere ostendit. EDSIVS enim, siue EDSINVS, adhuc superstes erat. Sed cum ille tanto muneri obeundo, propter eam, quam diximus, causam, parum esset idoneus, *Robertus* vices illius obibat, omniaque quæ ad Archiepiscopi curam, atque administrationem spectabant, gubernabat. Atque inde factum est, vt Archiepiscopi illo tempore quidam illi nomen tribuant. Cui postea, a LONDINENSI sede, quam post illam EMMAE purgationem & exilium consequutus est, migrans, successit. Permansit in Archiepiscopatu biennio tantum.

Polid. l. 8.

Gul. Mal. l. 2. de reg. ca 83. & de pont. lib. 3. Floril. an 1052. & Galli um chronicon eodem anno.

* *al.* quidem. *Thom. Rudburnus in chronico maiore.*

De STIGANDO *Archiepiscopo* Cantuariensi *exauthorato & desecrato.*

CAPVT XI.

EVIT quidem STIGANDVS vir alias non omnino contemnendus, ceterum literis pro luce suæ dignitatis tenuiter instructus, impotenti vero ambitione adeo transuersum actus, vt nihil esset tam sanctum & sacrum, quod non suæ dignitatis amplificandæ emere, aut, opum suarum augendarum gratia, alijs vendere detrectarit. Ita vt Episcopatus & Abbatias quasi hastæ, & * auctioni publicæ expoluerit. Sic pecunia interueniente ad *Helmhamensem*, in *Orientali Anglia* Episcopatum obrepsit. Fuit postea *Australium Saxonum* Episcopus, quem cum nimis tenuem, exilem, aridum & obscurum existimaret, animum *Vintoniensi* adipiscendæ intendit, & adeptus est. Nec eo contentus, EDOVARDI Regis simplicitate abusus, fœdo incestu quasi patris cubile inuasit, *Cantuariensemque* sibi sedem, decessore ROBERTO adhuc superstite, nec Episcopatu de more ecclesiæ adhuc per eum deposito) rapuit, & difficulter ab eo impetrari potuit, vt vel *Australium Saxonum* Episcopatum alij dimitteret. Adeoque non indoluit, pœnitentiamque ob ista nefaria scelera nullam cepit, vt aliud magis nefarium accumularet. Perturbauerat id temporis ecclesiam schisma, quod *Cadolus* qui HONORIVM se *secundum* dici voluit, excitarat aduersus ALEXANDRVM *secundum*, verum & germanum ecclesiæ *Romanæ* Pontificem: cui dignitas ex omnium pæne Christianorum consensu; & concilij tum *Lateranensis*, tum *Mantuani* decreto, conseruata est integra & illibata. *Cadolus* vero tacita pæne omnium voluntate, & horum conciliorum authoritate palam *exauthoratus est*. STIGANDVS suæ indignitatis satis conscius, & veritus ne ambitio sua veri pontificatus authoritate coerceretur, schisma ad eam confirmandam arripuit, & *Cadolo* se adiunxit; eúmque pro legitimo & genuino pontifice amplexus est, pallioque ab eo ornari postulauit. Et quoniam quod dicitur. *Mutuo muli scabiunt, Cadolus* vt STIGANDO gratiam reponeret, qui, aliorum pæne omnium ab illo animis auersis, illi tamen adhærescebat, promptissima STIGANDO voluntate gratificatus est; vt id daret, quod nec ipse dandi, nec ille accipiendi ius habuerat: alieni scilicet vterque throni improbus inuasor.

Ex Flo. Wigorn. Gul. Malm. Mat. Paris. & alijs.

* *al.* exactioni

ILLVD quoque hic etiam animaduertere erit operæ precium, nullum ante hunc STIGANDVM *Cantuariæ*, ab AVGVSTINO primo initiatore, & dedicatore illius sedis Episcopum sedisse, qui monasticam priùs non fuisset professus. Hoc igitur summam sacerdotij adhuc non vacantem sedem, ita præter ius & consuetudinem ecclesiasticam occupante, GVILIELMVS, qui vulgò *Nothus* dictus est, ipsum etiam regnum, nec meliore quidem iure violenter occupat; EDOVARDO illo *Athelingo*, de quo diximus, adhuc superstite, quem & regij proxima sanguinis coniunctio, ipsumque adeò ius ad regni potius habenas vocabat. Atque ita licet (id quod passim in Christiana republica aliàs obseruare poterimus) animaduertere, cum religionis sacrorum rituum, & consuetudinum interitu, contemptu aut conuersione, coniunctam reipublicæ quoque ciuilis conuersionem & ruinam. GVILIELMVS igitur ANGLIAM armatus ingressus, apud pagum *Hastingensem* præclaram contra HARALDVM victoriam reportauit. GVILIELMVS victoria hac potitus, in *Cantium* paulò post, vt arcem *Douerensem* expugnaret, profectus est. *Cantiani* enim imperium eius, frigidam præsertim suffundentibus STIGANDO, & Abbate *Egelsino*, constanter detrectabant; & venienti armati occurrebant, ramos ex arboribus decerptos singuli manibus deferebant, vt his in terram proiectis aduentanti, aut viam aditumque præcluderent, aut impediriorem multò facerent. GVILIELMVS postridie contra eos properans, iamque in conspectu positus, mirari & stupere, cum nemus quoddam, magis quàm exercitum sibi appropinquare cerneret. Illi mox proiectis in solum ramis, ad pugnam se expediunt. STIGANDVS interim & *Egelsinus* ad Ducem delegati proficiscuntur, & omnium nomine se eum pro Rege agnituros profitentur, si patrias sibi leges & consuetudines integras, & imminutas concederet; paratos alioqui vniuersos belli se discrimini exponere, & extrema quæque potiùs quàm seruitutem, cui non assueuerant, subire. GVILIELMVS vir prudens, tempori cedendum, neque rebus adhuc calentibus, & importuno tempore, tantæ aleæ, & periculo summam totius rei committendam ratus, desiderio illorum suffragatus est. Retinuerunt ab eo tempore, & adhuc retinent *Cantiani*, veterum *Saxonicarum* legum, & consuetudinum quasdam reliquias, quæ vix alibi in ANGLIA obseruantur, quod huic STIGANDI beneficio ascribendum videtur.

Thomas Spottus de abbat. bus cœnob. Ang. Cantuarie.

GVILIELMVS deinde ad aliquod tempus, magnum erga STIGANDVM amorem obseruantiámque præ se tulit, cumque secum in *Normanniam* paulò post, sub specie honoris duxit, omniáque erga eum ibi summæ obseruantiæ, sermone rebúsque ipsis indicia ostendit: eíque ab Episcopis, Abbatibus, & toto *Normanniæ* clero, solemni vbique pompa, ambitioné que obuiam itum est. Sed mira GVILIELMVS simulatione cogitationes suas tegebat, quæ eo solum spectabant, vt ne quid ille in ANGLIA, se absente, rerum fortè nouarum interim moliretur, & vt illum postea securum & inopinantem, facilius opprimeret, & dignitate moueret. Et certè antequam in *Normanniam* transmitteret, cum solemnibus ceremonijs in Regem erat consecratus, noluit diademate per STIGANDVM impositio (quod tamen munus ad solam *Cantuariæ* sedem pertinet) redimiri: submittens qui se STIGANDO ex ALEXANDRI Pontificis authoritate interponerent; eique, ne illi se functioni immiscerent, mandarent. Quamuis non desint, qui scribant STIGANDVM palam detrectasse eum regni diademate insignire, quod cum esset alienum, tanta Christiani sanguinis effusione violenter occupasset. Vtcumque sit, GVILIELMI cogitationes, quantumuis ad tempus astutè compressæ, palam aduersus eum postea eruperunt. Synodo enim per EREMFRIDVM *Sedunensem* Episcopum, aliósque ALEXANDRI Pontificis Romani legatos, regijs literis acitos, *Wintoniæ* coacta, STIGANDVS desecratus est, cum frustra GVILIELMVM eúmque fidem, sibique vim inferri inclamaret; eámque totam exauthorationem, non modo volente, sed & vrgente Rege interuenisse, à quibusdam non temerè forsan creditum est, vt aliquem ex suis *Normannis* in tam ampla sede sufficeret. Huc accedit quod in carcerem eum *Wintoniæ* coniecit, & tenue quiddam ei ex fisco ad sumptus suppeditauit, vbi & postea obijt.

Gul. Nubr. li. 1. cap. 1.

SVSPICIONEM aduersæ GVILIELMI in eum voluntatis auget & illud etiam (si sit verum quod à quibusdam traditur) quòd in *Scotiam* paulò ante hanc exauthorationem fugerit. Multa in hac Synodo crimina aduersus STIGANDVM cumulata, inter quæ illud præcipue ei vitio datum est, quòd in *Cantuariæ* sedem adhuc plenam, nec viduatam, contra canones inuolasset; & *Wintoniensem* simul retinuisset: quódque pallium ab HONORIO Pseudopontifice, de quo diximus, accepisset. Sic itaque tandem, licet sæpius ante *Romam* ab Apostolica sede euocatus, partim varijs causationibus, partim immoderatis largitionibus, de die in diem causæ cognitionem distulisset; seuerâm Ecclesiasticámque ambitionis

Matth. Paris.

Mal. de pont.

suæ pœnam exoluit. Fuêre & alij varijs ex causis in hac synodo tam Episcopi, quàm Abbates dignitatibus suis moti. STIGANDVS vero vt omnia per fas & nefas coaceruauit, ita certè sordidissimus, & sibi ipsi, cum maximè indigeret, illiberalis fuit. Parce enim & durissimè in carcere vixit & se vestiuit. Admonitus vt sibi magis, liberaliúsque indulgeret, omnia sacra contestatus est, nihil sibi penitus nummorum, vel ad necessarios vsus superfuisse. Sed hanc fuisse inanem & falsam querelam, pecuniæ illius aceruus, post obitum illius inuentus satis ostendit. Fuerunt me puero *Wintoniæ* in cœnobio Diui SVITHVNI, tres ingentes Christi crucifixi imagines, in conspicuis & editis ecclesiæ locis sitæ. Quarum vna aureis, duæ argenteis laminis opertæ, & contectæ erant. Quas vetera quædam, quæ in dicto cœnobio supersunt monumenta, STIGANDVM iis locis, ex Regis & synodi præcepto, ad peccata ipsius præsertim simoniæ expianda, pœnitentiæque ergo posuisse tradunt. Quibus & illud comprehenditur, quòd cum in illa synodo mandatum ei esset, vt se cruce signaret, nulla id eum ratione, nescio vtrum ex insciția, an occulto aliquo Dei iudicio, efficere potuisse. [a] Sed nihil horum apud *Rudburnum* reperio; Illud asserit, illo de mortuo Regem in omnia illius bona inuasisse: inuenisse vero in thesauris magnam quandam crucem ex argento conflatam, & duas imagines, eásque illum ad cœnobiam misisse, vt cœnobitæ animam STIGANDI suis Deo precibus commendarent. [b] Quanquam alibi dicat ipsum STIGANDVM magnam quandam crucem cœnobio *Wintoniensi* dedisse.

Idem & Thom. Rudburn. in chronico maiore.

[a] *In chron. maiore.*

[b] *Vbi agit de Guilielmo Giffardo Wintoniensi Episcopo tempore Henrici primi.*

CVM autem HENRICI Regis eius nominis *octaui* præcepto, vt alibi, ita & *Wintoniæ* preciosæ Diuorum thecæ spoliarentur & diriperentur; illæ tamen imagines illibatæ, & integræ relictæ sunt. Nec ita multo post *Chamberus* quidam Regi significauit, tres maximi pretij, totas ex auro & argento conflatas imagines, *Wintoniæ* adhuc remansisse. Mandatur itaque illi hæc prouincia, vt mox *Wintoniam* proficiscens, ad regios vsus eas auferret. Fecit quod mandatum erat: relatas Rex ipse contemplatus est. Sed cum prædam oratione *Chamberi* nimis ornatam, suáque expectatione longè minorem reperisset, visus est animo non satis æquo tulisse. *Chambero* certe tam parua gratia relata est, vt post paucos dies rationibus regijs obnoxius, regique valde obæratus repertus sit. Cumque non esset soluendo, in carcerem detrusus est, in quo & perijt. Repertum est nostra memoria in prædicti cœnobij templo, exiguum quoddam marmor ita inscriptum: *Hic iacet* STIGANDVS. Obijt STIGANDVS *Wintoniæ* in carcere, in palatio Episcopi quod *Wlfcium* dicitur, postquam septendecim annos *Cantuariæ* sedem occupasset.

De LANFRANCO Cantuariæ *Archiepiscopo.*

CAPVT XII.

LANFRANCVS in *Italia* natus parentibus honestis, & ab illis præceptoribus, vt liberalibus artibus imbueretur, traditus, insigniter breui tempore ita profecit, vt vix cuiquam eius ætatis cederet. Maturiore deinde ætate, ardenti pietatis & sacrarum litterarum studio flagrans, cœpit monasticæ vitæ desiderio incendi. Cúmque iam tandem cogitationes illas suas perficere, absolueréque deliberasset, despicere secum cœpit, vbi potissimùm. & apud quos eam vitæ rationem capesceret. Post diutinam deinde deliberationem, & variorum locorum lustrationem, *Beccum* sibi in *Normannia* prudenter delegit, cœnobium quidem facultatibus, & rerum copia tenue & exile; sed pijs viris egregiámque in Deum pietatem spirantibus, refertum. Eo cum venisset, incidit in ipsius cœnobij Abbatem *Herluinum* panibus conficiendis, & in fornace coquendis intentum, manúsque totas fimo oblitum. Atque ita ea res, quæ alios inde deterreret, LANFRANCVM ad illud cœnobium adiunxit & aggregauit. LANFRANCVS, cum liberaliter esset educatus, nec tam accommodus esset colendis agris, vt multi ex socijs, cœpit quicquid hic deerat, aliunde ingenio, doctrináque sua supplere, & dialecticen aliásque disciplinas *Becci* profiteri. Magnáque paulo post discipulorum multitudo, eo confluxit, fama doctrinæ LANFRANCI (quæ iam erat peruagata) excita. Quorum liberalitas mirificè cœnobii inopiam subleuauit. Sed, vt sæpe fit, vbi excellentium hominum virtus ad inuidiam potiùs, quàm imitationem aliquos rapit,

Ex Gul. Malm. & Io. Capg.

ita & LANFRANCO prorsus accidit. Detrectant igitur illi æmuli quidam apud Ducem, & valde eum suis criminationibus apud illum inuidiosum fecerunt, vt ille mandaret LANFRANCVM à *Beeco*, totáque *Normannia* submoueri. Quorum ille calumnias ita præsentsentia sua apud Ducem dissipauit, tantumque sibi apud eum ex corporis, sermonisque gratia, magnáque, quàm Dux de eo conceperat, prudentiæ opinione fauoris acquisiuit; vt non ita multo post, *Cadomensem* eum Abbatem; ac deinde pro STIGANDO *Cantuariensem* Archiepiscopum constituerit. Nec ille certe sagacis Ducis opinionem fefellit: vtrumque enim magistratum summa cum laude gessit. Cui ornamentum potius suo splendore dedit, quàm aliquod inde accepit; & *Cantuariensi* cum primis ecclesiæ. Cuius dignitatem THOMAS *Eboracensis* lædere & imminuere, & se suamque sedem ab illius Sedis primatu, imperióque subducere tentauit,

PRIMA eius rei disceptatio incidit in eum annum, quo LANFRANCVS consecratus est, cum THOMAS *Cantuariensis* se iurisdictioni subijcere detrectaret. Sed aliqua tum, licet non absoluta concordiæ ratio, ita ex consensu Regis & Episcoporum inita est, vt THOMAS quidem præsentibus ex scripto Episcopis profiteretur, mandatis se omnibus LANFRANCI, quæ religionem pietatémque Christianam respicerent, simpliciter, & absolutè, absque aliqua altercatione deinceps obtemperaturum; sed nolle * suos se successores illa conditione, aut vllo inde præiudicio, nec se erga alios LANFRANCI successores grauari, nisi *Cantuariensis* Episcopus idoneas sui iuris, postulationisque rationes, probationésque, in Episcoporum Synodo in medium proponeret. Proximo deinde anno, LANFRANCVS vna cum THOMA, & REMIGIO *Lincolniensi* Episcopo *Romam* proficiscitur. Quem ALEXANDER *Romanus* Pontifex mirificè, maximóque honore amplectitur, venientíquè assurgit; & hunc quidem se illi honorem, non vt Archiepiscopo, sed vt homini excellenti quadam sapientia, & doctrina affluenti, tribuere contestatur. Vocati autem sunt THOMAS & REMIGIVS in criminationem apud ALEXANDRVM, adeò vt Episcopali eos honore nudarit. Qui tamen tantum LANFRANCO detulit, vt eorum restitutionem in integrum, totam in LANFRANCI arbitrio reponeret. Quos & ille, restitutis annulis & baculis, in integrum reposuit. Pallium quidem LANFRANCVS *Romæ* à D. PETRI (de more) altari sumptum, ab ALEXANDRO accepit, sed hoc omnibus alijs Archiepiscopis commune. Hoc vero ALEXANDRI in LANFRANCVM obseruantiæ singularis proprium, & peculiare fuit, quod ad eiusdem vberiorem in LANFRANCVM contestationem alterum etiam pallium adiecerit, donoque LANFRANCO dederit, quo ipse, quoties solemnia & sacra Eucharistiæ mysteria perageret, vti solebat: vt alterum esset honoris, alterum amoris pallium. *Eboracensis*, qui *Cantuariensem* alienam diœcesim inuadere existimabat, & ad se eam iurisdictionem, quæ sua non esset, rapere, illi ea dere *Romæ* litem intendit. Quam ALEXANDER in ANGLIAM, vt ibi Regis, Episcoporum, & Abbatum iudicio expediretur, remisit. Cum ergo in ANGLIAM reuertissent, ea quæstio diu, & acerrimè vtrimque agitata est. Cuius summa in hoc posita erat, vt THOMAS assereret nullum se *Cantuariensi* primatus honorem, iusta vlla ratione deferre debere. Adiecit *Cantuariensem*, *Lincolniensi*, *Wigornensi*, & *Lichfeldiensi*, siue *Cestrensi* diœcesi, sedem suam *Eboracensem* spoliasse. Nulla *Cantuariensem* dignitatis supra *Eboracensem* prærogatiua fulciri, inde collegit, quod GREGORIVS *primus Cantuariensem* & *Londinensem* Episcopos, pari honoris & dignitatis gradu ornarit, vt nulla eos nisi sola temporis prærogatiua discerneret. Ad hoc voluisse GREGORIVM, vt AVGVSTINVS non *Cantuariæ*, sed *Londini* resideret; licet ille sedem, in Regis ETHELBERTI gratiam, in *Cantiam* transtulerit. Neque id quidem sibi esse præiudicio, quod GREGORIVS eidem AVGVSTINO non solum eos, quos ipse vel *Eboraci*, vel alibi in ANGLIA ordinasset, sed omnes totius BRITANNIÆ Episcopos subiecerat. Personale enim fuisse, & in gratiam solius AVGVSTINI indultum priuilegium, atque ideo ad successores minimè trahendum. Neque enim GREGORIVM, de successoribus AVGVSTINI hac dignitate amplificandis, quicquam cogitasse. Alioquin non solum AVGVSTINI, sed & successorum ipsius mentionem aliquam inijcere voluisse,

LANFRANCVS huic se opposuit, eiusque omnes collectiones infirmas, & inefficaces, plane siculneas esse palam ostendit. Atque ante omnia vsu & consuetudine, quæ ab ipsius AVGVSTINI ad illa ipsa tempora inueterauerat, THOMAM valde premebat, atque ideo eam non esse iam temere conuellendam. Proferebat in medium ecclesiasticam

* *Ali.* le suos succ.

Bedæ historiam, centum quadraginta fere annos complectentem. Quæ testabatur *Cantuarienſium* sæpe suam authoritatem & iurisdictionem, in omnes BRITANNIAE atque adeò *Hiberniæ*, & in *Eboracenſem* cum primis ecclesiam exercuisse, *Eboracenſem* ad Synodum suam sæpe accitum fuisse, atque adeò in ipsa *Eboraci* vrbe Synodum celebrasse; Episcopósque sæpe *Eboraci* coegisse, de criminibus obiectis se purgare, actionumque suarum rationem reddere. Adiecit varia *Romanorum* pontificum, GREGORII, BONIFACII, HONORII, VITALIANI, SERGII, item alterius GREGORII, LEONIS & IOANNIS rescripta, quæ hanc prærogatiuam apertissimè complecterentur, & constantissime defenderent. De illis autem tribus Episcopatibus parum se laborare, aut sollicitum esse; quippe cum non solum aperte ex *Beda* constaret, per commemoratos illos centum quadraginta annos, sed etiam postea, decessores suos in illos Episcopatus omnem ecclesiasticam potestatem, atque authoritatem exercuisse. Oppido vero fragilem, & infirmam illam THOMAE esse rationem, & à causa alienam, quod æquali honore *Londonienſem* & *Eboracenſem* GREGORIVS prosequutus esset. Non inuidere se illam illi æqualitatem, neque sibi eam esse præiudicio, vt nec illud, (si tamen verum esset) quod GREGORIVS AVGVSTINVM *Londini* sedem ponere voluit. Nec credere se AVGVSTINVM cetera accuratè GREGORIO obtemperantem, hac in re parere noluisse; vtcumque sit, nihil istud sibi præiudicare. Neque enim se iam contendere, quid *Eboracenſis Londinenſi*, sed quid *Cantuarienſi* debeat sedi. Quicquid igitur de *Londinenſi* proferat, cum causa suscepta nihil cohærere. Inane præterea, & parum solidum esse, quod ex voluntate GREGORII colligere nititur. Si enim ea ratio firma & solida esset, summa ipsius Pontificis potestas, eiusdem rationis labefactata motu, plane corrueret. Differè enim Christum dixisse: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum*. Non adiecisse tibi, & successoribus tuis. Quorum tamen singularem honorem nemo potest, salua & integra religione, ex hac occasione detrahere. Quæ igitur in Christi verbis sit, eandem & in GREGORII verbis cautionem, summa ex ratione inesse credendum esse, licet non palam expressam. Et sicut *Cantium Romanæ* vrbis, vnde ad illud fides primum Christiana manauit, auctoritatem sacrosanctam agnoscit: ita & *Eboracenſes*, qui è *Cantio*, & à prædicatoribus inde missis fidem, religionemque suam primum hauserunt: *Cantuarienſis* Archiepiscopi auctoritatem detrectare minime debere.

ITVM est post longam disceptationem in sententiam LANFRANCI à tota Synodo, & definitum vt *Eboracenſis* a *Cantuarienſi* ad Synodum vocatus, cum Episcopis à *se* ordinatis veniret, mandatisque *Cantuarienſis* religiose in rebus sacris pareret, & *Cantuarienſi* defuncto *Cantuariam* veniret, successorem consecraturus. *Eboracenſis* satisfactum sibi abundè ait per LANFRANCVM, neque se de re liquida frustra amplius contendere velle. Quare iam non vt prius, sed simpliciter, atque sine omni exceptione, fidem obedientiámque suam LANFRANCO, & successoribus eius astringit, atque deuincit. In hac præterea Synodo, & alia etiam controuersia expedita est, quam THOMAS *Eboracenſis* de diœcesi *Wigornienſi*, & *Dorcestrenſi* siue *Lincolnienſi* agitabat, quas ad suam prouinciam rapiebat. Sed pro *Cantuarienſi* pronunciatum est, quia erat eis *Humbram; Transhumbranæ* vero omnes diœceses, ad extremas vsque *Scotiæ* oras, *Eboracenſi* adiudicatæ sunt. Et quoniá de sessu Episcoporũ in Synodo res non erat LANFRANCO, vt homini aduenticio satis explorata, diligenti perquisitione & senum testimonio constabat, solitos *Cantuarienſes* cum Synodo præsiderent, *Eboracenſem* ad dextrum sessum recipere: cui *Wintonienſis* assidebat, *Londinenſi* leuam *Cantuarienſis* occupante. Quòd si vel *Cantuarienſi* absente, vel demortuo, *Eboracenſis* præsedisset, tum *Londinenſem* ad dextram, *Wintonienſem* ad leuam assidere solitos. Reliquis priorem sedem deberi, quatenus ordinatione quisque prior alijs esset. Omnia de quibus in hac Synodo agitatum est, cum Synodi arbitrio & sententia, in scripta sunt relata, *Romamque* ad ALEXANDRVM Pontificem per LANFRANCVM transmissa. Habita est hæc Synodus ad vndecimum Pontificatus ALEXANDRI, & sextum regni GVILIELMI annum. Tertio post anno coijt præsidente LANFRANCO, celeberrima Episcoporum & Abbatum omnium Synodus, Cui & THOMAS *Eboracenſis*, vt & alijs LANFRANCI Synodis interfuit. Et quia multis antea annis nullæ, aut raræ Synodi habitæ sunt, multa ex prioribus canonibus scita in hac Synodo renouata sunt, & inter alia & illud, ne sedes Episcopales in villis ponerentur. Quare varij ANGLIAE Episcopi ex decreto huius Synodi, sedes suas ex obscuris, & infrequentibus, ad loca magis illustria & frequentia, vt suis locis ostendemus, transtulere. Fuit & illud, ne quicquam sibi monachus quasi suum, & proprium vendicaret. Et hęc quidem *Londini* habita est

Gul. Malm. Ex Chron. Gal. ſito.

Ex eodem Chronico. Anno 1085.

HABVIT verò & ante biennium Synodum *Wintoniæ*, in qua *Vlricus Hidensis* prope eam ciuitatem cœnobij Abbas, ab eo exauthoratus est, vt & *Ailnothus Glastoniæ* Abbas in Synodo, quam LONDINI biennio post illam alteram coëgit. Quin & *Walketellum Crolandiæ* Abbatem, ab ea præfectura, in Synodo quam *Gloceſtriæ* habuit, abdicauit. Obstitit * etiam LANFRANCVS VVALKELMI *Vvintoniæ* Episcopi conatibus, qui pro monachis clericos inducere molitus est. Multáque ille monasteria, diui ALBANI præsertim, *Roffensé*, & *Saluatoris Cantuariæ*, vt postea dicetur, beneficijs plurimis affecit. Neque intra solos illos limites, illáque quasi angustias, coërcita est illius liberalitas, sed passim in alios etiam prolixè, non solum eos, qui Clero ascripti erant, sed & laicos vtriúsque sexus eam effudit, & in eos præsertim, qui litteris operam dabant. Quos, vt disputationibus inuicem se lacesserent, prouocabat. Quam pugnam & contentionem aliter, quàm in publicis certaminibus fit, in quibus soli victores præmia auferunt, moderabatur: Nam & victorem doctrinæ præmium, & victum pudoris etiam sui, & verecundiæ idoneum solatium sequebatur. Pauperibus cibos suis ipse manibus ad mensam, ministri instar apponere solebat. Et cum animaduerteret inter pauperes quosdam, pecuniam acceptam mox in superfluos, & noxios potius vsus, & immoderatam compotationem profundere solitos; alios verò sordide parcos, sibique adeò infestos, vt extremam potius famem & sitim paterentur, quàm quicquam pecuniæ minuerent; solerti & prouido consilio vtrisque cautè, prudenter & abunde consuluit, ea solum illis, quæ ad victum & vestitum spectarent suppeditando. Duas hospitales domos extra ciuitatem *Cantuariæ* ad egenorum subsidium construxit, alteram lapideam omnibus egenis communem, ligneam alteram ijs, qui comitiali siue Regio morbo laborarent, ascriptam distinctis, & discriminatis pro sexus varietate mansionibus. Quibus & Canonicos apud *Diuum* GREGORIVM, quos Regulares appellant, adiecit: qui illis & sacra facerent, & diuina ministrarent. Tam certe fuit in pauperes liberalis & munificus, vt quingentas quotannis in eos libras erogasse tradatur. Nihil tamen mihi magis inter tantas illius dotes eminere videtur, quàm humilis & submissus in tanta honorum amplitudine, & doctrinæ magnitudine, animus; animique in honorum contemptione, & despicientia magnitudo. Qui cum iam Archiepiscopus, vetus illud suum apud *Beccum* hospitium inuisisset, adeo se Archiepiscopum esse oblitus est, vt in eadem cum monachis mensa sederet: Neque in alia, quàm veteri sua Prioris sede in ecclesia sedere vellet. Adeò autem se erga eum, cui quondam vt Abbati suo paruerat, submissè gerebat: vt non nisi post eum sederet, & manum eius, cum aliquid de manu illius acciperet, etiam osculari, nisi ille properè eam auertisset, lubens voluisset. Adeo autem nec precibus, nec pretio, nec ambitu vllo ad Archiepiscopatum peruenit, vt valde eum subterfugerit, linguæ *Anglicæ* inscitiam, multáque alia causatus: néque aliter quàm post importunam GVILIELMI flagitationem, & Apostolicæ sedis præceptum, susceperit; susceptum autem postea excutere, & ad veterem solitudinem redire vehementer expetierit, eáque de re ALEXANDRVM *Romanum* Pontificem solicitè interpellarit. Atque ista, quæ diximus, palam ex ipsius ad ALEXANDRVM epistola, ita esse constat.

* *Alias &.*

LANFRANCVM satis ex se, vt ostendimus, hæc propendentem; ad abundantiores tamen elemosynas magis incitauit prognosticon illud, vt appellant, quod fortè cum consecraretur, vltrò se obtulerat. Pro more enim positum erat illis temporibus, vt sacræ initiationis tempore, aperto Euangelij codice, sententiam, quæ primam faciem paginæ occuparet, publicè legerent, & quasi in omen futuri euentus arriperent. Incidit igitur LANFRANCVS in illam Christi sententiam, *Date elemosinam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Has aliásque eius dotes insignis quædam, pro temporum illorum ratione, doctrina magis nobilitauit. Cuius, magnum libri eius, qui hodie aduersus *Berengarium* extant, documentum præbent. De quo, vt, idque nec perfunctoriè, dicam, & hic locus, & nostra præsertim tempora postulant. Professus est *Berengarius* adhuc adolescens dialecticam, & alias in *Gallia* liberales artes. In quibus tamen tradendis, pro arroganti ingenij sui leuitate, non maiorum. sed sua propria interpretatione sensuque temere nitebatur. Sed hanc eius arrogantiã confregit LANFRANCVS, & in quadam dialectices velitaria pugna cum eo commissus, adeò vanitatis inscitiæque hominem arguit, & palam conuicit, vt discipuli ipsius deinde eum destituerent. At ille nominis & vanæ gloriæ vehementi æstu præceps abreptus, non tam ad grauiora se studia, quàm errores conuertit. Theologúsque repentè factus, theologiam omnem infirmare & infringere, pernitiosis contra nuptias, & paruulorum baptismum dogmatibus conatus est. Sed cum horum veritas firmiora, & solidiora firmamenta haberet, quàm vt

Luc. 11.

quicquam

quicquam ex sacris scriptis, vel in speciem plausibile in contrarium asserre potuisset, neque huic quisquam doctrinæ aures daret, sed ab ea omnium aures & animi abhorrerent: magistro diabolo suggerente, nouam contra Eucharistiæ veritatem doctrinam (vbi & facilè noua se posse dilleminare errorum portenta, & facilem promptámque à populo, imperitisque plausum sibi, propter summam reconditi mysterij dignitatem, & a sensu longe remoti pollicebatur) commentus est. Nec fefellit sua hominem opinio. Circumuenit itaque scholasticos quosdam (non tam *sensu quam censu) ingenio, & fide exili, quibus ipse sumptus ad studia subministrare solitus erat, & per eos longé latéque errorem ad alios transfudit. Ausus est vanus homo literas ad LANFRANCVM mittere, quibus errorem hunc suum professus est. Sed cum nuncius venisset in *Normanniam*, nec LANFRANCVM reperisset, quibusdam Clericis traditæ sunt, perque multorum manus obambularunt, *Romamque* tandem delatæ sunt. * *alias* esse.

OB has literas sinistra quædam in LANFRANCVM, quasi ad hunc errorem propensum, suspitio cecidit. Vocatur itaque *Romam* à LEONE pontifice LANFRANCVS, vt se expurgaret, & suspitionem hanc dimoueret. Quam, & egregie fidem suam de Eucharistia profitendo, eamque non tam argumentis, quàm sacris authoritatibus muniendo dimouit. Coijt deinde ad proximum Septembrem *Vercellu* synodus, cui & LEO præsedit. Accersitus BERENGARIVS noluit comparere. LANFRANCVS interfuit, & in reliquæ totius Synodi sententiam abijt, quæ *Berengarianam* hanc doctrinam plenis suffragijs damnauit, & ipsum *Berengarium*, nisi resipisceret, sacro anathemate transfodit. Sed altiores * impium iam dogma in pectore *Berengarij* radices egit, quàm vt facilè extirpari * posset. Imo mordicus ei adhæsit, & vndique ad alios circumueniendos propagari, & maledictis non solum LEONEM, virum certé egregium & pietate * & doctrina, quem non Pontificem, sed pulpificem, & ipsum concilium, (quod vanitatis concilium appellauit,) petulanter figere non cessauit. Nec ita multo post LEO obijt, cui VICTOR successit. Qui alterum & nouum contra *Berengarium Turonu* concilium instituit, vbi & *Berengarius* præsentiam sui fecit, datáque est ei & dicendi, & dogma suum, quibus posset rationibus, tuendi facultas. *Berengarius* imparem se huic oneri, & deprehensum videns, omissa omni disceptatione, se errori renunciare, fidémque ecclesiæ palam (adhibita sacra iurisiurandi religione, se in ea perseueraturum) professus est. * *alias* iam impium. * *al.* posset. * *al.* doctrinámque.

DIMISIT quidem concilium VICTOR, sed *Berengarius*, licet victus, non tamen errorem adhuc dimisit, nouásque ecclesiæ turbas, nouámque conuocandi consilij causam exhibuit. Quod *Romæ* frequentissimum, Episcopis supra centenarium numerum confluentibus, habitum est. Interfuit & *Berengarius*, errorem rursum recognouit, & ad eius maiorem detestationem rogum accendit, in eúmque spectante Synodo, libros damnatæ disciplinæ suæ coniecit. Præscripta est illi roganti, vera fidei formula, a qua se ille numquam discessurum, nouóque iureiurando, & manus suæ consignatione publicé contestatus est. Sed recidit, & hanc omnem promissionem, insigniore quàm hactenus perfidia. Nam fidem catholicam, quam dictante NICOLAO *secundo* professus est, cui religiosè & sancte etiam iuratus adhærescere debuisset, iuratus, & duplici periurio iam nefariè commaculatus, non modo non retinuit, sed & scriptis contumeliosè exagitauit. Cuius insaniam LANFRANCVS libelllo, qui hodie extat, egregiè contudit. Sed ecce miram, & cæcam hominis, & assectarum eius, non modo in veritate retinenda, sed vel in ipso suo errore inconstantiam. Aliàs enim nullam aliam in Eucharistia, præterquam panis & vini substantiam; aliàs verum quidem Christi corpus, sed manente substantia panis adesse, & Christum, quasi, vt ita dicam, impanatum, desultoria quadam leuitate, nunc in hunc, nunc in illum errorem incurrendo garriebant. Vtrumque errorem LANFRANCVS à fide ecclesiæ catholicæ dissidere, his verbis ostendit. Credimus, inquit, terrenas substantias, quæ in mensa dominica per Sacerdotale ministerium diuinitùs sanctificantur, ineffabiliter, incomprehensibiliter, mirabiliter operante superna potentia, conuerti in essentiam dominici corporis, reseruatis ipsarum rerum speciebus, & quibusdam alijs qualitatibus, né percipientes cruda & cruenta horrerent, & vt credentes fidei præmia ampliora perciperent, ipse tamen &c. Et mox, Hanc fidem, inquit, tenuit à priscis temporibus, & nunc tenet ecclesia, quæ per totum diffusa orbem Catholica nominatur. Et alibi postea. Si verum est, quod de corpore Christi tu credis & astruis, falsum est quod ab ecclesia vbique gentium de eadem re creditur, & astruitur. Omnes enim, qui Christianos se esse, & dici lætantur: veram Christi carnem, verumque eius sanguinem, *Guitmundus.*

vtráque

vtráque sumpta de Virgine, in hoc sacramento se percipere gloriantur. Interroga vniuersos qui latinæ linguæ, nostrarúmue litterarum notitiam perceperunt: Interroga *Graecos Armenios*, seu cuiuslibet nationis quoscunque Christianos homines; vno ore hanc fidem se testabuntur habere. Porrò si vniuersalis ecclesiæ fides falsa existit, aut numquam fuit Catholica ecclesia, aut perijt. Nihil námque efficacius ad interitum animarum, quam pernitiosus error. Sed non fuisse, aut perijsse ecclesiam, Catholicus nemo consenserit: Alioqui non est verum quod Abrahæ veritas promisit. *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Item in ptalmo *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam, terminos terræ.* hæc ille.

Gen. 22. 18.
Psalm. 2. 8.

Resipvisse tamen *Berengarius* ante obitum, & catholicam de Eucharistia fidem sincere complexus, & seriò pœnituisse traditur. Die enim Epiphaniæ, quo animam efflauit, non sine graui gemitu & suspirio in memoriam reuocans, quantam nefaria hac sua hæresi multitudinem in errorem abduxerat; Hodie, inquit, Saluator mihi, vel ad salutem & gloriam (quod spero) propter pœnitentiam, vel propter alios quos deprauaui, ad pœnam & tormentum (quod vereor) apparebit. Nec sine causa id veritus est. Nam hæresis illius longè latèque & illis temporibus peruagata est, & post quadringentos annos per *Ioannem Wiclefum*, & eius discipulos, in Anglia & *Bohemia* disseminata est: etiam hoc nostro sæculo adeò reuoluit, & confirmata est, vt multas nationes secum abripuerit. *Berengario* viuo, pestis hæc in *Gallia* debacchata est, multósque in errorem cum alibi, tum in Anglia (si quibusdam credimus) abduxit. Quod vt satis probabile est, ita eorum crassissimus error, & pæne tractabilis, omnino explodendus est, qui paulo ante natum *Berengarium*, hanc illius peruersam doctrinam in Anglia passim & publicè, quasi veram & solidam Catholicæ ecclesiæ fidem, in ecclesijs omnibus Anglorvm, ex Saxonicis Alphrico, de quo diximus, falso inscriptis monumentis, receptam, vanissimè astruere conantur. In quibus refutandis, leuis & æquabilis nostræ orationis mollem cursum, acriori, quàm merenturisti, reprehensione & confutatione interrumpere, & opera nostra, lectorúmque otio abuti iam nolumus. Quam frigidam & proiectam calumniam, vel pauca illa, quæ ex Lanfranco mutuati sumus, verba satis reprimere, & conuellere videntur. Nunc reliqua de Lanfranco absoluamus; qui à sexto Gvilielmi *Nothi*, ad tertiam Gvilielmi *secundi* anum in Episcopatu perseuerauit.

Guil. Mal. de reg. lib. 3.

Gvilielmvs iste *Nothus*, cum esset ceteris durus, difficilis, & parum affabilis, maiore tamen, quàm erga quemquam alium, comitate erga Lanfrancvm vsus est. Qui, cum pro prudentia sua videret, importunè & asperè non esse cum tali ingenio, quod ea ratione magis ad multorum perniciem exacerbaretur, conflictandum; sed placidè mollitérque agendum; tempori locoque se accomodans, ita se in illius gratiam insinuauit, vt sæpe se, contra suam naturam & voluntatem, Gvilielmvs ad Lanfranci voluntatem, arbitriúmque totum conferret. Quæ res & religioni Christianæ, multísque alijs in rebus magno nonnumquam vsui fuit, Et in primis miseris Hibernis, quos captos solebat Rex tamquam pecora, publicis auctionibus subijcere. Quam postea consuetudinem à Lanfranco & Vlstano persuasus, licet ægrè, propterea quod erat oppidò quàm fructuosa, dimisit tamen. Extorsit etiam Odoni Baiocensi Episcopo Comitique *Cantiæ*, vterino Gvilielmi fratri, de quo prius commemorauimus, in summa apud Gvilielmvm gratia, & rerum agendarum potestate posito, prædia ecclesiæ suæ, quæ ille iniustè inuaserat & detinuerat. Incidit postea Odo in grauem Gvilielmi offensionem, adeo vt & in carcerem eum deturbarit. Sed aliquamdiu cunctanti, & quasi religione moto, quod Odo Episcopus esset: Non eum, inquit Lanfrancvs, quatenus Episcopum, sed quatenus Comitem in carcerem conijcies. *Ioannes*, de quo antea mentionem fecimus, latè ex *Mariano* prosequitur, quid & quantum Lanfrancvs, non modo in possessionibus à *Cantuariæ* ecclesiæ auersis recuperandis (quas nominatim recitat) sed & in priuilegijs, atque prærogatiuis eiusdem ecclesiæ postliminio restituendis, è quibus itidem priuilegijs quædam receniet, præstiterat. Res exquisita deliberatione, conuenientibus vndique apud *Pynniden*, ex regis mandato proceribus tam sacris, quam profanis, & quibusdam legum consultissimis, tractata est; tandémque secundum Lanfranci postulationem pronuntiatum est. Defuncto Gvilielmo *Notho*, filius eius Gvilielmvs, licet ætate Roberto inferior, regno Angliae, Lanfranci potissimum ope, præsidio & consilio non solum potitus est, sed & postea, maxima aduersus eum seditione nobilium conflata, qui Roberto se associauerant, regnum

gnum repetenti, in regno, ne eo excuteretur conseruatus est. Sed cum GVILIELMVM videret in dies magis & magis insolescere, & promissa, quæ in regnandi auspicijs de moderata ad veterum legum præscripta, & de ciuili ac sancta administratione fecerat, rescindere, non mediocrem LANFRANCVS animo capiebat dolorem: cum & admonitiones quóque suas, apud eum nullum locum habere, videret. Vrgenti enim veterem illius promissionem LANFRANCO, magna bile percitus, Et quis, inquit, mortalium, omnia quæ pollicetur, præstare poterit? Accedebat ad doloris cumulum, quod cum prudentia sua, tum ex antiqua notitia, qua GVILIELMVM intus & in cute cognouit, videbat maiores, & quasi decumanas quasdam, in dies regno per GVILIELMVM tempestates imminere. Quòd ita futurum & prædicebat, & prædictioni, miserabilis rerum ipse euentus respondebat. Cœpit itaque eum iam vitæ tædium, nec ita multo post in febrim lethalem, & in mortis genus, quod in votis maxime habuit incidit. Solebat enim Deum rogare, vt vel ex dyssenteria, vel ex febri diem suum obiret. Propterea quod hi morbi nec memoriam, nec loquelam auferant. Obijt itaque post nouemdecim Episcopatus sui annos.

De cœnobio Diui AVGVSTINI, *& SALVATORIS, deque Abbatibus & monachis eorundem hoc sæculo, & de alijs quibusdam ex Clero* Cantuariensi.

CAPVT XIII.

INTER alios huius sæculi in cœnobio diui AVGVSTINI Abbates, reperio *Almarum*, qui *Dacorum* manus nescio qua ratione euasit, quo tempore ELPHEGVS ab eis cæsus est. *Flor. Wil.* Reperio & alium, qui in *Gallum* ad Synodum *Remensem*, quam *Romanus* Pontifex LEO celebrauit, vnà cum *Aluino* Abbate *Rameſiensi* à Rege EDOVARDO missus est. *Scotlandi* verò Abbatis sedente LANFRANCO iam prius meminimus, cum de miraculis, quæ post obitum DVNSTANI patrata sunt, ageremus, & in STIGANDO de *Egelsino* Abbate. Alterius verò cœnobij ecclesiam bis hoc sæculo, primum à *Dacis* regnante ETHELREDO, tum sedente LANFRANCO, nescio quo casu incensam inuenimus. Nouam LANFRANCVS, priore longè illustriorem, breui, ita vt celeritas beneficij gratiam magis ornaret, splendidis ædificijs adiunctis, adeóque magni pretij in ecclesiæ vsus supellectile, erigi curauit. Et magnum hoc quidem atque illustre beneficium fuit; nec minus certè insigne, quod in restauranda ad Patrum præscripta monastica illa disciplina, insigniter posuit. Monachi enim *Cantuarienses* (vt & ceteri ferè per ANGLIAM) adeo ab institutis suis defeciuerant, vt ad aucupia, ad venationes, ad tesseras, ad immoderata conuuia, & famulorum inseruientium ambitiosam multitudinem, & in omnem denique se vitæ remissioris licentiam turpiter effuderint. Vidit hoc & indoluit LANFRANCVS, & quia longa malum hoc consuetudine ita induruerat, vt repentè tolli è medio non posset, patientia & prudentia sua, mollibusque consilijs & admonitionibus, quod mox infringi non potuit, ita sensim flexit in contrarium, vt tandem omnes ad officium accuratè præstandum ita reuocarit, vt illi quidem & numero, & exacta quadam monasticæ obseruantiæ ratione, ceteris omnibus per ANGLIAM longè antecederent. Horribile vero illud spectaculum in Diacono monacho à dæmone inuaso, quod recensuimus in DVNSTANI vita, magnam monachis ad meliorem frugem, accuratioremque viuendi rationem reuertendi, occasionem præbuit.

Aſſ. add. & Sim. Dun. 1048. nomen Abbatis non recitant.

Vide Osbern. in vita Dunst.

LANFRANCVS verò, vt VALCHELMI *Wintonienſis* Episcopi, qui pro monachis clericos in suam ecclesiam inducere moliebatur; ita & ceterorum Episcoporum, qui in *Cantuariensi* potissimum ecclesia id efficere enixè laborabant, conatibus obsistebat. Magnisque illi, & firmis propositi sui rationibus, niti sibi videbantur; cum præsertim propter sedis lucem & magnitudinem, ceterarum omnium ecclesiarum curam illa gereret. Quod officium monachis non satis congruum, & accomodum videbatur. Iamque Regem in suam traxerant sententiam. Sed omnia ista LANFRANCVS molimina, per literas ALEXANDRI *Romani* Pontificis prorsus labefactauit & euertit: qui palam ostendit & AVGVSTINVM, iubente

Edmer. in hist. nouarum.

Vide literas apud Edmerum.

GREGORIO, ibi posuisse monachos; quartúmque à GREGORIO successorem BONIFACIVM GREGORII decretum, missis ad ETHELBERTVM Regem literis, corroborasse. Quod & ALEXANDER postea, sua authoritate communiuit, & si quis illud rescindere moliretur, eum Anathemati subiecit.

Chron Gallicã Polidoriein hist. Lanfranci. *Idem ex Radulpho de Diceto Londin. Decano.*

REPFRIO in more positum fuisse *Cantuariæ* hoc sæculo Archiepiscopis, vt postquam in matrice ecclesia criminum abolitionem sacra illa quinta feria, quæ pascha antecedit, pronunciassent; sequenti sabbato, ad *Augustinensium* cœnobium manerent, eandemque monachis indulgerent. Ibant deinde ad balneum, Abbatis expensis comparatum. E quo egressi, nouisque Abbatis vestibus ex illius sumptu induti, equum eiusdem expensis paratum & instructum ascendebant; atque ita per Abbatem & monachos deducti, domum reuertebantur. Cum vero Regi GVILIELMO *primo Hereuardus* vir illustris, & socij eius multum negotij facesserent, & palustribus se locis atque siluis occulentes repentè in *Normannos* erumperent, magnásque in eis strages ederent; sollicitè Rex, quod equitum penuria laboraret, cum LANFRANCO & alijs Episcopis atque Abbatibus egit, vt in tanta destitutione theuus suos, quos villanes, id est, seruos appellamus, in milites & equites sufficerent. Quod quidem à LANFRANCO & alijs factitatum est. Sed ecclesiæ Christi cœnobitæ, certa pecunia LANFRANCO repræsentata, cauerunt cum eo, vt ipse & successores illius, monachos, ab huiusmodi militibus Regi suppeditandis, liberos & immunes redderent. Quod & LANFRANCVS præstitit. Nec habuere alios cœnobitæ milites, quàm quos *Gauelkinde* appellant.

Thomas tamen Sprottus ex loco quem ante commemoranimus, putat non fuisse seruos in Cantio.

Ioan. an. 1085. Fuit inter alios cœnobij Christi ad tempora LANFRANCI monachos, *Donatus*, quem FERDELVACHIVS Rex, & *Hiberniæ* Episcopi in *Dublinienſem* Episcopum selegerunt. Quia LANFRANCO *Cantuariæ* consecratus, obedientiam & obseruantiam illi, & illius sedi, pro more reliquorum *Hiberniæ* Episcoporum promisit: vt & PATRICIVS eiusdem ciuitatis ante paucos annos Episcopus, ab eodem LANFRANCO consecratus.

Idem An. 1074.

ORNARVNT præterea inter ceteros Seruatoris hoc sæculo cœnobium *Folchardus*, *Osbernus* & *Grecellinus*. *Folchardus* vero ad flagitationem AIDREDI *Eboracensis* Archiepiscopi, vitam & miracula IOANNIS *Beuerlacensis Eboracensis* Archiepiscopi conscripsit, Fuit *Osbernus* homo ANGLVS, qui rei musicæ plurimum se dabat, elegans pro ratione eorum temporum scriptor, cuius rei specimen aliquod, ex ODONIS, DVNSTANI, ELPHEGI *Cantuariensium* Episcoporum vitis; quas perscripsit, capi potest, LANFRANCO summa & intima familiaritate & amicitia coiunctissimus. Reperio autem *Leofronam* Virginum cœnobio sanctæ MILDREDAE *Cantuariæ* præfectam, ad ea tempora, quibus eam *Daci* inflammarunt, à quibus & comprehensa est. Reperio & *Almarum Cantuariensis* ecclesiæ Archidiaconum, cuius memoria damnatur, quòd eius potissimum proditione *Dacis* vrbs sit prodita, quem tamen beneficio ELPHEGI à morte priús ereptum tradunt. Fuit & *Haimo* postea Archidiaconus imperante EDOVARDO Confessore, qui *Dacis* omnia in ANGLIA infestantibus, se in *Galliam* proripuit, & ad diui *Dionysij* fanum monasticæ se vitæ addixit, deinde Doctoris *Parisijs* insignia suscepit. Quibus quam dignus fuerit, præclari illius in maximam sacræ Scripturæ partem commentarij, & opera plane demonstrant. Vtrum verò *Almarus* & *Haimo* Archidiaconi *Cantuarienſes* fuerint, certò non pronunciarem. Quos LANFRANCVM ibi primum posuisse, quidam tradunt. Sed ita tamen eos authores mei appellant. At alij, vt dixi, affirmant nullum fuisse ante LANFRANCI tempora Archidiaconum, sed per Episcopum ecclesiæ diui *Martini* in *Cantuariæ* suburbijs positæ, solitam omnem rerum ecclesiasticarum procurationem obiri. Atqui cùm GODVINVS eiusdem ecclesiæ Episcopus obijsset, noluisse LANFRANCVM alium sufficere, dictitantem non conuenire duos vnius ciuitatis esse Episcopos. Substituisse deinde pro eo Archidiaconum, qui ecclesiasticas suæ diœceseos causas expediret. Et fortè quos authores mei Archidiaconos ante hæc tempora appellant, dictæ ecclesiæ Episcopi fuere. Qua tamen in re nihil liquidò pronunciare possum.

Maria & Floril. Anno 1011.

In commemorato Gallico chron.

Anno 1087.

De

De Roffensibus Episcopis & monasterio ibidem.

CAPVT XIV.

DE *Roffensibus* Episcopis, vix pauca nomina post *Bedæ* obitum tenemus, apud quem ARDVLPHVS[a] postremus est. *Malmesburiensis* recenset DVNVM, VEREMVNDVM, BERVMODVM, BVTHRICIVM, ALFASTANVM, GODVINVM, & SIVARDVM. *Matthæus* vero *Westmonasterienſis*[b] DVNVM, BEORVREDVM[c] & pro BVTHRICIO, PVTRICVM, & [d] GODVINVM. SIVARDO destinatam, & quasi desponsam *Cantuariæ* sedem præreptam, & *Roffensem* obiectam, vt ea ratione vteunque pudori illius consuleretur, antea diximus. [e] GODVINVM vero in manus *Dacorum*, cum *Cantuariæ* vrbs ab eis obsideretur, incidisse reperio. Sed quid postea de eo factum sit non reperio.[f] Diplomati vero illi ETHELREDI regis, de quo meminimus, his verbis subscripsit. Ego GODWINI *Rouetensis* ecclesiæ Episcopus. SIVARDVS autem fuit ibidem Episcopus ad ipsum *Normannorum* ingressum, quo tempore in summas angustias, & numero monachorum, qui vix tres erant, & graui rerum inopia monasterium *Roffense* redactum est. Huic LANFRANCVS ARNOSTVM substituit. Qui cum initiaretur, versus iste super altare inuentus est, *Cito proferre nouam stolam*. Prædixit ea occasione LANFRANCVS eum diu non futurum in vita superstitem. ARNOSTO itaque paulo post mortuo, GVNDVLPHVM summisit, cuius industria, LANFRANCique liberalitate, qui prædia quædam apud *Heddraham* ad vsus monasterij comparauit, & abundanti quinquaginta monachorum numero, monasticam vitam disciplinamque accurate excolentium, & rerum copia cœnobium breui effloruit. Sub LANFRANCO *Cadomi* liberales disciplinas & sacras scripturas didicit, qui cum forte & alij duo condiscipuli euangelio legendo vacarent, laxandi animi iocique vt fit causa (præceptore interim ad alia aduocato) Reuoluamus inquiunt folia, & quasi quodam præludio de futura nostra conditione, ecquis nostrûm Episcopus, ecquis Abbas futurus sit, coniecturam ineamus, GVNDVLPHO hunc locum: *Fidelis seruus, quem constituit Dominus super familiam suam; Gualtero* (id enim alterius nomen) sors hunc locum obtulit, *Serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui*, tertio, cuius nomen non reperio, durum & triste quiddam occurrebat. Cum ex hoc euentu liberiùs in ritum soluerentur, animaduertit LANFRANCVS, & quærendo, causam expiscatus pronuntiauit, primum Episcopum, alterum Abbatem designandum, tertium sæculi sordibus rursus immergendum. LANFRANCI prognosticon, rerum euentus confirmauit; non minus atque olim *Alexandrini* Episcopi de *Athanasio*, aliisque pueris, qui puerili ludo, solennes baptismi ritus, imaginaria similitudine representantes, alius Episcopum, alius sacerdotem, alius diaconum adumbrabat, imitabatur. GVNDVLPHVS Episcopatum ad RODOLPHVM, qui *Cantuariæ* vt diximus sedit, transmisit. Vitiosa sane sunt *Matthæi Parisij*, & *Matthæi Westmonasterienſis* exemplaria qui pro hoc RODOLPHO, alter RODOLPHVM *Londinensem*, alter RICHARDVM *Londinensem*, substituit, nec sibi ipsi consentanei sunt, nec hæc eorũ oratio narrationi ipsorum sequenti constat.

[a] *Gul. Malm. de pont. in fin. li 3.*

[b] *Anno 940.*

[c] *804*

[d] *anno 1011.*

[e] *Maria & Flor. 1011.*

[f] *Dicto an. 1001. vt patet in monumentis cœnob. Septon. auſ. Florentius vero ita eos nominat* Aldulphus, Dunus Eardulphus, Diora, Wermũdus, Beorhmodus, Burthchus, Æstanus Godunus, Smardus. *Cum quo catalogo congruit ea qui Mar... ni, o praposit... Gul. Mal. de pont.*

De LONDINENSIBVS Episcopis.

CAPVT XV.

POST beati ERKENVALDI obitum, de quo septimo sæculo diximus, tam tenuis & obscura est Episcoporum huius sedis memoria, vt nec quid gesserint, nec quo loco mausoleo eorum sint posita, quicquam aut scriptis sit proditũ, aut per manus hominũ, ad [g] EDOVARDI primi tẽpora, ciuibus cognitum. Successit VALDERVS & illi INGVALDVS, qui illi sedi præfuit, cum [h] *Beda* historiam suam ecclesiasticam absoluit. Post eum vero [i] EGVLFVS, VIGERVS siue WIHEHVS, vt *Florentius* ait, EADBRITHVS, EADGARVS [k] CHENVARVS, EADBALDVS, [l] HECBERTVS, OSMVNDVS, [m] ETHENODVS, CELBERTVS, [n] CEVLFVS, [o] SVINHVLFVS. [p] EACSTANVS, VLSIVS, siue VLFIVS, ETHELVARDVS, ELSTANVS, cui obeunti ad annum [q] octingentesimum nonagesimum octauum,

[g] *Flor. an. 675.*
[h] *Anno 625. Bed. li 5. c. fin.*
[i] *Gul Malm. & Flor an 675. & Florent. Wig.*
[k] *Flor.* Chinualchus, *siue vt Florent.* Coenualchus.
[l] *Floril.* Eadbertus, *Florentius* Heathbertus.
[m] *Floril.* Ethelnotus *& Florens.*
[n] *Floril.* Renulfus *Florens.* Ceolulphus.
[o] *Flor* Suithulfus *& Florent.*
[p] *Floril* Eadstanus
[q] *Floril.*

Mal. de pont. Catalog. præfixus Mariæ, conuenit cum catalogo Florentii.

THEODREDVS substitutus est, qui cum ETHELSTANO Rege in expeditione fuit contra ANALAPHVM. Is, cum EDMVNDI Regis & martyris corpus in ignobili sacello iaceret, quod tamen varia miracula illustrabant, magnificum templum condidit. Inter alia, quæ admirabiliter & prodigiosè ad illud sacellum acciderunt, fuit & istud: latrones quidam noctu illud spoliaturi accesserunt, qui tamen cum furto abire nullo modo potuerunt, & vinculis quibusdam, quæ obtutui non patebant, illigati, pedem nulla ratione efferre potuerunt. Quos ita deprehensos THEODREDVS in crucem suffigi curauit. Cuiusui facti acerrimam, per totam postea vitam, pœnitentiam egisse traditur. Proxima successio fuit VLSTANI, tum[a] BRITHELMI, DVNSTANI, ELFSTANI, VLSTANI: ELPHVNI, ELFWII, [b] ELFVORDI, qui regnante EDOVARDO Confessore, præfecturam simul *Eueshamensis* cœnobij gessit, [c] eandemque cum Episcopatu retinuit. Qui, cum propter morbi magnitudinem, non esset par & idoneus Pontificio suo muneri obeundo, *Eueshamiæ*, dimisso pontificatu, domicilium constituere, residuumque vitæ transigere statuit. Sed cum a monachis arceretur, ablatis libris ornamentisque, quæ cœnobio donauerat, ad cœnobium *Rameſiense* se contulit. ROBERTVS deinde *Normannus*, de quo inter Archiepiscopos *Cantuariæ* iam diximus, ad eam functionem accersitur, & [d] eo *Cantuariam* migrante [e] GVILIELMVS in exilium cum ROBERTO commemorato*, vt diximus, protrusus est, propter *Godwinum* Comitem, sed non ita multo post restitutus GVILIELMVS. Designatus fuit ante eum *Spersixus* Abbas *Abingdonensis*, sed antequam sacræ functioni initiaretur reiectus est.

[a] *Obijt 959. Flo.*
[b] *Marian. Alfwardus. Sim. Dun. Alwardus.*
[c] *Mar. an. 1044. Sim. Dunel. eod. an. Polich. li 6. c. 23.*
[d] *Flor. & chron. Gallicum anno 1052.*
[e] *Marian. anno 1050.*
* *Cap. 10. huius sæculi propè finem.*

HVGO deinde, GVILIELMI *primi* beneficio, hanc dignitatem assecutus, non ita multo post morbum, qui omnem medicorum humanámque manum, opem & industriam superabat, contraxit; totóque corpore horrendum in modum vlcerato, quorumdam suasu, qui vnicum hoc morbi remedium superesse dictitabant, excitatus, verenda sibi resecari passus est; Sed ea quidem ex re nihil opis, neque aliud quam spadonis infamiam sibi lucrifecit, lepra illi post totam postea vitam adhærescente. Successorem habuit MAVRICIVM eiusdem Regis Cancellarium. Quo ad clauum ecclesiæ huius sedente, magna pars ciuitatis *Londinensis*, cum ecclesia diui PAVLI, longè latéque peruagantibus ignis flammis, incendio absumpta est. Immensos in ecclesia magnificè & splendidè reparanda, & restauranda sumptus posuit MAVRICIVS. Et hæc quidem pontificum à DVNSTANO nomenclatura, à *Gulielmo Malmesburiensi*, & *Florentio Wigornensi* petita est: *Florilegus* enim, siue *Matthæus West.* neminem per integrum fere sæculum, hoc est, ab anno nongentesimo quinquagesimo octauo, ad annum millesimum quinquagesimum recitat, quantum ego adhuc obseruaui; neque superiores illi duo certa & distincta tempora ponunt. Quæ nec alibi adhuc reperio nisi quod VLSTANVS ille, regnante ETHELREDO, & ad annum millesimum primum sederit. Quod diploma illud, ab eo *Septoniensi*, vt diximus, cœnobio indultum euidenter ostendit.

De cœnobio Westmonasterij, *eiusque antiquitate & celebritate,*

CAPVT. XVI.

VT *Albanense*, propter protomartyris nostri ALBANI nobile eo loci martyrium, sacraſque etiam ibi reconditas reliquias, cœnobium, reliquorum semper princeps habitum est, ita posterioribus sæculis *Westmonasterienſe*, post illud maxime eminebat. Cuius originem, aliaque nostro scopo accommoda, à prima memoria ad hæc vsque tempora repetere, & hoc loco attexere lubet. *Londinenſis* primariæ totius regni vrbis, maximum inter cetera ornamentum est hoc *Benedictinorum*, ad occidentem iacens templum, diuoque PETRO dedicatum, exque eo *Westmonasterium* deinceps appellatum: vbi Principes, ex more per manus deducto, imperij diadema suscipiunt. Quod & eorum sepulchris frequentibus, asyloque celebri, locoque adius dicendum nobilitatur. Sed ob nullam rem hoc templum maioribus nostris, magis augustum & sanctum fuit; quàm quòd PETRVM ipsum apostolorum principem, consecrationis, dedicationisque ipsius solemnia obijsse, constanter crediderant. Ædificatum quidem erat ad annum sexcentesimum quartum per Regem SEBERTVM, non vt quidam putant à LVCIO Rege, in loco

qui

qui THORNEY dicebatur, quod latinè spinam sonat, vnde & spinarum insula à quibusdam appellatur. Est sane templum aliud diuo PETRO sacrum, euerso ibidem & complanato *Apollinis* templo, ad orientem ciuitatis; quod LVCII fuisse opus, tabula quædam in eodem templo affixa ostendit. MELLITVS vero, cum mane ad dedicationis munus processurus esset, agrestem hominem piscatoremque obuium habuit; qui denuntiat ei, vt a munere consecrationis supersederet; PETRVM ipsum ecclesiæ consecratoris præeunte nocte officio functum, iussum se ab Apostolo hoc denunciare. Obstupuit MELLITVS, reseratisque ostijs ingressus, vidit passim certissima peractæ consecrationis, candelarum videlicet, crucium, sacræ aquæ, sacrique olei vestigia. Religione inde motus, euentumque rerum simplicis viri relationi respondentem cernens, se abstinuit.

HOC ego certe non referrem, nisi Apostolicæ huius dedicationis memoria, tantis esset antiquitatis monumentis posteritati consignata, vt maiora vix possis ad fidem rerum humanarum desiderare. Habemus enim expeditissima, non solum sanctissimi illius EDOVARDI Regis & Confessoris, sed & præclara Regis EDGARI, atque adeo Episcoporum omnium, primatiæque nobilitatis ad synodum coëuntium testimonia. Atque in his scriptis amplissima sane priuilegia continentur Principum, quibus hoc templum ornarunt, quibus etiam omnia felicia & fausta ijs precantur, qui ea priuilegia fulcirent; omnia ijs dira imprecantur, qui ea scientes & prudentes infringerent. Inter eas vero prærogatiuas vna est, quod asylum sit tutissimum & firmissimum, etiam ijs qui regiam maiestatem læserint. Alia, quod, vt *Romanus* illud Pontifex ab omni Episcoporum (quæ tota in Abbatem singulari beneficio prorogata est) ita & Rex ab omni politica, & ciuili iurisdictione eximit; eo vsque, vt si forte homicidij quis reus deferretur, cognitio sit Abbatum, ab ijs, quibus illi eam delegarunt, expedienda; tum ab omnibus etiam ciuilibus & ecclesiasticis oneribus, nummarijsque cuiuscunque generis solutionibus, & exactionibus exemptum est. Atque hoc quidem cœnobium, licet huiusmodi vt diximus initia habuerit, amplificatumque sit postea possessionibus, & donarijs à multis principibus, ab OFFA præsertim & CHENVLPHO *Merciorum* Regibus, barbarorum tamen irruptione & vastatione, alijsque temporum calamitatibus, vt reliqua fere per ANGLIAM, aut euersum, aut valde deformatum est, possessionibus alio deriuatis & auersis. Cum igitur Rex EDGARVS, DVNSTANO & ETHELVOLDO potestatem amplissimam dedisset, possessiones huiusmodi ita interceptas, siue ad fiscum siue ad alios quoscunque deuolutas, ad priores vsus auocandi; & aut noua de integro excitandi, aut vetusta cœnobia restaurandi; præcipuam præ ceteris omnibus, propter eam quam dixi causam, & quòd antiquitùs Reges diademate eo loci insigniri solebant, huius cœnobij, vt non modo sartum tectum esset, sed vt amplis præterea possessionibus & priuilegijs honestaretur, rationem habuit.

Vide chron. Rich. Cicestrensis, & tenorem chartæ scilicet Edouardi ex ipso autographo.

Vide eundem li. 3. c. 21. ex autographo Regis Edgari anno 964. & Christi 969. & alias literas Dunstani tum Londinensis Episcopi.

Vide chartam Edgari quam incipit, dignum & conueniens, apud Rich. Cicest. an. 960 cum autographum Westmonasterij permansit ad authoris nostri tempora.

QVAE omnia, vt ad omnem temporis tractum, & contra omnes hominum improborum, & cupidorum iniurias & rapinas firmiora essent; Regiæ suæ, totiusque regni, tam Episcoporum, Abbatum, Sacerdotum, quam procerum suorum amplissimi concessus, pontificalem etiam IOANNIS *Romani* Episcopi authoritatem adiunxit. A quibus omnibus diris execrationibus deuoti sunt, quicunque priuilegia illa, vt diximus, infirmare molirentur. Hoc cœnobium ad commemorati EDGARI tempora, nihil reliquorum omnium ita ornauit vt DVNSTANVS, qui eiusdem cœnobij aliquandiu præfectus fuit; successorem sortitus *Vlsinum* eiusdem cœnobij monachum, hominem ob singularem sanctitatem oppidò quam celebrem, & *Schireburnensem*, vt diximus, postea Episcopum. Sed ô fragilem & ficulneum humanarum rerum, reipublicæ præsertim *Anglicanæ* id temporis statum! qua nullum fretum, nullus vnquam Euripus maiores motus, & agitationes habuit. Regnante EDGARO solida & firmissima omnia, multis etiam sæculis vt putabatur ita duratura, & cœnobia & reliqua reip. omnia videbantur. At mors illius omnia mox labefactauit, & totius, sub ETHELREDO, heu quam degenere tanti patris filio, reipublicæ conuersio & euersio. Euersum etiam & hoc, vt & reliqua, *Dacis* vndique impune grassantibus, cœnobium, vt merito tum ANGLI, *Londinenses* præsertim, *Troianorum* illud vsurpare potuerint; fuimus *Troes*, fuit *Ilium*, & ingens gloria *Teucrorum*, incensa *Daci* dominantur in vrbe. At, vt pro sua Deus bonitate miscet tristibus iucunda, imo cum res sunt deploratissimæ, tum quasi ἀπὸ τῆς μηχανῆς, quod dicitur, suum numen & auxilium miseris non solum ad consolationem, sed ad summam tranquillitatem, firmamque reipublicæ constitutionem ostendit; ita & in EDOVARDO, vt in vita eius diximus, ETHELREDI filio ostendit.

Rich. Cicestr. li. 3. cap. 21. Flor. an. 978.

Vide litteras I. comitis in Richar. Cicestr.

QVI cum summis rerum difficultatibus vrgeretur, votum nuncupauit *Romam*, vt diximus, proficiscendi. Cuius discessum cum populus & principes ægerrimè ferrent, illius voti LEO Pontifex gratiam fecit, hactenus tamen, vt aut nouum, aut vetustum aliquod excitaret, & erigeret cœnobium, possessionibusque idoneis augeret. Qua in deliberatione cum versaretur EDOVARDVS, cui instar summi piaculi erat præscriptam pœnitentiam præuaricari, re maturè deliberata, *Vestmonasterium* præ ceteris omnibus, propter eas potissimum quas recensui causas, sibi restaurandum, ornandum, & amplificandum censuit, & quid egisset,

Vide Nicolai literas apud Rich Cicestr. incipiunt Omnipotenti Deo.

NICOLAVM LEONIS successorem certiorem fecit. Qui & cœnobio data confirmauit, & noua de suo amplissima priuilegia irrogauit, apostolicáque etiam authoritate consuetudinem per manus deductam confirmauit sanciuitque; vt is esset inunctionis Regiæ locus, ibique diadema & sceptrum, cum alijs Regiæ maiestatis insignijs in perpetuum conseruarentur. Magnificum igitur, nouo quodam & insolenti priùs exædificationis genere, templum EDOVARDVS hoc in honorem PETRI Apostolorum principis, ad occidentem ciuitatis partem posuit, vt ille suo patrocinio eandem ciuitatem tueretur cum coapostolo suo PAVLO, cui in eadem ciuitate orientem versus, amplissimum quoddam templum Episcopali sede ornatum, constructum visebatur. Et interfuit EDOVARDVS cum solemnibus ceremonijs ipso *Innocentium* festo, ecclesia celebri omnium ordinum conuentu, magnáque magnificentia dedicaretur. Atque hoc fuit vltimum humanorum illius operum. Sequenti vero *Epiphaniæ* vigilia, ad Christum & beatissimum Apostolum, quem tantopere colebat, profectus est. GVILIELMVS *Normannus* huic etiam cœnobio ornando, & amplificando summopere studuit, vt verbis palam testatus est; quæ ipsis postea rebus, abundè præstitit. Cuius inter alios, imperante EDOVARDO, præses fuit *Osuius*, & GVILIELMO *Notho* Eduinus*. Cœnobium verò, quod sancti *Seruatoris* dicitur, condidit propè LONDINVM commemoratus Rex GVILIELMVS.

Vide litteras eius apud Rich Cicestr. l. 1. c. 9. & Gul. Mal de pont. Lond. eius Polyd. li. 9. & al. Eaduinus.

INCHOATVM est deinde cœnobium diui BARTHOLOMÆI, cum hospitali in suburbijs *Londini*. Primus Prior fuit *Racherus*. Aiunt fidicinem Regis nomine *Rauerum* primam, sed non supremam manum huic operi apposuisse, quæ à ciuibus *Londinensibus*, *Richardo* præsertim *Whitingtono* imposita est. Fuit autem præclara & nobilis commutatio loci. Erat enim hic locus, & vicinus, qui hodie *Smithfelde* appellatur, ad ea tempora reis puniendis, qui capitalia supplicia subibant, designatus. Ad hæc totius ciuitatis sordes, & quasi sentina huc confluebant, & vndique è ciuitate deriuabantur. Inter monachos *Westmonasterienses* reperio, *Sulchardum* quendam eruditione, & historijs scribendis vtcunque clarum, regnante GVILIELMO *primo*, & ad tempora *Edwini* Abbatis ibidem. Sed magis tamen celebrem *Gilbertum*, qui ex cœnobij procuratore, toti postea cœnobio præfectus est. Cum rediret aliquando à *Roma* per *Germaniam*, orta est illi Moguntiæ cum *Iudæo* quodam, acris disputatio de lege diuina, quam ille postea in dialogum retulit, & ANSELMO inscripsit. Scripsit & alia quædam ad Remp. theologicam spectantia, & hanc mortalem vitam exuit ad annum Christi millesimum centesimũ decimum septimum, humatus *Westmonastery*. Non desunt qui hunc fuisse *Lunicensem* in *Hibernia* Episcopum asserunt. Fuit & ad primum GVILIELMI *primi* annum Abbas, *Galfridus* quidam, & LANFRANCI ad eum annum Synodo interfuit. Ornauit etiam hoc sub RVFO cœnobium *Warnerius* egregius & efficax concionator, qui propter eas conciones, quas & publicè habuit, & scriptis postea complexus est: *Homiliarius* dictus est. Præfuit verò huic monasterio ad annum millesimum centesimum vigesimum primum quidam *Herebertus*. Immoderati, furentes & violenti quidam venti, ad quartum RVFI annum quingentas *Londini* domus euerterunt, magnóque ecclesias, beatæ MARIÆ præsertim de arcubus, detrimento affecere; cuius turrim deiecere, illiusque casu duo homines periere. Verum quanta fuerit illorum impressio & violentia, vel hinc patet, quòd quatuor ingentes trabes turris non solum loco mouerit, & euerterit: sed etiam cum essent ad viginti sex vel viginti septem pedes longæ, tam altè in subiecta terra depresserit, & pluſquam trabali (quod prouerbio dicitur) clauo ita defixerit, vt vix ad quatuor pedes eminerent. Auxit vero & illud hominum admirationem, quòd eodem prorsus ordine defixæ sunt, quo eas in turri faber lignarius collocasset.

De

De Episcopis Orientalium ANGLORVM Helmhamensibus, *siue* Noruicensibus, *deque cœnobio diui* EDMVNDI, *&* Tedfordensi.

CAPVT XVII.

HIVS sedis Episcoporum, aliqua nomina tantummodo, rerum penuria, vsque ad ALGARVM prius attexuimus. ALGARVS vero, cum obiret, DVNSTANVS, presbiter fuit, miráque à Deo, paulo ante DVNSTANI obitum, visione dignatus est. DVNSTANVS nocte, quæ sacrum *Ascensionis* Christi diem præcedit, statis precibus in ecclesia *Cantuariensi* persolutis, ceteris discedentibus, in ecclesia remansit, tantæ solemnitatis, rerumque cælestium accuratiori meditationi, totum se affigens; & ecce cælestes quidam spiritus magno lumine illustrati adsunt, & instantem sequenti sabbato obitus diem, aliáque quædam DVNSTANO denuntiant. Quos ALGARVS, qui & ipse excubias sanctas summa animi intentione, rebus etiam diuinis meditandis addictus agebat, clare & perspicue vidit, verbáque vltrò citróque habita audiuit, alijsque postea multis cum lachrymis retulit. Is igitur *Helmhamensi* postea sede ornatus est, neque dubium est quin munere præclarè functus sit, qui tanto ante cælestis, & sempiternæ vitæ in caduco hoc corpore primitias gustauit. Cuius inexhaustas pleno ore deinceps delicias hausit, cum humanam hanc vitam triginta amplius postea annis deposuisset. Perseuerauit in hac sede ALGARVS ad huius sæculi initium & inter ceteros diplomati illi ETHELREDI subscripsit. Succedunt ei ALFVINVS, duo ELFRICI siue ALFRICI; fuit vero ALFRICVS huius sedis Episcopus, regnante CANVTO & HARDECANVTO, vt patet ex literis HARDECANVTI, quibus confirmat donationem paternam cœnobio *Burtensi* factam. Succedit deinde STIGANDVS, ei abdicato GRINKETELLVS Episcopis *Selesiensis*, pecunia sibi viam ad hoc munus præstruens. GRINKETELLVS deinde ab vtroque reiectus & repudiatus, *Australium Saxonum* sedem STIGANDVS occupat, *Helmhamensem* vero fratri ETHELMERO redemit. Quem *Florentius* AGELMARVM appellat, & Floril. millesimo trigesimo octauo, sed anno millesimo septuagesimo ÆILMARVM; qui solus post ETHELMERVM ponit ÆLFRICVM, deinde STIGANDVM an. millesimo quadragesimo quarto. Sed aut errorem authoris, aut exemplaris vitium hic interuenire arbitror. Postea enim huic ÆILMARO siue ETHELMERO, ARFASTVM, vt & ceteri omnes substituit, anno millesimo septuagesimo. At coëmtionalis STIGANDVS, artifex iam præclarus, & egregius negotiator, *Vintonienſis* & *Cantuarienſis* etiam sedium nefarias coëmtiones fecit; quæ quam infelici exitu hominem nobilitarint, iam antea diximus. ETHELMERVS enim, *Helmhamensi* Episcopatu; ille vero Archiepiscopatu, in celebri *Vintonensi* sub GVILIELMO *Normanno* synodo, motus est.

Gul. Mal. & Thet. vent. & Catalogus Norouicensium Episcoporum. Congruit cum Florentio, catalogus præfixus Mariano. Matm. & Flor. anno 1038.

POST ETHELMERVM HERFASTVS, siue ARFASTVS renuntiatur Episcopus. Is sedem inde *Tedfordiam* transposuit. Erat Duci GVILIELMO in *Normannia* à sacris, nonnullamque doctrinæ, ante LANFRANCI aduentum opinionem sustinebat. Cuius cum ille insciam palam coarguisset, adeo est aduersus eum irritatus, vt graues contra eum apud Ducem querelas deferret; qua ex occasione maiorem sibi LANFRANCVS apud Ducem gratiam, vt diximus, collegit: in cuius demortui locum GVILIELMVS de *Beissago*, eidem etiam Regi à sacris, submissus. Post quartum annum sedem ad HEREBERTVM transmisit. *Tedfordiæ* humatus est, sed eius postea corpus, & ipsam adeo sedem *Nordouicum*, quasi ad illustriorem & magis populosum locum HEREBERTVS transtulit; qui à mendaci adulatione qua se ad Regis, potentiorum, ad aliorumque non modo sensum, & voluntatem, sed quasi nutum atque vultū turpiter blandiendo conuertebat, *Losinga* dictus est: & quos huiusmodi adulantis linguæ, quam omnium auribus dabat, blanditijs allicere non potuit, pecunia oppugnabat. His artibus ex priori *Fiscanensi* Abbas primo *Rameſiæ*, deinde & Episcopus factus est. Sed hanc ille turpitudinem, qua & ipse, & pater eius *Robertus* cœnobij *Vintonienſis* Abbas, magna apud omnes passim infamia laborabant, egregia pœnitentia, præclarisque operibus eluit. Quam illi pœnitentiam prognosticon, quod illi & HERFASTO, de quo commeminimus,

Flor. anno 1070. Catalogus appellat Arcastum, sed forte vitiose.

Herbertus factus Episcopus anno 1091. transtulit sedem an. 1094. occupit Norwicum anno 1096 Gul. Mal. de reg. li. 4. c. 32. & de pont.

Ioan. 18. Matth. 26.

rauimus, forte accidit, potissimum expressit. HERFASTVS in illud, *Non hunc, sed Barrabham*; HERBERTVS in istud incidit, *Amice ad quid venisti?* Quorum auditio mirum in modum emollijt, hominisque animum ad lachrymas, pœnitentiámque capiendam confregit. Qui cum illud audisset, illacrymans *Turpiter*, inquit, *ingressus sum in hanc dignitatem: sed honestius, vt spero, ab ea discedam.* Constat certe *Romam* HENRICO regnante profectum, & propter huius suæ turpitudinis conscientiam Episcopatui (traditis *Romano* Pontifici baculo & annulo) nuntium misisse. Mille enim libris GVILIELMO Regi datis, & sibi Episcopatum, & patri abbatiam comparauit. Cuius delicti expiandi causa, tentauit furtim *Romam* ad VRBANVM proficisci: sed eum RVFVS Rex retinuit, & baculo pastorali spoliauit. Profectus est tamen, vt dixi, postea; & restituit illum Pontifex in priorem locum.

HVIVS peccati causa, vtque Deum sibi magis reconciliaret, celebre *Nordouici* cœnobium, & ædium, & omnium ornamentorum, & proborum etiam atque Doctorum hominum splendore illlustre condidit. Neque ille de Episcopalibus possessionibus quicquam ad vsum monachorum detraxit, ne sedem iniuria afficeret, neue id postea monachis extorqueretur. Aliunde omnibus abundè prospexit & consuluit. Nec eloquentia, nec doctrina, nec vlla rerum gerendarum peritia & prudentia homini defuit: acrémque se aduersus simoniacos vindicem ostendit. Peruenit ad decimum nonum annum HENRICI Regis. Atque vtinam qui vitiosos & deprauatos illius mores imitantur, pœnitentiam & resipiscentiam illius imitandam sibi etiam proponerent: & qui vel clam vel palam grauia scelera admittere non verentur, neque palam cum HEREBERTO confiteri de sceleribus erubescerent, eaque pijs operibus redimere conarentur. Cuius resipiscentiæ clara apparent documenta in ijs, quæ hodie extant, scripti illius exemplaribus; quo testatur se cœnobium NORDOVICI, vt esset princeps totius diœceseos ecclesia, ex *Romanæ* sedis authoritate condidisse. Quod quidem scriptum HENRICI Regis, Episcoporum, & Procerum regni sigillo munitum est, ad annum incarnati Christi millesimum centesimum primum. Repleuit dictum HERBERTVS cœnobium sexaginta monachis, multáque eius priuilegia tam a summo Pontifice, quam à Rege impetrauit. Constituxit prætet princeps illud templum & alias ecclesias; primam in colle, qui cathedrali ecclesiæ interiecto flumine imminet; secundam *Norwici*, in curia Episcopi; tertiam apud *Elingham*; quartam apud *Linne*; quintam apud *Gorledunum* siue *Gorlestonum*, vulgo *Iernemutham* appellant, è regione ostiorum *Garieni* fluminis. Obijt anno millesimo centesimo nono, post viginti nouem Pontificatus annos. Primus cœnobij præfectus fuit *Ingulphus*, quem secuti sunt *Elias*, *Richardus*, *Elfricus*, *Tancredus*, *Girardus*, *Guilielmus*, *Walsamus*, *Ranulphus*, *Guilielmus*, *Odo*, *Simon Elinghamus*, *Rogerus Skeringe*, *Nicolaus Bramerton*, *Guilielmus Brumham*, *Guilielmus Chirby*, *Henricus Lakenham*, *Robertus Langley*, *Guilielmus Clapton*, *Simon Bohonum*, *Laurentius Leck*, *Nicolaus de hoc*, Alexander *Totington*, *Robertus Brumham*, *Guilielmus Worsted*, *Ioannes Heuerland*, *Ioannes Mallet*, *Thomas Bohonum*, qui obiit anno millesimo quadringentesimo septuagesimo primo, & hunc *Ioannes Bonuuelle*.

Catal. Norwic. Episcoporum.

Ex vetere quodam Nordwici ecclesiæ monumento.

POSVIT & *Tedfordiæ Cluniacenses* monachos HERBERTVS, qui monasticas regulas exacte id temporis obseruabant. In hac diœcesi præclarum diui EDMVNDI, Regis & martyris cœnobium à CANVTO Rege, ALGIFAE siue EMMAE vxoris, Episcoporum procerumque consilio constructum, ampliſque possessionibus, & priuilegijs honestatum, donationémque, quam priùs illi cœnobio ad martyris gratiam, & mercedem æternam, vt ait, adipiscendam contulerat, EDMVNDVS Rex, EDGARI patet, confirmauit. Quod ille cœnobium à publicis omnibus tributis, & omni Episcoporum iurisdictione liberat. Præfectus est ei cœnobio *Wido*, vir summa modestia & pietate. Clericos verò, qui intemperanter ibi priùs viuebant, aut ad monasticã vitam traduxit, aut aliunde abundè illis prospexit: seuerèque cauit, ne cœnobium illud aliquando ad Clericos transferretur. Solebant antiquitùs Reges diadema suum eo mittere, posteaque magno precio redimere. Confirmauit & auxit patris munificentiam, ad suggestionem EGELNOTHI *Cantuariensis*, & prædicti ALFRICI, HARDECANVTVS; diplomati Regio Episcopi, & Proceres cum EMMA matre subscripsere. Præfecturam eius cœnobij ad annum sextum GVILIELMI *primi*, *Balæwinum* quendam D. *Dionisij* monachum, medicæ artis peritum obiisse, & concilio illi ANGLIAE, de quo commemorauimus, ad annum millesimum septuagesimum secundum interfuisse produnt. *Lestano* ille per Regem EDOVARDVM non tam defuncto substitutus, quàm viuo sed morbis prorsus debilitato & exhausto, adiunctus est. Eius opera & industria, *Romanus* Pontifex ALEXANDER

Vide hartam siue diploma Canuti, quæ incipit, in nomine patris & filij & spiritus sancti Iesu. Florent. an. 1020. Malm. de pont.

Diploma incipit in nomine sanctæ, & trinitatis.

magna

magna prærogatiua cœnobium illud ornauit, nimirum vt ab Episcopi authoritate solutum, Archiepiscopi solius authoritati & imperio subijceretur. Neque hac sola prærogatiua, sed & ædificiorum splendore, & redituum accessione cœnobium hoc *Balduinus* amplificauit.

De Wintonienſibus, & aliis Visisaxonum Episcopis.

CAPVT XVIII.

ELPHEGO *Cantuariam* demigrante (vbi martyrio, vt diximus, obijt (vir longè dissimilis CHENVLPHVS *Burgensis* Abbas, non doctrina nec virtute, sed pecunia hanc sedem turpiter occupat; nec diu sacrilegij vsura fruitur, ante biennium defunctus. Cuius mortem ELPHEGVS Romæ positus, palam, perinde ac præsens in ANGLIA, enuntiauit. Administrant deinde illud munus ETHELVOLDVS, [a]ELSIVS, [b]ELVINVS, STIGANDVS; & hæc quidem ex sententia *Malmesburiensis*. [c] *Florentius* etiam subijcit ELPHEGO CHENVLPHVM. At *Matthæus Westmonasteriensis* sufficit ELPHEGO [d]ÆLFIVM, tum [e]ETHELVOLDVM, & ELFIVM [f] rursus [g]ELFVINVM, & STIGANDVM. Sed posteriore loco credo ELFIVM vitiato codice pro ELFVINO positum. Sed hic scrupulus de ALSTANO siue ÆLSTANO Episcopo oboritur. Quem nullus recenset, & tamen constat eum subscripsisse commemorato ÆTHELREDI diplomati, hoc sæculo ineunte, his verbis. Ego ALESTANVS Wentanæ ecclesiæ Episcopus consscripsi. [h] *Marianus* autem & ceteri omnes ETHELWOLDO ELPHEGVM substituunt. Qui sexto [i] huius sæculi anno *Cantuariam* migrauit. Quo modo ergo potuit *Alestanus* diploma illud ad primum huius sæculi annum consignare? Nisi fortè, vt [k] LIVINGVS *Lothonensis* Episcopus, ita & [l] ELFEGVS ALSTANVS etiam dicatur. Reperio certe duos ÆLSTANOS Episcopos diplomati eiusdem Regis subscripsisse, sed sedes eorum non nominantur. De STIGANDO autem & ÆLVINO iam abunde, cum de *Cantuariæ* Archiepiscopis, & EMMA Regina ageremus, dictum est. STIGANDI locum WALCHELMVS supplevit, qui licet ad prima Episcopatus sui tempora, monachis valde fuerit infestus (adeo vt quadraginta Clericos parârit, quos secum, conniuente etiam Rege, deturbatis monachis in sua ecclesia locasset, ni vt diximus LANFRANCVS intercessisset) mitior deinde tamen, & mollior erga eos redditus est; ita quidem, vt eos deinceps instar fratrum, filiorum, & dominorum haberet, nisi quod ea solum eum nota inusisse * in perpetuum videtur; qua propter terras quasdam illis ereptas, & nunquam restitutas, apud quosdam aspergitur. Ad postrema RVFI tempora defunctus est. Quidquid vero illud fuerit quod monachis detraxit, rei certe suæ, possessionibusque suis & retinendis, & recuperandis vigilans & intentus fuit, homóque vehemens & acer; adeo vt, cum exauthorato STIGANDO GVILIELMVS *primus* viduatam pastore ecclesiam expilans, tria, vt appellamus, maneria Episcopi, *Meonem*, *Wargrauam*, & *Porlandiam*, in suos vsus transtulisset: WALCHELMVS, vbi nullum frequenti suæ admonitioni, precibúsque de restitutione relictum locum videret, GVILIELMO in *Normanniam* proficiscenti occurrerit. Tum deinde ex augusta summi Dei authoritate, quem tantarum ecclesiæ irrogatarum iniuriarum vltorem fore clamabat; seuere denuntiauit, ne mare prius transmitteret, quàm damnum ecclesiæ irrogatum resarcisset. Rex vultu oculisque ardentibus hominem intuitus, magnum aliquandiu silentium tenuit; tandem vero rationis imperio iram moderans & compescens, & infractam hominis constantiam mirificè suspiciens, mollibus & blandis verbis rogauit, vt ab omni ea comminatione & imprecatione exolueretur, liberque ei abitus pateret. Neque dubites, inquit, quin post reditũ hoc omne admissum sim emendaturus, abunde Deo atque ecclesiæ satisfacturus. At ille neque deinceps vnquam rediit, neque RVFVS ab eo, aut HENRICVS à GVILIELMO WALCHELMI successore interpellati, aliud quicquam nisi bona verba dederunt; nisi quod GVILIELMO HENRICVS *Porlandiam* reddiderit. HENRICO vero Episcopo, STEPHANVS postea Rex reliquas possessiones restituit. In nouo autem *Vintoniæ* monasterio, quod *Henricus* Rex in alium, vt diximus, locũ transposuit, Abbates reperio *Robertum*, patrem HERBERTI *Nordonicensis*, qui pecunia, & malis artibus interuenientibus, hanc dignitatem nactus est; & *Renaldum* regnante GVILIELMO *primo*. In cœnobio autẽ *Carteſiensi* ad eadem tempora Abbatem *Vinothum*, Priorẽ autẽ *Vintonienſis* cœnobij *Godefridum*, à cõmemorato WALCHELMO constitutũ; hominé pro temporũ illorũ ratione doctũ, & pangendis carminibus deditũ: cuius hodie de primatũ ANGLIÆ laudibus, versus, quos legi, extãt. In ea ille se præfectura optimè, & accuratissimè gessit, homo inter ceteras dotes

a *Quem quidam* Elfium *appellant.*
b *Siue* Alwinus *vt* ℗ *Thomas Sudburnus in chron. min. re. Catalogus præfixus Mar. connasterium Florent. & chronicon Maria. an.* 1006
c *Anno* 1006.
d *Anno* 1015.
e *Florent.*
f *Iterum*
g *Anno* 1047.
h *Anno* 984. & *Flor.*
i *Marian. & Floril. an.* 1006.
k *Mal. de pont.*
l *In dicto monumento annob. Septemum* 984. *Guil. Malm.*

* *alibi abeſt in perpetuum.*

Henr. Episcopus Winton. in libro quodam quem edidit de terris & possessionibus ecclesiæ suæ qui incipit. Quotiens ecclesia.

natus in *Gallia Belgica*. Is homo callidus, & dignitati fortunisque augendis intentus, causatus est nimis tenues, & angustos esse huius sedis prouentus. Decessores suos, vtpote homines ANGLOS, potuisse sibi sua amicorumque industria aliunde, quod deerat supplere: se hominem exoticum, & nudum, & inopem ab huiusmodi amicis & cognatis in ANGLIA, totum pendere debere ab illis reditibus, nec melioris fortunæ spem vllam aliunde adiungendæ posse* se concipere. Penes ipsum iam esse se ex his omnibus angustijs commodè expedire, si dignaretur MELDVNENSE cœnobium cuius nuper Abbas obierat, tam exili Episcopatui adiungere. Rex, pro innata suasimplicitate circumuentus, postulatis facile annuit. Et iam HERMANNVS, certa spe cœnobium illud deuorabat, cum ecce tam pinguem offam prudentes & industrij monachi, *Godwini* Comitis præsidio & ope HERMANNO, commutata regis voluntate, repentè extorquent. Qua ille destitutione mirum in modum perculsus, moxque pudori & indignationi suæ cedens, deserta ANGLIA in *Flandriam* diuertit, ibique se in in diui BERTINI monasterio abdidit.

* al. absq; ea

SED quoniam præcipiti potius animi æstu abreptus est, quàm vlla decocta, iusta, & matura deliberatione in vitæ suæ genere constituendo vsus est: omnis iste calor & repetita mollioris, rebúsque omnibus priús affluentis vitæ memoria, facile refriguit. Reuolat igitur in ANGLIAM, cóque solicitius, quòd speraret *Schireburnensem* quoque Episcopatum, (cuius Episcopum ALFVOLDVM, de quo commemorauimus, recens demortuum audierat) sibi etiam accessurum. Nec spes, siue sua ambitio illum fefellit. Cum ceteris posteà Episcopis decreto illi de transferendis sedibus ad frequentiora loca, regnante GVILIELMO *primo*, non modo consensum suum accommodauit: sed & in ipsa sua sede, quam *Sarisberiã* remouit, exequutus est. Qui locus id temporis munitissimum erat castellum in loco edito positum, rebus ceteris circumfluens & abundans, sed adeo omnis aquæ inops, vt etiam aqua ibi veniret; ecclesia tamen non ab illo, sed successore OSMVNDO absoluta, consummata, & solenniter dedicata est. Magnam tamen post quintum diem cladem accepit, ex rari cuiusdam fulguris & tonitrui magnitudine, quorum vi & turris cuerta est, & muri ecclesiæ multum lacerati: ad quintum RVFI regnantis annum. Cucurrit OSMVNDVS per omnes ciuilis honoris gradus; Comitatu *Sagiensi* in *Neustria* (quæ illius potissimum aliquandiu consilio, & authoritate gubernabatur) & *Dorsatensi* in ANGLIA, cum supremi Cancellarij honore, regnante GVILIELMO *primo*, amplificatus. *Sagiensis* ille Comitatus, mortuo patre, prouentus in pauperum & ecclesiarum vsus conuertit. Et quoniam in externa republica administranda, & ciuilibus ille honoribus gerendis, caste & integrè versatus est, atque omnem pietatem excolendam mirificè propendebat: ad ecclesiam quoque suam regendam Deus eum, vt olim *Ambrosium* illum *Mediolanensem*, acciuit. In quo ille munere obeundo, integerrimè & sanctissimè versatus est.

Lo. Capgr. in vita Osmundi.

ÆDEM sacram, quàm HERMANNVS, vt diximus, inchõauit, ille magnis sumptibus splendidè, & magnificè consummauit, in qua & humatus est, ad annum Christi millesimum nonagesimum nonum. Sed post emensos centum viginti annos, nouum apud nouam *Sarisberiam*, oppidum tam humile & depressum, aquisque irriguum, quàm erat ille alter locus aridus, & siccus, mille inde passus distans, à RICHARDO Episcopo conditum est. Et in illam Clerici omnes ciuitatẽ, tanquam colonia; cum corpore OSMVNDI deducti, & translati sunt. Posuit OSMVNDVS in veteris *Sarisberiæ* collegio Canonicos, quos vocant sæculares, homines eruditione & virtute præstantes, quod exquisita & instructissima bibliotheca ornauit. Veteres authores suis ipse manibus exscribere, & exscriptos concinnè compingere non detrectabat. Summa fuit doctrina, & vitæ innocentia præditus. Et vt de suo non fuit insulsè prodigus, ita nec alieni inuasor. Cœnobia, in sua diœcesi posita, exactionibus non onerabat. In delinquentes aliquanto seuerius, propter summum vitiorum odium animaduertere visus est. Læsæ pudicitiæ, ne leuissima vnquam eum maculæ nota aspersit. Et quoniam singulæ fere diœceses in statis, & precarijs horis dicendis variabant; ad hanc varietatem tollendam, & vt quasi absolutum quoddam precandi; quo omnes vti possent, exemplar exstaret: eas in eum fere ordinem & commodam rationem, quam hodie omnes prope ANGLIAE, *Cambriæ*, & *Hiberniæ* ecclesiæ sequuntur, magno & prudenti rerum, ex sacris scripturis & probatis ecclesiæ historijs, delectu, distribuit & digessit. Quibus tamen, Episcopis nescio quo modo conniuentibus, quædam ab eius obitu aspersa videntur, quæ accuratiorem limam, grauioremque, ni fallor, censuram expectant. In Dei certè, qui ipsa est veritas, templo; nihil nisi quod certæ, & exploratæ est veritatis, sonare debet. Hæc & alia multa pietatis opera eum, post hanc mortalem vitam depositam, in cælestem & sempiter-

nam ciuitatem transcripserunt. Quod ita esse Deus ipse innumeris, quibus beatas eius reliquias tam in veteri, quàm noua *Sarisberia*, miraculis ample & magnifice ornauit; ijs qui manci, mutilati, claudi, & paralytici erant, varijsque morbis afflictabantur, corporum firmitate, cæcis visu, furiosis mentis sanitate, mortuis denique vita reddita, toti ANGLIAE contestatus est.

HORVM igitur miraculorum cum accurata, & exquisita fides tam alijs pontificibus, quàm CALIXTO *tertio* facta esset, in numerum eum cælitum CALIXTVS de more ecclesiæ ascripsit, ad annum Christi millesimum quadringentesimum quinquagesimum sextum, pridie nonas Decembris, quem * etiam diem obitus eius incurrebat. Inter alia quæ scripsit, ADELMI decessoris sui, de quo abunde diximus, vitam contexuit. Et iam hanc diœcesim dimitterem, nisi quod STEPHANVS ægre nos dimittet, qui sua nos authoritate & splendore ita retinet, vt mihi necesse sit, in illius historiæ commemoratione, pedem aliquantulum figere. Fuit ille quidem homo ANGLVS & *Schireburnensis* monachus, quem alij STEPHANVM, alii HARDINGVM appellarunt, de quo aliquanto vberius, vel ob id præsertim mihi dicendum puto, quòd vel vnus, vel precipuè, insigni & illustri illi *Cisterciensium* ordini initiando occasionem dedit, & sua, ante obitum, pietate & industria, admirabili accessione prouexit. Ad vberiorem ille animi cultum capessendum, illúmque literis & pietate magis excolendum, *Scotiam* atque *Galliam* inuisit. Deinde pio quodam, in itineris comitem, ascito, *Romam* quoque profectus est. Quibus nec fortunæ tenuitas, nec tanti itineris molestia & asperitas, aliquod vnquam impedimentum obijcere potuit, vt non quotidie tam proficiscendo, quam reuertendo, totum *Dauidis* psalterium orando percurrerent. Reuersus, apud celebre illud *Molismi* in *Burgundia* *Benedictini* instituti cœnobium, monasticam vitam professus est. Id autem nostræ *Europæ* fuit *Benedictus*, quod Orienti & *Ægypto* diuus *Antonius*; illustre videlicet, & absolutum quoddam monasticæ vitæ exemplar. Qui, vt GREGORII verbis vtar, monasticam regulam discretione præcipuam, & sermone luculentam scripsit. Ad quam accurate & exquisite obseruandam, omnes suas HARDINGVS noster cogitationes solicitè referebat. Et dum in hac cogitatione totus versaretur, deprehendit multa illius cœnobij instituta, ab exacta illa regula multum recedere. Quare, communicato cum quibusdam socijs consilio, ita rem apud eos agitauit, vt & ipsos quoque in suam sententiam attraxerit.

CONIVNGVNT igitur communes operas, multæque deinceps in varijs *Benedictinorum* solemnibúsque conuentibus & consilijs, disceptationes habitæ sunt, quæ eo reuoluebantur, vt aut qui *Benedictum* authorem sectarentur, præscripta illius ad amussim obseruarent, aut certe cur ab eis desisterent, idonea ratio redderetur. In quorum tandem & Abbas *Robertus* sententiam concedit. Verum enimuero cum consuetudo naturam imitetur, & hominem ad se ita totum rapiat, vt difficillimum sit sponte se hominem ab ijs, quibus assueuerit, abdicare, & abducere; atque ideo Abbas in monachis reliquis persuadendis, suam frustra operam posuisse, nec se, in tanta ciborum & diuitiarum copia, alijsque vitæ mollioris laxamentis, ex *Benedicti* voluntate & præscripto viuere posse videret: à *Molismo* cum HARDINGO, & alijs octodecim, inde ad *Cistertium* abijt. Erat is tum locus inculta & vasta solitudo, in qua tamen illi cœnobium suum, *Robertumque* sibi Abbatem constituerunt. Mirúmque est dictu, quàm duram & asperam vitam transigebant, manibus ipsi suis operando. Neque pellibus, neque lineis, neque adeo laneis, nisi crassissimo quodam filo contextis vestibus vtebantur. Cum cubitum se reciperent, vestes non exuebant. A carnibus prorsus (nisi grauior morbus infestabat) & ab idibus Septembris ad pascha, etiam à cœna (remoue dies dominicos) abstinebant. Neque fas erat à communibus, & statis precibus, nisi corporis infirmitas absentiam extorqueret, abesse: neque à claustro, nisi vt manibus operarentur, discedere; neque colloquium cum aliquo, nisi cum Abbate aut Priore miscere. Hæc, & alia id genus, dum illi magna viuendi austeritate, exercitia studiosè & impigrè sectantur, *Robertus* Abbas ad *Molismum* rursus, ad monachorum preces supplices Papæ mandato reuocatur. In cuius locum *Albericus* sufficitur. Quo post octo annos diem suum obeunte, STEPHANVS substituitur; qui *Benedicti* dicta, regulásque ad vnguem, quod dicitur, obseruauit.

VERVMENIMVERO propter vitæ, & instituti huius duritiem & asperitatem, quæ homines ad id vitæ genus capessendum deterrebat, rari admodum erant, qui huic se societati adiungerent. Adeo vt diu nonnullos monachos metus afficeret, ne in ipso suo exordio, societas hæc mox intercideret. At breui tanta, & tam luculenta repente accessio facta est, vt intra duodecim annos, viginti huius instituti cœnobia extruerentur. Inter quæ

Clarauallense

* al. eundem.

De Stephano. Vide Guil. Malm. li. 4. de reg. Sigebertum in chron. anno 1098. & 1109.

Clarauellense, quibus diuus BERNERDVS præfuit, valde eminuit. Quibus STEPHANVS præcepta quædam, ad huius vitæ rationem, apta & accommoda dedit, quæ & *Charitatis chartam*, quod tota in ea illis commendanda pæne versarentur, appellauit. Quæ charta ab VRBANO secundo eodem tempore confirmata est. *Abingdonenses* hoc sæculo Abbates (vt hoc obiter aspergam) hos reperio: *Vulgarum*, qui *Eduino* successit. *Vulgari* industria & prudentia mirificè commendatur, qui in vastis illis *Dacorum* direptionibus & grassationibus, cœnobium suum integrum ac sartum tectum conseruauit. In cuius locum, post viginti & octo annos, vocatur *Aluinus*, quem CANVTVS Rex magnopere obseruabat; eiúsque consilio multa vitæ suæ errata corrigebat. Ob cuius gratiam & cœnobium ipsum mirificè amplectabatur, donarijsque honorauit: inter quæ fuit theca ex auro & argento fabricata, in qua repositæ erant diui VINCENTII reliquiæ. Successorem sortitus est *Stuardum Glasconiensem* monachum, litteris tam profanis, quam sacris apprimè excultum: qui *Cantuariam*, vt diximus accersitus est, vt EDSIO succederet. *Ethelstanus* Abbas pro eo suffectus est, & ei SPERAFOCVS, cœnobij *Edmundiani* monachus, præclarus in rebus auro, argentóque pingendis, aut sculpendis. Qui *Londinensis* designatus est ab EDOVARDO Episcopus, sed postea repudiatus. Ordinati sunt deinde Abbates *Rodolphus Norwegiensis*, & *Ordricus*.

Ad annum 990. Marian. in chro. & anno 1017.

Mar. anno 1030.

Idem an. 1048.
Idem an. 1050.
Idem an. 1060.
Idem an. 1065.

De Episcopis Wellensibus *siue* Bathonensibus, *déque* Cridiensibus *siue* Exonensibus.

CAPVT XX.

SIGARO defuncto [a] ÆLFVINVS succedit ad annum Christi nongentesimum nonagesimum septimum. *Malmesberius Florentius & Florilegus* LIVINGVM qui ELSTANVS siue ÆTHELSTANVS dicitur, hunc sufficiunt. Sed catalogus, quem habeo manu scriptum, *Wellensium* Episcoporum, BVRWOLDVM illi substituit. Traditque & inter ceteros Episcopos, in martyrologio eiusdem ecclesiæ cum recenseri, sepulchrúmque illius in eadem ecclesia eo nomine inscriptum ostendi; fuisséque nonum in Episcoporum ordine. Quem LIVINGVS (de quo inter *Cantuarienses* Episcopos diximus) sequutus est. Quem constat hic sedisse ad annum milesimum primum. Eo igitur *Cantuariam* traducto, [b] ÆTHELWINVS *Eueshamiæ* Abbas ad illud munus vocatus est. Quo, nescio qua de causa, ciecto, [c] BRITHVINVS hoc munus capessit. Quem tamen ÆTHELVINVS postea expulit. Nec ille tamen firmum & fixum pedem figere ibi potuit, per BRITHVINVM rursus exturbatus. OBIIT deinde post paululum temporis ÆTHELVINVS, & post tredecim deinde dies BRITHVINI mors sequuta est. Defertur deinde illius sedis administratio ad [d] MERVITH, qui & BRITHWY dictus est (quem prætermittit *Florilegus*) *Glasconiæ* Abbatem, & post eum ad [e] DVDVC siue DVDOCVM. Qui [f] oriundus fuit in *Alemannia* apud *Saxones*, & sedit viginti septem annis. Hic villas *Congresburiæ* & *Banewellæ* ecclesiæ, EDOVARDI Confessoris beneficio acquisiuit. Cui successit [g] GISO *Lotharingus*, ex ciuitate *Hasbanensi*, & vico diui *Trudonis*, *Wellensis*, regnante EDOVARDO, ad annum Christi millesimum quinquagesimum nonum, designatus Episcopus à summo Pontifice NICOLAO. Consecratus est etiam *Romæ* ab eodem Pontifice *Romano*, ad quem ob certa negotia a Rege missus erat cum WALTERO *Herfordiensi*. Noluerunt enim id munus a STIGANDO *Cantuariensi*, quod contra canones in illam se dignitatem ingessisset, & quod à notho & falso Pontifice pallium accepisset, suscipere. Inuenit GISO quinque tantum Canonicos in hac ecclesia, eámque bonis, ornamentis, & possessionibus suis miserè per HARALDVM, qui EDOVARDVM in regno excepit, spoliatam; adeo vt Canonici quasi emendicare aliunde victum cogerentur, donec eis EDOVARDVS, solicitante GISONE, nouis possessionibus liberaliter auxisset. Quæ tamen in prædam postea HARALDI, post regnum adeptum cessere, cum reliquis omnibus Episcopi & Canonicorum annuis reditibus. Quas, licet non omnes (quasdam enim ad cœnobium diui PETRI *Glocestriæ* auerterat) GVILIELMVS Rex restituit, & alias etiam de suo adiecit. Industriáque GISONIS auctus est Canonicorum numerus. Quibus & claustrum, & locum, vbi simul cubarent, & alium, vbi cibum caperent, construxit, & post viginti octo deinde annos obijt. Cui IOANNES natione *Turonicus*, professione

[a] *Flor. Mal* Elfinus. *Florentius* Alfwinus *Cata. Rath.* Ealwinus *sine* Adelwinus *Catalogus ille pertingit ad* Nicolaum Bubwithum.

De Burwoldo *alibi, nisi in illo catalogo, haud reperio.*

Ex diplomate commemorato cui subscripsit.

[b] *An* 1012 *Flor. Malm Florentius Catal.*

[c] *Catal & Mal.*

[d] *Catal & Mal.* Brithvvinum *appellat, Florent. Catal. Mar & Florent alterum* Brithvvinum *alterum* Brithvvinum *appellat.*

[e] *Catal. Floril. Mal Florentius appellat* Lodeca *sed credo exemplar vitiosum. vt Marianus indicem, vbi* Bodeca

[f] *Catal. Bath.*

[g] *In Florentio* Giso, *in Mariani indice* Bita *sed credo vitiosa. Catal. Sim. Dunel an.* 1049. *Floril.* 1061. *Gul. Malm. Catal. Catal Bathon.*

fessione medicus, suffectus est. Qui cum RVFVS imperaret, sedem ad *Bathoniam* vrbem calidis balneis nobilitatam, vnde & nomen sortitur, transtulit. Amplissimo enim GVILIELMVS munere pro animæ suæ salute (vt ex diplomate, quod hodie extat, perspicitur) & pro salute animarum parentum ipsius. & successorum suorum, ciuitatem illam Deo, & beato PETRO Apostolorum principi, atque commemorato IOANNI cum potestate pecuniam cudendi, cum reditibus & pensionibus, quæ Regi pendi solebant, eumque antiquis omnibus consuetudinibus; tam denique liberè & fructuosè, atque vel ipse, vel pater eius eam possederat, in elemosynam atque Episcopatus amplificationem, vtque esset totius *Somersatani* Comitatus Princeps & primaria ecclesia, donauit. Quam donationem nouo postea diplomate HENRICVS Rex, GVILIELMI frater, tam ad prima regni initia *Windesoræ*, quam decennio etiam postea apud *Walthamum Wintonienses* Episcopi ædes, iam *Normanniam* transmissurus, plenius & vberiùs confirmauit & auxit.

IOANNES vero ibidem templum Deo & beato PETRO magnificè ædificauit, cœnobiúmque illius vrbis libris, & ecclesiæ ornamentis egregiè decorauit. In quos sumptus, annuos ciuitatis reditus, suámque omnem domesticam supellectilem, facultatémque erogari, si res ita postularet, mandauit, vt scriptum quoddam ipsius quod ea de re extat, testatur. Et ab initio quidem monachis admodum parcus & durus, imo & iniurius visus est. Postea verò remissior & mollior multo factus est, adeo quidem, vt non solum possessiones quasdam, quas non satis pro iustitiæ ratione retinuerat, tam plenè atque antea eas *Alsius* Abbas vnquam possederat, monachis restituerit; sed & de suo, ad eorum vsum, alias etiam liberaliter, quas idem scriptum complectitur accumularit. Obijt ad annum Christi millesimum centesimum vigesimum secundum. Post viginti sex administrationis suæ annos, humatus in templo *Bathoniensi*, quod construxerat ex ipsis fundamentis. Fuit ad prima GVILIELMI *Nothi* tempora *Bathoniensis* cœnobij Abbas *Stigandus*. Quem cum STIGANDO *Cantuariensi* secum in *Normanniam*, vt res suas interim tutiori in ANGLIA loco constitueret, cum quibusdam Proceribus duxit. Habuit deinde, ad annum Christi millesimum septuagesimum septimum, Synodum *Londini* LANFRANCVS in qua *Alnothum* eiusdem cœnobij præsidem, de illa vt diximus dignitate deturbauit. Cœnobium vero hoc *Athelardus* quidam monachus, qui cognitionis ergo vsque ad *Ægyptum* & *Arabiam* peregrinatus est, & monumenta aliquot de Philosophia, liberalibúsque artibus posteris reliquit, HENRICO Imperante, valde exornauit. Nobilitatur hæc diœcesis *Glascontensi* cœnobio, cuius Præfecturam habuit, ad GVILIELMI *primi* tempora *Elnothus*, & ad HENRICI *primi* tempora SIFRIDVS *Cicestriæ* postea Episcopus, atque HENRICVS HENRICI Regis nepos, qui demortuo GVILIELMO *Wintonienſi* Episcopo suffectus est. Notam non leuem tamen nobili huic cœnobio, inussit Abbas *Turstinus*. Quem nullius pietatis aut prudentiæ hominem, à *Cadomo* illuc GVLIELMVS *primus* accersit. Inter quem & monachos, quos, spreto antiquo canendi ritu, qui à GREGORII temporibus, & ex eius præcepto inoleuerat; ad nescio quem, à *Gulielmo* quodam *Fiscanensi* institutum ritum, & ad agrestem, nimiámque victus duritiem compellere voluit, rixa quædam exorta, à verbis ad verbera & vulnera progressa est: adeo vt per milites, quos Abbas immiserat, quatuordecim ex monachis vulnerati sint; in ipso templo duo cæsi, & imago ipsa crucifixi Christi sagittis violata sit. Abbas præcepto GVLIELMI *primi* ad *Cadomum*, monachi in diuersa cœnobia, quasi ad carceres ablegati sunt. Quo tamen defuncto RVFVS, datis à *Thurstino* quingentis libris, expugnatus, in eandem eum dignitatem reposuit. Est in hac etiam diœcesi *Michelnense* cœnobium, cuius Abbas inter ceteros, dignitate per ANSELMVM excussus est.

Scriptum incipit Ego Ioannes &c. ad annum 1106.

Caial. Bathon.

Sim. Dun. 1067

Dunel an. 1115.

Ioan. Leland.

Gul. Malm. Matth. Par. an. 1125.

Mal de pont. Dun. an. 1083. Asser. anau.

ADDAMVS iam pauca de *Cridiensibus*, siue *Exoniensibus* Episcopis. Inter ceteros, qui commemoratum ETHELREDI diploma suo chirographo consignarunt, fuit ALWOTE (ita enim se subscribit) *Cridiensis* ecclesiæ Episcopus. Is forte quem superiori sæculo ELSWOLDVM appellatum diximus. Cui sedi post LIVINGVM præfuit *Lefrigus*, apud *Lotharingos* ducatus, qui eam postea *Exoniæ* defixit. Vbi, sanctimonialibus inde deturbatis, Canonicos constituit, & qui antea apud ANGLOS non erat in vsu, morem, quem apud *Lotharingos* vidit, inuexit, Canonicósque ad vnam omnes mensam, & in vno omnes cubiculo collocauit. Et œconomum designauit, qui eis omnia, quæ ad victum & vestitum inseruirent, suppeditaret. Huic OSBERNVS successit homo *Normannus*, sed liberaliter apud EDOVARDVM Regem educatus, qui eius propterea leges consuetudinésque, quæ eo regnante in vsu erant, plurimi fecit, & quantum potuit, constanter continuit. Laudem habet a continentia & liberali-

Anno 1001. Leofingus factus Episcopus Dum. 1018 Florit obiit an. 1046. idem. Malm.

tate;

tate; ad quartum annum HENRICI, visu oculorum aliquot antea annis spoliatus, decessit. Post cum eam sedem GVILIELMVS adeptus est. Iste est GVILIELMVS ille, qui mare transmissurum ANSELMVM scrutatus est, vt diximus, & excussit, vbi totos quindecim dies, ventis aduersantibus, commorari, vt bona & certa tempestate nauim conscenderet, coactus est. Quo quidem omni tempore GVILIELMVS ibidem morem traxit, communique cum ANSELMO mensa quotidie vsus est, sæque à Rege quidem missum ad ANSELMVM dixit, sed quorsum missus fuerat, dicere noluit. At vbi post quindecim dies idonea tempestas visa est, & nautæ, qui eam prætermittere noluerunt, ANSELMVM ad nauim conscendendum vrgeret, ibi vero cum in sarcinis ad nauim transportandis famuli ANSELMI occupati essent, repentè GVILIELMVS legationem renunciat, sarcinasque simul omnes operiri, & accuratè excuti, magna hominum frequentia præsente, & ad spectaculi nouitatem obstupescente, mandat. Sed cum nihil elatum esset ab ANSELMO, quod per leges efferri non liceret, nihilque videret vnde calumniæ alicuius negotium ANSELMO facesseret, abire illum ad nauim permisit. Iste inquam GVILIELMVS ille est, qui tot legationibus, contra ANSELMVM, tam RVFO quam HENRICO imperantibus, ad VRBANVM & PASCHALEM perfunctus est. In quibus quid egerit, quia suo magis apposite loco dicetur, lectorem illuc reijcimus. In * hac ciuitate reperio ad hæc tempora cœnobij cuiusdam Abbatem fuisse *Serlonem*, *Sarisburtensis* priùs ecclesiæ decanum. Habet hæc diœcesis *Taniscocense* cœnobium. Cuius Abbas *Guimundus*, ab ANSELMO ex ea dignitate deturbatus est. Reperio quendam ad hæc tempora ex Abbate factum in his regionibus piratam. *Cornubiensis* autem, ineunte hoc sæculo, Episcopus fuit ETHELREDVS.

Eadmerus in vita Anselmi.

Gul. Mal.

* anno quinto. Subscripsit inter alios communioni facto à papa anno 1001.

De Episcopis Selesiensibus, *seu* Solocensibus, *siue* Cicestrensibus *apud* Australes Saxones.

CAPVT. XXI.

POST *Bernegum*, qui sedit imperante EDOVRDO primo, Pontificio hoc munere functi sunt [a] CENREDVS, [b] CVTHARDVS, ELFREDVS siue ALFREDVS, [c] EADELMVS [d] ETHELGARVS *Wintoniensis* prius Abbas, & *Cantuariensis* deinde Archiepiscopus, ORBRITHVS qui sedit anno milliesimo primo, vt liquet ex commemorato diplomate ETHELREDI Regis, [e] ELMARVS, [f] EHERICVS, siue vt alij, [g] ETHELRICVS, siue [h] AGELRICVS, [i] GRIKETELLVS, qui abdicatus à sede *Orientalium* ANGLORVM quam nummis acquisiuit, hanc etiam pretio sordide mercatus est. Cui defuncto [k] HECCA successit, & huic STIGANDVS (non ille *Cantuariensis* sed alter) qui imperante GVILIELMO primo apud *Solocum* sedit; & secundum decretũ synodi *Londinensis*, de qua diximus, de sedibus ad cultiora & frequentiora loca transportandis, sedem suam *Cicestriam* ciuitatẽ maritimã transtulit. AGELREDVS siue AGELRICVS eum præcessit, quem HERMENFREDVS *Seduenensis* Episcopus, ALEXANDRI *Romani* Pontificis legatus, in Synodo apud *Windesoram* parum iustis de causis, si *Simoni Dunelmensi* credendum sit, exauthorauit ad annum milleſimum sexagesimum nonum. Quem deinde GVILIELMVS Rex in carcerem apud *Mearleburgum* coniecit. Delegauit certè causæ eius cognitionem ALEXANDER *Romanus* Pontifex postea LANFRANCO, vt eam accuratè atque exquisitè excuteret. Quod satis ex epistola ipsius ad Regem GVILIELMVM constat. Sed quid ea in re LANFRANCVS egerit, nondum reperio. Permansit certè in Episcopatu STIGANDVS ad annum milleſimum octuagesimum septimum. Apparet AGELREDVM seu AGELRICVM leges & consuetudines ANGLIAE ad vnguem tenuisse, atque ideo in celebri illo consessu amplissimi ordinis virorum, in quo de querela LANFRANCI, de qua superius meminimus, cognitum erat ad annum milleſimũ septuagesimum quartũ. Delatus est illuc in curru EGELRICVS, vt illius potissimum inter ceteros sententia exquireretur. Demortui autem STIGANDI locum GVILIELMVS, & GVILIELMI RADVLPHVS capessit, homo corporis quidem proceritate, sed magis tamen Episcopo digna, animi elatione & altitudine nobilitatus: qua pro ANSELMO contra RVFVM Regem, constanter & fortiter se apposuit. Cumque ille truces, minas iactaret * is nihil penitus animo deiectiore, En tibi, inquit, baculum pastoralem, en annulum, quo Christo desponsus

[a] *Florent Flor & Mar, non habent Bernegum, sed Malm.*
[b] *Mal. Florent, & Floril.*
[c] *Malm. Flor. & Fl. an 960.*
[d] *Flor an 970. Mal. & Flor.*
[e] *Flor. 988. add. Ass 980. Malm. & Florent.*
[f] *Flor. 1010. Malm & Flor.*
[g] *Gul. Malm.*
[h] *Flor. Flor ann 1040 & Florent.*
[i] *Sim Dun 1038 Flor. Mal. Flor. & Flo an 1038.*
[k] *Mal Floren & Floril an. 1047. Mal de reg. l. 3. 98. 71.*

Ex chron. Gallico. Malm. Florent.

* *alias* ille.

desponsus sum, si ita tibi visum fuerit, sume tibi.

NEQVE minus sibi magna animi firmitate, regnante postea HENRICO, constitit. Qui cum Clerum graui pecuniarum exactione premeret, ceteris omnibus vel metu dissimulantibus, vel in illius sententiam palam abeuntibus, resistere & reniti Radulphus; adeo vt per totam suam diœcesim, sacra aliqua in templis, quæ & spinis obsepsit & obduxit, fieri interdixerit. Expectas iam forte lector, quam seuere ob hoc tam atrox, vt videtur, edictum, quod ad summam Regis notam spectare videbatur, Rex in eum animaduertit. Tantum certè hoc abfuit, vt tam virilis animi robur, eum potius in magnam hominis admirationem & veneration pertraxerit; adeo quidem, vt ei soli soluendi tributi gratiam fecerit, tenuem & exilem esse eius Episcopatum sæpe dictitans. Ad hæc, cum templum & monasterium *Cicestrense* incendium deuorasset, breui illud, regia præsertim munificentia auctus restaurauit, ecclesiámque & à Cleri numero, & ab ecclesiasticis priùs ornamentis tenuem & inopem, vtrimque ornauit. Singulis annis diœcesim ille suam, ad ea, quæ in moribus & disciplina ecclesiastica in deterius collabebantur, emendanda, & ad Dei verbum in populo disseminandum, perambulabat. Sed mirum quanta abstinentia, cum nullo ille diœcesanos suos sumptu, nisi, si quid forsan sponte efferebatur, grauaret. Acer fuit in concionibus, populi vitia increpando. Ante obitum, vt expeditius in cœlum euolaret, ita se prorsus rebus & facultatibus suis omnibus, ad pauperum tenuitatem subleuandam exuit, vt vix lecti stramenta superessent. Corrupta & vitiata, ni fallor, sunt *Florilegi* exemplaria, aut certe fallus ille est, qui STIGANDVM prætermittit, & HECCAE ROBERTVM, ROBERTO GAIFRIDVM, GALFRIDO (de quibus nulla apud alios mentio) RADVLPHM demum substituit.

Fioril an. 1072. 1088. 1099.

DVO sunt in hac diœcesi his temporibus condita cœnobia: alterum quidem à GVILIELMO *primo*, quod de *bello* dicitur, diuo *Martino* consecratum, vt voto se exolueret; vouerat enim, si victoria potiretur, cœnobium se ad Dei honorem constructurum. Statuit præterea hoc ille cœnobium, tum vt esset quasi singulare, & æternum quoddam victoriæ suæ insignis monumentum, & clarum trophæum eo ipso in loco, vbi hanc victoriam adeptus est; tum vt ad omnem temporum perpetuitatem, preces ibi pro animabus eorum, qui ibidem cæsi sunt, funderentur. Altare eo ipso loco positum aiunt, quo HARALDVS Rex fortiter præliatus cecidit. Quod ille cœnobium amplis possessionibus, & priuilegijs exornauit. Et constituit, vt cœnobium illud liberum foret ab omnibus, cuiuscunque generis Regi pendendis tributis. Et ab omni etiam *Cicestrensis* aliorúmque Episcoporum iurisdictione. Quam voluit, tam in ecclesiasticis, quàm profanis causis, tam in cœnobio quàm vicinis aliquot locis, apud Abbates residere. Inter cetera, & illud priuilegium Abbati & successoribus erogauit, vt si fortè Abbas, dum iter ageret, fortuitò in hominem capitalium criminum reum, & iam ad ipsum supplicium raptum incidisset, posset ei criminis gratiam facere. Illud vero ad omnem memoriam insigne est, quod author meus (qui non ita multo post vixit) à fide dignis testibus audiuisse se tradit; eum ipsum locum, vbi tanta strages edita est, solitum post pluuiam è cœlo demissam, verum & recentem sanguinem profundere. Primum in eo cœnobio Abbatem GVILIELMVS *Gausberum* posuit, cui & ceteris eius successoribus seuerè præcepit, ne bona cœnobij consanguineis suis, aut alijs quàm pauperibus & peregrinis erogaret. Dedicata est ecclesia regnante & præsente RVFO, Episcopis, & Proceribus, ad annum millesimum nonagesimum quartum.

Nubrig. Matth. Par. Floril.

Extat hodie Guilelmi diploma ex quo petita sunt.

Gul Numb hist. Ang li. 1. ca. 1.

ALTERVM verò cœnobium *Cluniacensis* disciplinæ, apud *Lenisum* oppidum maritimum est, Diuo *Pancratio* sacratum: ædificatum à *Guilelmo* Comite *Warrenæ*, qui cum GVILIELMO Rege *Norho*, ANGLIAM ingressus est. Cuius primus prior fuit *Lanzo* monachus *Cluniacensis*, vir singularis pietatis. Quo præside, insignibus monachis cœnobium illud efflorvit. Quibus ille in omni virtutum genere, & monastica disciplina præluxit, cuius in silentio tenendo rigorem à precibus, quas completorij dicimus, ad sequentis diei preces, quæ primæ dicuntur, quem nunquam prius soluerat, in postrema etiam sua valetudine accurate aliquot diebus obseruauit. Sed cum ad sabbati sancti matutinam synaxim fratres surgerent, móxque se obiturum putaret, eos ad se, vt sacro chrismate inungeretur accersit. Quorum singulos nec sedendo, nec iacendo, sed aliorum brachijs subnixus, sancto osculo excepit, benedictionem illis suam impartitus, & veniam ab ijs, si quid eos (vt fit humanitus) offendisset, anxiè precatus. Superuixit tamen ad diem lunæ sanctum Paschæ sequentis. Quo, dum toto corpore incuruato, manibúsque Christi crucem complexus, eam religiosè adoraret; sanctam ille animam reddidit. Incidi in scriptum quoddam antiquum in pergameno, RADVLPHI

Mal de reg li. 5. cap. 66.

Cice-

Cicestrensis Episcopi, qui STIGANDVM & GVLIELMVM Episcopos sequutus est; (quorum & ille mentionem facit) in quo cœnobium istud (quod *Latisaquense* appellat) ob exactam disciplinæ monasticæ obseruantiam, & singularem in hospites, peregrinos, & pauperes fouendos propensionem, mirificè commendat: & ecclesias illorum in sua diœcesi vsibus attributas (quæ complures erant, quas & nominatim recenset) cum decimis & oblationibus earundem illis attributis, donationésque omnes illis factas à GVLIELMO *primo* & *secundo*, atque HENRICO *primo* Regibus, & à *Gulielmo primo* & *secundo Surriæ* Comitibus (quos cœnobij fundatores appellat) omniáque cœnobij priuilegia, omni qua potest, Pontificia sua authoritate confirmat. Diris autem eos omnibus execratur, quicumque possessiones illorum aut priuilegia perturbarent, & imminuerent.

De Episcopis Lindissæ *seu* * Dorcestrensibus, *siue* Lincolnien sibus, *& cœnobijs eiusdem diœceseos, deque Episcopis* Legeceastrensibus, *& beato* IVONE *Episcopo, deque alijs deinde* Merciorum *Episcopis.*

* *al* Dorchecestrensibus.

CAPVT XXII.

POST EDHEDVM, de quo septimo sæculo diximus, inania & nuda tantùm nomina *Lindissæ*, *Dorcestrensium*, siue *Dorchecestrensium* Episcoporum se offerunt, quorum etiam nulla est constans & solida recensio. Apud *Malmesburiensem*, EDHEDVM excipiunt EPELPINVS, siue ETHELWINVS, EDGARVS, CHINEBERTVS, ALPHIVS, ALDVLPHVS, CHENVLPHVS, EDVLFVS, BRITHEREDVS, [a] LEOVINVS, qui *Legeceastrensem*, cui præsidebat, *Dorchecestrensi* copulauit; ELFVODIVS, ESOPIVS, VLFELMVS, EDNODIVS, VLVINVS, & REMIGIVS. Inter ceteros, qui ETHELREDI Regis diplomati suum consensum manúmque admouere, reperio SIGEFERTVM *Lindissi* Episcopum; De quo tamen nullam adhuc apud historicos nostros mentionem inuenio. *Legeceastrensium* siue *Leicestrensium* nomina (*Leceastria* autem inter mediterraneos *Anglos* posita, à *Legra* flumine præterfluente nomen sortita est) ad hanc rationem à *Malmesburiensi* recensentur. Post [b] TOTTAM recensetur [c] EADBERTVS, [d] VVVONA, [e] VEREBERTVS, [f] RETHVNVS, [g] ALDREDVS, [h] CELREDVS, postremus [i] LEOVINVS, de quo commemorauimus. *Lindissæ* autem Episcopos ita ponit *Florentius* EATHEDVS, ETHELWINVS, EDGARVS, CINEBERTHVS, *ALOMNOCHVS, CEOLVLPHVS, EADVLPHVS, BRITHREDVS, quem dicit fuisse tempore ALFREDI *Vissiuxonum* Regis, ELNOTHVS, ASWINVS, (cuius admonitione *Egelwinus Orientalium Anglorum* Dux *Rameſiense* cœnobium construxit) ALPHELMVS, ETHERICVS, EADNOTHVS, VLF, qui postmodum, vt diximus electus est, VLFWINVS, tum REMIGIVS. In *Legeceastrensium* nomenclatura conuenit cum *Malmesburiensi*. Post obitum VLFWINI, *Dorchecestrensium* Episcopatum REMIGIVS à GVLIELMO *primo* accepit. Qui propter loci tenuitatem & obscuritatem, illum LINCOLNIAM celebre oppidum transtulit. Vbi in ipso montis vertice, prædijs pecunia sua comparatis, ecclesiam insignem in honorem beatæ MARIAE Virginis construxit, quam libris, hominibus doctis & probis, ampliſque prouentibus ornauit. Et licet ei litem intenderet *Eboracensis*, & oppidum illud suæ iurisdictionis esse vehementer contenderet, cœptam tamen ille ædificationem acriter vrgebat.

Flor an. 672. & 674 in indice. Mar. & Florent. Ethelmus.

[a] *Flor. an. 959. appellat Leofwinum. Simeon. Dunelmensis Ecclesiæ Archidiaconum, 678 Ethelwinus 679 Edgarius, Chinebertus 734 Ealdulphus 764 Ceolwulphus ibidem Leovinus 919 Ailnothus ibidem Alfsewinus ibidem. Alfius 963 nec alius Floril. reperire videtur ad Remigium.*

[b] *Flor. an. 737.*

[c] *Flor. an. 768.*

[d] *Flor. an. 768.*

[e] *Flor an. 761. ante Wuenam, sed recte an. 868.*

[f] *Flor 861.*

[g] *Flor ibidem.*

[h] *Florent. 873.*

[i] *Lindisi mon. cænob. Septon.*

Cum Florentio conuenit & index Mon. prefixus Lindisfarnensium Episcoporum.

HOMO fuit, licet corpore admodum exiguo, animo tamen magno & excelso, multisque bonis dotibus prædito. Quas tamen, vitia quædam obscurabant & commaculabant. Et in primis importuna ambitio, quæ ita eum in transuersum egit, vt cum ampla, ANGLIAM infestanti GVLIELMO *primo*, subsidia præbuisset, pactum cum eo & conuentum inierit, vt si superior in pugna euaderet, Episcopatu aliquo eum augeret. Quam quidem fidem GVLIELMVS male datam, nescio an non pcius impleuerit. ALEXANDER certe Pontifex *Romanus* hocpactum subodoratus, hominem omni

Pontificali dignitate exuit, LANFRANCO tamen intercessore, in integrum restitutus est. Fuit quoque & læsæ Maiestatis nota apud Regem aspersus. Sed hanc omnem notam & labem nomini eius inustam, famulus quidam eius, ferrum igne vehementer exardescens, illæsis pedibus ad innocentiam illius testandam pertranseundo, ita eluit, vt pristinam REMIGIVS apud Regem gratiam recuperarit. Illud etiam illi valde incommodè accidisse visum est, quod accitis ex Regio præcepto vndique Episcopis, qui dedicandæ ecclesiæ interessent: ipso pridie animam efflarit. Septem constituit in ecclesia sua *Lincoluiensi* Archidiaconos, *Richardum* Lincoluiæ; *Nicolaum Cantabrigiæ*; *Huntingtoniæ & Herfordiæ*, *Nigellum*; *Northamptoniæ & Leicestriæ Radulphum*; Oxonij *Alfridum*; Buckingamiæ *Alaredum*; Bedfordiæ verò *Osbertum*. Decanum ecclesiæ designauit *Radulphum Remerum* à thesauris. Qui hunc morem habebat, vt apud tumulum suum, quem sibi viuus constituerat, sæpe & diu oraret. Alijs etiam alia officia ecclesiæ, & magistratus demandabat, viris magna doctrina & pietate. Fuit postea ad HENRICI Regis tempora huius ecclesiæ Decanus, *Simon* quidam ROBERTI Episcopi *Lincolniensis*, de quo mox commemorabimus, filius. Qui cum ingenio, & sermonis, ac totius corporis elegantia atque venustate, nec mediocri prudentia (licet iuuenis) polleret: solo fastu & arrogantia, qua præse alios despiciebat, eas omnes aliasque dotes deformabat prorsus, & commaculabat. Tantúmque apud eos, qui gratiosi erant apud Regem inuidiæ contraxit: vt in carcerem constrictus, per latrinæ sordes aufugeret, & in exilio moreretur.

CONTVLIT deinde mortuo REMIGIO, hanc dignitatem RVFVS in Cancellarium ipsius ROBERTVM, idque (quod mirum) gratuitò. Sed hanc ei liberalitatem morbus, quo grauiter erat oppressus, potius quam vlla solida pietatis ratio extorsit. Quare cum paulo post morbum excussisset, valde hominem pœnituit, quod tantum beneficium gratis præter morem posuisset. Nouum igitur inescandi pecuniam aucupium meditus, *Robero* facessit negotium, quod *Lincolniensem* vrbem cum prædijs quibusdam, quæ ad *Eboracensem* spectarent, summa iniuria possideret. Nec se potuit prius ab hac *Roberti* molestia explicare, quam quingentis libris, quasi offa obiecta, os eius, calumniamque intentatam obturasset. Ecclesiæ ille dedicationem, quam REMIGIVS cogitabat, absoluit, quam multis magnique pretij ornamentis exornauit. Homo magis in profanis & politicis, quam ecclesiasticis rebus peritus. Ad triginta annos hac dignitate functum, ad Regium latus apud *Wodestochium* obequitantem apoplexia corripuit: linguæque vsu, & mox, Rege præsente, vita etiam, ad annum Christi millesimum centesimum vigesimum tertium spoliauit. Fuit vir magnæ benignitatis, comitatis, & affabilitatis: omnium commodis, nullius incommodo studebat, singulare pauperum & orphanorum præsidium & subsidium. Qui cum per totam antea vitam, secundissimum honoris gloriæque cursum tenuisset, ad extrema vitæ tempora in Regis offensionem, mutata & aduersata, vt ita dicam velificatione incidit. Cumque præter ecclesiasticum munus, totius ANGLIÆ *Iusticiarius*, vt appellamus, fuisset; bis a Rege, deflexa & pæne iam emensa ætate, in iudicium non sine damno, & dedecore grauissimo vocatus est. Quæ rerum conuersio adeo perturbauit, fregitque senem, vt nec ad mensam lachrymas reprimere potuerit. Rogatus ab *Henrico Huntingdonensi* Archidiacono, qui assidebat, Ecquid causæ has lachrymas exprimeret? Olim (inquit) qui mihi inseruiebant, pretiosis nunc agninis pellibus vestiuntur. Et cum illi aliquando postea narratum esset, multa Regem HENRICVM in eius laudem dixisse, respondit non sine suspirijs. Neminem, inquit, suorum, Rex laudat, nisi quem de medio tollere cogitat.

ALEXANDRVM, de quo alibi dicendum, post triginta annos successorem accipit. Inter cetera diœceseos huius cœnobia, illud, diui ALBANI ANGLIÆ protomartyris reliquijs ornatum, valde celebratur. Huic *Paulus Cadomensis* monachus LANFRANCI nepos, ab eo accitus nobiliter præfuit. Nouum ille templum cum claustro, & monachorum domicilijs ædificauit. Quod & libris, & ornamentis varijs, & possessionum noua accessione decorauit. Monasticam disciplinam, pæne collapsam, erexit & restaurauit. Ecclesia apud *Tinemutham*, vbi diui OSVINI Regis & martyris reliquiæ repositæ sunt, temporum iniuria in solitudinem pæne redacta est. Huic solitudini *Robertus de Molbraio Northumbriæ* Comes occurrere, & prospicere diligenter cogitabat. Aggreditur itáque *Paulum*, dicit sibi in animo esse, monachos ibi constituere, ecclesiámque illam possessionibus, ædificijs, alijsque rebus omnibus augere & ornare. Quas suas cogitationes perfecit, & ab *Albanensi* cœnobio

transmit-

transmittente eos ad Comitis postulationem *Paulo*, Monachi *Tinemuthum* proficiscuntur. Quam Comes ecclesiam, iuri & potestati Abbatum cœnobij diui ALBANI ita suppositit, vt in eorum esset semper arbitrio, positum Priorem & monachos quos vellent ibi ordinare, & quos vellent inde extrudere. Quam *Paulus* ecclesiam, dum ad annum Christi millesimum nonagesimum tertium inuiseret, vt ea, quæ ad illam ritè gubernandam pertinerent, constitueret, & quæ vitiosa erant reformaret, redeundo obijt. Corpus eius ad fanum diui ALBANI delatum est. Conditum fuit per REMIGIVM, de quo diximus, *Strokense* cœnobium, & aliud quoddam *Bardinense* per eundem restauratum. Præfuit regnante GVILIELMO *Northo Crolandiæ* cœnobio VV*alcetellus* quidam, quem LANFRANCVS in synodo, quam *Claudiocestriæ* coëgit ad annum Christi millesimum octogesimum quintum, à dignitate abdicauit.

RAMESIENSE verò cœnobium, hoc sæculo valde, propter IVONIS Episcopi corpus eo translatum, illustre fuit. Non ille quidem nostræ, aut alicuius vicinæ regionis, sed *Persidis* olim fuit Episcopus: quem tamen hic, & inter nostrates recenseo, propter beatas illius, quas possidemus reliquias: & quod noster sit locus, vnde beati corpus ad supremum Christi tribunal sit proditurum, & propter varia illius in nostrates beneficia, & singulare apud Deum pro nostra gente patrocinium. Quemadmodum itaque *Stephani* protomartyris in *Iudæa*, *Prothasij* & *Gerualy* martyrum in *Italia*, ALBANI & AMPHIBALI martyrum in ANGLIA, & aliorum alibi Deus sacra corpora, post multos annos à beata ipsorum requiete, in lucem, notitiam, hominúmque venerationẽ, tetra caligine ignorantiæ prius abdita, sæpe produxit: Ita in eadem ANGLIA in beato IVONE similem prouidentiã ostendit. Fuit is *Persidis* Episcopus summóque loco natus. Qui cum varia Christiani orbis loca religionis ergo peragrasset, à *Roma Gallia*, inde BRITANNIAM, circa prima Christianæ nostræ fidei ad AVGVSTINI aduentum primordia, adijsse traditur. Peruenit autem ad quendam locum *Sleepe* Anglicè appellatum, quod est si interpretere, dormitio, prope oppidum *Huntingtonense*, & monasterium *Ramesiense*, eo etiam loci in Christo dormiuit, ibidem sepultus est. Sed verissimum est quod poëta ait: *Viuit post funera Virtus.* Virtutes Beati viri, quæ eo viuo, soli fere Deo cognitæ erant, post multa sæcula etiam hominibus Deus illustri elogio commendatas esse voluit. Etenim dum rusticus vomere terram in agro aperiret, incidit in lapideum sarcophagum, quem, cum lucro inhians, quod spetabat delitescere, aperuisset; auri quidem nihil, sed thesaurum auro nobiliorem inuenit. Repertus est vir quidam sub forma Episcopi, toto corpore integro & illæso, quasi pridie fuisset humatus. Ad rei nouitatem rusticus obstupescit; accurrit frequens vicinia; accersitur *Ednothus Ramesiensis* cœnobij Abbas. Eueniunt interim admiranda quædam sanitatum, aliáque signa; quibus innotuit quis esset, vnde profectus, & quo tempore esset defunctus. Quæ quidem tam certa & nota fuerunt, vt eò loci, vbi corpus fuerat repertum, ecclesia fuerit statim constructa, sanctoque Pontifici dicata; tamque celebris locus ille euasit, vt veteri nomine obliterato, IVONIS ab eo tempore villa dicta sit. Vt mira Dei prouidentia, vetus illud loci nomen, beati viri dormitionem admirabili præsagitione notasse videatur. Incidit hæc Beati viri patefactio in annum Christi millesimum primum, post quatuor sæcula quam decesserat; & ad *Ramesiense* cœnobium translatio solemniter celebrata est, octauo Kalendas Maij.

INTER cetera verò quæ ad Beati reliquias admirabiliter accidere, illud eminens & stupendum fuit, quod ex inuento sarcophago aqua manauit, pellendis omne genus morbis, oppido quam efficax; authórque noster quasi rem certam, & sibi exploratam de monacho quodam, quem bellè nouerat, refert: quod * illa aqua potata, aquæ intercutis morbum discusserit. Ista & id genus alia prodigia, cum peruagata essent, inque omnium oculos & aures incurrerent; *Leucander* qui *Whitmannus* à nobis dicitur, tertius illius cœnobij præfectus vitam IVONIS, insigniáque illa prodigia paulo post contexuit. Quam *Gorcellinus Bertinianus* elegantius postea expoliuit. Multas *Leucander* nationes peragrauit, & Hierosolymam vsque penetrauit. Claruit ad annum millesimum vigesimum. Fuit postea *Helistanus* eiusdem cœnobij Abbas, quem extraneus quidam, post vespertinas preces repente aggressus, cultro confodit. *Elwinus* illi substitutus est. Ad postrema verò EDOVARDI *Confessoris* tempora, *Alexius* hoc cœnobium administrauit. Et hæc quidem de *Ramesiensi* in Comitatu *Huntingtoniensi*. In Comitatu verò *Oxoniensi*, fuit, vt diximus, diuæ FRIDESVIDAE cœnobium. Imperante verò ETHELREDO, cum *Daci*, vt diximus, vna simul internecione delerentur, quidam *Oxoniæ* confugerunt ad hoc cœnobium;

Gul. Malmes. de Pont. li. 4.

* *al* ille aqua potanda.

Ioan. Leland.

Floril. an. 1043.

Capg. in Edwardo.

Gul. Malm. & Flo an. 1015.

qui cum inde auelli non potuissent, In ipso cœnobio immisso igne conflagrarunt. Sed illud mox ETHELREDVS, additis etiam nouis possessionibus refecit, & restauraut. Est in eodem *Oxoniensi* huius diœcesis Comitatu, cœnobium *Eusshamiæ*. In quo cum iuuenis quidam hoc sæculo monachus, lecto affixus ægrotaret, à dæmonibus valde infestatus est. Quos ille digito præsentibus ostendens, iussit locum sacra & benedicta aqua persundi. Sed cum illa vno in loco aspergeretur, illi mox ad alium prosiliunt. At mox Beata Virgo MARIA se illi visendum obtulit, & statim atri illi spiritus euanuere. Ille verò responsorium illud, vt appellant, *Gaude Maria Virgo*, & magna voce accinit; & cum extremis cantionis illius verbis extremum quoque spiritum exhalauit.

Gul. Malm. de pont.

De Episcopis Lichfeldensibus *seu* Couentrensibus, *& cœnobijs eiusdem diœcesis.*

CAPVT XXIII.

LICHFELDENSES hoc, vt superiori sęculo hi fuerunt Episcopi; post TVNFRETHVM, ELLA fuit, regnante[a] ETHELSTANO, ELGARVS, deinde KINSIVS, VINSIVS, aut vt in *Mariano* indice KINSIVS, sed in *Florentio* est WINSIVS, ELFETHVS, GODVINVS, LEFGARVS, & [b]BRITHMARVS, [c]VLSIVS, LEOVINVS, PETRVS; præ qua *Malmesburiensis*, mutila valde & manca est *Matthæi Westmonasteriensis* recensio; qui alios quam TVNFRETHVM, ELLAM, BRITHMARVM, & VLSIVM his duobus sæculis non recenset. *Florentius* TVMFRETHVM TVMBRITHVM appellat. In ceteris congruit cum *Malmesburiensi*. Inter ceteros autem, qui commemorato sæpius ETHELREDI diplomati subscripsere, fuit ALFEC *Lichfeldensis*, vt se appellat ecclesiæ Episcopus, quem tamen apud nostros historicos, hoc saltem nomine non adhuc reperi. PETRVS vero *Licheseldensem* ecclesiam, regnante GVILIELMO primo administrauit, qui sedem à LICHFELDIO, loco ignobili & deserto *Cestriam* remouit. At successor eius ROBERTVS à *Cestria* in *Couentriam* sedem transposuit. Tam immani & sordida homo auaritia, vt etiam ex ipsis ecclesijs (a cœnobio præsertim quodam, quod *Leofricus* Comes, imperante EDOVARDO *Confessore*, condiderat) intercipere, & ad suos vsus conuertere ausus sit. Quem si non Dei ratio & metus, legésque ecclesiasticæ, vel illud saltem duodecim apud *Romanos* tabularum edictum (Sacrum sacróque commendatum, qui clepserit rapseritque, patricida esto) deterrere debuisset. Quæ rapina tolerabilior quidem fuisset, si vel sacrarum ædium, quas misere corruere patiebatur, inde sarta tecta tueri; vel monachos (quos ad durum & agrestem victum cogebat, neque vt vel disciplina monastica, vel ingenuis artibus sacrisque literis imbuerentur, rationem vllam habebat) liberaliter tractare voluisset. Fuit *Cestriæ* cœnobium quoddam, antiquitùs sanctimonalium diuæ WERBVRGAE sacrum, quod *Hugo* Comes *Cestriæ* desolatum restaurauit, & monachis ordinis diui *Benedicti*, consilio opéque ANSELMI repleuit. Quibus ANSELMVS *Richardum* Abbatem præfecit. Cui vt accuratè parerent, mutuámque inter se charitatem conseruarent, eos per epistolam postea admonuit. In hac, regnante HENRICO *primo*, societate, fuit *Guilielmus* monachus, qui carminibus suis ANSELMVM celebrauit. Fuit verò commemoratus *Leofricus*, cum coniuge *Godiua* pietatis valde studiosus. Multa ille construxit, vt *Couentrense*, *Venolecense*, sanctæ *Mariæ* apud *Stouc*, *& Leouense*; multa alia cœnobia restaurauit, magnificisque donarijs cumulauit. *Couentriæ* brachium diui *Augustini*, quod magni coëmisse EGELNOTHVM diximus, repositum erat. Ibi *Leofricus* cum *Godiua* conditus. Quæ moriens globum precatorium gemmis fulgentibus onustum, per quas preces suas numerabat, illi ecclesiæ legauit. *Burtonense* verò cœnobium prope fluuium *Trenta*, exædificauit nobilis vir *Viricus*, ampliſque redditibus ornauit.

Gul. Malm.
[a] Florent. 928.
[b] Flor. 1020
[c] Vlsius ibid.
Index prefixus Mariano congruit cum Florentio. Malm.
Gul. Malm. de reg. lib. 2. & de pont. Flor. an 1037. Florent. an. 1067

De diuo VLSTANO *alijsque* Vigorniæ *Episcopis, deque huius diœceseos cœnobijs.*

CAPVT XXIIII.

EFVNCTO ALDVLPHO, cuius in priori sæculo meminimus, huius muneris administrationem capessit [a] VLSTANVS, [b] LEFFIVS, deinde BRITHEGVS [d] LEVINGVS (ad *Cantuariensem* hi tres Episcopatum pronecti sunt postea) [e] ALREDVS & alter [f] VLSTANVS, de quo nobis vberior iam dicendi materia porrigitur. Et de hoc *Alredo* latius dicemus inter Archiepiscopos *Eboracenses*. LANFRANCVS, ANSELMVS *Italis*; OSMVNDVS *Neustrius*, de quibus iam commemorauimus, ANGLIAM valde his temporibus ornarunt & illustrarunt. Atque hi quidem exoticũ & aduenticium lumen intulere: sed VLSTANVS domestico ANGLIAE suæ lumine, quod primum in *Warwicensi* Comitatu effulsit, clare præluxit. Literarum & rerum humanarum scientia illis impar, sed summa inculpatæ vitæ innocentia, accurata in pastorali officio exequendo vigilantia, egregijsque miraculis & signis tam ante, quam post obitum editis, nihil ille quidem illis cedens. Patrem habuit *Vlstanum*, matrem *Vlgenam*. Parentes diu ante obitum, vt precibus & rerum diuinarum se meditationi penitus darent, communi consensu se seiungentes, monasticam professi sunt. Quorum exemplum & VLSTANVS facilè arripuit. Atque cum prima ætatis tyrocinia deposuisset in *Burgensi* cœnobio, vbi sacris literis, & alijs disciplinis operam dedit, in *Wigornienſi* cœnobio, monasticæ se disciplinæ (consecrante eum Deo BRITHEGO Episcopo, à quo & præsbyterio ornatus est) mirum qua vitæ deinceps seueritate, addixit: Cum triduo nonnunquam à cibo & potu, & à carnibus per totam fere, post præsbyterium susceptum vitam, quatriduo etiã ab omni somno abstineret. * Nec eum prius, quàm natura ipsa succumbente necessario: nec eum quidem in lecto, sed vt fors tulit, & vbi eum orantem aut legentem oppressit, caperet. Quod totum tempus, in sanctis studijs, precibus, & diuinis meditationibus ponebat. Quæ eius virtutes, per ceteros omnes monasticorum officiorum decursos summa cum laude gradus, ad Prioratum, vt appellant, ad annum Christi milleſimum centesimum sexagesimum secundum: & mox ad *Wigornienſem* Episcopatum, ALREDO ad *Eboracensem* translato, prouexere. Cui ille honori tam obstinatè capessendo restitit, atque alij hodie per orbem homines, præcipites & ambitiosè illi inhiant: religioso iuramento contestatus, antiquius sibi & magis in votis mori, quàm tantæ dignitatis onus sustinere.

SED perfregerunt tandem eius constantiam & duritiam, tum hominum omnium ordinum preces, tum piorum quorundam seueræ obiurgationes. Quorum tandem vrgenti postulationi, & importunæ flagitationi succubuit: & ad vigesimum regni EDOVARDI Regis annum solemniter, *Cantuariensi* ecclesiæ fidem suam, de more per ALREDVM astringens (STIGANDO enim *Cantuariensi*, sacris erat interdictum) consecratus est. Et professus est ALREDVS in Regis & procerum præsentia, quòd neque ratione consecrationis VLSTANI, neque quòd aliquando ei, vt *Wigornienſi* Episcopo WLSTANVS paruerat, quicquam sibi in ecclesiam *Wigornienſem* iuris in posterum vendicaret. In hac consecratione prognosticon se dignum sortitus est WLSTANVS; *Ecce verus Israelita in quo dolus non est*. Apertus enim erat & simplex, nulliusque simulationis artificio eruditus. Neque tamen ita simplex, vt facile vel à veteratoribus, vel à prudentissimis circumueniretur; Deo simplicitati illius & innocentiæ luculentum sæpe præbente testimonium. ALREDVS à *Wigornia*, *Eboracum* migrans WLSTANVM facile præ ceteris omnibus, sibi successorem patiebatur; sperans se posse simplicitati illius illudere, vt possessiones, quas à *Wigornienſi* Episcopatu abstulerat, sibi retineret. Sed tamen multa illi, plura successori illius THOMAE extorsit. Cuius Episcopatum, cum ad suam THOMAS prouinciam, & possessiones ab ALREDO occupatas, ad suam sedem reuocaret: Rege, Episcopis, & magnatibus præsentibus, acri dimicatione disceptatum est. Abit interim è concilio, quasi maturius & prolixius cum suis de tam graui causa deliberaturus, VVLSTANVS. Cum cœptum esset deliberari. omniúmque animi acriter illius causæ disquisitioni essent intenti & infixi, ibi ad suos repentè monachos VVLSTANVS. Nouæ inquit,

a *Flor. an. 1064.*
b *Flor. an. 1017*
c *Flor. an. 1033*
d *Flor. an. 1038.*
e *Flor. an. 1046 siue* Aldredus.
f *Flor. an. 1062. Huic nomenclaturæ Florentij & Mariani indices congruit.*

Gul. Malm. Matth. Par. Ioan. Cæsar.

* *al.* Neque.

Isa. 11

orationis hodiernum pensum, quod adhuc Deo debemus, exoluamus. Offensi illi, Imo potiùs, inquiunt, attentissima cura de responso, quod à nobis synodus expectat, cogitemus, ne causa forte cadamus; non deerit postea idoneum precum expediendarum tempus. Quas ille tamen, omni tergiuersatione excussa, mox expediuit, & suos de causæ euentu admodum solicitos, omnem eius rei solicitudinem deponere iussit. Constanter enim se beatos DVNSTANVM & OSWALDVM vidisse affirmabat, qui omnem illi trepidationem & metum de illius causæ euentu palam eximebant.

ALACRI igitur & erecto animo ad synodum regressus est, & mox sententiam contra THOMAM *Eboracensē*, totius synodi suffragijs abstulit. Cui & THOMAS acquieuit, VLSTANVMque solicitè deprecatus est, vt sua ille diœcesim, cui propter *Anglici* sermonis inopiam, præsentia sua non futura esset tam fructuosa, inuiseret, & apud populum sacras conciones haberet. Quæ certe, licet non tanta forsan cum humanarum rerum scientia, & eloquentiæ venditatione, atque alij ostentabant, ab VLSTANO manarent: tam altè tamen in auditorum pectora descendebant, (quorum alios immani gehennæ terrore, totos ad horrorem vsque concutiebat; alios cælestis vitæ certa expectatione erigebat) talesque aculeos vndique infigebat, vt lachrymas & vitæ emendationem, supra omnes alios concionatores, illis exprimeret. Singularis enim vitæ illius innocentia, multáque quæ per eum ostendit Deus miracula, etiam durissima corda quasi stimulis quibusdam fodiebant: & aduersarios etiam illius ad summum hominis amorem, atque adeo venerationem, vel inuitos rapiebant. E quibus illud ad omnem ecclesiæ memoriam valde insigne est. In synodo illa, in qua veteribus quibusdam Episcopatibus, noua, vt dixi, domicilia decreta sunt, & STIGANDVS per *Hemenfridum Sedunensem* Episcopum, & *Ioannem* atque *Petrum* presbyteros Cardinales, sedis apostolicæ legatos dignitate exutus est: inter alia & de VLSTANO deturbando, Rege & LANFRANCO annitentibus, vel vt *Normannus* aliquis in eius locum siue iustè, siue iniustè sufficeretur; vel quia verè existimabant, VLSTANVM propter simplicitatem & literarum imperitiam tanto muneri imparem, agitatum est.

Matth. Par. Alfredus Ribin. in vita Edou. Polich. li. 7. c. 8. Polidorus.

CVM igitur eum LANFRANCVS vehementer vrgeret, vt se Episcopali dignitate abdicaret: Et ego, inquit, hoc onus, quod nunquam appetiui, facilè lubénsque excuterem, neque tamen rem hanc tuæ potestati (cum tu mihi hoc non imposueris) sed illi qui mihi imposuit committam. Et mox cum suis egressus, ad tumulum diui EDOVARDI Regis contendit. Ac deinde, Tu, inquit, optime EDOVARDE nosti quam inuitus, licet ad me ornandum summa Cleri populique suffragia, & tuum cum primis decurrebant, hoc onus subierim, & quàm sedulò deprecatus sim; sed tua me, pie Rex, authoritas potissimum vicit. Ecce verò iam, noui succedere homines, qui & tibi, qui mihi hoc reluctanti iniunxeris, erroris; & mihi, qui tandem paruerim, arrogantiæ notam inurunt. Et tu quidem, in tantis erroris & insciticæ, (cuius hæc mortalis vita plena est) tenebris, in errorem quoque rapi forsan potueras. Iam in te, qui deitatis, quæ ipsa est veritas, splendore vndique illustraris, nullus error cadere potest; quare me, meamque causam totam tibi credo, & committo. Tu vel errorem illum tuum, si quis humanitùs interuenit, corrige, & nobis eripe, & aliquem, qui hoc magistratu dignus sit, cui lubens cedam, superna aliqua & illustri significatione, benigne monstres: vel eadem tuum ipsius in me iudicium firmum, & ratum ostendito. His dictis baculum pastorale fidenter lapidi, quo sanctum corpus claudebatur, impressit & infixit. Quod mox ita ibi hæsit, quasi stirpibus & radicibus infixum contineretur: adeo vt nec GVNDVLPHVS, *Roffensis* Episcopus (quem eò, ad primam stupendi huius facti auditionem, *Lanfrancus* miserat) nec ipse postea *Lanfrancus*, cum omnibus id viribus, Rege etiam præsente, tentaret, euellere, aut loco mouere potuerit. Tum mox Rex admirari, & digitum Dei hoc totum esse exclamare. LANFRANCVS etiam cum lachrymis totus madere, & suum ingenuè errorem, precipitémque audaciam, & mediocrem eruditionem, cum accurata piè viuendi ratione coniunctam, literarum & mundanæ sapientiæ venditationi & ostentationi longè præponderare, palam prædicare cœpit.

ACCEDIT deinde postulante LANFRANCO VLSTANVS, & mox baculum trahentis manum, quasi tenera quædam & mollis planta, nullisque adhuc radicibus nixa, sequitur. Ad cuius se statim pedes Rex & LANFRANCVS proiecere, veniam erroris flagitantes, seque illius precibus totos commendantes. Nec minus ille, ad eorum etiam se pedes summa animi demissione, à LANFRANCO benedictionem precatus prostrauit. Hoc illi Deus, in quo solo iucundissimè acquiescebat, & cum quo assiduis interdiu & nocte precibus colloquebatur, (præter cetera) illustre beneficium præstitit. Quæ illius preces, quàm fuerint Regi totique reipublicæ

publicæ fructuosæ, cum aliâs sæpè, tum maximè in grauissima illa, per ODONEM *Baiocensem*, & alios, contra RVFVM conspiratione; luculenter ex insigni illa, quam ciues *Wigornienses*, contra GVILIELMI hostes, *Wigorniam* ferro ignique infestantes, adepti sunt, præter omnium spem, victoria, abunde constat. Quam illis VLSTANVS prædixit, eósque ad pugnam alacriter, & fortiter committendam animauit. Admonens tamen, vt quantum possent, à sanguine & nimia crudelitate temperarent. Hùnc vero in precando morem, modúmque obseruasse tradunt. Nullum diem, quo sacra missæ mysteria non obiret, prætermittere patiebatur. Hinc præter statas & fixas ecclesiæ preces, totum quotidie psalterium, & annuas omnium ecclesiæ Diuorum (quas per septem horas rata, & certa quadam portione secernebat) memorias adiungebat. Et licet sæpe in alijs quibusdam vitijs, cum res postularet conniueret, suorum tamen domesticorum in Deum precando negligentiam, & statis horis absentiam, nunquam dissimulabat, quin eam vel verbis, vel vehementiori ferulæ ictu castigaret.

MAGNIFICVM ille *Wigorniæ* templum construxit. Quo absoluto, cum vetus, quod beatus OSVALDVS posuerat, euerteretur, lachrymas continere non potuit. Qua ex re cum in suorum reprehensionem incideret, qui potius lætitia eum affluere debere asserebant; cum & monachorum numerus auctior ampliora ædificia postularet, & augusta illa templi ædificatio ad summum Dei honorem redundaret: Ille subiecit, At maiores nostri, licet & domicilia & templa angusta essent, & parum splendida; & ipsi omni virtute & pietate in Deum eminebant, & eandem in alijs summo cum animarum fructu, vigilanter promouebant. Nos in domibus & templis lapideis, amplo apparatu erigendis & ornandis toti sumus. At verum interim Dei templum & domiciliũ, quod est humana anima, tam in nobis ipsis, quam in illis, qui nostræ potestati curæque subijciuntur, contemptim & miserè iacet, ac negligitur. Ad mensam sedenti, diuinorum aut aliorum ad vitam formandam vtilium librorum, pars aliqua recitabatur. Quam ille mox assidentibus, si fortè latinæ linguæ imperiti erant, *Anglice* explicabat. Multus erat VLSTANVS in reducendo in gratiam eos, qui inter se dissidebant, & inimici erant. Ad quam Christiano more resarciendam, cum in concione quadam in ecclesiæ cuiusdam dedicatione, auditores hortatus esset, tales multorum animis concio eius stimulos impressit, vt mox qui atrocissimè prius digladiabantur, in mutuam coirent gratiam. Ex ijs tamen vnus fuit, qui inimicitias, & inclusum animo odium, nunquam se depositurum palam iactabat. Hunc vir pius cum mollibus verbis, sed frustra diu esset aggressus. Quid? inquit, *Beati* dicebat Christus, *pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*; Quid superest ergo, quin vt, qui ad amicitiam, gratiam, & pacificationem nulla ratione inflecti possunt; & dicantur, & sint, non Dei, sed diaboli filij? In eius igitur te, tam contumacem erga Dei præcepta, potestatem transfero, ad carnis quidem interitum, vt spiritus iuxta Apostolum, saluus sit in die iudicij. Vix hæc ab illius ore verba manauerant, cum miser crepitu & collisione dentium, oculorum ardore, spumas oris agendo, caput iactando, & dementium more, in terra voluendo, claram omnibus significationem daret, cuius spiritu agitaretur. A quo ille prius se explicare non potuit, quam ex animo inimicis se suis, offensas omnes condonare professus esset.

Matth. 5.

1. Cor. 5.

MVLTIS ille & alijs miraculis, donóque etiam prædictionis nobilitatus est. Qua cuidam, quem sæpe frustra ad monasticam vitam, vt iustam delictorum pœnitentiam caperet, hortatus esset, cauenti id vitæ genus durius & seuerius esse, quàm vt pro corporis debilitate id sustinere posset: At inquit, quantumuis iam renitaris, monachus eris; etiam in maiore corporis infirmitate. Atque ita certe postea euenit. Morbis enim & senectute licet fractus, cucullum tamen monachi tandem induit. Demortua etiam sorore sua, cum illi id renuntiatum esset, & suum quoque obitum imminere palam dictabat. Paulóque post febri correptus est, quæ & pium hominem confecit. Cumque iam morte eius appropinquante, omnia luctu & lachrymis suorum replerentur; salutari admonitione repressit has lamentationes, adijciens, non hanc esse vllam vitæ iacturam, sed in meliorem commutationem; nec se illos prorsus destituturũ, quibus ope & auxilio suo, suis etiam apud Deum precibus nunquam esset defuturus. Post obitum quoque, claras suæ erga eum voluntatis Deus testificationes dedit. Inter quas illa magis illustris, quia ceteris magis certa, & omnibus perspicua atque obuia, qua incendio, non post multos ab obitu illius annos, in ecclesiam *Wigornensem* grassante, Deus quam sibi ille charus fuisset, palam eo ad illius sepulchrum miraculi genere ostendit; quale incenso diui PAVLI apud *Londinum* templo, ad ERKENVALDI Episcopi sepulchrum accidisse commemorauimus. Ob quæ, & alia insignia miracula, circiter centum annos ab obitu; corpus eius translatum est, & in pretiosa arca repositum. Quod quidem cum ipsis vestibus, quibuscum huma-

10. Cap. in vita.

humatum est, integrum & incorruptum prorsus repertum est. VLSTANO autem defuncto, successor per RVFVM Regem datus est SAMSON, Canonicus *Baiocensis*, qui nec doctrinæ, nec eloquentiæ, nec aliarum rerum laude caruit. Vitio tamen ei datum à quibusdam, quod vbi VLSTANVS monachos apud *Westeberiam* posuit, illam monachis abstulerit.

DIGNITATEM post obitum ad THEVLPHVM, Canonicum itidem *Baiocensem* transfudit. Defunctus est superstite adhuc HENRICO Rege, cuius beneficio ad hanc dignitatem ascitus est. Corpus eius & decessoris, humatum est in inferiore parte ecclesiæ, ante imaginem Christi crucifixi. *Gloecestrensis* verò ciuitas, PETRI & PAVLI, & diui OSVALDI Regis & martyris cœnobio ornatur. *Gloecestriam* autem, quæ & vno ex insignioribus ANGLIÆ fluminibus præterfluente nobilitatur, quidam *Claudiocestriam*, id est CLAVDII *Cæsaris* vrbem, quasi ab eo ædificatam appellant. Cuicertè satis accommode *Kaerglu* vox *Britannica* respondet, quem instar Dei BRITANNOS coluisse, & templum, cuius adhuc vestigia quædam in antiquo castello apud *Camulodunum* adhuc extant, & *Senecæ* de morte ipsius Claudij liber, testantur. Qui tradit BRITANNOS ciuitatem in ipsius honorem condidisse. In *Sabrina* illud, quod in alijs vllis vnquam fluminibus me obseruasse non memini, insigne est, quod immanis quædam quotidie tempestas (quam ANGLI *Hidram* appellant) excitatur. Quæ si in nauim, extra fluminis medium positam inciderit; obruitur prorsus & deprimitur. Nautæ exorientem hanc tempestatem, ex ingenti quodam aquarum strepitu præeunte præsentiunt: nauimque statim in medium flumen deducentes, sibi suæque saluti consulunt. *Gloecestriæ* itaque * itaque est ordinis Benedicti cœnobium, adueniente GVILIELMO *primo* pæne desertum & desolatum; quippe quod tres tantum monachi incolerent. Huic GVILIELMVS *Serlonem Normannum* virum singulari pietate præfecit. Qui ita illud & monachorum numero, omnique eos monastica disciplina exornauit: vt fuerit paulo post celeberrimum. Quæ ita erat temperata, vt nec valde eos, qui infirmo & tenui essent valetudine oneraret: nec ijs tamen, qui solido & firmo essent corpore, congrua & idonea exercitia deessent. Constructit ille ecclesiam, quam ad annum Christi millesimum centesimum SAMSON Wigornienſis, GVNDVLPHVS *Roffensis*, GERARDVS *Herfordensis*, & HERVEVS *Bangorienſis* dedicarunt. Quæ tamen, cum ipsa vrbe incendio paulo post conflagrauit. Et post triennium *Serlo* obijt.

Malm. 4. depont. & in commemorato chron. Gal. Polid li. 2.

Malm. 4. depont.

Gal. abest itaque

Malm. li. 5. de reg. & li. 4. depont

Mar. in chronico Sim. Dunelm. an. 1119.

QVAE *Guilielmus Malmesburiensis* de hoc cœnobio tradidit, compendio iam diximus. Sed incidi in versus quosdam, *Anglicè* non ante multos annos a *Guilielmo Maluernio*, eiusdem cœnobij præside conscriptos, qui ea, quæ ad huius cœnobij originem pertinent, accuratiùs persequitur. Quorum breuem ego hic lectori gustum dabo. Asserit igitur *Osricum* quemdam, primarium *Merciæ* regnante ETHELREDO præfectum, cœnobium hoc ad sacrarum Virginum vsum condidisse, & idoneis possessionibus auxisse, sororémque suam *Chineburgam* ad annum sexcentesimum octogesimum nonum, eidem ex BOSELI primi *Wiccionum* Episcopi consilio præfecisse. Quam EDBVRGA atque EVA *Merciorum* aliquando Reginæ, quæ mundi splendore reiecto, in eam se societatem ascripserant, postea gubernarunt. Proximo deinde sæculo, *Mercia* miserè per Regem ECBERTVM vastata, Virgines inde post octoginta quatuor annos eiectas, & cœnobium euersum; BERNVLPHVM verò *Merciæ* Regem, illud postea restauraſſe, & Canonicos sæculares ad annum octingentesimum trigesimum quartum eo loci posuisse, eosque propter licentiosam, corruptam, & deprauatam illorum vitam, CANVTVM postea Regem inde exturbasse, & *Benedictinæ* disciplinæ monachos, WLSTANI Episcopi sollicitatione, ad annum millesimum vigesimum secundum suffecisse. Infestis postea casibus, temporumque iniuria, locum valde deformatum, templumque corruisse, atque per ALDREDVM *Wigornuensem* Episcopum restauratum. Qui ab ea sede *Eboracum* traductus, possessiones quasdam cœnobio huic intercepisse, & ad *Eboracenses* Archiepiscopos auertisse traditur: Quas tamen THOMAS Archiepiscopus postea restituit. Tradit idem author, fuisse Principem quemdam virum *Vlfinum*, qui immoderata iracundia in transuersum actus, septem sacerdotes truculenter occiderat, eúmque summi Pontificis mandato, ad hanc cædem expiandam, tot possessiones huic cœnobio donasse, quot septem monachis alendis sufficerent. *Serlonem* deinde, de quo diximus, huic administrationi præfectum, cœnobiúmque postea multis possessionibus, per GVILIELMI *primi* filios, & alios proceres cumulatum. Recenset idem author quosdam ex nobilitate, & inter alios *Rogerium* dominum *Berkelienſem*, & *Rogerum Lacy* eiusdem prouinciæ Comitem, huius cœnobij disciplinæ initiatos. Re-

Anno 1131.

Polid. lib. 11 facit cum authorem huius cœnob. eo quo sub Henrico secundo. Quod nulla ratione constat 1mo & ipse ponit obitum illius sub Guilelmo primo. o.

Anno 1014.

Anno 1094.

tos. Recenset & *Aruldem* quandam Virginem & martyrem, in eo cœnobio humatam. De qua nihil me alibi meminisse legisse. Cuius tamen historiam cœnobitas apud se habuisse, ex authore nostro constat.

FVIT & aliud cœnobium ibidem, ab ETHELREDO & coniuge EILFLEDA, Regis EDGREDI filia, nigri, vt appellant, ordinis Canonicorum, quo & dicti OSVALDI reliquias intulere: *Danorum* postea irruptione prorsus vastatum, & ab *Eboracensibus* deinde Episcopis substitutis Canonicis; THVRSTINO præsertim, de quo mox nobis dicendum est, ornatum atque amplificatum. Fuit & *Hamelinus* quidam eiusdem cœnobij præses, cui *Osbernus* Cantuariensis monachus sua opera dicauit. Hic mihi iam de *Teuchesburiensi* cœnobio commodus dicendi locus occurrit, de quo altius repetendum. Fuere itaque *Oddo & Godda* primarij quidam viri in *Mercia*, ad tempora ETHELREDI & ETHELBALDI *Merciæ* Regum. Qui cœnobium quoddam *Teuchesburiæ*, ad confluentiam *Diuonæ* & *Sabrinæ* fluminum condidere, disciplinæ *Benedictinorum*. ÆTHELSTANO verò postea imperante, *Aluardus Mean*, qui originem & stirpem ab EDOVARDO seniore duxit: cœnobium quoddam apud *Cranburnam* construxit, quod voluit esse sub potestate, & iurisdictione *Teuchesburiensis*. Ceterum cum procerum illorum possessiones ad GVILIELMVM *primum*, qui ANGLIAM suo imperio subdidit, deuolutæ essent: illo illas in ROBERTVM filium *Haimonis* (qui ex *Normannia* cum ipso aduenerat) contulit. Qui *Teuchesburiense* cœnobium bellica clade prius incensum magnificè restaurauit, & luculentis possessionibus adauxit, atque ad Abbatiæ titulum & honorem ex Priorato prouexit; monachósque *Cranburniæ* (relictis ibi aliquot, qui patronorum animas Deo quotidianis eo loci precibus commendarent) *Teuchesburiam* traduxit. Ad IOANNIS verò Regis tempora, fuit alter, ex stirpe *Haimonis*, *Robertus*, qui sine masculæ prole obijt. Cuius filiæ *Hersuia Septoniæ*, *Cæcilia Wiltoniæ*, sacro Virginum flammeo velatæ sunt. Quæ verò maior natu erat *Mabilia*, *Roberto Gloecestriæ* Comiti, filio notho HENRICI Regis in matrimonium data est. Per quam ampla ille illa hereditate auctus est. Huius *Roberti* filius fuit ROGERVS *Wigornienſis*, de quo diximus Episcopus. Abbatum verò (vt & hoc ex abundanti adijciam) hæc fuere nomina. *Giraldus*, *Robertus*, *Benedictus*, *Rogerus*, *Fremundus*, *Robertus*, *Alanus*, *Hugo*, *Petrus*, *Thomas*, *Richardus*, *Thomas*, *Ioannes*, *Thomas*, & alius *Thomas*, regnante RICHARDO *secundo*. Hunc etiam *Thomas* excepit. Postremus quem recenset author, est *Guilielmus* decimus nonus Abbas.

Mal. lib. 4. de pont.

Ex antiquo quodam monum. eiusd. Teuchesb.

ex Cod. Abbat. nomen in meo exemplari deſ.

EST & *Winchelcumbense* in hac diœcesi cœnobium, in quo ad quartum regnantis RVFI annum, mira quædam ventorum, fulminis, & tonitrui vis, templi turrim partim labefactauit, partim deiecit, magnáque ornamentis & imaginibus damna intulit. Subsequutus est deinde horridus, & intollerabilis fœtor. Quem tamen mox, & omnes immundi fraudes, monachi sedulo precantes, Deique opem implorantes, cœnobium circumeundo, loca que omnia sacra aqua expiando, euerterunt. In prædicto Comitatu *Gloecestrensi*, est ex insignioribus ANGLIAE oppidis *Bristolium*, vbi præter castellum, *Robertus* filius nothus HENRICI *primi* (qui in vxorem accepit *Mathildem* siue *Mabiliam*, filiam & heredem, vt diximus, commemorati *Roberti, Filzhami & Gloecestrensis* Comitis titulo à patre ornatus est) cœnobium diui IACOBI condidit, vbi & humatus est, quod *Teuchesberiensi* subiecit. Habuit hic *Robertus* ex *Mathilde* Comitem *Guilielmum*, qui ad *Buisiamense* antiquum cœnobium ornandum & amplificandum, multos posuit sumptus. Quod cœnobium: ad prima GVILIELMI *Nothi* tempora, cum controuersia illa de primatu *Cantuariensi* agitata est, *Elwinus* quidam administrauit, in illa cum alijs præsens. Deinde ad annum millesimum septuagesimum quartum præfecturam illam gessit *Agelmus*. Habet etiam hæc diœcesis *Persorense* cœnobium, cuius præses *Edmundus*, vir singularis pietatis, obijt ad annum millesimum octuagesimum quintum: & ad annum millesimum octuagesimum septimum *Thurstanus*; cui regnante HENRICO, *Guido* præerat, qui tum alijs de quibus commemoratum est, ab ANSELMO abdicatus est. Est & *Malmesburiense* cœnobium, his temporibus in vasta illa solitudine, quæ *Malmesmum* dicitur, inchoatum. *Aldwinus* quidam monasticæ vitæ per VLSTANVM consecratus, in hac se primum solitudine abdidit. Nec tamen loci illius vastitas & horror, vel alios deterruit quo minus se *Aldwino* adiungerent; atque ita paulo post triginta in eam societatem se contulere, asperam durissimamque vitam transigentes. Magna pietatis singularisque in nec ſelam pauperes, pupillos, & viduas propensionis laude ornatur Comes *Agelwinus*, qui Pontifice ALDREDO monasticam postea vitam apud *Deorhyrstum* coluit, vbi & obijt; sed honorificè apud cœnobium *Persorense* humatus est.

Ioan Iſland.

Malm. de reg. Pontif. lib. 1. & 2. Sim. Dun. 1091.

Sim. Dunelm.

Mal. de pontif. Ioan Cant.

Mar. in itinere. Sim. Dunelm. The Stile where in Malmsb. Liber.

De *Episcopis* Herfordensibus.

CAPVT XXV.

MAGESETENSES, & *Herfordenses* apud *Malmesburiensem* Episcopi, post CVTHBERTVM, de quo inter Archiepiscopos *Cantuarienses* septimo sæculo diximus, hi fuisse traduntur. EODDA, ECCA, CEDDA, ALBERTVS, ESNE, CELMVNDVS. VTELVS, VLFARDVS, BENNA, EDVLPHVS CVTVLPHVS, MVCELVS, DEARLAPHVS, CHENEMVNDVS, EDGARVS, TIDHELMVS, VLFELMVS, ALFRICVS, ATHVLFVS, ETHELSTANVS, LEOVEGARVS. *Malmesburiensis* nomenclaturæ, *Florentij* quoque index congruit. Ieiunum verò & mutilum horum Catalogum [a] *Westmonasteriensis* habet. Quam nos variationem animaduertisse, & prodidisse satis iam erit. In ipsis huius sæculi primordijs, constat ATHVLPHVM huius sedis fuisse Episcopum. Obijt autem [b] ETHELSTANVS ad annum millesimum quinquagesimum sextum, humatus in ecclesia *Herfordensi*, quam ipse ab ipsis fundamentis magnificè construxerat. Is tredecim ante obitum annis luminibus captus est; pro quo interim TREMERINVS *Britannus* vicariâ suâ, in administrando, operam posuit. At LEOVEGARVS tres totos menses in functione non obierat, cum incensa ciuitate, & cœnobio cum omnibus ornamentis, & ETHELBERTI Regis & martyris reliquijs, à GRIFFINO *Walliensium* regulo, cum septem Canonicis, qui vrbem defenderant, cæsus est. WALTERVS deinde *Herfordiæ* Episcopus creatus, ad quintum GVILIELMI *primi* annum peruenit. Quem fama fuit, feminam quandam per vim voluisse stuprare, illamque forcipibus inguina eius transfodisse, atque ita peremisse. Qui rumor ita percrebuit, vt & Rex eius rei auditionem acciperet. Quem ille, vel quia fictis auditionibus credi, vel quia Episcopalem inde authoritatem in contemptum venire noluit: graui edicto repressit & coercuit. Vtcumque sit, *Robertus* natione *Lotharingus*, vir omni laude dignus, omnibusque liberalibus disciplinis excultus, eius locum capessit.

MAGNA VLSTANO *Wigornienſi* cum ROBERTO familiaritas fuit, quos & morum similitudo, & vicinia valde coniunxerat. Cui se VLSTANVS per visionem longe in curia Regis absenti obtulit; & obitum suum instare admonuit. ROBERTVS omni mora rescissa, celerrimè expedit iter, vt viuentem inuiseret. Sed ille tamen prius obijt. Cumque iam *Robertus* non procul à *Wigornia* abesset, VLSTANVS ROBERTO rursus visendum se præbet, & admonet, vt & ipse quoque se ad vitæ suæ exitum, qui immineret, præparet & muniat. Et ne te à vano atque inani aliquo spectro illudi, & circumueniri à me putes: cras, inquit, postquam funeri meo iusta feceris, xenium quoddam meo tibi nomine, ad fidem faciendam, offeretur. Et elato quidem funere, humatóque corpore, ecce, ROBERTO in equi iam tergum ascensuro, Prior cœnobij penulam quandam, agninis pellibus suffultam (qua VLSTANVS equitando aduersus frigoris & pluuiæ iniurias vtebatur) ex VLSTANI præcepto & dono offert. Cetera quoque cum prædictione quadrabant. Decessit VLSTANVS mense Ianuario; sequens Iunius ROBERTO fatalis fuit. Qui, quo tempore ad dedicationem templi *Lincolniensis*, quod REMIGIVS posuerat, ceteri Episcopi, vt anteà meminimus, frequentes ex Regis præcepto confluxerant, solus abfuit: neque statum illum diem obire voluit, quod sciret, atque etiam prædixerat, viuo REMIGIO templi illius consecrationem non futuram. Obijt ad annum millesimum nonagesimum quintum. Quem VLSTANVS sacerdotio initiauit. GIRARDVS in sede *Herfordensi* post eum locatus est. Quo ad *Eboracensem* translato, ROGERIVS quidam electus est. Sed ante consecrationem mortuus est. Quam tamen in summa ægritudine, sollicitè & anxiè ab ANSELMO flagitabat. Ad quam ANSELMVS postulationem leniter subrisit, neque illi satisfacere voluit. GIRARDO [c] RAMALDVS successit.

[a] *Vidisse Westmonasterium an. 731. Vluardum 765. Ceddam 857. Albertum ibid. Æthelstanū 872. Esnam 885. Cedmundum ibi. Æthelstanum 1056.*

Leouegarum ibi.

[b] *Mar. an. 1015. & Sim. Dunel. Ex subscriptione commentorum d. picturæ anni 1001.*

Gul. Malm.

Malmsb.

[c] *Malm. quem index Matth. & Florent. & Flori Reignelmum appellant.*

De Dicto MARIANO Scoto, *déque historia eius quam de rebus* ANGLORVM *scripsit.*

CAPVT XXVI.

ROBERTI, de quo meminimus, mentio, multaque alia quæ concurrunt, quæque cum nostræ historiæ scopo, lectorisque vtilitate coniuncta sunt, iustam & exactiorem mihi aliquam de MARIANO narrationem exprimunt. Quem licet ad se non modo *Hiberni* & *Scoti* (a *Scotus* autem fuisse natione, frequentiore calculo traditur, & ipse se b *Scotum*, sed *Hiberniensem* appellat) verum & *Colonienses*, *Fuldenses*, *Moguntini*, & *Ratisbonenses* ad se rapiant, magnæque sibi laudi & ornamento ducant, vel quod in ipsorum regionibus natus, versatus, vel tumulo saltem mandatus sit (de cuius sanè loco, vt & de patria ipsius, adhuc inter aliquos controuertitur) nescio certè tamen, num aliqua vspiam natio vberius illi debeat, quam nostra *Anglicana*. In qua vt aliquando verisimile esse, propter loci vicinitatem credibile sit, qui præsertim varias exteras regiones peragrasse dicitur, quemque aliqui c *Bedæ* necessarium fuisse tradant, omnesque posteri propter sanctam & accuratam viuendi rationem, cœlestium consortio adscriptum existimant: Ita sanè singularem à nobis ANGLIS gratiam memoriámque meretur, quorum res gestas summa diligentia & cura, magnaque fide & sinceritate à *Beda*, ad sua vsque tempora, accuratè descripserit. De qua mox historia plura dicemus, de eo ipso vero authore pauca interim interspergamus. d Natus verò est ad annum, postquam Christus humanam carnem induit, millesimum vigesimum octauum: vigesimo autem octauo ætatis anno, vel vt declinaret tumultus & bella, quibus omnia in Scotia, vt quidam scribit, oppleta erant, inter *Marcobinum* & GVILIELMVM *Normannum*, propter *Cambiæ* possessionem, quam vterque ad se rapiebat (e quibus temporum ratio repugnat) vel, quod verius existimo, quodque ipse f *Marianus* testatur, cœlestis & monasticæ vitæ desiderio *Colonium* venit, & in cœnobio *Scotorum* diui *Martini*, monasticæ se vitæ disciplinæ deuouit. g Condiderat verò illud, & diui *Pantaleonis*, & tredecim alia in *Alemannia* cœnobia h *Guilhelmus*, Achai Regis *Scotorum* frater, qui sub CAROLO *Magno* belli stipendia faciebat. Cauitque vt his cœnobijs *Scoti* præficerentur. De duobus illis cœnobijs i MARIANVS ipse meminit, & eorum præfecto *Eliu Scoto* viro sancto, & prophetiæ dono, vt videtur, ornato, vt & de alijs quibusdam *Scotis* k monasticæ vitæ in *Germania* sectatoribus.

MARIANVS autem post biennium, relicta *Colonia*, *Fuldam* cœnobium princeps reliquorum in *Germania* (quod BONIFACIVS ANGLVS & *Moguntinus* Archiepiscopus vt antea diximus, condidit) profectus est. vbi l decennio duram & seueram, atque anachoreticam vitam traduxit, ibique sacerdotio initiatur. In eo loco inclusus, quo ante eum alius *Scotus Annuchanus* includebatur; vir magnæ pietatis, & miraculorum post obitum, vt MARIANVS ipse testis oculatus refert, patrato. m Post decennium autem *Moguntini* Archiepiscopi, Abbatisque *Fuldensis* præcepto *Maguntiam* n transmigrat, ibique reliquum ætatis in summa solitudine, parique vitæ austeritate ad sexagesimum ætatis annum sanctissimè o transigit. p Constat autem eum *Regenoburgi* siue *Ratisbonæ* cum sociis *Ioanne*, *Candido*, *Clemente*, *Donato*, *Murcheriaco*, *Magnaldo* atque *Isaaco* versatum: ibique eos docendo, diuinas literas interpretando, & librorum scriptione, victum & nominis sibi celebritatem peperisse *Scotosque* non CAROLI *Magni* (vt quidã volunt) sed hoc primum tempore *Ratisbonam* venisse. Neque satis certa atque firma eorum videtur sententia, qui cœnobium illud diui *Martini Coloniæ* ad eadem CAROLI tempora q referunt. MARIANVS autem etsi se ab hominum consortio, ita vt dixi, separarit, vere tamen, & multo quidem verius quam *Serpio* ille *Asiaticanus*, de se dicere potuit. Numquam se minus solum fuisse, quam cum solus esset. Colloquebatur enim suauissimè cum ipso per singulos dies Deo, in sanctis illis, quas quotidie ad illum effudit precibus; & in venerando illo atque ineffabili sacrosanctæ missæ sacrificio. Colloquebatur in sinceris atque purissimis precibus atque meditationibus, cum cœlestibus illis spiritibus. Cum autem ab ecclesia præscriptas, quasque propriæ pietatis seruor quotidie suggerebat, preces atque meditationes absoluisset, reliquum tempus

a *Cui Mai Hist. Wig. Tolenhamb. Weim.*

b *Anno 1018.*

c *Ita Baleus in Indice scriptor. Brit. & Matth. West. in quo tamen annum nihil tale reperio.*

d *Matth. West. Polych. Eboren & Marianus ibm.*

e *Venit enim Maria. Colon. decimo anno antequam Guilelmus regno Anglico potiretur.*

f *In Chronico an. 1040. ed. Pelchr. vtinens. 1013.*

g *Ioan Maior de Scotorum gestis lib. 2. ca. 13.*

h *Anno 1036.*

i *Deperiere Ludeuuerfi monacho an. 1039. de Annuchano nullo apud Sulpitium an. 1043.*

k *Vide ipsum Marianum in coron. an. 1039.*

l *Anno 1043.*

m *Mar. in coron. an. 1069.*

n *Circa 1086.*

o *Ioan. Auent. Annal. lib. 6.*

p *Marianus ipse asserit Electorum Colonensium Episcopum hoc cœnobium Scotis tradidisse, quo tempore Albertus fuisse anno 1151. Monachorum S. Petri tum atque etiam quidem in prefatis chronicon.*

q *Cicero lib 3. de offic.*

sacræ theologiæ, patrum ecclesiæ, philosophorum, & cum primis historiarum lectioni magna diligentia consecrauit. Quas cum diuturna lectione, maturoque studio contriuisset, laboris sui optimos quosdam fructus orbi commendauit, insigneque chronicon contexuit, ab ipso mundi exordio ad annum millesimum octuagesimum secundum. Sed hic iam errores aliquot, quos video apud aliquos, imo plerósque fere omnes de hoc chronico irrepsisse, eripiendi videntur.

Sigebertus quo anno ætatis suæ agebat annũ 56. vt ipse tradit. Obyt ann. 1086. vt Dodechinus ait in appendice Mariani. Basileæ apud Io. Oporinum ann. 1559.

Incipimus ab an. 794.

IMPRESSVM est nuper in *Germania* chronicon MARIANO inscriptum, & pro vero & genuino eius chronico mundo obtrusum. Sed illud esse maxima ex parte mancum & mutilum, vetustissimum, manuque scriptum, quod cum illo contuli exemplar, multæque aliæ efficaces rationes facile conuincunt. Sunt rursus annales, qui *Asserio Menenensi* tribuuntur, quibus *Lelandus* dicit vetustum quendam authorem accessionem adiecisse; sed totius huius historiæ solus MARIANVS author est, nihilque est vel in ijs, quæ *Asserio* tribuuntur, vel in ipsis accessionibus, quod non quasi verbatim in MARIANI chronico visitur. Id tamen interim verum est, ea quæ de rege ALVREDO siue ALFREDO (cuius vitam & res gestas *Asserius* accurate conscripsit) MARIANVS tradit, ipsum ab *Asserio* penitus, verbáque ipsa mutuatum. Neque ego in quenquam adhuc antiquiorem scriptorem incidi, qui huiusmodi annales *Asserio* asscribat. Qui si forte alias reperientur, idoneáque fide nitentur, certè quæ *Asserii* tempora sequuntur, ad solum *Marianum* quasi parentem referendi sunt. Quædam interim sunt, quæ me in eam sententiam trahant, vt existimem annales illos (excipe ALVREDI Regis vitam) MARIANO soli tribuendos. Id enim primò constat, [a] MARIANVM BEDAE historiam de rebus ANGLORVM, vsque ad sua tempora continuasse. Illud etiam æque certum est, nihil esse in annalibus, qui *Asserio* tribuuntur, quod non cernatur ijsdem fere vbique verbis in MARIANO. Nisi quod vberius sæpe res atque prolixius in MARIANO referantur; in illis parcius & contractius; vt non ista ab illis, sed illa ab istis *Mariani* fontibus deriuari merito videantur. Huc accedit, quod *Asseriani* illi annales, cum de DERVLPHO *Wintoniensi* Episcopo (quem Bubulcum prius fuisse, populari rumore & fama, vt diximus, ferebatur) huius famæ mentionem faciant. Quod certe *Asserius*, qui eo ipso tempore, quo ille Episcopus designatus, & vixit, & intimus erat apud ALVREDVM, haud scripsisset; qui certam & solidam rei veritatem facile explorare potuisset. Quæ verba (*si fama creditur*) à [b] MARIANO, à [c] *Guliel. Malmesburio*, & alijs à sæculo ALVREDI remotis, satis commodè vsurpantur. Adijciamus & aliud; in *Mariano* & *Asseriano* codice mentio habetur de *Cuthburga*, quæ *Winburgense* cœnobium construxit, vt præfati (inquit) sumus. Hæc ad annum nongentesimum primum. De cœnobio vero prius condito, mentio facta est anno septingentesimo decimo octauo, quod ad annales *Asserii* referri non potest; qui ab anno septingentesimo quadragesimo quarto, vt diximus, incipiunt.

a Marianus an 714. Ricinquit, (id est Beda) ita gentis compluria gesta suæ vsque ad sua tempora scripsit, ut nemo Nos vero Deo adiuuante, ab eius obitu fideli exitu. prout Anglianarum chronicarum vetustissimum textum fidei unquique veterum traditio retinuit, vel quæ nos ipsi indubitata autoritate inuenimus, vel quædam quæ oculis à prætinuit à modernis fuerat notata. sine lũ successorum. vt. Iniquanda dignũ duximus memoriæ Quæ in libro impresso pe nus desunt Huc accedit, quod Matth. Westmonast. tradat an 718. Mar. inter omnes historiographos, res gestas regum Angliæ prolixius scripsisse.

b Anno 879.

c De pontif.

d De pontif.

Anno 1063. & in addit Asser. tantum anno, atque Sim. Dun.

Atque hæc iam de *Asserianis* annalibus dicta sunt. Reliqua nunc de *Mariano* Chronico excutiamus. De quo id, quod dicere occœpimus, constanter asserimus; illud quod typis nuper excussum est, non esse plenum & absolutum MARIANI exemplar, sed epitomen potius quandam eius, & amplius dimidiata ex parte, in ijs præsertim, quæ ad ANGLORVM historiam spectant, truncatum atque mutilatum. Quod facilè constabit ei, qui manuscriptum MARIANI cum impresso, vel ipsos *Asserianos* (vt appellant) annales, & ipsorum annalium appendicem conferre voluerit. Atque huius quidem *Mariani* chronici epitomen. ROBERTVM illum *Herfordensem* Episcopum confecisse, idoneum testem habemus *Guliel. Malmesb.* Ceterum, vtrum de illa epitome, quæ iam typis excusa est, an de illa altera quæ *Asserio* tribuitur, & illius appendicibus senserit, non possum liquido statuere. Interim verò illud animaduerto, impressum codicem ea fere omnia, quæ ad nostræ gentis historiam pertinent; *Asserianum* vero illum cum additionibus, externa omnia prætermittere, & in ANGLORVM sola historia versari: eaque tantum à MARIANO mutuari, quæ nostram gentem respiciunt. Antiquus vero ille manu scriptus MARIANI codex, pertingit ad annum millesimum centesimum trigesimum primum. Ceterum quis adiecerit appendicem illam post MARIANI obitum, haud certo pronunciarim. *Florentius Wigorniensis* illa, ni fallor, accumulauit, quanquam eadem verbatim fere apud *Simonem Dunelmensem* reperiantur. Et quædam etiam forsan ante annum, quo MARIANVS obijt, à FLORENTIO sunt. *Mariani* chronico asperia, ea præsertim, quæ de diuo WLSTANO *Wigornensi* Episcopo traduntur. Quæ si à MARIANO scripta sunt, constat eum WLSTANI aliquando colloquio vium, septennio antequam *Coloniam* migraret: Idque cum vicesimum secundum ætatis annum non fuisset egressus

egressus. Eandem de WESTANO narrationem habet & *Simon Dunelmensis*, sed cum ille vel à MARIANO, vel vt potius credo, à *Florentio* desumpsit. Si quis igitur impresso codici ea, quæ *Asserio* tribuuntur, & accessiones istas adiecerit, plenius & absolutius nobis exemplar, non tamen omnino absolutum, & rem nobis maxime ANGLIS commodam, vtilem & necessariam adeo confecerit. Quanquam sint & multa alia, de externis aliarum quoque gentium rebus, quæ impresso codici desunt. In quo tamen multa etiam, quæ non compiciuntur in manuscripto codice, & quæ de suo, videtur is adiecisse, qui epitomen continuauit; ea præsertim, quæ frequenter ex *Methodio* aspergit, visuntur. Id præterea secum commodi vetustum, & manuscriptum chronicon illud apportat, quòd multa inde, quæ vitiosa & corrupta sunt, tam in impresso, quàm *Asseriano* illo codice, repurgari atque emendari poterint. In illo inter cetera, pro *prope in Vndacorum, propter inundationem*; *magistratum* Minos, pro *magistrum*; & mox *cum Athenienſibus, priùs per regionem discipulos*, pro *Athenienses priusper regionem dispersos*. In isto, *arosse, & acritue*, pro *animosè & acriter*; *Isi*, pro *Visi*; *Wilton* pro *Winton*; *aduersatione*, pro *aaulatione*; *Angaria* pro *Hungaria*, & cetera id genus visuntur.

Citat Methodij verba in Aegino Typho & alias, sæpe ipsum in seraturum. An. 2149 col. 3. Col. 10; A. 2893 & 2965. Anno 853 pro & 981 in fine anni. & 1231.

ILLVM vero tam crassum, in libro impresso errorem, dissimulare nulla ratione debeo, quo anno septingentesimo decimo quinto BONIFACIVM *Magontinum Scotum* (vt & alias sæpe) tam contra manifestam veritatem, quàm vetusti illius exemplaris fidem, quod difertis verbis ANGLVM eum eo loci appellat, fuisse fingat: tum quod BEDAE obitum in annum septingentesimum vigesimũ nonum reijciat, cum tamen BEDAE ecclesiastica historia ad annum septingentesimum trigesimum primum pertingat. MARIANVS autem noster in chronico, de Euangelistarum concordia prolixè agit; & vt multa alia docte & prudenter, ita & in Geneli vnam generationem deesse animaduertit. Quam ex LVCA *Euangelista* restituit. Qui *Sale*, non filium *Arphaxad*, sed ex *Cainan* nepotem assignat; *Cainan* autem diuino quodam consilio *Moyses* prætermisit, vt & aliquot generationes *Matthæus*. Id enim ego potius constantius dixerim, quàm vt vel Septuaginta, vel *Lucã* qui eos sequutus est, ignorantiæ aut erroris quod quidam leuiusculè faciunt arguerim. Id vero inter cetera MARIANVS diligenter conatur, vt computum & cyclos illos *Dionysij* emendaret, quibus viginti duos annos deesse magna diligentia, atque cura ostendit. In temporum autem ratione digerenda, *Florentius Wigornienſis*, qui MARIANI Chronicon præcellens appellat, & *Ranulphus Cestrensis* MARIANVM potissimum sequuntur. Multáque *Cestrensis* verbatim ex MARIANO nostro, tam ante Christum natum, quam postea citat.

Vt Trithemius & alij asserunt. Quæ & in manuscripto codice visuntur Sed vetera impressa, adeo sfucrantur.

Anno 1028. Vide Ranulph. lib. 1. cap. 2.

Vide Canutum de & elegantes disputationes Theologic. lib. 2. cap. 15.

SED iam dimisso MARIANO occœptam historiam prosequamur. Præfigitur MARIANI chronico accurata quædam Regum ANGLIAE, ab ipso WODEN genealogia, quæ in *Florentio* eisdem fere verbis apparet; vt & Episcoporum catalogus ad MARIANI vsque tempora, quæ an MARIANO tribuere debeam quasi primo parenti, catalogum præsertim, non adhuc mecum constitui, Nam nomenclatura Episcoporum, valde dissidet ab ea, quam in ipsa historia, recenset. Quod suis nonnunquam locis ostendimus. Propius vero est, vt genealogiam illi, vel ob id asserebam, quòd chronicon illud *Gallicum*, de quo antea meminimus, quædam quasi ex MARIANO, quæ non alibi visuntur in MARIANO nisi in ea, nominatim citeti; & quod sæpe stirpem Regum ANGLIAE in chronico recenseat. Quæ illius narratio, cum genealogia operi præfixa congruit. Scripsit autem inter cetera commentarios in psalmos. Cœnobia autem duo his temporibus, in hac diœcesi partim posita, partim renouata sunt per *Rogerum* de *monte Gomerico*: alterum *Wenclochense*, sanctimonialibus olim dicatum. Quod cum ad solitudinem peruenisset, restaurauit, *Rogerus*, & monachos ibi *Cluniacenses* substituit, diuæ *Milburgæ* reliquijs ornatum. Quæ casu ad annum millesimum centesimum primum repertæ sunt, & multis, vt alibi diximus, miraculis insignitæ. Ex integro vero alterum *Benedictinorum* cœnobium, in suburbijs *Salopiæ* PETRO & PAVLO dedicatum ædificauit *Rogerus*. Qui cum suprema sua ægritudine laboraret, in monachum se, cum vxoris consensu, aferri curauit, & *Reginaldum Salopiæ* Priorem *Cluniacum* miserat, vt *Hugonis* Abbatis tunica induceretur. In comitatu verò *Hugo* filius *Rogero* successit.

Quædam quæ vt Matthæo tribuit Ranulph. visuntur in illum. prius quadam non, vt qua de Vipleio Rogo & eius liberis ex tabulis ea & alia alia. Ea tamen non impress. comprehenduntur.

De Folcardo vide. Ioan. Trithemium & eius scripta.

Vide Io Antonium Sanna. lib. 5. Annal. pag. 134. Guil Malm.

Polydor. lib. 7. an. 7.

De Archiepiscopis Eboracensibus

CAPVT XXVII.

DVLPHO[a] datus est successor VLSTANVS, qui conniuente & indulgente Rege, *Vigornensem* etiam sedem retinuit. Quod tamen magis huius ambitioni ascribitur, quam priorum, in quibus necessitatis quædam est excusatio: vt nihil dicam, quantum inter illos & hunc, in omni virtutum præstantia interfuit. Quo moriente, *Eboracensis* ad ALFRICVM, *Vintoniensem* prius præpositum, *Vigorniæ* diœcesis ad LEOFFIVM transmissa est. Tertio anno *Romam* iter pro pallio adornauit. Ab eo & EDSIO *Dorobernensi*, EDOVARDVS Rex *Vintoniæ* sacro delibutus chrismate, corona regia insignitus est. Hoc illius nomen & memoriam valde onerat, quod illius instigatione, HAROLDI demortui fratris corpus, HARDECANVTVS tam contumeliosè & ignominiosè agitauerit, & *Vigornensem* vrbem incenderit, atque spoliauerit. Eo sedente, corpus IOANNIS *Beuerlacensis* pretiosa theca reconditum est. Cui in fata concedenti[b] surrogatus est. CHINSIVS Regi EDOVARDO à sacellis. Iste *Glisciuensem* Episcopum consecrauit, & præscriptam obedientiæ canonicæ de more formulam accepit. Quæ in conflagratione illa ecclesiæ *Eboracensis*, quam *Normanni* incenderunt, cum alijs ecclesiæ monumentis & ornamentis interciit. Hunc ferunt non natum, sed de ventre matris cæsum. In eius locum ascitus est[c] ALREDVS, qui *Wigornensem* Episcopatum ad annum Christi millesimum quadragesimum extum, *Eboracensem* deinde Episcopatum post sedecim annos consecutus est. Qui post quartum annum quam *Wigorniæ* Episcopus ordinatus est, *Romam* profectus est. Cuius Rex EDOVARDVS consilio operáque, in legationibus præsertim obeundis, vsus est. Qui in *Flandriam* profectus, *Swanum Godwini* Comitis filium, qui armis & incursionibus ANGLIAM infestabat, reduxit. Qui regi reconciliatus est.

AD Imperatorem deinde, non sine amplis muneribus ad eum missis, legatione functus est, cumque illo Regis nomine egit, vt ille, missis ad *Hungariæ* Regem legatis oraret Regem, vt EDOVARDVM, fratris sui EDMVNDI, qui ferreum latus dicitur, filium, qui *Hungariæ* Regis filiam exul vxorem duxerat; cum vxore & filio EDGARO, in ANGLIAM remitteret. Ab Imperatore ille, *Colonienſique* Archiepiscopo, magno cum honore exceptus est. Cum quo totum annum permansit, multáque vidit & audiuit, ad disciplinam ecclesiasticam promouendam accommoda, quæ in ANGLIAE postea ecclesijs obseruari curauit. Post triennium EDOVARDVS cum vxore & liberis in ANGLIAM venit. Rex enim, cum iam esset præcipiti atque affecta ætate, atque vacuus & inops à liberis, constituerat vel EDOVARDVM vel EDGARVM sibi hæredem ad regni successionem ascisceere. Sequenti anno *Glocestrensem* ecclesiam, quam à fundamentis erexerat, in honorem principis Apostolorum PETRI solemniter dicauit. Quo etiam anno VLSTANVM, quem prius monasticæ vitæ initiauit, *Wigornensem* Abbatem constituit. Et mox iter *Hierosolymitanum* primus, quod memini, ex omnibus ANGLIAE Episcopis, per *Hungariam* ingressus est. Reuersusque, *Eboracensi* paulo post Archiepiscopatu donatus est. Et simplicitatem EDOVARDI circumueniens, vtramque sibi dignitatem retinuit. Sed cum paulo post, pallium adipiscendi gratia, cum GISONE *Wellensi*, & WALTERO *Herfordensi* Episcopis, & Comite *Coslino* *Romam* peteret: dignitate vtraque à NICOLAO Pontifice exutus est. Et paulo post, dum in ANGLIAM reuertitur, pecunijs quoque omnibus, non ita procul à *Roma* a latronibus, vt & commemorati socij spoliatur. Quæ spoliatio reuerti eos coegit, & vt pecuniam ALREDO extorsit, ita bono illi fuit ea spoliatio, Pontificisque misericordiam, suas præsertim importunas preces Comite adiungente, sic prouocauit; vt veteri ALREDVM dignitate rursus auxerit, *Eboracensem* intelligo. Nam *Wigornensem* illi prorsus ademit. Qua VLSTANVS, vt commemorauimus ornatus est.

ALREDVS GVILIELMO Regi (vel quia STIGANDVS noluit, vel quia non potuit) solemni ceremonia diadema imposuit, eumque sacramento, ad conseruandam ecclesiasticam disciplinam, æquabilemque ac moderatam reipublicæ administrationem obligauit. Qui ipsum postea ALREDVM patris instar habuit, & solum inter omnes reueritus est. Postu-

larat

[a] Adulphum appellat Thom. Stub & index Mar & Flo Gul Mal Quieb. an 1002. Florl & Sim. Dun Qui Eadulf Saxonicè appellatus est, & iubeo nomine consignat. comme moratum diplomate anno 1002.

Vita hist. ann. 1021. Flo. 1024. Polid. appellat Alfredum Gul Malm. Vita Eber

[b] Flor. 1051. & Vita Eborac. Flor. an 1060 Vita Eber.

[c] Flor an 1060 Maria. Florl. & Dun.

Maria. & Sim. Dun. an. 1050.

Marianus Dun. in anno 1054.

Tho Stob. Flor. an 1059. Add. Asl. Dun.

Mar. & Dunel.

Gul. Mal.

larat ab eo aliquando aliquid ALREDVS à quo repulsus & reiectus, abiturus male illi, additis etiam minis, imprecatus est. Mox Rex offensionem illius non ferens, ad illius se pedes dimisit, veniam precatus, & se illi satisfacturum pollicitus. Ibi cum optimates Episcopum admonerent, vt iacentem erigeret, Sinite, inquit, eum ad PETRI pedes iacere. Alias etiam cum in grauem Episcopi offensionem, imprecationemque incidisset, ob tributum quoddam impositum, solicitè Rex gratiam eius, licet absentis, quæsiuit. Quin & istud, quod iam referemus, de eo celebratur. Fuit quidam *Wigorniæ* Comes, qui *Vrse Anglice* dictus est; is castellum quoddam in ipso cœnobij aditu, ita vt fossa, qua castellum circundedit, cœmiterij partem occuparet, ædificauit. Cuius rei ad ALREDVM querela delata, male VRSO imprecatus est, nisi castellum primo quoque tempore longius remoueret. Contestatus alioqui, illas possessiones non diu in stirpe & gente ipsius hæsuras. Quæ certe imprecatio in filium eius *Rogerum*, qui propter homicidium, omnibus postea possessionibus exutus est, recidit. Ceterum execrationis illius particulam, quoniam sale quodam & lepore dicendi ijs, qui ANGLORVM linguam callent, carere non videtur: subijcere libet. *Hateſt thou Vrſe, Hane thou Gods curſe.* Tu inquit, *Vrſe* appellaris. Sed ego te execror. Ea enim vox id exprimit, quod vox *curſe* ANGLIS. Multa ALREDVS in cleri deprauatis moribus emendauit, atque ecclesiam suam *Eboracensem*, & alias multis ædificijs exornauit. Cum vero *Daci* ANGLIS exulibus consociati, Aquilonem postea graui depopulatione vastarent, & iam ipsi *Eboraco* imminerent; grauem & fatalem, ea ex re, animi dolorem contraxit. Qui & eum absumpsit. Paulóque post, templum diui PETRI, cum ciuitate *Eboracensi* incendio absumitur. Hactenus omnes Archiepiscopi ANGLI.

Gul. Neub. lib. 1. ca. 1. Thom. Stubens in vita Eborac.

Gul. Malm. de pontif.

Thom. Stub. & Polyd. li. 9.

POST ÆLREDVM, THOMAS homo *Normannus*, & *Bajocensis* Canonicus, à Rege GVILIELMO *Eboracensis* Episcopus designatus est. Qui cum *Cantuariam* ad LANFRANCVM, vt ab eo initiaretur, venisset; initiationem se quidem lubenter suscepturum, sed subscriptionem & professionem, quam de more LANFRANCVS exigebat, qua *Cantuariensis* sedis in totam ANGLIAM prærogatiuam, & iurisdictionem agnosceret, palam recusabat. Mox LANFRANCVS multa ad iuris, & prærogatiuæ suę in sedem *Eboracensem* coram Episcopis, qui ad eam initiationem confluxerant, confirmationem (quę tamen omnia THOMAE nullius momenti videbantur) deprompsit. Ita & ille suam in persuadendo operam, & suum Episcopi in veniendo laborem frustra posuerunt. Sine itaque initiatione THOMAS dimissus, ad Regem indignabundus venit, grauique aures illius contra LANFRANCVM querela onerat; quasi id à se, quod nullo iure, nulla æquitate, nullis exemplis aut ratione niteretur, LANFRANCVS postulasset: Regemque ad communem secum sententiam errore eum que traxit. Sed cum postea ad Regem LANFRANCVS accessisset, & quantis exemplis, quam inueterata consuetudine, quantaque ratione & authoritate postulatio sua niteretur, palam planéque docuisset: Rex in aliam mox sententiam abijt, exque totius sui concilij sententia THOMAE mandauit, vt reditum ad *Cantuariam* maturaret, & in sua initiatione palam contestaretur, se LANFRANCO vt Primati, & ecclesiastico principi totius ANGLIAE, eiusque præceptis accuratè per totam vitam pariturum. THOMAS mox Regis voluntati, & præcepto per omnia satisfecit,

Gul. Malm.

SEQVENTI deinde anno, qui incidit ad annum Christi millesimum septuagesimum primum, *Romam* cum LANFRANCO, pallij obtinendi gratiâ, & cum REMIGIO *Lincolniensi* Episcopo profectus est. Vbi à Pontifice, propterea quod presbyteri filius esset (cui hominum generi omnis ad omnem ecclesiasticam dignitatem, via & aditus per canones obstruitur) omnis illi dignitas, vt & REMIGIO, sed alia de causa adempta est. Qui cum nihil ad sui defensionem & purgationem iuste adferrent, dignitate se abdicantes, baculos & annulos pastorales Pontifici tradiderunt. Ceterum intercessore, vt diximus, LANFRANCO, amissas dignitates recuperarunt. Enixe enim Pontificem rogarat, ne summo cum ipsis iure ageret. Esse enim homines *Anglicano* regno, & Regi GVILIELMO, qui illud nuper adeptus erat, perquam accommodos & necessarios. Cui pontifex. Tu, inquit, illius regni, patriæque pater es. Quare totam illorum causam in tuam voluntatem, & arbitrium confero ac repono. Tu cum primis, quid in regni, & Christianæ religionis commodum sit maxime cessurum, optime nosti. Tu itaque, quid hac in re sit factu optimum, videris. Simulque cum his dictis, baculos & annulos illi tradit. Quos ille acceptos: THOMAE & REMIGIO reddidit, eósque in integrum reposuit, pristinæque dignitati benigne restituit. Cui tamen THOMAS pari benignitate, & gratitudine respondisse non videtur. Etsi enim *Cantuariæ* primatum LANFRANCI religiosè

ci religiosè agnouerit. *Romæ* tamen litem illi (post redditam, idque eius beneficio dignitatem) coram pontifice *Romano* intendit: qua conabatur, non modo sedem *Lincolniensem*, *Vigorniensem*, & *Cestrensem*, ad iniuriam *Cantuariensis*, suæ sedi supponere & subijcere; sed & suam *Cantuariensi* prorsus subtrahere, auferre, & eripere: ita quidem vt nullam in ea *Cantuariensis* authoritatem, aut iurisdictionem agnoscere se debere, valde contenderet, multaque ad suam causam muniendam in medium proferret. Quæ omnia, mox LANFRANCVS diluit & confutauit. *Romanus* vero pontifex reiecit totius causæ cognitionem in ANGLIAM, vt ibi præsentibus Rege, Episcopis, & Abbatibus, suoque Legato, quem se propediem missurum dicebat, diffiniretur. Quæ quidem proximo deinde anno expedita est, sententiaque secundum LANFRANCVM, contra THOMAM pronuntiata. Qua Rex, & MATHILDIS Regina, Episcopi, & Abbates, ipse adeo THOMAS chirographo suo, crucisque signo, ad sempiternam rei memoriam munierunt. Quæ, ad quam singula rationem acta sint, & quid vtrinque in hac controuersia sit disceptatum, & quo modo aduersus eum, sententiam VVLSTANVS etiam VVIGORNIENSIS obtinuerit; alibi vt non sit necesse iam repetere, abunde recensuimus.

HABVIT LANFRANCVS synodum *Claudiocestriæ* ad annum Christi millesimum septuagesimum septimum, vbi ex eius voluntate & consensu, THOMAS, assistentibus VLSTANO, OSBERNO, GISONE, & ROBERTO Episcopis, *Cantuariensis* ecclesiæ, vt appellalamus, suffraganeis: GVILIELMVM *Dunelmensem* Episcopum initiauit. *Scotiæ* enim Episcopi, qui *Eboracensem* primatem agnoscebant, adesse non poterant. A THOMA ANSELMVS, alijs Episcopis magna frequentia præsentibus, ad annum Christi millesimum nonagesimum tertium consecratus est. Ibi cum ecclesia *Cantuariensis* in electione ANSELMI, quæ scriptis mandata erat, totius BRITANNIAE metropolitana appellaretur: subiecit THOMAS Atque, inquit, si ita sit, EBORACENSIS metropolitanus non est. Quare subducta voce *metropolitana*, scriptum est, *Cantuariensis ecclesia totius* BRITANNIAE *primas*. Fuit certe THOMAS non solum corporis gratia, & venustate; sed & multis animi dotibus, liberalitate, singulari doctrina, magnaque pietate nobilitatus. Canendi etiam peritus. Qui & id curauit diligenter, vt cantiones ecclesiasticæ viriles, & seueræ essent, non molles & delicatæ. Non ignorauit homo prudens, quantum in humana vita huiusmodi res momenti haberet, & quod olim aiebat *Plato*: mutatis musicorum cantibus, status quoque ciuitatum mutari. Obijt eo, quo HENRICVS Rex principatum iniit anno, cum caput eius, Augusto antea mense, regio diademate, absente in exilio ANSELMO, cinxisset. Extat *Eboraci* monasterium diue MARIAE Virgini sacrum, cui regnante GVILIELMO *primo*, præfuit *Stephanus*, *Whithibiensis* in *Northumbria* prius cœnobij monachus; qui reparandæ & augendæ monasticæ disciplinæ, valde & pene prorsus in illis regionibus propter funestam illam & extialem *Dacorum* incursionem collapsæ, diligentem & acrem operam posuit, & commodas eius restaurandæ rationes libro complexus est. Hoc illius, & *Stephani* præsertim, de quo mentionem antea fecimus, quo authore & adiutore *Cisterciensium* institutum cunabula, & admiranda postea incrementa accepit; exemplum; multorum, ad sanctam imitationem & æmulationem, studia, vt postea dicetur, incendit.

Ex commentario chronico Galbrei scripto.

Cicero de leg.

De Episcopis Dunelmensibus.

CAPVT XXVIII.

Flor. An. 1020.

Gul. Malm. Simeonis hister. ecclesiæ Dunelm. lib. 3. c. 6.

SVBLATO è medio ALDVNO, sedes tribus annis defecta est pastore. EDMVNDVS deinde, ex ridiculo quodam, vt videtur, sed ecclesiæ fructuoso euentu suppositus est. Cum enim electionem plus iusto traherent Clerici & monachi, quibus ea cura incumbebat, nec suffragia in certum aliquem hominem concurrerent: EDMVNDVS integræ quidem vitæ presbyter quidam interuenit, & ioco ludens, vt erat magnus in eo in iocando lepos, Cur, inquit, tam longa deliberatione tempus frustra teritis? quin me potius* adoptatis in istam sedem? Ecce vero quid sequuti sunt, aut quis eos spiritus afflauerit, nescio! * sed tamen mox omnes suffragia sua promptissimis in eum animis contulerunt. Quę & Rex summa animi propensione confirmauit. Quę omnino temerè non ita contigisse, præclara illius per totam vitam ecclesię administratio ostendere videtur. At EDMVNDVM, qui per iocationem

* *al.* in istam sedem adoptatis

* *al. abest* sed tamen.

jocationem primò se renuntiatum Episcopũ credebat, cum videret se seriò & seuerè vrgeri, & tantæ functionis molem non ignoraret: valde intempestiuè suæ iocationis pœnituit. Reculare igitur & tergiuersari, multaque sed frustra obtendere, cur ad id munus non asciscerentur. Cum præsertim ad eorum optionem diuinum etiam suffragiũ accessisse crederetur. Dum enim illo cunctante & tergiuersante, Canonici ad D. CVTHBERTI sepulchrũ precibus & sacrificijs triduo intenderent, postulatum (quod & aliàs faciebant in ecclesię destitutione, nouique pastoris electione) vt Deus benigno suo fauore suffragia ipsorum gubernaret: presbyter quidam dum sacris missæ mysterijs operam daret, audit vocem è tumulo, ter Episcopum EDMVNDVM intonantem; nec ille modo, sed & diaconus qui astabat. Presbyter quidam prouectæ ætatis, qui id ex ipso diacono audierat, qui & auus presbyteri fuit, id se sæpe audisse contestabatur. Cum itaque nullum satisfactioni vlli locum amplius relictũ videret, in monasticum primum ordinem cooptatus est, (id enim omnibus à CVTHBERTI tempore *Dunelmi* Episcopis solemne erat) accersitque *Egelricum* monachũ è cœnobio *Burgensi*, qui paulo post hac sede potitus est; qui præceptis eum & regulis monasticis imbueret. Egregie itaque ad viginti tres annos ecclesiã suam administrauit. CANVTO Regi valde charus, qui nudis pedibus sepulchrum D. CVTHBERTI vt diximus inuisit, ecclesiamque illam magnis possessionibus locupletauit.

Wil. Malm. & chron. Winton.

Floril. tribuit ei 17. A. Sim. Dun. 21.

Chron. nouum cum Winton. vbi possessiones enumerantur & apud Sim. Dun. in hist. eccles. Dunelm.

MAGNA fuit EDMVNDO cum ALFRICO *Eboracensi*, pro *Haguſtaldensi* ecclesia (quæ olim Episcopatus sedes erat) contentio, qui eius dominiũ & annuos redditus suę ecclesię vendicabat. Ille contra referebat *Eboracensem*, nec manente Episcopatu (nisi quod illam sedem vt primariam officiosè coleret) nec postea quicquam iuris in *Haguſtaldiam* habuisse: & contra officium facere illum, qui possessionem *Dunelmensem* centum & quadraginta annis summo *Eboracensium* omnium consensu, alta pace & tranquillitate firmatam & stabilitatam, iam disturbaret. Res ita exijt, vt EDMVNDVS eam sibi, suisque etiam posteri, ad HENRICI *primi* tempora retinerent: qui infestum & exulceratum in RANVLPHVM Episcopum animum gerens, & eum Episcopatu mouit, & *Haguſtaldensem* ecclesiam *Eboracensibus* adiudicauit. EDMVNDI defuncti locum EDREDVS subijt. Quem *Marianus* tradit Deum insigni clade affecisse; sed cuius generis fuerat non prodit, nec causam. Prodit autem vtrumque *Simeon Dunelmensis*. Quem dicit primariam post Episcopum in *Dunelmensi* ecclesia authoritatem obtinuisse, cóque mortuo, corrata ecclesiæ pecunia ad Regem HARDECANVTVM profectum, Episcopatum sibi sordidè & turpiter comparasse. Reuersum vero, mox morbo repentè correptum, lectóque affixum, & mortem paulo post obijsse. Qui eum antecedebant Episcopi ex monastica vita sumpti sunt. Ille primus fuit, qui ex Clero id munus administrauit. Successorem illi omnes, quos vidi, præter *Guliel. Malmesb.* EGELRICVM siue AGELRICVM constituunt. Ille vero, sed perperam (ni fallor) EGELWINVM. EGELRICVS itaque EDREDI successor, tertio post Episcopatum susceptum anno, cum & ex alia prouincia esset, & contra suorum voluntatem Episcopus designatus, ab illis ex ecclesia deturbatus est. Sed gratia atque potentia SIWARDI *Northumbriæ* Comitis restituitur. Inciderat ille, dum nouum templum apud *Cunecestriam* (quam corruptè *Cestriam* appellant) ædificat, in ingentem thesaurum. Quem, & alias res ecclesiæ secum exportans, abdicauit se, & ad cœnobium *Burgense* post decimum quintum administrationis suæ annum reuersus est. Qui regnante postea GVILIELMO *primo*, accusatus quod ecclesiam *Dunelmensem* expilasset; *Londinum* accersitus, custodiæque traditus ibi defunctus est. *Malmesburiensis* tradit eum accusatum quod piraticam fecisset, & in *Westmonasterium* quasi in exilium ablegatum; vbi acri atque accurata pœnitentia, continuisque ieiunijs, precibus, & vigilijs prioris vitę delicta expiasse traditur. Priusquam verò Episcopatum deposuisset, memorabilis res in hac diœcesi contigit. Presbyter enim quidam *Feocherus*, etiam post sacram initiationem parum pudicè viuens, consuetudinem nonnunquam cum vxore furtim habuit. Post cum diuinis mysterijs obeundis postridie se ingessisset, & iam sacram eucharistiam consecrasset, ventumque esset ad calicis communicationem; ecce tibi! vidit particulam illam, quę in calicem missa erat, cum ipso domini sanguine instar picis horribiliter nigrescentem. Ad quod spectaculum inhorruit, nec quid ageret, constituere secum poterat. Nec biberet, horror quidam prohibuit, & ex eo hausto periculum suæ vitæ timebat. Nec vero effunderet, consecrationis reuerentia deterruit. In his angustijs cum videret, quidquid ageret, vndique se periculosè irretitum, nec posse iudicium & manum Domini effugere; ingenti cum timore & tremore, quod in calice erat sumpsit. In quo hauriendo, tantam sensit amaritudinem, vt nihil amarius fingi, aut cogitari potuerit. Cum sacra itaque absoluisset, mox equum ascendens episcopum adijt, pedibusque eius prostratus, culpam suam, remque omnem vt

Anno 1048. lib. 3. c. 6.

Floril. Florentius Simeon. Dunel. & Marianus.

Sim. Dun. li. 3. c. 9.

De pontif.

accide-
rat.

Sim. Dun. li. 3. c. 10. acciderat narrauit, & per omnem postea vitam ab vxoris consortio abstinuit. Hæc author noster à presbytero quodam *Feocheri* filio, & a duobus *Dunelmensibus* monachis, qui tum erant Episcopo à sacris, se accepisse testatur. EGELRICVS verò ab Episcopatu abiens, *Tosty Northumbriæ* Comitis ope atque auxilio, EGELWINVM monachum germanumque suum sibi suffecit. Qui fratre suo nihil melior, nec à rebus ecclesiæ diripiendis & spoliandis abstinens, simili cum fratre calamitate inuoluitur. Dum enim cum rebus ecclesiæ aufugeret, & ANGLIAM prorsus deserere, *Coloniamque* nauigare cogitaret, tempestate in *Scotiam* reiectus est. Coit deinde in seditionem cum *Morcaro* Comite, & alijs contra GVILIELMVM *primum*, *Elienſi insula* occupata. Venit postea in GVILIELMI potestatem. Cuius iussu ABINGDONIAM perductus, & carcere ibi clausus, dolore & voluntaria fame periisse traditur. Et fortian quod de piratica EGELRICI tradit *Malmesburiensis*, nonad eum, sed ab hunc EGELWINVM pertinet.

Matth. Paris an. 1069. 1071. Polyd. lib. 9.

VIXIT *Dunelmi* ad hæc tempora pius quidam presbyter *Eifredus*, hancque ecclesiam sua pietate valde ornauit. Solebat singulis noctibus omnes *Dauidicos* psalmos orando percurrere, & cum campanæ sonitu reliquos ad nocturnas vigilias excitare. Pueros in ecclesiastico cantu, & lectione diligenter erudijt. Profusis pauperes, eleemosynis * iuuit. In colligendis Diuorum reliquijs officiosus, quas & inter * alias venerabilis BEDAE *Dunelmum* retulit. In diuum CVTHBERTVM colendum valde fuit propensus, Cuius ille crinem, de quo * diximus, qui nullum ab igne detrimentum patiebatur, habuit; & pro miraculo aduentantibus ostendere solebat: eiusque ille monitu multa fecisse, nec prædictionum dote caruisse dicitur. Cuius solius reuerentia EGELRICVM & EGELWINVM, vt ab ecclesia spolianda abstinerent, sæpe repressit. Post EGELWINVM GVALTERVS, siue WALTERVS sede potitur. Quem Rex omnibus tam politicis, quam ecclesiasticis in *Northumbria* negotijs præfecit. A quo eum quidam, illius comitatus dignitatem pecunia comparasse, tradunt. Apud quem in summa gratia & authoritate fuerunt *Gilbertus*, & *Leouinus*, vnus ex clero & Decanus *Dunelmensis*. Ab huius nutu res omnes ecclesiasticæ, ab illius profanæ omnes pendebant. *Leouinus Gilberti* opera vsus, *Liulfium* quemdam virum pium (cuius sapientiæ, doctrinæ, & pietati, propter quas apud Episcopum in pretio erat, liuore & inuidia excitus inuidebat) præter iuris rationem obtruncari curauit. Et licet Episcopus *Liulphi* cognatis, se pro iuris præscripto necem illius vindicaturum promitteret, tamen cum populus eos in Episcopi aula frequentes esse, pristinâque eius familiaritate vti, Episcopóque in ecclesia pro tribunali sedenti, *Gilbertum* & *Leouinum* assidere conspiceret; in illorum necem & internecionem præcipiti ira prorui. Egressus *Gilbertus*, vt saltem sua cæde Episcopi vitam redimeret, statim telis interceptus est, & mox etiam ipse Episcopus, cum ad populum pacificationis gratia, ramum manu præferens egressus esset: *Leouinus* cum ex ecclesia pedem mouere nollet, ipsam illi ecclesiã incenderunt. Quare semiustulatus ex ecclesia se proripuit, & mox à furente populo lanceis confossus interijt. Sunt qui asserant graues exactiones pecuniarum, quas à populo emungebat, & quæ hoc etiam in consessu exigebantur, magis populum aduersus Episcopum exacerbasse. Sæuitum est etiam in magnam *Lotharingorum* multitudinem, qui Episcopo (qui & ipse ex *Lotharingia* ortus erat) inseruierunt. *Simeon Dunelmensis*, Comitem quidem eum *Northumbriæ* factum, vt tam gladio, quam pontificia authoritate, parum erga Regem officiosos reprimeret; sed nihil de coëmptione Comitatus tradit, magnisque eum extollit encomijs: neque grauiùs quicquam in eo notat, quam quod in suis coërcendis, qui populo et ãt iniurij, cessator esset, atque ideo vt olim *Helium* quod in filios simili in causa nimis esset indulgens, illis, de quibus diximus pœnis irretitum.

Sim. Dun. li. 3. c. 13. 17.

Sim Dun li. 3. c. 7.

* al. inuabat.

* al. alia.

* al. egimus.

Gul. Malm. de pont. Matth. Par. an. 1075.

Matth Par. an. 1075.

FVIT ad hæc tempora *Ædulphus* quidam, & alter etiam hoc postea sæculo, qui cum pro mortuis censerentur, repente ad vitam redière, & multa admirabiliter de cœlestium beatitudine, deque inferorum pœnis, & alijs rebus retulisse dicuntur. Preces autem horariæ, quibus hactenus Canonici huius ecclesiæ vtebantur, propterea quod semper monachum Episcopum habuerant, erant ad hæc tempora id genus, quæ monachis præscribuntur. GVALTERVS ad eam precandi formam, qua Clerus vtitur, eos abduxit. At successor eius postquã ille quindecim annis sedisset GVILIELMVS non solum veterem precandi formã restituit: sed deturbatis inde Canonicis, monachos in eorum locum vt latius postea dicemus suffecit. Erat GVILIELMVS maxime apud RVFVM Regem gratiosus, & cui intima sua consilia committebat. Cui tamen malã postea gratiam referens, cum ODONE *Baiocensi* Regis patruo, & alijs, qui deturbato RVFO, ROBERTVM eius fratrẽ natu maiorem, ad regni gubernacula prouehere cogitabant; summa se ingratitudine coniunxit. Ceterũ compressa conspiratione, GVILIELMVS in exiliũ abijt. Sed post biennĩ, Principis indulgẽtia ad sedem reuocatur.

Simeon li 3. c. 13. li. 4. c. 9. Gul. Malm. de pont b. flor Sim. Dun. li. 3. ca. 18.

Ita

Ita tamen, vt licet cum omnibus rationibus omnique ingenio veniretur, & vt Polypus omni lapidi & colori, ita se omni facto, dicto, & nutui RVFI tabicelæ & seruiliter accommodaret: & ideo ad RVFI maiorem gratiam captandam, ANSELMO se præ ceteris infestissimum præbuisset; quamuis ea in re, vna quod dicitur fidelia duos dealbare parietes, & *Cantuariensem* etiam Archiepiscopatum sibi, electo ANSELMO lucrifacere cogitabat: nunquam tamen ad firmam & solidam Regis gratiam redire potuerat. GVILIELMVS iste in graui illa inter Regem RVFVM & ANSELMVM contentione, in qua RVFVS nihil sibi reliquit ad extremam diligentiam, qua ANSELMVM ad tuam voluntatem de VRBANI Pontificis *Romani* authoritate repudianda perduceret; Cum Rex omnia sua in ANSELMVM consilia perturbata & dissipata doleret, ad Regem adulat, & in summam eum spem conijcit, se curaturum vt ANSELMVS vel VRBANI authoritatem, vel suum certe Episcopatum, baculo & annulo Regi redditis, abijceret ac repudiaret.

Ex Eadmero in vita Anselmi & eiusmem exulatu Brenneo Gallico.

MIRVM quàm plausibilis hæc fuerit RVFO auditio, quantáque eum lætitia & spe impleuerit, cum confideret ANSELMVM, aut VRBANI authoritatem desugientem, atque exuentem, in summam totius populi offensionem, nominisque sui infamiam incursurum: aut si eum pertinacius amplecteretur, specioso quodam fuco, posse se ANSELMVM EX ANGLIA protrudere. * Quo quidem tempore ANSELMVS, cum a GVILIELMO, & alijs Episcopis, ac proceribus vehementer premeretur, vt totum se voluntati Regis daret, deliberandi moras petijsset: magna GVILIELMVS illum confidentia rursus aggreditur, & statim responsum expedire iubet, vtrum Regiæ voluntati cedere velit. Cum ille rursus causam in proximum diem reijci postularet; reuolat ocyus ad Regem GVILIELMVS, suadetque vt omnes ANSELMO deliberandi moras reuellat. Multique deinde proceribus comitatus reuertitur statim ad ANSELMVM, ita eum aggressus. Audi, audi inquit, ANSELME iustam Regis querelam. Tu eum exorti & egregia illa sua dignitate, dum *Romanum* Pontificem absque illius consensu, in ipsius ditione amplecteris, spoliasti; & interim callidè propagari tibi vis tempus, vt nouas causationes, quibus causam tuam in speciem probabilem reddere possis, comminiscaris. Scito itaque & Regis, & nostro omnium consensu, omnem tibi vel vnius diei prorogationem prorsus ereptam. Honorem & dignitatem Regis, quibus eum contra fidem religiosè interpositam priuasti, in integrum ante omnia reponito, tum de tempore, ad longiorem deliberationem proferendo, cogites. Nisi enim te actutum ad regiam voluntatem conieras, seuere aduersus te istam tuam perfidiam exequetur. Cui ANSELMVS, si quis sit vestrum, qui ideo me terreno Regi fidem imminuisse docere velit, quod sacrosanctam obtemperationem, quam Apostolicæ sedi debeo, abijcere nolim, prodeat, & mecum congrediatur. Et propitijs superis, paratum responsum inueniet, quod cum ratione, æquitate, fideque mea cohærebit.

* *al.* Quoniam vero Anselmus

GVILIELMVS & reliqui hoc responso quasi attoniti, quomodo se expedirent prorsus nesciebant. Iam enim, & quod prius non meminerant, & quod ANSELMVM repentina & importuna hac postulatione oppressum, in mentem reuocare non potuisse existimabant, satis intelligebant; eóque etiam ANSELMI responsum spectare. *Cantuariensis* videlicet Archiepiscopi, neminem præter *Romanum* Pontificem idoneum esse arbitrum & iudicem. Neque alio eum pro tribunali inuitum, actiones intentatas excipere cogi posse. Iamque tacitum populi aduersum se murmur, & ignominiose se à populo (vt diximus) notari, quòd ANSELMVM iniurioßius tractassent, percepere. Magna hæc Regem, cum ad eum essent delata, iracundia inflammabant, magna mœstitia obruebant. Adque GVILIELMVM & alios reuersos; En præclarum, inquit, & gloriosum, de quo vos confidenter venditastis, causæ exitum. Ibi GVLIELMVS, noctem imminentem fuisse sibi impedimento, & alia, nescio quæ, causatus, in crastinum causam differendam respondet. Colligemus, inquit, nos hac nocte & eras melius instructi, atque bene meditatis rationibus, vna aut alia ratione hominem irretitum tenebimus. Postridie concurrit Rex cum suis, & deliberat cum GVILIELMO præsertim, eumque, Ecquid illa nox subsidij, aut boni consilij peperisset, interrogat. Cui GVILIELMVS: fortiora & solidiora (inquit) sunt ANSELMI munimenta, quibus tuam tuetur causam; sacrarum videlicet scripturarum, & B. PETRI Apostoli authoritate, quam vt ea nos euertere, aut debilitare posse speremus. Alia, alia ratio incunda est. Et tum præclarum illum de vi ANSELMO adhibenda, eóque quem ratione flectere non poterant, quacumque ratione frangendo, indignã prorsus Episcopo orationem, quam alibi* attingimus, ingressus est. Sed hęc iam, quę ad ANSELMVM pertinent, vt reliqua absoluã dimitto. Verum enim vero neque his artibus, neque vllo alio obsequio

* *al.* attigimus

integram & solidam, vt dixi, Regis gratiam potuit vnquam emereri. Quare cum in Regis offensionem apud *Gloecestriã* postea incidisset, euocatusque Regis mandato, vt liti aduersus eum intentatæ adesset, respondisset, per valetudinem se impediri, ne causæ se cognitioni sisteret: Pervultum de *Luca*, inquit Rex (hoc enim erat vsitatum RVFI iuramentum) ægritudinem egregiè simulat. At mors sequens (in quam, mœrore maximè animi, incurrisse iudicatur) simulationis omnem suspicionem sustulit. Etsi vero propter illam contra ANSELMVM infestationem, & contra Regem coitionem multum sibi de sua laude detraxerit; fuit nihilominus multis egregijs dotibus ornatus. In flore ætatis fuerat vnus ex Clero *Buocensis* ecclesiæ. Monasticæ deinde vitæ in cœnobio diui *Karilefi* initiatus, eam vitam tam grauiter, & industriè exercuit, vt proximum tandem ab Abbate locum obtineret. *Malmesburiensis* Abbatem eius cœnobij fuisse dicit. Sed *Simeon* non illius, sed vicini diui *Vincentij* martyris. Literis tam humanis, quàm diuinis eleganter excultus fuit, vir optimè moratus, magna ingenij acrimonia, & singulari facundia, memoria ad omnium admirationem tenacissima. Quæ & reliquæ eius dotes, summáque in rebus dextrè obeundis industria, cum ita GVLIELMO *primo* commendarunt, vt eius consilio atque opera, in multis & magnis rebus sit vsus. Propter quas dotes non illi modo, sed & *Francorum* Regi atque summo Pontifici gratus, & charus fuit. Qui eum eloquenter, & sapienter de rebus differentem attentè, & cum voluptate audiebant. Cum autem ab ecclesia sua, propter Regis & regni negotia abesset, dolenter id ferre visus est; & monachos, quos *Dunelmi* posuit, per literas ad officium excitabat. Obijt *Windesoriæ*, vt *Simeon* ait, & non *Gloecestriæ*, post decimum quintum muneris sui annum. Quem ægrotantem WALCHERIVS *Wintonien sis*, IOANNES *Bathonien sis*, THOMAS *Eboracen sis*, & ANSELMVS *Cantuarien sis* inuisere. Cumque paucis ante obitum horis, Episcopi de loco sepulturæ inter se conferrent, & in templo diui CVTHBERTI humandum iudicarent, hanc ille eorum deliberationem audiens; Absit, absit, inquit, vt consuetudo quæ hactenus inoleuit, ne quisquam mortuus in idem cum diuo CVTHBERTO templum inferretur, per me soluatur. Delatum est demortui corpus *Dunelmum*, magnóque cum exequiarum honore, monachorúmque luctu, in capitulo, vt appellant, humatum. Magnificum ille *Dunelmi* templum inchoauit, sed non absoluit; cœnobiúmque libris, & ecclesiasticis ornamentis, ornauit.

Sim. Dunelm. lib. 4. cap. 1.

GVLIELMO, post quatuor annos, GVLIELMVS *Rufus* RANVLPHVM substituit qui ei fuit à sacris; dignum certe patella operculum: qui currenti RVFO ad omnia scelera, calcaria tamen addebat. Qui ad omnes illius cupiditates & spoliationes, tam Cleri quàm populi, & ad dignitatum, de qua dixi, ecclesiasticarum, publicam quasi auctionem facem prætendebat. Si quando edictum à Rege de certo tributo exoluendo manasset; is arte & impressione sua duplum emungebat. Viduatas Abbatias & Episcopatus, grandi quadam pecunia Regi quotannis repræsentata, contra canones & sacerdotij sui dignitatem inuasit. Pro suo arbitratu, de omnibus regni negotijs statuebat. Aliis possessiones, aliis pecunias, per fas & nefas extorsit. Quæ res cum inuidiosum apud omnium ordinum homines fecit. Cumque multis apud Regem accusationibus impeteretur, nec [illegible]s aurem ille daret; *Giraldus* quidam cum aliis in necem eius conspirauit. Callido itaque consilio vsus, venit ad eum, simulans se missum à MAVRITIO *Londinen si* Episcopo periculosè ægrotante, quódque vehementer illius colloquium expeteret. Et ne qua sit in veniendo mora, misisse MAVRITIVM in ripa *Tamesis* commorantem cimbam suam, in quam RANVLPHVM ingressum, *Giraldus* in altum mare duxit, & in nauim armatis hominibus oppletam imposuit. Iamque de illius nece consultabatur. Quod negotium datum est duobus ex nautis, recepturis in sceleris mercedem pretiosas vestes, quibus induebatur. Sed cum illi forte de partitione illarum non conuenirent, cædes in proximum diem delata est. Exorta interim immani tempestate, omnes de vita periclitabantur, & sedata tempestate, cuiusdam ope, qui post *Giraldum* præcipuus erat, RANVLPHVS tandem in terram expositus ad Regem redit. *Giraldus* in voluntarium exilium abiit. Rex vero RANVLPHVM in deliciis magis quam antea habuit, & ingenium eius suis vsibus tam accommodum, licet ad summam Reipublicæ perniciem, & summam RANVLPHI inuidiam atque odium, laudabat, & *Dunelmen si* eum tandem Episcopatu amplificabat. Mortuo RVFO & HENRICO succedente, in *turrim Londinen sem* ab eo coniectus est. Vnde postea noctu aufugit, & per literas ROBERTVM in fratrem HENRICVM concitauit, à quo *Luxonien si* Episcopatu donatus est. Qui postea cum exercitu ANGLIAM inuasit. Sed pacificatione deinde inita inter Regem & ROBERTVM, permansit in Episcopatu, ad annum Christi a millesimum centesimum vigesimum octauum: vtque Regis gratiam firmius conciliaret, eorumque

Polid. li. 11.

a *Matth. Par. & Vlor. an. 1129. Sim. Dun. 1129.*

rumque qui apud regem intimi erant, multa effudit, & graui ecclesiam suam exactione premebat: quam tamen nunquam potuit solide recuperare. Cui ad *Remensem* synodum ad annum Christi * millesimum centesimum decimum nonum proficiscenti, [a] *Henricus* Rex mandauit vt initiationem THVRSTINI, quoad poterat, impediret. Sed ille, ante ipsius & aliorum, vt diximus, Episcoporum aduentum initiatus erat. Triennio post reditum, castellum illud apud ripam *Tweedi* fluminis inchoauit. Construxit & insignem pontem ad *Wiri* fluminis ripas. Qui & his, de quibus dixi, vitijs fuit contaminatus, & inde etiam notatus, quod reos ab ecclesia *Dunelmensi*, quod nemo vnquam prius audebat, abripere ausus sit. Quo pontificatum administrante, diui CVTHBERTI mausoleo aperto, corpus cum ipsis vestibus, solidum, integrum & incorruptum repertum fuit, de qua re antea diximus.

* al. 1119.
[a] Sim. Dunel.
Matth. Par.

De monastica disciplina Dunelmi, *& alibi in hac diœcesi reparata.*

CAPVT XXIX

VASTATA & misere exhausta per *Dacos*, inter ceteras, & cum primis hæc prouincia, monachisque *Lindisfarnensibus* semel atque iterum ad internecionem, vt diximus, cæsis, & euersis vbique per eos cœnobijs, neque hactenus propter continuatas *Dacorum* infestationes reparatis; nulli aut valde rari, iam conspiciebantur monasticæ vitæ cultores; quanquam nunquam defuere duo vel tres ex illo genere, qui ad incorruptum diui CVTHBERTI corpus assidebant. Hoc autem demum sæculo, hoc genus vitæ, idque hac occasione in hac prouincia excoli cœpit. Prius quidam apud *Mercios* in *Winchelcumbensi* cœnobio monachus *Aldunus*, cum ex lectione intelligeret, quàm olim apud *Northumbros* monastica religio floruisset, & quam iam misere oppressa atque extincta iaceret; non modo tantæ destitutioni & desolationi indoluit, sed & quo modo religionem laptam reficeret atque erigeret, diligenter secum cogitauit. Et tandem in eam regionem, ob illam restaurandam profici deliberauit. Profectus itaque est cum *Elfwino*, Diacono, qui postea sacerdotio initiatus est, & *Rainfredo* (viro quidem pio, sed litterarum experti) monachis *Eueshamensibus*. Quorum proprositum cum WALCHERVS *Dunelmensis* Episcopus intellexisset, amplexatus est, & quantum potuit promouit. Visebantur adhuc quædam reliquiæ *Girwensis* cœnobij. Soli parietes stabant, reliqua directa. Reparato itaque, licet tenuiter, ex rudi & agresti materia hoc cœnobio, hic primum incolere cœpere. Et quia prius in suis cœnobijs, rebus omnibus ad vitam idoneis atque opportunis affluebant; duram & asperam hic vitam in summa rerum inopia transigebant. In his tamen rerum angustijs, pietas & virtus eorum, aliquos ex hac prouincia ad æmulationem excitarunt. Sed multo plures ex meridionalibus ANGLIÆ regionibus, fama ALDVNI commoti, ad eum confluxere. Mundum enim ille & terrestria prorsus contempsit. Animo fuit humili & submisso, & quod exterius veste profitebatur, id rebus ipse præstabat: aduersa tolleranter & equanimiter ferebat, rebus prosperis nunquam elatus. Prompto & acuto ingenio fuit, in dandis consilijs prudens, in omni actione & sermone grauis & constans, erga eos, qui miti & tractabili erant ingenio, benignus, erga obstinatos & prefractos, durus & rigidus iustitiæ cultor. Rebus & meditationibus cœlestibus totus afficiebatur & affigebatur. Discessit postea à *Girwio*, & *Elfwinum* ibi reliquit.

Sim. Dunel. lib. 3. cap. 11. & 12. li. 4. ca 48. & 9.

RAINFREDVS vero ad *Streneshall* siue *Whitbi* secessit, monachósque ibi collegit, qui postea *Eboracum* transmigrarunt, eisque *Stephanus*, de quo diximus, præfuit. Diuertit vero *Aldunus* cum *Turgoto*, qui vnus erat ex Clero, ad cœnobium *Mailrosense*; vnde per *Walcherum* Episcopum reuocatus est, & *Wiremutham* nutritiam olim *Bedæ* sedem, penitus iam deformatam incoluit; agresti & inculta ædificatione vtcunque reparatam. Quo loci, cum monachorum societas inciperet crebrescere, WALCHERVS possessionibus cœnobium auxit, quibus accessionem adiecit GVILIELMVS Episcopus. Atque hæc restauratio post ducentesimum & amplius annum occœpta est à cœnobij per *Dacos* euersione. VVALCHERVS deinde cogitauit monachos DVNELMI, ad incontaminatũ diui CVTHBERTI corpus ponere. quin & ipse monasticen profiteri. Iamque occœperat ædificationem, huic suo proposito opportunam; sed mors eum prius occupauit, quàm cogitationes suas, atque ædificia illa absolueret. Quæ GVILIELMVS successor eius consummauit, & euerso templo, quod priùs ibi erat positum, aliud longe magnificentius reposuit, monachósque (cuiusmodi semper fuere

in *Lindisfarnensi* ecclesia, ante *Dacorum* irruptionem) pro Canonicis induxit, cum prius rem Regi GVILIELMO *primo*, & LANFRANCO communicasset. A quibus ad summum pontificem illius rei gratia missus est. Cuius suasu & authoritate monachos, qui erant apud *Girtuum* & *Wiremutham*, *Dunelmum* transtulit; Canonici, qui monasticen recusabant (quam omnes vno excepto recusarunt) electi sunt. Huic societati *Aldunus* præfectus est. Atque hæc ita contigere anno trecentesimo nonagesimo septimo à diui CVTHBERTI obitu, & octuagesimo nono, postquam illibatæ illius reliquiæ *Dunelmum* sunt traductæ, & decimo quo *Aldunus* in prouinciam illam venit. Quarto deinde anno *Aldunus* ex mortali hac vita ad superos abijt.

Ioan. Leland.

PROXIMVS post eum præses fuit *Turgotus* vir magna doctrina & pietate, & in magna apud MALCOLMVM *Scotorum* Regem, eiusque vxorem MARGARITAM gratia positus. Apud quem diu ecclesiastica confessione peccata sua expiabant. Quorum etiam opera diui ANDREE in *Scotia* Episcopus est creatus, & à THOMA *Eboracensi*, vt dixi, consecratus, post triginta annos ab eo tempore quo monasticam vitam *Wiremuthæ* cui tum cœnobio *Aldunus* præfuit, ingressus fuerat. Scriptis quibusdam memoriam suam posteritati commendauit. Inter quæ vita est MALCOMI & MARGARITAE commemoratæ, quam summa fide, nec tam auritus quam occulatus testis conscripsit. *Turgotum* vero, cum esset monachorum *Dunelmi* præses, & eius successores ea prærogatiua GVLIELMVS Episcopus ornauit, vt per totam diœcesim Archidiaconi locum obtineret, & verbum Dei apud populum vbique disseminaret. Quod non sine authoritate atque exemplo fecisse creditur. Nam & BOSILVS, & post eum diuus CVTHBERTVS, cum essent cœnobij præpositi, ad concionandum solebant in vicinam regionem excurrere. Sed successor *Ranulphus*, post *Turgoti* abitionem hanc Priori prærogatiuam ademit. Obijt autem *Dunelmi* ad annum Christi millesimum centesimum decimum quintum. Ad GVILIELMI *primi* tempora *Northumbriæ* Comes fuit *Gualterus* nobilissimi illius comitis *Siwardi*, quem *Daci* ob preclara stratagemata *digera*, id est fortem appellabant, filius. Cæsus est à GVILIELMO quasi seditionis, in quam *Rodulphus Cantabrigiæ*, & *Rogerus Herfordiæ* Comites coierant conscius. Cui ille quidem, cum de ea prima mentio iniceretur, summis magis labijs, & repentino magis animi æstu, dum in conuiuio incalesceret, quàm certo animi iudicio consensisse creditur. Neque se ille certe postea illi immiscuit, sed pœnitentia captus, rem mox ad LANFRANCVM, *Cantuariensem*, & deinde illius suasu, ad Regem, in *Normanniam* profectus, detulit. Vtcunque sit, cum in vinculis esset, acerrimam iciunijs, vigilijs, atque profusis eleemosynis pœnitentiam egisse, imo & post mortem, si illius temporis, & sequentibus scriptoribus credendum sit, miraculis claruisse traditur. Corpus eius ignominiosè extra portas ciuitatis *Vintoniæ* humatum, postea honorifice ad cœnobium *Crolandiæ* deportatum est. LANFRANCVS certò contestari solitus est, beatum se futurum, si eadem, quam iam *Gualterus* frueretur felicitate, potiri sibi aliquando liceret. Magna fuit cum WALTERO *Dunelmensi*, de quo diximus, amicitia & familiaritate coniunctus. Quem etiam in synodo, vt secum assideret, sæpe sibi adhibuit. In qua, quicquid sancitum erat ab Episcopo & presbyteris, diligenter ille quidem exequebatur.

Sim Dun. lib. 4. cap. 8. Gul Malm. de gest.

Vide Gul Mal. de gest. li 4 vbi de morb Crolandiæ, & decret. lib. cap 26 Sim. Dun. Hariau. in chron. an 1075.

Sim. Dunel in Chron. an. 1071.

De

De Episcopis & rebus Cambriæ.

CAPVT XXX.

DE Episcopis & rebus *Cambriæ* hoc sæculo, nihil fere reperio nostro scopo accommodum. Reperio WILFRIDVM *Menevensem* Episcopum sacris, ob iustas causas, per ANSELMVM abstentum; qui postea ad annum Christi millesimum nonagesimum quintum dignitate se abdicauit. Fuit & presbyter quidam *Chenredus* in *Cambria*, cui tradunt & oculum effossum, & linguam recisam, in graui illa vastatione, quam regnante RVFO, *Hugo Salopiæ*, & alter *Hugo Cestriæ*, Comites, *Cambriæ* intulerunt; *Chenredum* tamen nihilominus expeditè, non minus quàm ante loquutum.

In commentario Chron. Gallicæ.

Sim. Dunel. in Chron. & polit. ann. 1098.

HISTO.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ ANGLICANÆ DVODECIMVM SÆCVLVM.

DE ROMANIS PONTIFICIBVS, IMPERATORIBVS, & ANGLIÆ hoc sæculo Regibus.

CAPVT PRIMVM.

Ex Platina & Onuphrio.

ECCLESIAE hoc sæculo principatum PASCHALIS *secundus*, GELASIVS *secundus*, GREGORIVS *octauus* antipapa, qui se abdicare coactus est, CALISTVS *secundus*, HONORIVS *secundus*, INNOCENTIVS *secundus*, CELESTINVS *secundus*, LVCIVS *secundus*, EVGENIVS *tertius*, ANASTASIVS *quartus*, HADRIANVS *quartus*, ALEXANDER *tertius*, LVCIVS *tertius*, VRBANVS *tertius*, CLEMENS *tertius*, CELESTINVS *tertius*, gessere. Sub quibus celebres, & numerosæ synodi quædam habitæ; tres præsertim sub PASCHALI *secundo Romæ*, apud *Lateranum*, quarta & quinta omnium maximæ, CALIXTO *secundo*, & ALEXANDRO *tertio*, sedentibus in eo magistratu. HONORIO verò administrante, in ecclesia *Romana* schisma excitatum est. HADRIANVS, ANGLVS fuit. Cuius nos res gestas exquisitius tractabimus, & in proximum caput seorsim congeremus. Imperio interim *Romano* præfuêre *Henricus quartus*, *Henricus quintus*, *Lotharius*, *Conradus*, *Fridericus*, *Henricus sextus*; ANGLIAE verò HENRICVS *primus*, STEPHANVS, HENRICVS *secundus*, RICHARDVS *primus*.

De HADRIANO quarto Romano *Pontifice.*

CAPVT II.

NATVS est in eo terrarum tractu, qui in ANGLIA diui ALBANI cœnobio subijcitur, ex patre valdè tenui & obscuro, qui monachorum se in dicto cœnobio societati, infante adhuc filio, adiunxit. Cui iam adultiori cum pater sumptus ad studia literaria suppeditare nequiret, nec aliunde suppeterent, totus ex eleemosyna cœnobii pendebat. Quod cum patrem pudore simul & dolore totum expleret, actionibus verbis desidem & ignauum adolescentem incessens, à se indignabundè protrusit. In hac adolescens destitutione, summis rerum angustiis industriam eius, vt fit, acuentibus, re priùs secum bene subducta, pudoréque domesticæ mendicationis suffusus; in *Galliam*, fortunam aliquam sibi commodam expiscaturus, & in prouinciam trans *Rhodanum* proficiscitur: hæsitque in cœnobio diui RVFI Canonicorum, quos vocant Regulatium, vt vitę aliquod subsidium inueniret. Qui cùm iniuncta sibi munera strenuè obiret, & quibus quemque posset officiis sibi demereretur, commendarétque eum præterea ingenii, & corporis elegantia: omnium in se amorem studiáque vertit, adeò, vt vltro rogarent eum, vt ipsorum societati ascribi se pateretur. Quibus cùm non ægrè consensisset, & disciplinæ monasticæ exactæ obseruationi, acre eloquentiæ, sacrarúmque literarum, aliarumque disciplinarum studium adiunxisset; in tam flagranti deinde omnium gratia positus est, vt demortuo Abbate, eum potissimum, licèt exoticæ gentis hominem, sufficerent. At, nescio quibus po-

ste-

stea de causis, non modò veterem illam erga eum beneuolentiam, sed & debitam præsidi obseruantiam adeò deposuerunt, vt graues infestasque cum eo simultates exercuerint. Quæ vsque adeo grassatæ sunt, vt omnem iam lapidem mouerent, quo illius, quem sibi vltrò impossuerunt, præfecturam exturberent. Magnisque, sed commenticijs, adiectis cum criminationibus, apud *Romanum* Pontificem obtrectare euertereque studuerunt. Sed omnem hunc ille motum suis adhortationibus pacificauit, & in mutuam eos gratiam reconciliatos dimisit. Sed ea mox post reuersionem desiluit. Nouam igitur, nouis criminationibus, Pontifici molestiam facessunt. Qui cum videret, nullam inter eos firmam & solidam pacem coaliturum, hominémque ex dotibus, quas in eo perspiciebat, maiori functioni idoneum, atque accommodum; retinuit eum apud se, renunciatque accusatoribus integrum iam sibi fore, vt alium, quem velint, sibi præfectum asciscant. Magnóque deinde Pontifex studio in *Nicolaum* ornandum (*Nicolaus* enim erat Christianum illius nomen) amore studióque propendit. *Albanenſi* cum (siue id in cœnobij diui ALBANI, in cuius territorio, vt diximus, natus erat: siue in BRITANNIAE, quæ olim *Albion* dicta est, memoriam fecerit, nescio) Episcopatu, & Cardinalicea dignitate honestauit. Amandauit eum deinde, cum summæ potestatis amplitudine, Legatum in *Daciam* & *Norwegiam*. Per quem quidam *Norwegios*, ad Christi fidem traductos tradunt. Sed *Norwegy* Christum iam prius induerant, & alio legatio eius spectabat, si *Saxonem* sequamur. In cuius ego narratione pronius acquiesco: fuerat enim ante hæc tempora non modo *Dacia & Suecia*, sed & *Norwegia* Christianis sacris imbuta. Et regnante quidem *Edrico*, qui *Olaum* excepit, omnes hæ nationes *Hamburgensem* in *Saxonia* Archiepiscopum, vt primarium suum sacerdotem, & Pontificem agnoscebant. Quo honore, Regis huius opera, *Ludenſis* sedes per *Romani* Pontificis Legatum ornata est. Quam, vt maximi in illis regionibus sacerdotij sedem, religionisque magistram, non solum *Dacia*, sed & *Suecia* atque *Norwegia* agnoscere, & religiosè colere iussa est.

Platina.

Lib. 14 Hist. Dan. pag. 1. 9. & lib. 12 pag. 189

SVENONE deinde *Daciæ* imperante, *Nicolaus* in *Norwegiam* ab *Eugenio* legatus est. Qui *Norwegiam* proprio primum Archiepiscopo insigniuit. Quo beneficio cum & *Suecos* ornare, & cetera, quæ eo pertinerent, conficere cogitaret: cogitationes perficere non potuit, propter *Suecorum* & *Gothorum* dissensiones. Perfecit tamen postea, cum ad summum Pontificatum prouectus fuisset. Reuersus enim *Romam*, ANASTASIO postea defuncto, substitutus est; & pro *Nicolao* HADRIANI sibi nomen adoptauit. *Romani* id temporis ex *Platina.* eluso Pontifice, sibi liberam ciuitatis administrationem arrogabant: Contulerque quosdam ad eam obeundam subrogarant. Alebat & incendebat omnium maxime hanc dissensionem & discordiam, *Arnaldus* quidam *Brixianus*, qui (præter alios, quos in vulgus spargebat errores) & hunc pertinaciter asserebat: *Romanum* Pontificem ad ciuilem functionem, quæ ad eum non pertineret, & cuius capax ex Christi institutis non erat, irrupisse. Eam igitur illi detrahendam. Has ille cum passim in vrbe voces iactaret, ab EVGENIO prædecessore HADRIANI, erroris & hæreseos nota aspergitur. Cumque HADRIANVM populus rogaret, vt ad *Lateranum* consecrationis ergo veniret, ille prorsus recusauit, nisi *Arnaldo* vrbe prius deturbato, venire. In offensionem populi mox venit, adeo vt sibi non temperaret ad vlciscendum ardens. Cardinalem sanctæ PVDENTIANAE forte in via publica occurrentem, palam violare, & vulneribus cruentare. Diris mox populum HADRIANVS deuouit. Quæ res efferatos eorum animos ita molliuit, vt & *Arnaldum* extruderent, & Consulibus magistratu cedentibus, summa rerum Pontifici de more permitteretur. Graues ille cum GVILIELMO Rege *Siciliæ*, & FRIDERICO *Augusto*, contentiones habuit. GVILIELMVS cum possessiones ecclesiæ perturbare, vastare, & occupare non cessaret; Pontifex omnes, qui illi parebant, à iurisiurandi religione, qua illi astringebantur, exemit. Et pacificatione tandem inita, vtriusque regni tam citra quam vltra pharum positi, insigniuit titulo; religiosa prius cautione præstita, quod à perturbandis & violandis deinceps ecclesiæ possessionibus, omnique erga eum iniuria abstineret. FRIDERICO, cum multas ille ecclesiæ possessiones vi occuparet, se HADRIANVS opposuit. Sed cum se illius potentiæ imparem videret, pacem cum illo iniit, eumque postea Romæ imperiali diademate cinxit. Quo tempore cum *Romanus* populus grauem aduersus *Teutonicos* tumultum cieret, immisso exercitu magnam FRIDERICVS stragem edidit, multosque cepit. Quos tamen Pontificis rogatu dimisit. Sed ista cum *Friderico* per eum inita pacificatio, non diu integra atque inconuulsa constitit. Quam grauis de inuestitura Episcoporum, quam ad

Platina.

se contra ecclesiæ canones FRIDERICVS trahebat, contentio abrupit. Quare ex questus est per literas HADRIANVS, & quod præter veterem morem, atque obseruantiam PETRI sedi hactenus tributam, in suis literis suum Pontificis nomini prætulisset. Legatos præterea Pontificis (nisi quos ipse euocasset) in *Germaniam* venire non est passus. Ex his & alijs causis, quódque ecclesiæ possessiones occupare non cessaret, FRIDERICVM HADRIANVS anathemate confixit. Obijt deinde apud *Anagniam*, quinto Pontificatus anno.

IOANNES *Carnotensis* Episcopus, *Saresberiæ* natus, de quo postea agemus, cum ad eam diœcesim ventum erit; erat in magna apud HADRIANVM gratia, & sanè quàm familiariter apud eum versabatur, magnáque apud eum dicendi libertate vti solebat. Ad quam tamen cum HADRIANVS prouocare solitus est, & præcipere, vt quid de se, deque *Romana* ecclesia populus diceret, bona fide sinceréque referret. Ille verò, nihil circuitione vsus, non modò reliqui *Romani* Cleri, sed & ipsius Pontificis vitia, quidque populari & disperso sermone, de ipso alijsque *Romanis* ferebatur, multáque, de quibus male audiebant, in medium protulit. Quos etsi meritò multorum sermonibus vapulare diceret, non potuit tamen negare, quin aliquot ex *Romano* Clero, insigni probitate eminerent, & inter alios *Bernardus* Cardinalis cum Episcopo *Prænestino*. Hanc in dicendo libertatem adeo non ægre tulit HADRIANVS, vt potius arriserit, & *Ioannem* rogarit, vt si quid sinistri de se *ac *Romana* ecclesia in vulgo spargi audiret, id quam primum renunciaret. Multáque ille cum *Ioanne* disseruit, quibus partim suam culpam agnoscebat, partim se purgabat; inter alia apologum illum, quo cetera membra aduersus stomachum seditiosè conspirabant, quasi ille iners & otiosus reliquorum membrorum omnium labores deuoraret; ad suam & ceterorum principum purgationem, scitè & commodè adhibebat. Solebat HADRIANVS dicere, nullius hominis conditionem, cum maiore miseria coniunctam, quàm *Romani* Pontificis: tantamque esse dicebat, oneris & functionis ipsius magnitudinem, vt illi, si nihil aliud aliunde vrgeret, succumbere necesse haberet. Se nullos placidos & tranquillos dies, postquam monasticam illam vitam, in qua apud beatum RVFVM versatus est, deseruerat, duxisse; & nouas semper, cum nouarum dignitatum accessione, accumulatas molestias. Sed præcedentis vitæ vniuersas, modicas aut nullas fuisse, præ vt fuerunt, quas Pontificatus iste dedit. Successit autem HADRIANVS, non vt quidam scribit, EYGENIO, sed Anastasio, vt diximus, qui EVGENIVM excepit. Magnifice verò EVGENIVS iste de ANGLIS sentiebat, quos dicebat, ad quamcumque rem, animum applicarent, esse præ alijs aptissimos & dexterrimos, nisi quod leuitas nonnumquam ipsorum actiones deformaret. Ad hunc HADRIANVM HENRICVS Rex ANGLIAE litteras scripsit, vt sibi bona cum illius venia & voluntate, *Hiberniam* armis subijcere, eamque ab agresti illa, ad magis ciuilem vitam, institutáque ecclesiæ, à quibus illa immane quantum recesserat, reuocare liceret.

* *Vide Ioan Saresb li 6 dem gis curialium. ca. 2.*

* *alias &.*

Idem lib. 2. c. 13.

Saxo Grammaticus.

Idem lib. 6. f. 19.

De

De HENRICO *primo*, & MATHILDE *vxore eius.*

CAPVT III.

EFVNCTO absque liberis RVFO, principum virorum in ANGLIA animi, in quem potissimum successorem inclinarent, aliquamdiu pendebant. Sed diligentia, sollicitudo, & variè, omnibúsque gratissimè HENRICI promissiones, facile hanc omnium ad eum animos, suffragiáque conuertére. Pollicitus est enim se regnum ANGLIAE, ecclesiamque cum primis in veterem libertatem & consuetudinem, legésque illas diui EDOVARDI populo admodum plausibiles (antiquatis & abolitis prauis illis fratris, & patris legibus atque consuetudinibus) primo quoque tempore repositurum. Hæc aliaque id genus illius verba, religiosa præsertim iurisiurandi contestatione confirmata, tam iucunde omnium auribus animisque illabebantur, vt relicto maiore natu fratre ROBERTO (qui adhuc ex Hierosolymitana profectione non erat reuersus) omnium tam Cleri quam populi vota, promptissimis in eum suffragijs confluerent. Diadema capiti eius imposuit MAVRICIVS *Londinensis* Episcopus, quasi omnium ANGLIAE Episcoporum vt appellant, Decanus, sine præiudicio *Cantuariensis* ecclesiæ, vt diserte ex scripto testatus est. ANSELMVS enim adhuc in exilio manebat. HENRICVS mox edicta publica promulgauit, quibus contestabatur, se ecclesias Dei in antiquam liberamque conditionem restituere, nec velle se eas aut venditioni, aut locationi exponere. Nolle se, defunctis Episcopis aut Abbatibus, quicquam sibi ex prouentibus intermedijs decerpere. Nolle se supremas tabulas hominum conuellere, aut infringere: liberum futurum, cum suprema sua ordinent, stilum; liberum quod iterum non redit arbitrium. Sin quisquam repentino fato, antequam supremas tabulas ordinet, abripiatur; fas & liberum fore vxori, liberis, aut parentibus, eam bonorum defuncti distribuendorum rationem inire, quæ animæ defuncti maxime esset fructuosa. Et in ciuilibus quoque causis multa in hoc edicto, ad summam iuris æquabilis, rationisque æquitatem temperata sunt. Amandauit quoque nuntios in *Gallium* qui ANSELMVM domum reuocarent, suóque & procerum nomine dicerent, omnia in illius voluntatem & arbitrium post reditum conferenda. Sed tamen reuersus ANSELMVS inuersam rerum scenam offendit, nouisque ille molestijs lacessitus est. De quibus suo loco dicemus.

Matt. Hunt. Polichron. Florent. Wigorn. Chron. addit. Æbredus. Rhina Sim. Dun. Oxon.

HENRICVS interim de matrimonio incundo cogitat, cogitationesque suas cum consiliarijs suis communicat. Reque maturè deliberata, MATHILDIS EDGARI *Scotorum* Regis sororem, præ ceteris omnibus delecta est. Matrimonium illud cum ob alias causas, tum maximè propter præclaras Virginis dotes & virtutes, & quod regio non modo *Scotorum*, sed & ANGLORVM sanguine illustris esset (erat enim diui EDOVARDI Regis abneptis) Regi & regno ANGLIAE oppido quam accommodum videbatur. Et quemadmodum eiusdem Regis prædictiones, de regni immutatione, grauique seruitute, qua ex aspera & immiti vtriusque GVILIELMI dominatione ita premebatur, vt iam quasi vitio & opprobrio verteretur. ANGLORVM nomen, finem quodammodo; sic & alia eius prædictio, sed magis fausta & melioris ominis, ex hoc matrimonio initium suum habere visa est. Paulo enim antequam mortem obiret, cum iam ex magnitudine morbi linguæ vsu spoliatus fuisset, biduóque fere exanimis iacuisset; repente in quædam verba prorupit. Quibus significauit, & ANGLORVM imperium exterminandum, & in exteros transferendum, & graui seruitutis iugo propter Cleri populique peccata premendum; & huic malo non prius finem imponendum, quàm arbor viridis à sua radice, ad trium vsque iugerum spatium conuulsa, radici truncóque veteri rursus insita, de nouo vireret, floreret, & gemmaret, fructuque etiam ornata foret. Quod ænigma cum ille aliter non explicuerit, multorumque propterea ingenia diu torserit; ipse tamen rerum temporumque euentus & decursus, faciliorem & * illustrem illius explicationē & enodationem posteris reddidit. Qui in eum fere omnes conueniunt sensum, vt nihil nobis arbor ista aliud representet & referat, quam regnum ANGLIAE gloria, diuitijs, regia dignitate florescens: radix vero regium semen, vnde omnis iste honor emanauit, & quod hunc honorē sustinuit. Quod ab ALVREDO in EDOVARDVM de quo loquimur, defluxit. Hæc arbor altissimis radicibus defixa, labefactata tamen & loco mota, cum

* *lege* illustriorem.

regium semen ad externum,& peregrinum sanguinem traductum est. Trium vero iugerum spacio, id est, trium Regum, HARALDI, & vtriusque videlicet GVILIELMI, temporibus abstracta & auulsa est. Coaluit vero, & coagmentata est in veterem stipitem, & radici rursus inserta atque indita, propter hanc thori coniugalis cum MATHILDE, societatem& coniunctionem. In qua & nouum *Normannorum*, & veterum ANGLORVM regium semen simul commixtum est.

FLORVIT & germinauit hæc arbor in MATHILDE hac, sed maturum suum fructum effudit in filio ipsius Rege HENRICO *secundo*, cum non solum Abbatibus, Episcopis & Principibus, qui ex ANGLIS genus ducebant (cuiusmodi homines tempore *Normannorum* aut nulli, aut rari erant) sed & Rege (quod ab obitu Regis EDOVARDI & cæde HARALDI non prius contigit) qui ab ANGLIS originem suam genusque traheret, feliciter ornaretur. MATHILDIS itaque ista HENRICI vxor, matrem habuit sanctissimam feminam MARGARETAM, sororem EDGARI *Athelingy*, de quo commemorauimus, MALCOLMI Regis *Scotiæ* vxorem: habuit sororem CHRISTIANAM, quæ Christo desponsa est. EDGARVS vero & MARGARETA ab EDOVARDO filio EDMVNDI, (quem *ferreum latus* appellant) nati sunt. EDMVNDVS vero EDOVARDI Regis, licet ex alia matre, frater erat. Nec degenerauit MATHILDIS à materna pietate, cuius vnum illustre specimen subijciemus. Frater eius DAVID, qui postea Rex *Scotiæ* creatus est, cum admodum adolescens in Curia Regis HENRICI versaretur, ad cubiculum sororis aliquando accessit. Quod hominibus ex lepra laborantibus refertum, sororémque Reginam illis immixtam, regijsque vestibus depositis, lintheo præcinctam, aqua ex pelui prope posita desumpta, pedes eorum abluentem, deinde & abstergentem, abstersósque magna pietate suauiantem reperit. Consternatus ille ex facti insolentia, & quali horrore quodam propter morbi fœditatem & contagionem concussus, Quid agis, inquit, soror? Quo modo deinceps audebis labia ista tua, tam turpiter contaminata & inquinata, Regis & mariti tui labijs admouere? Nunquam ille certè, si hos tuos mores resciuerit, osculum sibi à te infigi patietur. Cui illa subridens: Immo, inquit, quis ignorat sempiterni regis pedes, etiam labijs morituri & momentanei Regis præferendos? Fuit & erga hos & reliquos pauperes larga, benefica & liberalis. Neque hæc eius, intra augustos vitę illius terminos, liberalitas stetit, sed constructo *Londini* ad eorum vsus hospitio (quod de nomine illius MATHILDIS hospitium appellatur) inuenit rationem, qua sempiternum fereret beneficium, vt sempiternum quoque apud Deum fructum inde meteret. MATHILDIS nudis sæpe pedibus in quadragesima ecclesiam adibat, & sub splendido regiarum vestium apparatu, teneras eius carnes saccus premebat & pungebat.

SED hanc eius laudem commaculare videtur, si (quod quidam tradunt) virginitatem suam Deo prius dedicauit, atque ideo prolem aiunt, si quæ sibi nasceretur, horrendis diris execratam: eiusque execrationis aculeos prolem GVILIELMVM sensisse, cum ex *Normannia* in ANGLIAM transmittens, miserabili naufragio absorpta fuerat. Qui tamen culpam eius extenuare, & imminuere rursus conantur, quòd quodammodo inuita, improbè & importunè hoc matrimonium, tam HENRICO, quàm patre eius vrgentibus, ad illud abducta sit. Alij eam in cœnobio sanctimonalium *Wintoniæ* educatam, literisque imbutam, & velatam quidem flammeo, aiunt; non quod solemni Episcopus ritu, sed quod ipsa sibi non constanti & immoto virginitatis proposito, sed vt eo facilius pretextu, obscuros & tantis nuptijs indignos procos reijceret, imposuerat. Et quia eius rei scrupulus quorundam animos torserat, ANSELMVM, priusquam HENRICVS & MATHILDIS in matrimonium coirent, aliquandiu intercessisse, nec absolui de more ecclesiæ matrimonium passum; donec accersitis testibus, causáque accuratè cognita, totáque veritate explorata, scrupulum illum sibi alijsque exemisset. Quorum certé sententia cum veritate, & cum pietate tam MATHILDIS (quæ adeo illustris & celebris erat, vt non alio fere illis temporibus, quàm *optimæ* MATHILDIS nomine appellaretur, quæque in pietatis testationem signis & miraculis post obitum enituit) quam ANSELMI, qui nunquam alioqui illas nuptias non modo præsentia sua, sed & sacris ritibus à se religiosè de more ecclesiæ celebratis, cohonestasset; maxime mihi cohærere videtur. Neque de illa execratione, authores, qui proximius ad ea tempora accesserunt, meminere. De naufragio quidem meminere, sed ita, vt execrandis, submersos Regis filios, & alios pæne omnes, immersos vitijs simul tradiderint. Et GVILIELMVM quidem natu maiorem, regnique hæredem ferociter minas iactasse, quibus minabatur se, si aliquando rerum potiretur, ANGLOS, instar boum ad aratrum circumducendum, sub ingum missurum: quin & *Richardum Cestren-*

sem

sem Comitem, qui eodem naufragio obrutus est, minaciter dixisse, se monachos *Cestrenses*, quos pater ipsius induxerat, profligaturum.

VTCVNQVE sit (nolumus enim ad iudicij diuini, summæque prouidentiæ rationes curiose & insolenter penetrare) huius MATHILDIS (quæ obijt ad annum millesimum centesimum decimum nonum) consilia HENRICO, regnóque ipsius vtilia, & salutaria fuisse tradunt. In quo licet quædam occurrant improbanda, & in rebus ecclesiasticis, vt dicemus cum ad ANSELMVM venietur & in ciuilibus; & inter alia, quod ob cupiditatem, libidinem, & crudelitatē notatus sit: multa tamen fuerunt quę in eo præclare eminebant, egregiumque in Reipublicam beneficium posuit, quod tributum illud *Danicum* (quod licet ob Danicas incursiones solummodo præstabatur, in perpetuam solutionem conuersum erat) sustulerit: vt fuit & illud, quo monetam accisam, corruptam & adulteratam, ad iustum pondus reuocarit, & seuerissimis legibus huiusmodi fraudem coercuerit. Certè, ob doctrinę (quę rara est in Regibus) magnitudinem, *Beau clerke* dictus est. Et tribus illum præcipuè dotibus, prudentia, fortitudine, diuitiarum copia (pro qua alij eloquentiam subijciunt, & neutri errant) insigniter amplificatū, passim tradunt. Quibus plurimum vitia sua obscurabat, atque adeo nonnumquam magno artificio tegebat. Sic, cum mortuo ANSELMO, noui Pontificis cooptationem ad quinquennium distulisset, eáque ratione medios sibi fructus, rescisso etiam sacrosancto, de quo diximus, iuramento lucrifecisset; callidè causabatur, hanc omnem moram necessariò sibi extortam, vt post exquisitam deliberationem, aliquem tandem, qui LANFRANCI & ANSELMI virtutibus respondere forte posset, tantæ dignitati sufficeret. Callide etiam à Sacerdotibus, qui concubinis se commaculabant, pecuniam, vt postea dicemus emunxit. Sed hæc & alia peccata, acri pœnitentia prouectiori ætate expiasse creditur. Ad quam post nocturnas quasdam in *Normannia* visiones & terrores obiectos, ex suorum consilio, incitatus fertur. Cum enim postquam iam triginta annos imperasset, sopori se quadam nocte dedisset, primo rusticanam quandam, cum rusticanis instrumentis multitudinem; deinde, cum post ingentem terrorem rursus obdormisset, militum armatam manum: sed & post hunc terrorem discussum, dum somnum capit, vidit Episcopos & Abbates cum pastoritijs suis baculis ad se opprimendum irruere. Ter ille è lecto ea nocte exilijt, & armis correptis, neminem inuenit in quem ferrum stringeret.

CVBAVIT ea nocte in aula *Grimbaldus* medicus, qui & ipse per somnum, hæc omnia Regi ea nocte accidisse, visus est vidisse. Quem cum mane, adhuc cubanti in lecto retulisset, Rex ingenue fatsus est, huiusmodi terrores ea sibi nocte obiectos. Regem deinde ille, arrepta hac occasione, hortatus est, ad seriam & celerem vitæ prioris emendationem, vtque olim *Nebuchodonosor Daniel*, peccata elemosynis redimere. Hæc author noster *Grimbaldum* ipsum *Godefrido Vinchelcumbiæ* Abbati referentem audiuit. Multa certè HENRICVS pietatis suæ & liberalitatis, ac præclara monumenta reliquit, de quibus postea dicemus. Quamquam vero graues ei aliquot, cum *Romanis*, vt dicemus, Pontificibus aliquamdiu contentiones fuerint; res tamen tandem in summam quietem, & pacificationem exijt: & cum duobus ille colloquium habuit, cum CALIXTO apud *Gisorcium*, & INNOCENTIO *secundo* apud *Carnotum* & *Rothomagum*. Quos summis honoribus prosequutus est. INNOCENTIO cum *Petrus*, qui *Anacletus* dici voluit, per secessionem & seditionem se opponeret: HENRICVS non modo vero Pontifici INNOCENTIO constanter adhæsit, sed & sua diligentia curáque effecit, vt à *Ludouico* Rege *Gallorum*, totáque *Gallia*, INNOCENTII authoritas religiosè agnosceretur. Obijt ad annum Christi passi millesimum centesimum trigesimum quintum, cum iam annos triginta quinque regnasset. Quem, ante obitum eius, vir quidam pius ante biennium moriturum verè prædixit. Atque cum eo extincta & peremta simul est, omnis virilis GVILIELMI *nothi* proles, regnique deinde post sexaginta nouem annos administratio, partim ad *Francos* seu *Gallos*, partim ad EDOVARDI ANGLI stirpem, per MATHILDEM MARGARETAE filiam, HENRICI alterius matrem, deoluta est. Cum enim masculà prole destitueretur, omnium ordinum, inter quos fuit Rex *Scotorum* DAVID, & *Robertus* nothus filius Regis Comes *Gloceſtriæ*, & STEPHANVS, qui postea contra fidem & iusiurandum venit, religione & iuramento, MATHILDIS pro iusta hærede agnita est. Comitem illum *Guilielmus Malmesburienſis* magnis, non solum ob militarem, sed & literarum scientiam, ob iustitiam, ob munificentiam, & alias dotes, encomijs ornat. Defunctus est HENRICVS in *Normannia*, stomacho ex esu murenæ, quā, vetantibus tamen medicis, in primis dilexit, vitiato. Mirum verò est, quod vel ex illius cibi esu, vel alia ex causa,

De reg. li. 5.

tam fœdus, tam tetrus, tam pestilens humor corpus totum occupauit, vt incommodus odor multis fuerit detrimento, & ab exenterato atque euiscerato, copiosóque sale conspersо, taurinóque etiam corio incluso, adhuc tamen eruperit. Certe, qui caput execuit, ex perniciem efflante cerebri odore perijt. Atque ita non solum viuus, sed & mortuus, hominibus exitio fuit.

De Rege STEPHANO.

CAPVT IV.

Ex Henr. Hunt & Sim. Dunel. ex addit. Flor. Wigor Nuberg. ex chron Germaſy, vtraque Mat & liuro quodam innominati authoris ad Edouar. dos temporа hiſtoriam deduxit, incipit cum Britannia qua olim & ex chro. Dunſtapleſi, quod incipit, ab Adam vſque natiuitatem &c. Ex Polid. Virg.

IN STEPHANO orbis capere potest non mediocre, contra importunam & impotentem ambitionem, documentum. Qui, licet vir magnis alioqui dotibus ornatus, immani hac in re se scelere obruit; quasi illud secum meditatus, *Si violandum est iusiurandum, regni ergo violandum est.* Fuit is HENRICI sororis ADELAE filius, Comes *Bononiensis*, & filius *Stephani* Comitis *Blesensium*. HENRICVS vero GVILIELMO filio suo, vt diximus, submerso, cum prole masculа destitueretur, MATHILDEM filiam post obitum HENRICI *Augusti*, cui nupta erat, in ANGLIAM reuersam, in frequentissimo *Londini* omnium ordinum conuentu, heredem, eiusque liberos, si qui nascerentur, renunciat. In quam formulam religiose cum ab omnibus, vt diximus, tam adeo ab ipso STEPHANO iuratum est. Sed mortuo HENRICO, insaturabilis illa dominandi charybdis, illum prorsus absorbuit. Quam eius immoderatam cupiditatem, partim fratrum *Theobaldi Blesensium* Comitis, & *Stephani Vintoniensis* Episcopi, potentia; partim, nescio quæ in speciem plausibiles causationes, ita prouexere, vt mox omnia illi prona fuerint. Percrebuere passim voces, non decere viros feminæ dominatum subire. Prodijt & *Hugo Bigotus*, vir in magna apud HENRICVM gratia & authoritate, qui religiose coram *Cantuariensi* Archiepiscopo iurarat; HENRICVM, cum fata iam eum vrgerent, filiam abdicasse, heredémque STEPHANVM designasse. STEPHANVS interim Procerum populique, quibus poterat, verborum & munerum lenocinijs, & officijs voluntatem sibi adiungere; & multa se emendaturum in sacris & prophanis rebus, in quibus se HENRICVS nimis acerbum præstitisse, & in populi ideo offensionem incurrisse visus est, & nescio quos aureos montes polliceri. His alijsque artibus, abiecta iam passim ab omnibus fere prioris iurisiurandi memoria, quasi in cauta aperta & expeditissima, paratam sibi ad regnum viam munijt. Cumque solenni ritu a GVILIELMO *Cantuariensi* diademate insigniretur; conceptis verbis, cum alia, tum & ista iurauit: præfecturas ecclesiarum vacantium, non minimo quidem ie tempore retenturum: sed legitimæ (in qua ipse se miscere aut intromittere nollet) electioni statum consensum suum accommodaturum. Nolle se de siluis & venatione, more decessorum suorum, cuiquam molestiam & negotium facessere, tributúmque illud, quod per iugera illis pendi solebat, se repudiaturum. Hæc alióque (quæ & tum promissa, & in *Oxoniensi* postea Procerum conuentu renouata sunt) speciosa quidem erant, & valde plausibilia. Imo & ad biennium, omnia quasi ad votum secundo cursu fluere, & gratis principijs blandiri: DAVID Rege *Scotorum*, & *Baldiuino*, alijsque domesticis hostibus fortiter & feliciter repulsis, & in optimam omnes spem erigere videbantur.

QVAM tamen varij, & graues ipsius regis casus, immo & perfidiæ, qui tam sanctè promissa, rebus ex voto prospere succedentibus, prorsus rescidit, fefellerunt: bellorum enim mox & miseriarum, quasi ingens vndique & immanis tempestas in eum irruit, pæneque eum absorbuit: à quibus, vix, vel paulo ante obitum respirare licuit. Ita MATHILDIS AVGVSTA, HENRICVS deinde eius filius cum externo & domestico ANGLIAE milite, regnique sui Proceribus ex omni eum latere exagitarunt. Captus est denique, licet fortiter in prælio apud *Lincolniam* decertans, & in arcta aliquandiu custodia apud AVGVSTAM conseruatus; omnibus iam ad eam confluentibus, eamque pro ANGLIAE iusta principe agnoscentibus. Vxor STEPHANI, AVGVSTAE promittit STEPHANVM, modo dimitteretur, regno se abdicaturum, & monasticæ vitæ initiandum. Neque certe per omnem ille vitam vinculis, & carcere exoluendus videbatur, si fortunæ illa suæ moderari, populique honesto desiderio, leges EDOVARDI restitui postulantis, satisfacere didicisset. Qua in re cum proteruum, & minus liberale responsum dedisset, omnium fere studia ab ea repente in STE-

PHA-

PHANVM abalienata sunt. Illaque à WINTONIA fugiens, equum masculi more ascendere, & ad arcem *Diuisiensem* fugere coacta est; & cum vndique terrores imminerent, equo quasi mortua imposita, tanquam cadauer *Glocestriam*, vt vel hac arte vitæ suæ consuleret, deuecta est. Liberatus est itaque carcere STEPHANVS, vt *Robertus Glocestriæ* Comes AVGVSTAE frater (quem regij bello captum in vinculis tenuerant) illis exolueretur. Mox funesta vndique bella increduerunt. In quibus præter immanes calamitates, quibus ANGLIA obruta est, bis in fugam à *Roberto* STEPHANVS pulsus, résque eius indies in deterioni loco versari cœperunt. Cum præsertim summæ spei, fortitudinisque iuuenis HENRICVS, nuper auctus viribus ex *Normannia*, quam ille, mortuo GAVFREDO patre occuparat, in ANGLIAM venisset, & populus procerésque ANGLIAE, passim suppetias illi ferrent. Accedebat ad malorum molem, vnici filij STEPHANI, præmaturè sine liberis intercepti, obitus. Qui CONSTANTIAM *Ludouici* Regis *Galliæ* sororem (à quo si cetera eum omnia destituerent, amicam semper & præsentem propter necessitudinem opem, cuius iam nullam habebat spem, sibi pollicebatur) vxorem duxerat

HAEc igitur destitutione, tantisque angustijs perculsus, non grauatim audiebat pacificatoria consilia. Quibus res ita transacta est, vt STEPHANVS quamdiu viueret, regno ANGLIAE, HENRICVS *Normanniæ* vt iustus possessor vteretur frueretur que; adque eum, post obitum STEPHANI, ANGLIAE regnum, tanquam verum & genuinum heredem deuolueretur *Apuncta* deinde constituta; & præteritarum factionum memoria abolita. Quæ omnia amplissimo procerum, tam ecclesiasticorum quam profanorum consensu, confirmata & constabilita sunt. STEPHANVM vero, qui hactenus nudo Regis nomine, in his tam turbulentis & tam diuturnis motibus frui videbatur, iam omnes instar iusti & legitimi principis agnoscere cœperunt; iamque in summa & alta pace constitui cœpit, qua tamen exiguo tempore fruebatur. Proximus enim annus & regnum, & vitam illi abstulit. Ita nec regno, quod (duplici in se admisso contra verum & germanum hæredem, & contra iusiurandi religionem scelere) inuasit; nec ipse diu quiete potiri, nec ad suam prolem transfundere vllo pacto valuit. Sed post tantam, tamque immanem regni deuastationem, post tantum humani & christiani sanguinis absorpti, ad iustum hęredem transferre ingratis cogebatur. Hunc autem turbulentum, & tragicum regni ipsius statum atque motum, grauesque illius miserias & casus, multa multo antea præmonstrare, & præsagire videbantur. Eo enim die quo in ANGLIAM STEPHANVS appulit, summa hyeme, tanto, præter rationem temporis, cœlum tonitru contremuit; tanta vibrarunt fulgura, vt suprema mundi tempora imminere crederentur. Quo autem die regni initiationis solemnia celebrata, pacis osculum, quod in mysterijs sacris, ex ritu ecclesiæ dari consueuit, oblitione, sed summæ illius per tot annos regni, & pacis perturbationis præsagitrice, penitus prætermissum est. Tristia etiam & infausta omnia omnium animos, qui STEPHANI partes sequebantur, quæ in diem Purificationis beatæ MARIAE, eúmque ipsum quo STEPHANVS bello captus est, incidére; terruerunt. Cum enim ALEXANDRO *Lincolniensi* sacra celebranti, cæreum de more STEPHANVS offerret, repentè confractus est. Pixis etiam, qua sacra mysteria super altare conseruabantur, rupto filo, in altare decidit. Ita quàm toti regno pernicioſa, quàm parum ipsi STEPHANO, aut proli eius fructuosa fuerat importuna illius ambitio, satis iam vidimus. Videbimus etiam suo quoque loco, paulo post; quàm iusta Dei vindicta, quanta mala in eorum etiam caput, idque STEPHANO ipso authore, recciderint: qui spretis legibus, spreto iureiurando, STEPHANVM præcipiti præ alijs studio, ad regium hoc decus prouexere.

Ex libro quodam innominato authoris, qui ex Hen. Hunt. Gul. Mal. & alijs ad Edouardi 3 tempora historiam deduxit quæ incipit cum Britannia quæ alias &c.

50 De

De Rege HENRICO secundo.

CAPVT V.

In Germasio Nichol. Trivet. utroque Matthæo Paris. Petro Blesf. Nuberg. Rog. Hoved. Polid. & alijs.

QVEMADMODVM STEPHANVM in exemplum ceteri Reges, ne ambitiose & importunè aliena regna appetant; ita hunc HENRICVM in exemplum rapere possunt & debent, vt iustè, moderatè, sanctè, propriæ vitæ rationes gubernent: neque ad ecclesiæ dignitatem intersti ndam, exterminandam, & deprimendam, potentiæ suæ magnitudine intemperanter abutantur. Qua ille ceteros omnes suos decessores & successores, fere obtenuisse videtur. Ita vndique creuerat ANGLIA & *Normannia* per matrem, *Andegauia* & *Cenomania* per patrem; *Aquitania* & *Pictauia* etiam auctus, quas dotales habebat ex matrimonio *Alienoræ* a *Ludouico Franco* per causam propinquitatis repudiatæ: BRITANNIA præterea, quam dotalem habebat *Galfridus* filius. Accedit ad cumulum amplitudinis & *Hiberniæ* Principatus. *Northumbriam* & *Cambriam*, quas *Scotus* ex voluntate STEPHANI possederat, ei excussit; eumque etiam varijs bellis & discordijs fractum & debilitatum, pro *Scotia* beneficiarium, vt & * *Wallum* habuit. Ad hunc tanquam ad honorarium arbitrum, Reges longe positi, *Nauarræ*, inquam, & *Castellæ*, controuersias suas exponendas detulere. Huius potissimum præsentiam principes, militesque sacræ expeditionis, quasi tutissimum & firmissimum, laborantibus & labentibus istis rebus, præsidium, flagrantissimis votis expetebant. Et fuit ille quidem multis, magnisque ingenij, corporis, animique dotibus, & præclaris quibusdam virtutibus, insigni erga milites præsertim munificentia; & erga populum, quem raro, & erga ecclesias, quas tributis nunquam onerauit, literisque ornatus. Qui cum a grauioribus regni negotijs vacaret, aut lectione, aut audiendis viris doctis, qui varias in medium positas quæstiones expediebant; tempus consumebat. Sacras dignitates nunquam venales habuit. In eleemosynis multus erat, & in pauperibus, quos potentiores opprimebant, vindicandis, acer; ANGLIAMque diligenter peragrabat: omniumque se querelis exponebat. Ter felix princeps, si hanc omnem amplitudinem & laudem, graues, & aduersi, fallacis & lubricæ fortunæ casus, aut, vt verius dicam, multiplices illius, & magnæ erga Deum, sponsamque Dei ecclesiam, propriamque etiam sponsam BERENORAM, culpæ turpiter non commaculassent.

* al. Wallum

Ter Bl. sensis epistola 68.

ATQVE, vt à postremo primum ordiar, genialis thori sacramentum, asciris cum alijs, tum celebri illa puella *Rosimunda*, ad stupri consortium violauit. Sed reliquam in hoc genere turpitudinem superat, quod ADELAE *Philippi Francí* sororis, RICHARDO filio pactæ vxoris, non solùm verbis parum castis pudicitiam tentarit; sed etiam, vt fertur, expugnarit. Quid? quod repudiata iusta vxore, illam sibi in vxorem asciscendi, & prioris matrimonij liberos in gratiam *Adelianæ* prolis, si forte aliqua extaret, abdicandi, consilia agitasse credebatur? Hoc satis constat, multa illum tergiuersando & causando, matrimonium RICHARDI, adeo traxisse, vt bellum ei ob hanc causam *Francus* denunciarit; adeoque fuisse postea propter sinistram hanc suspitionem, ab ADELA auersum RICHARDVM, vt ea reiecta, BERENGARIAM *Nauarræ* Regis filiam vxorem sibi adiunxerit. Non mediocri deinde famam & existimationem suam labe asperfit, quod & supremas GALFRIDI patris tabulas, iureiurando etiam proprio confirmatas; & aliud, idque triplex etiam, de sacra expeditione obeunda, iuramentum violarit. Et primum quidem, cum illud iter ei ob expiandam diui THOMAE mortem, à Pontificis Legatis post triennium imponeretur. Secundum, quod cum *Ludouico Franco*; tertium verò, quod cum *Philippo Ludouici* filio, communibus studijs suscepit. Sed an in tertio iuramentum interceserit, liquidè nolim pronunciare. Sed quod de tabulis patris dicitur, hac satisfactione extenuant, quod *Romanus* cum Pontifex omni religione exoluerit; cum illud non à libera voluntate profectum, sed ne patris memoriam iniuria afficeret (Pater enim, cum suprema illa sua ordinaret, Episcopos. Proceresque iureiurando deuinxerat, ne corpus suum prius terræ mandari paterentur, quam filius iuramento suo, tabulas suas ratas habuisset) naturali & violento erga patrem pudore, extortam. Dimissam vero, tam necessario tempore, sacræ expeditionis curam, *Galli* HENRICO, nostri domesticis seditionibus, & *Galli* qui *Normanniæ*, & alijs Regis ditionibus imminerent; vitio asscribunt. Ego vero neutrum crimine prorsus exoluerim. Quod

apud

apud quemcunque demum resideat, magno vtriusque, & reliquorum Christiani orbis probro, sacra vrbe, & contributis illi regionibus, turpiter, dum tam necessarij & votiui itineris consilia apud illos consenescunt, post paucos annos exuti sumus.

SED non tam facile illam, de iniuria diuo THOMAE illata, necéque eius, inuasaque ecclesiæ, & debilitata perenni dignitate, & sacrosanctis promissis suis conuulsis, quibus de rebus diffuse posthea dicemus, labem eluerit; nisi forte eam pœnitentia apud Deum, quod spero & opto, eluerit. Quæ, vt fuit nonnunquam vehemens & ardens, illique, vt posthea dicemus, valde fructuosa; & releuandis eius angustijs oportuna; ita, an fuerit tam iusta, constans, & solida, atque res & ipsius promissa postulabant, alijs cogitandum relinquo. Neque hoc dico, quod cædem THOMAE mandasse crediderim, sed quod nefarij viri ex dicto quodam, quod illi ira ardenti exciderat, occasionem arripuerint. Propter quam, & ob alia, quæ attentarat, vestem exuens, nudum corpus de more pœnitentium ecclesiasticæ disciplinæ exposuit; totúmque se in *Romani* pontificis, & Legatorum potestatem permisit. A quibus expeditio illa sacra intra triennium mandata est, & alia quædam. Proditui & id conuenisse inter Legatos & vtrumque HENRICVM, vt nemo post illos regio nomine insigniretur, nisi quem pontifex *Romanus* designasset. Qua de re nihil satis certæ fidei hactenus, apud nostræ gentis historicos reperij, nisi apud *Petrum Blesensem* illius temporis æqualem. Apud quem Rex ipse HENRICVS huiusmodi quædam in sua contra filios, arma nefaria in ipsum mouentes (contra quos spiritualem ALEXANDRI gladium implorat) querela innuere videtur. Licet absens (inquit) corpore, præsens tamen animo, me vestris aduoluo gentibus consilium salutare deposcens, vestræ iurisdictionis est regnum ANGLIAE, &, quantum ad feudatarij iuris obligationem, vobis duntaxat obnoxius teneor. Hæc ille conceptis verbis. Sed, vt ad id quod dicere cœperam, reuertar, constat certe HENRICVM multos suo arbitratu, ad sacerdotia, & Episcopatus, homines illi functioni ineptos & inidoneos, prouexisse; appellationes in causis sacris ad *Romanum* pontificem, & ipsius Legatos ab ANGLIAE ingressu, nisi iuratos priùs se nihil contra leges regni molituros (quod illis metus seu dona extorsere) submouisse; multaque alia sibi arrogasse, quæ cum rationibus, & scitis ecclesiæ non cohærent.

ILLVD etiam constat, multa illum, quę religiosè de ecclesiæ scitis conseruandis, & ne vacuæ & desolatę ecclesię bona possessionésque inuaderet, deque obeunda votiua expeditione promiserat; aliaque id genus rescidisse. Nec minus, non modo *Galliæ & Scotiæ* Reges, Comitem *Flandriæ*, multosque ANGLIAE, & transmarinę suę ditionis principes; sed & HENRICVM, quem nuper in regni consortium præcipiti consilio asciuerat, cum reliquis fratribus, atque ideo vxore ad eum euertendum, purpuraque exuendum conspirasse. Multa, præsertim per Episcopos tentata sunt; in quibus vxorem & filios Regi reconciliarent. Quibus nisi mature dicto sint audientes, illaque ad virum, quem inofficiosè reliquerat; isti depositis armis, ad officium redirent, anathema *Rothomagensis* minatur. Pulchram præterea RICHARDVS *Cantuariensis*, & alij suffraganei eius, epistolam ad iuniorem HENRICVM misere, quę illustres laudes, felicesque successus complectitur multorum, qui principibus, eisdem que parentibus officia, cultum & pietatem præstiterint, insignésque simul calamitates pœnásque, quibus alij, qui Reges parentésque suos contumeliosè habuerunt, nobilitati sunt. Multis etiam aliis præclaris rationibus, ad officium eum reuocare conantur. Et si initiora remedia non proficerent, diris se eum omnibus deuoturos minantur. Sed surdo hæc omnia cecinerunt. Verumenimuero, cùm pater periculum hoc omne admirabiliter, quando animum pæne desponderat, supplici apud tumulum diui THOMAE intercessione (ob cuius offensionem, illud sibi diuinitus immissum arbitrabatur) discussisset; filiósque & ceteros ad amicitiam officiúmque reuocasset: ecce tibi, post decennium nouos cum fratre GAVFRED omotus contra patrem ciet. Quibus postea cum HENRICVS defunctus esset, en rursum RICHARDVS, cum bellum inter HENRICVM & *Gallum* maxime ferueseceret; à patre ad hostem, cum fratre IOANNE, se ad patrem infestandum proripuit. Cúmque indies magna pars transmarinæ suæ ditionis *Gallo* quotidie accresceret, ex doloris magnitudine, & impotenti quadam animi ægritudine; corporis quoque ægritudinem, & mentis prope alienationem, quia, nescio quæ in diuinam prouidentiam contumeliosè iactabat, contraxit. Nec ita multo post, cum iam triginta quinque imperasset annos, ex humana vita abijt, sepultus in cœnobio feminarum apud *fontem Ebraldi* in *Normannia*. Quo cum funus deduceretur, RICHARDVS filius fit obuiam, visóque patris cadauere, totus lachrymis oppletus est. Ad cuius aduentum sanguis (mirum dictu) ex naribus demortui copiosè profluxit.

Epistola apud Petr. Blos. 28 & 29.

Petr. Blesensis. epistola 63.

Prou. 5. 21. Atque hic miram Dei prouidentiam intueri licet, qui *respicit vias hominis, & omnes gressus suos considerat.* Qui eandem nobis, quam nos alijs mensuram, impartitur. HENRICVS matri suæ ecclesiæ catholicæ, pattique suo spirituali THOMAE graues irrogarat injurias. Ecce verò contra naturales stimulos, ipsius filij cum vxore etiam in perniciem eius armantur. Sic verum est quod sapiens ait: *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringetur.* Sed, vt spero, hæc temporalis pœna, ob hæc & alia, quæ in THOMAM admiserat, de quibus postea latius dicemus, ad æternæ leuamentum demortuo profuit. Testamentum condidit, quod hodiè extat tam Latine quàm Gallicè, in quo ecclesijs pauperibúsque tam in ANGLIA, quam in alijs eius ditionibus positis, infinitam pecuniam legauit. Liberos habuit ex ALEONORA, HENRICVM, RICHARDVM, GAVFRIDVM, & IOANNEM; MATHILDEM, ALEONORAM, & IOANNAM. Hæc *Guilielmo, Siciliæ*; illa, *Alphonso, Castiliæ* Regi; MATHILDIS *Henrico* Duci *Saxoniæ* nupsit. Ex concubina sustulit GVILIELMVM & GAVFRIDVM, de quo plura alibi. Ex commemoratis alijs quatuor, RICHARDVM & IOANNEM superstites reliquit. HENRICVS verò innior obiturus, delictorum suorum, nefariæ præsertim aduersus patrem coitionis, acerrimam pœnitentiam cœpit. Accitis ad se Episcopis, & clàris monasticę disciplinæ viris, post secretam & auricularem homologesim, delictorum suorum magnitudinem etiam publicè confessus est, & de more ecclesiæ indulgentiæ tesseram (quam absolutionem dicimus) obtinuit. Abiectis deinde regijs vestibus, cilicioque indutus, funem collo alligauit, quo ab Episcopis & alijs, vt præceperat, in cinericium quendam lectum tractus est; ex corde, magnisque cum gemitibus, delictorum suorum à Deo veniam postulans. Capiti vero & pedibus eius duo grandes lapides, & quadrati appositi sunt. Mortem eius, vt ABSALONIS olim *Dauid*, magno pater luctu prosequutus est. Quem, ne intemperanter & immodicè faceret, per literas eum *Petrus Blesensis* hortatus est. Male verò feriati quidam homines, vel vt inuidiam patri, vel defuncto miræ sanctitatis notam crearent; nescio quæ miracula ad tumulum accidisse, mira superstitione in vulgus spargebant.

Latinè extat apud Ciruasium an. 1182. vide etiam ex Gallicè apud innominatum authorem Gallum.

Nonaburg. siue Nuburg. li. 3. c. 7.

De RICHARDO *Rege.*

CAPVT VI.

POST iusta patris funeri reddita. RICHARDVS ascensis nauibus, apud *Hamons* portum (quem *Portesmutham* appellamus) appulit. Nec ita multò pòst *Londini* in *Westmonasterienſi* cœnobio, frequentissimo cœtu Procerum, tam sacrorum quam profanorum coeunte, splendido apparatu; per BALDVINVM *Cantuariensem* solemnibus ceremonijs, diademate capiti eius impositio inungitur. Quo præcunte, antequam cæremoniæ illę obitentur, religiosè de more per manus* deducto, promisit sacrosanctis Euangelijs, multisque sanctorum reliquijs in medium positis, se, Deum, sanctam ecclesiam, eiusque ministros, omni, quoad viueret, honore, reuerentiaque culturum; erga populum iustum & æquum se futurum; leges atque consuetudines iniquas & vitiosas (si quæ irrepserant) abolendas curaturum. Dum gaudijs & lætitia omnia vndique in ista regni initiatione affluerent, & Proceres splendide cum Rege epularentur, magna & repentina quædam *Iudæorum* strages (initio in ipsa regia aula ducto) quæ *Londini* mox, & alibi postea per ANGLIAM bacchabatur, huic toto gaudio intercessit. Sed quoniam propria & peculiari oratione, omnem *Iudæorum* historiam (quatenus ANGLIAM respicit) simul & seorsum postea contexere, & huic operi alicubi interspergere proposuimus; eo lectorem ad hæc, & alia petenda referemus. Regno inito, nihil prius aut antiquius in omnibus cogitationibus habuit *Hierosolymitana* expeditione; qua nihil sibi ad rerum gerendarum splendorem illustrius, ad veram & solidam gloriam magnificentius videbat. Quam illi præterea & totius christianæ Reipublicæ, & voti, quo se iamdudum obstrinxerat, soluendi necessitas exprimebat. Atque eo quidem vehementius, quòd post sanctam illam sponsionem, armis, quæ in fidei hostes debuisset, & gloriosè potuisset conuertere, in patrem contra naturales stimulos, nefariè abusus erat. A qua illum noxa *Cantuariensis*, *Rothomagensis* & *Treuerensis* liberarunt, antequam in ANGLIAM ad capescendum regni decus, ingressus esset. Totus igitur *Syriam* & *Hierosolymam* cogitabat.

* *lege* deductus

A D quod tantum tamque difficile iter, vt esset pecunijs, rebusque alijs omnibus instructus, thesauris paternis, qui semotis vasis aureis & argenteis, lapidibusque pretiosis, nongenta librarum millia superabant: incredibile dictu est, quantam, ANGLIA vndique pecunia exhausta, accessionem dederit. Decimam enim omnium ordinum homines, tam sacri quam profani contribuebant: grandem pecuniam pro redimendis suis arcibus, quæ in Regis potestate erant *Scotus*; grandem *Dunelmensis* Episcopus, tam pro *Sexburgensi* prædio, quam *Northumbrensi* Comitatu emendis Regi. & alij infinitam quandam pro alijs rebus coëmendis repræsentarunt. Nihil enim erat, vel ex regijs possessionibus, vel aliunde, vnde lucrum conflari, & pecunia corradi potuit; quin venum, pro exprompta pecunia, expositum sit: aut pignoris iure ad alios deriuatum. Quin & post Regis abitionem, GVILIELMVS *Elyensis* regni Cancellarius, singulis ciuitatibus, duos equos, hominum, duos rerum, & onerum vectioni, & cœnobijs singulis itidem duos: alterum ad priorem, alterum ad posteriorem vsum idoneos; & à multis etiam alijs laicis hominibus extorsit. Sed illud illiberalius & sordidius, & nimis captiosum quod RICHARDVS causatus sigillum regium, nescio quo casu intercidisse; nouum conflei, & diplomata omnia veteri consignata, nouo denuo consignari ab eis, qui possessionibus & priuilegijs suis securè vti, & frui desiderarent, præceperit. Explicaturo itaque hanc RICHARDI profectionem, quam ille primus & postremus omnium BRITANNIAE & ANGLIAE Regum (quamuis & EDOVARDVS etiam *primus*, sed antequam Rex designatus esset, eandem susceperat) magna sua cum laude, qua, rerúmque gestarum magnitudine, cæterorum Regum & principum, qui illius itineris hoc sæculo comites erant, splendorem obscurauit) suscepit; nec à suscepto historiæ huius ecclesiasticæ scopo alienum, nec à lectoris voluptate, & aliquo etiam, vt arbitror, operæ pretio alienum & remotum videtur, si altius, & quasi ab ipso, quòd dicitur, ouo, repetitam de sancta Cruce, sancto Domini sepulchro, sanctaque vrbe a barbaris, & Christi hostibus vindicata narrationem, ad RICHARDI, & deinde ad posteriora etiam tempora, per summa rerum compendia hoc loco continuatam orationem subiecerim, & vno quasi fasce constrinxerim. Ea præsertim, quæ vel RICHARDVS, vel alij nostri in ANGLIA Principes ac Proceres, aut in sacra terra, aut domi eius subleuandæ causa, post RICHARDVM egerint.

De sancta Cruce & Ciuitate, per HERACLIVM *Imperatorem, à Persis recuperata, deque illius Ciuitatis statu, ad quadringentos nonaginta postea annos.*

CAPVT VII.

ET iam antea, quomodo, diuinis admonitionibus excita, diua HELENA CONSTANTINI mater Crucem, & sepulchrum Domini turpiter ab ethnicis obruta repererit, magnificisque templis structis, Seruatoris memoriam honorarit, diximus, nec erit noua repetitione hic opus. A quo tempore, pace passim per Imperium *Romanum* Christi ecclesijs, CONSTANTINI beneficio data, frequens vndique ad inuisenda sacra Seruatoris monumenta, ad præsepe, ad incunabula, ad Crucem & sepulchrum Seruatoris adoranda, cum ex reliquo orbe, tum ex nostro BRITANNICO (vt *Hieronymus* testatur) quasi ex nouo quodam orbe, concursus fieri solebat. Diuisus, inquit, ab orbe nostro BRITANNVS, si in religione processerit, occiduo sole dimisso, quærit locum, fama sibi tantùm, & Scripturarum lectione cognitum. Adijciamus & quod paulò ante de hac peregrinatione dixerit. Longe est, inquit, ab ortu Domini vsque ad præsentem diem, per singulas ætates currere, qui Episcoporum, qui martyrum, qui eloquentium in doctrina ecclesiastica virorum venerunt *Hierosolymam*; putantes minus se religionis, minus habere scientiæ, nec summam, vt dicitur, manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis, * à quibus primum Euangelium de patibulo coruscauerit. Hanc igitur sanctam ciuitatem, quamdiu in Christianorum potestate manebat, certatim ex omni natione, homines religionis ergo adibant; hanc à barbaris adempram, quasi & ipsi in eorum fuissent quoque potestate, mirificè Christiani passim dolebant; omnibus tam ple-

Ex Hier. ad Marcellam Gal. Turo de sacro bello Chron. Sig. annal. Constant. Patriarcha Nicephor.

* *alias:* de

in *Lindisfarnensi* ecclesia, ante *Dacorum* irruptionem) pro Canonicis induxit, cum prius rem Regi GVILIELMO *primo*, & LANFRANCO communicasset. A quibus ad summum pontificem illius rei gratia missus est. Cuius suasu & authoritate monachos, qui erant apud *Giruum* & *Wiremutham*, *Dunelmum* transtulit; Canonici, qui monasticen recusabant (quam omnes vno excepto recusarunt) electi sunt. Huic societati *Aldunus* præfectus est. Atque hæc ita contigere anno trecentesimo nonagesimo septimo à diui CVTHBERTI obitu, & octuagesimo nono, postquam illibatæ illius reliquiæ *Dunelmum* sunt traductæ, & decimo quo *Aldunus* in prouinciam illam venit. Quarto deinde anno *Aldunus* ex mortali hac vita ad superos abijt.

Ioan. Eccand.

PROXIMVS post eum præses fuit *Turgotus* vir magna doctrina & pietate, & in magna apud MALCOLMVM *Scotorum* Regem, eiusque vxorem MARGARITAM gratia positus. Apud quem diu ecclesiastica confessione peccata sua expiabant. Quorum etiam opera diui ANDREE in *Scotia* Episcopus est creatus, & à THOMA *Eboracensi*, vt dixi, consecratus, post triginta annos ab eo tempore, quo monasticam vitam *Wiremuthæ* cui tum cœnobio *Aldunus* præfuit, ingressus fuerat. Scriptis quibusdam memoriam suam posteritati commendauit. Inter quæ vita est MALCOMI & MARGARITAE commemoratæ, quam summa fide, nec tam auritus quam oculatus testis conscripsit. *Turgotum* vero, cum esset monachorum *Dunelmi* præses, & eius successores ea prærogatiua GVLIELMVS Episcopus ornauit, vt per totam diœcesim Archidiaconi locum obtineret, & verbum Dei apud populum vbique disseminaret. Quod non sine authoritate atque exemplo fecisse creditur. Nam & BOSILVS, & post eum diuus CVTHBERTVS, cum essent cœnobij præpositi, ad concionandum solebant in vicinam regionem excurrere. Sed successor *Ranulphus*, post *Turgoti* abitionem hanc Priori prærogatiuam ademit. Obijt autem *Dunelmi* ad annum Christi millesimum centesimum decimum quintum. Ad GVILIELMI *primi* tempora *Northumbriæ* Comes fuit *Gualterus* nobilissimi illius comitis *Siwardi*, quem *Daci* ob preclara stratagemata *digera*, id est fortem appellabant, filius. Cæsus est à GVILIELMO quasi seditionis, in quam *Rodulphus Cantabrigiæ*, & *Rogerus Herfordiæ* Comites coierant conscius. Cui ille quidem, cum de ea prima mentio inijceretur, summis magis labijs, & repentino magis animi æstu, dum in conuiuio incalesceret; quàm certo animi iudicio consensisse creditur. Neque se ille certe postea illi immiscuit, sed pœnitentia captus, rem mox ad LANFRANCVM, *Cantuariensem*, & deinde illius suasu, ad Regem, in *Normanniam* profectus, detulit. Vtcunque sit, cum in vinculis esset, acerrimam ieiunijs, vigilijs, atque profusis eleemosynis pœnitentiam egisse, imo & post mortem, si illius temporis, & sequentibus scriptoribus credendum sit, miraculis claruisse traditur. Corpus eius ignominiosè extra portas ciuitatis *Vintoniæ* humatum, postea honorifice ad cœnobium *Crolandiæ* deportatum est. LANFRANCVS certò contestari solitus est, beatum se futurum, si eadem, quam iam *Gualterus* frueretur felicitate, potiri sibi aliquando liceret. Magna fuit cum WALTERO *Dunelmensi*, de quo diximus, amicitia & familiaritate coniunctus. Quem etiam in synodo, vt secum assideret, sæpe sibi adhibuit. In qua, quicquid sancitum erat ab Episcopo & presbyteris, diligenter ille quidem exequebatur.

Sim Dun. lib. 4. cap. 8. Gul Malm. de gest.

Vide Gul Mal. de gest. lib. 4. vbi de causis ob Crolandiæ, & de reg. lib. cap. 26 Sim. Dun. Marianus in chron. an 1075.

Sim. Dunel in Chron. an. 1071.

De

De Episcopis & rebus Cambriæ.

CAPVT XXX.

DE Episcopis & rebus *Cambriæ* hoc sæculo, nihil fere reperio nostro scopo accommodum. Reperio WILFRIDVM *Menevensem* Episcopum sacris, ob iustas causas, per ANSELMVM abstentum; qui postea ad annum Christi millesimum nonagesimum quintum dignitate se abdicauit. Fuit & presbyter quidam *Chenredus* in *Cambria*, cui tradunt & oculum effossum, & linguam recisam, in graui illa vastatione, quam regnante RVFO, *Hugo Salopiæ*, & alter *Hugo Cestriæ*, Comites, *Cambriæ* intulerunt; *Chenredum* tamen nihilominus expeditè, non minus quàm ante loquutum.

In commentario Chron. Gallico.

Sim. Dunel. in Chron. & polit. an. 1098.

HISTO-

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ ANGLICANÆ DVODECIMVM SÆCVLVM.

DE ROMANIS PONTIFICIBVS, IMPERATORIBVS, & ANGLIÆ hoc ſæculo Regibus.

CAPVT PRIMVM.

Ex *Platina & Onuphrio.*

ECCLESIAE hoc ſæculo principatum PASCHALIS *ſecundus*, GELASIVS *ſecundus*, GREGORIVS *octauus* antipapa, qui ſe abdicare coactus eſt, CALISTVS *ſecundus*, HONORIVS *ſecundus*, INNOCENTIVS *ſecundus*, CELESTINVS *ſecundus*, LVCIVS *ſecundus*, EVGENIVS *tertius*, ANASTASIVS *quartus*, HADRIANVS *quartus*, ALEXANDER *tertius*, LVCIVS *tertius*, VRBANVS *tertius*, CLEMENS *tertius*, CELESTINVS *tertius*, geſsêre. Sub quibus celebres, & numeroſæ ſynodi quædam habitæ; tres præſertim ſub PASCHALI *ſecundo Romæ*, apud *Lateranum*, quarta & quinta omnium maximæ, CALIXTO *ſecundo*, & ALEXANDRO *tertio*, ſedentibus in eo magiſtratu. HONORIO verò adminiſtrante, in eccleſia *Romana* ſchiſma excitatum eſt. HADRIANVS, ANGLVS fuit. Cuius nos res geſtas exquiſitiùs tractabimus, & in proximum caput ſeorſum congeremus. Imperio interim *Romano* præfuêre *Henricus quartus*, *Henricus quintus*, *Lotharius*, *Conradus*, *Fridericus*, *Henricus ſextus*; ANGLIAE verò HENRICVS *primus*, STEPHANVS, HENRICVS *ſecundus*, RICHARDVS *primus*.

De HADRIANO quarto Romano *Pontifice.*

CAPVT II.

NATVS eſt in eo terrarum tractu, qui in ANGLIA diui ALBANI cœnobio ſubijcitur, ex patre valdè tenui & obſcuro, qui monachorum ſe in dicto cœnobio ſocietati, infante adhuc filio, adiunxit. Cui iam adultiori cum pater ſumptus ad ſtudia literaria ſuppeditare nequiret, nec aliunde ſuppeterent, totus ex eleemoſyna cœnobii pendebat. Quod cum patrem pudore ſimul & dolore totum expleret, acrioribus verbis deſidem & ignauum adoleſcentem inceſſens, à ſe indignabunde protruſit. In hac adoleſcens deſtitutione, ſummis rerum anguſtiis induſtriam eius, vt fit, acuentibus, re priùs ſecum benè ſubducta, pudoréque domeſticæ mendicationis ſuffuſus; in *Galliam*, fortunam aliquam ſibi commodam expiſcaturus, & in prouinciam trans *Rhodanum* proficiſcitur: hæſitque in cœnobio diui RVFI Canonicorum, quos vocant Regulatium, vt vitę aliquod ſubſidium inueniret. Qui cùm iniuncta ſibi munera ſtrenuè obiret, & quibus quemque poſſet officiis ſibi demereretur, commendarétque eum præterea ingenii, & corporis elegantia: omnium in ſe amorem ſtudiáque vertit, adeò, vt vltro rogarent eum, vt ipſorum ſocietati aſcribi ſe pateretur. Quibus cùm non ægrè conſenſiſſet, & diſciplinæ monaſticæ exactæ obſeruationi, acre eloquentiæ, ſacrarúmque literarum, aliarúmque diſciplinarum ſtudium adiunxiſſet; in tam flagranti deinde omnium gratia poſitus eſt, vt demortuo Abbate, cum potiſſimum, licèt exoticæ gentis hominem, ſufficerent. At, neſcio quibus poſtea

stea de causis, non modò veterem illam erga eum benevolentiam, sed & debitam præsidi obseruantiam adeò deposuerunt, vt graues infestasque cum eo simultates exercuerint. Quæ vique adeo grassatæ sunt, vt omnem iam lapidem mouerent, quo illius, quem sibi vltrò impossuerunt, præfecturam exuerent. Magnisque, sed commentitijs, aduersus eum criminationibus, apud *Romanum* Pontificem obruere euertereque studuerunt. Sed omnem hunc ille motum suis adhortationibus pacificauit, & in mutuam eos gratiam reconciliatos dimisit. Sed ea mox post reuersionem desiliit. Nouam igitur, nouis criminationibus, Pontifici molestiam facessunt. Qui cum videret, nullam inter eos firmam & solidam pacem coalituram, hominémque ex dotibus, quas in eo perspiciebat, maiori functioni idoneum, atque accommodum; retinuit eum apud se, renunciatque accusatoribus integrum iam sibi fore, vt alium, quem velint, sibi præfectum asciscant. Magnóque deinde Pontifex studio in *Nicolaum* ornandum (*Nicolaus* enim erat Christianum illius nomen) amore studióque propendit. *Albanensi* cum (siue id in cœnobij diui ALBANI, in cuius territorio, vt diximus, natus erat: siue in BRITANNIAE, quæ olim *Albion* dicta est, memoriam fecerit, nescio) Episcopatu, & Cardinalicea dignitate honestauit. Amandauit eum deinde, cum summæ potestatis amplitudine, Legatum in *Daciam & Norwegiam*. Per quem quidam *Norwegios*, ad Christi fidem traductos tradunt. Sed *Norwegy* Christum iam prius induerant, & aliò legatio eius spectabat, si *Saxonem* sequamur. In cuius ego narratione pronius acquiesco: fuerat enim ante hæc tempora non modo *Dacia & Suetia*, sed & *Norwegia* Christianis sacris imbuta. Et regnante quidem *Edrico*, qui *Olauum* excepit, omnes hæ nationes *Hamburgensem* in *Saxonia* Archiepiscopum, vt primarium suum sacerdotem, & Pontificem agnoscebant. Quo honore, Regis huius opera, *Ludensis* sedes per *Romanos* Pontificis Legatum ornata est. Quam, vt maximi in illis regionibus sacerdotij sedem, religionisque magistram, non solum *Dacia*, sed & *Suetia* atque *Norwegia* agnoscere, & religiose colere iussa est. *Platina.* *lib. 14. hist. Dan. pag. 149. & lib. 12 pag. 180*

SVENONE deinde *Daciæ* imperante, *Nicolaus* in *Norwegiam* ab *Eugenio* legatus est. Qui *Norwegiam* proprio primum Archiepiscopo insigniuit. Quo beneficio cum & *Suenos* ornare, & cetera, quæ eo pertinerent, conficere cogitaret: cogitationes perficere non potuit, propter *Suenorum & Gothorum* dissensiones. Perfecit tamen postea, cum ad summum Pontificatum prouectus fuisset. Reuersus enim *Romam*, ANASTASIO postea defuncto, substitutus est; & pro *Nicolao* HADRIANI sibi nomen adoptauit. *Romani* id temporis ex cluso Pontifice, sibi liberam ciuitatis administrationem arrogabant: Consulesque quosdam ad eam obeundam subrogarant. Alebat & incendebat omnium maxime hanc dissensionem & discordiam, *Arnaldus* quidam *Brixianus*, qui (præter alios, quos in vulgus spargebat errores) & hunc pertinaciter asserebat: *Romanum* Pontificem ad ciuilem functionem, quæ ad eum non pertineret, & cuius capax ex Christi institutis non erat, irrupisse. Eam igitur illi detrahendam. Has ille cum passim in vrbe voces iactaret, ab EVGENIO prædecessore HADRIANI, erroris & hæreseos nota aspergitur. Cumque HADRIANVM populus rogaret, vt ad *Lateranum* consecrationis ergo veniret, ille prorsus recusauit, nisi *Arnaldo* vrbe prius deturbato, venire. In offensionem populi mox venit, adeo vt sibi non temperaret ad vlciscendum ardens. Cardinalem sanctæ PVDENTIANAE forte in via publica occurrentem, palam violare, & vulneribus cruentare. Diris mox populum HADRIANVS deuouit. Quæ res efferatos eorum animos ita molliuit, vt & *Arnaldum* extruderent, & Consulibus magistratu cedentibus, summa rerum Pontifici de more permitteretur. Graues ille cum GVILIELMO Rege *Siciliæ*, & FRIDERICO *Augusto*, contentiones habuit. GVILIELMVS cum possessiones ecclesiæ perturbare, vastare, & occupare non cessaret; Pontifex omnes, qui illi parebant, a iurisiurandi religione, qua illi astringebantur, exemit. Et pacificatione tandem inita, vtriusque regni tam citra quam vltra pharum positi, insigniuit titulo; religiosa prius cautione præstita, quod à perturbandis & violandis deinceps ecclesiæ possessionibus, omnique erga eum iniuria abstineret. FRIDERICO, cum multas ille ecclesiæ possessiones vi occuparet, se HADRIANVS opposuit. Sed cum se illius potentiæ imparem videret, pacem cum illo iniit, cumque postea Romæ imperiali diademate cinxit. Quo tempore cum *Romanus* populus grauem aduersus *Teutonicos* tumultum cieret, immisso exercitu magnam FRIDERICVS stragem edidit, multosque cepit. Quos tamen Pontificis rogatu dimisit. Sed ista cum *Friderico* per eum inita pacificatio, non diu integra atque inconuulsa constitit. Quam grauis de inuestitura Episcoporum, quam ad *Platina.*

se contra ecclesiæ canones FRIDERICVS trahebat, contentio abrupit. Quare requestus est per literas HADRIANVS, & quod præter veterem morem, atque obseruantiam PETRI sedi hactenus tributam, in suis literis suum Pontificis nomini prætulisset. Legatos præterea Pontificis (nisi quos ipse euocasset) in *Germaniam* venire non est passus. Ex his & alijs causis, quódque ecclesiæ possessiones occupare non cessaret, FRIDERICVM HADRIANVS anathemate confixit. Obijt deinde apud *Anagniam*, quinto Pontificatus anno.

IOANNES *Carnotensis* Episcopus, *Suisberiæ* natus, de quo postea agemus, cum ad eam diœcesim ventum erit; erat in magna apud HADRIANVM gratia, & sanè quàm familiariter apud eum versabatur, magnáque apud eum dicendi libertate vti solebat. Ad quam tamen cum HADRIANVS prouocare solitus est, & præcipere, vt quid de se, deque *Romana* ecclesia populus diceret, bona fide sinceréque referret. Ille verò, nihil circuitione vsus, non modò reliqui *Romani* Cleri, sed & ipsius Pontificis vitia, quidque populari & dispersо sermone, de ipso alijsque *Romanis* ferebatur, multáque, de quibus male audiebant, in medium protulit. Quos etsi meritò multorum sermonibus vapulare diceret, non potuit tamen negare, quin aliquot ex *Romano* Clero, insigni probitate eminerent, & inter alios *Bernardus* Cardinalis cum Episcopo *Præneſtino*. Hanc in dicendo libertatem adeo non ægre tulit HADRIANVS, vt potius arriserit, & *Ioannem* rogarit, vt si quid sinistri de se * ac *Romana* ecclesia in vulgo spargi audiret, id quam primum renunciaret. Multáque ille cum *Ioanne* disseruit, quibus partim suam culpam agnoscebat, partim se purgabat, inter alia apologum illum, quo cetera membra aduersus stomachum seditiosè conspirabant, quasi ille iners & otiosus reliquorum membrorum omnium labores deuoraret; ad suam & ceterorum principum purgationem, scitè & commodè adhibebat. Solebat HADRIANVS dicere, nullius hominis conditionem, cum maiore miseria coniunctam, quàm *Romani* Pontificis: tantamque esse dicebat, oneris & functionis ipsius magnitudinem, vt illi, si nihil aliud aliunde vrgeret, succumbere necesse haberet. Se nullos placidos & tranquillos dies, postquam monasticam illam vitam, in qua apud beatum RVFVM versatus est, deseruerat, duxisse; & nouas semper, cum nouarum dignitatum accessione, accumulatas molestias. Sed præcedentis vitæ vniuersas, modicas aut nullas fuisse, præ vt fuerunt, quas Pontificatus iste dedit. Successit autem HADRIANVS, non vt quidam scribit, EVGENIO, sed Anastasio, vt diximus, qui EVGENIVM excepit. Magnifice verò EVGENIVS iste de ANGLIS sentiebat, quos dicebat, ad quamcumque rem, animum applicarent, esse præ alijs aptissimos & dexterrimos, nisi quod leuitas nonnumquam ipsorum actiones deformaret. Ad hunc HADRIANVM HENRICVS Rex ANGLIAE litteras scripsit, vt sibi bona cum illius venia & voluntate, *Hiberniam* armis subijcere, eamque ab agresti illa, ad magis ciuilem vitam, institutáque ecclesiæ, à quibus illa immane quantum recesserat, reuocare liceret.

Vide Ioan. Sarisb. li. 6 denugis curialium. ca. 24.

* *alias &.*

Idem lib. 2. c. 15.

Saxo Grammaticus.

Idem lib. 6. c. 19.

De

De HENRICO *primo*, & MATHILDE *vxore eius.*

CAPVT III.

DEFVNCTO absque liberis RVFO principum virorum in ANGLIA animi, in quem potissimum successorem inclinarent, aliquamdiu pendebant. Sed diligentia, sollicitudo, & variè, omnibúsque gratissimè HENRICI promissiones, facile hanc omnium ad eum animos, suffragiaque conuertêre. Pollicitus est enim se regnum ANGLIAE, ecclesiamque cum primis in veterem libertatem & consuetudinem, legésque illas diui EDOVARDI populo admodum plausibiles (antiquatis & abolitis prauis illis fratris & patris legibus atque consuetudinibus) primo quoque tempore repositurum. Hæc aliaque id genus illius verba, religiosa præsertim iurisiurandi contestatione confirmata, tam iucunde omnium auribus animisque illabebantur, vt relicto maiore natu fratre ROBERTO (qui adhuc ex Hierosolymitana profectione non erat reuersus) omnium tam Cleri quam populi vota, promptissimis in eum suffragijs confluerent. Diadema capiti eius imposuit MAVRICIVS *Lonaiensis* Episcopus, quasi omnium ANGLIAE Episcoporum vt appellant, Decanus, sine præiudicio *Cantuariensis* ecclesiæ, vt diserte ex scripto testatus est. ANSELMVS enim adhuc in exilio manebat. HENRICVS mox edicta publica promulgauit, quibus contestabatur, se ecclesias Dei in antiquam liberamque conditionem restituere, nec velle se eas aut venditioni, aut locationi exponere. Nolle se, defunctis Episcopis aut Abbatibus, quicquam sibi ex prouentibus intermedijs decerpere. Nolle se supremas tabulas hominum conuellere, aut infringere: liberum futurum, cum suprema sua ordinent, stilum, liberum quod iterum non redit arbitrium. Sin quisquam repentino fato, antequam supremas tabulas ordinet, abripiatur; fas & liberum fore vxori, liberis, aut parentibus, eam bonorum defuncti distribuendorum rationem inire, quæ animæ defuncti maxime esset fructuosa. Et in cunctis quoque causis multa in hoc edicto, ad summam iuris æquabilis, rationisque æquitatem temperata sunt. Amandauit quoque nuntios in *Gallium* qui ANSELMVM domum reuocarent, suóque & procerum nomine dicerent, omnia in illius voluntatem & arbitrium post reditum conferenda. Sed tamen reuersus ANSELMVS inuersam rerum scenam offendit, nouisque ille molestijs lacessitus est. De quibus suo loco dicemus.

Matth. Hunt. Polichron. Florent. Wigorn. cum addit. Ædredus. Rhuna S m. Dun. Gaij.

HENRICVS interim de matrimonio ineundo cogitat, cogitationesque suas cum consiliarijs suis communicat. Reque mature deliberata, MATHILDIS EDGARI *Scotorum* Regis soror, præ ceteris omnibus delecta est. Matrimonium illud cum ob alias causas, tum maxime propter præclaras Virginis dotes & virtutes, & quod regio non modo *Scotorum*, sed & ANGLORVM sanguine illustris esset (erat enim diui EDOVARDI Regis abneptis) Regi & regno ANGLIAE oppido quam accommodum videbatur. Et quemadmodum eiusdem Regis prædictiones, de regni immutatione, grauique seruitute, qua ex aspera & immiti vtriusque GVILIELMI dominatione ita premebatur, vt iam quasi vitio & opprobrio verteretur. ANGLORVM nomen, finem quodammodo; sic & alia eius prædictio, sed magis fausta & melioris ominis, ex hoc matrimonio initium suum habere visa est. Paulo enim antequam mortem obiret, cum iam ex magnitudine morbi linguæ vsu spoliatus fuisset, biduóque fere exanimis iacuisset; repente in quædam verba prorupit. Quibus significauit, & ANGLORVM imperium exterminandum, & in exteros transferendum, & graui seruitutis iugo propter Cleri populique peccata premendum; & huic malo non prius finem imponendum, quàm arbor viridis à sua radice, ad trium vsque iugerum spatium conuulsa, radici truncóque veteri rursus insita, de nouo vireret, floreret, & gemmaret, fructuque etiam ornata foret. Quod ænigma cum ille aliter non explicuerit, multorumque propterea ingenia diu torserit; ipse tamen rerum temporumque euentus & decursus, faciliorem & illustrem illius explicationẽ & enodationem posteris reddidit. Qui in eum fere omnes conueniunt sensum, vt nihil nobis arbor ista aliud representet & referat, quàm regnum ANGLIAE gloria, diuitijs, regia dignitate florescens: radix vero regium semen, vnde omnis iste honor emanauit, & quod hunc honorẽ sustinuit. Quod ab ALVREDO in EDOVARDVM de quo loquimur, defluxit. Hæc arbor altissimis radicibus defixa, labefactata tamen & loco mota, cum

* *lege* illustriorem.

regium semen ad externum,& peregrinum sanguinem traductum est. Trium vero iugerum spacio, id est, trium Regum, HARALDI, & vtriusque videlicet GVILIELMI, temporibus abstracta & auulsa est. Coaluit vero, & coagmentata est in veterem stipitem, & radici rursus inserta atque indita, propter hanc thori coniugalis cum MATHILDE, societatem & coniunctionem. In qua & nouum *Normannorum*, & veterum ANGLORVM regium semen simul commixtum est.

FLORVIT & germinauit hæc arbor in MATHILDE hac, sed maturum suum fructum effudit in filio ipsius Rege HENRICO *secundo*, cum non solum Abbatibus, Episcopis & Principibus, qui ex ANGLIS genus ducebant (cuiusmodi homines tempore *Normannorum* aut nulli, aut rari erant) sed & Rege (quod ab obitu Regis EDOVARDI & cæde HARALDI non prius contigit) qui ab ANGLIS originem suam genusque traheret, feliciter ornaretur. MATHILDIS itaque ista HENRICI vxor, matrem habuit sanctissimam feminam MARGARETAM, sororem EDGARI *Athelingy*, de quo commemorauimus, MALCOLMI Regis *Scotiæ* vxorem: habuit sororem CHRISTIANAM, quæ Christo desponsa est. EDGARVS vero & MARGARETA ab EDOVARDO filio EDMVNDI, (quem *ferreum latus* appellant) nati sunt. EDMVNDVS vero EDOVARDI Regis, licet ex alia matre, frater erat. Nec degenerauit MATHILDIS à materna pietate, cuius vnum illustre specimen subijciemus. Frater eius DAVID, qui postea Rex *Scotiæ* creatus est, cum admodum adolescens in Curia Regis HENRICI versaretur, ad cubiculum sororis aliquando accessit. Quod hominibus ex lepra laborantibus refertum, sororémque Reginam illis immixtam, regijsque vestibus depositis, lintheo præcinctam, aqua ex pelui prope posita desumpta, pedes eorum abluentem, deinde & abstergentem, abstersósque magna pietate suauiantem reperit. Consternatus ille ex facti insolentia, & quasi horrore quodam propter morbi fœditatem & contagionem concussus, Quid agis, inquit, soror? Quo modo deinceps audebis labia ista tua, tam turpiter contaminata & inquinata, Regis & mariti tui labijs admouere? Nunquam ille certè, si hos tuos mores resciuerit, oculum sibi à te infigi patietur. Cui illa subridens: Immo, inquit, quis ignorat sempiterni regis pedes, etiam labijs morituri & momentanei Regis præferendos? Fuit & erga hos & reliquos pauperes larga, benefica & liberalis. Neque hæc eius, intra augustos vitę illius terminos, liberalitas stetit, sed constructo *Lonaini* ad eorum vius hospitio (quod de nomine illius MATHILDIS hospitium appellatur) inuenit rationem, qua sempiternum fereret beneficium, vt sempiternum quoque apud Deum fructum inde meteret. MATHILDIS nudis sæpe pedibus in quadragesima ecclesiam adibat, & sub splendido regiarum vestium apparatu, teneras eius carnes saccus premebat & pungebat.

SED hanc eius laudem commaculare videtur, si (quod quidam tradunt) virginitatem suam Deo prius dedicauit, atque ideo prolem aiunt, si quæ sibi nasceretur, horrendis diris execratam: eiusque execrationis aculeos prolem GVILIELMVM sensisse, cum ex *Normannia* in ANGLIAM transmittens, miserabili naufragio absorpta fuerat. Qui tamen culpam eius extenuare, & imminuere rursus conantur, quòd quodammodo inuita, improbè & importunè hoc matrimonium, tam HENRICO, quam patre eius vrgentibus, ad illud abducta sit. Alij eam in cœnobio sanctimonalium *Vintoniæ* educatam, literisque imbutam, & velatam quidem flammeo, aiunt; non quod solemni Episcopus ritu, sed quod ipsa sibi non constanti & immoto virginitatis proposito, sed vt eo facilius pretextu, obscuros & tantis nuptijs indignos procos reijceret, imposuerat. Et quia eius rei scrupulus quorundam animos torserat, ANSELMVM, priusquam HENRICVS & MATHILDIS in matrimonium coirent, aliquandiu intercessisse, nec absolui de more ecclesiæ matrimonium passum; donec accersitis testibus, causáque accuratè cognita, totáque veritate explorata, scrupulum illum sibi alijsque exemisset. Quorum certé sententia cum veritate, & cum pietate tam MATHILDIS (quæ adeo illustris & celebris erat, vt non alio fere illis temporibus, quàm *optimæ* MATHILDIS nomine appellaretur, quæque in pietatis testationem signis & miraculis post obitum enituit) quam ANSELMI, qui nunquam alioqui illas nuptias non modo præsentia sua, sed & sacris ritibus à se religiosè de more ecclesiæ celebratis, cohonestasset; maxime mihi cohærere videtur. Neque de illa execratione, authores, qui proximius ad ea tempora accesserunt, meminere. De naufragio quidem meminere, sed ita, vt execrandis, submersos Regis filios, & alios pæne omnes, immersos vitijs simul tradiderint. Et GVILIELMVM quidem natu maiorem, regnique hæredem ferociter minas iactasse, quibus minabatur se, si aliquando rerum potiretur, ANGLOS, instar boum ad aratrum circumducendum, sub ingum missurum: quin & *Richardum Cestren-*

sem

sem Comitem, qui eodem naufragio obrutus est, minaciter dixisse, se monachos *Cestrenses*, quos pater ipsius induxerat, prosligaturum.

VTCVNQVE sit (nolumus enim ad iudicij diuini, summæque prouidentiæ rationes curiose & insolenter penetrare) huius MATHILDIS (quæ obijt ad annum millesimum centesimum decimum nonum) consilia HENRICO, regnoque ipsius vtilia, & salutaria fuisse tradunt. In quo licet quædam occurrant improbanda, & in rebus ecclesiasticis, vt dicemus cum ad ANSELMVM venietur & in ciuilibus; & inter alia, quod ob cupiditatem, libidinem, & crudelitatē notatus sit: multa tamen fuerunt quę in eo præclare eminebant, egregiumque in Rempublicam beneficium posuit, quod tributum illud *Danicum* (quod licet ob *Danicas* incursiones solummodo præstabatur, in perpetuam solutionem conuersum erat) sustulerit: vt fuit & illud, quo monetam accisam, corruptam & adulteratam, ad iustum pondus reuocarit, & seuerissimis legibus huiusmodi fraudem coercuerit. Certè, ob doctrinę (quę rara est in Regibus) magnitudinem, *Beauclerke* dictus est. Et tribus illum præcipue dotibus, prudentia, fortitudine, diuitiarum copia (pro qua alij eloquentiam subijciunt, & neutri errant) insigniter amplificatū, passim tradunt. Quibus plurimum vitia sua obscurabat, atque adeo nonnunquam magno artificio tegebat. Sic, cum mortuo ANSELMO, noui Pontificis cooptationem ad quinquennium distulisset, eaque ratione medios sibi fructus, rescisso etiam sacrosancto, de quo diximus, iuramento lucrifecisset; callidè causabatur, hanc omnem moram necessariò sibi extortam, vt post exquisitam deliberationem, aliquem tandem, qui LANFRANCI & ANSELMI virtutibus respondere forte posset, tantæ dignitati sufficeret. Callide etiam à Sacerdotibus, qui concubinis se commaculabant, pecuniam, vt postea dicemus emunxit. Sed hæc & alia peccata, acri pœnitentia prouectiori ætate expiasse creditur. Ad quam post nocturnas quasdam in *Normannia* visiones & terrores obiectos, ex suorum consilio, incitatus fertur. Cum enim postquam iam triginta annos imperasset, sopori se quadam nocte dedisset, primo rusticanam quandam, cum rusticanis instrumentis multitudinem; deinde, cum post ingentem terrorem rursus obdormisset, militum armatam manum: sed & post hunc terrorem discussum, dum somnum capit, vidit Episcopos & Abbates cum pastoritijs suis baculis ad se opprimendum irruere. Ter ille è lecto ea nocte exilijt, & armis correptis, neminem inuenit in quem ferrum stringeret.

CVBAVIT ea nocte in aula *Grimbaldus* medicus, qui & ipse per somnum, hæc omnia Regi ea nocte accidisse, visus est vidisse. Quem cum mane, adhuc cubanti in lecto retulisset, Rex ingenue fassus est, huiusmodi terrores ea sibi nocte obiectos. Regem deinde ille, arrepta hac occasione, hortatus est, ad seriam & celerem vitæ prioris emendationem, vtque olim *Nabuchodonosor Danielis* peccata elemosynis redimere. Hæc author noster *Grimbaldum* ipsum *Godefredo Winchelcumbiæ* Abbati referentem audiuit. Multa certe HENRICVS pietatis iuxtà & liberalitatis, ac præclara monumenta reliquit, de quibus postea dicemus. Quamquam vero graues ei aliquot, cum *Romanis*, vt dicemus, Pontificibus aliquamdiu contentiones fuerint; res tamen tandem in summam quietem, & pacificationem exijt: & cum duobus ille colloquium habuit, cum CALIXTO apud *Gisorcium*, & INNOCENTIO *secundo* apud *Carnotum* & *Rothomagum*. Quos summis honoribus prosequutus est. INNOCENTIO cum *Petrus*, qui *Anacletus* dici voluit, per secessionem & seditionem se opponeret: HENRICVS non modo vero Pontifici INNOCENTIO constanter adhæsit, sed & sua diligentia curáque effecit, vt a *Ludouico* Rege *Gallorum*, totáque *Gallia*, INNOCENTII authoritas religiosè agnosceretur. Obijt ad annum Christi passi millesimum centesimum trigesimum quintum, cum iam annos triginta quinque regnasset. Quem, ante obitum eius, vir quidam pius ante biennium moriturum vere prædixit. Atque cum eo extincta & peremptа simul est, omnis virilis GVILIELMI *nothi* proles, regnique deinde post sexaginta nouem annos administratio, partim ad *Francos* seu *Gallos*, partim ad EDOVARDI ANGLI stirpem, per MATHILDEM MARGARETAE filiam, HENRICI alterius matrem, deuoluta est. Cum enim masculà prole destitueretur, omnium ordinum, inter quos fuit Rex *Scotorum* DAVID, & *Robertus* nothus filius Regis Comes *Gloceſtriæ*, & STEPHANVS, qui postea contra fidem & iusiurandum venit, religione & iuramento, MATHILDIS pro iusta herede agnita est. Comitem illum *Guilielmus Malmesburiensis* magnis, non solum ob militarem, sed & literarum scientiam, ob iustitiam, ob munificentiam, & alias dotes, encomijs ornat. *De reg. li. 5.*

Defunctus est HENRICVS in *Normannia*, stomacho ex esu murenæ, quā, vetantibus tamen medicis, in primis dilexit, vitiato. Mirum vero est, quod vel ex illius cibi esu, vel alia ex causa,

tam fœdus, tam tetrus, tam pestilens humor corpus totum occupauit, vt incommodus odor multis fuerit detrimento, & ab exenterato atque euisceratо, copiosóque sale conspersо, taurinóque etiam corio incluso, adhuc tamen eruperit. Certe, qui caput execuit, experniciem efflante cerebri odore periit. Atque ita non solum viuus, sed & mortuus, hominibus exitio fuit.

De Rege STEPHANO.

CAPVT IV.

Ex Henr. Hunt & Sim. Dunel. ex addit. Flor. Wigor. Nuberg ex chron. Germaſy, vtroque Mat. & libro quodam innominati authoris ad Edouardi tempora hiſtoriam deducti, incipit cum Britannia qua olim & ex chro. Dunſtaplienſi, quod incipit, ab Adam vſque nativitatem &c.

Ex Polid. Virg.

IN STEPHANO orbis capere potest non mediocre, contra importunam & impotentem ambitionem, documentum. Qui, licet vir magnis alioqui dotibus ornatus, immani hac in re se scelere obruit; quasi illud tecum meditatus, *Si violandum est iusiurandum regni ergo violandum est.* Fuit is HENRICI sororis ADELAE filius, Comes *Bononiensis*, & filius *Stephani* Comitis *Blesensium*. HENRICVS vero GVLIELMO filio suo, vt diximus, submerso, cum prole masculа destitueretur, MATHILDEM filiam post obitum HENRICI *Augusti*, cui nupta erat, in ANGLIAM reuersam, in frequentissimo *Londini* omnium ordinum conuentu, heredem, eiusque liberos, si qui nascerentur, renunciat. In quam formulam religiose cum ab omnibus, vt diximus, tam adeo ab ipso STEPHANO iuratum est. Sed mortuo HENRICO, insaturabilis illa dominandi charybdis, illum prorsus absorbuit. Quam eius immoderatam cupiditatem, partim fratrum *Theobaldi Blesensium* Comitis, & *Stephani Vintoniensis* Episcopi, potentia; partim, nescio quæ in speciem plausibiles causationes, ita prouexere, vt mox omnia illi prona fuerint. Pererebuere passim voces, non decere viros feminæ dominatum subire. Prodijt & *Hugo Bigotus*, vir in magna apud HENRICVM gratia & authoritate, qui religiose coram *Cantuariensi* Archiepiscopo iurarat; HENRICVM, cum fata iam eum vrgerent, filiam abdicasse, heredémque STEPHANVM designasse. STEPHANVS interim Procerum populique, quibus poterat, verborum & munerum lenocinijs, & officijs voluntatem sibi adiungere; & multa se emendaturum in sacris & prophanis rebus, in quibus se HENRICVS nimis acerbum præstitisse, & in populi ideo offensionem incurrisse visus est, & nescio quos aureos montes polliceri. His alijsque artibus, abiecta iam passim ab omnibus fere prioris iurisiurandi memoria, quasi in causa aperta & expeditissima, paratam sibi ad regnum viam munijt. Cumque solenni ritu à GVILIELMO *Cantuariensi* diademate insigniretur; conceptis verbis, cum alia, tum & ista iurauit, præfecturas ecclesiarum vacantium, non minimo quidem se tempore retenturum: sed legitimæ (in qua ipse se miscere aut intromittere nollet) electioni statum consensum suum accommodaturum. Nolle se de siluis & venatione, more decessorum suorum, cuiquam molestiam & negotium facessere, tributúmque illud, quod per iugera illis pendi solebat, se repudiaturum. Hæc alijque (quæ & tum promissa, & in *Oxoniensi* postea Procerum conuentu renouata sunt) speciosa quidem erant, & valde plausibilia. Imo & ad biennium, omnia quasi ad votum secundo cursu fluere, & gratis principijs blandiri: DAVID Rege *Scotorum*, & *Baldwino*, alijsque domesticis hostibus fortiter & feliciter repulsis, & in optimam omnes spem erigere videbantur.

QVAM tamen varij, & graues ipsius regis casus, immo & perfidiæ, qui tam sanctè promissa, rebus ex voto prospere succedentibus, prorsus rescidit, fefellerunt: bellorum enim mox & miseriarum, quasi ingens vndique & immanis tempestas in eum irruit, pæneque eum absorbuit: à quibus, vix, vel paulo ante obitum respirare licuit. Ita MATHILDIS AVGVSTA, HENRICVS deinde eius filius cum externo & domestico ANGLIAE milite, regnique sui Proceribus ex omni cum latere exagitarunt. Captus est denique, licet fortiter in prælio apud *Lincolniam* decertans, & in arcta aliquandiu custodia apud AVGVSTAM conseruatus; omnibus iam ad eam confluentibus, eamque pro ANGLIAE iusta principe agnoscentibus. Vxor STEPHANI, AVGVSTAE promittit STEPHANVM, modo dimitteretur, regno se abdicaturum, & monasticæ vitæ initiandum. Neque certe per omnem ille vitam vinculis, & carcere exoluendus videbatur, si fortunæ illa suæ moderari, populique honesto desiderio, leges EDOVARDI restitui postulantis, satisfacere didicisset. Qua in re cum proteruum, & minus liberale responsum dedisset, omnium fere studia ab ea repente in STE-

PHA-

PHANVM abalienata sunt. Illaque à WINTONIA fugiens, equum masculi more ascendere, & ad arcem *Druisiensem* fugere coacta est; & cum vndique terrores imminerent, equo quasi mortua imposita, tanquam cadauer *Glocestriam*, vt vel hac arte vitæ suæ consuleret, deuecta est. Liberatus est itaque carcere STEPHANVS, vt *Robertus Glocestriæ* Comes AVGVSTAE frater (quem regij bello captum in vinculis tenuerant) illis exolueretur. Mox funesta vndique bella increduerunt. In quibus præter immanes calamitates, quibus ANGLIA obruta est, bis in fugam à *Roberto* STEPHANVS pulsus, résque eius indies in deteriori loco versari cœperunt. Cum præsertim summæ spei, fortitudinisque iuuenis HENRICVS, nuper auctus viribus ex *Normannia*, quam ille, mortuo GAVFREDO patre occuparat, in ANGLIAM venisset, & populus procerésque ANGLIAE, passim suppetias illi ferrent. Accedebat ad malorum molem, vnici filij STEPHANI, præmaturè sine liberis intercepti, obitus. Qui CONSTANTIAM *Ludouici* Regis *Galliæ* sororem (à quo si cetera eum omnia destituerent, amicam semper & præsentem propter necessitudinem opem, cuius iam nullam habebat spem, sibi polliceebatur) vxorem duxerat

HAc igitur destitutione, tantisque angustijs perculsus, non grauatim audiebat pacificatoria consilia. Quibus res ita transacta est, vt STEPHANVS quamdiu viueret, regno ANGLIAE, HENRICVS *Normanniæ* vt iustus possessor vteretur fruereturque; adque eum, post obitum STEPHANI, ANGLIAE regnum, tanquam verum & genuinum heredem deuolueretur Ἀμνησία deinde constituta; & præteritarum factionum memoria abolita. Quæ omnia amplissimo procerum, tam ecclesiasticorum quam profanorum consensu, confirmata & constabilita sunt. STEPHANVM vero, qui hactenus nudo Regis nomine, in his tam turbulentis & tam diuturnis motibus frui videbatur, iam omnes instar iusti & legitimi principis agnoscere cœperunt; iamque in summa & alta pace constitui cœpit, qua tamen exiguo tempore fruebatur. Proximus enim annus & regnum, & vitam illi abstulit. Ita nec regno, quod (duplici in se admisso contra verum & germanum hæredem, & contra iusiurandi religionem scelere) inuasit; nec ipse diu quiete potiri, nec ad suam prolem transfundere vllo pacto valuit. Sed post tantam, tamque immanem regni deuastationem, post tantum humani & christiani sanguinis absorpti, ad iustum heredem transferre ingratis cogebatur. Hunc autem turbulentum, & tragicum regni ipsius statum atque motum, grauesque illius miserias & casus, multa multo antea præmonstrare, & prælagire videbantur. Eo enim die quo in ANGLIAM STEPHANVS appulit, summa hyeme, tanto, præter rationem temporis, cœlum tonitru contremuit; tanta vibrarunt fulgura, vt suprema mundi tempora imminere crederentur. Quo autem die regni initiationis solemnia celebrata, pacis osculum, quod in mysterijs sacris, ex ritu ecclesiæ dari consueuit, oblitione, sed summæ illius per tot annos regni, & pacis perturbationis præsagitrice, penitus prætermissum est. Tristia etiam & infausta omnia omnium animos, qui STEPHANI partes sequebantur, quæ in diem Purificationis beatæ MARIAE, eúmque ipsum quo STEPHANVS bello captus est, incidêre; terruerunt. Cum enim ALEXANDRO *Lincolniensi* sacra celebranti, cæreum de more STEPHANVS offerret, repentè confractus est. Pixis etiam, qua sacra mysteria super altare conseruabantur, rupto filo, in altare decidit. Ita quàm toti regno pernicioſa, quàm parum ipsi STEPHANO, aut proli eius fructuosa fuerat importuna illius ambitio, satis iam vidimus. Videbimus etiam suo quoque loco, paulo post; quàm iusta Dei vindicta, quanta mala in eorum etiam caput, idque STEPHANO ipso authore, reciderint: qui spretis legibus, spreto iureiurando, STEPHANVM præcipiti præ alijs studio, ad regium hoc decus prouexere.

Ex libro quodam innominato authoris qui ex Hen. Hunt. Gul. Mal. & alijs ea Eadmeri tempora historiam deduxit. Quo vocabulo cum Britannia quæ olim &c.

50 De

De Rege HENRICO secundo.

CAPVT V.

Ex Gervasio Nichol. Trivet. utroque Matthæo Polydor. Petro Blesf. Nuberg. Reg. Honed. Polid. & alijs.

QVEMADMODVM STEPHANVM in exemplum ceteri Reges, ne ambitiose & importune aliena regna appetant; ita hunc HENRICVM in exemplum rapere possunt & debent, vt iustè, moderatè, sanctè, propriæ vitæ rationes gubernent: neque ad ecclesiæ dignitatem intersit indam, exterminandam, & deprimendam, potentiæ suæ magnitudine intemperanter abutantur. Qua ille ceteros omnes suos decessores & successores, fere obscuratsse videtur. Ita vndique creuerat ANGLIA & *Normannia* per matrem, *Andegauia* & *Cenomania* per patrem; *Aquitania* & *Pictauia* etiam auctus, quas dotales habebat ex matrimonio *Alienoræ* a *Ludouico Franco* per causam propinquitatis repudiatæ: BRITANNIA præterea, quam dotalem habebat *Galfridus* filius. Accedit ad cumulum amplitudinis & *Hiberniæ* Principatus. *Northumbriam* & *Cambriam*, quas *Scotus* ex voluntate STEPHANI possederat, ei excussit; eumque etiam varijs bellis & discordijs fractum & debilitatum, pro *Scotia* beneficiarium, vt & *Wallum habuit. Ad hunc tanquam ad honorarium arbitrum, Reges longe positi, Nauarræ, inquam, & *Castellæ*, controuersias suas exponendas detulere. Huius potissimum præsentiam principes, militesque sacræ expeditionis, quasi tutissimum & firmissimum, laborantibus & labentibus istis rebus, præsidium, flagrantissimis votis expetebant. Et fuit ille quidem multis, magnisque ingenij, corporis, animique dotibus, & præclaris quibusdam virtutibus, insigni erga milites præsertim munificentia; & erga populum, quem raro, & erga ecclesias, quas tributis nunquam onerauit, literisque ornatus. Qui cum a grauioribus regni negotijs vacaret, aut lectione, aut audiendis viris doctis, qui varias in medium positas quæstiones expediebant; tempus consumebat. Sacras dignitates nunquam venales habuit. In eleemosynis multus erat, & in pauperibus, quos potentiores opprimebant, vindicandis, acer; ANGLIAMque diligenter peragrabat: omniumque se querelis exponebat. Ter felix princeps, si hanc omnem amplitudinem & laudem, graues, & aduersi, tallacis & lubricæ fortunæ casus, aut, vt verius dicam, multiplices illius, & magnæ erga Deum, sponsamque Dei ecclesiam, propriamque etiam sponsam [illegible]EENORAM, culpæ turpiter non commaculassent.

Ex Blesensis epistola 63.

ATQVE, vt à postremo primum ordiar, genialis thori sacramentum, asciris cum alijs, tum celebri illa puella *Rosimunda*, ad stupri consortium violauit. Sed reliquam in hoc genere turpitudinem superat, quod ADELAE *Philippi Franci* sororis, RICHARDO filio pactæ vxoris, non solùm verbis parum castis pudicitiam tentarit; sed etiam, vt ferebatur, expugnarit. Quid? quod repudiata iusta vxore, illam sibi in vxorem asciscendi, & prioris matrimonij liberos in gratiam *Adelianæ* prolis, si forte aliqua extaret, abdicandi, consilia agitasse credebatur? Hoc satis constat, multa illum tergiuersando & causando, matrimonium RICHARDI, adeo traxisse, vt bellum ei ob hanc causam *Francus* denunciarit; adeoque fuisse postea propter sinistram hanc suspitionem, ab ADELA auersum RICHARDVM, vt ea reiecta, BERENGARIAM *Nauarræ* Regis filiam vxorem sibi adiunxerit. Non mediocri deinde famam & existimationem suam labe aspersit, quod & supremas GALFRIDI patris tabulas, iureiurando etiam proprio confirmatas; & aliud, idque triplex etiam, de sacra expeditione obeunda, iuramentum violarit. Et primum quidem, cum illud iter ei ob expiandam diui THOMAE mortem, à Pontificis Legatis post triennium imponeretur. Secundum, quod cum *Ludouico Franco*; tertium verò, quod cum *Philippo Ludouici* filio, communibus studijs suscepit. Sed an in tertio iuramentum intercesserit, liquidè nolim pronunciare. Sed quod de tabulis patris dicitur, hac satisfactione extenuant, quod *Romanus* cum Pontifex omni religione exoluerit; cum illud non a libera voluntate profectum, sed ne patris memoriam iniuria afficeret (Pater enim, cum suprema illa sua ordinaret, Episcopos. Proceresque iureiurando deuinxerat, ne corpus suum prius terræ mandari paterentur, quàm filius iuramento suo, tabulas suas ratas habuisset) naturali & violento erga patrem pudore, extortam. Dimissam vero, tam necessario tempore, sacræ expeditionis curam, *Galli* HENRICO, nostri domesticis seditionibus, & *Galli* qui *Normanniæ*, & alijs Regis ditionibus imminerent; vitio asscribunt. Ego vero neutrum crimine prorsus exoluerim. Quod

apud

apud quemcunque demum relidear, magno vtriusque, & reliquorum Christiani orbis probro, sacra vrbe, & contributis illi regionibus, turpiter, dum tam necessarij & votiui itineris consilia apud illos consenescunt, post paucos annos exuti sumus.

SED non tam facile illam, de iniuria diuo THOMAE illata, necéque eius, inuasáque ecclesiæ, & debilitata perenni dignitate, & sacrosanctis promissis suis conuulsis, quibus de rebus diffuse posthea dicemus, labem eluerit; nisi forte eam pœnitentia apud Deum, quod spero & opto, eluerit. Quæ, vt sunt nonnunquam vehemens & ardens, illique, vt posthea dicemus, valde fructuosa; & releuandis eius angustijs oportuna; ita, an fuerit tam iusta, constans, & solida, arque res & ipsius promissa postulabant, alijs cogitandum relinquo. Neque hoc dico, quod cædem THOMAE mandasse crediderim, sed quod nefarij viri ex dicto quodam, quod illi ira ardenti exciderat, occasionem arripuerint. Propter quam, & ob alia, quæ attentarat, vestem exuens, nudum corpus de more pœnitentium ecclesiasticæ disciplinæ exposuit; totúmque se in *Romani* pontificis, & Legatorum potestatem permisit. A quibus expeditio illa sacra intra triennium mandata est, & alia quædam. Proditur & id conuenisse inter Legatos & vtrumque HENRICVM, vt nemo post illos regio nomine insigniretur, nisi quem pontifex *Romanus* designasset. Qua de re nihil satis certæ fidei hactenus, apud nostræ gentis historicos reperij, nisi apud *Petrum Blesensem* illius temporis æqualem. Apud quem Rex ipse HENRICVS huiusmodi quædam in sua contra filios, arma nefaria in ipsum mouentes (contra quos spiritualem ALEXANDRI gladium implorat) querela innuere videtur. Licet absens (inquit) corpore, præsens tamen animo, me vestris aduoluo genibus consilium salutare deposcens, vestræ iurisdictionis est regnum ANGLIAE, &, quantum ad feudatarij iuris obligationem, vobis duntaxat obnoxius teneor. Hæc ille conceptis verbis. Sed, vt ad id quod dicere cœperam, reuertar, constat certe HENRICVM multos suo arbitratu, ad sacerdotia, & Episcopatus, homines illi functioni ineptos & inidoneos, prouexisse; appellationes in causis sacris ad *Romanum* pontificem, & ipsius Legatos ab ANGLIAE ingressu, nisi iuratos priùs se nihil contra leges regni molituros (quod illis metus seu dona extorsere) submouisse; multaque alia sibi arrogasse, quæ cum rationibus, & scitis ecclesiæ non cohærent.

ILLVD etiam constat, multa illum, quę religiosè de ecclesię scitis conseruandis, & ne vacuæ & desolatę ecclesię bona possessionésque inuaderet, deque obeunda votiua expeditione promiserat; aliáque id genus rescidisse. Nec minus, non modo *Galliæ* & *Scotiæ* Reges, Comitem *Flandriæ*, multosque ANGLIAE, & transmarinę suę ditionis principes; sed & HENRICVM, quem nuper in regni consortium præcipiti consilio asciuerat, cum reliquis fratribus, atque ideo vxore ad eum euertendum, purpuráque exuendum conspirasse. Multa, præsertim per Episcopos tentata sunt, in quibus vxorem & filios Regi reconciliarent. Quibus nisi mature dicto sint audientes, illaque ad virum, quem inofficiosè reliquerat; isti depositis armis, ad officium redirent, anathema *Rothomagensis* minatur. Pulchram præterea RICHARDVS *Cantuariensis*, & alij suffraganei eius, epistolam ad iuniorem HENRICVM misere, quę illustres laudes, felicesque successus complectitur multorum, qui principibus, eisdemque parentibus officia, cultum & pietatem præstiterint, insignésque simul calamitates pœnásque, quibus alij, qui Reges parentesque suos contumeliosè habuerunt, nobilitati sunt. Multis etiam alijs præclaris rationibus, ad officium eum reuocare conantur. Et si initiora remedia non proficerent, diris se eum omnibus deuoturos minantur. Sed surdo hæc omnia cecinerunt. Verumenimuero, cùm pater periculum hoc omne admirabiliter, quando animum pæne desponderat, supplici apud tumulum diui THOMAE intercessione (ob cuius offensionem, illud sibi diuinitus immissum arbitrabatur) discussisset; filiósque & ceteros ad amicitiam officiúmque reuocasset: ecce tibi, post decennium nouos cum fratre GAVFRED omotus contra patrem ciet. Quibus posthea cum HENRICVS defunctus esset, en rursum RICHARDVS, cum bellum inter HENRICVM & *Gallum* maxime ferueſceret, à patre ad hostem, cum fratre IOANNE, se ad patrem infestandum proripuit. Cúmque indies magna pars transmarinæ suæ ditionis *Gallo* quotidie accresceret, ex doloris magnitudine, & impotenti quadam animi ægritudine; corporis quoque ægritudinem, & mentis prope alienationem, quia, nescio quæ in diuinam prouidentiam contumeliosè iactabat, contraxit. Nec ita multo post, cum iam triginta quinque imperasset annos, ex humana vita abijt, sepultus in cœnobio feminarum apud *fontem Ebrardi* in *Normannia*. Quo cum funus deduceretur, RICHARDVS filius fit obuiam, visóque patris cadauere, totus lachrymis oppletus est. Ad cuius aduentum sanguis (mirum dictu) ex naribus demortui copiosè profluxit.

Epistola apud Petr. Blos. 28 & 29.

Petr. Blesensis. epistola 63.

A D quod tantum tamque difficile iter, vt esset pecunijs, rebusque alijs omnibus instructus, thesauris paternis, qui semotis vasis aureis & argenteis, lapidibusque pretiosis, nongenta librarum millia superabant: incredibile dictu est, quantam, ANGLIA vndique pecunia exhausta, accessionem dederit. Decimam enim omnium ordinum homines, tam sacri quam profani contribuebant: grandem pecuniam pro redimendis suis arcibus, quæ in Regis potestate erant *Scotus*; grandem *Dunelmensis* Episcopus, tam pro *Sexburgensi* prædio, quam *Northumbrensi* Comitatu emendis Regi, & alij infinitam quandam pro alijs rebus coëmendis repræsentarunt. Nihil enim erat, vel ex regijs possessionibus, vel aliunde, vnde lucrum conflari, & pecunia corradi potuit; quin venum, pro exprompta pecunia, expositum sit: aut pignoris iure ad alios deriuatum. Quin & post Regis abitionem, GVILIELMVS *Elyensis* regni Cancellarius, singulis ciuitatibus, duos equos, hominum, duos rerum, & onerum vectioni & cœnobijs singulis itidem duos: alterum ad priorem, alterum ad posteriorem vsum idoneos; & à multis etiam alijs laicis hominibus extorsit. Sed illud illiberalius & sordidius, & nimis captiosum, quod RICHARDVS causatus sigillum regium, nescio quo casu interciduisse; nouum confici, & diplomata omnia veteri consignata, nouo denuo consignari ab eis, qui possessionibus & priuilegijs suis securè vti, & frui desiderarent, præceperit. Explicaturo itaque hanc RICHARDI profectionem, quam ille primus & postremus omnium BRITANNIAE & ANGLIAE Regum (quamuis & EDOVARDVS etiam *primus*, sed antequam Rex designatus esset, eandem tuscceperat) magna sua cum laude, qua, rerúmque gestarum magnitudine, cæterorum Regum & principum, qui illius itineris hoc sæculo comites erant, splendorem obscurauit; suscepit; nec à suscepto historiæ huius ecclesiasticæ scopo alienum, nec à lectoris voluptate, & aliquo etiam, vt arbitror, operæ pretio alienum & remotum videtur, si altius, & quasi ab ipso, quòd dicitur, ouo, repetitam de sancta Cruce, sancto Domini sepulchro, sanctáque vrbe à barbaris, & Christi hostibus vindicata narrationem, ad RICHARDI, & deinde ad posteriora etiam tempora, per summa rerum compendia hoc loco continuatam orationem subiecerim, & vno quasi falce constrinxerim. Ea præsertim, quæ vel RICHARDVS, vel alij nostri in ANGLIA Principes ac Proceres, aut in sacra terra, aut domi eius subleuandæ causa, post RICHARDVM egerint.

De sancta Cruce & Ciuitate, per HERACLIVM *Imperatorem, à Persis recuperata, deque illius Ciuitatis statu, ad quadringentos nonaginta postea annos.*

CAPVT VII.

IAm antea, quomodo, diuinis admonitionibus excita, diua HELENA CONSTANTINI mater Crucem, & sepulchrum Domini turpiter ab Ethnicis obruta repererit, magnificisque templis structis, Seruatoris memoriam honorarit, diximus, nec erit noua repetitione hic opus. A quo tempore, pace passim per Imperium *Romanum* Christi ecclesijs, CONSTANTINI beneficio data, frequens vndique ad inuisenda sacra Seruatoris monumenta, ad præsepe, ad incunabula, ad Crucem & sepulchrum Seruatoris adoranda, cum ex reliquo orbe, tum ex nostro BRITANNICO (vt *Hieronymus* testatur) quasi ex nouo quodam orbe, concursus fieri solebat. Diuisus, inquit, ab orbe nostro BRITANNVS, si in religione processerit, occiduo sole dimisso, quærit locum, fama sibi tantum, & Scripturarum lectione cognitum. Adijciamus & quod paulò ante de hac peregrinatione dixerit. Longe est, inquit, ab ascensu Domini vsque ad præsentem diem, per singulas ætates currere, qui Episcoporum, qui martyrum, qui eloquentium in doctrina ecclesiastica virorum venerunt *Hierosolymam*; putantes minus se religionis, minus habere scientiæ, nec summam, vt dicitur, manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis, * à quibus primum Euangelium de patibulo coruscauerit. Hanc igitur sanctam ciuitatem, quamdiu in Christianorum potestate manebat, certatim ex omni natione, homines religionis ergo adibant; hanc à barbaris adempram, quasi & ipsi in eorum fuissent quoque potestate, mirificè Christiani passim dolebant: omnibus tam ple-

In Hier. ad Marcellam Gal. Teste de ante bello Chron. sig. annal Constant. Patriarcha Nicephor.

* *alias* de

beis quàm Principibus, tam priuatis quàm publicis opibus, communique studio obnixè contendentibus; nec pecuniam modò, sed & vitam promis animis profundentibus, quo *Syriam* & sanctam Ciuitatem, cum sacrosanctis monumentis, à barbarorum manibus aliqua ratione extorquerent. Cuius expeditionis varios euentus, iam paucis prosequemur.

* S. post Constantinum.

* TRECENTOS itaque totos annos, christianis hoc iter liberè patuit, sanctæque ciuitatis, sacrorúmque pignorum possessio integra, & illibata permansit. Primus eam *Cosdroe Persarum* Rex perturbauit, & violauit, *Syriaque* in suam potestatem redacta, captáque Ciuitate, immanem in ea stragem edidit; triginta sex millibus ciuium cæsis, euersóque templo domini cum alijs ecclesijs, Crucem dominicam, cum *Zacharia* Pontifice, & infinita populi *Syriaci* multitudine, in *Persidem* abduxit. Et vt *Mahometi* discipulum agnoscas, templum, eo loci, quo olim illud *Salomon* construxit, reædificauit. Sed post quatuordecim annos, variis priùs ab HERACLIO Imperatore bellis confractus, à filio cæsus est *Cosaroa*, redditáque est deinde Crux sancta, cum *Zacharia* & aliis captiuis. Quam suis HERACLIVS humeris in vrbem solenni, celebríque pompa, amplóque apparatu deferens, in *Caluariæ* monte defixit. At in ipso portæ illius, quæ *Caluariam* respicit, ingressu, cum pedem vltra nulla ratione promouere potuisset, subsistere cogitur. Quæ res cum omnium animos admiratione & stupore percelleret, Verendum est, inquit, *Zacharias* Pontifex, qui astabat, ne, non satis Christi actionibus, qui cum summa animi demissione & humilitate, parique paupertate, Crucem huc deferebat, pompa ista, tamque magnificus rerum terrenarum nitor respondeat. Ad hanc vocem HERACLIVS regias vestes, calceósque exuens, plebeiáque veste amictus, rursum iter tentat, & inoffenso cursu, mox obiuit.

SED post septem annos *Saraceni*, post biennij obsidionem, *Hierosolymam* capiunt. Christianis tamen tributum annuum pendentibus, permansionem, liberúmque religionis nostræ cultum, & deiecti, vt diximus, templi dominici restaurationem permiserunt. Totóque postea quadringentos nonaginta annos, *Syriæ*, vrbisque imperium Christianis, partim *Græcorum* socordia, partim auerso à nobis, propter offensarum nostrarum magnitudinem Deo, ablatum est. Christiani interim, qui vel vrbem incolebant, vel pietatis gratia illuc peregrinabantur, à *Barbaris*, *Persis*, *Ægyptijs*, *Turcis*, qui nunc hi, nunc alij crebra vicissitudine imperabant; aliàs clementiùs & leuiùs; aliàs durius & acerbiùs habiti sunt. Sed nunquam mollius, quàm imperante CAROLO *Magno*. Qui cum *Aarone*, cuius imperium latissime eo sæculo per orientem diffundebatur, arctam amicitiam, quo magis christianis, qui in *Ægypto*, *Africa*, & *Oriente*, & *Hierosolymis* potissimum inopia premebantur, supperias ferret, iniit. Quas & prolixè tulit. Eos verò non audio, qui CAROLVM in *Syriam* cum exercitu penetrasse, eamque *Saracenis* abstulisse, *Græcisque* reddidisse, tenui aut nulla potius fide, leuiusculè prodidêre. Aliorum verò omnium benigna, & moderata dominatio videri poterat, præ vt sunt ea, quæ *Hequem Ægypty* Caliphæ rabies dedit; qui & immanibus pactionibus atque iniurijs Christianos onerabat, & ipsas ecclesias solo æquauit. Quas tamen post trigesimum septimum annum, filius eius *Daboris* restaurari permisit. Restitutis tamen ecclesijs, misera & miseranda plane fuit, tam peregrinorum, qui eò confluebant; quàm incolarum conditio. Peregrinis, nisi aureum priùs portæ custodibus exoluerent, ingressus non patebat. Ingressi verò, multis sæpè, vt & ipsi incolæ iniurijs, & contumelijs exponebantur.

Anno 1042. *&* 43. *ante vrbis liberationem.*

QVID? quod barbari in nostras, dum sacra mysteria obirentur, ecclesias horrendo quodam furore, & tumultu irrumpentes, in ipsa altaria irruerent, & in iis ad nostræ religionis contemptum sederent; sacros calices, & alia vasa, quæ diuinis vsibus inseruiebant, confringerent: Clerum contumeliis & plagis afficerent, & ipsum Patriarcham barba apprehensum, de solio suo præcipitem deturbarent. Has & alias id genus contumelias & iniurias, cum *Romanus* Pontifex, occidentisque Principes certa fide intelligerent: cœperunt de rebus *Syriæ*, sanctæque Ciuitatis adeò impeditis & perditis (quas, suamque adeò maxima ex parte Rempublicam nimia ignauia pessundederant) tandem restituendis seriò cogitare, cogitationésque suas (quas & antea sæpius, sed irrito semper conatu susceperant) Deo auspice, superiore sæculo vertente, & ferè circumacto feliciter absoluerunt. Quarum rerum narratio proximum caput occupabit, vt inde ad RICHARDVM recta proficiscatur.

De

De expeditione Hierosolymitana, *à principibus quibusdam susceptâ, & quinam hi fuerint, & quidnam eis contigerit, antequam* Nicæam *peruenissent.*

CAPVT VIII.

DECANTATAM itaque illam, omniumque sermone tritam maximéque aliarum omnium, quas Christiani vmquam Heroes susceperunt, illustrem expeditionem iam ingredimur, quę eminenti suo splendore ingenij mei imbecillitatem perstringit, & magnitudine sua dictutientem me plane obruit. Neque nos quidem id nobis assumimus, vt absolutam eius aliquam historiam hic prodamus. Qua in re & arrogaremus nobis, quod supra nostras vires est, quodque integra volumina impleret; & actum plane præterea ageremus. Satis igitur abundéque nobis erit, quasi in parua tabula summam rei rudi penicillo adumbrare. *Petrus* igitur quidam *Ambianensis*, qui solitariam & eremiticam vitam coluit, tanti boni seminarium quoddam fuit. Qui cum sacra loca magno quodam pietatis ardore, longo difficilique itinere obisset, Christianorumque illic positorum miserias, non solùm auribus, sed & oculis vsurpasset, & partim in se ipse expertus esset, conditionemque præterea rerum omnium, accuratius à Patriarcha *Hierosolymitano* aliisque pijs intellexisset: diligenter eos admonuit, vt summum *Romæ* Pontificem, & Christianos in Occidente Principes per litteras, de conditione Christianorum in *Syria* & sancta vrbe, certiores facerent. opémque implorarent: se nihil ad extremam diligentiam laborésque quantoscúmque sibi recusarum, quo sacrum hoc iter promoueret. Videbatúrque in aliquam meliorem iam spem deplorati homines sua oratione erexisse. Et beneficium verbis quidem tum initum, facti abunde postea, quoad eius fuit, præstitit.

En Vulcher. Carnot. cui Tirio & Par. & multis debuit. Franc. carnot.

HOMOBONEM verò per se satis propensum ad hunc laborem strenuè capessendum, vox in sacro templo pernoctanti, & iam post longas orando lucubrationes, somno cedenti diuinitus obiecta, magis tamen incendit. Qua cum, ad susceptam prouinciam strenuè obeundam Deus animauit. Instare enim tempus, quo *Hierosolyma* ab impijs per pios vindicaretur. Reuersus ille, VRBANO summo Pontifici litteras tradidit, nec destitit, alijs etiam quibus potuit rationibus, illum, ad iter sacrum apud Principes, & Christianum populum solicitandum vrgere. Coijt itaque, illo indicente, non multò post celebertima apud *Claremontem* Synodus, vbi postquam litteræ è *Syria* recitatæ essent, & *Petrus* viua voce insignes Christianorum in *Syria* calamitates, non tam auritus, quam oculatus testis, exposuisset, VRBANVS tam accommodatè ad rem dixit, vt omnium animos permolliret, & ad sacram expeditionem inflammaret, magnâque omnes & repetita voce sæpe intonarent, Deus vult. Hanc igitur vocem quasi cælitùs dimissam, pro tessera, inquit VRBANVS, in rebus huius sanctæ expeditionis obeundis vobis arripite; & proficiscentibus omnium delictorum gratiam & abolitionem indulget. Incredibile dictu est, quot & quàm celebres Principes, & quam immensa populi; ex *Gallia*, *Italia*, *Germania*, ANGLIA *Scotia*, *Dania*, *Flandria*, *Normannia*, & reliquæ *Europæ*, multitudo (*Hispanis* interim suum sacrum belluin domi, aduersus *Saracenos* bellantibus) sacræ postea militiæ nomen dederit. Quorum dexter humerus lanea cruce (vt & internoscerentur ab alijs, & innotesceret simul quam, & cuius Principis militiam obirent) insigniebatur, & nobilitabatur. Hanc tam insignem ex nostro Occidente, & tam numerosæ multitudinis profectionem, significasse creditur tam densum illud, & immensum locustarum, quod ipsum solem obscurabat, agmen, in occiduis his regionibus ortum.

ILLVSTRES præ ceteris huius expeditionis duces erant, *Robertus* dux *Normanniæ*, GVILIELMI *primi*, qui ANGLIAM sibi, vt diximus, bello lucrifecit, filius; *Hugo Philippi Galliæ* Regis frater, cum primis GOTTOFREDVS *Lotharingiæ* Dux, & *Bononiæ* Comes, cum nobili illo fratrum suorum iugo, *Eustachio* & *Balduino*, *Roberto* alius Comes *Flandriæ*, cum *Raimundo Tolosatium*, & *Stephano Blesensium*, atque *Carnotum* Comite, & *Bohemundo Tarentino* Principe. Bellum ille ad hæc tempora fratri *Rogerio* intulerat, & *Melphin* vrbem illi ripuerat. Repentè verò, rationibus melius secum subductis & commutatis, & veræ laudis, bellicæque rei solida gloria accensus: profanum atque impium in sacrum, modisque omni-

bus laudabile bellum conuertit. Redditáque fratri *Melphi*, milites pro concione ad hoc iter susciptendum, verúmque militiæ, & non vmbratile decus hortatus, seque ducem professus; cum omnium animos pari ardore succensos videret, arreptum mox paludamentum suum purpureum, in cruces, quibus militum humeros ornaret, frustulatim dissecuit. Post commemoratos, non postremus inter reliquos duces fuit *Petrus Ambianensis*, qui primus secundum *Galterum Sensauerum*, in *Syriam* iter facere cœpit. Corraserat *Galterus* magnam militum manum. Corraserat & *Petrus* ex *Lotharingia*, *Francónia*, *Bauaria*, & *Austria*, milites, & millia circiter quadraginta. Vterque per *Vngariam Constantinopolim* petebat. Quibus partim incolarum ingratitudine & proteruia, partim militum suorum pertinacia, quod ducum dicto non essent audientes; omnes bonæ felicitatès, in hoc itinere aduersæ fuerunt. Sed tandem, magna prius clade *Galteri* in *Bulgaria*, *Petri* militibus in *Hungaria* illata, *Constantinopolim* venere, atque inde in continentem traiecere, iunctisque viribus, multa in *Bithynia* tentantes, à *Solymano*, ad internecionem, pæne deleti sunt.

SIMILIS clades *Godescalcum* sacerdotem, qui quindecim millia *Teutonicorum* ex *Germania* ductabat, qui contumeliosè & insolenter *Pannonijs* vtebantur; & alium quendam postea incompositum, & quasi acephalum exercitum, in *Pannonia* excepit. *Gottofredus*, viam sibi per *Pannoniam* etiam arripuit. Sed cum esset vir prudens, & optimè cùm se, tum & milites moderaretur, dato *Balduino* fratre obside, suos fore *Pannoniæ* innoxios, & à rapina atque insolentia temperaturos; optima cum Regis populique gratia, magnisque à Rege muneribus amplificatus, ditione illius cum exercitu peragrata, *Constantinopolim* peruenit. *Hugo* interim *Galliæ* Regis frater *Dyrrachium* anteà profectus, in arcta custodia à perfido *Græciæ* Imperatore seruabatur. Per *Italiam* enim ille & *Romam*, & vt vterque *Robertus Tolosanus* atque *Blesensis*, cum suis quisque copijs iter carpebat. Atque deinde per *Adriaticum* mare, alij ex *Brundisio*, alij ex *Bario*, alij ex *Hydrunte* *Constantinopolim* versus transmisere. Sed ægrè tandem, vastante omnia vndique circa *Constantinopolim* *Gottofrido*, dimissus est. Nec tamen cessauit posteà in *Latinos* cædendos, *Græcus* furtim suos noctu immittere, de quibus illi se egregiè vlti sunt; tantúmque *Græco* terrorem iniecere, vt obside filio *Ioanne* dato, *Latinos* securiores faceret, & *Gottofredum* palam solennique ceremonia in filium, vt eum magis sibi deuinciret, adoptaret, & amplis muneribus ornatum dimitteret.

ADVENIT deinde per superum mare, *Tarentinus* Princeps *Boemundus*, qui propter graues inimicitias, quæ patri suo cum *Græco* intercesserant; & *Constantinopolim* declinabat, & magna aduersus suspectas insidias cautione, iter tuum conficiebat. Nec falsus est animi prudens homo. *Græcus* enim egregius simulandi & dissimulandi artifex, licet literas amicitiæ, officijque plenas, quibus eum ad alloquium complexúmque suum benignè inuitabat, scripsisset; altera tamen manu panè, altera lapidem, quod dicitur gerens, submisit interim qui omnia in eum, & eius copias hostiliter agerent. Sed tamen cum non longè ab vrbe abesset, à *Gottofredo* tandem delinitus & persuasus, *Græcum* adijt: qui eum humanissimè atque amplè excepit, vt & postea *Robertum Flandrensem*, qui à *Bario* *Apuliæ* *Dyrrachium* traiecerat, vt & *Tolosanus* cum Episcopo *Podiensi*. Qui multis in itinere à *Græcis* iniurijs sunt vexati, & *Podiensis* aliquandiu in custodia detentus. Sed post multa vltrò citróque habita, pacificatio tandem vtcúmque inita est. Venit *Constantinopolim* post reliquos, & *Robertus Normannus* cum suis. In quem multa officia, & magna *Græcus* munera contulit. Qui maturiùs ceteris venerunt, in *Bithyniam* interim transmisere, & ibi aduentum sociorum operiebantur. Tandémque rebus omnibus cum *Græco* compositis, initóque fœdere, quo cautum erat, vt ALEXIVS Imperator *Latinis* commeatum & auxilium, si res postularet, suppeditaret, & quæcúmque terræ *Turcis* interciperentur, illi præter *Hierosolyma* redderentur; reliquus omnis exercitus cum ducibus in *Bithyniam* traiecit.

De

De Nicæa *& aliis* Bithyniæ *vrbibus, déque* Antiochia *&* Hierosolymis *captis à nostris, déque Patriarcha* Hierosolymitano, qui ad HENRICVM *Regem* ANGLIAE, *auxilij petendi ergo missus est.*

CAPVT IX.

MAGNA itaque omnes perfundebantur lætitia, & in mutuum duces, fama tantum prius inuicem noti, aspectum amplexumque ruunt. Recensione deinde militum facta, trecenta millia recensita sunt, e quibus loricatorum equitum centum millia fuere, & mulieres complures in exercitu, quæ à viris diuelli noluerunt, eandem paratæ cum illis subire fortunam. Ceteræ, quæ corpore quæstum faciebant, castris prorsus exclusæ, vt & insigniter flagitiosi. Magnam omnes milites pietatem spirabant. Sacris quotidie audiendis religiosè intererant. Quæ manè, vesperi, & summa atque alta nocte obibantur. De summa deinde rerum gerendarum, deliberationem Ducibus inita, *Niceam* petendam ab omnibus decernitur. Quæ cum esset fortissimis militibus, rebúsque omnibus ad defensionem munitissima: obsidio ad quinquaginta duos dies trahebatur. Post quos, decima mensis Iunij à nostris expugnata est. *Solimanus* non ausus cum nostris congredi, cum sexagies mille suorum in montibus se continebat: ad primam quamque oportunitatem in nostros, à socijs sæpe iunctos inuolaturus. Qua captata, *Boemundum*, copiásque eius prorsus oppressisset, si *Francus* commodum, & in ipso, quod dicitur, articulo non interuenisset. Nobile itaque nostri de barbaris trophæum tulere, cæsis ad quadraginta circiter millia. De nostris duo tantum millia cecidere. In hoc prælio *Robertus* cum *Normannis* suis præclaram nauauit operam. Post hanc victoriam, passim nobiles Ciuitates aut nostris se dedunt: aut non ita magno negotio capiuntur *Antiochia*, *Pisidiæ*, *Iconium Licaoniæ*, *Heraclea*, *Marasia* (vbi GVTVERA ex ANGLIA oriunda, selectissima matrona & *Balduini* vxor, obijt) *Tarsus* deinde *Ciliciæ*, ac *Mamistra* & ceteræ vsque ad ipsum *Euphratem*.

Ex Fulcherio Gul. Tyrio Epistolis Godefrid. Duci ad Pascha tum. Nuberg. Paul. Æmil. & alijs.

POTIVNTVR deinde nostri, absque sudore & puluere, quod aiunt, nobili *Edessenorum in Syria* ciuitate, quæ vt orientem nostram religionem statim amplexa est, ita semel hausta, in tot & tantis templorum conuersionibus, in tam frequenti dominorum, sed fidei hostium commutatione, omnibus vndique nihil nisi *Mahometem* personantibus, integram & illibatam conseruauit. Quorum exemplum mox sibi *Samosatenses* & *Sororgienses* ad præclaram imitationem arripiunt. Maximi verò momenti *Sororga* vrbs erat, media inter *Edessam* & *Antiochiam*, atque eò, nostrorum vsibus, qui toti iam *Antiochiam Syriæ* & totius orientis caput & arcem cogitabant, maxime accommoda. Ex hac vrbe christianorum primum nomen manauit. PETRVS antequam Romam veniret, septem ibi annis sedit: viginti prouincias sub sua hac vrbe ditione habebat, & metropolitanos Archiepiscopos quatuordecim. In sex reliquis, Episcopi duobus præsidibus, quos catholicos appellabant, parebant, *Marasia* deinde, *Turcis* nocta fugam capessentibus, nostris sine aliquo labore aut sanguine accreuit. Sola iam *Arrasia*, quæ quindecim tantum millibus passuum ab *Antiochia* remota erat, nostris negotium præbebat: *Turcis* omnibus viribus, ne in christianorum manus veniret, vnde facilem sibi ad oppugnandam *Antiochiam* aditum munirent, obnitentibus. In huius vrbis contra *Turcas* ponte occupando, præclaram operam *Robertus Normannus* cum suis posuit. Quo tandem & potiti nostri sunt, castraque deinde prope *Antiochiam* posuere, ad eam oppugnandam omnia molientes. Qua inter prouinciam prope deploratam susceperè. Nam præterquam quod naturalis loci firmitas valtis montibus, *Oronteque* fluuio per se munita esset, præter duplicem murum, ducentis sexaginta turribus insignitum; accesserant nuper cum magno commeatu, rebusque omnibus ab bellum necessarijs, septem equitum, & viginti peditum millia.

VIDEBATVR itaque omnes nostrorum conatus, obsidionemque prorsus elusura (quam nec omni ex parte cingere propter locorum capacitatem, & asperitatem poterant) nec alia ratione quam fame domari posse. Qua sola vigente, non ante paucos annos *Turcæ* se dedere, post diuturnam obsidionem cogebatur. Quod de his, tam recens à rebus omnibus paratis, sperari non potuit. Atque huius quidem difficultatis magnitudinem, euentus ipse in nostris ostendit. Qui non modo omnem prorsus luisset operam, sed & in summum ipsi vitæ

discri-

discrimen, & internecionem adducti fuissent; nisi Deus repente, quasi ἀπὸ μηχανῆς, subsidio rebus planè conclamatis venisset. Etsi enim nihil à nostris prætermissum fuerit, quod vel ad fortis militis, vel ad egregiorum & præstantium Ducum officium, laudémque spectaret, multáque præclarè aduersus hostes, qui eos pabulatum egressos ex insidijs adoriebantur, gesserant: ad summas tamen tandem miserias, & Saguntinam plane famem, quæ nec ab equorum, nec ab hostium corporibus temperaret, redigebantur. Accedebat & hyemis summum per se, ad eas res gerendas impedimentum. Quod tamen alio, maiorique incommodo auctum est; cum omnia ita aquis inundarentur, vt non daretur siccus locus, quo pedem figerent. Vixque duo iam equorum millia suppetebant. Hæ & aliæ difficultates cum in dies ingraueiscerent, quidam, idque ex nobilioribus, fugam clam adornantes, retracti sunt: præclaráque oratione *Boemundus* milites ad patientiam & perseuerantiam hortatus, labascentes illorum animos aliquantulum erexit. Quare res fortiter & egregiè paulò post, tam aduersus Barbaros, qui eos aliunde adorti sunt, quàm aduersus *Antiochenos* ex vrbe irrumpentes gessere. E prioribus duo millia, ex istis quinque millia periêre, ad septem millia capti. Inter quos decem fuêre illustres *Turcarum* duces. Inter alios cecidit *Bachmanus, Cassiani Antiochensis* Præfecti filius. Sed modica fuit omnis huius gaudij vsura. Quod mox tristis de *Corbana* Regis *Persarum* Præfecto, cum immensis copijs aduentante, nuntius conturbauit, contaminauit, & sustulit, ádque melioris omnis successus desperationem perduxit.

Sed aliunde interim Deus, rebus tam accisis & perditis, admirabiliter prospexit. *Hemirpherrus* enim quidam *Cassiani* scriba, sed Christianus, clam cum *Boemundo*, de prodenda noctu ciuitate, consilia communicauit, & quod promisit præstitit. *Tarentinus* rem apud se aliquandiu silentio premens, cum videret principes in magnum metum & luctum, ob *Corbanam* imminentem coniectos; Agite, inquit, & votis meis annuite, & ego vos ex hac omni solicitudine liberabo, & *Antiochiam* in vestras manus intra biduum redigam. Vos verò, mihi, meisque eam possidendam deinceps tribuite. Omnibus, excepto *Tolosato*, magno assensu desiderio illius se accommodantibus, modò è præsenti periculo aliquo modo expedirentur: *Tarentinus Hemirpherrum* tempus adesse admonet, quo promissa sua repræsentet. Ille verò in promisso constans, fidem egregiè liberauit, nosti ósque per duas turres (sorores dicebantur) quarum custodia illi credita erat, intra vrbem, admotis scalis induxit. Atque ita nostri vrbe potiti sunt, post octauum obsidionis mensem. Magna *Turcarum* cædes facta; Ceteri in arcem vrbis refugére. Aduolat postridie, immenso stipatus agmine, *Corbanas*, tantúsque nostris terror iniectus est, vt nulla expediendæ deinde salutis ratio superesse videretur. Cum à fronte tam immanes copias, à tergo præsidiarios milites obijci sibi, sèque commeatu ad perferendam obsidionem idoneo, omnique auxilij aliunde ferendi, cum tam procul à domo dissiti essent, spe se destitutos, deterioréque quam ante *Antiochiam* captam in conditione positos quererentur. Adeóque iam hominum animi labascebant, vt quidam noctu per funes demissi sint, è quibus fuit *Maisuilla*, qui *Tarentini* sororem in vxorem duxerat: reliqui milites, quasi conclamata prorsus omnium salute, nec ad edicta Ducum conuenire, nec domo pedem mouere voluerunt.

Ibi *Boemundus*, cui in his difficultatibus rerum omnium administratio credita est: nobili & necessario stratagemate immisit tectis ignem; quo, vento ignem dissipante, duo millia domorum incendio sunt absumpta. Quæ res fecit milites è latebris prodire. Quibus nouus quidam casus magnam excutiendæ socordiæ, pugnandique alacritatem addidit. Præclari quidam sacerdotes palam & religiosè contestati sunt, nocturna se quiete admonitos vt Ducibus, militique significarent, hanc diuinitùs in eos immissam cladem, ob summam in Deum, cuius solius beneficio, & non suis hactenus viribus, tanta discusserint pericula, ingratitudinem; & quòd castra, integritate & pudicitia hactenus sancta & casta, impiarum, & à vera religione alienarum mulierum, nefario stupro polluissent. Maiorem impendere vindictam, nisi iram diuinam, lachrymis, ieiunio, factáque confessione, alijsque vitæ emendationis officijs, à se deriuarent & expiarent. Prodijt & *Petrus Massiliensis* sacerdos, qui & eadem sibi per nocturnam visionem obiecta diceret; & præterea adijceret locum sibi diuinitùs indicatum, vbi defossa iaceret lancea, quæ Christi in cruce pendentis latus cruentasset: hanc pro insigni & vexillo contra hostem ferrent, paratámque esse victoriam. Fidem dictis, non modo hominis nota probitas, religiosáque, deferente illud legato, iurisiurandi contestatio, lanceâque, quo loco dixerat, reperta: sed multò magis clarissima & incredibilis, quæ insequuta est, victoria astruxit. Nobilissimo enim ferè post hominum

memo-

memoriam contra *Corbaram* mox, *Antiocheni* Episcopo sacram deferente lanceam, triumpho potiti sunt. *Corbanas* enim ignobiliter ex acie se, in fugam cum suis protipuit. E quibus plus quàm centum millia interière, ex nostris quatuor circiter millia ducenti. In qua quidem pugna, panicus quidam timor hostibus incussus est. Quibus obiecta est trium procerum species, qui supra omnem humanam speciem eminentes, ingenti in ipsos agmine irruere visi sunt quos & quidam ex nostris videre.

De lancea illa, cum postea quæstio aduersus *Petrum* moueretur à quibusdam, qui negarent veram & genuinam illam esse lanceam, qua Christi latus confossum est; ad maiorem veritatis contestationem, spectante exercitu, nudo corpore, manu lanceam gestans, ingentem lignorum ardentium struem illæsus pertransijt. Sed a multitudine ad nouitatem spectaculi irruente, oppressus est. Quod effecit, vt dubitatio eius rei, ex quorundam pectoribus prorsus non eximeretur. Ad hanc pugnam alacriter capessendam, & illa, quæ diximus, & illud cum primis nostros acuit; quod mane prodeuntibus illis sub lignis, ros vberior solito, cœlo dimissus fit: qui nouas animis, corporibusque vires infudit. Post hanc victoriam, arx *Antiochensis* nostris dedita est, & cetera omnia nostris feliciter ex voto cecidere. Qui cum alibi, tum & in *Syria* multa præclara gessere. Aliam dimittemus, ne narrationem nostram nimia prolixitate, & tædio lectorem oneremus, vtque tandem, ad nostri scopi metam, & quo omnis etiam ista sacra expeditio collimauit, ad *Hierosolyma*, perueniamus. Hanc vrbem *Calyphia Ægyptius* in sua potestate, vt reliquas in *Syria* tenuit. Is homo veterator & callidus, missos ad eos legatos, frigidam nostris, quod dicitur, fundebat, vt in expugnanda *Antiochia*, aliquevribus *Turcæ* extorquendis, occeptam prouinciam fortiter absoluerent. Missique ad eum nostrorum postea legatis, mutuæ consociationis, auxilijque continuandi spem magnam ostendebat, sed artem extrahebat. Arbitratus se, quæ illi prius *Turcæ*, & *Turci* nostri eripuerant; nostris aut postea diffidentibus, aut longiore mora debilitatis & consumptis, non ita magno negotio rursus erepturum.

Nostri itaque nihil actum arbitrati, quàm diu sacra vrbs in barbarorum esset potestate, cui potissimum tandem possidendæ, & vindicandæ hactenus intudatum erat, & quo omnem suum laborem referebant, maioribus quidem animis quàm viribus, ad eam expugnandam conuolant. Quadraginta circiter millia *Latini* in castris habebant. Quorum dimidiata pars bello haud erat accommoda. In itinere vero, dum *Hierosolyma* proficiscuntur, multæ passim præclaræ, & populosæ ciuitates in eorum potestatem venerunt. In quibus tamen singulis plures viri fuerant, quàm in vniuerso *Latinorum* exercitu. Vrbis potiundæ maximæ difficultates obiectæ, cum summus omnia solis ardoribus torreretur, & aquæ summa inopia laboraretur; è longinquo, eáque ab hostibus corrupta, materiaque ad expugnationem idonea, vltra septimum lapidem petenda. Vrbs ipsa ex loci situ, per se munitissima, & vix obsidionis capax; rebusque omnibus ad tolerandam longam obsidionem instructissima. Sed tamen hæc, & sexcenta alia incommoda, *Latinorum* animos minimè fregerunt; imo aduersus omnes difficultates eo generosius luctati sunt, quo magis glorioso suo proposito se potitos, si barbaris sacram vrbem adimerent, arbitrabantur. *Tancredus* primus omnium ad vrbis mœnia excurrit. Quam nostri primo conspicati, in solum se pronos proiecere, illud suauiter religionis ergo suauiati. Redit deinde *Tancredus* ad duces aduentantes.

Quot & quàm graues in hac obsidione nostri labores subierint, nulla facile oratio exprimere potest. Quod illi tamen omne tædium patientissimo animo, spe optima sulti deuorarunt. Nec minus erant barbari, in vrbis defentione, industrij & tolerantes. Atque eo tolerantiores, quod in spem venerant propinqui auxilij à *Calyphia* mittendi. Cuius consilium, nostris inopinato euentu patefactum est; exque literis Arabice scriptis, quas columba, ad hunc vsum mirabiliter edocta, sub alis gerebat. Quam cum forte supra castra *Latinorum* volitantem, ab accipitre oppressam, interamique proiectam nostri excepissent; dictæ literæ sub alis inuentæ sunt. Nostri pertinaci interim labore obsidionem vrgebant, Deum supplices ad opem interpellantes, nudisque pedibus cum Episcopis & ducibus, *montem Oliueti*, & sacra in suburbanis loca peragrantes. Quos interim, quibus poterant modis, telorum ex vrbe iactu barbari infestabant, & in contumeliam Christi & nostræ religionis, crucem Christi, in conspicuo murorum loco positam, multis ignominijs turpiter & nefarie violabant. Ex quo postea monte, cum

in obsidione nostrorum animi satisceret, & iam passim milites recederent; ostendit se quidam miles, cum splendido & fulgenti clypeo nostros ad obsidionem reuocans. Cuius conspectus, ducumque ea ex re adhortatio, nouam nostris alacritatem attulit, ita vt obsidionem acrius solito repeterent. Nec ita multo post *Latini* sacram vrbem possiderunt, cum tanta barbarorum cæde: vt in ipso *Salomonis* * portu & templo, *Saracenorum* sanguis equorum genua attingeret. Templis deinde lustratis & purgatis, supplicationes habitæ, immensæ Deo gratiæ habitæ. Ducibus, alijsque, & cum primis *Petro* eremitæ, qui primam illis salutis spem excitauit, nec nisi negotio confecto, susceptam prouinciam deseruit ciues Hierosolymitani gratias officiosè egerunt. Cautumque vt dies ille, quo ciuitas capta est, quintus decimus quintum Iulij, & annum millesimum nonagesimum nonum, ita ta & solenni memoria festus deinceps coleretur.

Quod decretum honesta iustaque sane ratione nitebatur, cum ob alias causas euidentes & perspicuas, tum vel ob eam maxime, si modo vera sit (quam tamen apud *Fulcherium*, qui huic profectioni interfuit, narrationem reperio) quod fere aliquot gradibus, eo, quo vrbs expugnata est, die, recedente; antiquum illud sub *Ezechia* miraculum representatum sit. Vt minus illud (quod idem author tradidit,) mirer, milites, iumentorum penuria, farcinas suas suibus, arietibus, capris & veruecibus imposuisse, & nonnunquam pro equis, bobus usse equitando vsos. Deliberatio deinde inter proceres inita est, de aliquo in sacræ vrbis, illiusque Prouinciæ Regem cooptando. Quo tempore animaduersa est mira quædam in Principibus, quorum multi digni erant, qui ea dignitate augerentur, integritas, animorumque modestia. Cum ex omnibus nullus, illius honoris ambitiosus appetitor reperiretur, *Robertus Normannus*, præ cæteris ad hoc decus capessendum, frequentibus omnium suffragijs vocatus, illud infelici, (vt videtur) euentu, Deoque irato respuit; inhiabat ille ANGLIÆ, cuius Regem, eundemque fratrem, audierat sine liberis obijsse. At reuerso, omnis illi bona felicitas per totam postea vitam aduersata est. Neque solum ANGLIA, quam HENRICVS frater intercepit, sed & *Normannia* per eundem excidit; vitámque omnem miserè in arcta custodia, vt alias diximus, transegit. Omnium deinde suffragia, ad ornandum illa dignitate *Godofredum* concurrerunt, amplissimum plane & dignissimum virum. Quam ille dignitatem, regiumque nomen sine corona regia admisit. Religione quadam tactus, qua parum decere arbitrabatur, si fulgenti ex auro & gemmis in ea vrbe diademate insigniretur, in qua Christus Dominus coronam ex spinis contextam gestasset. Principes deinde alij alio dispersi, quidam in prouincijs recens subactis, reliquæ suæ vitæ sedem constituerunt. Alij in *Europam*, & suam quisque patriam reuersi.

Hic *Latinorum* successus, etsi *Calyphæ Ægyptij* animum mirificè vrebat, nihil tamen deiecit. Imo facilem sibi victoriam aduersus tam paucas *Latinorum* reliquias pollicebatur. Ingentem itaque ex suis, & socijs exercitum conflauit; cumque in *Latinos* duxit ad centum circiter equitum, & quatuor centum millia peditum: Cum equites *Latini* non supra quinque, pedites vero non supra quindecim millia conficerent. Ad conspectum tanti exercitus, nostri, (quod solum supererat,) ad diuinam opem appellandam, quam toties, tamque recens in deploratis suis rebus, propitio numine, senserant, in genua demissi, supplices confugiunt. Quæ nec eos destituit. Ad primam enim nostrorum impressionem, abiectis armis, in fugam effunduntur. Supra centena millia gladio cecidere. Nostri tam opimis spolijs, atque in nullo prius certamine, aucti sunt. *Gotofredo* successit *Balduinus*, frater eius, huic *Fulco*, tum *Balduinus* alter, huic *Amalricus*, tum *Balduinus* alius, huic *Amalricus*, & illi *Balduinus*: huic *Guido*. Quo regnante, post victoriam (in qua sancta crux Christi, quæ nostris prælata est, in potestatem barbarorum venit) *Saladinus* omnes templarios, remoto magistro, interimi præcepit. Nostri autem mortis & martyrij ardore, templarios se (cum non essent) profitebantur.

Post hanc victoriam, sanctam etiam ciuitatem *Saladinus* nostris facile extorsit, eámque nefarie execranda sua superstitione profanarunt. Et cum in alia nostra facta monumenta, tum in aurcam, quæ illic erat, crucem *Saladinj* contumelioſi erant. Quam de summo templo valtis clamoribus, Christianosque crucis adoratores, sacrilega irrisione irritantes, perfidi detrahebant. Hanc vero tantam calamitatem impendentem, multa prius præfagire videbantur, mare videlicet insolito æstu in terras se effundens, grando cœlo crebe demissa quę cuncta aufert nũ equarat, solis defectũ, violentiores solito venti, graues terræ cõcussiones, vitióque

Salomonis * portu] Ioppe.

visioque nocturna à Regis cubiculario obseruata, qua videre sibi visus est aquilam, septem iaculatenacibus vnguibus complexam, castra Latinorum superuolare, humana voce intonantem. Væ Hierosolymis. Huc accedebat vitiosa, & flagitiosa sacerdotum, & cum primis ipsius Patriarchę vita. Antequam hæc calamitas vrbi accidisset, sed valde timeretur sub *Balduino* puero; nostri tradunt, *Hierosolymitanos* in commune consulentes, & rebus suis prospicientes, HENRICVM ANGLIAE Regem, communibus suffragijs in Regem sibi cooptasse, misisse Patriarcham, qui electionem renunciaret, adque expeditionem hortaretur. Quorum postremum, vt certa fide traditum, detulisseque eius rei causa ad Regem LVCII *Romani* Pontificis literas reperio; ita de reliquo nihil certi pronunciare possum: vel quod regnum ei delatum, vel quod delatum respuerit. Profectum certe non fuisse satis constat, temporis iniquitatem, & alia multa ad sui defensionem causatum, quo minus ipse proficisceretur, pecuniam tamen se in militum stipendium, prolixe collaturum promisit. Hanc tamen, eo mortuo, RICHARDVS eius filius expeditionem ingressus est. De qua iam nobis, quanto possumus, in tam exuberanti materia, compendio explicandum est.

De profectione RICHARDI *in* Syriam, *& Messana Siciliæ vrbe, atque* Cypro *interim ab eo expugnatis, de* Ptolomaide *capta, aliisque* RICHARDI *gestis in* Syria.

CAPVT X.

EVERE Principes multi, qui ante RICHARDVM, & diu ante captam à barbaris HIERVSALEM, cum res nostræ primum in oriente, *Edessa* erepta labascere cæperunt, iter istud sacrum hoc sæculo ingressi sunt. Quorum maximè illustres fuerunt, CONRADVS Imperator, & *Ludouicus* Franciæ Rex. Ad quam profectionem, mortalium animos vehementer incendit diuus BERNARDVS suis concionibus. Quas in diuersis regionibus, imposita ei hac per EVGENIVM *tertium* prouincia, luculenter habuit. In quo itinere tam ampla miracula edidit, tot quotidie fere deploratis morbis oppressos valetudini restituit, idque viginti vno sæpius die: vt nulla tanti beneficij magnitudinem oratio consequi valeat. Iniit illud iter hoc etiam post eos sæculo, & eodem cum RICHARDO tempore, Imperator FRIDERICVS *primus*. Qui cum in *Armeniam* iam peruenisset, fluuiumque *Selephium* traijceret, & ex pedum offensione equus concideret, lapsus in aquam, non multo post obijt. Hoc enim ita author meus, illiusque temporis scriptor tradit; & propius ad fidem accedere videtur, quam quod, vt à quibusdam traditur, inter natandum perierit. CONRADVS vero & *Ludouicus*, lacerato & cæso à barbaris exercitu, ægre ab ipsorum manibus euasere. Atque ita ex eorum profectione, nihil præclari, Deo sic volente, gestum est. RICHARDVS verò, inito cum Philippo Rege Francix fœdere, sacræ etiam huius expeditionis societatem cum eodem, sacrosancta iurisiurandi vtroque religione ad eam capessendam constricto, iniuit. Qui dum se ad hoc iter expediret, admirabile spectaculum hominum oculos, non procul à *Dunstabilo* oppido, (vt *Rogerus Houedenus*, & *Guilielmus Nubrigensis* referunt) obiectum est, crucis videlicet quę medio die in aëre se ostendit, hominisque in ea pendentis effigiem reprætentantis. RICHARDVS deinde cùm à pecunia, & alijs rebus tanto itineri necessarijs abunde paratus esset; & apud *Nizeltacum Galliæ*, sacrę expeditionis insignia, baculum & peram suscepisset; à *Massilia Messanam Siciliæ* traiecit. Vbi cum *Philippus*, *Genua* soluens, præuerterat. Exercitum RICHARDI ex triginta millibus peditum, & quinque equitum millibus constitisse tradunt. Illa hyemis in *Sicilia* à Regibus consumpta, vbi, vt frequenter eos discordia tum orta, anctaque etiam postea ex alijs causis in sacra terra, magni mali seminarium fuit, maximumque sacri postea belli conficiendi impedimentum, vt dicemus, obiecit.

Ex Gul. Tirio Itinerario Richi. canon. Lond. & ex cęsis Richardi qua inciperunt. Ægrotauit Henricus Rex Angl. apud Chinonem qui liber ascribitur dict. Richog. Houed. Matth. Paris. Nubrig. Tho. Fazello de rebus Siculis, Paul. Æmil. Polid. & alijs. Gul. Ab in vita Bern. l. 3. & 4.

PRAEVENERAT *Gallus*, vt diximus, RICHARDVM, & *Messanæ* consedit. Vbi cum & RICHARDVS diuersari cogitasset, ciues ægrè tulerũt, vtriusque se Regis hospitio onerari, famulosque RICHARDI, quibus illius reigratia præmissi erant, contumeliosè habitos, & quibusdã etiam, rixa ad manus peruenientę, occisis, vrbe extruserunt. Quæ res RICHARDO nimis irritato, *Messanæ* expugnandæ occasionem dedit. Alij (in quam & ego sententiam propendeo) RICHARDVM & suos honorificè admissos & habitos, sed postea contentionibus inter ciues

& nostros (quatũ culpam quidã in istos, quidam in illos reiiciunt) gliscentibus, RICHARDVM vrbem, quantumuis *Siculis* & *Francis* fortiter resistentibus, vi occupasse. Aliunde etiam, graues animorum offensiones inter Reges intercessisse, constat. Alienatus est *Philippus*, quòd certo iam intellexerat, RICHARDVM animũ, à sororis suæ *Adelæ* illi olim pactæ, ad *Berengariæ* Regis *Nauarrorum* filiæ, nuptias auertisse. Alienatus *Tancredus Siculus*, quod ingentem pecuniæ summam (quam in numerato non habebat) quæ tam ob dotem sororis *Ioannæ* GVILIELMO Regi nuptam, quam ob ampla legata HENRICO Regi, patri, ob eodem *Gulielmo* in testamento data (quæ ad se vt eius heredem deuolura asserebat) debebatur, in præsenti sibi numerari flagitabat. Sed vtraque controuersia certis pactis, & conuentis vtrinque expedita, & sublata est. Soluit enim *Tancredus* RICHARDO quadraginta millia auri vnciarum. Pacta est *Tancredi* filia ARTHVRO nepoti, & heredi RICHARDI, si quid ei humanitùs accidisset, *Franco* clanculum cum eo agente, ne cum RICHARDO transigeret. Immo & literas per Ducem *Burgundiæ* *Tancredo* mississe traditur, vt tractationem rescinderet, noctuque RICHARDI castra aggrederetur, seque cum suis copijs adfuturum. Quas literas RICHARDO ille postea ostendit. Quæ licet RICHARDI animum oppidò exacerbarent, & in *Gallum* exasperarent; cum eo quoque transactum est, vt propter repudiatam *Adelam* (quam a se nunquam cognitam, à patre autem suo HENRICO cognitam, testes in parato se habere, quibus id probaretur, asserut) duo marcarum millia singulis annis ad quinquennium penderet, moxque primam pensionem repræsentaret: & post reditum, sororem cum *Gisortio*, & alijs in dotem datis redderet. Quæ, & alia quædam tum conuenta, scriptis & sigillis Regum sunt consignata. Sed altius tamen offensionum vulnera, & memoria pectoribus insederunt: quàm vt radicitus extirpari potuerint, quòd tristis rerum euentus postea satis edocuit. Quem & *Ioachimus* Abbas, qui res futuras prędicendi dono ornatus erat, vaticinatus fertur, cum ab eo *Messanam* accersito, expeditionis euentum expiscari curiosius conarentur.

POST hæc diuersis temporibus soluunt è *Messana*. Classis RICHARDI in fœdam tempestatem incidit, naues partim longe lateque dissipatæ, partim confractæ, partim armamentis spoliatæ & nudatæ, partim fluctibus obrutæ sunt. Aliæ ad *Cyprum* delatæ. Multi è nostris, qui maris naufragium euasere, eiectique erant in *Cyprum*, ab illius insulæ tyranno capti, & nouum fortunarum in sicco naufragium passi; ijs etiam bonis, quę tempestas non absorbuit, ab eo spoliati, in carcere etiam clausi sunt. Nauem, quæ sororem & sponsam Regis ferebat, aduentantem à littore prohibuit. Missi ad eum à RICHARDO nuncij, qui cùm ab eo nihil boni & humani responsi auferre potuissent, nauibus iam ex tempestate simul cocuntibus, insulam inuito tyranno ingressus, eam totam in suam potestatem redactam, necessarijs suo quoque loco præsidijs firmauit. Tendit deinde in *Syriam*, venitque *Ptolomaidem* sexto Idus Iunii. Quem *Balduinus* Archiepiscopus, *Hubertus Sarisburiensis*, & *Radulphus* de *Glanuilla*, summus iustitiæ in ANGLIA præses, nouem circiter menses, & *Balduinus* atque *Robertus* Comes *Leceſtrensis*, qui in itinere obiit, morte etiam sua anteuerterat. In traiectu verò incidit in nauim maximam, quæ ex *Ægypto* commeatum, telaque omne genus, *Græcumque* ignem *Ptolomaidem* deferebat, quæ à *Richardi* classe suppressa est. Obsessa fuerat iam prope biennio *Ptolomais* à nostris. Qui ad tantam famis aliquoties magnitudinem redacti sunt, vt ab equorum esu, & intestinorum, quæ decem solidis vendebantur, non abstinerent. Sed quarto post mense, quam *Francus* & ANGLVS aduentantes, acriùs solito obsidionem vrsissent, certis pactionibus dedita est. Inter reliquos cautum erat, vt *Saraceni* sanctam Domini crucem redderent, & Christiani, quicunque apud *Saladinum* captiui detinebantur, soluti & liberi dimitterentur.

REDDITA vrbe, *Leolpaldus* Dux *Austriæ* sua signa primus in muris posuit, quasi exortem quandam captæ vrbis gloriam sibi, & suis asserturus. Quæ ab ANGLO excussa sunt, qui sua, vt & *Franci* sua, imposuere. Quæ res RICHARDO magnam posteà, vt dicemus, peperit calamitatem. Dum hæc obsidio traheretur, quædam incidere, quæ ob rei raritatem, & euentum pæne incredibilem, & præsentibus tum videbantur, & posteris hodie videntur admiratione digna, & forsan quibusdam falsò memoriæ prodita, sed tamen ab eo prodita, qui aut ipse interfuerat, aut ab ijs, qui interfuerant, accepisset. E quibus est, de machina quadam, quæ lapides ingenti magnitudine iactabat, qui obuia quæque prostrabant. Sed cum id genus aliquando lapides, quidam ex nostris auerso corpore excepisset, nihil omnino nocumenti sensit, sed lapis ab eo sine vlla hominis noxa resiluit. Ille verò respiciens, * plus in visu inhorruit, quam ex ictu doluit,

Ex Rich. tamen. Lond. qui fere ipsissimet. Rich.

& alias ex.

doluit. Fuit alius, qui schedulam collo appensam, quæ nomen Christi complectebatur, gestabat. In quem hostis telum aliquando contorsit tanto impetu, vt loricam ferream, tunicam lineam, multiplici volumine contortam penetraret; ad contactum vero schedulæ mirabiliter, nullo homini detrimento illato, repulsum est. Alium *Turca* eques lancea, dum depositis armis aluum purgaret, infestóque sed irrito ictu, illo declinante, petijt. Ille arreptum qui fortè adiacebat lapidem, in frontem hostis fortè nudam, tam directo & certo ictu conuoluit, vt & equitem præcipitem deuoluerit, & exanimarit, & in equum eius insiliens, insigni ad nostros triumpho reuersus sit. Fuit quidam ex nostris, quem retia contexentem, eques *Turca* impetierit, & ad castra fugarit. Reuersus, cœpit rete cum paxillis & funibus, quibus astringebatur, reuellere. Repente verò, equi caput reti ita inuolutum est, vt se explicare non potuerit, & cum esset generosus, & se laqueo excutere niteretur, eo se magis & arctiùs implicauit. *Turca* verò quosdam ex nostris appropinquare videns, desiliens, præcipiti fuga saluti suæ consuluit. Equus deinde á nostris captus, communi exercitus iudicio ei donatus est, qui rete contexerat. *Turca* alius, natando *Græcum* ignem ad obsessos delaturus, reti piscatorum implicitus, in nostrorum potestatem deuenit.

QVID dicam de alio, qui cum machinas nostras, eodem *Græco* igne, consumere conatus esset, ampulla, quo illum gestabat, confracta, genitalia cum proximis membris eodem, summa sua pernicie excusserit? aut nefario illo milite, qui cum execrandis verbis nostræ religioni, sanctæque cruci exprobrasset, & insultasset, eamque ad maiorem contumeliam nudatis iam verendis, lotio (prolabefas) suo è sublimi muri loco perfundere pararet: à quodam ex nostris, furciferi nefandas actiones forte conspicato, inguine telo traiecto, meritas mox pœnas diuinitùs pependit? aut de consolatione, speque nostris, nudius quartus antequam vrbs dederetur, per Virginem Beatam MARIAM, quibusdam ex nostris noctu vigilantibus, addita, quæ illos animos spémque erigere iussit. Post, inquit, quartum diem vrbs vestra erit, idque vos à me Ducibus vestris renunciate. Renunciant illi, omniúmque animis nouum, labores omnes capessendi, ardorem immiserunt. B. vero Virgo beneficium verbis initum, ipsa re postea præstitit. *Ptolomaide* nostra (cum antecà solæ *Tripolis*, *Tyrus*, & *Antiochia* nostris remanserant) iam facta; optima omnium animis, optimi, maioriſque in dies, melioriſque successus spes iniecta est. Sed illa, Regum discordia, extenuari in dies, & mox euanescere cœpit. *Messanensia* vulnera & offensiones, *Francus* ex animo abijcere prorsus non potuit. Quibus & nouæ quotidie accessere. *Francus* dimidiatum regnum *Cypri*, & prædæ totius, quasi ex inito societatis pacto postulabat. Quod RICHARDVS ex æquo & bono ad ea tantum trahi debere affirmauit, quæ communi labore & impensa adquisita erant. Contentio præterea erat inter *Conradum Montis ferrati*, qui *Sibyllæ* Reginæ, sine liberis mortuæ; sororem *Elisam* vxorem duxerat, & dotali iure regnum affectabat: & *Vidonem* maritum *Sibyllæ* regnum prius adeptum. Quem *Saladinus* in infelici illo, ante capta *Hierosolyma*, prælio victum, in custodia aliquandiu detinuerat. RICHARDVS in *Vidonem*, *Gallus* totus in *Conradum* propendebat. Sed tamen inter *Conradum* & *Vidonem* certis conditionibus, quas Reges & Principes alij apposuere, pacificatio inita est. *Gallus* verò totus iam reditum & *Franciam* respiciebat. Quod RICHARDVS, & ceteri omnes ægerrimè tulerunt. Sed nullæ persuasiones, quantumuis vehementes, Regem ab itinere deterrere potuerunt, tandémque abijt, religiosa RICHARDO cautione facta, quod res in ANGLIA & *Normannia*, ipso absente non turbaret. Causatus quidem est malè affectam ex aëris illius insolentia valetudinem. Sed vrebat hominem, vt credebatur, RICHARDI gloria, quæ ex rebus gestis ad eum potissimum recidit. Reliquit vero post se *Odonem Burgundiæ* Ducem, cum reliquo exercitu *Galleo*.

IN reuersione inuisit *Romanum* Pontificem, apud quem RICHARDVM, varijs ex causis grauiter accusauit. Post eius discessum, summa rerum gerendarum ad eum solum deuoluta. *Saladinus*, cum promissa sua tam de cruce reddenda, quam captiuis nostris reddendis fefellisset, RICHARDVS *Turcarum* obsides ad bis mille & septingentos occidi mandauit. Quorum corpora cum essent execta; magna vis auri & argenti, in visceribus eorum reperta. Quosdam tamen ex proceribus, vt eos pro captiuis Christianorum commutaret, reseruauit. Non ita multò post *Assasini* duo, Marchionem *Terratensem* in foro *Tyri* ambulantem, sica transfoderunt. In quos mox exquisitis supplicijs animaduersum est. *Assisini* genus hominum fuit, tam exquisitè & superstitiosè addictum Principis sui imperio, vt illud ad certam suam mortem capesseret, neque prius conquiesceret, quàm mandato negotio defuncti essent. Qui ad hanc

Vide Matth. Paris. in Stephano an. 1150.

cædem faciendam, à Principe suo immissi sunt. Cuius tamen inuidiam *Francus* in RICHARDVM deriuare, & quasi sibi quoque ab eius insidijs timeret, ampliori subsidio latus suum munire cœpit. Cæsi *Marchionis* vxorem *Elisam*, *Henricus Campaniæ* Comes, *Franci* & ANGLI Regis nepos, in vxorem sibi sumit. Cui, annuente potissimùm RICHARDO, & iure suo ei cedente, ex communi exercitus decreto, *Hierosolymitani* Regis titulus delatus est. RICHARDVS enim ad *Vidonem Lucinianum* placandum, damnumque illud pensandum, ius suum in *Cyprum* transtulit. Quod in ea familia ad nostra pæne tempora resedit. *Veneti* deinde illud ad se rapuerunt, & retinuerunt ad annum mille simum quingentesimum septuagesimum primum. Tum enim à *Turcis* ab ea insula deturbati sunt, licet triginta vel quadraginta aureorum illis priùs annuam pensionem soluerint. Hinc factum est, vt aliquot, post RICHARDVM ANGLIÆ Reges, *Hierosolymitani* aliquamdiu regni titulum sibi vsurparint.

HIS rebus à RICHARDO ita constitutis, omnes illius in eo cogitationes positæ sunt, vt HIEROSOLYMA, metam videlicet ad quam hæc omnis expeditio collimauit, in suam potestatem redigeret. *Ptolomaidem* quàm potuit fortissimis ædificationibus & præsidijs, vt & multas alias vrbes, quas *Saladinus*, ne nostris vsui essent, muris & arcibus nudarat, *Ascalonem* præsertim. *Porphyriam* & *Ioppen* munierat. Iter verò *Hierosolyma* versus ingressus, in multas & maximas sæpe difficultates cum exercitu incidit. *Turca* repentinis eum incursionibus infestante, nonnumquam & iusto prælio lacessente. Cùm præsertim eum inter *Cæsaream* & *Ioppen* positum adoriretur, vbi tanta strage cæsi sunt *Saladini* proceres, vt maiorem, quem admodum RICHARDI ipsius litteræ testantur, quadraginta antè annis nullo vno die sunt passi. Cum interim ex nostris; ne decimus quidem præ illorum numero ceciderit. Exul *Saladinus* numquam cum nostris instructo, & aperto Marte congredi ausus est: sed furtim & insidiosè, quoties detrimento alicui oportuni erant, impetere solebat. Cui pernimiam audaciam RICHARDVS ipse tam periculosè se, cum apud *Ioppen* cum exercitu versaretur, exposuit, aucupatum cum tenui agmine, recreandi animi gratia profectus; vt nihil propius fuerit, quàm vt ab hostibus caperetur. Cùm enim ex labore fessus obdormisceret, repente magna illum *Turcæ* multitudine circumsederunt. Et licet ille, magnitudine periculi territus, arreptis subito armis ingentem fortitudinem ostenderit; multitudini tamen obruenti succumbere coactus, aut ab eis cæsus, aut captus fuisset, nisi *Gulielmus* à *Pratellis* eximendi eum à tanto periculo causa inclamasset, ceteris parcerent, se esse quem maximè venarentur, se esse *Melech*, id est Regem. Eum igitur abiecta omni cunctatione, summáque celeritate abeuntes secum abduxerunt. Multis se similibus RICHARDVS periculis, præcipiti quadam audacia, non satis æstimans quid illi & alijs interesset, & reliquorum omnium salutem in sua solius salute versari, sæpius ingessit. A quibus se tamen semper, Dei beneficio fortique manu, & insigni strage hostes mactans, eripuit.

Extant apud Matth. Paris. anno 1191. & Rich. canon. in gest. Rich.

RICHARDVS totúsque interim exercitus miro *Hierosolyma* videndi, occupandique ardore incendébantur. Sed multa impedimenta obiecta sunt, quominus cogitationes suas, & iter perficere potuerint. *Franci* enim instante iam paschate, abitionem omnino meditantur. Quos nulla ratione RICHARDVS retinere potuit. Accessit & illud, quod ad illud tempus prior quidem *Herfordensis* ad RICHARDVM venerat, deferens literas ex ANGLIA, quibus admonebatur, vt maturaret reditum in ANGLIAM, cui occupandæ & intercipiendæ, IOANNES frater animum addixerat. Fuit ad illud Pascha *Saladinus Hierosolymis*, cupidus videndi si verum esset, quod ab alijs frequens audierat, annuatim statoillo tempore, lampades ad sacrum Dei sepulchrum, diuinitùs igne immisso, sine humana opera, accendi: præsensque verissimum esse comperit, quod auditione priùs acceperat. Qua in re, cum ab aliquo veteratore fallaciam callidè intendi, & præstigijs quibusdam illusum sibi crederet; ter lampades extingui præcepit. Quas mox, repetito cœlitùs igne, clarè emicare conspiciens, magna admiratione perculsus est. Aduenere postea & alij ex ANGLIA nuntij, qui domi omnia esse turbata, fratrémque à *Franco* sollicitatum, ANGLIÆ regno occupando, animum intendere nunciabant. Hæc in varias cogitationes, & solicitudines fluctuantem RICHARDVM distrahebant. Pendebátque prorsus animi quidnam potissimùm ageret; maneret, an potiùs abiret? Illud, cum magno & insigni rerum suarum detrimento; hoc cum graui infamia, præsentique *Syriacarum* rerum periculo, coniunctum videbatur.

RE apud Principes communicata, videbatur pronior ad abitionem. Id quod ita esse, ad exercitus aures sensim manauit. Quod auditum, & iam propè omnibus persuasum, in maximas illas lamentationes & luctus coniecit. Animum tamen ceteri omnes prorsus obfirmarunt,

runt; cœptum iter *Hierosolyma* in omnem eventum, siue mansionis, siue abitionis RICHARDI vigere. Ad quos dies *Guliel.* quidam *Pictauensis*, qui erat à secretis RICHARDO, cum illum in tentorio solum, & meditabundum atque tristem videret, nec audiret hominem magis verbis exasperare; quod solum potuit, animi tui affectum vel silentio prodidit, totus lachrymis oppletus, altaque ex imo pectore suspiria ducens. Si tibi tuus, inquit RICHARDVS, dolor me respicienti, nare quid est, quod rebus meis ita indolescas. Nihil, inquit, hic dolor meas res priuatim tangit. Verè tui solius rebus indolesco, cautamque dicerem, si id mihi, absque Amplitudinis tuæ indignatione, bonáque cum venia liceret. Expedi, inquit, quidquid id sit; spondeoque fore id tibi extra omnem noxam. Tum ille. Hanc, inquit, mihi oratio- *Oratio Guliel. mi Pictauensis ad Regem.*
nem, non tua solum in me priuatim posita & magna merita; sed & mea in te Regem meum, sacræque huius expeditionis, cui & ego milito, Ducem, singularis obseruantia: meumque, idque ingens, tui honoris, tuæ laudis, non modò sartæ tectæ tuendæ, sed & amplificandæ, desiderium extorquent. Imò, vt verius dicam, publica totius exercitus tui, addo & totius christianæ reipublicæ vox: & grauis quo conficitur exercitus, ex discessus tui audito rumore, dolor, exprimunt. Video, video, nec sine meo magno luctu, in quanto sit totius exercitus, ob hanc causam, mœrore. Audio, audio, nec minore meo cum dolore, infestas voces, quibus honorificum & amplum illud RICHARDI Regis nomen (quod hactenus ab omni huiusmodi nota integrum, & illibatum conseruasti) turpitam, ob hanc præmaturam discessionem macula aspergitur. Quis vnquam crederet (aiunt) RICHARDVM (qui, cùm tam vehementer *Philippi Galliæ* Regis discessum palam damnaret, grauiús contra se præiudicium, si iam importunior e tempore abiret, tulit) post tot res tam insigniter in *Syria* gestas; post tanta, & tam præclara contra *Saladinianos* trophæa, vt iam se contra nos, nisi per insidias, offendere non audeant; postquam suas vrbes, arcibus & muris suis ipsi manibus nudare, deserereque ingenti aduentus nostri terrore, coacti sunt: post *Ptolomaidem*, post *Ascalonem*, post *Ioppen*, aliasque vrbes à nobis reparatas & restauratas, muris, arcibus, aliisque munitionibus & præsidijs instructas, in ipso prope sanctæ ciuitatis aspectu, in tanto totius exercitus eam expugnandi animorum ardore, ad tam sinistras pernitiosæ abitionis cogitationes, tam importuno tempore abripi potuisse? Quàm illud incredibile? quàm ad perpetuam ignominiam turpe? quo tempore *Saladini* præcipites e *Syria* ob metum, quem illis nostri incusserunt fugiunt, eodem etiam RICHARDVM, etsi non metu fractum, qui in tam altum & clarum animum, & tot rebus ab eo tanta cum laude gestis, non cadit; importuna tamen quadam, nescimus qua cupiditate fractum, tantum non fugere? Hæc & alia id genus passim milites. Sed tu Magnifice Rex, in memoriam reuoca præclara, quæ in te Deus congessit beneficia; eximia, quæ in te, contra hostes semper tuos tam in *Europa*, quàm & multo magis iam contra tuos hic, & Christi hostes trophæa cumulauit. An hæc omnia in medio, aut potius absoluto iam prope sacræ expeditionis, summæ tuæ laudis, & nobilium stratagematum cursu, turpiter hac abitione projicies: At, nisi maturaris abitum, omnia in ANGLIA & *Normannia* ruinam minatura dices; & te, dum alijs tam longe positis, regnum paras, regno domestico, & auitis dominijs excutiendum. Hoc Deus potius in *Saladinum* omen auertat. Id quidem, non diffiteor, pergraue & permolestum foret. Neque valde, si ita sit, reditum impedio; non pertinax intercedo. Sed vide tu interim, vt metus tuus sit iustus, & qui in constantem cadat virum. Quid enim si amplius timeas, quàm ratio, aut rerum veritas postulet? Quid si hæc, non constanti & certa narratione, sed fictis aut incertis auditionibus deferantur? *Lexouiensis*, scio, graues terrores denuntiat. sed ille non tam tuam, quàm suam causam, qui grauis & impotenti dominatione, sub tui nominis & authoritatis vmbra, vti à multis creditur, agit. Nosti venisse nuper ex ANGLIA, qui mitiora nunciarent, neque vllo tibi modo SYRIAM deferendam dictitarent, priusquam quod fortiter & gloriosè incœpisti, Deo auspice, effectum dares. Sed finge ita, vt quidam verentur, reuera esse. *Gallum Normanniæ*, fratrem IOANNEM ANGLIÆ intercipiendæ, imminere. Quid? an Principes tuos, an populum tuum, aut non posse, aut nolle, magno, & forti animo, tam execrandis conatibus intercedere, & non se omnibus viribus opposituros existimabis? Ne dubites, quin tantum scelus magna fortitudine repellent. Idque non minore, aut eo certè maiore, quàm si adesses, alacritate & cura; quo magis scient te, sanctæ expeditioni felicitèr tandem absoluendæ, penitus esse consecratum & deuotum. Magnum facinus, *Gallus* & frater (si quid huiusmodi tentarent) in te admitterent; eorúmque furores non solùm populus tuus, sed *Iacensium* Pontifex, & reliqui Clerus, Principes omni ratione reprimerent. Neque dubito,

quin

„ quin grauia Deus in eos exempla ederet. Sed tu tamen vide, ne non minori te interim scelere, si *Syriam* desereres & proderes, illigares. Neque ego sane, ob huius vocis quasi atrocitatem, vllam tuam offensionem incurrere debeo. Qui tua domi signa, nisi bello defunctus, priuata authoritate desereret, non leuiori nota meritóque inureretur. Tu iam summi Imperatoris Christi, totiusque reipublicæ christianę miles, simul & dux iam es; Tu hanc sacram expeditionem, sacramento lato, religiose vouisti; Tu pro veteri militari cingulo, sacrę huius expeditionis tessera, Christi cruce, ad quam vindicandam tota hæc expeditio respicit, humeros tuos insigniisti; Tu te in hac ita comparasti, vt omnium confessionem exprimeres, qua tibi præclarissimi militis & ducis palmam deferunt. Qui nihil iam aliud, nisi colophonem quendam consummatæ tuæ laudi, summæque rei conficiendæ, in sacra vrbe ab hostibus Christi fortiter vindicanda, adijciendam aiunt. Quem nisi adieceris, vereor, ne te Christus sacramento non sit liberaturus, ne te respublica christiana non sit liberatura. A quo, priuata authoritate, caue ne te, nisi *Saladinianis* sancta vrbe excussis, & adorato Christi sepulchro, exolueris. Præsertim cum victoriam quasi paratam & expeditam, si se *Saladinianis* forte ingerant, & ciuitatem sanctam prope in manu habeas. Quam tantam potiundi facilitatem & oportunitatem, si inconsulte immaturo discessu proieceris, quid aliud quam *Syriam* prodidisse, totamque rempublicam christianam iniuria graui, atque insigni, ijs, qui bene rationem subducunt, affecisse videberis? Et eam verè & certo *Syriæ*, reipublicæque christianæ irrogasse: quam tibi in *Normannia* & ANGLIA, falso forsan timore irrogandam vereris. Qui enim, cum potest, laborantes suorum res, eorum præsertim, quorum in se tutelam & defensionem suscepit, & ad quam religiosa te contestatione astrinxit, cum commode potest, non tuetur & defendit, quidni eos violare iniurijs videatur? Et quoniam superuacaneus te fortan ANGLIAE & *Normanniæ* periclitantium metus incessit, ceteros dimitto; ROBERTVM tantummodo, recentis memoriæ virum, *Normanniæque* Ducem obijcio; qui præclaram & insignem hic operam posuit. Is falsa quadam tuendæ *Normanniæ*, & ANGLIAE sibi lucrifaciendæ spe obiecta; præpropere *Syriam*, vbi ad capessendum summum decus vocabatur, destituens; & eo omni, & non modo ANGLIA, sed & *Normannia* excidit: vt cetera, quæ illi postea tristiora contigerunt, & malum omne omen, quod Deus à te submoueat, taceam. Macte igitur animo, Amplissime Princeps: præclaram, vt nec cogitare possis præclariorem, nactus es Spartam, hanc adorna: vrge, vrge, quibus te Deus gloriosè auxit, trophæa; neque prius à tantorum ornamentorum curlu conquiescas, donec orbem totius tuæ laudis, & nobilem sanctamque hanc prouinciam, sacrosancta per te ciuitate, fortiter à tuis & Christi hostibus in tuam potestatem asserta, absolueris. Hæc est summa omnium, totius christiani exercitus, votorum. Qui ad eam rem conficiendam, nullos labores, nulla pericula, nullam mortem deprecatur. Hoc est, quod tota christiana respublica, ad summum suum solatium, ad singulare tuum decus & ornamentum, à te expectat & flagitat.

HAEC *Guilelmi* oratio RICHARDI animum, prorsus ad mansionem in *Syria* obfirmauit. A qua se, ante proximum Pascha, propter vllas ex ANGLIA literas, aut terrores illinc denunciatos, non recessurum, *Henrico* Comiti *Campaniæ*, & Duci *Burgundiæ*, palamque omnibus per præconem significauit. Incredibile dictu est, quanta omnium animi lætitia hinc exultarint, adeo ad *Hierosolymam* expugnandam, omnium animi rapiebantur. Iamque omnes se ad illud iter expediendum parabant. Cuius rei nuncio barbari, qui ibi versabantur, adeò consternati & dejecti animo sunt, vt si nostri strenuè propositum vtiuissent, sponte vacuam illis vrbem relicturi crederentur. Sed omnis iste ardor paulo post refrixit. Perrexit tamen in itinere exercitus *Betenopolim*, vbi integrum mensem residere coactus est, dum *Henricus* Comes reliquas copias à *Ptolomaide* deduceret. Quo tempore RICHARDVS per exploratores certior factus, ingentem commeatus, & pretiosarum mercium vim, ex *Ægypto Hierosolyma* aduentare; egressus cum selectis militibus, incidit in opulentam & opimam prædam. Capta sunt quatuor millia camelorum, & dromedariorum, & septingenti; præter infinitam mularum, & asinorum copiam. *Turcæ* equites, præter pedites mille, septingenti è medio sublati. Venit deinde *Henricus* cum reliquis copijs. Intermedio tempore, diuersæ deliberationes habitæ sunt, vtrum expediret *Hierosolymam* obsidere? Sententijs valde variatum est. *Franci* vrgebant ad obsidionem. Alij clamabant iturum exercitum in certam suam perniciem, in medijs æstatis caloribus, & summa aquæ circa *Hierosolyma* penuria; vbi ad duo mille passus * omnes barbari fontes & cisternas obturarant & obruerant. Iam, cum

* al. Barbari omnes fontes.

longe.

longè à mari abessent, deportandi commeatus, maximam fore difficultatem, neque vllam idoneam cautionem & prouisionem, ne à barbaris interciperetur, excogitari con mode posse. Neque exiguas illas illorum copias, vlla ratione ad vrbem tam capacem simul obsidendam, & arcendos à diripiendo commeatu hostes, sufficere posse. Quæ si ita distraherentur, facilè tam ab obsessis, quam ab alijs hostibus foris positis, mutuo simul illas impetentibus obruerentur.

HAEC & alia in medium proposita, in ancipitem sententiam RICHARDVM trahebant. Qui tamen totam rem ad *Templariorum*, ad *Hospitaliorum*, & aliorum, qui res *Syrianas* exploratissimè cognitas habebant, cognitionem reiecit. Perpetuam vero ille sibi ignominiam inuendam putabat, si suo ductu christianus exercitus in certam ruinam præcipitaretur. Et verebatur, ne *Franci*, qui specie quadam pietatis, plausibilem pópulo sententiam amplecti videbantur, reuera aliud sequerentur; & hac ratione in odium, & inuidiam eum vocare cogitarent. Huc tandem omnium consensu res recidit, vt viginti seligerentur, quorum arbitrio & iudicio, in hac tanta animorum distractione, ab omnibus deinceps staretur. Viginti igitur delecti sunt, qui de tota hac re statuerent, quinquevidelicet *Templariorum*, totidem etiam ex *Hospitalarijs*; exque ijs, qui eam regionem incolebant, *Syrianis*, quinque præterea *Franciæ* Proceres. Qui cum diligenter de re deliberassent, renunciarunt; è re magis christianorum, ipsam *Babyloniam*, quam *Hierosolyma* cum copijs adire. Hic cum *Franci* delectorum arbitrio se accommodare recusarent, pertinaciterque negarent alò se, quam *Hierosolyma* proficisci velle; & RICHARDVS arbitrorum, quos vniuersi sibi assumpserant, sententiam non conuellendam existimaret; factum est, vt ista animorum distractione, omnis prorsus, alicuius boni deinceps successus, spes abrumperetur. Cumque sensim postea milites, alij ad repetendam patriam, alij alio quò sua quemque voluntas trahebat, dilaberentur: quod proximum fuit, RICHARDVS tentauit, *Saladinum* ad aliquot annorum inducias sanciendas. At ille, qui prius vltrò eas, & alia valde ampla detulerat; non ignarus, in quo loco res nostræ versarentur, ab omnibus induciis prorsus abhorruit. RICHARDVS cum iam videret, nullo se cum rei Christianæ fructu moram in *Syria* trahere, & res domi per *Guilelmum* Cancellarium, per IOANNEM fratrem, & *Gallum* exulceratas, reditum eius flagitare putaret; accurata prius apud Principes oratione, discessum suum excusans, *Ptolomaidem* proficiscitur, inde naues; quibus in patriam veheretur, ascensurus.

ISTA cum *Saladinus* intelligeret, summa celeritate viginti equitum millia, & infinitam peditum multitudinem *Ioppen* transmittit, ad eam expugnandam. Nostri, licet fortiter aliquandiu oppidum defendissent; tantæ tamen, & tam acri obsidioni sustinendæ, impares erant. Irruperant iam *Turcæ* in oppidum, & obuios quosque immani cæde mactabant. Reliqui in arcem confugerant. Quam tamen postridie se dedituros spondent, nisi subsidium aliunde interim adueniret. Ingressurus iam erat nauim RICHARDVS, aliasque antea naues præmiserat, cum ecce, ab *Ioppe* aduolant nuncij, opem illius miserabiliter implorantes. Qui mox maritimo itinere *Ioppen* pergit. Alios terrestri itinere per *Cæsaream* amandat. Cum appropinquaret *Ioppæ*, vidit littus vndique à barbaris armatis obsideri. Ille vero primus omnium inermis, in aquas ad femur se dimittit, & post eum reliqui; ferróque sibi ad littus occupandum viam muniunt; deinde in reliquos *Turcas* irruunt, & magna multitudine cæsos castris exuunt. Eoque loci, vbi *Saladinus* priùs, sua castra ponit RICHARDVS, atque ita arcem liberat. *Turcæ* vero, vt dedecus apud *Ioppen* acceptum aliquo nobili stratagemate abstergerent; omnes cogitationes in eo ponebant, vt rationem aliquam inuenirent, qua RICHARDVM improuisum & impræmeditatum opprimerent. Nec ita multo post, noctu in castra illius tam repentè se ingerunt, vt tantum non dormientem obruerent, coactusque sit, præ terroris magnitudine & temporis ratione, nudis tibijs ad prælium descendere In quo tam fortiter, & tam supra omnem humanam expectationem se gessit, vt nunquam alias per omnem vitam præclarius, pauloque post in grauem morbum incidit.

INTERPELLAVIT deinde *Saladinum* pro inducijs, quas nostris necessarias videbat. Quas tandem ad triennium obtinuit, non quas optabat, sed quas temporum iniquitas, & necessitas patiebatur; ita, vt præter *Ioppen* & *Ptolomaidem* (*Ascalona* enim, & cetera post *Ptolomaidem* captam, à nostris munita vrbes, solo, ex pacto, æquatæ sunt) nihil apud nostros remaneret. Vt nullum tanto duorum Regum, & aliorum Principum motu, operæ pretium in *Syria* factum videri possit. Traditum scio ab eo, qui huic expeditioni interfuit,

præter eos qui in præliis cæsi sunt, in obsidione *Ptolomaidis*, & post in eadem ciuitate, ex aëris insolentia & corruptione, ex famis magnitudine periisse supra trecenta nostrorum millia. Illud vero quis non admiretur, quod idem confidenter testatur; centum hominum millia morbo periisse, ob nullam aliam causam, quam quòd sibi à mulieribus temperarint? O rarum in militibus continentiæ exemplum! qui pudicitiam vita ipsa antiquiorem duxerint. Quos nihil dubito, si huic facto reliqua vita respondent, temporariæ vitæ iacturam, sempiterna illa abundè resarciisse. Cum hoc naturæ suæ bellum, eodem quo hostibus fidei, id est, Dei & religionis amore indixerint. Abeunti è *Syria* RICHARDO, fortuna, quæ ei semper hactenus blandiri visa est, aduersa & infesta esse cœpit; inque magnas eum calamitates, & vincula etiam coniecit. An in his pœnis, ob immaturam suam abitionem, hæserit, nolo pronunciare; neque in diuina voluntate inquirenda curiosus esse. Id constet, *Saladinum* ad proximam quadragesimam obijsse, & *Saphadinum* fratrem ex nouem eius liberis, omnes præter vnum occidisse. Quo tempore, propter mutua & grauissima barbarorum dissidia, RICHARDVS facilè non solum sanctam ciuitatem, sed & *Ægyptum* omnem, cum regionibus continentibus occupare potuisset. Sed vt ad id, quod dicere cœperam, reuertar, quid illum reuertentem, in itinere grauis infortunij acceperit, dicam; si prius in proximam narrationem, ceteras res omnes *Syriacas*, postea gestas, præsertim, quatenus nostros ANGLIAE Principes contingunt, coaceruauero: Vt quæ cognata & affinia sunt, eadem etiam oratione contineantur; Nec ad eadem sæpe importunius reuoluamur.

Paul. Æmil.

Narratio quid, & quoties, post RICHARDI *discessum*, Europęi *Principes de* Syria, *& sancta* Ciuitate *recuperanda, postea tentarunt.*

CAPVT XI.

Ex Matth. Pari. & addit. ad eundem. Paul. Æmil Polyd. & Floriac. Heroldo de regno Hieros.

POST RICHARDI abitionem, mortuo *Henrico Campano*, atque *Guidone* Cypri Rege, *Americus Isabellam Henrici* viduam in vxorem accepit; atque ita præter *Tyri* & *Ptolomaidis* principatum, & *Cypri* regnum, *Hierosolymitani* quoque titulo ornatus est. Sed cum *Philippus* atque RICHARDVS, pecuniam quàm abundanter ad opem *Syriacarum* rerum coëgerant, in domestica fere bella effunderent, & magnum *Syriæ* periculum impenderet, lapsis induciis videretur: HENRICVS *sextus* Imperator, *Romani* pontificis hortatu sacræ expeditionis se voto illigat. Sed cum illum, quo minus ipse proficisceretur, domestica pericula dehortarentur; * sufficit *Henricum* Ducem *Saxoniæ*, cui se ex *Germania*, multi illustres tam sacri, quàm profani ordinis proceres consociarant. Maximum itineris opereprętium in expugnanda *Beritho*, vbi nouemdecim christianorum captiuorum millia in custodia fuisse ferebantur, fecerunt. Quod tamen mox illis, barbari fraude circumuentis, excussum est. Paulóque post *Saxone*, & *Frederico Austriæ* mortuis, & *Conrado Moguntino* ad nouu Imperatoris comitia (HENRICVM enim iam obijsse, & suffragia, præ partium studijs, in contentionem abijsse audierant) & alijs etiam Proceribus cum suis domum festinantibus, remanserat iam solus *Comes montis Fortensis*, qui paulo ante aduenerat. Quorum discessu magis animati barbari, *Ioppen* (quam *Germani*, qui remanserant, diu quidem strenuè, sed remittente se postea veteri diligentia, negligentius defenderant) noctu inuadunt, & occisis ad vnum omnibus, penitus euertunt. Et iam valde *Tyro* & *Ptolomaidi* omnes metuebant; cum subortis inter *Saracenos* discordiis, induciæ ad decennium pactæ sunt. Solicitat, in hac barbarorum discordia, INNOCENTIVS Pontifex *Europæ* Principes, vt res *Syriæ* ad suam cogitationem & curam reuocent. Conflatur deinde ex *Gallia* magnus exercitus: sed omnis hic apparatus aliò conuersus. ALEXIVS, vir omni scelere obrutus, fratre ISAACIO capto, & oculis spoliato, in imperium se ingessit. ALEXIVS ISAACI filius, *Romani* pontificis, & aliorum principum fidem supplex implorat. Spondet se, si beneficio illorum imperium recuperet, effecturum vt *Græci*, depositio & excusso schismate, *Latinæ* ecclesiæ fidem, & instituta amplexantur.

* *al.* suffecit.

EXPVGNATA itaque *Constantinopoli*, ALEXIVS, mortuo iam patre, *Augustus* declaratur. Quo per MYRTILVM cæso, MYRTILVS imperium sibi arripit: Vrbem contra *Latinos* duodeseptuaginta diebus defendit. Deinde rursus recuperata, & misere spoliata, BALDVINVS *Flandriæ* & *Hannoniæ* Comes, AVGVSTVS renũciatur. *Syrij* cum viderẽt *Americi* supinã socordiã

qui

qui nihil se *Narradini*, *Saladini* filij, conatibus opponeret, vehementerque ab eo *Tyro* & *Ptolomaide* timerent; missis nuncijs hortantur *Romanum* Pontificem, vt de idoneo & impigro duce diligenter dispiciat. Cui illi *Mariam* puellam, *Conradi Montisferratensis* filiam, cum *Hierosolymitano* titulo nuptam collocarent. Missus igitur est *Ioannes Brenna* Viennæ *Allobrogum* regulus, qui regnum illud *Romano* Pontifici beneficiarium fecit. Post paucos annos; viginti circiter Epheborum millia, nescio quibus præstigijs illusa, *Nicolao* puero duce, ex *Germania* & *Gallia* in *Italiam* pergunt: in *Syriam* se diuinitus vocari, & instar veterum *Hebræorum*, pedibus suis mare substratum se calcaturos, & multa alia grandia somniabant. Sed cum viderent se omni ope & commeatu destitutos, immo quasi insanos, ludo ab omnibus fieri, alij alio dilabuntur. Inducijs iam fere exeuntibus, & *Saracenorum* principibus in mutuam amicitiam, & concordiam coalescentibus; facilè prudentibus apparebat, supremam rebus *Syriæ* perniciem in propinquo esse, nisi ingenti exercitu molimini illorum occurreretur. Indixit itaque INNOCENTIVS *tertius Synodum Laterani*, ceterarum fere, quæ vnquam fuerunt, celeberrimam & frequentissimam. In qua Pontifex de auxilio ad triennium ferendo, magna solicitudine egit: gratiam omnium delictorum indulgens ijs, qui vel ipsi hoc iter ingrederentur, vel suo sumptu & liberalitate proueherent. *Romanus* pontifex, & *Romanæ* ecclesiæ *Cardinales* decimam; ceteræ ecclesiæ vicesimam illo triennio penderunt. Illustres ex omnibus prouincijs viri, & immensa aliorum multitudo nomina sua huic militiæ dederunt. Quibus belli dux datus ANDRAEAS *Hungariæ* Rex. Qui tamen, cum venisset in *Syriam*, & se *Iordanis* aqua abluisset, quasi voto & bello defunctus, post tres menses quàm abierat, nulla illustri actione nobilitatus, ignobiliter rediit. Exercitus tamen aliunde, nouis quotidie ex *Europa* copijs confluentibus, mirum in modum accrescebat.

MVLTORVM animis, mirificum huius itineris ardorem addidit spectaculum quoddam in *Frisia*, hominum oculis admirabiliter, de tribus in ære crucibus palam obiectum. In quarum altera, appensi plane hominis effigies repræsentabatur. Cum exercitus tam copiosè abundaret, inita est deliberatio, de ipsa *Ægypto*, arce totius superstitionis, inuadenda, deque expugnanda *Heliopoli* olim, sed *Damiata* tum dicta. Quæ semel potiessa, facilem viam ad *Alexandriam* subigendam præstrueret, *Nilumque* deinde in ipsorum futurum potestate aiebant. Quibus rebus confectis, *Syriacum* etiam vna & eadem opera bellum conficeretur. Vltrò enim *Hierosolyma*, cum reliqua *Syria* victoribus accessura. *Damiata* itaque obsidetur, summaque rei militaris *Ioanni Brennæ* creditur. Sed maximum nostris *Nilo*, idque alieno tempore inundante, impedimentum periculumque obijcitur. Quod pijs supplicationibus, & triduano ieiunio discussum est. Gratiæ ab omnibus effusissimè Deo actę. Quod beneficium nouo mox cumulatur, fuga nimirum Soldani; qui cum instructissimo exercitu, vt vrbi laboranti suppetias ferret, aduenerat. *Barbarus*, pacem anxiè quærit. Pollicetur sanctam se crucem, & quicquid vel ipse, vel patruus *Saladinus*, aut pater *Saphadinus* nostris in *Syria* extorsissent, restituturum. *Gallis*, *Italis*, & *Anglis* conditiones visæ sunt ex æquo & bono. Sed resistentibus *Cyprio*, & *Ioanne* Regibus, & ordinum magistris, *Lupoldio Austriæ* duce, & ceteris *Germanis*, *Pelagioque* Legato pontificio, reiectæ sunt. Incredibili postea metu barbari concussi sunt, non modo *Ægypti Soldanus Moledinus*; sed & frater eius *Corradinus*, qui *Hierosolyma* in sua potestate habebat: adeo, vt vrbis deinde retinendę desperatione, muris eam vltrò nudarit. Expugnata tandem *Damiata*, sed domestica potius lue, quàm nostrorum armis, cum noster miles longa obsidione irritatus, iam vrbem ingressus, quæreret, in quem ferrum stringeret, neminem inuenit. Mille cadauera, alia super alia vndique occurrunt. Ex septuaginta vero hominum millibus, tria tantum superegerant; hique adolescentioris ætatis. Quorum vitæ parcitum est, vt vrbem purgarent. Cui purgandæ tres totos menses insudarunt. Barbarus *Cayrum* aufugit, omnesque suas cogitationes in Babylonia munienda posuit.

NOSTRAE interim copiæ, aduentu *Ludouici Bauari*, & *Matthæi* Comitis *Apuliæ* præfecti, auctiores factæ; magnâque spes fuit oborta omnibus præclararum rerum gerendarum. Quam mox domestica, inter *Ioannem Brennam* & *Pelagium* orta, dissidia obruerunt. Ille, quod ab exercitu summæ rei bellicæ præfectus esset, iste legationis titulo summam præfecturam ad se trahebat. *Ioannes* negotia quædam causatus *Ptolomaidem* se subducit. Hæc contentio audita, magna Pontificem *Romanum* mœstitia affecit. Quare *Pelagio Ioannem Cardinalem Columnensem* sufficit. Qui cum militem dicto parentem non inueniret, necessariò *Brenna* reuocatur, summáque rerum procuratio ei demandatur. Et reddita simul videbatur, optima præclari successus spes. Quam tamen præposterum, & importunum Legati consilium,

qui, *Brenna* & alijs dissuadentibus, & relicto firmo apud *Damiatam* præsidio, reliquum exercitum in *Syriam* ducere suadentibus: ita vrgebat reliquæ Ægypti expugnationem, vt authoritatis illius amplitudini reliqui cederent, frustratum est. *Barbarus*, vt eos suis magis iniurijs & fraudibus, temporisque & loci iniquitati oportunos faceret; æstu eos longius quotidie à *Damiata*, in eum locum trahebat, vbi *Nilum*, per se excrescentem, artéque auctum, in nostros & eorum commeatum (quem trimestrem exportauerant) emitteret: qui magna altitudine vndique circumfusus, barbaris editiora interim loca occupantibus, & commeatum omnem, & multos ex nostris obruit. Reliquos, triduano ieiunio prope enectos, cum naturæ vi somnus opprimeret, illumque aut telis, aut sociorum humeris innixi caperent, repentè in aquas multi frequenter corruerunt. Quod spectaculum magnam virtutis, & patientiæ nostrorum admirationem; *Moledino* commiserationem etiam peperit. Ita quidem, vt licet non ignoraret, facilem & expeditam sibi victoriam aduersus tam debilitatos fore; conditiones tamen, ea quidem in rerum asperitate non omnino contemnendas, vltrò deferret. Illi aliquandiu ad consentiendum valde difficiles; cum tamen viderent res in eum locum deductas, vt nullam aliam salutis expectendæ rationem superesse constaret; consensum, quem necessitas tanta expressit, postulatis adhibuerunt. Conuenit itaque *Moledinus* cum eis, vt *Damiatam* redderent. Ipsi vero cum incolis *Damiatæ*, incolumes in *Syriam* adducerentur, crux dominica redderetur, pactis etiam octo annorum inducijs, quibus res *Syriæ* non impeterentur. Quæ ille omnia summa fide & constantia, & multa alia in nostros officia, ex abundanti liberalissime præstitit.

REDIERE deinde principes & milites, ad suam quisque patriam. *Philippus de Albaneio* de quo mentionem fecimus, celebris ob pietatem & militarem peritiam, HENRICIque Regis ANGLIAE aliquando præceptor, missis ad *Ranulphum Cestriæ & Lincolniæ* Comitem literis, hæc, quæ diximus de *Ægyptiaca* expeditione, cui interfuit, significauit. Eadem & *Philippus de monte acuto*, Templariorum magister, per suas etiam in ANGLIAM literas, eodem tempore significauit. PHILIPPVS vero de *Albaneio* in *Syriam* postea profectus est, vbi & obijt. *Ranulphus* vero commemoratus, cum fere biennium in sacra militia versatus esset, domum *Philippum* præuertendo redijt. Multi illustres ex ANGLIA viri, cum *Ranulpho* profecti sunt. In quibus fuere *Saerus Wintoniensis*, & *Guilielmus Arundelensis*, Comites. Hac calamitate accepta, *Ioannes Brenna* venit in *Europam*, solicitans *Romanum* pontificem & Reges, vt darent operam, ne lapsis inducijs, subsidij inopia, res *Syriaca* insigne aliquod detrimentum, extremámque pernicieni subiret. Venit & in ANGLIAM *Brenna*, adque Regem HENRICVM, qui magna in eum munera contulit. Abiturus inuisit diui THOMAE *Cantuariensis* mausoleum, quatuor pretij magni saphyris, ad ecclesiæ ornamentum datis. *Brenna*, subducta omni secum diligenter de *Syriacis* rebus iuuandis ratione, expeditissimam eam putauit, si filiã BALDVINI quarti *Hierosolymitani* Regis neptem virginem *nobilem, FRIDERICO *Augusto* matrimonio consociaret, titulúmque simul omnem *Hierosolymitanum*, à se in illum transfunderet, certiorémque facit HENRICVM ANGLIAE Regem. Vna erat; sed ea magna hac in re difficultas, quòd FRIDERICVS à Pontifice sacris erat abstentus, & anathemate percussus. Et ideò auersas aliquandiu aures, animúmque ab his nuptijs audiendis, aut probandis habuit. Pacificatio tamen tandem inita est; FRIDERICVS sacris redditus est, & sacram se expeditionem primo quoque tempore obiturum promisit. Mox instructissimo, & amplissimo apparatu nuptiæ *Romæ* inter IOLEN & FRIDERICVM celebratæ, coronáque IOLI à Pontifice imposita. Sed nescio quo malo dæmone, faces incendente, malè sarta gratia, paulo post resilijt, & res in importunissimum & vatinianum plane odium mutuo erupit; adeo, vt atrocibus cum Pontifex criminibus, & inter alia, quòd colluderet & præuaricaretur in sacra expeditione cum Christianis, clámque *Soldano* studeret, & cautatus morbum fictitium, statо die sacram expeditionem non obijsset, palam impeteret, nouóque cum anathemate feriret: nec inducias, pacta, & conuenta, quæ cum *Soldano* ille postea fecerat, rata haberet, sed prorsus intercederet atque infringeret.

* *forte* nubilem.

FOEDERIS inter alias, hæ conditiones erant, vt FRIDERICVS *Hierosolymitani* regni titulo ornaretur, vt ipsam vrbem cum *Palæstina* obtineret, *Ioppen*, *Nazareth*, & alia oppida suo arbitratu reficeret & muniret, pace ad decennium constabilita. Causa verò, ob quam huiusmodi præuaricationis, & violati ob desertam profectionem iurisiurandi, eum notarat Pontifex, hæc erat. Ingressus iam erat nauem FRIDERICVS, & ad *Maleacum* vique promontorium processerat. Cum repentè per speciem morbi (sed simulati, vt Pontifex dicebat)

cebat) reuersus est. Qua de re, vt de tota reliqua inter eos controuersia, nihil hic pronuncio in alterutram partem. In quo culpa resederit, aliorum sit iudicium. Neque si hanc mihi iurisdictionem *prærogare velim, commodus hic esset, in tam succincta tantarum rerum narratione, differendi locus. Idiam solum, quod ad instituti mei rationem spectat, apposuerim; multorum, ex hac Imperatoris profectione audita, animos ad ingrediendum idem iter excitatos. Multi enim ex omnibus prouincijs huic militiæ nomina sua ascripserunt, in ANGLIA præsertim. Qui ad sexaginta millia recensiti sunt, nominaque eorum in scriptis comprehensa. Cuius nostri itineris desiderio vehementer inflammati sunt, ex Christi simulachro in aëre, prope vicum *Vxbrigium* conspecto; quæ clauos, lanceam, latus apertum, & alia sacrosanctæ passionis insignia præse ferebat. Inter alios vero, hoc tempore ex ANGLIA profecti sunt PETRVS *Wintoniensis*, & GVLIELMVS *Exoniensis*, Episcopi. At cum disseminatum esset in *Syria*, FRIDERICVM profectionem defecisse, milites supra quadraginta millia ex *Syria*, eisdem quibus illuc vehebantur, nauibus reuersi sunt. Regnum deinde capessit *Hierosolymis* FRIDERICVS, certioremque facit HENRICVM ANGLIAE Regem, se vrbe sacra potitum, & de pactis atque conuentis, quæ cum *Saladino* inierat. Nemo autem ex Clero, quàmdiu in vrbe erat, sacra missarum, propterea quod ille anathemate inuitus erat, celebrare voluit. *Walterus* tamen ANGLVS, ex familia *Præcatorum*, qui erat exercitui à sacris concionibus, in suburbijs rei diuinæ operam dedit.

* al. præbuisse.

INDVCIIS vero vergentibus iam ad exitum, cum intestinis *Saracenorum* dissidijs laboraretur, *Ægyptius* & *Damascenus Soldani* de renouando fœdere AVGVSTVM solicitant. Ille rem ad arbitrium Pontificis GREGORII reijcit. Qui ab omni fœdere ineundo adeo abhorruit, vt cùm iam FRIDERICVS id ferret, ille illud palam reciderit, & *Europæos* ad arma in *Saracenos* capessenda vbique incitauit. Noua itaque maritima in eos expeditio conflatur, quam susceperunt *Nauarræ* Rex *Theobaldus*, *Almericus a Monteforti*, *Petrus Maledictus Britanniæ* Comes, & alij illustres viri. Quorum in *Syria* copias barbari ex insidijs adorti, grauissima prope *Gazam* cæde fere delerunt, ita vt ægre *Theobaldus* cum *Petro* fuga euaserit. Hæc clades vbi innotuit, Pontifex solicite egit per Patriarcham *Hierosolymitanum* in ANGLIAM missum, cum RICHARDO HENRICI fratre, vt ipse copias colligeret, quibuscum in *Asiam* traijceret. Quas ille quidem ad quadraginta hominum millia collegit. Et emenso *Cantabrico* Oceano, per fretum *Herculeum* atque *Mediterraneum*, *Ptolomaidem* peruenit, maximo omnium gaudio & applausu exceptus. Profectus est & *Gulielmus de longa spata* Comes *Saresburiensis*, cum alijs multis Proceribus. Quos proximi anni autumno, multi alij ex ANGLIA viri Illustres secuti sunt. Profectus vero fuerat ante RICHARDVM, *Simon de montefortensi*, *Legriæ* siue *Leicestriæ* Comes. Discesserat verò, dies circiter quindecim ante aduentum RICHARDI, *Theobaldus* cum suis. RICHARDVS vero, cum non inueniret vlla alia, ex reliquis christiani orbis prouincijs aduenisse præsidia, nec expectaret, necdum exijssent priores induciæ, nec videret barbaros vllum nostris facessere negotium: pacem temere turbandam non ratus, *Ascalonem* & alia oppida arcibus, & castris nouis munituit, triginta tres ex nobilioribus, & quingentos alios milites, à barbaris redemit, pactasque inducias firmius constabilituit. Insignem etiam laudem pietatis promeritus est, quod ossa *Francorum* in *Gazensi* pugna cæsorum, quæ etenus sub dio iacuerant, colligi, & in cœmeterio *Ascalonensi* terræ religiosè mandari curarit. Perpetuos præterea sumptus sua liberalitate, sacerdoti suppeditari curauit, qui pro defunctis sacrificium quotidie in sacris mysterijs offerret.

REPETIT deinde patriam, portionémque sacri Christi sanguinis, qui *Hierosolymis* conseruabatur, omni thesauro magis pretiosum, in ANGLIAM importauit. Nec diu post *Chorazinj*, quos aliqui *Chocrasinios*, aliqui *Grossonios* appellant, *Syriam* ingenti exercitu ingressi, *Gazam* & *Ascalone*, aliisque oppidis expugnatis, christianoque exercitu immani cæde obtrito; *Hierosolymis* potiti, ingenti in ciues indiscriminatim strage, & in loca omnia sacra & profana, sæua depopulatione grassantur. Quod vltimum * *Hierosolymitani* quasi fatum, appellare licet. Nullus hactenus christianorum hanc maculam, & ignominiam nostris inustam deleuit; nemo sacrosanctam ciuitatem a barbaris, quam alij ex alijs magna dominorum vicissitudine detinuerunt, hactenus asserit. Multa certe, magnóque molimine attentata sunt; sed illi semper conatus in irritum reciderunt. Quorum exiguum aliquem, lectoribus gustum exhibuisse satis erit. Primus hanc glaciem perfringere cœpit pius ille *Francorum* Rex LVDOVICVS *nonus*. Qui *Ægyptum* prius petendam & impetendam ratus, *Damiatam* bar-

* al. Choëtasminos.

* Sic omnia quæ vidi M. S. sed videtur legendum Hierosolymitani regni q. s.

baris extorquet; nobiléque posteà de illis in prælio trophæum retulit. Sed hanc omnem felicitatem grauis, quæ in exercitu eius grassabatur pestis; grauisque illius, fame & peste prius fere exhausti, per barbaros strages edita, Regis etiam captiuitate cumulata, corrupit & contaminauit. Rex, certis conditionibus initis, liberatus, toto postea quinquennio, in Oriente permansit. In quibus constabiliendis, cum *Sultanus*, si illas vnquam infringeret, se *Machometem* prorsus detestari adiecisset; similémque iurisiurandi aduersus Christum formulam à LVDOVICO flagitaret, nec eam vel mortis inferendæ minis vllis illi exprimeret, nec theologi suggerentes, sine piaculo suscipi posse, quicquam persuaderent; *Sultanus* constantiam Regis admiratus, omni illa eum necessitate exoluit. Reuersus verò, post quindecim annos protectionem repetit, & cum deliberaretur vnde bellum ducendum, decernitur tandem petendam *Africam*. *Carthago* itáque expugnata, *Tunetis* quoque obessa. Sed huius bonæ felicitatis ineuntem successum, pestilentia, quæ exercitum exhausit, & mors Regis conturbauit. Impositum tamen est barbaris annuum, ad quadragena millia aureorum, *Carolo Siciliæ* Regi pendendorum, tributum. Cautum vt nostris impune liceret, Christi fidem in illis regionibus concionando spargere, neuè fraudi aut noxæ foret *Afris*, qui sacro se baptismo expiari cuperent. LVDOVICVS vero defunctus, cum miraculis edendis inclarescceret, à Pontifice Romano in Diuorum album relatus est.

PRIMAE illi in *Ægyptum* expeditioni interfuit *Gulielmus de longa Spata*, vt nostri appellant. Quo tempore *Godefridus de Lucy*, cum alijs nobilioribus viris, sacrum iter ingressus est. *Gulielmus* vero fortiter decertando, eo tempore à barbaro cum quibusdam alijs ANGLIS cæsus est, quo & *Robertus Attrebatensis*, *Ludouici* frater. Quo licet cæso; nostri victoriam tamen, & mox aliam clariorem de barbaris reportarunt. Si quis alia de *Gulielmo* scire desiderat, habet nostrum illius temporis scriptorem, vnde petat. Qui & illud refert, Comitissæ, matri illius, quæ id temporis cœnobio sacrarum apud *Acocam* virginum præfecta erat, visum quoddam ea nocte obiectum, quæ eædem eius antecessit. quo militem quendam in cælum ab angelis illatum, videre sibi videbatur. Cúmque interrogasset, Ecquis ille tandem esset, responsum accepisse, fuisse illius filium *Gulielmum*. Venerunt mense Augusto literæ in ANGLIAM, quæ de cæde *Gulielmi* significabant. Quo quidem tempore *Wigornensis* & *Herefordensis* Episcopi, *Legeceastrensis* & *Herefordensis* Comites, *Rogerus* Baro insignis cum alijs viris illustribus, hoc iter parati erant suscipere. Quos Rex partim per se, partim per *Romani* pontificis literas retinuit; causatus se in eam expeditionem profecturum, quam eos expectare voluit. LVDOVICVS ante secundam expeditionem, de omnibus controuersijs, quæ vtrique regno tantas hactenus molestias & turbas dederant, cum Rege ANGLIAE decidit & transegit. Sacri quoque belli inter eos societas coijt, ita vt dum ille *Tunetum Africæ* obsideret, ANGLVS classe *Syriam* peteret. In quam *Tuneto* perdomito, omnes coniunctis copijs, vires effunderent. Et classe quidem in *Syriam* EDOVARDVS, cum multis ANGLIAE & *Scotiæ* illustribus viris, inter quos erat *Ioannes Baleolus Scotus*, contendit, & commodum *Ptolomaidem* venit, cum graui eam barbarus obsidione premeret. Credebatúrque post quartum diem, *Sultano* reddere se voluisse, nisi EDOVARDVS interuenisset. HENRICVS RICHARDI Cæsaris, HENRICI Regis fratris iam demortui filius, ad *Tunetum*, ignarus mortis LVDOVICI, appulit, traiecturus postea ad patruelem EDOVARDVM cum reliquis *Francorum* copijs, post *Tuneti* (quam sibi omnes pollicebantur) expugnationem. EDOVARDVS verò, non ita multo post aduentum ipsius, intra domesticos parietes à sicario quodam pene confectus est. Quem grauiter sauciatum confecisset, nisi ad clamorem saucij, cubicularij excitati, propere aduenissent. Arsacidæ homini & ex *Assassinorum*, de quibus diximus, deplorato hominum genere, & ad certam mortem præcipiti, id facinus ascribitur. Quicunque ille demum fuerit, à *Guidone montefortensi*, qui fratrem eius patruelem *Henricum* commemoratum, apud sacrosanctam postea aram, *Viterby* *Philippo Franciæ*, *Carolo Siciliæ* Regibus, ipsoque adeo Pontifice maximo præsentibus, confodit; aut ab aliquo factionis *Montefortensis* subornatum, & immissum crediderim. EDOVARDVS vero, cum mortem LVDOVICI, exercitumque *Gallicum* patriam repetisse audisset, rerúmque præclarè gerendarum occasionem perisse vidisset: inducijs pactis, in ANGLIAM reuertit.

Matth. Paris.

HABITA est paulo post frequens, & celebris illa *Lugdunensis* synodus, vbi GREGORIVS *decimus* palam fassus est, aduentum *EDOVARDI fuisse rebus *Syrianis*, oppidò quam accommodum & opportunum, de quibus alioqui actum prorsus videbatur. EDOVARDVS reuersus retulit secum cor HENRICI patruelis, aurea pila inclusum; & vt iniuriam à *Gallis* acceptam testa-

* *M. S. habebant* Richardi *sed manifesto errore.*

testatiorem redderet, pilam lapideam in ponte *Tamesis* apud *Londinum* fluuij statuit, in eáque cor HENRICI repositum. Sunt qui tradunt HENRICVM ANGLVM, postquam de cæde *Gulielmi Longospatæ* & captiuitate LVDOVICI innotuisset, ad sacram se expeditionem, magnáque ad eam conficiendam opum, militúmque præsidia simul parasse. Sed eam cogitationem, hortatu Pontificis abiecisse, cum ab eo intellexisset conditiones, quibus per LVDOVICVM pax constituta fuerat. Alij vero asserunt cruce, cum fratre vterino GVLIELMO, & multis alijs viris illustribus, per *Cantuariensem* insignitum; etiam antequam quicquam de LVDOVICI clade acceptum esset. Et illos quidem magno desiderio ad iter arripiendum arsisse; Rege interim moras nectente. Sed cladis illius auditio, hoc omne studium abrupit. Postquam vero de capto LVDOVICO percrebuisset, magna peditorum hominum multitudo, ad centum millia & amplius, ex pastoribus maximè conflata (atque ideo pastorelli appellati) nescio quas cœlestes excitationes & visiones, seque ad vindicandam, delendámque ignominiam à Rege acceptam: cœlitus sub specie sacræ militiæ vocatam, & mira se prodigia edituros vanè iactando atque ostentando, in *Gallia* confluxit. Auditi sunt ad tempus pronioribus auribus & animis, quòd simplicitatem quandam atque innocentiam, & quasi diuinitus immissum huius itineris desiderium præ se ferrent. Visum est, aiebant, Deo, non fortis & instructi exercitus robore, aut à viris rei militaris gnaris, sed ad potentiæ suæ magnitudinem declarandam, per nos, non tam nostra, quam diuina sua virtute, & acceptam cladem vlciscì, & superbum *Saladinum*, cum alijs fidei hostibus, ad internecionem delere.

ET hæc quidem specie blanda, in multorum aures & animos, magna cum voluptate influebant. Sed cum impositam hanc ad tempus, egregiæ simulationis personam paulo post deposuissent, iamque publicè sibi docendi munus & magisterium homines laici & indocti, non sine omnium ordinum, præsertim ecclesiasticorum, ipsiúsque fidei catholicæ contumelia arrogassent; seque deinde furtis, rapinis, adulteriis, aliisque sceleribus infestos, & inuidiosos omnibus fecissent, omniáque illorum molimina à summa vanitate, aut insania potius profecta satis appareret: primum ab *Aurelianensibus*, qua in vrbe viginti quinque ex clero occiderunt, & alios vulnerarunt; deinde à *Bituricibus*, vbi primarius quidam huius colluuiei dux, dum insanis suis concionibus populum dementaret, a plebeio quodam homine cæsus est; partim deleti sunt, ceteri vero ad opus faciendum traducti. Venerunt & *Burdegalim*, sed *Simon Leicestriæ* Comes, vrbis ingressu eos prohibuit. Vnus vero ex insanis his magistris, è *Gallia* in ANGLIAM traiecit, & apud *Sorranium* appulit. Paucisque diebus ex pastoribus, aratoribus, bubulcis & porcarijs, quingentis discipulis auctus; præclarum & dignum auditorium habuit. Qui cum maiore deinde audacia insanias suas alibi spargeret, à populo non ferente tantam indignitatem, membratim discerptus est. Fuit his temporibus ad quædam Regis HENRICI *tertij* negotia procuranda, in *Gallia Thomas* monachus *Shirehurnensis*. Qui cum in male feriatorum, & perditorum istorum hominum manus incidisset, neque insanis eorum commentis applaudere voluisset, voluntatique eorum obsecundare, male ab eis fuit multatus; ægre per noctem aufugit, reuersusque totam hanc historiam, aut tragediam potius, authore nostro præsente *Wintoniæ* narrauit. Quam ille scriptis postea mandauit. Agitata deinde sunt noua, de subleuandis rebus *Syriæ* inter christianos principes consilia; transmisitque RODVLPHVS *Augustus Germanorum* aliquot copias; sed nullo bono successu. *Sarraceni* deinde *Antiochiam* capiunt, & *Armenios* fœde spoliant & vastant. Illi *Abagæ Tartarorum* principis auxilium implorant. Qui *Mandogamorem* fratrem cum triginta equitum millibus, ad *Armeniæ* & *Syriæ* subsidium misit. A quo, *Saracenorum* pecunia corrupto, nostri perfidè proditi sunt. Quare redeuntem illum cum ceteris ducibus *Abaga* interemit. Reliquis militibus fœdam ignominiam inussit, vt non alia quam muliebri veste per totam postea vitam vterentur. Sed res *Syriæ* magis & magis pessum ire, quibus fatum iam planè appetebat.

CAPTAE itaque *Tripolis*, *Sydon*, *Berytus*, *Tyrus*; sola *Ptolomais* supererat. Quæ & ipsa post quinquennium eandem calamitatem, ex nulla re magis, quam ex importuna principum ambitione, sortita est. Cum magis de vrbis illius principatu adipiscendo, quam de regno perdito restituendo, aut vrbe ipsa fortiter defendenda certaretur, aut certe multo, vt fit in tanta contentione, remissius defenderetur. HENRICVS enim *Cypri* Rex, *Carolus Siciliæ*, *Hugo Antiochenus* princeps, & *Tripolitanus* etiam huc aspirabant. Vt nihil dicam de *Franco* & ANGLO, per nuncios idem solicitantibus, deque legato pontificis *Romani*,

de

de *Patriarcha Hierosolymitano*, de *Templarijs*, *Hospitalarijs*, & *Theutonicis* militibus, de *Genuensibus*, *Venetis*, *Pisanis*, & *Florentinis*, ipsisque adeo *Tartaris*. Tot enim in vnius vrbe principatu ambiendo, factiones fuisse traduntur. Sed tamen præsens & commune periculum, concordiam eis tandem expressit. Summa itaque rerum procuratio *Petro*, templi magistro tradita. Qui præclare suas partes obiuit. Sed cum eo cadente (ex vulnere enim perijt) reliquorum etiam paulo post salus corruit, & vrbs in barbari potestatem peruenit. *Latinis* tota iam *Syria* per *Saracenos* exactis, non ita post multos annos *Tartari*, & illos exegerunt, & *Hierosolymis* potiti, Christianis incolendam permisere. Qui cum *Armenijs* legatos ad *Romanum* Pontificem misêre, vt excitaret *Latinos* ad sacram expeditionem. Sed domestica inter eos dissidia, & res *Turcarum* iam indies ad maiorem magnitudinem crescentium, omnem alicuius rei bene gerendæ spem omnibus abscidere. Quæ tamen sæpius ostentata est, CLEMENTE præsertim *quinto* sedente, cum eius hortatu *Philippus Franciæ*, & EDOVARDVS ANGLIAE Reges, sacræ militiæ nomen dederunt. *Philippus* vero paulo post obijt, & huius rei curam ad filium *Ludouicum* transmisit. Nec ille diu superstes fuit. Atque ita sensim hæc omnis cogitatio vndique consenuit. Nihil erat iam in *Asia* christianis relictum, præter *Armeniam* minorem, & *Cyprum*. *Armeniam* vero *Saraceni* fœde spoliarant; mox illam *Turcæ* totam occupant. Omnes itaque suos IOANNES *vigesimus tertius* neruos intendit, vt principes, ANGLVM præsertim, & *Gallum* ad hoc bellum acuetet. *Philippus Valesius*, omnia iam ad expeditionem parasse videbatur, misitque oratores ad ANGLVM, qui ad eiusdem belli societatem eum inuitarent. Ille rursus IOANNEM *Cantuariensem*, & *Richardum Dunelmensem* antistites in *Franciam* ablegat, vt de domesticis priùs controuersijs cum *Franco* transigat. Sed hæc omnis transactio, in atrocissimum inter eos principes bellum exijt.

VENIT deinde *Petrus Cypri* Rex, cum ad alias *Europæ* prouincias, tum in ANGLIAM, opis implorandæ causa. ANGLVS cum bello *Hispanico* implicaretur, ingentem pecuniam suppeditat; arma & militem id temporis suppeditare non posse respondit. CLEMENS deinde *sextus* aliquid & mouit, & promouit in hac re. *Venetos* & *Genuenses*, immaniter dissidentes, fœdere coniunxit. Qui Pontificis & aliorum quorumdam Principum viribus consociatis, classem instruunt; maritimámque *Syriæ* oram legunt, & graui tempestate in *Ioniam* proiecti, *Smyrnam* occupant: & *Veneti* deinde *Berythum* portum. Vnde non longe post à *Genuensibus*, non mediocri clade deturbati sunt. Quorum sane Vatinianum odium, omnia reliquorum, per centum & amplius annos, in *Syriacis* iacturis resarciendis auxilia posita, labefactauit & prorsus euertit. Leo posthæc, qui *Linoni* successerat, *Armeniæ* Rex, ad eam & *Syriam* barbaris extorquendam, VRBANVM *sextum*, *Francum* & ANGLVM vehementer solicitat; Inque ANGLIAM, discordias inter *Francum* & *Anglum*, si posset, sedaturus traiecit. Legati vtrinque nostri *Caletum*, *Franci* Bononiam de rebus componendis, sed frustra confluunt. *Leo*que benigne & liberaliter ab ANGLO exceptus, fit decennalis eius hospes; tandémque à RICHARDO Rege trium annorum inducias impetrat. Decernitur tandem aduersus barbaros, ecclesiam *Romanam* administrante BONIFACIO *nono*, expeditio. Dux eius belli Regis *Franciæ* frater fuit. Conficitur deinde exercitus, peditum viginti millium; equitum mille quingentorum. Cum deliberaretur; quò primùm ductandus exercitus, *Leone* in *Syriam* toto spectante, præualuit alia aliorum sententia, qui *Africam* tentandam primò decernebant. Recta itaque ad *Tunetum* tenditur. RICHARDVS ad hanc expeditionem *Henricum Derbiensem* Comitem ablegat; cum insigni sagittariorum manu. Quæ maximum in littore occupando, barbarisque inde, sagittarum suarum imbre arcendis, operæ pretium fecit. Vrbs itaque obsidione cingitur, Barbari anxiè de pace agunt. Quam satis æquis, & commodis christianorum vsui conditionibus impetrant. Initur deinde de *Syriacis* rebus consilium. Quod ingens, in exercitu, lues orta contudit & euertit. Atque hic nostram de rebus *Syriacis*, & sancta ciuitate orationem claudemus. Nam reliqua tempora huiusmodi fuere, vt præclarè cum *Europæis* agi videretur, si res suas domi, à *Turcarum* immanitate, tueri valerent; tantum aberat, vt tantum à re sua otij haberent, vt res *Syriacas* tam longe positas curare possent. Reliquam itaque RICHARDI historiam, quam abrupimus, iam resarciemus & absoluemus.

Quomodo

Quomodo RICHARDVS *captiuus abductus est á Duce* AVSTRIAE: *de oratione eius ad* AVGVSTVM, *de redemptione & reditu in* ANGLIAM, *& obitu.*

CAPVT XII.

Ex Rich canonico Rogero Houed. Matth. Paris. Nuberg Wolfango Lazio de Austria. Cernasio. Paul Æmil. Polyd.

FACTIS inducijs ad biennium, disertè cautum est, vt liceret christianis interim, securè dominicum sepulchrum inuisere. Et RICHARDVS quidem lubens inuisisset; si amici periculi, quod inde ipsius saluti imminebat, metu eum non deterruissent. *Hubertus* tamen *Saresburiensis* inuisit, cum multis alijs *Anglis*. At RICHARDVS sæua tempestate iactatus, naufragióque facto, proiectus in *Histriam*, dum studiosè *Franciam* quasi certam perniciem declinat, *Germaniamque* cum paucis, nomen personámque dissimulans petit: in non minorem quàm timebat, aut grauiorem cladem, inque manus *Lupoldi Austriæ* incidit. Quam calamitatem, cælum varijs temporibus in ANGLIA, mira omnium consternatione, ardere visum præsagire videbatur. A *Lupoldo* ad AVGVSTVM ductus est & grauissimis ab illo criminibus impetitus. Quæ ille apud AVGVSTVM, luculenta se oratione purgans, in hunc fere modum discussit. Quid primum aut potissimum eloquar aut deplorem, Optime AVGVSTE, sum plane nescius. Grauibus apud te criminibus oneror. Sed quid? an, licet sane potentissimi & iustissimi, nullo tamen iure mei Iudicis, qui & ipse Rex sum nobilis regni, & liberi ab omni imperij clientela, cognitionem tuam (quæ sanè in priuatis quibúsque hominibus, vt prima & reliquorum omnium æquissima exceptio passim indulgetur) declinabo? Num Deûm hominúmque, & sacrosanctam Christianorum omnium fidem, contra magnitudinem huius iniuriæ; qua non quælibet priuata, sed Regia Mea persona, imo fides ipsius maiestas violatur, implorabo? Quis enim vel fando vnquam audiuit, Christianum Regem sacram expeditionem obeuntem, ab aliquo, qui se christianum Principem agnouit, vi detentum; & in vincula coniectum? Solet hæc expeditio asylum interim esse priuato cuiuis. Quod & Pontificiæ execrationes contra violatores firmiter munire solent. An ego solus hoc communi beneficio excludar? An postquam mea virtute eruentas *Saladini* manus euasi, christiani Principis nefarijs insidijs, in ipsa expeditione (eam enim ad tutum, in patriam vsque reditum durare, optimo iure constat.) in media *Europa*, sine meo merito excipiar? An hic immitiorem hostem, quàm *Saladinum*, quàm violentiam maris, à qua eiectus, seruatus tamen sum; nonúmque hic in ipsa terra naufragium experiar? Patriæ itaque Optime AVGVSTE, vt æquum est, primum reddar; tum, vel te arbitro, de iniurijs, si quam *Lupoldo* intulerim, abundè satisfecero. His si nihil amplius dicerem, rationi, iuri, æquitati consentanea dicerem; neque est, quod de tua benignitate, si me dimitteres, merito quereretur. Sed ego ista omnia iuris, & æquitatis indulta mihi beneficia vltrò dimitto, & reijcio: non ea, sed ipsam meam innocentiam, & integræ famæ conseruationem (quas ego quouis regno & imperio antiquiores habeo) vrgeo. Innocentiam meam, quæ iam atrocibus calumnijs petitur & premitur, nisi apertè apud te, Clarissime AVGVSTE, probem; tu de me tuo arbitrio statuito. Et hanc ego catenam, si meo merito paterer, valde erubescerem, & atrociter dolerem. Nunc cum eam mihi, non mea merita, sed aduersariorum insidiæ, & calumniæ imponant, quas facilè sum discussurus; in rerum à me præclare gestarum, & innocentiæ meæ conscientia lætus acquiesco. In calumniam vocor propter res *Siculas*, vbi, si quid turbarum datum est; id ab incolis, & alijs æmulis, qui eos incitabant, ortum. Ego necessariæ meorum, qui sine causa premebantur, defensioni deesse non potui nec debui. Nec pati sororem viduam, dote sua spoliari. Sed quid isti antiqua, si quæ sint, vulnera, summa inter me & meos, & *Tancredum* amicitia inita, affinitatéque arctius conglutinata, iam olim sopita & sanata importunè refricant? Alia, eáque duplex de *Cypro* criminatio intentatur; vel quòd Regem & regnum christianum summa iniuria his armis euerterim, quæ fidei tantummodo hostium sanguine imbuenda deuoui: vel si iusta fuerint arma, quòd *Gallum* contra societatem initam, sua portione fraudatus sim. Arma ego quidem vltrò non intuli; sed naufrago illata & à littoribus repulso, obque res meas sce-

„ leratè interceptas, repetendas, necessariò retuli. Qua in re nullam me cupiditatem sequi-
„ tum, rebúsque *Latinis* consuluisse, luculento illud indicio est: quòd regnum illud à me
„ abdicaui, & pro hoste *Latini* nominis, *Latinum* Regem *Guidonem* sufficerim. Et licet iusto
„ *Cyprum* bello petierim, nulla tamen (quam ingentem falsò somniant) prædæ parte, se exclu-
„ sum *Francus* iure queri potest: cum ego *Cyprum* insigni iniuria lacessitus, non commu-
„ nibus, sed propriis sumptibus, & viribus perdomuerim. At in ipsos societatis, & sa-
„ cræ expeditionis socios, *Francum*, *Germanúmque* & alios, hostilem gessi animum,
„ inimicitijs & iniurijs vexaui; sicarium adeò subornando, qui *Conradum Marchionem*
„ egregium Christi, sanctæque expeditionis ducem, ne *Hierosolymitani* regni, quo dignus
„ erat, titulo ornaretur, nefarijs insidijs confoderet. Hæc frigida & proiecta sane, & 10
„ alieno tempore intentata calumnia est. Quam & illius, qui percussorem immisit confessio,
„ publica fide & literis consignata, & præsidij à *Franci* Regis latere, quod sibi aliquandiu va-
„ no & inani metu, quasi sibi à me metuens, amotio, iam olim repressit & sustulit. Et quo
„ ego meo bono, tam sceleratas cogitationes in me admitterem? An ego illi vnquam aut
„ alij, sacrum regnum intercipere, & mihi ipsi capere conatus sum? Qui omne meum in
„ *Cyprum* ius, in *Guidonem*, ad perimendam illam de sacro regno perniciosam controuersiam,
„ vltrò transfudi. Propensus fui, fateor, in partes *Guidonis*, quod apertum cum eo ius sta-
„ re viderem, nec priores illius calamitates, quibus in *Saladini* potestatem venit, nouis
„ cumulandas crederem. Vanáque est & inhumana istorum consideratio, qui nunquam eum
„ dimittendum iactant, nisi clandestina illum aliqua proditione irretitum, *Saladinus* haberet. 20
„ Imo in magnum nostrum malum callidè eum dimisit, commissurus eum cum æmulo *Con-*
„ *rado*, vt interim nos ita distractos & dissentientes, suis insidijs & armis oportuniores face-
„ ret. Qua verò isti fronte inimicitias cum *Franco* obiectant? quem vident omnibus viribus
„ conatum, vt mihi nondum sacra expeditione defuncto, suis armis *Normanniam*, & deinde
„ per *Dacos*, quos sollicitauit, sub veteris, nescio cuius, tituli specie, & mox per fratrem IOAN-
„ NEM, ANGLIAM etiam eriperet. *Lupoldum*, aut *Germanum* aliquem adeo nunquam læsi,
„ vt illis indigentibus, *Lupoldo* præsertim, mea pecunia abundè subuenerim. Sed enim signa
„ eius, quæ *Ptolomaidis* muris affixit, deturbaui. At non ego solus, sed & *Francus*. Neque æ-
„ quum fuit, vt quasi sibi soli captæ vrbis gloriam ita insolenter vendicaret, communémque
„ laborem, & in quo alij magis illo insudarint, velut in suam vnius laudem deriuaret. Restat 30
„ grauissima illa omnium, quam maximè auersor & detestor, criminatio. Egónè
„ tantis sumptibus, laboribus & periculis, ab extremo occidente sole, ad extremum
„ fere orientem, iter feci? Egóne tot, cum præsentis vitæ periculo, prælijs *Saladinum*
„ confregi, totque de barbaris trophæa retuli, tantum eorum numerum tam insignibus, vt
„ nemo post *Gotofredi* tempora, victorijs strauí; & nihil tamen hactenus aliud, nisi collu-
„ si cum christianis, nefariúsque præuaricator, clam *Saladino* studui? At donis me cumulauit
„ *Saladinus*. Ego verò non illud, licet rectiùs, quàm ille olim, dixerim: *Timeo Danaos,*
„ *& dona ferentes.* Sed quibus ille me cumularet donis, qui nec suos obsides libera-
„ uit; cui nullum tam gratum donum vnquam accidisset, atque interitus mei, cuius præ
„ ceteris sanguinem sitiebat, nuncius? Arripiunt tamen aliquam huius criminationis an- 40
„ sam, quòd obsides *Saracenorum* tenuiores occiderim, qui nostris captiuis commutan-
„ dis inseruire debuissent; reliquos ingenti pecunia emunctos dimiserim. Neque hic me
„ vlli culpæ affinem video. An barbarum impunè nobis illudere paterer, qui neque san-
„ ctam crucem reddidit, neque procerum suorum pactis stare voluit? Si quid ad me pretij
„ ex barbaris recidit, non ad meum, sed meorum commilitonum, militúmque Christi
„ egentium commodum recidit. Quare auaræ *Lupoldi*; & sæuæ cupiditati, Optime AV-
„ GVSTE, ne satisfacias; consulas tuæ gloriæ & famæ, memento cur te in tam sublimi Deus
„ honoris gradu collocarit, vt cùm à priuato quouis, tum à Regibus maximè; ijs præsertim,
„ qui se suámque vitam & sanguinem Christi hostibus vindicandis, & Christi religioni in sancta
„ terra, vbi nostra peccata cruce expiauit, dedicarunt & deuouerunt; omnem iniuriam à tuis in- 50
„ dignè illis irrogatã, pro sapientiæ & potestatis tuæ magnitudine, submouere & arcere debeas.
„ Ita tibi illustre, & sempiternum pietatis, & iustitiæ, & integritatis nomen lucrifacies; ita
„ firmum & solidum tibi imperium tuúm conficies; ita me meosque omnes tam arctè con-
„ stringes & demereberis, vt pro tuo imperio tuâque salute, omnia nostra, vitámque ipsam,
„ si res postulet, profundere lubentes velimus,

HAEC aliáque etsi RICHARDVS, apta quidem, & ad AVGVSTVM persuadendũ accommo-

data

data protulerit, nihil tamen ad sui liberationem profecit, donec aurea offa & grandi pecunia (de cuius certa quantitate variatur) soluta, cuius tertia pars *Lupoldo* accresceret: *Lupoldum* & AVGVSTVM tandem post duodeviginti custodiæ, summo interim Pontifice nihil non ad liberationem, sed frustra, tentante, menses placasset. *Lupoldum* vero Pontifex diris deouit, quod Christi & ecclesiæ militem, tanta iniuria affecisset, & quæ extorserat, restitui mandauit. Quæ execratio in deuotum *Lupoldi* caput ita rescidisse videtur, vt credi possit Deus, seuerè hanc perfidiam aduersus eum, ad alios deterrendum exequutus. Noua ille sibi armorum insignia, quasi egregiam præ alijs in expugnanda *Ptolomaide* operam posuisset, post reuersionem gloriosè parauit; & ex præda, quam RICHARDO expressérat, Ducatum *Styriæ*, Comitatúsque multos coëmit, multáque sumptuosè *Viennæ*, & alibi exædificauit. Sed de iniuria RICHARDO illata resarcienda, aut de seipso ab execratione exoluendo, ne tenuis quidem cogitatio. Quem Deus ad resipiscentiam, summa annonæ difficultate, fame, peste, *Danuby* inundatione, alijsque grauibus cladibus, regiones illius infestantibus inuitasse, sed frustra, videtur. Ex equi deinde prolapsione, ita pedem læsit, vt præ magnitudine doloris resecare eum cogeretur. Qui cum nihilominus ingrauescceret, certámque sibi mortem imminere cerneret, iamque vt à ceteris peccatis, ita a sacro illo Pontificis anathemate eximi anxiè peteret; exemptus quidem est, propter impendens vitæ periculum, religiosa ab eo cautione præstita, quòd si superuiueret, ecclesiæ dicto audiens foret; pari cautione à Proceribus, si moreretur, præstita. Mox obsides ille dimitti iubet. Cuius mandatum, cum eo mortuo filius præuaricaretur; Episcopi, non prius corpus eius terræ mandari passi sunt, quàm supremæ ille patris voluntati paruisset. Obsides vero propere in patriam redeuntes, euentum totius res RICHARDO significarunt, ingentem alioquin pecuniæ summam quæ residua erat, post paucos dies in *Austriam* transmittere cogitanti.

COEPIT & AVGVSTVS aliquam illius pecuniæ, quam expressérat RICHARDO; portionem ad pios vsus; adque argentea thuribula. *Cistercienſium* cœnobijs coëmenda, conuertere. Quam cœnobij præfecti, quasi turpiter acquisitam, prorsus repudiarunt. Ad constandam vero redemptionis illius summam, profani & sacri homines pecunijs suis emungebantur; Nec à sacris calicibus; aut alijs rebus Deo dicatis, temperatum. Adeò, vt multis in locis pro argenteis, stannei sint substituti. Quos tamen RICHARDVS postea, cum id intelligeret, remouit; & argenteos rursum restituit. RICHARDVS vero reuersus, cum & veteres thesauros in sacram expeditionem, redemptionémque suam profudisset, & iam bellum cum *Franco* meditaretur, nullam rationem, cogendæ vndique pecuniæ nouis aucupijs, omisit. Prædia, quæ ante discessum, aut vendiderat, aut hypothecæ exposuerat, possessoribus partim blandis, partim minacibus verbis extorquet. Turpe esse clamitans, si à Rege suo fœnus expectarent. At in multorum dati & accepti rationibus, ne sorti quidem paria fecit. *Cisterciensibus*, qui ad eum liberandum è custodia, prioris anni lanam (à qua fere sola sumptus eorum omnes pendebant) & illius quoque anni, quo reuersus est, lanam violentis quibusdam blanditijs expressit. Tandem vero tot tantisque hactenus, maris, terræ, bellique periculis defunctus, dum seditiosos *Pictauenses* castigat; atcémque *Chalusium* obsidet; emisso ex arce telo vulneratus, non ita multo post inde obijt. Cuius fortè calamitatis triste omen fuit, sanguis è cœlo, in ipsas RICHARDI vestes decidens, dum arci cuidam in *Normannia* ædificandæ magnam operam daret. RICHARDVS, vt multis præclaris dotibus ornatus fuit, ita insignibus sæpe eas vitijs, vt partim diximus, dedecorauit. Et licet sincerus esset iustitiæ cultor, neque iudicium suum vllo munere adulterari sineret; eximóque nonnunquam honore cultuque Clerum, & monasticæ vitæ cultores prosequeretur, neque venales habuerit Episcoporum & cœnobiorum præfecturas, sed huiusmodi honores legitimè electis, libere & integrè statim reddiderit, & in consessu prælatorum quibusdam ex aulicis dixisset; Si hi scirent, quantum ego eos colo & reuereor, quámque inuitus offenderem, illi me penitùs conculcarent; fuit tamen in illos nonnunquam iusto asperior, illo præsertim tempore, cum propter negatum à monachis, quod postularat tributum, exacerbatus, edixerit, vt Clerici & monachi nullo communi legum beneficio fruerentur, sed impunè læderentur.

ET licet cum imperium iniret, emiserit è carceribus, qui propter venationes in regijs saltibus, & propter alias causas rei erant, & aliquandiu moderatiore, leuioréque pœna aduersus huiusmodi venatores, exilióque aut pecuniaria tantùm pœna eos mulctauerit: postea tamen ad priorem legum seueritatem oculorum, testiculorum, aliorúmque membrorum mulctatio-

nem reduxit. Vni tamen ex hoc genere, propter admirabilem, quem ipse vidit, euentum; huius criminis, exilijque, quo ob venationem, mulctatus erat, gratiam fecit. Quam historiam, ab illius præsertim temporis scriptore non ignobili hausiam, non erit à scopo nostro alienum hic attexere. Cum igitur Rex in *Normannia* versaretur, quidam exul accessit ad ecclesiam, vbi Rex sacra audiuit, Regem post sacra supplex aditurus, & pro venia interpellaturus. Supplex interim preces ante crucem quandam suas effudit. Quo RICHARDVS oculos forte conuertens, vidit cum ingenti stupore crucem, caput & ceruicem ad supplicem hominem inflectere. Post sacra accersit hominem; Ecquis esset, & cur id temporis ad templum venisset interrogat, Regique mox ille causam ostendit. Cui Rex: Age, inquit, ingenue mihi explica, si quid vnquam insignius in gratiam, & honorem crucis designaris. Ille regia flagitatione & authoritate pressus, respondit: deliberasse aliquando se patris sui interfectorem, data occasione, quam sæpè & sollicitè antea aucupatus esset, occidere. Illum, cum nihil aliud subsidij reperiret, ad crucem, quæ prope erecta erat, confugisse, brachijsque eam complexum, in gratiam illius, qui ob eluenda peccata nostra cruci suffixus erat, & in honorē illius diei (erat enim parasceue) anxiè precatum, vt vitæ suæ parceret, ipsumque ob hanc precationem pepercisse. Conuersus mox Rex ad Episcopos & Proceres, qui forte astabant, & quid in cruce vidisset, & quid ab homine audisset, commemorat. Moxque datis literis in ANGLIAM, & ad possessionem capiendam bonorum, quæ ad fiscum delata erant, remittit. Et hoc quidem ab illo præclare, sed tamen, vt incœpi dicere, grauibus quibusdam vitijs laborasse proditur.

Matth. Par. 1232

VTCVNQVE sit, piè certe credi potest, eum salutarem pœnitentiam dum viueret subiisse, & propter alia multa, tum propter insignem illam illius in eum, qui ipsum in obsidione illa læthali vulnere affecerat, cuius vitæ parci mandauit (licet eo mortuo, mandatum illud violatum sit) tum benignitatem; etiam propter labores & sumptus, quos in *Hierosolymitana* profectione posuit, & vitæ periculum, cui se propter Christum exposuit, & grauem illam, quam in *Germania* accepit, calamitatem: si eam patienter, quod videtur, & non repugnanter tulerit, cœlestibus post obitum choris consociatum. Vt non sit necesse ad cœlestes visiones, & patefactiones recurrere. Cuiusmodi sibi tamen obiectas, non modo de RICHARDI, sed de STEPHANI *Cantuariensis* Archiepiscopi, & sacellani eius anima, ab expiatricibus illis, post triginta duos annos pœnis liberata, HENRICVS *Roffensis* Episcopus constanter, in celeberrima *Cantuariæ* concione asseruit. Cuius rei iudicium lectoribus liberum relinquo. Quæ narratio, si vera sit, multo certe clementius & benignius cum eo Deus egit, quàm pro voto & expectatione sua. Moriturus enim, vt quidam tradunt, lubens se expiatorijs illis purgatorij cruciatibus, ad supremum vsque iudicij diem defunctorum contestabatur, modo, vel eo tandem tempore, cœlestibus ciuibus ascriberetur. Quæ forte tam humilis animi demissio, expeditiorem & maturiorem illi pœnarum liberationem conciliauit.

Matth Paris.

Nub. Trin. in chron. an. 1199.

De Cantuariensibus *Archiepiscopis, & in primis de* ANSELMO.

CAPVT XIII.

Eadmerus Doctorem Anselmo familiaris, exilij que comes vitam illius summa fide conscripsit, ne quo etiam multa habeas in historia nostrorum in Anglia ex quo nos nostra potissimum desumpsimus.

ANSELMVM nobis dedit *Augusta*, vrbs *Italiæ* ad Alpinas radices posita, ex parentibus non obscuris. Cuius ipsa pueritia omni virtuti dedita, & longe ab ijs vitijs, in quæ ea ætas propendet, remota; absolutæ cuiusdam, consummataque pietatis præsagium, & omen fuit. Miro vel in tantilla ætate, ad monasticam vitam studio ferebatur; quod tamen pertinax parentum *Gundulphi* & *Ermerdetæ* dissensus, retardabat. *Gundulphum Demeam* quendam *Terentianum* sibi sentiebat; quem quo magis omni obsequio, officioque placare conabatur, eo magis illum exasperabat. Quæ res effecit, vt ab eo in *Galliam* & *Burgundiam*, & post triennium in *Normanniam* secederet: vbi se, in disciplinam LANFRANCO *Beccensi* dedit, eique coniunctissimus factus est. Iamque de certo aliquo vitæ genere, sibi constituendo deliberat. Cuius deliberationis summa huc decurrebat, vt vel abdicato omni patrimonio, (quod mortuo iam patre, illi obuenerat) in Eremo, aut Monasterio se abderet, vel eo conseruato, quod inde necessario victui superesset, totum pauperibus erogaret. Sed in hac deliberatione, noluit prudens iuuenis totus à suo consilio pendere,

sed

sed eam ad LANERANCVM retulit. Is ad *Mauritium Rothomagensem* Episcopum, qui monasticæ vitæ primas dedit. Verum altera iam ANSELMO difficultas occurrit, in ipso loco deligendo. Cogitabat enim aliquandiu apud se, si *Cluniacum* eligeret, posse operam suam doctrinamque multis esse vtilem & fructuosam; sin *Beccum*, splendore LANFRANCI prorsus obscurandam, inutilémque futuram. Verum contigit illi in his animi disceptationibus illud, quod solet dici, δευτεραι φροντιδες ἀμειναους. Cum enim totam rem exactius ad calculum reuocasset, hæc deinde secum; Hem ANSELME, quid agis? quid cogitas? An monasticam inire vis, vt famam, gloriam, celebritatem & prætecturam veneris? abiit. Is enim verus monachi scopus esse debet, vt se infra ceteros abijciat, vtque gloriam, honores, & cetera id genus plane contemnat. Id tu *Becci*, aut nullibi vnquam consequeris. Quare omni cunctatione abiecta, *Beccum* se contulit, & sanctas illas suas cogitationes, ipsis rebus, vt mox ostendemus, abunde impleuit. Omne enim probi, pijque monachi officium accurate præstitit. Atque in hoc studium palæstramque, circiter ætatis annum vigesimum quintum ingressus est: vbi cum præclaro, summóque omnium applausu, per triennium concurrisset, in LANFRANCI (*Beccensis*, vt loquuntur, Prioris) locum, qui ad præfecturam *Cadomensis* monasterij accersitus est, frequenti omnium suffragio suffectus est. Sed inuidi postea, vt solet contingere, non defuere: qui eum sibi prælatum, iniquo & maligno tulere animo, quique illi sedulò detrectare non cessabant. Quam ille inuidiam accurata monasticæ disciplinæ obseruantia, summáque totius vitæ innocentia, mira quadam animi demissione, omnibúsque erga eos officijs, ita sensim superabat; vt tandem eos ad sui amorem æmulationémque adeo raperet, omnibusque se gratissimum, & maxime se plausibilem redderet.

NEQVE pietatis atque doctrinæ solum, sed & singularis cuiusdam prudentiæ, dexteritatisque suæ in hoc munere obeundo, magnitudinem ostendit. In iuuenibus præsertim ad pietatem efformandis, precipuam suam operam, diligentiámque ponebat; quorum se imbecillitati (quantum monastica disciplina patiebatur) & omnibus lenitatis, benignitatisque partibus fungendo, dextrè, prudentérque accommodando. multos & alioqui pæne intractabiles deploratósque, ad accuratam vitæ rationem traduxit. Inter quos *Osbernus* quidam celebratur. Et Abbatem quendam, de multis Monasterij sui monachis, quos nulla ratione ad bonam frugem, officiúmque reducere potuit, querentem; grauiter prudentérque cum illo disceptando, eò perduxit, vt magnam eius rei culpam in se trans ferre, culpámque suam deprecari cogeretur; quod seueriorem acriorémque tantummodo disciplinam nimis importunè vrgendo, eam lenitate reprehensionis, opportuna benignitate, ac manluetudine, dulci ac iucundo sermone atque affabilitate, alijsque mitioribus officijs non temperasset. Nullo modo sustinuit ANSELMUS, cum Prior esset, vt ex aliorum donis; vel ex Abbatis voluntate, quicquam vt suum, & proprium possideret; sed ad communem cœnobij vtum & vtilitatem, possidebat, & eo referebat. Hoc itur munus, licet strenuè, magnáque cum industria & pietate, ac summa multorum cum vtilitate obiret: quia tamen negotiorum multitudo, ab assidua illa sua precandi, diuináque meditandi consuetudine (in qua plus ceteris acquiescebat) eum euocabat; enixè cum *Rothomagensi* Archiepiscopo, sed frustra egit, vt eo liberaretur, Imo maior deinceps eum negotiorum moles obruebat, cum viuo adhuc *Herewaldo* cœnobij præfecto, sed propter ætatis magnitudinem, administrandis negotijs inepto (quæ * ANSELMI interim tota humeris incumbebant) tum multo magis, * al. in solum.
cum post quindecim annos in defuncti locum, promissimis & frequentissimis omnium monachorum suffragijs (licet id munus profusis lachrymis, altisque suspirijs, supplex, prostratusque ad eorum pedes deprecaretur) esset surrogatus. Sed cum illud nulla potuisset excusatione excutere, tanta integritate, vigilantiáque administrauit, vt cum accessione dignitatis, industriæ, diligentiæ, pietatisque etiam in ANSELMO facta sit accessio.

FVERVNT id temporis diuersa prædia in ANGLIA, Beccensis tamen Monasterij vsibus consecrata & deuota. Ad quæ inuisenda, ANGLIAM adijt. Vbi venisset *Cantuariam* summo, vt par erat cum honore, ab illius ciuitatis monachis exceptus est. Quem ille à se ingeniosè, dextréque ita auertit, vt maiorem honorem, maiorémque charitatis affectum, in illis ipsis, qui cum præstabant, quam in se, cui præstabatur, inesse; maioréque adeo gratias illis, qui illud officium præstiterant, quàm sibi, cui præstabatur, alıaque eleganter differeret. Se enim, qui officium illud susciperet, nihil a Deo ob id expectare posse. Quid enim mihi, inquit; Deus debet, quod quisquam me amore prosequatur? A illi, inquit, à quo hic amor dimanat, ob pium affectum debet, gratiámque dignam reponet. Minúsque

núsque ANSELMVM itineris pœnituit, quòd præceptorem illum suum LANFRANCVM, iam *Cantuariensi* Archiepiscopatu ornatum, dabatur ei inuisere, quicum LANFRANCVS multa de rebus grauissimis conferebat. Atque hoc tempore egregia illa, cuius supra meminimus, de ELPHEGO Martyre disceptatio orta est. Singularem omnis sexus & ordinis homines honorem, ac cum alijs & Rex GVLIELMVS, omniáque illi cum primis certatim officia deferebat, maximáque quadam, præter antiquum illum suum in ceteros omnes morem, omnium cum admiratione, comitate, suauique affabilitate erga eum vsus est. Atque hoc iter in primum illum annum incidit, quo *Beccensis* Abbas designatus est. Quod munus tot annos, quot Prioris illud munus, id est, quindecim, administrauit. Successit interim in regno ANGLIAE GVILIELMO illi, de quo mentionem iam fecimus, filius eius GVLIELMVS RVFVS. Iamque supremum diem obierat LANFRANCVS, cum *Hugo Cestrensis* Comes (alijque principes viri) ob varias causas accersunt ANSELMVM in ANGLIAM. Ad quod etiam iter ingrediendum, ob communes monasterij causas, monachi cum *Beccenses* incitabant. Quod tamen ille totos quinque annos distulit; propterea quod incertus quidam rumor serpebat, eum *Cantuariensi* Archiepiscopatu amplificandum. Cumque *Cantuariam* aduentasset, audisset que quosdam tam monachos quam laicos, eum ei ominantes magistratum, & quasi congratulantes futuræ dignitati; adeo est offensus, eorúmque sermonem auersatus, vt proximo die (licet in eum natiuitas beatæ MARIAE incidisset? prima luce discederet. Neque vllis ab eo precibus impetrari potuit, vt festum eum diem ibi celebraret.

INVISIT deinde Regem ANSELMVS, liberéque eum de vita emendanda, de Rep. tam in sacris quam profanis rebus melius constituenda, & quàm sinistrè homines passim de eo loquerentur, admonuit. Sed surdo canit fabulam. Atque grauis paulo post, immissus in Regem a Deo morbus, saniora illi ad tempus consilia extorquet. Suggeritur interim illi, vt matri totius ANGLIAE ecclesiæ, iam tot annos viduatæ, succurrat: maritúmque Pontificem illi accersat. Nec renuit, ANSELMVMque omnium ea dignitate dignissimum exclamat. Quod eius dictum, maximo omnium tam Cleri, quàm reliqui populi consensu, applausúque acceptum est. Omnium itaque suffragijs in ANSELMVM concurrentibus, ille illis omnibus pertinaciter renititur; nec voluntatem consensumque suum vlla ratione eis accommodare voluit, dissensúmque suum varijs excusationibus, profusisque lachrymis, & inepte atque perperam, ouem vetulam cum indomito tauro ad aratrum iungi (per taurum GVLIELMVM regem significans) aliáque multa, sed frustra, contestatur. Vi enim pedum pastorale in manus eius ingeritur; vi ipse in vicinam ecclesiam auertur, vbi renunciatur Archiepiscopus; & in eius rei contestationem, gratulabundi cantionem illam, *Te Deum laudamus*, occinunt. Iámque deinde ordinationis & consecrationis ipsius dies *Cantuariæ* peragendæ, pridie nonas Decembris præfixus erat. Sed hæc omnia consilia & cogitata, lis mox inter eum & Regem exorta, conturbauerat, pœnéque euerterat. Inuaserat enim, post obitum LANFRANCI, Rex quædam Archiepiscopi prædia, eorumque ad quosdam ex suis dominium transtulerat. Quam donationem ab ANSELMO ratam haberi voluit. Cuius ille consensum, nec blanditijs allicere, nec minis vllis exprimere potuit. Ordinationis tamen suæ fixum & statum diem, solomnéque illud suum munus obijt. Prognosticon ANSELMO in hac consecratione illud contigit. *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos* &c. Non defuit tamen eo ipso die *Ranulphus* quidam Clericus, qui à Rege submissus, negotium illi de rebus ecclesiæ faceisseret. Quas tamen molestias, noua paulo post causa magis exacerbauit.

REX, qui in coacernandis pecunijs siue per fas, siue per nefas, totus erat: omniáque tam sacra quam profana venalia habebat; etsi nulla intercurrente pactione, ANSELMO Archiepiscopatum illum gratis contulisset; cœpit iam boni sui, licet tam rari facti, pœnitere, & ab ANSELMO mille libras, quasi gratiæ referendæ amicum munus postulare. Ille, qui eam pecuniam corradi non posse, nisi clientibus suis spoliatis, videret, & tantas Regis sordes auersaretur, constanter refragari, & ne assem quidem dare constituit Tandem multorum consilio incitatus, & ne in maius aliquod, atque insignius totius ecclesiæ *Anglicanæ* detrimentum, Regem exasperaret: quingentas Regi libras obtulit: & aliás contestabatur se, si res postularet, cumulatiori summa Regi gratificaturum. Rex illud quasi tenue, & ieiunum munus, prorsus est auersatus. Exilijt præ gaudio ANSELMVS, cuius magnitudinem risu contestatus est: quod ex hac repulsa labem & maculam, quæ ei ex hoc facto aspergi forte potuisset,

tuisset à malevolis, eluisset. Nihilque moratus, totam eam summam ad pauperũ vsus transfudit. Interpellauit post hæc Regem ANSELMVS, vt quoniam vita tam Cleri quàm reliqui populi, ob synodorum infrequentiam, & quod maleficia nulla iusta pœna afficerentur, valde deformata atque inquinata esset, vt bona Regis venia, liceret sibi Episcopos, & reliquum Clerum ad synodum accersere: vtque ad maiorem terrorem, regiam ipse suam authoritatem: in huiusmodi scelcribus coërcendis, & reprimendis, adiungeret. Sed adeo ille apud Regem nihil promouit, vt Rex ei silentium deinceps ea de re imperaret. Subiecit deinde ANSELMVS, monasticam quotidie disciplinam in peius defluere & deperire, & in magna monachos, in multis cœnobijs, scelerum licentia viuere; quod Abbatibus, qui eos in officium revocarent, destituerentur. Rogare proinde Regem, vt maturè huiusmodi, vbi deessent, sufficeret.

HIC RVFVS iracundia totus exardescens. Quid te, inquit, ad negotia, quæ ad te nihil pertinent, ingeris? Mei inquit, iuris sunt Abbatiæ. Et vt tu de tuis prædijs & possessionibus tuis; ita ego de Abbatijs meo arbitratu statuam. ANSELMVS regerit. Tuæ, inquit, sunt, o Rex, huiusmodi præfecturæ, vt earum defensionem & patrocinium suscipias; non vt eas immani quæstu devores, & ad tuarum expeditionum sumptus exhaurias. At, inquit Rex, nunquam ausus fuit decessor tuus pati, verbum vnquam huiusmodi ex ore suo, aduersus patrem meum, accidere. ANSELMVS, cum videret omnem se in admonendo operam perdere, nec posse, exacerbato principe, suum magno aliquo cum fructu officium exequi: Regis per Episcopos gratiam solicite quærebat. Qui gratię incundæ nullam ibi aliam rationem supereſſe aiebant, nisi & quingentas, quas antea obtulerat, libras, iam repræsentaret; & verbis, quantum posset, munus ornando, alias quingentas libras se propediem soluturum sponderet. At illi ab eo ne obulum quidem extorquere potuerunt. Transmittit deinde GVLIELMVS *Normanniam*, odium graue animo inclusum erga ANSELMVM retinens. Quod mox post reditum, & alias postea profudit. Fuit ad hos dies schisma in ecclesia *Romana*, alijs ad VRBANVM, alijs ad GVIBERTVM confluentibus. *Gallia* omnis & *Normannia*, cæteræque nationes ad Oceanum vsque Britannicum, ab VRBANO stabant. Quem & ANSELMVS, cum iam esset Abbas *Beccensis*, pro vero & Germano Pontifice agnouerat; idque vt sibi deinceps liceret, diserte cauit cum GVLIELMO, quando eum *Cantuariensi* Episcopatu donasset. Adijt itaque Regem, rogátque vt cum bona ipsius venia, integrum sibi sit *Romam* pro pallio ad VRBANVM proficisci. Rex valde commotus negat, salua fide, officióque suo erga Regiam maiestatem; quenquam ex suis pro *Romano* aliquem pontifice, nisi consentiente Rege, agnoscere posse. Hoc enim regni consuetudine & vlu, à patre GVLIELMO introductis, iam receptum. Quare non posse ANSELMVM, nisi læsa maiestate, ad VRBANVM proficisci. ANSELMVS contrà, vtrásque has potestates, Pontificiam & regiam. longe discretas ac disiunctas asserebat; neque quicquam fieri ad hanc labefactandam ab illo, qui alteram amplecteretur, illudque Christi vrgebat. Quæ Cæsaris, Cæsari; quæ Dei, Deo reddenda. Se nihil ex his, quæ ad amplificandam terrenam Regis dignitatem facerent, prætermissurum, quam obedientia Diuo PETRO, eiusque successoribus præstita nihil imminueret.

HVIVS rei altercatio & deliberatio, in frequenti Procerum & Episcoporum consessu, dies aliquot absumpsit. Atque hic omnes fere Episcopi primatem suum deseruerunt, alij ne pro Archiepiscopo quidem se eum agnoscere velle; alij in ijs solùm, quæ ex præcepto VRBANI eis mandaret, non parituros palam denunciabant. Illos GVLIELMVS summo in pretio habuit. Istis tam offensus fuit, vt eos, non nisi ingenti pecunia placatus, in gratiam reciperet. Antesignanus omnium aduersariorum, fuit GVLIELMVS *Dunelmensis* Episcopus, qui ANSELMO semel deturbato, Archiepiscopatum *Cantuariensem*, tanquam opimam prædam spe iam totam deuorauerat; vique, si mitiora consilia apud ANSELMVM nihil proficerent, agendum clamabat; sed reclamantibus regni proceribus, ne eos offenderet, GVLIELMVS à violentia sibi temperauit. Proceribus interim mandat, vt hi omnem fidem ANSELMO datam abiurent, renuncient. Nullam nos, respondent proceres, fidem illi vnquam dedimus. Pro Archiepiscopo eum agnoscimus, nec eam quam illi debemus, vt Archiepiscopo, reuerentiam & obedientiam detrahere illi, cum nulla iusta causa intercedat, cur dignitate moueatur, possumus: Contra quorum responsum, ne in eorum offensionem incurreret, nihil RVFVS reniti visus est. Quorum constantia (præsertim tum miles quidam, quo tempore contentio ista maximè aduersus eum incalesceebat, ad ANSELMVM accessisset, & in genua demissus orasset,

orasset, ne in tam bona causa cederet, neue metu fractus aliquid in se, tanto Pontifice indignũ admitteret) Episcopos magno rubore suffudit. Maximè cum viderent à circumstante se populo, propter istam destitutionem; quasi digito: & alium proditoris, alium Pilati, alium Herodis, alium alio ad contumeliam, insigni nomine notari. Neque ausi sunt, licet ab ANSELMI, vt diximus, obedientia se abdicassent, magistratu sacro (ad quod eos RVFVS importunè vrgebat) ex concilij decreto illum spoliare. Quod cum non procederet ex voto, inducię & pacificatio ANSELMO, per Regem ad tempus datæ sunt. Quam tamen GVLIELMVS contra promissum, grauibus in ANSELMVM iniurijs violauit. Egitque interim GVLIELMVS per Legatos cum VRBANO, qui nihil intentatum relinquerent, quo eum aduersus ANSELMVM inflammarent, palliúmque tranmittendum curarent, quo Rex aliquem pro sua voluntate ornaret.

ADVOLAT cum pallio *Gualterus Albanensis* Episcopus, magnáque spe GVLIELMVM implet fore, vt omnia pro voto ipsius succederent: si VRBANVS pro Pontifice legitimo palam denunciaretur. Quod cum esset publicè denunciatum, vrgerétque Rex legatum, vt sacram ANSELMO dignitatem detraheret: Impossibile, inquit, factu est, vt vir tantæ & tam celebris dignitatis, pietatis, & doctrinæ, indicta causa, magistratu, quem legitimè & iustè inijt, nullam ob culpam iniustè exturbetur. Cum in hunc locum res deuenissent, & à multis cogitaretur, leniri forte posse Regis animum, si pecúniæ saltem, quæ copiosè in procuranda ista contra ANSELMVM causa, effusæ essent, illi refundarentur: adeunt ANSELMVM, & vnicam illam pacificationis spem superesse affirmant. Respondit ANSELMVS, nolle se in eam rem sumptus tam immoderatos profundere, qua lubentissimè careret. Admiratus GVLIELMVS inuictam, & infractam ANSELMI constantiam, emolitus est tandem, & concessit, vt ANSELMVS dignitate sua vteretur, frueretur, muneréque suo liberè, nullóque á se deinceps inijciendo impedimento defungeretur. Constitutum deindè tempus est, quo ANSELMVS *Cantuariæ* pallio ornaretur. Quod illic *Gualterus* detulit. Cui venienti, illúdque in vase argenteo deferenti, nudis pedibus, & sacerdotalibus vestibus ornatus, occurrit ANSELMVS. Pallium super altare depositum, & deinde ANSELMI humeris impositum. In eo ornatu ANSELMVS sacra mox mysteria obijt. Atque hoc etiam tempore, idem ANSELMO prognosticon, de quo diximus, in consecratione, admirabiliter occurrit. Venit deinde ex *Hibernia* SAMVEL *Dublinensis* Episcopus: & ab ANSELMO solemniter consecratur. Paulóque post à Rege & proceribus *Hiberniæ*, *Vuaterfordiæ* oppidum Episcopatu nouo insignitum est: Qui ad MALCHVM delatus est, quem ANSELMVS consecrauit. Incidit etiam tempus illud, quo clerum & populum RVFVS *Hierosolymitanæ*, vt dictum est, expeditionis prætextu, expilauit. Ad quam & ANSELMVS pecuniam ex ærario *Cantuariensis* ecclesiæ sumptam (cum illi aliunde non suppeteret) contribuit. Qua ex re, ne ecclesia detrimentum pateretur, annuos villæ suæ *Petuariæ* redditus, ad eam summam reficiendam, per septennium ecclesiæ concessit.

PACIFICATIONE hac cum ANSELMO inita, repetit paulo post RVFVS *Normaniam*. Totus ille annus serenus & tranquillus fuit ANSELMO nullisque, perturbationibus obnoxius. At post reditum GVLIELMI, male sarta gratia facilè desilijt. Varijs eum Rex criminationibus aggressus est, causatus inter alia, quòd in expeditione, quam ex *Normannia* reuersus in *Wallos* susceperat, ANSELMVS misisset milites paucos, cósque nec armis, nec rei militaris peritia instructos. Ille cum videret, quò molimina ista tenderent, nec integrum sibi deinceps fore, vt propter Regis offensionem suo officio fungeretur, resque ecclesiasticas collapsas restauraret; à *Romano* Pontifice consilium his de rebus expetendum putauit. Quare vt hoc iter per licentiam Regis capesseret, Regem sæpius, sed in cassum, semper interpellauit. Imo Rex, eum pro Reip. suóque hoste habiturum dixit, si *Romam* pergeret; & quid, inquit, inane hoc, & minus tibi necessarium itineris nomen pretendis? Neque enim piaculum aliquod admisisti, cuius tibi indulgendi, necesse sit à Pontifice *Romano* gratiam postulare. Neque tibi eius consilio, quo ipse abundantissimè affluis, opus esse scio. Ad hæc cum consecratus esses in Archiepiscopum, fide interposita, te regni consuetudines obseruaturum religiosè promisisti. Ad primam tergiuersationem, pauca pro sua modestia ANSELMVS respondit. Ad proximam respondit, non esse Christiani principis, ad sedem PETRI interpositam prouocationem rescindere; Neque eam sacramento suo, quo Regi astrictus erat, quicquam derogare. Neque se suam fidem ad alias leges aut consuetudines

suetudines allegasse, quam quæ cum Dei honore, & honesta ratione cohærerent. Cum Rex & proceres se interponerent, dicerentque, nullam fuisse Dei, aut honesti mentionem factam subiecit ANSELMVS. O præclaras res! quæ aut Deo, aut honesto aduersantur. Quod dictum aduersarijs silentium incussit. Efferbuit deinde Regis erga ANSELMVM ira magis ac magis; qui ita & ipsos Episcopos absterruit, vt metropolitanum suum palam desererent, nec causam eius communibus suffragijs tuerentur: licet in sinu eam non omnino improbarent.

CONSTANTER interim ANSELMVS, Regi denunciat se *Romam* petiturum; & licet ægro & inuito animo, discessurum tamen, & ante discessum, si Rex eam non rejiceret, benedictionem se illi suam impartiturum. Cum Rex non abnueret, protensa in altum dextera, Regi benedixit; præfatus se illud iter ad commodum, fructúmque animæ Regis ingressurum. Atque ita deinde *Cantuariam* petit, vbi vno tantum die moram trahens, pia oratione ante discessum monachos consolatus, eósque ad constantiam patientiámque malorum, quæ imminerent, hortatus; de more peregrinantium, peram & baculum sumpsit. Abeuntem magna cleri & populi frequentia, non mediocri cum fletu, & eiulatu, prosequuta est. Antequam transmitteret, apud *Douecam* sarcinę illius omnes, per eos, quos Rex eius rei causa illuc amandauerat, exactissimè excutiuntur. Post transmissionem bona possessionésque eius omnes regio fisco addicuntur; omniáque, quæ ab eo tempore, quo inierat Episcopatum, gesserat, rescinduntur. in Itinere, cum alibi ab alijs; tum maximè *Lugduni* ab *Hugone* eiusdem ciuitatis Archiepiscopo, officia omnia ei honorificè deferuntur; vbi & substitit, donec VRBANI Pontificis voluntatem exploraret. Qui eum admonet, vt quanta posset celeritate, *Romam* venire maturaret. Nihil erga aduenientem officij, aut honoris VRBANVS prætermisit, magnisque eum publicè laudibus, ob doctrinæ pietatisque magnitudinem, extulit: & ob molestias, quibus propter ecclesiæ causam afflictatus erat, & quod se tantis periculis obiecerat, vt *Romam* veniret consilij petendi causa, quo ipse præ ceteris omnibus abundabat. Magno certè paulo post adiumento, subsidióque fuit ANSELMI doctrina VRBANO, & Dei ecclesiæ, contra *Græcos* in concilio *Barensi*. Nihil vero ANSELMVS magis apud VRBANVM solicitabat, quàm vt deposito authoritate ipsius Episcopatu, priuatam vitam ageret. Sed VRBANVS nulla, ad consentiendum, ratione aut oratione inflecti potuit. In commemorato *Barensi* concilio, post causam contra *Græcos* agitatam, mentio etiam de Rege GVLIELMO, eiúsque in ANSELMVM, & Dei ecclesiam iniurijs iniecta est. Quæ tam immanes visæ sunt, vt omnes clamarent dignum, qui sacro anathemate ad exemplum percuteretur. Et dictasset certè anathema Pontifex, nisi ANSELMVS se interposuisset, & in genua corruens dilationem postulasset. Quam ægrè obtinuit. Quæ animi in ANSELMO lenitas, miram illi apud omnes gratiam conciliauit.

VRBANVM deinde *Romam* reuersum, adit legatus Regis, eum contra ANSELMVM incensurus, eiúsque defensionem elisurus. Réque huc tandem recidit, vt importuna legati solicitatione, cognitio huius causæ ad diem *Michaelis* sacrum differretur. Celeberrimum mox Concilium *Romæ* coit (cui *Anselmus* interfuit, certáque sedes ei, eiúsque *Cantuariæ* successoribus, si qui forte posterioribus temporibus *Romano* concilio interfuturi essent, in perpetuum præscripta est. Multi hoc tempore principes, designandorum sibi Episcoporum potestatem arrogabant; suáque eos authoritate in bonorum & prædiorum, quæ ad Episcopatus & Abbatias pertinebant, possessionem mittebant. Eoque res indignitatis deuenit, vt & priuati quique homines, similem sibi in sacerdotijs conferendis authoritatem attribuerent; Quod cum esset perquam absonum & absurdum, Concilium hoc huius rei emendationem ad suam curam reuocauit; & decreuit, vt laici deinceps homines, qui huiusmodi dignitates ad eam rationem conferrent (quod vulgò dicitur per baculum & annulum inuestire) & qui eam ita susciperent; quique ita designatos consecrarent; ijque etiam, qui pro ecclesiasticis honoribus, fidem suam laicis astringerent, corúmque clientes efficerentur; ab ecclesia proscriberentur. Soluta hac Synodo, ANSELMVS *Lugdunum* reuertit, nec ad statum illum diem superuixit VRBANVS. *Lugduni* ANSELMVS, recisa iam omni spe reditus, ad obitum GVLIELMI commoratus est. Indoluit supra quam dici, aut credi potest ANSELMVS, audita morte

GVLIELMI Regis, & maximè cum modum mortis eius audisset, magnóque fletu & singultu professus est, lubenter hanc illius mortem, se cum vitæ suæ propriæ iactura redimere voluisse.

De eodem ANSELMO.

CAPVT XIV.

DEFVNCTO GVLIELMO, HENRICI Regis, qui eum excepit, summóque ceterorum applausu, domum reuocatur ANSELMVS. Nuncij Regis, reditum expeditissimè maturare iubent; omnia enim ex illius arbitrio dependere. Sed reuersus, mox omnia in contrarium recidisse, & in nouas se turbas incidisse comperit. Non abnuebat quidem Rex Archiepiscopatus possessionem illi dare, sed sua illi cum authoritate dare voluit. At eam conditionem ANSELMVS prorsus renuebat, propter concilij, de quo diximus, decreta. Rex contra, Aut in meam, inquit, sententiam concedere, aut regno meo cedere debes. ANSELMVS constanter se, ad ecclesiam suam reuersurum respondit, & mox reuersus est. Rex paulo post placatior, ANSELMVM ad se reuocat, & de pacificatione aliqua ineunda ita deliberat, vt ad PASCHALEM Pontificem, tam à se, quam ab ANSELMO nuncios mittendos constitueret. Missi sunt vtrinque, duo monachi ab ANSELMO, tres Episcopi ab HENRICO Rege. Cuius legati nihil prætermisere, quo PASCHALEM ad voluntatem & desiderium regis inflecterent. Sed hæc legatio in grauem, & pæne inextricabilem litem desinebat. Episcopi quidem PASCHALIS ad Regem epistolam detulere; quam tamen ille deuulgare noluit. At palam verbis asserebant, PASCHALEM voluntati se Regis accommodasse, nec grauate passurum, vt de more Episcopos Rex designaret, si reliquæ eius actiones boni principis officio responderent. Ideo autem id literis diserte non præscripsisse, ne ceteros principes irritaret. Monachi aduersantia prorsus retulere, constantérque differebant PASCHALEM, VRBANI decessoris sui decreta, mordicus tueri; eiúsque rei testem epistolam PASCHALIS ad ANSELMVM, quæ per multorum passim manus iactabatur, proferebant. ANSELMVS sententiam in certius responsum ipsius PASCHALIS suspendit. Interim se, nec communionem suam huiusmodi designatis abnuere, nec tamen eos Episcopatui admouere velle respondit. Quid autem in ea re PASCHALIS senserit & iudicarit, tum aliunde, tum vel ex epistola ipsius PASCHALIS ad ANSELMVM, quæ in manibus est, abundè constat. In qua palam asserit, ea quæ legati Regis retulere, longissimè à verbis suis, imo, & ab omni quidem cogitatione sua abfuisse, cósque donec calumniæ suæ pœniterent, sua, & beati PETRI se gratia excludere profitetur.

Vide 12 epistol. inter epistolas Anselmi.

QVOSDAM interim HENRICVS ad Episcopatus sua authoritate, contra concilij authoritatem vocat. Quorum alij id munus audacter suscipiunt; alij illud suscipere detrectarunt. Nec induci potuit ANSELMVS, vt manus illis imponeret, & de more (quod dicitur) consecraret. Neque id se ausurum sine *Romanæ* sedis consensu, licet vitæ dispendium sibi alioqui immineret, professus est. Quæ eius constantia, Regem, Episcopos, & proceres eò deduxit, vt accuratè cum eo agerent, vt ipse ad PASCHALEM proficisceretur, tentarétque eum in sententiam Regis deducere. Nihil enim eum non posse ab eo consequi, propter summam, in qua apud eum positus erat, gratiam & authoritatem. Non detrectabo, inquit ANSELMVS, hoc iter. Enimuero id vobis prædico, nec PASCHALEM quicquam, quod cum libertate & decretis ecclesiæ, honestique rationibus non cohæret, in mei gratiam acturum: nec quicquam me id genus illi suggesturum. Vrgebant * tamen eum nihilominus omnes, vt iter faceret. Quod quidem ille ingressus est, tandémque confecit, *Romæque* à PASCHALI ceterisque omnibus, summis est honoribus affectus. Disceptatum deinde est apud *Lateranum* de negotijs Regis, multáque à *Gulielmo*, qui causam Regis procurabat, ad eam corroborandam in medium allata. Eóque tandem GVLIELMVS ardore & impetu dicendi delatus est, vt asperè & minaciter diceret, Regem in totius regni periculum iacturámque potius venturum; quàm vt hoc suo iure spoliaretur. Subiecit PASCHALIS. Neque ego, inquit, istam ei potestatem tribuerem, licet ea mihi ratione, vita redimenda esset. Hæc vero tota legatio in eum finem exijt, vt reuertenti à *Roma*, & aliqua itineris parte confecta, ANSELMO commemoratus GVLIELMVS

* al. *vrgebant eum tamen.*

MVS ex mandato Regis denunciarit, ne ANGLIAM ingrederetur nisi in animum induceret, vt Regis voluntati pareret. Ita ANSELMVS *Lugduni* ad vetus hospitium diuertit, vbi annum & quatuor menses resedit.

HENRICVS interim omnes ANSELMI possessiones occupat, sibique vendicat. PASCHALIS, ablata iam omni spe ANSELMI Regi conciliandi, Anathemate Regem ferire proposuit. Quæ eius consilia ad Regem delata, perpulerunt eum, vt ANSELMI causam accuratius ad cogitationes suas reuocaret. Tandémque cum ad se è *Gallia* in *Normanniam* aduocat, & cum eo *Becci* colloquitur. Qui Regem cum de alijs, tum de eo reprehendit, quòd sacerdotes, qui contra decreta concilij à se antea, & alijs ANGLIAE Episcopis habiti, mulieres, aut quas prius abiecerant, aut alias turpiter sibi, & in ordinis sui ignominiam rursus asciuerant, puniendi pecuniáque mulctandi, authoritatem sibi rapiebat. Cum in huiusmodi homines animaduersio, non profani, sed ecclesiastici esset fori. Rex, & de cetero se abstinere velle ab huiusmodi exactione, & ceteris, à quibus pecuniam emunxerat, satisfacturum; & ANSELMVM in integrum repositurum; neque sibi quicquam de vacantium ecclesiarum fructibus deinceps decerpturum, aliáque promisit. Et iam ante hoc colloquium GVLIELMVS Legatus Regis, ad eum à *Roma* redierat, nullúmque aliud à *Romano* Pontifice responsum auferre potuit: quàm vt HENRICVS, huiusmodi designationi Episcoporum per baculum & annulum, se non immisceret: non tamen prohibere se, quin de more in verba eius, de regia maiestate colenda iurarent. ANSELMVS in ANGLIAM reuertit, ommaque sui muneris impunè, & liberè peragit. Multáque quæ per eius absentiam, & in his tumultibus, in peius deterriúsque quotidie defluxerant, in melius reposuit. Laici, qui ecclesiarum possessiones inuaserant; Clerici, qui per sordes & simoniam magistratum sacrum turpiter adepti erant, profligati sunt. Incestæ consanguineorum, per nefarium matrimonium, coniunctiones diruptæ, multáque alia salubriter constituta. Non mediocri gaudio HENRICVS, ob hanc cum ANSELMO pacificationem, perfusus est: cœpitque iam melius de successu optimóque belli, aduersus fratrem ROBERTVM in *Normannia* suscepti, euentu sperare. Nec sua spe frustratus est. Insignem enim victoriam aduersus eum reportauit, in qua & ipse ROBERTVS captus est. Cuius victoriæ, mox per literas certiorē fecit ANSELMVM. Quarum particulam non erit alienum hîc inserere. Quocirca, inquit, Pater Venerande, supplex & deuotus genibus tuæ sanctitatis aduolutus, te deprecor, vt supernum iudicem, cuius voluntati, & arbitrio triumphus iste gloriosus, & vtilis mihi contigit, depreceris; vt sit non mihi ad damnum, & detrimentum, sed ad initium bonorum operum & seruitium Dei, ad sanctæ ecclesiæ Dei statum tranquilla pace tenendum, & roborandum, vt amodo libera viuat, & nulla concutiatur tempestate bellorum. *Gul. Malm. lib. de Pontif.*

POST reuersionem Regis, celebertima *Londini* habita est synodus, in qua Rex omnem illam potestatē, qua in creandis constituendisque Episcopis hactenus vsus est, a se abdicat. ANSELMVS rursus profitetur, nullū deinceps ab Episcopali initiatione propterea remouendum, quòd ad Regiam maiestatem obseruandam fidem suam astrinxisset. Sed de hac synodo aliàs plura. Sacris deinde cæremonijs ab ANSELMO *Cantuariæ* initiantur, GVLIELMVS *Vintoniensis*, ROGERVS *Sarisburiensis*, REINELINVS *Herfordiensis*, GVLIELMVS *Exoniensis*, & VRBANVS *Menenensis Episcopi*. Vixit ANSELMVS circiter triennium post secundum reditum. Tertio anno languente stomacho, cibos omnes penitùs abhorruit, sensimque viribus corporis exhaustis defecit. Et cum infirmitas corporis non pateretur, vt pedes oratorium adiret, singulis tamen illic diebus, vt sacris missi mysterijs, & corporis Christi consecrationi (in quod singulari quadam reuerentia, pietate atque honore propendebat) interesset, in sella delatus est. Obijt ad annum Christi incarnati millesimum centesimum nonum: & Imperij HENRICI *nonum*, ætatis suæ sexagesimo sexto, Pontificatus vero decimo sexto, vndecimo Calendas Maij. De cuius reliqua vita, moribus, doctrina, miraculis, res iam postulat, vt pauca perstringamus. Si enim vberius pro rerum dignitate ista persequeremur, iustū volumen hæc sola narratio sufficeret. Immoderata igitur ieiunia, ad grandem tenuitatem, siccitatem, & maciem, corpus eius ita totum exhauserunt; vt tantum abfuerit, vt intemperanter aliquando ad edendum ferretur, vt potius omne ei prope edendi desiderium sustulerint. Et cum gustaret, potius quàm comederet, nec, si maximè quidem voluisset, amplius comedere potuit. Illámque ipsam ciborum, temporisque in illis sumendis exiguitatem, aut lectione, aut recitatione sacrarum scripturarum, aut fructuosa de rebus diuinis sermocinatione condiebat. Vigiliarum & orationum magnitudo, ieiunijs eius respondebat. Maximam enim noctis partem

tem insomnis transegit, sæpe nihil somni ante statas nocturnas preces capiens. Omnéque tempus, quod à necessarijs negotijs vacabat, cælestibus meditationibus, sacræ scripturæ lectioni, & precibus lucrifecit. Quæ illius preces, quantam pietatem, quantum in Deum & diuina ardorem spirabant, cùm ex reliqua illius vita, tum ex quibusdam illius libris facile conijcias. Quin & corrigendis, & emendandis libris, qui tum corruptissimè in manibus multorum versabantur, aliquam noctis partem decidebat.

Vide proseloquiũ Anselmi.

Domvs illius omnibus aperta, & semper perhospitalis fuit. & ad vsus omnium egenorum (siue illa inopia à facultatum, siue à consilij angustijs proficiscebatur) quasi cella quædam penuaria erat. Homo fuit omnium, propter admirabilem quendam ingenuæ & simplicis naturæ candorem, minimè suspicios us. Adeque ideo callidorum nonnunquam hominum, qui miram supercilio tenus pietatem ementiebantur, fraudibus expositus. Animo etiam erga omnes tam mansueto & dimisso, vt nonnulli eam humilitatem ad calumniam intorquerent: quasi se infra indignitatem abijceret, eamque contemptui exponeret. Ecclesiasticæ vnitatis, & disciplinæ accuratus & rigidus obseruator. Neque cum ijs, qui ab ecclesia per factiones recesserunt, communicabat: vnde Walterano Episcopo, de necessaria quadam quæstione consilium imploranti, homini factioso, & qui Imperatori contra Paschalem Pontificem adhærebat: respondit quidem, sed ne salutatione certe eum, in referibendo dignare voluit. Sed cum postea in gratiam cum Paschali redijsset, non sine honoris præfatione, eum amplius salutat. Detractoribus nunquam suas dedit aures; sed illis semper fuit infestus. In audiendis vero, & causis cognoscendis, iustissimus arbiter. Nam de sordibus & muneribus, ne leuissima quidem vnquam, cum suspitio maculare potuit. Quanquam ne frangeret meditationum, grauiorúmque studiorum intentionem, litigiosas istas causas alijs delegabat; grauioribus se solum, & quæ absque eo expediri commodè non poterant, vt olim *Moyses* seruauit. In quibus disceptandis, si clamores immoderati, si importunæ contentiones & iurgia, vt fit, efferuescerent, aut pacificabat has turbas, aut se subducebat. Viribus alioqui omnibus corporis repentè destitui, & periculosè egrotare solebat. Quam eius consuetudinem, cum familiares illius vsu experirentur, eum incalescentibus huiusmodi contentionibus, seorsum retrahebant, & quæstionem aliquam è sacra scriptura proponebant. Mox ille refici & exhilarari, virésque animi & corporis colligere incipiebat. Ex eius ore nihil vnquàm inane aut otiosum, sed ad summam semper audientium vtilitatem, quicquid loquebatur manabat. Cuiusmodi occasionem in mensa, & vbique arripiebat.

Vide Anselmum ad Walt. de fermento & azymo.

Ita in itinere positus, cum persequentibus venaticis canibus, lepus intra pedes equi, cui Anselmvs insidebat, quasi ad asylum confugisset, & equites quasi captæ iam prædæ imminentes, in gaudium & risum effunderentur: ille contrà in lachrymas solutus, præsentibus commemorauit, istum istorum lusum affinem esse *Sardonio* illi dæmonis risui, quem, misera anima è corpore exeunte, quam mox in sua potestate putat futuram, ille edit. Mox canibus imperat, ne leporem persequantur. Illa statim, canibus ne pedem quidem mouentibus, cum omnium admiratione & stupore in tutum se recepit. Quantum iam ille, licet omni honore dignissimus fuerit, tamen ab omni ambitione, honorumque cupiditate seiunctus, præcedens nostra oratio satis demonstrat. Adeo certe Episcopalis muneris magnitudinem deprecabatur & exhorrescebat (ad quod inuitus, vt commemoratum est rapiebatur) vt contestaretur, Malle se in cœnobio sub scrula esse, sub magistro inter pueros, imo in rogum ardentem deuolui, atque ita vita defungi, quàm tanto magistratu fungi. Neque tamen maledici defuerunt, qui eum Archiepiscopatus cupiditate incensum calumniarentur. Quorum putidas & ieiunas calumnias, & dicta ipsius, totáque eius vitæ ratio; ac ipsius, & aliorum etiam, qui intùs & in cute (quod dicitur) ipsum nouerant, scripta abunde confutant. Quam autem nulla eius patientiam calamitas, magnitudinémque animi illius infringeret: superior etiam oratio satis docet. Iam quàm exacta, & accurata fuerit illius, cum in cœnobio sub Abbate degeret, obedientia & obtemperatio, vel hinc liquet, quòd iam Archiepiscopatu ornatus, ab Vrbano tamen *Romano* Pontifice, quasi vitæ suæ ducem & moderatorem aliquem importunè postularet. Ille *Edmerum* Angliae monachum, sociúmque prius totius itineris, ei assignauit. Cui tam accuratè ille postea obtemperauit, vt ne latus quidem in lecto obuerteret, nisi ex illius præcepto. Peccati vero totius summa detestatio, tam altas in animo eius radices egit, vt sæpe solitus sit dicere: si res in talem conditionem posset deuenire, vt vel peccare sibi, vel inferni pœnas subire, necesse

Vide epistolam Anselmi ad Fulconem Episcopum Bellouacensem.

cesse foret, infernum certe præoptaret. Vt mihi certé non incredibile videatur, quod se *Gulielmus Malmesb.* à quodam, cui fidem meritò accommodandam putabat (qui id ipsum ex ore ANSELMI acceperat) audiuisse testatus sit; ANSELMVM, postquam cœnobio se addixit, nunquam, nisi semel, intemperanti ira transuersim actum, conuicium alicui fecisse, nec verbum illi excidisse, cuius eum postea pœnituerat.

DE excellenti hominis doctrina, quoniam libri eius, qui partim *Becci*, partim in ANGLIA, partim in exilio sunt conscripti, extant omnibus perui & expositi: non est quod longiorem sermonem attexam. Quæ cum alias, tum egregie in illa contra *Græcos* de Spiritus sancti processione, in *Barensis* concilij disceptatione, ecclesiæ profuit. Diuinas nunc illius dotes, & insignia miracula, quibus eum Deus tam *Becci* quàm in ANGLIA, & in exilio amplificauit; si pro rei magnitudine in medium proponerem, propriam certe & peculiarem tractatum postularent. Satis erit ea, ad alia festinantem vel delibasse: Quid igitur commemorabimus, ignem, cum magna incolarum pernicie grauiter bacchantem, illius statim precibus sæpe repressum? Quid diuinam pietatem, quæ *Beccensi* monasterio ad extremam sæpe inopiam redacto, cúmque iam nulla subsidij spes superesset, repentè in ANSELMI gratiam, abundè consuluerit & prouiderit? Quid innumerabiles pæne homines, qui cum essent deplorata valetudine, sanitatem beneficio & precibus ANSELMI recuperabant? Et ex his alios, cum solum Missæ per ANSELMVM celebratæ interessent; alios, cum ex reliquijs mensæ ipsius; alios, cum ex pane illius precibus consecrato gustassent: alium vero aquam, qua ANSELMVS manus abluerat potando? Fuit & cæcus, super cuius oculos cum ANSELMVS crucis signum pollice formasset, & dixisset, Virtus crucis Christi tuos oculos illuminet, eósque aqua consecrata aspersisset, mox lumen oculorum redditum sentit. Quid pluuiam de cœlo, terræ sitienti & arenti, precante ANSELMO, delapsam? Quid aquam ex rupe admirabiliter profluentem? Quid ventos repentè, vt verificationi ANSELMI inseruirent, in contrarium retortos? Quid nauem infima tabula confracta, immanitérque hiantem, nauigantem tamen, & nullam intromittentem aquam? Quid ANSELMVM, intercurrentibus templi parietibus, vidisse tamen quid in templo ageretur? Quid ANSELMVM, ex insidijs vitæ illius in itinere positis, ereptum? & *Burgundiæ* Ducem, qui et armatus occurrerat, vt cum spoliatum & expilatum dimitteret, ex primo hominis aspectu emollitum ad pœnitentiam, & mirificè deinde in eum affectum, & illius in itinere postea defensorem factum? Quid? quod nec mortali vita defunctum gratia ista deseruerit. Nam post illius obitum, balsamum, quo corpus eius vnctum est, instar Helisææ illius farinæ, accessionem admirabiliter accepit. Et lapis, qui alioqui capax non erat, in quo cadauer illius conditum est, repentè cum omnium admiratione, corporis illius capax factus est. Hæc, & id genus alia prætermittimus, vt tandem ad reliquos Pontifices feramur.

De RODVLPHO, GVLIELMO, *&* THEOBALDO *Archiepiscopis.*

CAPVT XV.

HENRICVS, cum iam magna infamiæ flagrare inciperet, & vereretur ne sempiternas fœdissimæ cupiditatis suæ notas subiret; neque iam posset egregio illo, de quo diximus, simulationis artificio amplius vti: vt eas fugeret, serió de Pontifice *Cantuariensi* in ANSELMI locũ surrogando cogitare cœpit. Et licet ipsius voluntas in *Farisium Abingdonensem* Abbatem * maximè ferretur, totam tamen deliberationem in Episcopos reiecit; contestatus, eos electionis suæ Deo accuratam rationẽ reddituros. Cúmque quidam in ea essent sententia, vt aliquẽ de Clero, quique vitæ monasticæ non fuisset initiatus, selegendum cuperent, reclamare ceteri, & insolens exemplum * exclamare: quod solo, vt alibi diximus, *Strigando* niterentur, qui improbam illius dignitatis ingressionem, fœdiore & turpiori egressu contaminarit. Nec tamen *Farisius* arridebat, vel quia nimiam eius asperitatem timebant, vel quia exterus esset. Ex quo genere, etsi in duos selectissimos incidissent, non tamen tam sterilem esse patriam dicebant, vt non domi haberent, qui propter summas, summóque Pontifice dignas dotes, illi dignitati sustinendæ pares essent. Et inter eos RODVLPHVM *Roffensem* Episcopum, cuius religiosa & sancta vita, omnis etiam minimæ infamiæ notam semper effu-

* *vel proximè.*

* *al. inclamare*

gerat. Qui posset propter doctrinæ magnitudinem, de rebus omnibus solidè veréque iudicare; & propter eloquentiam eleganter de eisdem & ornate dicere. Promptissimis igitur omnium suffragijs, RODVLPHVS renunciatus est *Cantuariensis* Episcopus, post quinquennium à morte ANSELMI. Genere *Normannus fuit*, & *Sagiensis* in *Normannia* Monachus, & illius deinde loci Abbas. Quem ille locum valde sua industria, tenuem prius & exilem locupletauit, & amplificauit. In magna aliquando cum *Roberto Belesmensi*, illius prouinciæ principe, gratia positus; à quo postea prorsus excidit, & e *Normannia* electus est: quod fidem & sacramentum clientelæ contra Papæ decretum præstare recusasset. Profugit itaque in ANGLIAM, vbi aliquandiu apud alios commoratus, ad ANSELMVM, cuius ab adolescentia, consuetudine familiariter vsus fuerat, concessit. Qui GVNDVLPHO *Rossensi* Episcopo demortuo, eum postea substituit,

CVM iam in Episcopum consecrandus esset, aiunt ANSELMVM Deum accuratè rogasse, vt prognosticon (quid id sit, iam antea narrauimus) huiusmodi RODVLPHO subijceret: quo appareret, diuinum quoque iudicium suo respondisse. Replicato itaque Euangelio, is primum se locus obtulit. Erunt similes angelis Dei. Pallium RODVLPHO, per *Romam* Pontificis legatum ANSELMVM, qui nepos fuerat ex sorore ANSELMI *Cantuariensis*, delatum est. Aduenerat prius in ANGLIAM, Legationis nomine, GVIDO; & post ANSELMVM PETRVS. At HENRICVS, nullum alium legatum, nisi *Cantuariensem* Archiepiscopum agnoscere voluit. Hac de causa RODVLPHVS, cum HERIBERTO *Norwicensi* Episcopo, *Romam* delegatus est. Qui literas à PASCHALI ad Episcopos, & Regem detulere, de *Cantuariensis* sedis prærogatiua; quam sartam tectam, & imminutam prorsus esse voluit. PASCHALI defuncto, quem non nisi per nuncios, propter bellum quod imperator aduersus eum gessit, conuenire potuit; ac deinde GELASIO etiam, quos præsens de dignitatis suæ, contra interessorem THVRSTINVM *Eboracensem*, defensione interpellare cogitarat: reuersus in ANGLIAM ad CALIXTVM, qui *Rhemis* in *Gallia* concilium cogebat, nuncios eadem de causa ablegauit. In eodem concilio errores quidam *Gilberti Porretani* profligati sunt. Cui cum alijs quibusdam ANGLIAE Episcopis interfuit THVRSTINVS *Eboracensis*. Et licet legati RODOLPHI benignè audirentur, & de optimo suæ causæ exitu bene sperarent, spe tamen sua frustrati sunt. CALIXTVS enim, contra omnia antiquitatis exempla THVRSTINVM consecrauit. Quà de re plenius, cum ad *Eboracenses* Episcopos deuentum erit, dicetur. Paralysis RODOLPHVM reuersum grauiter infestabat. Qui licet vir esset prudens, grauis & magni consilij, nimia tamen, morbi illius vi magis incitatus, iracundia, si quid præterea in dignitatis, & ecclesiæ suæ iniuriam tentaretur, efferuescere solebat. Adeo sane vt, cum *Winasoria*, HENRICVS, defuncta MATHILDA, ADELIDI Ducis *Lotharingiæ* filiæ matrimonio copulandus esset, & * ROGERVS *Sarisburiensis* Episcopus sacra mysteria (quibus celebrandis, propter linguæ titubationem & offensionem, ineptus RODVLPHVS videbatur) celebrare, quasi ea sibi prærogatiua, in sua præsertim diœcesi præ alijs deberetur, tentasset: ROGERVM vestibus sacris iam ornatum illis spoliarit, & GVLIELMO *Wintoniensi* id munus delegarit. Postridie etiam, Rege ad sacra audienda astante diademate redimito, illud capiti regio (quod illud, se inscio, impositum esset) detrahere conatus est; & detraxisset, nisi partim magno hominum murmure & strepitu, partim precibus intercedentibus superatus, ab ea se cogitatione abstinuisset. Obijt deinde ad annum Christi centesimum vigesimum secundum supra millesimum; Pontificatus sui anno nono. Vir, qui ne suspicione aliquando grauioris, vt diximus, delicti aspersus est. Ad risum tamen, & iocos propensior, quàm vel ætatis, vel dignitatis ratio ferebat. In sumptu ponendo, & mensæ apparatu, iusto parcior videbatur. Sed hunc omnem defectum, verborum iucunditate, & lepore quodam, atque sale orationis aut sustulisse, aut obscurasse visus est.

* *al.* Rogeritus.

Guil. Malm. de Pont Lond.

Matth. Par. 1121 add. ad Flo. Wig.

In dict. addit

HVNC RODOLPHVM excepit GVLIELMVS de *Carboilo*, Prior *Cherchensis* cœnobij primus: quem etsi monachi ægrè admiserint, vt Clericum, & nulli prius monasticæ disciplinæ initiatum: susceptam tamen ille semel constanter, & religiose obseruauit, munúsque illud egregiè administrauit, *Romam* profectus est pallij adipiscendi ergo. Vbi ab HONORIO honorifice acceptus, & cum ampla legatione, non modo in ANGLIAM, sed in *Scotiam* à Pontifice mandata dimissus est. Post reuersionem, à GVLIELMO *Wintoniensi* consecratus est, quod iam RICHARDVS *Londoniensis*, quem potissimum id munus respiciebat, defunctus erat. Sub hoc Pontifice, festa celebritas *Conceptionis* beatæ virginis MARIAE

in

in *Londinienſi* ſynodo confirmata eſt. Habita vero eſt antea *Londini* frequens Epiſcoporum, & aliorum eccleſiaſticorum ſynodus. Cui *Ioannes* * *Cremenenſis* Romani Pontificis Legatus præfuit. Is magna contentione aduerſus ſacerdotes inuectus eſt, qui dignitatem ſuam vita libidinoſa turpiter contaminarent. Et turpitudinis magnitudinem, cum aliunde, tum vel hinc maximè exaggerabat; quòd nihil dici aut fingi turpius & ſceleratius poſſet, quàm tam nefariè polluros, ad ſacroſanctum Chriſti corpus in Euchariſtia conficiendum, ſe poſtea ingerere; ſed omnem ille ſibi fidem, authoritatémque mox detrahebat, & magnas, licet ex tam vera & præſtanti oratione, ac ſempiternas infamiæ notas inuſſit. Quòd vita orationi parum reſpondente, ipſe in eodem vitio, ſequenti nocte, licet tremenda illa ſacra, mane celebraſſet, palam deprehenſus eſt. Quidam tamen eum non fuiſſe ſacro ſacerdotio initiatum aiunt, atque inde, quo potuit artificio, crimen extenuaſſe conatum. At ille mox, ſiue ex illa, ſiue alia de cauſa, diſceſſum ex ANGLIA ſuum maturauit. Poſt eius diſceſſum, ſiue id mox continuatóque concilio; ſiue vt quidam, aliquot poſtea annis, Clero reformando, libidinique præſertim ſacerdotum reprimendæ, data eſt ab Epiſcopis opera. Iamque Epiſcopi in quoſdam eiuſdem vitij reos grauiter animaduertere cogitabant. HENRICVS, ea re intellecta, Epiſcopos rogauit, vt huiuſmodi mulctæ poteſtatem, in ſuum illi arbitrium conferrent. Epiſcopi arbitrati, magnam authoritatem ſuæ ſententiæ, magnum reis terrorem acceſſurum, ſi regia authoritas adiungeretur; facilè in Regis ſententiam & voluntatem, quæ tam honeſta & ſpecioſa videbatur, conceſſerunt. Sed mox, licet, ſerò, tam inconſultæ eos facilitatis, valde pœnituit & puduit. Rex enim Epiſcoporum ſimplicitate abuſus, poſt irrogatam ingentis ſibi ſoluendæ pecuniæ reis mulctam, ad vetitam eis poſtea Venerem impune redire paſſus eſt.

* al Cremenſis. *Henr. Hunt. Simeon Dunel. 1125. Matth. Par. & Floril. eodem anno.*

Henr. Hunt. Simeon Dunelm. Matth Par & Florl, an. 1129.

AB hoc Pontifice eccleſiæ Chriſti *Cantuariæ*, quam incendio abſumptam alibi diximus, ſolemniter, non Epiſcopis modò ANGLIAE, qui valetudine non impediebantur, ſed Rege ipſo HENRICO, & *Scotiæ Dauide*, cum Regina ANGLIAE præſentibus, dedicata eſt. Cui HENRICVS annuum decem librarum prouentum, contulit, cum ſacello ſuo Diuo *Martino* apud *Douerum* ſacro, vna cum omnibus prouentibus. Erant in eo ſacello antiquitùs Canonici, quos ſæculares appellant. Quorum eccleſia, cum in medio oppidi parui illius quidem; ſed populoſi conſiſteret, Canonicique eccleſiæ ſacra penſa perfunctoriè obirent, illiuſque bona per luſtra, libidines, & luxuriem profunderent & conſumerent: GVLIELMVS diligenter meditatus ſecum eſt, qua potiſſimũ ratione huic malo occurreret. Ædificat itaque nouam extra muros oppidi eccleſiam, cum ceteris domibus, ad habitationem monaſticis viris accommodis. Quos pro prioribus ſubſtituere conabatur, à *Mortenenſi* cœnobio deriuatos, cuius & ipſe diſciplinæ fuerat. Mittit itaque MENEVENSEM & ROFFENSEM Epiſcopos, cum *Helano Cantuarienſi* Archidiacono, qui illis loci poſſeſſionem traderent. Adduxerant ſecum monaſtici viri quadrigas, re ſua domeſtica oneratas. Sed in ipſo ingreſſu *Hieremias* monachus, à ſocietate reliqua cœnobij *Cantuarienſis* tranſmiſſus, qui ſe illorum conatibus interponeret & intercederet, occurrit; grauiter illis denuntians, per fidem qua Deo, qua eccleſiæ *Cantuarienſi*, qua ſummo eccleſiæ Pontifici (ad quem contra eos prouocabant) debebant; ne quid in præiudicium eccleſiæ & cœnobij *Cantuarienſis*, ipſis inconſultis tentarent. *Martinenſem* eccleſiam, ab HENRICO, non Epiſcopo priuatim, ſed *Cantuarienſi* eccleſiæ donatam. Non eſſe penes eum priuatim quicquam ſtatuere. Si monachos illic ponere velit, par eſſe, vt & ipſorum id conſilio conſenſúque fiat; & ab ipſorum eccleſia & cœnobio potiſſimum ſeligantur, qui in nouam *Martinenſem* quaſi *Coloniam* deducantur. Atque ita Legati, rebus confectis, ad GVLIELMVM rediere.

Gernaſ. Dorob in chron & Gallicum quoddam Chron. quod incipit Chi venit ſeauoir. quod pertingit ad initio regni Britan. ad an. 1213. Matth. Par. & Florent an 1130. Ad. ad Elo. Wig.

REPVLSAM hanc ægerrimè ille tulit, paulóque poſt obijt. Quo defuncto *Cantuarienſis* ſocietas, duodecim *Cantuaria* illuc monachos tranſmiſit. Quibus *Gulielmum Longauillenſem* præfecit. Donarat paucis antè annis HENRICVS eidem eccleſiæ, arcem illam ſuam *Roffenſem*. GVLIELMVS vero ad STEPHANI regis tempora peruenit, & poſt decimum quintum adminiſtrationis ſuæ, & ad annum Chriſti milleſimum centeſimum trigeſimum ſextum, vita deceſſit. Cui id vitio vertitur, quod diadema STEPHANI Regis capiti impoſuerit; contra fidem MATHILDI priùs religioſè & ſanctè datam. Qui videtur neſcio quam, de qua dixi, HENRICI reuocationem ſequutus. Sed in maximam ille, eius temporis authorum, reprehenſionem incidit. E quibus aliquot obſeruarunt, id illi diuinitus, ob hanc vitioſam Regis in regno initiationem contigiſſe; quod magno olim ſacerdoti, *Hieremiæ* percuſſori. Qui, nondum vertente poſtea anno, præmaturè obijſſe traditur. Extat ad

Sim. Dun 1135. Nuberg. li. 1. c. 5.

hunc

In diff. Chron. Gul. 1125

hunc GVLIELMVM, HONORII *Romani*, Pontificis rescriptum, quo ecclesiam *Cantuariensem*, eiúsque possessiones & bona priuilegijs, & suo etiam aduersus violatores, & improbatam quandam consuetudinem, anathemate munit. Qua, defuncto Archiepisco, in monachorum bona, improbi inuolabant; eáque licentiosè occupabant, & in suos

Gervasius.

quasi impunè vsus deriuabant. Successorem habuit THEOBALDVM, cum sedes duobus annis, & plus vno menses vacasset. Inter Pontificij vero huius tempora, *Albericus* Cardinalis, & INNOCENTII in ANGLIAM & *Scotiam* legatus, Episcopos & reliquum clerum ad synodum acciuit, in qua multa sancita sunt, lapsę ecclesiasticę disciplinę erigendæ, vel refarciendæ apta & idonea. Dimissa synodo, adfuit *Hieremias Cantuariensis* cœnobij Prior, cum aliquot alijs ex ea societate, quos legatus euocauerat, vt nouum Archiepiscopum à se electum renunciarent. Illi erga THEOBALDVM *Beccensem* Abbatem renunciant, Rege legatóque præsentibus. Quæ renunciatio, legati, & HENRICI *Wintoniensis*, qui huic cum primis prædæ inhiabat, animos vehementer offendisse traditur.

Math. Par. 1138 Gervas.

INITIATVS est *Cantuariæ* ab ipso *Alberico* legato. Et cum eodem *Romam* profectus pallióque & legatione perpetua honoratus, in ANGLIAM redijt. Quod postea munus ad Successores ita transfusum est, vt ab eo tempore legati iam non tam aduentitio facti, quam insito, & per manus deducto antiquitus iure, nati dicantur: Duplicique prouocationum prærogatiua fruantur, qua ab Episcopis, qui à suffragijs illis sunt, ad eos appellationes, partim vt Archiepiscopos, partim vt legatos deuoluuntur. Cúmque postea HENRICO *Wintoniensi*, legatio per totam *Angliam*, à Pontifice speciatim mandata esset; intercedere inter eum & THEOBALDVM *contentiones, dum disceptatur, vter alteri in causis cognoscendis, rebúsque decernendis præferri debeat. Profecti sunt *Romam* eodem tempore SIMON *Wigornienſis*, ROGERVS *Couentrenſis*, ROBERTVS *Exoniensis* Episcopi, & *Bernardus* Abbas *Eueshamiensis*, *Romanóque* concilio interfuerunt. Cuius & secum decreta retulere in ANGLIAM; vixitque THEOBALDVS postea, per turbulenta illa STEPHANI tempora, quorum & ipse tempestatem, præter communes iactationes, priuatim obortis inter eum & Regem inimicitijs, subijt. EVGENIVS Synodum *Rhemis* habuit. Quò cùm alios, tum THEOBALDVM per literas acciuerat. Adit ille Regem postulans, vt cum bona illius venia eo proficiscatur. Refragatus est desiderio illius Rex, THEOBALDVS in varias angustias, & quasi inter *Scyllam* & *Charybdim* coniectus est. Si maneret, pontificiam; si discederet, Regiam maiestatem læsisse videretur. Et credebatur totum hoc, æmuli *Wintoniensis* fraude, callidè structum. Sed maximum sibi, apud Deum, piaculum creatum iri ratus, si causæ ecclesiæ, & maioris potestatis mandato deesset; iter marinum clam, & in quassa atque lacera cymba vtcúnque expedijt. maximis à Pontifice honoribus, & plausibus exceptus. Qui ad summam eius laudem contestabatur, mirificam quandam hominis in Deum, ecclesiam, & sedem beati PETRI reuerentiam fuisse: qui sui præsentiam in synodo, natando magis quàm nauigando fecisset.

Gervas. 1147.

REVERSVM ingens ira Regis excepit, & iterum trans mare in exilium abegit. Legati tamen Reginæ, & *Gulielmi Iprensis* opera, vltro citróque inter Regem & eum commeabant. Sed cum res tranquillari non potuerat, interdicti in ANGLIAM sententiam promulgauit: magisque inde in se Regis iracundiam exacerbauit. Cuius ille, omnes annuos interim prouentus, sibi intercipiebat. Redijt deinde clam in ANGLIAM. Diuersatus apud Comitem *Hugonem Bigodium*. Quo tempore interdictum in possessiones regias protulit. Quod non ita multo post, rebus inter eum & Regem (quorundam Episcoporum & procerum opera intercedente) compositis, reuocauit & sustulit. Sed grauiori postea, cum reliquis Episcopis, tempestati obiectus & expositus est. STEPHANVS cum HENRICVM, MATHILDIS æmulæ filium, *Aquitania* & *Andegauia* quoque, dotalitio iure auctum videret; valde sibi timere cœpit & filio *Eustachio*, si quid sibi humanitus contingeret, ne illo regno, ad quod ipse periurio se ingesserat, aut nunquam potiretur, aut breui inde deturbaretur. Commodissimum itaque suis rationibus, & consilijs fore arbitratus est; si se viuo, regni insignibus, filius amplificaretur. Episcopos itaque & proceres vndique ad se euocat. Et quoniam Regis sacra inunctio *Cantuariensem* proximè attingebat; eius potissimum, & aliorum deinde Episcoporum consensum anxiè venabatur. Quem cum nec ipse, nec filius blanditijs, ingentibúsque pollicitationibus allicere potuere; THEOBALDVM cum Episcopis, domo quasi carcere inclusere, & minis atque terroribus consensum illis extorquere

Gervas. 1151. Sim. Dun. 1151.

conati

sonati sunt. THEOBALDVS tamen à priori constantia deijci non potuit. Ex Episcopis, aliquot metu fracti cessere. THEOBALDVS interim, casu lapsus, *Doueriumque* clam petens, inde mare traiecit, Rex in refragrantium interim possessiones inuolat. Quas tamen postea, deferuescente iracundia restituit. Acceperat vero THEOBALDVS ante has turbas, literas à *Romano* Pontifice. Qui STEPHANI forte molimina subodoratus vetuerat, ne THEOBALDVS EVSTACHIVM regno, quod vitio, scelere, & periurio pater occuparat, initiaret. Peruenit THEOBALDVS ad HENRICI tempora, & corona inlignitur: & in illa STEPHANI & HENRICI pacificatione incunda, præcipuam quandam egregiámque operam posuit, Nam eorum mihi sententia, qui GVLIELMVM hucusque superstitem fuisse, & HENRICVM consecrasse tradunt, si non toto cœlo, à * recta certè, & tota temporum ratione pueriliter erasse videtur. Commendatur THEOBALDVS pietate & doctrina. Nec mediocre sine documentũ insignis prudentiæ, cum THOMAM sibi primùm, & Regi deinde HENRICO familiare fecisset, dedisse videri potest. Is THOMAM *Cantuariensem* suũ Archidiaconũ constituerat, Regi deinde comendauit. Qui ex Archidiacono, Archiepiscopũ creari cum curauit. Ad cuius nos iam historiam, quæ paucis pro rerum magnitudine texi non potest, narrandam ingredientur,

* al. restagerta, &,

De THOMA *Archiepiscopo & Martyre.*

CAPVT XVI.

VANQVAM mirabilis sit semper Deus in sanctis suis, nescio tamen an in vllum, per omnem, quacunque patuit, hoc sæculo ecclesiam, testatiorem aut illustriorem suam pietatem ostenderit, quàm in hunc nostrum THOMAM. Tanta, támque rara eius in illũ vndique beneficia, ab ipsis natalibus ad mortem sanctissime obitam, celeberrimúmque pro ecclesia martyrium; * Tanta denique post martyrium, pro Martyre, & in Martyre suo, testatissima orbi signa concurrunt. Quod si forsan propositum mihi compendium hæc narratio egredietur; spero quod prolixitatem vilitate sua compensabit. Ipsa igitur primùm nascendi ratio, magnam admirabilitatem habet. *Gilbertus Londinensis* ciuis *Hierosolymam*, locorum sacrorum, peccatáque expiandi gratia profectus, à *Saracenis* vt fit, captus, in carcerem conclusus est. Sed cum liberalius ceteris tractaretur, Principis ipsius filia, post varia furtim de religione Christiana colloquia, amore hominis inardebat, tandemque si * ipsam ille in vxorem asciteret, se nihil in votis magis habere, * facilésque illum se è vinculis, fugæque cum illo incundæ rationes expediturum, constanter suggerebat. At ille non ausus rem tantam tentare, semper vrgentem puellam reiecit. Ita tamen casus tulit, vt effracto post annum & dimidiatum carcere, cum alijs ad Christianorum se ditionem proriperet, domúmque postea reuerteretur. Mirum dictu! puella non ita multo post, clam fugam iniit, *Londiniumque* tandem perueniens, *Gilberti* domum adijt; eámque ille ad rei euentum obstupescens, vxorem sibi sumpsit. Quas Deus nuptias, quasi diuinis quibusdam primitijs, THOMAE nostri partu honestauit. Multáque parentes, eo adhuc puero, oculis, auribúsque vsurparunt, quæ futuram eius magnitudinem non obscure præmonstrabant. Quæ ab alijs petenda relinquo. Multas habuit corporis animíque dotes insignes; felicem præsertim omnium rerum memoriam, mirum in difficilibus rebus ex tempore explicandis, acumen: adeo ab omni vanitate, & mendacio abhorrens, vt vix aut nunquam, ne per iocum illud arriperet.

* al. tantaque denique.

Ex vita eius impressa collecta per Stephanum Langton. ex Herberto Iosan Carnot. Episcop. Alano, & Gul. Cant. ex Gernasio Cant. & variis epistol. Thomæ adhuc non impressis.

* al. si ille.

* al. facile illum.

INSINVAVIT se in amicitiam, familiámque THEOBALDI *Cantuariensis* Archiepiscopi. Qui cum doctrinam probitatémque hominis, & dexteritatem in rebus agendis penitus introspexisset: eius præ ceteris opera, tum domi, tum foris, *Romæ* præsertim ad grauiora ecclesiæ negotia vsus est, *Bononiæque* ad annum residere passus est, vt vberiorem iuris ciuilis cognitionem imbiberet. THEOBALDVS THOMAM Archidiaconatu *Cantuariensis* donauit: nec ita multo post, ob egregias hominis dotes, Regi commendauit. Qui cum mox amplissimo Cancellarij muneri præfecit. In quo ita se gessit, vt Regi indies, totique populo gratior, reipublicæ vtilior redderetur, cuius negotia singulari prudentia fidéque administrabat. Quæ res effecit, vt ei potissimùm Rex filium & heredem, summęque spei puerum, HENRICVM, educandũ traderet. Tanta iam florebat apud Regẽ gratia, vt in omnibus illius ditionibus, quę ab Oceano ad Pyrenæos vsque montes latissimè pertinebant, hi soli vulgo beati viderẽtur, quibus THOMAS faueret. Ille vero etsi cogeretur ad aulicorũ se mores, ingeniáque in multis accommodare, nun-

† al. est Bononiæ ad.

quam tamen ab officio suo in Deum aut Remp. deflexit; adeóque vano illo mundi splendore non est delinitus & corruptus, vt nihil illi magis, quam id genus vitæ displiceret, vitæque eum præ laborum & insidiarum, quæ clam illi struebantur, magnitudine, pæne tæderet; vt ipsi Archiepiscopo, amicisque non sine lachrymis contestatus est; nihilque antiquius duceret, quàm si cum gratia Regis, sineque nota aliqua ingratitudinis posset se a curia, quasi in portum quendam subducere. Perfecit interim, vt ne ipse tantis rerum successibus deterior (vt fit) redderetur. Et cum ceteras omnes cupiditates, tum libidinem maxime domuit, & coercuit. Quod sanè quam difficile sit, rebus omnibus ad voluntatem affatim affluentibus, ipsa rerum experientia argumento est. Quódque facilius sit in rebus sibi aduersis, quàm in summa felicitate temperare. Quod & propheta intellexisse videtur, cum caneret: *Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis.* Solent enim in scripturis sacris dextræ sæpe in hunc sensum accipi. *Psalm. 90.*

Cvm itaque hoc munus splendidè simul atque integrè quinquennio iam obijsset: Theobaldo cum Rex defuncto, sufficere prorsus apud se constituit. Atque eam ipsius voluntatem in Anglia m, ad alia regni negotia expedienda, iam e *Normannia* profecturo, atque ad iter prorsus accincto, ostendit. At ille subridens, vestemque suam aulicam Regi ostendens; Ecce tibi, inquit, qualem religionis & pietatis virum, tam celebri monachorum, tamque insigni præ ceteris ecclesiæ præficere conaris. Sane, si propositum tuum vrgeas, Deique voluntas ita tulerit, vt eam dignitatem adipiscar, vereor, ne hæc tanta gratia, mirúsque ille animi tui ardor, quo totus in me iam exardescis, non solum refrigescat & dilabat, sed & in graue quoddam tandem odium conuertatur. Exiges enim (scio) multa ab ecclesijs, taliaque tentabis, vt pro officij dignitatisque illius ratione, me tibi necessario opponere debeam. Atque hic se virum prudentè, aut Prophetam potius Thomas exhibuit. Sed iam Rex animum totus obfirmauerat, totúsque firmo, fixóque proposito huc spectabat, vt Thomam ad *Cantuariensem* sedem eueheret. *Londini* itaque monachorum *Cantuariensium* (penes quos erat de more electio) & Episcoporum, quos sibi illi asciuerant, iudicio Archiepiscopus designatur. *Cantuariam* deinde, ad sacræ initiationis munus suscipiendũ, proficiscitur. In quo itinere, per somnium visus est vidisse venerabilem quendam virum, decem sibi talenta tradentem. Quod & cuidam ex suis mane retulit, præcepitque ei, vt deinceps diligenter & curiosè, quinam sermones de eo fererentur, expiscaretur, vt admonitus, si quid forte corrigendum esset, maturè corrigeret, vtque si quid ipse emendatione in se dignum videret, primo quoque tempore admoneret. Aderant initiationi illi quatuordecim Episcopi, Henricvs heres, cum illustribus omnibus aulicis. Pridie vero in sacerdotem cooptatus est. Post aliquod tempus, accepit à *Romano* Pontifice pallium. Quod ille accepturus: nudis pedibus foras prodiens, magna cum veneratione accepit.

Ab eo deinceps tempore, quasi in alium, nouúmque prorsus virum immutatus; nihil sibi ad summam diligentiam reliquit, qua suo responderet muneri. Turpe tatus, si qui terrenis negotijs tantam adhibuisset industriam; parem, aut certe exactiorem cælestibus non adhiberet. Vigilijs itaque, orationibus, & sanctarum scripturarum lectioni, eleemosynis, ieunijs, & sacris sermonibus, quibus partim clerum, partim populum informabat; aliisque sancto Pontifice dignis studijs, totus deditus erat. Nocturnas precandi excubias semper agebat, breui deinde somno, ad reficiendas vires, tenuíque corporis, capto; doctum quendam ex suis (quorum magnam habebat copiam) sibi asciuit, ad aperiendum difficiliores scripturæ nodos. Quo discedente, solus ad tertiam vsque diei horam remansit. Neque cuiquam, vlla de causa, aditum ad se eo tempore præbuit. Hac igitur hora egressus, vel sacrum illud mysterium & tremendum conficiebat, vel certè audiebat. Solebat enim aliquando à conficiendo abstinere, non negligentia quidem ille vlla, sed mira & singulari quadam in tantum sacramentum reuerentia. In celebrando autem lachrymis totus perfundebatur, vt sæpe singultus magis, quam verba audires. Singulis diebus, tria pauperibus conuiuia exhibuit. Primum enim tredecim, secundum duodecim, tertium centũ conuiuas habuit. Primis ipse, nisi necessario auocaretur, idque ante lucẽ in mensa ministrabat, certámque pecuniæ summã discessuris impartiebat. Singulorum ille pedibus aduolutus, eorum pro se ad Deum, idque non sine lachrymis, orationes accuratè postulabat. Immensum iam est, quod in pauperes erogauit, vt magis non supperet egeni, quibus tribueret; quàm non supperet, quod tribueret, Theobaldvs vir pius, statas, & maiorum suorum eleemosynas, duplicauit. At Theobaldi eleemosynis per Thomam alia duplex accessio facta est. Mensam quidem pro more patriæ, splendide habuit instructam: magna vero ipse parsimonia, lautioribus tamen, & delicationibus cibis

(quòd

(quod illis solùm hactenus assuetus erat) vtebatur. Tam longè ab omni crapula remotas, vt vix, aut nunquam maiores carnis motus iam passus; quam ieiunus sentiret.

NVLLA ad mensam vnquam musica instrumenta personabant; sed lectio, quæ durabat à principio ad finem vsque epularum, eam condiebat. Neque hac tantummodo ciborum tenuitate, illisque alijs sanctis vitæ institutis, scripturarum præsertim lectione in quam adeo ferebatur, vt sæpe optaret, omni se dignitate exutum, quo excussis omnibus impedimentis illi vacaret) sed & aspernimo cilicio, quod carnem nudam premebat, omnem libidinem, turpésque motus domabat. Ab auaritia & sordibus, omnium erat alienissimus; neque ipse solum, sed & familia eius, & ij potissimum, quos causis audiendis præfecerat. Quos cum quidam Abbas (cui negotium erat in Archiepiscopi curia) nunc hunc, nunc illum corrumpere, sed frustra, est aggressus, negotium tamen ex animo confecisset; post discessum exclamauit, se reperisse cuttam plus quam auream, quippe quæ auro commaculari nesciret. Iam vt THOMAM nulla cupiditas, ita neque metus vllus frangere potuit, quo minus, cuiuscumque generis hominibus sua vitia, cum res postularet, obijceret; & ecclesiæ suæ pauperum, aut iniustè oppressorum patrocinium susciperet. Atqui, cum omnia prudenter, magnaque cautione ageret; nusquam ea maiori vsus est, quam in illis discutiendis, qui sacris ordinibus adscisci fuerant. Quod munus vix illi vnquam delegauit, sed per se confecit; veritus nimirum illud Apostoli. *Manus nemini citò imposueris, neque communices peccatis alienis.* Diligenter etiam prospexit, ne, quod fieri solebat, aliqui, de quorum ordinatione non liquido constaret, pontificia sibi munera arriperent; & ne qui Pontificis *Romani* litteras, quas bullas vocant, corrumperent atque adulterarent. Secundus iam agebatur Pontificatus illius annus, quo THOMAS magnificè, tam in *Flandria*, *Normannia*, *Cenomania*, & alibi: quam ab ipso denique Pontifice ALEXANDRO acceptus, *Turonico* concilio interfuit. Vacauit ad hæc tempora tam *Vigornien sis*, quàm *Herfordensis* Episcopatus. Inoleuerat mos peruersus, vt tam monasteriorum, quam Episcopatuum vacantium reditus fisco accederent. Regem igitur THOMAS aggreditur, partimque blandè appellando, partim acerbius admonendo, ne sineret plebem suo carere pastore. Nec prius destitit, quàm voto suo potitus esset. *1. Timoth. 5. 22*

ATQVI illud quidem hactenus omne tempus feliciter transijt, summaque inter ipsum & Regem pace. Nunc acerba, & infausta illa tempora imminent, quæ istos omnium hominum coniunctissimos, omnémque prorsus regni, ecclesiæque coniunctionem miserrimè distraxerunt ac dissiparunt. Cuius dissidij, malum quoddam omen videri poterat, quod *Cantuariæ* in solemni supplicatione, quam dominica Palmarum ecclesiæ celebrat, accidit. Cui cum Rex atque Archiepiscopus interfuissent, ecce repentè tam sæua, & violenta ventorum vis incubuit, vt tentorium, quod eo die ad instruendas, & ordinandas illas supplicationes construi solebat, diuulsum, & dilaceratum ad solum concideret. Huius vero tragœdiæ occasio altius mihi petenda est. Neque enim vnica fuit aut simplex, sed multiplex, & quasi multorum capitum hydra. Permiserat Rex MARIAM propinquam suam, STEPHANI regis filiam, sacris virginibus *Rameſiæ* præfectam, in matrimonium cum *Matthæo Bolonię* Comite, pernicioso ad posteritatem exemplo coire. Intercessit quoad potuit (vt pium pastorem decuit) THOMAS. Repetebat THOMAS a multis aulicis, atque adeo à Rege ipso varias, quas illi inuaserant, *Cantuarien sis* ecclesiæ possessiones. Populi in contribuendis pecunijs beneuolentiam, in perpetuum onus, legisque necessitatem Reges conuerterant. Arripiebant sibi regij iudices decimarum, & aliarum causarum ecclesiasticarum cognitionem. Arripiebant etiam sibi in personas ecclesiasticas iudicium. Quas indiscriminatim cum laicis, capitis iudicio, licet carcere, exauthoratione, alijsque pœnis ecclesiasticis ab Episcopis multatas, damnare satagebant. Non patiebantur Episcopos, eos, qui fidem violarant, & periuros ecclesiasticis pœnis coercere. Omnem ad *Romanum* Pontificem prouocationem, omnemque etiam Episcopo, aut Archiepiscopo, licet ab eodem Pontifice summo accersito, emigrandi potestatem, sine suo consensu Rex præcidebat. Omnem denique anathemate feriendi eos potestatem, qui de Rege in capite (vt dici solet) tenebant, nisi Regis licentia accederet. Et alia quædam erant id genus, à quibus iam supersedeo. His THOMAS, vt pium & constantem Episcopum decebat, fortiter intercedebat. Hæc enim palam & antiquos ecclesiæ canones, omnemque prorsus ecclesiæ ordinem, dignitatem & authoritatem labefactabant, & infringebant. Ista tamen omnia Rex acriter ab Episcopis obseruari, nescio quod auitarũ consuetudinum nomen, & authoritatem prætexens præcepit. At illi magna aliquandiu animorum coniunctione restiterunt. Tandem tamen, vt Rege pacatiore vterentur, qui intemperanti ira *Matth. Par. Flo. & add. ad sig. Gembl.*

* al. At hoc. auferebatur; obseruaturos se, saluo tamen ordine suo, pollicebantur.* Atqui hoc tam æquum, & ratione plenum responsum, nihil illum mollichat; neque sibi aliter satisfieri posse clamabat. quam si simpliciter & absolutè consuetudinum earum obseruationem promitterent.

TANDEM cum alij eorum quædam admisissent, ob quæ paratam, præsentémque ab irato principe pœnam, alij iram Regis, licet aliter nihil commeruissent, fortunarúmque suarum euersionem grauiter formidarent; sensim eò omnes prolapsi sunt, vt sepositio Archiepiscopo, nemo se palam opponeret, in quo iam tota rei moles pendet. Ille vero, cum multa in speciem probabilia, in medium pro Regis causa deducerentur; à duabus potissimum rebus, à memoria videlicet, immensæ illius Regiæ in se olim beneuolentiæ, & ab Abbate *de elemosina*, qui se à *Romano* Pontifice, ob id maximè, missum dicebat. vt ad tempus regiæ voluntati (qui iureiurando promisisset, nihil in præiudicium ecclesiæ se acturum) cederet, expugnatus est. Et consuetudines se, sine exceptione obseruaturum. Regi respondit. Sed cum spacium, suo Chirographo consuetudines illas consignandi (quòd Rex maximè vrgebat) deliberandi sumpsisset; inter eas deliberationes, calculo melius secum subducto, & facti sui indignitatem accuratius, & exquisitius apud animum reuocans, mirum in modum tantæ eum suæ facilitatis puduit & pœnituit; grauissimúmque inde dolorem capiens, indignum se clamabat, qui tantum ecclesiæ magistratum, cuius dignitatem & authoritatem iam perfide prodidisset, amplius gereret; aut qui sacrosancta apud altare Christi mysteria conficeret, donec id delictum pœnitentia eluisset, eiusque a *Romano* Pontifice veniam impetrasset. Quam missis nuncijs impetrauit. Qui eum etiam per literas consolatus est, animúmque eius (quem nunquam postea vllis ille aut illecebris, aut minis deiecit) ad magnanimitatem, fortitudinémque valde erexit. Hæc à Rege cognita, ita eum exacerbarunt, vt iam non sine causa capiti Pontificis præsens periculum imminere crederetur. Quæ res ad fugam eum incitauit. Quam bis tentans, expedire tamen non potuit. Quare obfirmato animo, ad omnes casus manere decreuit.

EDICTO deinde regio *Northamptoniam* (vbi erat Episcoporum & Procerum maxima frequentia) accersitur. Vbi ad maiorem molestiæ cumulum, vocatur ad ingentis pecuniæ reddendæ rationes. Quam se constanter non debere, & si qua in re forte obæratus esset, ex Regis ipsius voluntate, cum Episcopus ordinaretur, se ab omni ciuili actione expeditum, & liberatum asserebat. Sex hic dies varijs molestijs, & contumelijs vexatus, & iactatus est; ab omnibus tam laicis, quam Episcopis tandem desertus. Sextum diem acerrimum & acerbissimum omnium habuit, ad quem se quasi muniens, mane sacrosancta missarum solemnia in honorem STEPHANI protomartyris, idque pallio præter temporis rationem indutus, celebrauit. Eius vero missæ exordium ita se habet. *Etenim sederunt principes, & aduersum me loquebantur*. Venitque deinde ad curiam sacris vestibus indutus, crucem suis ipse manibus (neque enim aut Episcopum vllum, aut quenquam alium portare passus est) raro spectaculo portans. Quæ omnia Rex ad inuidiam, & contumeliam suam facta arbitratus, exacerbatior longè redditus est. Nec iam aliæ passim voces, quàm proditor, inter aulicos perstrepebant; imo & Episcopi, omne se illius, tanquam Archiepiscopi sui, imperium deinceps detrectaturos; Neque periuro (quippe qui datam olim Regi per sacrosanctam iurisiurandi religionem, fidem perfidè violasset) obtemperaturos dicebant. Quin & ad *Romanum Pontificem ea de re, adque illius exauthorationem prouocabant. Nihilque eo die propius fuit, quam vt ab aulicis discerperetur. Discessit tamen tandem ad vicinum quoddam monasterium, maximè pauperum & ægrotorum multitudine stipatus, clamantium, Benedictus Deus, qui eripuit seruum suum à facie inimicorum suorum. Quibus epulum dari præcepit. Sub noctem illam duo magni nominis proceres eum adierunt, eúmque cum lachrymis bene consultéque sibi prospicere admonuerunt. Certò enim se scire, quosdam tam flagitijs, quàm nobilitate insignes, iureiurando inuicem deuinctos, in caput eius conspirasse. THOMAS itaque cum & præsentes insidias intelligeret, vereretúrque ne ecclesia (si causa eius liquidò adhuc non cognita, ipse interceptus esset) detrimentum aliquod pateretur, de fuga cogitare cœpit.

* al. Romanum ea de re adque illius exauthorationem Pontificem.

IVSSIT vero ea nocte lectum sibi in ecclesia sterni, vbi post orationes, post septem psalmos (pœnitentiales appellant) quos cecinit, post litanias, in quibus ad singula Sanctorum nomina genua supplex submittebat, quasi somni capessendi gratia lectum petens, paulo post summa nocte per posticum fugam iniit. Et duce quodam ex ordine *Sempringhamensi*, tertijs & maxime nocturnis itineribus in *Cantiam* peruenit; ex qua mare in scapha, bonam

bonam & idoneam tempestatem nactus, transmisit. Cum interim nuncij Regis, qui eadem etiam nocte mare ingressi erant, in eas partes, non sine maxima iactatione & periculo appulerint. Sed nec sic tamen THOMAS á periculo immunis erat. Comes enim *Flandriæ*, cui Rex THOMAE fugam per literas significauerat, omnia itinera anxiè obseruari præcepit, vt omnem abeundi facultatem sancto viro obstrueret. Sed Deus omnes conatus eorum dissipauit: peruenitque nauigio ad monasterium diui BERTINI. In qua nauigatione memorabile quiddam accidit. Admonuerat THOMAM quidam ex suis, vt aliquid pararetur, quod monachis vescendi gratia daretur. Cui cum THOMAS respondisset, eam se in Deum curam reijcere; En tibi ingens piscis, quem bremam appellant, magno cum impetu in ipsius THOMAE gremium ex aqua insiluit. Rex interim causam suam contra THOMAM promouere, illúmque, quod potuit, deprimere, & tam apud Regem *Franciæ Ludouicum*, quàm apud Pontificem *Romanum*, inuidiosum facere non cessauit. In literis, quas ad *Ludouicum* miserat, erat mentio THOMAE quasi quondam Archiepiscopi. Ibi Rex. Atenim, quis eum exauthorauit? Nactus sum, inquit, regnum vt & HENRICVS: Atqui ne abiectissimum quidem, ex omni clero meo, exauthorandi facultatem habeo. Pontificem vero apud *Senones* egentem, *Eboracensis* Archiepiscopus, & alij Episcopi, cum Comite *Arundelio* Regis nomine adierunt, multáque contra sanctum virum criminati sunt; eumque in ANGLIAM remitti cum legato, qui causam, omni appellatione remota, cognosceret, postulauere. Respondit Pontifex accersere se velle THOMAM ad se, eúmque prius audire præsentem, quàm quicquam ea de causa decerneret. Cúmque nullum aliud responsum à pontifice auferre potuissent; neque THOMAE aduentum voluissent illi expectare, magna celeritate in ANGLIAM reuersi sunt.

CONVENIT deinde *Ludouicum* Regem THOMAS apud *Suessiones*, qui magna in eum beneuolentiæ & reuerentiæ signa ostendit; magnáque verborum consolatione animum eius refecit atque recreauit, sumptuúmque solatia ei liberaliter, quamdiu exularet, è fisco promisit. Profectus est post hæc ad ALEXANDRVM Pontificem, & quid in tota hac causa egerit, exposuit: consuetudinésque ipsas, quæ hanc omnem camerinam mouebant, ex scripto recitauit. Quibus auditis, non fuit ex Cardinalibus, qui propter rei indignitatem, vel à lachrymis sibi temperare potuerat. Postridie THOMAS, licet inuitus Archiepiscopatum susceperit, veritus tamen, ne tam integris sincerísque rationibus eum adeptus non fuerat, atque iuris canonúmque præscripta postulant; huic muneri sponte renunciat, liberámque Papæ, cui velit, illud conferendi potestatem reliquit. Cum Cardinalibus ea de re deliberatione habita, variantur sententiæ. Fuerunt qui clamarent, THOMAM ipsum eo omnium dignissimum, virum tantæ pietatis, támque sinceri & immaculati animi, quique pro Dei ecclesia tantis se obiecisset periculis. Quorum orationem alij, licet non improbarent, quoniam tamen datam iam putabant opportunitatem, omnem hanc turbam sedandi, Regisque pacificandi, si alius sufficeretur: huic opportunitati, quæ vltrò offerebatur, non debere deesse Pontificem, sed occasionem tam commodè oblatam tenendam, neque vllo modo dimittendam existimabant. Sed obtinuit alia sententia. Restituit itaque in integrum Pontifex THOMAM; iussitque vt iam securo animo, pro Pontifice deinceps, fortitérque se gereret, se illi nunquam defuturum. Voluit vero, vt dum meliora se tempora offerrent, apud *Pontiniacum* in diœcesi *Altisiodorensi* degeret; eumque Abbati præsenti commendauit, vbi & monasticam postea vestem, ab eodem Pontifice transmissam, quámque ab eo per nuntios petierat, accepit. Gerebat & in ANGLIA monasticam vestem, imo *eremiticam cilicio, vitæque asperitate monachum, alia extrema *videlicet veste Clericum, & Archiepiscopum referebat. Consultius tamen tunc putauit, qui iam Episcopatum ab eo susceperat, illam etiam vestem à Pontifice susci pere. Admirabile vero est, quàm seuera *Pontiniaci* viuendi disciplina vsus sit; quantúmque ad veterem vitæ austeritatem adiecerit. Cum non cilicio tantum & furtiuis flagellis, atque plagis carnem maceraret, sed & delicatiori omni cibo, qui de more parabatur, semoto, quémque pauperibus tribui curabat, aridis & insipidis cibis, pulmentisque pro more *Cisterciensis* ordinis eo vsque vesceretur, & tam diu infrigidissimo amne, qui iuxta cœnobium fluebat, nudus non sine maxima corporis afflictatione stare soleret, donec grauissimum inde contraxisset morbum.

*al. eremitam.

*al. caterua.

QVIN & cum fratribus, rustici operis faciendi causa, in agros proficisci, & fœnum metere, colligeréque solebat. Noctis autem magnam partem precando transegit. Cúmque somnus, quem interdiu nunquam cepit, noctu opprimeret, cum capiebat, sed breuem,

non in lecto, sed humi, lapidéque capiti substrato. Somnúsque ille, cum non tam recreabat, quàm afflictabat, propter cilicij asperitatem, & vermium copiam inde scaturientem. Flagellis autem illis, non in exilio primum, sed ab eo primum tempore, quo Episcopatum suscepit, idque nonnunquam quinquies, nonnunquam quater, & cum minimum ter quotidie cæsus est. Rex vero HENRICVS, cum nihil se vel apud Regem *Ludouicum*, vel Pontificem profecisse videret, supra, quàm credi potest, incanduit; & tam immane facinus aggressus est, vt vix huiusmodi in aliquo vnquam Christiano principe auditum sit. Inuadit primùm omnia bona THOMAE & eorum, qui ei vel cognatione, vel familiaritate coniuncti erant. Eos deinde omnes, nulla habita sexus aut ætatis ratione, cum vxoribus & liberis, infantibusque adhuc ad vbere pendentibus proscribit. Imo, ad maiorem THOMAE dolorem, tristitiamque creandam, ex suorum tam miserabili aspectu, iusiurandum ab eis exegit, vt coram ipso THOMA se sistant. Cautum deinde est, ne vlla, in publicis ad Deum precibus, THOMAE mentio iniiciatur. Et quoniam, vt prouerbio dici solet, Regibus longæ sunt manus, effecit per minas, quas *Cisterciensis* societatis monachis tentauit, vt deserto *Pontiniaco* vbi biennium iam traduxerat, nouas sibi sedes quærere cogeretur. Quas apud *Senones* *Ludouico* Rege annuente, sumptúsque suppeditante, nactus est. Sed ante hanc profectionem, cum aliquando totum se lachrymis precibúsque dedisset, vocem cælitus intonantem audiuit. O THOMA, THOMA, ecclesia mea gloriabitur in sanguine tuo. Sed neque hic stetit grauissima Regis indignatio, sed longè adhuc perniciosius bacchatur. Nam cum vtiusset *Pontiniacam* illam discessionem, nulli fuisse aut THOMAE incommodo, aut conatibus suis vsui & commodo, in nefarium se schisma, quo tum ecclesia per PASCHALEM, ementitum & adulterinum Pontificem, contra ALEXANDRVM, verum & germanũ Pontificem iactabatur * contra ALEXANDRVM dimisit. Delatumque est, non modo prouectioribus, sed & duodecim annorum pueris iusiurandum, ne ALEXANDRVM deinceps pro ROMANO Pontifice agnoscerent: edictúmque, vt quicunque *Cantuariensis*, aut *Romani* Pontificis literas quascunque in ANGLIAM adferret, in carcerem truderetur: sin literas, quibus regno interdiceretur, in ANGLIAM inueheret, vt quasi regiæ maiestatis reus plecteretur. Nec vlla ad *Cantuariensem* præterea, nec ad ALEXANDRVM prouocatio interponeretur,

* *Al. abest* contra Alexandrum.

De eodem THOMA *eiusque indigna cæde.*

CAPVT XVII.

Matth. Par. an. 1166.

SVPEREST iam, vt pauca de pacificatione, quæ sæpiùs tentata, in irritum recidit, & quomodo ea tandem consequuta, & mox sanctus vir, nefando scelere interceptus sit; deque alijs quibusdam, inter THOMAM, Regem & Episcopos ANGLIAE hinc inde agitatis, dicamus. Venit itaque tandem THOMAS ad colloquium cum Rege apud *Montem mirabilem Gulielmi Papiensis*, & *Ioannis Neapolitani* Cardinalium opera. Sed nihil transactum est, vt nec postea per *Gulielmum* & *Otonem* Cardinales, quos ALEXANDER summus Pontifex à se, ad pacem constandam delegauit. Qui THOMAM tum ob alia, tum quod quasi fax & tuba esset belli inter ANGLIAE & *Franciæ* Reges, grauiter accusabant. Sed ea in re *Ludouicus* Rex, iuramento suo THOMAE innocentiam purgauit. Legati, cum de solita constantia THOMAM nullis persuasionibus deijcere potuissent, rogabant, vt si regias illas consuetudines chirographo suo confirmare nollet, saltem conniueret ad eas, & rem dissimularet; ne tam propinqua ineundæ pacis, & conciliandæ ecclesiæ spes prorsus abrumperetur. Respondit THOMAS, nulla se apud Apostolos & Apostolicos viros, cessionis aut dissimulationis huiusmodi exempla reperire; nec ecclesiam conniuendo, sed repugnando; nec cedendo, sed cæde ad hanc dignitatem & magnitudinem creuisse. Post longas tandem decertationes, *Ludouico* Rege acriter ad pacem conciliandam incumbente, THOMAS coram Rege HENRICO in genua se submittens, hanc omnem, inquit, dissidij causam, quod nos hactenus ita diuulsit, ad tuum arbitrium confero * Rex ad eam vocem indignatus, multis eum contumelijs, conuitijsque conscidit, multáque causatus est, cur eam adiectionem recideret, & simpliciter rem totam in suum arbitrium conferret. Quod cum THOMAS prorsus recusaret, *Ludouicus* quoque à se animum adeo alienauit, vt eo insalutato, Rex præter morem abscederet; iamque in aliam omnino regionem transmi-

Matth. Par. an. 1166. de quibus vide in vita Thomæ lib. 2. c. 20. & in epistola Thomæ non impressa ad Alexandrum, quæ incipit, misceriarum cumulus

* *Videtur hic aliquid deesse forte* (sic) *to honore Dei quod habetur lib. 2. vitæ Thom. c. 23.*

transmigrandum sibi, suisque THOMAS putaret. Cum ecce post dies paucos ad Regem accersitur, ad cuius mox ille, lachrymis totus perfusus, genua corruit; veniamque impudentiæ suæ accurate petijt, adijciens; Vere pater, tu solus vidisti: tu solus prouidens fuisti: nos omnes planè oceæcati fumus, qui ad gratiam hominis, volumus te honorem Dei abijcere. Atque ab eo semper tempore solito in eum propensior fuit, & tanquam cælestem quendam hominem impense venerabatur.

ADVENERE postea alij duo legati in *Normanniam*, *Vitianus* & *Gratianus*, cúmque concordia per eos pæne sarcita videretur; subito in nihilum illa recidit, réque infecta *Romam* rediere. Recepit THOMAM postea HENRICVS in gratiam, apud *Montem martyrum* in *Gallia*, ad *Ludouici*, & procerum *Galliæ* preces. Sed nec ea concordia tenuit. Inciditque paulo post aliud, quod nouam tragœdiam excitauit; quod contra THOMAE (ad quem & illius ecclesiam hoc munus pertinebat) voluntatem, summique Pontificis interdictum, *Eboracenses*, & alij Episcopi minorem HENRICVM regio diademate insignissent. Esset hic forsan locus de varijs literis, quas vel THOMAS ad Regem & Episcopos, vel Episcopi ad eum exilij huius tempore, quasque sua de causa ad *Romanum* Pontificem, multosque Cardinales, & matrem HENRICI Regis: quásue pro eo *Ludouicus* Rex, proceres, & Episcopi *Franciæ* ad Pontificem miserunt, aliquid dicendi locus. Sed nos iam relictis ceteris; ad glorioſum eius martyrium properabimus. Peruenit tandem Rex, consumptis & debilitatis omnibus suis contra THOMAM conatibus, in eum locum, vt nisi eum in pristinum gradum reponeret, possessiones illius omnes ecclesiastico interdicto subijcerentur. ALEXANDER enim, cum molliora & leuiora consilia nihil proficerent, maláque multifariam in ANGLIA in dies ingraueſcere videret, Regémque nolle vel latum vnguem abijs, quas auitas appellabat, consuetudinibus, quæ à totius ecclesiæ scitis diametro dissidebant; recedere: tenerioris personæ necessitatem sibi imponi iam ratus, certum Regi diem præscribit, intra quem THOMAM in gratiam recipiat, & ipsum sedi, & ipsi ablata omnia restituat. Datúmque est *Rotboredo Rothomagensi*, & *Bernardo Niuernensi* Episcopis negotium, vt Regem sedulò ad pacem hortarentur. Quod si cessatorem, & vt solebat, tergiuersatorem reperirent; ipsi, post diem constitutum, censuram ecclesiasticam in omnes Regis, tam cismarinas, quam transmarinas possessiones promulgarent. In has igitur HENRICVS angustias coniectus, pacem iniit. Pacificata igitur sunt tandem omnia, summa cum Regis & Archiepiscopi voluntate.

De quibus vide vitam Thomæ impress. & Matth. Par. an. 1169.

Extant partim impressæ, partim non impressæ.

ARCHIEPISCOPVS ANGLIAM ingressus, magno vbique cum honore, ingentique gratulatione exceptus, *Londinum* post paucos dies proficiscitur, vt columnum Regem inuiseret. Sed ille neque nuncios quos præmisit, neque ipsum postea Archiepiscopum admisit; sed præcepit, vt *Cantuariam* quam primum reuerteretur. Multi ex ciuibus *Londinensibus*, & ecclesiasticis viris, qui honoris causa ei in viam occurrerant, in ius per calumniam rapti sunt; quod hostem Regis tam honorificè excepissent. *Eboracenses* interim, & alij Episcopi in *Normanniam* ad Regem profecti, ira cum criminationibus suis in THOMAM irritarunt; vt impotenti iracundia inflammatus, voces quasdam furoris, & vindictæ plenas, præcipiti quadam facilitate promeret; quæ nefarios quosdam aulicos, qui eum ita bacchantem audierant, in necem sancti viri protruserunt. Qui eum primo conuicijs aggressi, maximè propter anathema illud Episcoporum, de quo diximus, paulo post in ecclesia, cum vespertinæ preces Deo offerrentur, eo die, qui diem sanctis innocentibus sacrum excepit, impiè trucidarunt. Quod genus mortis ipse sibi imminere, in sacra concione, quam *Cantuariæ*, in natali Christi paulo ante habuit, non obscurè significauit. Quin & cum esset *Pontiniaci*, Abbati eiusdem monasterij, & alias alij cuidam in ea regione, se fore aliquando in ecclesia trucidandum, cum stipulatione silentij quoad ipse viueret, palam denunciauit. Ad mortem autem, quam tanto antea præuiderat, erat animo prorsus paratissimo. Facillimas enim, si libuisset, expediendæ salutis, carnificésque extrudendi, si se illis opposuisset; rationes habuit. Quid? quod cum iam templum esset ingressus, monachique contra vim ostia obseraſſent, ipse currens ad ostium, illud hostibus suis sponte aperuerit; nihil quidem pro se eos deprecatus, sed pro suis, ad exemplum Christi, pro cuius ecclesia immolatus est.

CVIVS mors, quàm apud Deum fuerit glorioſa, innumera illa & maximè illustria signa, quæ Deus cùm in reliquo orbe, tum apud beatas eius potissimum reliquias edidit, tantum non, quasi voce cælitus emissa, apertissimè clamant. Clamant, inquam, paralytici, pristinis viribus,

De quibus miraculis tum Stephanus commemoratus & alij. tū Benedictus Petriburgensis Abbas peculiari opere conscripsit.

ribus; cæci, luce oculorum; surdi, auditu; muti, loquela; claudi, pedum firmitate; febri correpti, & alij plurimis ex causis ægri, sanitate; insani & blasphemi, mentis integritate & sobrietate; mortui denique, vita rursus reddita. Nescio enim an vllo vnquam in ANGLIA tempore, vel ad fidem certiora, vel ad magnitudinem magis ampla, vel ad splendorem magis illustria accidere: vt non sine causa [a] quidam illius temporis via doctus, illius familiaris, de eo adhuc exule ita scripserit. Plurimum mihi cedit ad solatium, quia pro iustitia Dei, & pro ecclesiæ libertate se murum opponit; * & quod ex ipsa hac persequutione finem sortietur gloriosum. Et deinde hæc de eo post obitum. Gloriosum est inquit, nos habere martyrem, qui Apostolum miraculis aut imitetur, aut vincat. Incidit vero beati martyrium in annum Domini millesimum centesimum septuagesimum primum, qui fuit iam septimus ab exilio, mense solum ab ingressu exacto, & in quartum Cal. Ianuarij feriamque tertiam. Quæ certæ in martyris huius actionibus (quæ in eam incurrunt) valde insignis est. In ea enim primum fugam ornauit, in ea post nauigationem in exteras regiones applicuit; in ea ab eis discessit; in ea ANGLIAM ingressus est; in ea denique, vt diximus, martyrio obijt. Sed mihi iam longe maior, grauiórque cogitatio, vel quod sic, id est, quòd in templo, & apud altare, in quo puro & immaculato sæpe animo, sacro sanctum Christi corpus obtulit; vel quod hoc potissimum tempore Christi hostia factus sit, oboritur. Quo post exortum & egregium illum Christi natalem, beati STEPHANI protomartyris, qui re & voluntate; quo beati IOANNIS, qui voluntate tenus & non re; quo *Beatorum* INNOCENTIVM, qui re non voluntate (quæ in tantillam ætatem non cadit) Christi martyres facti sunt; memoriam celebramus. Nobilis ista quidem est ad honorem, & ornamentum capitis nostri Christi, solemnitatis huius accessio. Sed videbatur alia adhuc, huic tam celebri, solemnitas alicuius nimirum, qui non ab hostibus Christi, sed ab ijs, qui nomen eius profitentur, neque tam pro Christi fide, quàm pro eius ecclesiæ cæsus esset, deesse. In quo genere cum innumeri, per omnem ecclesiæ memoriam, obierei; visum tamen est Deo THOMAM nostrum, præ ceteris omnibus, suo natali adijcere, hácque prærogatiua donare.

[a] Vel ipse olim familiaris a Petro Blesensi epistola 7 ep. 44 * al. assunt hæc verba Vide quod Matth. Par. an. 1169.

Vide eundem Matth. an. 1171

CARNIFICES vero prædicti, intra triennium omnes extra patriam perire. Quorum nomina, ad perpetuam ipsorum ignominiam nobilitata, ista fuisse traduntur. *Hugo Morvilla, Gulielmus Tracius, Richardus Brito, & Reginaldus Vrsus*, Et reliqui quidem tres, ad tanti delicti expiationem, pœnitentiæque gratia, Hierosolymam profecti sunt. *Gulielmus* autem, qui primus gladium in sacrum martyris caput vibrauit, in *Sicilia* substitit, ibique terribili quodam mortis genere, carne ipsa a neruis & ossibus frustatim, & horribiliter, miserabili quadam tabe diffluente, interijt. Rex audita cæde Pontificis, supra modum indoluit, veritus ne, propter veteres inimicitias, illius author haberetur. Per quadraginta dies à publico, causarumque omnium cognitione, rerúmque ciuilium cura; luctu, ciborúmque se tenuitate macerans, abstinuit. Ad cuius postea cædis suspicionem dimouendam publicè coram *Romani* pontificis legatis, se iureiurando purgauit, neque se vnquam mandasse, neque parentum obitum ita vnquam deplorasse, atque hanc indignam cædem, contestatus. Ingenuè tamen confessus est, præ iræ magnitudine, quædam sibi aliquando verba excidisse; per quæ facilius carnifices illi ad eam excitabantur. Cuius suæ inconsultæ facilitatis, pœnas se ex arbitrio legatorum, & pro ecclesiasticæ disciplinæ more, subire paratum affirmauit. Illi vero Regi cum alia quædam, tum & id præceperunt, vt peruersas illas consuetudines aboleret, quæ totius huius perturbationis seminarium erant. Quibus mandatis non Rex modo, sed & filius pariturum se promisit.

TRIENNIO post, HENRICVS filius, cum fratribus, patri adeo infestus fuit, tantúmque támque atrox bellum aduersus eum concitauit, vt ille res suas quodammodo deploratas haberet. Reges enim *Galliæ* atque *Scotiæ*, cum multis proceribus tam ANGLIAE quàm transmarinarum regionum, quæ *Anglico* imperio parebant, ad eum opprimendum coiere. Et, ô miram Dei prouidentiam iustitiamque! vt Rex, qui tam indigne patrem suum spiritualem infestauerat, ipse quoque à filio suo, eóque præsertim, quem insolenti exemplo, singularique in eum fiducia, ad regnum admouerat, tam seditiosè infestaretur. Rex in his tantis angustijs, è *Normannia* ANGLIAM petit. Quam ingressus, *Cantuariamque* omni celeritate petens (visione quadam didicerat, nullam, nisi reconciliato THOMA martyre, pacis spem superesse) quam primum metropolitanam ecclesiam, vbi martyris monumentum est, vidit, vestibus se exuit, nudis pedibus, & nudo etiam corpore (nisi quatenus vilis quædam illud tunica operiebat, ciuitatem ingreditur) atque ita per plateas sordidas, sepulchrum

ſepulchrum adijt, apud quod totum eum diem noctémque inſequentem, in ieiunio, precibus, & lachrymis vigil perſeuerauit, virga ab Epiſcopis quinquies, a ſingulis monachis (quorum numerus erat ſupra octoginta) ter cæſus eſt; ibique palam prauarum illarum conſuetudinum abolitionem, auerſionemque pollicitus eſt, cœnobióque annuas triginta librarum poſſeſſiones dedit. Mane verò, poſtquam miſſæ in memoriam Martyris, ante monumentum eius celebratæ interfuiſſet ſeque ſuaque omnia Deo & Martyri commendaſſet, ipſe ſolatijque, ex præſumpto Martyris patrocinio, plenus diſceſſit. Nec fefellit eum ſua ſpes. Paulo enim poſt, *Scotiæ* Regem hoſtem infeſtiſſimum, & cui inſtructiſſimum exercitum habebat, à ſuis numero pauciſſimis, ſine vulnere aut pugna, & ſine puluere & ſudore, quod dicitur, captum intellexit. Qui (quod rei admirationem, & magnitudinem beneficij Dei & Martyris auget) eódem die, imò eadem hora captus eſt, quo miſſæ commemoratæ Rex interfuit. Atque in hoc euentu veritas ſomnij, quod Martyr exul habuit, in apertum erupiſſe videtur. Somniauerat enim ſe, in excelſo quodam monte poſitum, vidiſſe Regem in loco valde infimo conſtitutum, in cúmque mox omnis generis volucres magno impetu inuoluiſſe, & tantùm non eum diſcerpſiſſe; & quendam ex aulicis, de quo Rex ſupra omnes mortales meritus eſſet, auibus iſtis auxilium ſuppetiáſque tuliſſe. Se verò mox, quaſi ad oculi ictum, ad opem Regis deuolaſſe, omneſque illas volucres repente abegiſſe. Hoc ſomnium, cum poſt iſtum euentum *Herebertus* de *Hostham*, qui martyrium exilio adhæſit, Regi fortè retuliſſet; Rex ſummam illi ſomnio veritatem, in nefaria filij ſui ſeditione conſtare, Regemque *Scotorum* die & hora commemoratis, quo tempore martyris præſidium ſupplicem, & accurate ſe poſtulaſſe aiebat, a ſuis captum profeſſus eſt; pauloque poſt ceteri omnes, tam ciſmarini, quam tranſmarini hoſtes, repentina quadam mutatione conſequuta, arma depoſuerunt, gratiamque Regis expetierunt. Cuius tanti beneficij magnitudinem, Rex ſecundum Deum, ad THOMAM martyrem retulit.

QVID? quod THOMAS adhuc exul, iunioris etiam HENRICI præmaturam mortem admirabiliter præuiderit & prædixerit. Cum enim aliquando in lecto, attentiùs de magnitudine & ſplendore HENRICI Regis cogitaſſet, & neſcio quæ cogitatio animum eius ſubiiſſet, quid Regi quidue filijs eius, præſertim, alumno ſuo euenturum eſſet, cognoſcendi: poſtquam diu fruſtra ſomnum captaſſet, mox obdormiuit: cœpitque poſtea hanc vocem auribus haurire. *Mors tulit vnum duos, tulit altera, ſed malè patrem.* Quem ille quidem verum, vt maximè cuperet, ne vigilans quidem condere potuit: quippe, qui huius artis omnino rudis & imperitus fuit. Poſtridie, quid audierat, retulit, palamque profeſſus eſt HENRICVM, turbato ordine naturæ, patrem ſuperſtitem relicturum. Quod poſtea euenit, tam in eo, quam GALFRIDO fratre, qui vno morbi genere, videlicet dyſenteria perierunt. Atque hæc nobis pro noſtro inſtituto ſuffecerint. Cetera qui volet, ex ipſis fontibus, & ex ipſis authoribus, qui hæc omnia copioſè proſequuti ſunt, & cum ex THOMAE ad ALEXANDRVM *Romanum*, aliosque Pontifices & Cardinales, tum multorum Epiſcoporum ad ALEXANDRVM, præſertim ex *Gallia*, ipſiuſque *Ludouici Franciæ* Regis, vxorisque ipſius ad eundem; eiuſdemque Pontificis ad THOMAM literis, plenis, quod dicitur, faucibus hauriri poterit. Nam quæ vel domi inter THOMAM & Epiſcopos, vel foris ab ipſis contra eum; quæque per literas vltrò citróque inter eos acta ſint, ſuo quæque poſtea loco commodiùs accommodabimus.

Extant hæ epiſtolæ quarum pauca adhuc impreſſa. prima ad Henr. Regem quæ incepit. Deficiet, vltima ad Wintonienſem Epiſcopum quæ incipit, Venerabili viro

De RICHARDO, & BALDVINO Cantuarienſibus *Archiepiſcopis.*

CAPVT XVIII.

POST eædem diui THOMAE, RICHARDVS Prior cœnobij *Douorienſis*, Archiepiſcopus deſignatus eſt. In quo ſufficiendo, multum negotij monachis, & ipſi RICHARDO exhibitum eſt, vt poſtea dicemus. Delatum erat id munus omnium ſuffragijs *Roberto* Abbati *Bercenſi*; ſed ille id prorſus refugiebat. Quod eius factum, alij ad puſillanimitatem & deiectiorem animi; alij ad alti, elati, dignitatúmque humanarum contemptoris rapiebant. Sic ſunt & tã varia humana iudicia. RICHARDVS, cum de more fidem Regi aſtringeret, adiecit hanc cautionem, integro & illæſo ſuo ordine, nulla de regni conſuetudinibus mentione aſperta. Quo tempore, cum frequentes eſſent *VVeſtmonaſterij* Epiſcopi, delatum

Matth. Pa. 1173 & Floril.

Polid. li. 11.

tum est ad eos *Romani* Pontificis decretum, quo THOMAM decessorem RICHARDVM in
Chron. Gallic. Diuos retulerat. Omniumque deinde voces, *Te Deum laudamus* concinebant, ipsique eius
acres olim aduersarij, eum studiosè, vt sanctum Martyrem interpellabant. RICHARDVS
Matth. Paris 174 vero, cum eius se electioni nouitius Rex HENRICVS interponeret, & ad ROMANVM,
vt eam infringeret, Pontificem prouocaret, ROMAM tendit; vbi post multas altercationes,
ALEXANDER Pontifex electionem eius ratam habuit. Reuersus, *Wintoniensem*, *Elyensem*
Herfordensem & *Cicestrensem* Episcopos consecrat. Interiecto huius itineris tempore, funestum
Gervas. 1174. illud & nefarium, inter HENRICVM & filios eius, bellum excitatum est; quo confecto, Rex
in *Normanniam* Regem *Scotiæ*, Comites *Leicestriæ*, & de *Ferreis* secum abduxit. Regi *Cadomum*
appellenti, *Richardus* in *Angliam* transmissus occurrit, eumque eo die omnino splendidè
excepit. Indixit deinde apud Diuum PETRVM *Westmonasterij*, tam Archiepiscopatus, quam
Legationis suæ authoritate synodum. Ad cuius dextram *Londinensis*, ad sinistram assedit *Win-*
Idem 1175 Vide capitula apud Chron Gal. 1175, Nubr. li 3. ca. 1. Matth Pa. 1175. *tonensis*. Quæ sedes, prærogatiua quadam, illis Episcopis propriæ & perpetuæ sunt, ceteri pro
temporis & initiationis suæ prærogatiua tam Episcopi, quam Abbates, suum quique locum
occupant. Habuit ad Episcopos & reliquos facundâ RICHARDVS orationem. Deinde duo-
deuiginti ex antiquis canonibus decepta capitula (quorum obseruantiam ecclesiæ vtilibus, ma-
ximè opportunam putauit) de scripto recitari iussit. Quæ omnes, summo se consensu obser-
uaturos promisere. Quæ decreta Rex, & Primates etiam suis suffragijs rata habuere.

Gervas. 1175. ALEXANDER ad ea tempora *Hugonem* Legatum in ANGLIAM mittit. Qui mense Oc-
tobri in ANGLIAM appulit. In quem Rex amplissima munera, & omnia officia prolixè con-
tulit. Credebatur accersitus ad rescindendum matrimonium cum ALEONORA, quam Rex
in carcerem iam antea coniecerat, graui apud ipsum suspicione laborantem, quod illa potis-
simum, suis deploratis consilijs, filios in ipsum tam nefarie commisisset. Et ille sane valde in plu-
rimis, idque in antiquis priuilegijs ecclesiæ violandis, Regiæ cupiditati tam indulgenter & ab-
iectè inseruijt: vt Regi permitteret, etiá si sacris initiati ceruos, aut damas intra saltus Regios
Gervas. 1176. & Chron. Gall occidissent, in suo tribunali causam cognoscere, illosque mulctare. Qua fenestra patefacta,
Rex licentius, ad rescindenda reliqua omnia illa priuilegia se effudit; pro quibus Diuus
THOMAS, tam longum, tam constanter exilium sustinuit, & caput gladio obiecerat, quás-
que ipse ex suo iuramento damnarat & reiecerat. Mox enim accitis ad se proceribus *Northamp-*
tonam, consuetudines illas omnes *Clarendonenses*, de quibus antea diximus, obseruari seuero
edicto præcepit. Celebrauit deinde synodum *Hugo Londini*, quam interturbauit & euertit
ROGERII *Eboracensis* intemperans, vt postea dicemus, ambitio. RICHARDVS vero
** al.* Sabari-thum. pro vnico, quo hactenus diœcesis *Cantuariensis* vtebatur, Archidiacono, tres sufficit: * *Sa-*
bericum, *Nicolaum*, & *Herebertum*. Et eodem anno in *Siciliam*, cum quibusdam alijs illustri-
Chron Galli. & Gervas. ibid. bus viris amandatus est, vt filiam Regis IOANNAM, ad sponsum GVLIELMVM AN-
Idem an. 1177 GLIAE Rgem deduceret; statásque interim RICHARDVS vices GILBERTO *Londinensi*
Vide chartam Henr. apud eos. dem. commisit, qui *Landauensem*, eo absente, Episcopum *Cantuariæ* consecrauit. Proximo de-
inde HENRICVS anno, ne *Cantuariensis* ecclesiæ priuilegia penitus infregisse videre-
tur, inuitens sepulchrum Diui THOMAE rescriptum suum ibidem obtulit, quo omnes
illas possessiones, immunitates & libertates, vt appellant, confirmauit: quibus tempore
aui & proaui, vtebantur & fruebantur, & alias quaidam de suo adiecit. Vix abierat *Hugo*,
cum alius legatus *Vimacus* aduenit, quicum pacta quædam & conuenta HENRICVS iniit,
promisitque quòd nullus ex Clericis in foro profano interpellaretur, nisi ob venationem in
siluis Regijs, aut nisi ob profanum beneficium, quod feudum appellant: nolle se, nisi vrgen-
tiex causa, supra annum vllas Cleri possessiones vidualis retinere. decreuit vt clericorum in-
terfectores iustis pœnis plecteretur. Ne Clerici sui purgandi causa armis decertare coge-
rentur.

Vide Nico Trium. an 1176 & Petrum Blesens. ep. 70 ID autem, quod de sacerdotum cæde vindicanda cautum erat, inde manauit, quod per-
nicioſa quædam, quæque ab omnis equi & boni, deque maiorum curriculo longe * deflex-
** al.* deduxe-rat. erat, consuetudo, nescio quo modo irrepsisset, vt qui sacerdotem occidisset, impunè abire so-
Gervas. an. 1177 & Chron. Gal. leret. De qua re grauiter conquestus est RICHARDVS, omnémque operam dedit ad eam
consuetudinem euertendam. RICHARDVS vero reuersus, diploma secum retulit à Re-
ge, Episcopis, Proceribusque subsignatum, quo amplissima quædam dos IOANNAE attri-
buebatur, litteràsque postea ab ALEXANDRO *Romano* Pontifice accepit pacificationis inter
** al.* nouem de-cim. ipsum & FREDERICVM *Augustũ*, & de schismate, quod * octodecim annis fœdè grassabatur,
extincto. Cumulauit hoc bonum concordia, isdem temporibus inter ANGLVM & *Francum*,

legato

legato Pontificis egregiâ ad dissidia sedanda operam adhibente, inita. Nam & bello omnia arsura videbantur, & legatus interdictum ANGLIAE minabatur, cum ob alia, tum quod HENRICVS filij RICHARDI sponsam, *Galli* filiam, illi non tradidisset, sed ab inuito retinuisset. Archiepiscopi itaque (quæ vtinam fuisset constans & solida) inter eos amicitia & pax, bellique contra *Saracenos*, societas contiata est. Inuisit deinde LVDOVICVS Rex *Francorum* mausoleum Diui THOMAE *Cantuariæ*, magnificentissimè à Rege HENRICO, qui ei apud *Douerum* occurrerat, exceptus. Ad tumulum martyris pernoctauit. Poculum aureum illic obtulit, & centum annuatim vini dolia, monachis liberaliter diplomate suo largitus est. Eodem anno ALEXANDER Pontifex *Romæ* synodum habuit, in qua viginti sex canones de rebus ecclesiasticis editi sunt. Ad quem, & ad VRBANVM, extant quædam hodie RICHARDI epistolæ. Ad VRBANVM quidem, quibus gratias agit pro pallio: ad ALEXANDRVM vero, qui ipsum reprehenderat, quod *Wintoniensem*, *Elyensem*, *Norvvicensem*, Episcopos, pastoritia cura deserta, Regiæ Curiæ totos adhærescere, & inseruire, pateretur: quibus partim eos excusat, partim ostendit falsam contra eos querelam, ad ipsius aures delatam.

Matth. Par. 1197

Anno 1199. Germaf. & Chron. Gal Matth. Par.

Vide eos apud Geru & Matth. Par.

Petr Blesensis epistola 92. 10. Nic Trinet. 1199.

RICHARDVS deinde post secundum administrationis suæ annum, fato functus est. Cui paulo ante obitum, noctu persona quædam se obtulit: Tu, inquit, bona ecclesiæ tibi credita dissipasti & profudisti, & ego te de terra eradicabo, eandémque comminationem repetijt. Crastino à *Vrethamiæ* villa versus *Rossam* profectus, quibusdam, qui intimi apud ipsum erant, dum iter faceret, visionem aperuit. Et vix sermonem absoluerat, cum imminentium frigus occupauit, ægréque ad *Halingam* villam peruenit, vbi doloris & ægritudinis magnitudine oppressus obijt. Solemni deinde pompa funus *Cantuariam* delatum est. Remisse certe, & dissolutæ administrationis a quibusdam notatus est. Magnum tamen tui paup ribus, quibus liberaliter perpetua eleemosyna prospexit, ad quem vsum appropriauit, v. appellant, ecclesias, *Monak-nsem*, *Estrien sem*, *Memphamensem* & *Eyneshamensem*: & Monachis *Cantuarien sibus*, quibus dona quædam, quæ annuatim Archiepiscopis, ex cœnobij redditibus, dare solebant, remisit, desiderium reliquit. Altercationes & disceptationes habuit cum Abbate *Augustinensi*, vt & successores eius cum eodem, & monachis ecclesiæ Christi, de quibus suo postea loco dicemus. Capessit post RICHARDVM *Cantuariensis* ecclesiæ administrationem, BALDVINVS *Deuonius*, natus enim est humili *Exoniæ* loco; quem cum parentes, propter facultatum suarum exilitatem, liberaliter ad bonas capessendas literas educare non valerent: BARTHOLOMAEVS *Exoniensis* parentum desiderio, & pueri inopiæ abundè prospexit, præceptoribúsque dedit literis imbuendum. In quibus ille, cum felici vigeret ingenio, egregiè profecit; qualitque postea in virum, tam in alijs disciplinis, quam in Theologia insigniter doctum; doctrinæque magnitudinem rerum gerendarum prudentia, & singulari eloquentia cumulauit, quæ illi in sacris concionibus magno fuit adiumento & ornamento, cuique postea, in qua natus est, vrbis Archidiaconatu ornatus est. Sed ad monasticam magis illevitam propendebat. Quare illo se magistratu abdicans, in cœnobio se *Forderensi* abdidit: cui postea, & *Wigornensis* deinde Episcopatui præfectus est. Cum adhuc sederet *Wigorniæ*, Miles quidam *Gilbertus Plumptonius* suspendio ibidem, propter raptum admissum, adiudicatus est. Qui cum dominico die supplicio esset addicendus, populúsque valde illius, quasi innocentis necem deploraret; progressus, BALDVINVS, cum iam collo funem carnifex innecteret, ministris regijs (quos alioqui anathemate se confligere velle minatus est) mandauit vt supplicium in illius diei honorem ad proximum reijcerent. Cui & illi paruerunt. Quæ delatio reo salutaris fuit. Rex enim ei interim veniam criminis indulsit.

Dicetum Chron. Gall.

Reg. Hou 1180. Germaf. & chro. Gall. 1185.

ELECTIONI eius in *Cantuariensem* Archiepiscopum, magnæ difficultates iniectæ sunt, quas postea explicabimus. Missique sunt tam à Rege quam monachis Legati, ad LVCIVM *Romanum* Pontificem ad pallium impetrandum. Quo, atque etiam legatione per totam suam prouinciam ornatus est. Quo ingressus, per cœnobij *Cantuariensis* præfectum, solenni cæremonia, in Archiepiscopatus sui sede collocatus est. Aduenerat circa ea tempora patriarcha, vt diximus, *Hierosolymitanus*, HENRICO pro in terræ sanctæ subsidium, quam iam *Saladinus* fere exciderat, & *Hierosolymitanæ*, atque reliquis vrbibus, quæ adhuc erant in potestate Christianorum, omnia dira minabatur, exploraturus. Multique iam Proceres & Episcopi tam ANGLIAE, quam *Normanniæ*, *Aquitaniæ*, & *Andegauiæ*, ex summa Regis voluntate sacræ militiæ nomen dabant, eiusque insignia cruce in gerebant. Inter Episcopos fuere BALDVINVS, &

Reg Hound. 1188

HVGO *Dunelmensis*; Astrologi vero *Toletani*, & quidam etiam ex ANGLIA, mirificis terroribus omnium animos, ex insignibus, variisque calamitatibus, quas ad annum millesimum centesimum octuagesimum quintum, & maxime ad Septembrem anni sequentis, imminere *Europæ* denunciabant, concussere. Adeo quidem, vt BALDVINVS triduanum per suam prouinciam ieiunium indixerit. Sed non solum rerum his annis, quibus nihil insigniter præter vsitatum earum cursum accidit, euentus; sed & antea *Pharamella*, à nostra religione alienus, datis ad *Ioannem Toletanum* Episcopum literis, predictionis huius vanitatem, rationibus ex media Astronomia petitis refutauit. Iter vero BALDVINVS ante annum millesimum centesimum nonagesimum non est ingressus. Reges interim ANGLIAE & *Franciæ*, eiusdem profectionis sacram tesseram & insignia, palam in *Normannia* suscepere. Acciuitque postea HENRICVS frequentem procerum omnium ordinum conuentum *Gaurronum* non procul à *Northamptono*. Quos BALDVINVS graui & facunda oratione, vel ad illud iter suscipiendum, vel ad pecuniæ opem liberaliter tribuendæ, mirificè sua concione animauit. Cui satis impigre ad hanc prouinciam currenti, calcar tamen magis addidit, accepta *Conradi* filij Marchionis *Montisferratensis* ad eum missa epistola: in qua sacræ terræ calamitates apud eum deplorauit.

Reg. Houed. dicto ann. 1184. 1185.
Chron. Germaf. ann. 1185.
Matth. Par. 1188
Reg. Houed. Germaf. 1188.
Matth. Par. 1188

MORTVO deinde HENRICO Rege, BALDVINVS RICHARDO diadema imposuit, & GAVFREDVM mox Regis fratrem, quem *Eboracensem* Archiepiscopum Rex designarat, vetuit, ne in *Cantuariensis* ecclesiæ præiudicium, ab alio quouis quàm à se, vel in sacerdotem, vel in Archiepiscopum initiaretur. Infestum vero sibi reddidit IOANNEM Regis fratrem, cui Rex, præter alias amplissimas possessiones, *Gloecestrensem* Comitatum (vt ei vna cum nuptijs filiæ *Roberti* Comitis defuncti accederet) donauit. Intercessit nuptijs BALDVINVS, clamitans tertio consanguinatis gradu coniunctam, non licere sibi vxorem asciscere. Sed cum IOANNES à nuptijs nollet se cohibere, interdicto ecclesiastico terras illius omnes obnoxias reddidit. Sed cum IOANNES apud Pontificium legatum quereretur, perperam id à BALDVINO, post prouocationem suam ad *Romanam* sedem, attentatum, legatus id omne mox rescidit. Synodum deinde BALDVINVS *Westmonasterij* coëgit, fratrum suorum & coëpiscoporum precibus suam profectionem commendans, & anathema illis denuncians, qui ipso absente, ecclesiæ *Cantuariensi* iniuriam, aut damnum irrogarent. Et interposita appellatione, se & ecclesiam suam aduersus omnes huiusmodi iniurias, se absente orituras, muniens, *Cantuariamque* profectus, ad sacrosanctum altare baculum & peram sumit, paulóque post traiecit: *Tyrumque* eo tempore, cum HVBERTO *Sarisburiensi* appulit, quo *Ptolomaidem* nostri diu acerrimè, sed frustra, magnóque exercitus nostri internecione, obsederant. Iunxitque se cum suis exercitui, qui magna, per aduentum aliorum vndique procerum, accessione auctus erat. In quo strenuam prius operam posuerat *Radulphus* Archidiaconus *Colecestriæ*. Et christianis inter alios magno vsui fuit, *Gulielmus* quidam Sacerdos ANGLVS, qui Sacellum quoddam cum cœmiterio, in honorem diui THOMAE *Cantuariensis*, suis sumptibus struxerat. Ad quod cum multi postea confluerent, societas quædam conflata est piorum, quibus *Gulielmus* præfuit, qui Christianorum corporibus humandis, quos aut gladius hostilis, aut mors alia de causa humanitus perculit, se totos deuouebant.

Matth. Par. 1189
Reg. Houeden.
Matth Pa. 1189
Matth. Par 1190
Rich. Cano. li. 1.
Matth. Par. 1190

DVM nostri magnis animis & viribus obsidionem vrgent, *Saladinus* à tergo nostros ingenti exercitu premit, nec tamen vnquam palam congredi ausus. Nostri vero omni ingenio eum ad pugnam elicere conati sunt. Cumque iam aciem instructam in eum conuertissent, in qua HVBERTVS fuit *Sarisburiensis*, BALDVINO cum *Theobaldo Blesensium* Comite ad castra defendenda (cum insigni suo vexillo, cui diuus THOMAS *Cantuariensis* martyr inscriptus erat) relicto: qui & ægroti Patriarchæ vices obibat, & solenni sacraque benedictione, egredienti exercitui omnia fausta precatus est: Ecce & *Saladinus* repente ad montana fugit, & eodem simul tempore erumpentes ex vrbe *Saracenos* BALDVINVS magna cæde repressit. Quingentos ille suis stipendijs milites aluisse traditur. Sed ante vertentem animum animam edidit, cum exercitum *Sagittarius* pene fames conficeret. Quicquid habuit pecuniæ, id totum ad vsus sacræ militiæ distribui per HVBERTVM *Sarisburiensem* voluit. Cuius ille voluntati suprema pertanxit satisfecit. Post obitum BALDVINI, dum eadem obsidio traheretur, multi alij ex ANGLIS fato functi sunt. Inter quos fuit *Radulphus* ille Archidiaconus, & *Robertus* Comes *Leicestriæ*. Non fuit vero BALDVINVS aridus, ieiunus, & sterilis omnino educatori suo debitor. Et licet nemo paria facere potest,

Rich. Cano. li. 1.
Matth. Par. 1190 pag. 200
Rich. Can. li. 1.
Matth. Par. 1191 pag. 87. & Reg. Houed.

vtille

vt illequidem ait, cum parentibus, quin semper in ære illorum futurus sit; nec fere cum tali præsertim, qualis *Bartholomæus* fuit, educatore: magnum tamen illi, vt cetera omittam, fructum, velut perbonus ager cultori suo reposuisse videtur, cum doctissimis libris à se conscriptis, illique dicatis, æternitati nomen illius consecrauit. Inter alias vero illius lucubrationes, sunt illæ, *De corpore & sanguine Domini*; *De sacramentis ecclesiæ*; *De orthodoxis dogmatibus*; *De sectis hæreticorum*. Quanquam nec *Bartholomæus* ἀντίμβολος fuit, cum & ille libros, quos exarauerat, pretiosissimo commercio illi rursus inscriberet.

De HVBERTO *Archiepiscopo* Cantuariensi, *déque miraculis patratis per* Eustachium *Abbatem, tam in* Cantia, *quàm alibi per* ANGLIAM.

CAPVT XIX.

HVBERTVS WALTERVS *Sarisburiensis* Episcopus dignitatem illius capessit; quam si supremis tabulis transfundere in aliquem, BALDVINO licuisset, in eum sane virum, præ ceteris, transfudisset. Quicum, vt diximus, in sacram militiam profectus est. Cuius & strenua in bello aduersus Saracenos, opera, & erga egenos & pauperes milites, in summis annonæ angustijs, in *Ptolomaidis* illa obsidione positos, pietas & liberalitas prædicatur. Præclara enim ille (vt & quidam alij Episcopi) concione ditiores, ad munificentiam in egenos, famémque alioqui perituros commilites, excitauit. Cúmque multis verbis, eam virtutem ornaret, nimium parcos & aridos acriter coarguit, vt parum eos aut nihil à Saracenis, qui Christianos gladio interficiebant, distare contenderit; Cum isti gladio, ipsi fame eos conficerent. Qui enim cum potest, iniuriam non coercet, inferre videtur. Ingens itaque pecunia ad pauperum vsus, vt frumentum, quod carissimè vendebatur, sibi coëmerent, conflata est. Quibus post paucos dies, Deus ipse, nauis vnius frumento oneratæ appulsu, tam prolixè prospexit, & tanta repentè vilitas annonæ consequuta est; vt ea frumenti mensura, quæ prius centum aureis, iam quatuor distraheretur. Neque enim annonam tam duram, ipsa rei frumentariæ inopia & caritas, sed auarorum & sordidorum mercatorum intemperans cupiditas, qui pretium immoderatè exaggerabant, fecerat. Inducijs pactis inter RICHARDVM & *Saladinum*, inuisit, vt diximus, HVBERTVS cum multis alijs *Anglis* (dato eis à *Saladino* suorum præsidio, vt securè iter illud obirent) Dominicum sepulchrum. Cuius videndi, & sermones cum eo miscendi percupidus fuit *Saladinus*, colloquióque eius potitus, & humanissimè eum excepit, nec sine amplis muneribus dimisit; solicitéque in eo colloquio *Saladinus* ab eo, multa de RICHARDO, quidue de se & *Saracenis* Christiani dicerent, quærit. Multa ille in laudem RICHARDI, ob militarem præsertim eius constantiam, & regiam, atque munificentissimam eius liberalitatem cumulauit. Adiunxitque solam Christianam fidem *Saladino*, ad cumulatissimam absolutissimi principis laudem deesse. *Saladinus* RICHARDVM singularem militiæ ducem profitebatur: sed tamen nimis præcipitem & audacem, pro dignitatis suæ ratione. Discessurum *Saladinus* postulare iubet, si quid esset, in quo ei gratificari posset. Ille vero nihil sibi, sed Deo & ecclesiæ Dei postulans, rogauit, vt præter *Syros*, qui huic monasterio iam attributi erant, facultas daretur duobus latinis presbyteris, & totidem diaconis, ad dominicum sepulchrum diuina sacra ecclesiæ latinę more obire. Rogauit vt par numerus ecclesiæ *Bethleemiticæ*, pat *Nazarethanæ* tribueretur, vtque hi, pari cum *Syris* emolumento, peregrinorum eleemosynis vterentur & fruerentur.

Rich. Cano. li. 3.

Rich cano. li. 3.

REDITVRVS è *Syria*, cum RICHARDVM captum audiret, commutata itineris ratione, recta ad eum in *Germaniam* proficiscitur, & in ANGLIAM tandem rediens, omnes neruos intendit, ad conficiendam pecuniam, qua RICHARDVS redimeretur. BALDVINVS, antequam RICHARDVS *Messana* discesserat, apud *Tyrum* obijt. De cuius obitu RICHARDVS, missis à *Messana* literis, *Priorem* & reliquam societatem, vtque appellamus, Capitulum *Cantuariense* certiores fecit, & accuratè apud eos egit, vt ea dignitate GVLIELMVM, *Montis regalis* Archiepiscopum, amplificarent. Cui post

exiguum tempus præmaturè mortuo, Rege diligenter causam eius solicitante, HVBERTVM substituunt. Cuius prudentiam, industriam, & fidem, non modo apud *Prolomaida*, sed & postquam ab *Austrio* detentus erat, magno suo bono expertus est. Nam & rediens à RICHARDO, diuertit in *Gallias* ad IOANNEM Regis fratrem, qui se cum *Philippo Franco* Regis hoste consociarat; factisque inducijs pacatiorem, & tranquilliorem eum reddidit. Et in ANGLIA eos, qui arcem *Windesorien sem* occupauerant, ad deditionem compulit; réliquæ breui omnes, quæ erant ibidem valde turbulentæ, tranquillauit. Rediere iam nuncij, qui *Romam* amandati erant, venitque simul pontificis CELESTINI legatus, qui pallium HVBERTO detulit. Oborta vero est interim quæstio, licerétne electo *Cantuariensi*, priusquam à Pontifice confirmaretur, crucis ante se, de more Episcoporum, deferendæ priuilegio vti? Variantibus iurisperitorum sententijs, accitus author noster, qui Sacrarij *Cantuariensis* curam gerebat, & cuius munus erat crucem Archiepiscopo tradere, & sententiam rogatus respondit; Satis se scire, & scripto proditum, & consuetudine id à maioribus per manus traditum, non licere ei, qui ab alio Episcopatu ad hoc munus assumeretur, nisi pallio recepto, hac prærogatiua vti, translationes enim Episcoporum canonibus, nisi suffragante *Romano* Pontifice, vetitas: alios vero consecratos semel, ab hac non excludi. *Archiepiscopatum* enim & *Primatum* adeo sibi implicitos cohærere, vt diuelli nequeant. In cuius deinde sententiam ab omnibus situm est. Cum itaque HVBERTVS iam iter à *Londino Cantuariam* versus, esset ingressus, occurrit ei *Gervasius* monachus cum cruce, apud vicum *Leuesham ium*, quam HVBERTVS conspicatus, propere ex equo desiliens, prostratus eam adorauit: surgentique, sed genibus adhuc nitenti, *Gervasius* dixit. A summo omnium principe ac Domino Christo Deo, eodémque homine, legatus mandatum affero; vt ecclesiam illius, quam tam chare suo sanguine expiauit, regendam, pascendam, & tuendam suscipias; atque eam quam intimè diligas, & omni officio, laboréque foueas atque defendas. Et en tibi sacrosanctum eius vexillum, singularis huius tuæ potestatis insigne, quod te summi illius in gregem suum, qui tibi iam vicario ipsius traditur, amoris, vt eundem strenuè æmuleris, admoneat. Acceptam deinde ab eo crucem, vni ex clericis deferendam tradidit. Cum *Cantuariam* veniisset, sacris vestibus indutus, nudisque pedibus à CELESTINI Legato pallium accepit, quo honestatus, & in sede aliquantisper locatus, sacrum mox Pontificium peregit.

Gervas. 1192.

Gervas. in chron. an. 1193.

Reg. Houed. 1193.

NONDVM custodia exemptus erat RICHARDVS, & *Ioannes* eius frater, totus conspirans cum *Gallo* in perniciem fratris, transmiserat *Adamum* quendam in ANGLIAM, cum literis ad amicos, qui res in ANGLIA nouis motibus perturbarent. Literas has HVBERTVS, quem summæ rei, iustitiæque (quod aiunt) supremæ Rex præfecerat, intercepit. Accitisque Episcopis & proceribus *Westmonasterium*, nefaria IOANNIS molimina aperuit: quem, & reliquos, qui ad eius scelerata consilia se aggregauerant, diro Anathemate palam deuouit, nisi maturè nefarijs incœptis repudium mitterent. Missoque exercitu, arces quasdam IOANNIS expugnauit. RICHARDVS iam è custodia dimissus, *Sanduichum* applicuit, & *Cantuariam* veniens, ingressusque ecclesiam Christi (neque enim aliam ingredi primùm voluit, nisi eam per quam regni Diadema acceperat) Christo amplissimas, pro liberatione, reditúque in patriam, gratias egit. *Londinum* deinde petenti, prope *Rossam* occurrit HVBERTVS; & equo desilientes, & in genua dimissi, lachrymis abunde ex oculis vtrique profluentibus, alter in alterius amplexum ruit. Et quoniam, nescio quæ sinistra, & incommoda opinio in multorum animis hærebat, quasi ex illa captione & custodia, seruitutis quodammodo quædam illum, & regiam eius maiestatem tabes aspersisset: suggestum illi est, vt solemni ritu rursus, quasi iam primùm ad regium decus capessendum vocaretur, Diadema sibi imponi pateretur. Quam tandem, licet ægrè, postulationem admisit. *Wintoniæ* itaque ab HVBERTO corona redimitus est. Sequenti anno, qui incidit in annum redemptionis nostræ centesimum nonagesimum quintum supra millesimum, HVBERTVS, qui suprema in causis profanis authoritate, post Regem in ANGLIA amplificatus erat; simili etiam in sacris, secundum Papam adeo auctus est: vt diserté in diplomate caueretur, ne prærogatiua *Eboracensi* ecclesiæ data prius à *Romanis* pontificibus, qua ab huiusmodi legatis recipiendis exonerabatur, quicquam ei prodesset. Recepit etiam HVBERTVS eodem anno à CELESTINO literas, cum suffraganeis Episcopis, quibus significauit, vt animaret ANGLOS ad sanctam militiam, eisque ostenderet, quantus & quibus beneficijs, & priuilegijs à Pontifice afficerentur, qui eam capessirent.

Gervas. 1194.

Matth. Par. & Gervas. 1199.

Reg. Houed & Matth Par. 1193 Vide literas Celestini vtrasque apud Reg. Hou. Gervas. in chron. Nuberg l. 1. c. 10.

HAC

HAC igitur tanta poteſtate amplificatus, *Eboracum* contendit, & frequentiſſimam ibi Synodum habuit. Quem *Eboracenſes* ſummis honoribus, non vt *Cantuarienſem* primatem, quem, vt dicebant, agnoſcere non tenebantur; ſed vt Pontificium legatum accepere. HVBERTVM * mirificè, & in contrarias pænè occupationes, & vnius, credo, hominis vires ſuperantes, vt ne dicam, malè in vno cohærentes, diſtractum atque diuultum; altero die profanarum atque criminalium, altero ſacrarum diſputationum arbitrum videres. Quare cum id poſtea INNOCENTIVS intellexiſſet, acri admonitione cum RICHARDO per literas egit, vt primo quoque tempore eum, & alios viros eccleſiaſticos, ab huiuſmodi rerum profanarum adminiſtratione remoueret; & cum illis, vt ne ſe in huiuſmodi rerum profanarum diſceptationes deinceps, a conditione ſua abhorrentes, ingereret. Qui & eum mox remouit. In illa vero HVBERTVS *Eboracenſi* ſynodo, varios, reique eccleſiaſticæ moderandæ, atque corrigendæ, vtiles canones, qui adhuc extant, edidit. Ad hæc vſque tempora purgatio illa, de qua alibi diximus, per aquam & ignem perduxit. Contigitque *Cantuariæ*, his ipſis temporibus, hoc ipſo anno, in quibus nunc verſamur, vt *Eliguto* cuidam & *Gulielmo Herto*, quædam crimina intentarentur, è quibus ille in aqua periit, ille ſine noxa aut detrimento exijt. Eo anno, qui mortem RICHARDI præceſſit, miſſus eſt HVBERTVS in *Gallias*, vt pacificationis inter Reges occaſionem aliquam inueniret. Mortuo vero RICHARDO, IOANNES frater eius, ARTHVRO genuino, & germano hærede deturbato, ANGLIAE regnum occupat. Ad quod HVBERTI diligentia, ſtudium, & dignitas gratiaque, qua apud populum & principes plurimum flagrabat; maxime cum promouit. Quo ille facto, & tum apud bonos recti iuſtitiæque ſtudioſos viros, & apud omnem poſtea poſteritatem, famam nomenque ſuum turpi macula contaminauit. Neque illius vnquam rei maior eum pœnitentia cepit. Sed ſic erat * tum homo, totus IOANNI deuotus & deditus. A quo miſſus a NORMANNIA, in qua occupanda IOANNES totus erat, in ANGLIAM; omnem (quod dicitur) lapidem mouit, vt populi procerúmque voluntates IOANNI adiungeret & conciliaret. Acciuitque *Northamptonam* DAVIDEM fratrem GVILIELMI Regis *Scotiæ*, multoſque ANGLIAE proceres, quorum in IOANNEM fidem dubiam & ſuſpectam habebat. Quos omnes ille in partes IOANNIS ſuis perſuaſionibus pertraxit.

ADIOANNEM itaque amplificandum prorſus incubuit, adque id conficiendum, authoritate ſua & eloquentia, quibus plurimùm pollebat, abuſus; ornatiſſimis laudibus IOANNEM quam ampliſſimè, vt virum propter regias omnes dotes regno accommodatiſſimum, in frequentiſſimo Epiſcoporum, procerúmque *Londini* cœtu extulit: Multáque de illo prolixè, quorum ipſe nihil vnquam poſtea præſtitit, pollicitus. Et quoniam non ignorabat, omnes ſatis nouiſſe Regni ſucceſſionem ſanguinis, & naturæ proximitate, & ex fictis, vſu, & exemplo reipub. prioris, ad alium legitimè deuolutam; illius infirmam, rébuſque gerendis ineptam ætatem, & præſentem reipublicæ ſtatum, virum eumque fortem, prudentem, & patriæ ſtudioſum, qualem cum primis IOANNEM eſſe dicebat, flagitare cauſabatur. Quid? quod non tam aliquem ad regnum fortuitò natum, quàm qui ei adminiſtrando eſſet aptiſſimus, maturo & propenſo populi, procerúmque iudicio ſeligendum diceret. Ad quod *Saulis*, & *Dauidis* Regum exempla inflexit, & deprauauit. Quod ſi quam vim, neceſſitatem, aut religionem regius ſanguis in Rege conſtituendo poſſidere debeat IOANNEM virum eſſe, ex omnibus viris, in quem & regius ſanguis, & regiæ omnes, & honoratiſſimo Principe dignæ dotes, cumulatiſſimè conſluerent. Ita denique pererauit, vt pro præclara IOANNIS adminiſtratione, ſe fidémque ſuam quaſi obſidem aſtringeret. Hæc *Huberti* oratio, apertum omnibus, partim vero vultu & animo, partim * tacto, ad IOANNEM regno amplificandum, conſenſum expreſſit. Qui mox eodem die ab HVBERTO *Londini* inungitur. Solus PHILIPPVS *Dunelmenſis*, non ille quidem quod iniuſtum ſimulum aucſaretur; ſed in gratiam GVLIELMI *Eboracenſis*, quaſi eo abſente, propter dignitatis & primatus ſui amplitudinem, Regis inunctio perági non deberet, ſed fruſtra reſtitit.

FVIT poſtea qui HVBERTVM conuenit, & magna ſe admiratione percitum diceret, quòd IOANNEM electione magis, quam ſucceſſione in Regem optandum ſtatuerat. Cui ille reſpondit, partim præſagitione mentis, partim quibuſdam prædictionibus morum exiſtimaſſe, fore, vt regnum ſibi IOANNES aliquando arriperet; ac peſſimè in eo ſe adminiſtrando daret. Quare vt quaſi frenum aliquod reprimendæ eius cupiditati injiceretur, anti-

quius

Gerua. Dorobern. 1193.

Reg. Houe. 1196

Pol. d. l. 11. Matth. Pa. 1199

Reg. Houe. 1199

Matth. Pa. 1199

* al. abeo cum

* al. ſilio?

quius sibi visum, vt magis ex electionis, propter quam populo, & principibus magis obæratus & obnoxius foret, quam ex successionis titulo regiam dignitatem adipisceretur. Rex,
Reg. Hon. 1199. ne in referenda HVBERTO gratia sterilis prorsus videretur, *Cancellariam* cum totius regni constituit. Nec defuit quidam, quem *Hugonem* Author meus appellat, qui in os ei diceret, videret ne dignitatem suam magis inde deijceret, & contaminaret, quam amplificaret. Nouimus, inquit, qui ex *Cancellarijs* Archiepiscopi facti sunt: At qui ex Archiepiscopo *Cancellarius* factus sit, neminem nouimus. Habuit *Westmonasterij* frequentem (frustra se, ad eam impediendam, *Gaufredo* summo iustitiæ præside interponente) synodum. Vbi multa, rebus ecclesiasticis accommoda, sancita sunt, aut potius ex *Lateranensi*, & aliis conciliis repetita. Quæ si quis forte aucat, habet vnde petat. Celebribus temporibus tum in *Cantia*, tum in diœcesi *Eboracensi* miracula, & alibi per *Eustachium* Abbatem de *Flay*, edita sunt. Quę ego non commemorarem, nisi à celeberrimis nostris, qui tum vixerant, historicis memoriæ prodita essent: & ad diuina præcepta à mortalibus obseruanda, quæ miserrime hodie passim, proh dolor! contempta iacent, valde inseruirent.

Matth. Par. 1197. *Rog. Houeden.* 1200. 1201. FVIT *Fulco* quidam, vir pius, & illustris in *Gallia* concionator, edendisque signis percelebris. Qui cum alios alibi, tum *Eustachium* in ANGLIAM amandant, vt cum alia scelera quædam, quæ aut tum primùm, aut licentius solito grassabantur, sacris suis exhortationibus reprimeret: vt enim cetera taceam, tam immanis homines cupiditas abripuit, vt pauperes & tenuiores à creditoribus, propter immoderatas vsuras, prorsus degluberentur. Sacer dominicus, & alij Seruatori, Diuisque dicati dies, Nundinis, mercaturis, alijsque alienis prorsus occupationibus, fœde passim commacularentur, & profanarentur. In quibus alijsque vitijs extirpandis, valde fructuosa fuit pij hominis sancta diligentia: cum in auditorum animis, non solum vera, solida, & sancta eius oratio; sed & res illius præclarè, & supra communem hominum sortem gestæ, exemplaque diuinitùs in admonitionum illius præuaricatores seuere edita, aculeos alte defixos relinquerent. Vidisses homines sacris diebus rebus diuinis actiùs solito, nundinis & commercijs, ad alia profanaque tempora reiectis, affixos. Vidisses discum in multorum diuitum mensa positum, in quem cibi ad pauperum vsum conijciebantur. Vidisses cistam in ecclesijs positam, in quam ad tenuiorum subsidium, portio aliqua de pretio rerum venditarum subtracta mittebatur. Vidisses lumen noctu diéque ante sacram Eucharistiam accensum. Vidisses plurimos, ad sacram professionem expeditos: Vidisses plurimos, quod turpiter per vsuras extorserant, debitoribus reposuisse. Longum iam esset, miracula per eum patrata commemorare: vt fontem illum *Wiensem* in *Cantia*, in qua primum villa sacros sermones exortus est, benedictione & precibus ipsius, ad omnia genera morborum, dæmonésque depellendos efficacem. Vt Petram illam *Rumesuelię* villæ, vbi nulla erat salubris aqua, ex qua baculo percussa, vt Moyses ille olim, non modo aquam potu salubrem, sed & ad morbos curandos salutarem elicuit.

IAM quam acris & seuera fuit in eos, qui pij viri, immo Dei ipsius per eum mandata præuaricarentur, animaduersio; testatur mulier illa *Northfolchiensis* Sabbati præuaricatrix: cuius sinistræ mamillæ quiddam instar porcelli, ita inhęsit, vt nulla ratione auelli potuerit, miserèque corpus, sanguinem illius omnem exorbendo, consecerit. Testatur ille apud *Napheiromum*, qui cum panem incideret, vidit sanguine manantem. Testatur *Rucheiseldense* molendinum, in quo cum post horam Sabbati nonam frumentum moleretur; farina conuersa est in sanguinem, & repente molendini rota ita constitit, vt nullo aquæ, quantumuis violenti impetu, moueri potuerit. Testatur *Lincolniensis* mulier, quæ cum farinam post Sabbati inchoationem subegisset, & in ardentem fornacem coniecisset, eductos panes, reperit omnino crudos & incoctos: longe deteriore euentu, quàm alia illius diœceseos mulier, quæ farinam iam in panes conflandam, quia dominicarum feriarum hora aduenerat, admonente marito reposuit in lunæ diem. Et tum, magna sua consternatione, nihil aliud reperit, quam panes iam bellè coctos. Ceteris, ne nimius sim, supersedeo. At enim neque pij viri concliones, neque tam stupenda prodigia, neque ipsa Christiana multos religio mouere poterant, quin ad veteres nundinas, & commercia vetitis diebus redirent. Cum præterim regiarum animaduersationum metus, quibus plectebantur, qui nundinas illas disturbassent, & ne obseruarentur, se opposuissent, illos a pio proposito deterruissent. Et hæc hactenus de *Eustachio*. Ad quæ tempora INNOCENTIVS *Anglię* Episcopis scripsit, vt omni diligentia & cohortatione, homines ad sacram expeditionem excitarent; eos præsertim, qui iam (crucis prius
Reg. Hon. 1201. deuouerant, nec voto satisfecissent. Quibus nec *Romanæ* vllam sedis gratiam, qua votum

relaxatum

relaxatum asserebant, quasi per obreptionem & circumuentionem sedis illius impetratam, quicquam refragari voluit. Venerúntque etiam á magistro *Hierosolymitani* hospitij ad Priorem eiusdem in ANGLIA literæ, quibus opem anxiè implorabat, & quibus eum de *Syriæ* statu certiorem fecit. Biennio, antequam obiret, HVBERTVS ex graui ægritudine decubuit. *Matth. Paris.* 1205.
Quam tamen ad tempus depulit. Incidit vero postea in lethalem morbum, qui non tam ex corporis, quàm animi ægritudine, cum videret *Normanniam*, aliasque Regis transmarinas ditiones à *Gallo* occupatas; suámque inconsultam, & præcipitem in efferendo, & ornando IOANNE facilitatem, penitus ad mentem reuocaret, profectus credebatur. Neque magnum sui apud Regem desiderium, sed potius gaudij materiam reliquisse credebatur, quod eum in GALLVM nimis propensum suspicaretur.

De cœnobio Seruatoris Cantuariæ, *& quibusdam contentionibus monachorum cum Episcopis, deque doctis viris eiusdem cœnobij.*

CAPVT XX.

MONACHI ecclesiæ Christi *Cantuariensis*, cum omnia prædæ & rapinis, in luctuosis illis STEPHANI Regis temporibus, exponerentur, vt tutiores & securiores essent à rapinis; possessiones suas omnes in tutelam & curam THEOBALDI Archiepiscopi transtulere. Sed cum postea, se parcè, durè ac sordidè habitos, & pauperes solitis eleëmosynis fraudatos quererentur; atque ideò sua sibi reddi, sed frustra, postulassent: variæ lites, contentiones, atque altercationes inter eos ortæ sunt. Sed restituit ille omnia tandē cœnobio. Mortuo THEOBALDO, & successore eius THOMA, primùm ad septem annos solum vertente, deinde per nefarios carnifices, dum vespertina monachi sacra obirent, cæso, templúmque Domini, & sacrosancta eius pæne altaria martyris sanguine imbuente, in magno fuit luctu & squalore *Cantuariensis* ecclesia. Sed illud omnium videbatur luctuosissimum, quod propter templum, tam indigna cæde sacrilegè pollutum & contaminatum, sacrosanctū missæ sacrificium, omnésque diuinæ laudes, toto pæne anno, adque sacrum diem THOMÆ Apostoli, Christi natalem prę-euntem, in ipsa matrice ANGLIÆ ecclesia, in summo silentio iacuerunt. Sed quas homo suppressit, Deus ipse interim magnificè & admirabiliter, quasi voce sua cœlitus ab alto demissa, quæ totum postea orbem peruasit, extulit; cum tanta ibi quotidie miracula ederentur, vt eorū celebritas & magnitudo, quandam Apostolicorum temporum speciem referre videretur, omnibúsque tam intuentibus, quàm longe positis admirationem, & mirificas Dei martyrisque laudes exprimeret. Sed tandem per EXONIENSEM & CESTRENSEM Episcopos, quibus hanc facultatem Pontificij legati THEODINVS & *Albertus* ex *Normannia* transmisere: Christi templum ab hoc omni piaculo, solenni, de more ecclesiæ, ritu expiatum est. Post cædem *Thomæ*, optatus est in Archiepiscopum ROGERIVS Abbas *Beccensis*, quo eum magistratum recusante, RICHARDVS *Douerię* Prior suffectus est. Cuius optioni iunior Rex HENRICVS se opposuit, eámque apud summū pontificem rescindere conatus est. Quam tamen Pontifex confirmauit. Quo *Cantuariæ* sedente, conflagrauit Ciuitas *Cantuariæ*; cúmque iam pluribus ædibus consumptis, incendiū ad Christi ecclesiam serperet; consternati monachi, cum res humanam opem superare videretur, ad diuinū, & diui AVDOENI patrocinium se contulere. Sanctas itaque eius reliquias igni, magna opis fiducia opponūt. Quę nec fuit inanis. Flamma enim, diuina quadam virtute repulsa, se reflexit ac resilijt, nec vltrà progressa est. *Gerual.* 1180.

POST obitum RICHARDI, grauior & turbulentior tempestas monachos *Cantuarienses* exagitauit, in nouo Archiepiscopo sufficiendo. Qui suis suffragijs RICHARDVM Abbatē *de bello* surrogant. Cuius designationem Rex, missis literis & legatis *Romam*, rescindere sedulò conatur. Princeps legationis fuit GALERANNVS *Roffensis* Episcopus, qui dum se ad iter instrueret, prēmatura morte interceptus est. Quo mortuo, cum vacantis *Roffensis* Episcopatus possessiones, quidam apud Regem interim residere debere contenderent; obtinuit alia sententia apud Regios præfectos, decernentes, idem esse illud cum *Cantuariensi* Archiepiscopatu patrimonium. Quare nec debere custodiam earum diuidi, sed apud eos remanere, quibus Archiepiscopalium possessionum vacantium custodia commissa erat. Rex totus in BALDVINVM Wigornien*sem* Episcopum propendebat. Qui & monachorum tandem, in eius optionem, consensum extorsit. Qua ratione singula acta sint, si quis scire desideret, ad authorem nostrum eum reijcio. Cum BALDVINVS in *Syria*, vt diximus, obijsset, RI- *Gerual.* 1184. *In chro. Gerual.*

CHARDVS Rex per literas solicitè egit, vt monachi *regalis montis* Archiepiscopum sufficerent. At illi propterea, quòd exterus & ignotus esset, desiderio eius satisfacere detrectantes, *Bathoniensem* Episcopum in Archiepiscopum sibi asciscunt; & eo non ita multò post de mortuo, HVBERTVM *Sarisberiensem* Episcopum. Non autem hæ tantummodo electionum, sed & grauiores exædificationum quarundã procellæ exortæ sunt; quæ miras non solùm monachis, sed Episcopis atque Regibus, atque ipsis summis *Romanis* Pontificibus molestias diu exhibuere.

IMPETRAVERAT BALDVINVS à *Romano* Pontifice, vt illius authoritate templum sibi, cum collegio, in quo canonicos, quos vocant Regulares, poneret, fabricare liceret. Quæ quidem ecclesia, omnium perturbationũ maximũ fuit seminarium. Et callidè quidem BALDVINVS apud pontificem propositum suum tegebat, simulans se ad ecclesiæ *Cantuariensis* ornamentum, & amplificationem; diuo THOMAE *Cantuariensi* martyri, templum istud structurum. Sed aliud ille, vt & monachi interpretabantur, & satis alioqui patescebat, in sinuoso pectoris recessu cogitabat. Apud *Hakingtoniam* enim, quæ à *Cantuaria* VIX tribus stadijs discernitur, fabricam illam ex Regis & Episcoporum summa voluntate moliebatur. Vbi, vt dicebatur, & Rex ipse, & suffragantes omnes Episcopi præbendis, sed suo quisque sumptu, ornarentur. Ibi Episcoporum sacras initiationes & consecrationes, sacri chrismatis consecrationem, & synodos expediturus, omnémque tandem aliam * metropolitanæ ecclesiæ dignitatem, monachis à rerum omniũ veteri deliberatione, & actione seclusis, deriuaturus credebatur. Ad hanc igitur ædificationem, pontificia, regiáque authoritate, & magno suffragantium omnium consensu instinctus, totus incubuit. Longum esset recensere, quantũ negotij hæc ædificatio BALDVINO & monachis pepererit. Cuius rei exactiorem narrationem, ab alijs petendam relinquo. Res verò huc tandẽ euasit, vt post obitum BALDVINI, CELESTINVS pontifex omnia ista BALDVINI molimina (vt prius VRBANVS atque CLEMENS) infirmarit atque infregerit. Sed cum videret, se non posse propositum suum apud *Hakingtoniam* perficere; locum, non ædificandi animum mutauit. Comparato itaque prædio quodam ab Episcopo, & monachis *Rossensibus* in villa, quæ *Lambee* dicitur, ad occidentẽ *Londini*; ibi nouam ecclesiam, & collegium struere molitus est. Iussitque Canonicos suos *Hathingtonienses* ædes suas demoliri, materiámque transferre *Lambeiam*. Sed illa ædificatio cœpta tantum est; nam abiuo illius in *Syriam*, quò paulo post profectus est, impedimento fuit, quo minus eam absolueret. HVBERTVS autem eius successor, diu animo hærebat, an *Baldiniacam* structuram absolueret. Sed tamen tandẽ, cum Rex & Episcopi toti ab eo starent; monachis frustra reclamantibus & appellantibus, absoluit. Miræ interim, grauésque monachis molestiæ exhibitæ sunt. Sed non meliore successu absoluit, quàm olim BALDVINVS *Hakingtoniensem* structurã. Causa enim perpensè atque exquisitè, per INNOCENTIVM summum Pontificem cognita; omnis illa structura *Lambeiana*, illius authoritate euersa est, Canonicíque inde emigrabant. Fuere verò illustres quidam in hac diœcesi hoc sæculo monachi. E quibus fuit *Arnulphus* huius cœnobij præfectus, de quo postea dicemus, cum ad ecclesiam *Rossensem* ventũ fuerit. *Edmerus* vero fuit in fano *Seruatoris Cantuariæ* adolescens monachus, eo anno quo ANSELMVS *Beccensis* Abbas creatus est. Quo etiam ad inuisendas possessiones *Beccensis* ecclesiæ in ANGLIA positas, & antiquum etiam amicum LANFRANCVM inuisendum; ANSELMVS, vt diximus, in ANGLIAM venit. In ANSELMI itaque, cum *Cantuariæ* esset, notitiam primum incidit. Quo ANSELMVS, cum ad Archiepiscopatum posteà peruenisset, familiariter vsus est; cui posteà tam sub RVFO, quàm HENRICO Rege, cum solũ verteret, indiuulsus & gratissimus comes fuit, aut potius totius vitæ eius, iubente VRBANO *secundo*, moderator & gubernator. Talem enim pro summa animi sui demissione sibi ANSELMVS ab VRBANO, vt dictum est, studiosè expetijt. Ascitus fuit *Eadmerus* à *Cantuaria* in Abbatem *Petroburgensem*, & deinde in D. ANDREAE, apud *Scotos*, Episcopum. Vitam ANSELMI duobus libris, & gesta inter eum & RVFVM Regem, alijs duobus peculiaribus libris seorsum complexus est. Quæ historia, quantum veritate nitatur, vel ex eo facile constare potest, quòd religiosè se cautè scribit, ne quid, cui vel leuis dubitatio subesset, inconsultè illi insereret. Vitam etiam WILFRIDI Episcopi, & alia quædam contexuit. Defunctus est circiter annum Christi millesimũ centesimum vicesimum primum. Cuius æqualis fuit, magnáque non solum temporis & nominis, sed vitæ, ciuisdémque loci, pietatis etiam, & doctrinæ affinitate, coniunctus *Elmerus*, Prior, vt appellamus, prædicti apud *Cantuariam Saluatoris* cœnobij. Qui homelijs & alijs scribendis inclaruit, & *Cantuariæ* ad annum millesimum centesimum trigesimum, postquam eo magistratu decem & octo annis functus esset, fato etiam functus est, HENRICO regnante. Fuit & ALE-

* al metropolitæ.

Gernas. in chro.

Gernas. 1191.

De quibus vide præfatum Gernas. chronicon.

Ie. Leland.

XANDER

XANDER huius cœnobij monachus, diligens ANSELMI auditor, atque adeò imitator, qui insignia eius dicta literis commendauit. Honestarunt præterea hoc cœnobium *Odo*, *Alanus*, & *Gervasius*, & *Gulielmus Stephanides*. *Odo* fuit, tum ob doctrinam, tum ob pietatem, celebris; scripsit commentarios in *Pentateuchum*, in libros *Regum*, in *Psalterium*, & alia pleráque. Præfectus est * huic tandem monasterio; & postea designatus est *Belicensis* Abbas: tam excellenti pietate, vt post obitum inter Diuos sit relatus. Præfecturam cœnobij gessit, quo tempore cruenta illa tragœdia de nece diui THOMAE contigit. Fuit verò *Alanus Beneuentanæ* priùs ecclesiæ canonicus, sed ANGLVS, familiaris diuo THOMAE, cum cœnobij esset æduuus. *Herleuino* Priori, præsenio se abdicanti, suffectus, & *Teuchesburiensis* postea monasterij Abbas. Scripsit acta *Clarendonensia*, & contexuit vitam, atque exilium diui THOMAE. Extant hodiè quædam eius conciones, & epistolæ, tam ad *Philippum* Regem *Galliæ*; quàm summum Pontificem, & ad varios amicos. Quas ego aliquando legi. Deplorat verò sæpè in epistolis *Balduinus* ille, quibus, vt diximus, iactatus est violenter, procellas. Quam, & sequentium temporum perturbationem, promittit se in quadam epistola literis commendaturum ad posteritatis memoriam. Quid verò ea in re præstiterit, ignoro. BALDVINVS verò, cum eum suis valdè conatibus aduersantem videret, nec constantiam eius frangi posse speraret, curauit sub specie honoris amouendum, & *Teuchesburiensi* cœnobio præficiendum.

* al. eandem huic. *Gervas.* 1175.

VERSATVS est *Gervasius* potissimùm in re historica, eáque maximè attingit, quæ ad Archiepiscopos *Cantuarienses*, adque cœnobia *Seruatoris*, & diui AVGVSTINI pertinent. Ex quo nos ea mutuati sumus, quæ de controuersia illa inter BALDVINVM & HVBERTVM, atque monachos in medium attulimus. Chronicon scripsit, quod in duo volumina distraxit, quorum alterum, quod orditur à STEPHANO, terminatur in RICHARDO. Alterò, res IOANNIS seorsim complectitur. Diui THOMAE res gestas, licet alij ante eum diffusè scripsissent, & ipse tamen longè vberiùs, quàm pro chronici ratione, & aliqua, quæ alibi fortè non occurrunt, magna fide præscribit. Huc cum, tantarum rerum tanta claritas & magnitudo, & priuata etiam aliqua erga martyrem ratio, quòd ab eo & in monachum, & ad fratrum ministerium cooptatus fuerat, prouexit. *Gulielmus* verò, & vitam, & miracula diui THOMAE martyris post obitum patrata, non tam aurita, quàm oculata in plerísque fide; vtpote, qui exilij particeps & socius erat, copiosè contexuit. His apponi potest *Sampson* & *Richardus Pluto*. Ille egregius fuit apud populum ecclesiastes, & conciones suas scriptis etiam complexus est. Iste cum alia, tum in canones Apostolorum quædam commentatus est. Ecclesiasticam etiam ANGLORVM historiam conscripsit. Quæ hodiè extet, necne, non satis scio. Magno mihi, ni fallor, fuisset adiumento, si in eam forte incidissem.

De controuersijs inter Cantuarienses *Archiepiscopos, & cœnobij diui* AVGVSTINI *Abbates, déque* Cantuarensibus *hoc sæculo Archidiaconis.*

CAPVT XXI.

INTERVENERVNT aliquot etiam contentiones *Cantuarienſium* Archiepiscoporum, cum diui AVGVSTINI *Cantuariæ* Abbatibus. *Augustinenses* monachi, vt liberarentur ab interdicto, quod THEOBALDVS tulerat, die pendente (certus enim dies præscriptus erat, à quo locus esset interdicto) duos ex suis *Romam* miserunt. Quos remisit Pontifex, mandans, vt dicto THEOBALDO prorsus parentes essent. Cúmque post lapsum interim diem, monachi *Augustinenses*, nihilo magis sacris abstinuissent; anathemate eos THEOBALDVS, & quotquot diuina ibi Sacramenta sumpsissent, confixit. Nouas deinde *Romam* querelas deportant duo alij monachi, quos acerbè Pontifex reprehensos, & diu à colloquio submotos, abire iussit, & socijs renunciare, vt per omnia Archiepiscopo obsequantur, qui pœna eos culpæ consentanea affecit: vt qui, ceteris silentibus & abstinentibus, per præuaricationem ad sacra se celebranda ingesserant; ceteris omnibus sacris & rei diuinæ operantibus, ipsi silere, & abstenti esse a quarto Idus Martij ad Kal. Augusti cogerentur. Cum verò *Siluester* deinde in Abbatè cœnobij esset optatus, incidit inter eum, & alios quosdam eiusdem posteà cœnobij Abbates, atque THEOBALDVM & alios Archiepiscopos contentio, quòd illi omnem obedientiam & obseruantiam (quam sibi ab illis Archiepiscopi debere asserebant) excutere conarentur. Qua de re si quis plura scire aueat, habet vnde petat.

Gervas. chronic.

Gervas. in chron. *Feuershamense* huius diœceseos cœnobium, à Rege STEPHANO hæc sæculo ædificatum est; vbi cum filio EVSTACHIO & vxore humatus est. Cuius primus Abbas aut præses fuit *Clarebaldus*. Missus erat hic *Clarebaldus* à Rege HENRICO, ad ALEXANDRVM summum Pontificem contra diuum THOMAM. A quo ALEXANDRVM circumuentum, THOMAS apud ipsum ALEXANDRVM conqueritur. Quem monachum fugitiuum appellat, & anathemate merito suo confossum, cœnobijque sui expilatorem & direptorem.

Epistola quæ incipit anima mea inter epistolas non impr.

FVERE autem *Cantuariensis* ecclesiæ hoc sæculo Archidiaconi, *Ioannes* [a] *Hiemensis*, *Ascelinus*, *Walterus*, *Rogerius*, *Thomas*, *Galfridus*, [b] *Ridellus*, *Petrus Blesensis*, & *Herebertus*. E quibus IOANNES & WALTERVS *Rossenses*; HEREBERTVS *Sarisberiensi* Episcopatu: THOMAS *Cantuariensi*, ROGERIVS *Eboracensi* Archiepiscopatu ornati sunt. Successor autem THOMAE RICHARDVS, cum vnus tantùm hactenus fuisset, tres instituit Archidiaconos, *Sauaricum*, *Nicolaum*, & *Herebertum* commemoratum. Coaluere tamen postea in vnum. At *Petri Blesensis* amplæ dotes non patiuntur, vt nuda & simplici eum cum nomenclatura dimittam: Fuit enim vir omni doctrinæ genere, pro illis temporibus exculti ssimus. Non ANGLVS ille quidem, sed homo *Gallus*, qui tamen ex altera cognationis parte ab ANGLIS oriundus creditur. Quem, propter eruditionem & prudentiam, plurimi fecit HENRICVS *secundus*, eiusque opera vsus est sæpe in legationibus apud exteros obeundis. Et BALDVINI ille causam *Romæ*, à Rege & BALDVINO missus, contra monachos strenuè tutatus est. Qua in re amariùs eum *Gervasius* exagitat, quasi architectum & principem omnium illarum turbarum. Videtur fuisse vir ingenui & liberioris animi, in vitijs non solùm amicorum & mediocrium, sed & principum virorum reprehendendis. Nec sibi temperat, quo minus non modò amicum quendam, qui *Carthusianorum*, cui se dederat, disciplinam reliquerat; *Richardum Saresburiensem* Archidiaconum, & *Rossensem Episcopum*, venationum & aucupij plus iusto studiosos; sed & * RICHARDVM *Bathoniensem*, & *Cantuariensem* Episcopos, officij sui admoneat. Atque apud ipsum Regem queritur de iniurijs, quibus populum Vicecomites, & ij quibus regiarum siluarum custodia credita erat, afficerent. Regem de nece diui THOMAE accuratè purgat, ostenditque quantum præsidij in omnibus suis angustijs, in demortui precibus & patrocinio poneret. Videtur fuisse ab epistolis RICHARDO *Cantuariensi*, & inter præcipuos amicos IOANNEM *Carnotensem* coluisse. Ad quem, variæ eius epistolæ visuntur. Quarum lectionem tanti fecit HENRICVS Rex, vt admonuerit eum omnes suas epistolas colligere, quas * magno legendi desiderio teneri se dicebat. Fuit *Bathoniensis Archidiaconus*, & deinde *Londinensis*, postremo *Cantuariensis*. Sacerdotio ornatum tradunt. At quantum ego hactenus legi, reperio quod se Diaconum appellet, non sacerdotem. Inter alia multa, quæ lucubrauit, scripsit vitam VILFRIDI Archiepiscopi, & Confessoris GYTHLACI, & peruenit ad tempora RICHARDI Regis.

a De quo Gervas. in chronic. an. 1136. & de Anselmo 1147.
b De quo in vita Thomæ Cant. Flor. & Matth. Par. an. 1176.
In chron. an. 1126
Epistola 4. 26. 57. 58. 69. 82. 91.
& al. Richardos.
* al. modo.

De *Episcopis* Roffensibus.

CAPVT XXI.

Gul. Malmes. RADVLPHVM, ARNVLPHVS siue ERNVLPHVS sequutus est, homo *Gallus*, & *Beluacensis*, in cœnobio diui *Luciani*, non paruo tempore monachus. Sed cum quædam à disciplina monastica abhorrentia, quæ vt emendare non potuit, ita nec pati se debuisse credebat, in cœnobio agi vidisset: consilij capiendi causa, LANFRANCVM adiens, ab eo retentus est. Et ab eo *Cantuariensis* cœnobij postea Prior, deinde & *Petroburgensis* Abbas, demum à RADVLPHO *Roffensis* Episcopus designatus est. Egregiam ille & præclaram operam in ecclesiam *Cantuariensem* reparandam & restaurandam, vt & in *Petroburgensem* posuit. Administrauit Episcopatum supra nouem annos, vixit ad annos octoginta quatuor. Fuit circa hæc tempora concionator quidam, *Beluacensis* monachus eiusdem nominis, *Romæ* clam cæsus, propterea, vt credebatur, quòd liberiùs in vitia Pontificum & cleri inueheretur, eáque acerbiùs insectaretur. Quam cædem quidam ex nostratibus, ad ARNVLPHVM nostrum transferunt. Cuius ego rei nullum adhuc, vel in *Guielmo Malmesburiensi*, vel alijs ætatis eius, aut ex aliorum probatis postea scriptis, solidum firmamentum reperio. Defunctus ad annũ Christi incarnati centesimũ vigesimum quartum supra millesimũ. In cuius locum sequenti anno IOANNES *Cantuariensis* Archidiaconus sufficitur.

Vterque Matth. 1124. Sim. Dun. 1125.
Vterque Matth. 1148. Gervas. 1147.

citur. IOANNEM excepit ANSELMVS; & eum, post sex annos, WALTERVS *Cantuarien-sis* Archidiaconus, frater Archiepiscopi THEOBALDI. Electus est autem ex Archiepiscopi voluntate & consensu, à monachis *Rossensibus* in capitulo cœnobij *Christi Cantuarien-sis*, ex veteri more. Ex cuius etiam obseruantia, delatus est eò defuncti Episcopi *Rossensis* baculus pastoriceus; & ibi ad noui Episcopi consecrationem repositus. Ad quam, aliasque consuetudines & prærogatiuas *Cantuarien-sis* cœnobij, in ecclesia *Rossensi* conseruandas, WALTERVS sacramento obligatus est. Inter quas & illa est, vt defuncto, vel absente Archiepiscopo, si accersatur, veniat Episcopus *Rossensis Cantuariam*, chrisma conficiat, aliáque munera Episcopalia obeat. *Flori. & Matth. Par. 1140. Gerv. an. 1147.*

HVIC successit post viginti quinque annos VALERANNVS Archidiaconus *Baiocensis*. Sed cum WALTERO defuncto, RICHARDVS Archiepiscopus, vt moris erat, possessiones, quæ Episcopi erant, sibi suisque attribueret, & *Randulphus* Regis præfectus intercederet: pronunciatum est, re ad Regem relata, vacantes possessiones *Rossensis* Episcopi, non ad regios, sed ad vsus *Cantuarien-sis* Archiepiscopi cedere debere: eique integrum esse, alium cum ipsi videretur sufficere, deberéque eum, qui recens electus est, pro profanis & laicis possessionibus non Regi, sed Archiepiscopo clientelæ, obsequijque fidem præstare, antequam consecretur. RICHARDVS itaque VALERANNVM suffecit. In quo designando, duplicem errorem interuenisse, *Cantuarien-ses* monachi querebantur; alterum, quod non de more, electio eius *Cantuariæ*, sed *Rossæ*; alterum, quòd contra ecclesiæ morem, consecratio eius à RICHARDO in *Normannia* expedita esset. Sed hæc postea vtcunque emendata sunt, cum cogeretur VALERANNVS *Cantuariæ* baculum pastoriceum à RICHARDO suscipere, ibique ei suam obseruantiam præstare. Quo tamen defuncto, dum se ad profectionem parat (Rex enim eum *Romam* mittere cogitabat) *Rossenses* monachi, baculum pastoriceum, quem *Cantuariam*, vt diximus, deferre debuerant; vnâ cum ipso Episcopo in sepulchro reponunt. Quare noua apud BALDVINVM Archiepiscopum contra eos, lis per cœnobitas *Cantuarien-ses* intentata est. *Rossenses* interim acriter negare, vllam huiusmodi consuetudinem inoleuisse, vt *Cantuariam* deferrent, sed ad Archiepiscopum, vbicunque in ANGLIA versaretur. Arrepto itaque eorum responso BALDVINVS, acceptum ab eis baculum, Priori *Cantuarien-si* ad vrbem deferendam (quia *Rossenses* ea in re tergiuersabantur) tradidit. Et post paucos dies, GILBERTVM *de Glanuilla*, cui *Rossensem* Episcopatum contulerat, *Cantuariæ* consecrauit. Qui viginti & nouem annis eo magistratu functus est. *Gervas. 1182 & ann. 1183, & 1184. Gervas. 1184. Matth. Paris & Gervas. 1185. Flor. 1214.*

HVIC BALDVINVS vices suas, in *Asiaticam* expeditionem iam discessurus, credidérat. Qua ex occasione aliqua fuit inter eum, & *Eliensem* Regis Cancellarium, & Apostolicæ sedis legatum, atque etiam *Londinensem* disceptatio. *Eliensem* reprehenderat ille, quòd se inscio, *Wigornien-sis* Episcopus electus esset. Et quoniam synodum ille indixerat, veritus, ne quid ille in præiudicium *Cantuarien-sis* ecclesiæ tentaret; illum, adiuncto sibi *Cantuarien-sis* ecclesiæ Priore, ea de re admonuit, & ne *Wigornien-sis* alibi, quàm à se & *Cantuarien-si* consecraretur. Et sessionem sibi ad dextram legati in synodo vendicauit. De consecratione verò, se illi opposuit *Londinen-sis*, eam sibi deberi, vt Episcoporum Decano asserens. At enim, inquit *Rossen-sis*, Illius hoc solùm munus est, ad synodum Episcopos accersire: cetera nunquam peregit, neque ad eum spectant. Regerit Legatus; Consultius igitur est, ne quid turbæ aut dissensionis pullulet, vt sedes illa vel vacua sit, vel Prior *Cantuarien-sis* illam sedem occupet. Cui Prior, Nec sedes illa vacua est, viuo adhuc Archiepiscopo, nec ego, vt alienam, appeto, qui propriam in synodo sedem teneo. Et quoniam vterque ad sedem Apostolicam, ad iuris sui tuitionem & defensionem prouocauerat; ROBERTVS electus *Wigornien-sis* literas Pontificis ad *Elien-sem* defert, vt ille eum (nisi lis inter *Londinen-sem* & *Rossen-sem* sopita esset) *West-monasterii* consecraret. Quod ne fieret, monachi *Canturien-ses* appellarunt. *Elien-sis* & reliqui Episcopi, re maturiùs deliberata, consecrationem reijciunt *Cantuariam*: quam *Elien-sis* non vt *Elien-sis*, sed Legatus Apostolicæ sedis, cũ ea cautione, ne quid præiudicij vel *Londinen-si*, vel *Rossen-si* ex illa ipsius actione nasceretur, peregit. Ecclesia verò diui ANDREAE *Rossen-sis*, cum monasterio & reliqua ciuitate, bis hoc sæculo, misero & tristi spectaculo conflagrauit. Sed & virginum apud *Mallinges* cœnobium, cum reliqua fere villa, incendio absumptum est. *Richardus de Lucy*, summæ iustitiæ per ANGLIAM præfectus, cœnobium quoddam diuo THOMAE *Cantuarien-si* & martyri consecratum, apud *Leesmeos*, eorum, quos Regulares canonicos appellant, construxit. Vbi & ipse sequenti anno, monasticam priùs vitam professus, obijt. *Gervas. an. 1191. Gervas. an. 1191. Gervas. an. 1137. & 1179. Gervas. 11-8.*

De Episcopis Londinensibus, *déque graui illa controuersia, quæ orta est inter* Londinensem *& alios Episcopos contra* THOMAM Cantuariensem, *quam omnem narrationem hoc caput complectitur.*

CAPVT XXII.

Ad an. 1107 Flo. & Matth. Par. Florent. & Mal.

POST obitum *Mauritij*, *Londinensem* ecclesiam capessit RICHARDVS *de Beaumes*. Qui vt templum *Londinense*, diuo PAVLO sacrum, incendio absumptum, à MAVRITIO restaurari, vt diximus, occœptum absolueret; omnes ecclesiæ suæ annuos redditus, aliunde sibi & suis interim, vnde viueret, subsidium comparans, transfundit. Ad cuius templi restaurandi sumptus colligendos, tum alij, tum RICHARDVS potissimùm *Wintoniensis* Episcopus, valdè intentus & solicitus fuit; hominésque suæ diœceseos, ad subsidium conferendum accuratè hortatus est; pro pecuniaria illa, fructuosa pensatione recepturos omnium precum, quæ in *Londinensi*, vel *Wintoniensi* ecclesia

Ex libro quodam Henr. Wint. de terris & poss. Wint.

ad Deum, in sacris mysterijs funderentur, communionem & participationem. Extant RICHARDI hodie literæ, & illud in eis inter alia, quòd licet beatus PAVLVS ecclesias (vt RICHARDI verbis vtar) toto mundo plantauerit, fide mundum illuminauerit; sedes ei tamen Episcopalis nusquam, vt audiuimus, in terris posita est, præter illam, quam supra commemorauimus, hoc est, *Londinensem*. RICHARDVM hunc sequutus est ad annum millesimum centesimum & vigesimum septimum GILBERTVS, qui propter Cyclopædiam, *Vniuersalis* dictus est, & cui in doctrina, nemo in *Europa* par fuisse tum credebatur. Cuius suæ doctrinæ, cum in publicis apud *Nauernos* in *Gallia* scholis præclarum specimen daret, accersitus est ad *Londinensem* Episcopatum, sed omnes eas laudes summa & inexplebili auaritia contaminauit. Cum intestatus obijsset, in eius copias, quæ amplissimæ erant, inuasit Rex HENRICVS, sibique rapuit. In itinere dum *Romam* proficiscitur,[a] circiter annum trigesimum quartum supra millesimum centesimum, morte interceptus est.[b] Totos sex posteà annos, sedes suo pastore, caruit. Nescio vtrum STEPHANI Regis auaritiæ, an, quod potius sequor,[c] graui illi incendio, quod à ponte *Londini*, vrbem & ipsum diui PAVLI templum, tam protulis impensis, recens, vt dixi, reparatum, peruaserat, ascripserim. Neque satis scio, an illud ipsum incendium, triste fuerit præsagium diri illius intestinique belli, quo per totum ferè STEPHANI regnum, tota ANGLIA miserabiliter arsit. In quo tumultu[d] ROBERTVS, RICHARDI successor, apud villam suam *Fulhamensem* captus est à *Galfrido Mandeuillensi*. Eo Pontifice, diui *Erkenualdi*, de quo anteà diximus, corpus in sublimi, & pretiosa theca, apud diui PAVLI templum impositum est.

Vterque Matth.

a Matth. Pa. 1134 & Flor. an 1133.
b Matth. Pa. 1140 Flor. 1141.
c Vterque Matth. 1135.
d Flor. 1142.
e Matth. Par & Flor. 1152.
f Matth Par. & Flor. Vide epist Alexan. ad Gilbert. inter epist. Th. non impres. & in vita eius libr. & in chro. Gerual.

IN ROBERTI defuncti posteà locum, accitus est[e] RICHARDVS, prioris RICHARDI nepos. Cui defuncto ad annum millesimum centesimum sexagesimum secundum,[f] sequenti surrogatus est. GILBERTVS *Foliot*, ab *Herefordensi sede* ad *Londinensem* euocatus. Quem vt eò transferri pateretur, ALEXANDRVM Pontificem HENRICVS per literas obnixè rogarat. Nam & sacris literis apprimè excultus, & magnæ vir pietatis censebatur. Præcipuas quasdam, in hac contra THOMAM digladiatione, partes obtinuit[g] GILBERTVS, cum *Eboracensi*. Ad quam tam violentam contra THOMAM insectationem, nescio, inuidiáne & dolor, ex tam opima præda, cui inhiabat, sibi per THOMAM prærepta (*Cantuariensem* intelligo Archiepiscopatum) an noua rursus, deturbato THOMA, illius potiundi spes; aut certe Metropolitanæ dignitatis, *Londinum* rursus transferendæ;[h] quod se effecturum, inani quadam sæpè iactatione gloriabatur: an vana illa, qua se venditabat, postquam *Londinum* ab *Herefordia* translatus esset, liberum & solutum se ab omni THOMAE exhibenda obedientia, iactatio; (neque enim post translationem, vllam ei, quod debuisset, promiserat) an denique metus regiæ indignationis, ne videlicet, si frigidè ageret, prænaricari videretur, cum perduxerit. Illud interim constat,[i] choragum quendam, in hac turbulentâ contra THOMAM tragœdia, vt dixi, fuisse. Sed quia licet præcipuas, non * solùs tamen has partes egit, sed implicata est etiam in illius ceterorum omnium Episcoporum causa (quamuis alij violentiùs, alij remissiùs se gesserint) visum est omnia, aut ea saltem, quæ recensione potissimùm digna

g Vide epist Milonis Morinen. epistol. ad Alex. Pont Max. in cit. pro impudentia inter epist. Thom. non impres. h Vide and epist. Baldwini Nouiomensis & Mauritij Paris Episcoporum ad eundem Alex. Altera incipit ferrum pectus; altera paris & alia mandatum impressa.
i In dicta epist. Milonis.
In dicta epistola Mauritij.
** al. solùm.*

sunt

sunt (quæ inter THOMAM & reliquos Episcopos, aut inter Regem & eosdem Episcopos in hac lite acta sunt) in vnam hic narrationem congerere. Ne, si eam per singulos spargeremus, quæ cognata & implicata sunt importunius diuelleremus, & lectorem nimio molestæ repetitionis tædio simul obrueremus.

PRIMA itaque de his consuetudinibus, *Westmonasterij* inter Regem & Episcopos contentio inita est. Quas constanti omnes voce, cum Archiepiscopo suo THOMA, vtà canonibus & scitis ecclesiæ dissentaneas, probare agnoscereque detrectabant; Regem submisse deprecati, ne nouis, & inusitatis hactenus in regno ANGLIAE pœnis, Clerum obiceret. Sed cum valde eos Rex premeret, ordine suo illæso & integro, obseruaturos se eas, vniuersi præter *Cicestrensem* spopondere. Ille enim Regem valde ea voce exacerbatum videns, subiecit se bona fide eas obseruaturum. Sed neque illa cum vox placatiorem reddidit. Vehementerque eos vrgebat, vt simpliciter & absolutè, omni recisa conditione atque adiectione, consuetudinibus illis obsequerentur. Subiecit Archiepiscopus, se cum reliquis Episcopis fidem illi, qua regiam se maiestatem comiter * culturos religiosè promiserant; non aliter tamen se, aut ipsorum vnquam decessores dedisse, quam saluo & illabefactato suo ordine: vt non sit, cur illam cautionem, ad temperandas illas suas consuetudines, à se apponi * debere, ægrè præ se ferret. Cúmque ceteri etiam in eandem Episcopi sententiam confluerent, Rex valde perturbatus, magnáque inflammatus iracundia, ab eis se proripuit. Postridiéque arces quasdam ab Archiepiscopo, quas diu possederat, aliáque quædam repetens; ipso, aliisque omnibus Episcopis insciis, à *Londino* abscessit. Videbatúrque ingens iam à Rege, Episcopis periculum impendere. Quare, singuli sibi cauere, & prospicere incipiunt, & cum primis *Londinenses*. Qui, vt amissam Regis gratiam sibi restitueret, pernicioſum illi consilium dedit, vt tantam illam Episcoporum inter se concordiam, quacunque ratione perrumperet, cósque à THOMA abduceret; vt tanta destitutione perculsus, aut in aliorum sententiam concederet, aut dissentius eius, quem ceteri iam destituissent, minus haberet ponderis. THOMAS itaque, tum ob hanc suffragantium suorum Episcoporum, quos coniunctissimas cum ipso rationes habuisse oportebat, destitutionem; tum ob alias, quas antea recensuimus, causas regio se desiderio satisfacturum promisit. Sed cum eum tam facilis, & præcipitis promissionis pœnitentia postea cœpisset, nec vllis aut blanditijs aut minis à proposito per Regem abduci potuisset, in summum, vt diximus, periculum coniectus est.

Anno 1164. Gervas. De vita lib. 1. & Gerv. in chron.

** al. colituros.*

** al. debeat.*

IN his angustijs deliberat THOMAS cum Episcopis. *Londinenses* immensa illa beneficia, quæ in eum ornandum Regem contulisse dicebat, præsentisque temporis acerbitatem, & capitale discrimen, quod illi, & ipsis, omnique ecclesiæ *Anglicanæ* impenderet, si prætractior erga Regem perseueraret, in mentem THOMAE reuocans; decem Archiepiscopatus non tanti esse dicebat, vt dimittere eos non multo potiùs debeat, quàm tantum sibi, & ceteris omnibus malum accersere. Cerno, inquit THOMAS, cerno, quo tu tendis. Huiusmodi, inquit *Wintoniensis*, consilium, prætens est catholicæ ecclesiæ pestis & pernicies. Si enim ad nutum & voluntatem Principis, Primas noster cogetur animarum curæ susceptæ renunciare; quis erit deinceps constans, & stabilis locus ceteris Episcopis relictus, in quo consistant? In lubrico sane omnes loco * versantur, ad leuissimum quemuis principis impulsum, ruinæ obnoxij.

** al. versamur.*

ET ego quoque, ait *Cicestrensis*, totus in *Wintoniensis* sententiam iem, nisi me perturbatorum horum temporum ratio, & grauia, quæ ecclesiam circumstant, pericula, si de seueritate canonum nihil velimus remittere, alió auocarent. Rectum ego lubens cursum tenerem, à quo cum nos sœua tempestas depellat, imitemur prudentes nautas, qui cum eò, quò volunt, non possunt, nisi suo & vectorum periculo tendere; mutata velificatione, eò tendunt, quò cum salute tendere poterint. Certum est, aiebat *Lincolniensis*, hominis huius vitam & sanguinem peti. Necesse igitur est, vt aut ab Archiepiscopatu, aut ex vita discedat. Si vita ipsa spolietur, dum Archiepiscopatum contentioſius retinere cogitat; quid quæso emolumenti ab eo consequetur? *Exoniensis* vero vnum solum hominem peti aiebat, & non generalem, sed personalem esse persecutionem. Antiquius vero esse, vt ille solus, quàm tota *Anglicana* ecclesia propter eum periclitaretur. Consultus *Wigorniensis*, nihil se in alterutram partem pronunciaturum dicebat. Esse enim rem instar gladij, hinc inde peracuti. Quo, si in gratiam Regis aliquid decerneret, anima ipsius; si contra eum, corpus illius confoderetur.

HIS,

His alijsque sermonibus habitis, magno THOMAS zelo percitus, Video vos, inquit, ignauiam vestram, nescio quibus dissimulationis, & patientiæ tegumentis, tegere velle. Quæ certè non est ferenda, tanto cum ecclesiæ detrimento coniuncta. Indulgenter aliquando conniuendum dicitis, nec abnuo; non tamen ad manifesta & grauia scelera, quibus ecclesia opprimitur; non vt peccata peccatis cumulentur. Timetur, vt dicitis ecclesiæ; sit ita. At, num ita imbecillis est Deus, vt ei, nisi nostris peccatis, consulere haud poterit! Quin potius existimatis id quod res est, Deum iam vestram constantiam, vestram iam tentare & periclitari velle fortitudinem? Et quo demum alio tempore, quàm in perturbato, periculo debent se Episcopi obijcere? In rebus placidis, prosperéque ad nutum fluentibus, nulla est fortitudinis laus; nec probi & periti, in placido & tranquillo mari, gubernatoris. Neque minus elati atque celsi animi erit, etiam mortem, defendendæ catholicæ ecclesiæ causa; quàm ad eam fundandam, & sanguine suo constituendam (quod Apostoli & alij olim præstiterunt) subijsse. Præierunt nobis iam olim in hac re sancti patres, suis scitis & constitutionibus. Quas cum tenemus, non posse nos illas sine maximo scelere præuaricari, censeo. In hac deliberatione NIGELLVS *Elienſis* abfuit, paralysi correptus. Abfuere & alij, captatis libenter occasionibus: Inter quos & *Norwicenſis*. Qui NIGELLVM etiam felicem prædicabat, quod tam iustam absentiæ habuisset causam. Grauem *Norwicenſi* metum, qui eum retinuit ab illo cœtu, *Galfridus Ridellus Cantuarienſis* Archidiaconus incusserat: per quem intellexerat, quantam Rex aduersus THOMAM indignationem concepisset.

AT Episcopis, de quibus dixi, post illam alteram, iniecta est noua pro seipsis consultatio, quomodo in publicum prodirent. Erant enim ita inclusi, vt exitus, illis omnis intercluderetur, quem hac demum arte sibi expediunt. Accersi ad se, THOMAS è Curia Comites *Leiceſtriæ* & *Cornubiæ* postulat. Esse enim quod illis communicare debeat. Aduolant illi, quibus THOMAS renunciat, se cum suffraganeis de negotio regio deliberasse; sed adhuc tamen rem omnem non posse se explicare atque absoluere; quòd deessent quidam, quibus maior & vberior rerum, quæ vocatæ erant in deliberationem, esset cognitio. Rogant igitur, vt res in crastinum diem differatur. Missi sunt itaque ad Regem *Londinenſis* & *Roffenſis*. At *Londinenſis* vt *Cantuarienſem* necessitate quadam inuoluere t, vt vel ingratis cederet. perperam renunciat legationem; & THOMAM, ait, diffundi sibi tempus postulare, vt instrumenta, & alia ad reddendam rationem necessaria, interim sibi compararet. Redeunt Comites, & Regem diem prorogasse aiunt, modo ille promissis stet. THOMAS mox, nihil se vnquam id genus promisisse, constanter asseuerat. Atque ita suis ipse dolis *Londinenſis* irretitus est. Rex iam cum certò sciret, THOMAE animum prorsus ad euertendas illas consuetudines obstrmatum, omnémque propositi ipsius immutandi spem abiecisset; omnes secum rationes meditatur, quibus perniciem illi adferat. Et spargebantur iam voces, si THOMAS in curia se conspiciendum daret, aut perimendum, aut in custodiam abducendum. Quæ Episcopos valde deterruerunt. Ad curiam igitur mox profecturum adeunt, solicitéque suadent, vt se suáque omnia in Regis voluntate, atque potestate poneret. Quod si facere detrectaret, intelligeret mox se instar perduellionis in curia habendum, quòd datam Regi fidem, nefariè in reijciendis illis consuetudinibus violasset.

QVIBVS ille; Cum multa, inquit, animum meum valde exulcerent, nihil tamen æque, atque quod vos, quos mihi intimè coniunctos adhærescere in causa ecclesiæ oportuerat, aduersarios acres sentio: quique contra omnem rationem, omniáque ecclesiæ scita & consuetudinem, iudicij etiam iam vobis, quam nullam habetis, in me authoritatem prorogastis. Ceterum, per eam, qua mihi astricti estis, vt primati vestro, fidem hortor, moneo, præcipio; ne vos deinceps interponatis, in aliquo iudicio aduersus me; quin & *Romanam* sedem, aduersus hanc vestram insolentiam, appello. Quin & illud præcipio, vt si, quod iactatur, violentas mihi laici manus afferant, vt ecclesiastica vos eos censura percellatis. Id vero interim certò apud vos statuatis, nullis me minis aut terroribus, ab hac animi mei sententia vnquam remouendum. Appellauit mox ad *Romanam* contra THOMAM sedem *Londinenſis*. Conuulsa est, inquit iam *Wintonienſis*, omnis resarciendæ concordiæ spes. Conuolant itaque confertim Episcopi ad curiam, præter *Wintonienſem* & *Saresburienſem*; quiclam *Cantuarienſem* adeuntes, animum eius erigebant, & ad constantiam animabant. Proficiscitur deinde ad curiam THOMAS. Quò cum venisset, arrepta cruce de manu sacellani, suis ipse eam manibus ferebat. Quem cum ROBERTVS *Herfordenſis* rogasset, vt li-

ceret

ceret sibi eam ante eum deferre, magis respondit conuenire, vt ipse, quo instructior & armatior esset, aduersus omnes hostiles insultus, Christi optimi maximi, ducisque sui triumphale vexillum, suis portaret manibus. Tum *Londinensis*: Si Rex te, inquit, ita armatum ad se ingredi conspexerit, gladio te mox confodi iubebit: & cui tum, precor, vtui erit ista tua armatura? De hac re Deus, inquit ille, viderit, ad cuius curam omnia reijcio.

NOVAM itaque atque atrocem Rex, aduersus THOMAM, apud proceres & Pontifices querimoniam, qui ipsum tam insigni contumelia affecisset, depromit: * Nihilque iam expectabatur, nisi certa THOMAE pernicies. Cumque EBORACENSIS frementium vndique aulicorum voces, & clamantium, O insignem proditorem, audiret, ad sacellanos conuersus, Propere, inquit, abeamus, ne oculis hauriamus calamitates, quæ THOMAM mox inuoluent. Cui *Robertus* vnus ex illis respondit; Certe, inquit, non recedam, dum exitum ipsum rerum viderim. Si vitam ipsam in tam honesta, & expedita causa posuerit honestiùs aut honoratius nunquam mori poterit. Episcopis autem cum Rege & Proceribus, quid statuendum de THOMA esset, consultantibus; sacellani quidam illius illi assidentes, ad patientiam & constantiam illum hortabantur. Quibus per ministros regios, qui virgis & baculis armati obambulabant, & truci vultu THOMAM aspicientes, digitis eum notabant, silentium indictum est; vetitúmque ne quis cum eo sermones misceret. Aduolat interim *Exoniensis*, & in genua submissus, obnixè THOMAM rogat, vt sibi consulat. Alioqui, peribimus, inquit, tecum omnes hodierno die. Edictum est enim á Rege, vt qui à te deinceps steterit, capitis & læsæ maiestatis arcessatur. Dictúmque est, *Saresberiensem* & *Norwicensem*, qui THOMAM tutabantur, ad supplicium mox capitale rapiendos. Quibus terroribus THOMAS nihil fractus, Apage, inquit, ad *Exoniensem*; Neque enim ea, quæ Dei sunt, sapis. Episcopi vero in magnas angustias redacti sunt, quibus vndique arctabantur, ne aut capitaliter contra ecclesiæ canones primatem suum damnarent; aut si id recusarent, in præsens se, ex regis indignatione, exitium præcipitarent. Seorsum igitur à proceribus deliberantes, hac se tandem ratione, ex his difficultatibus euoluerunt: Delaturos se THOMAM vt summo, & nefario periurio commaculatum, apud pontificem spondent; & omnia tentaturos ad illius abdicationem.

* *al.* Nihil iam.

DIMISSO itaque concilio, Archiepiscopum adeunt, è quibus *Cicestrensis*; Fuit, inquit, cum esses noster Archiepiscopus, sed iam desijsti; fuit, cum te colere & obseruare tenebamur, sed iam ab omni huiusmodi erga te obseruantia, liberi & soluti sumus. In graue enim periurium propter infractam, quam Regi olim præstiteras, fidem incidisti. Neque tam insigniter periuro, parere deinceps, in animum inducemus; támque ad *Romanum*, aduersus te, pontificem, qui de tuo hoc periurio cognoscat, prouocamus. Aduersus quos aliósque omnes, qui præter iuris ecclesiastici rationem, cognitionem sibi aliquam in eum arrogarent, prouocauit & THOMAS, & à curia deinde clam recedens, non ita multo post, vt diximus, transmarinam fugam arripuit. De qua re Rex certior factus, amplissimos legatos, è quibus fuit *Guilielmus Arundeliæ* Comes, & alij illustres laici, in *Gallium* ad ALEXANDRVM misit, qui eum aduersus THOMAM irritarent. Inter ecclesiasticos vero, præter IOANNEM *Exoniensem* & alios, fuere ROGERVS *Eboracensis*, GILBERTVS *Londinensis*, BARTHOLOMAEVS *Exoniensis*, ROGERVS *Wigornensis*, HILARIVS *Cicestrensis*, Episcopi. Qui aduentum nunciorum *Cantuariensis* pridiè præuerterunt. Qui vix tandem, Cardinalibus in diuersa studia distractis, & alijs Regi, alijs THOMAE studentibus, ad colloquium pontificis admissi; eúmque *Cantuariensis* nomine officiosissimè salutantes. Ioseph, inquiunt, filius tuus, viuit quidem, sed non dominatur in terra Ægypti, imo, tantum non Ægyptiorum iniurijs & insidijs interceptus est. Recensent deinde ab ipso, quod aiunt, ouo, omnem hanc tragœdiam, cuius auditio lachrymas pontifici excussit.

POSTRIDIE amplissimo Cardinalium cœtu septus assidens, legatos regios audiuit. E quibus *Londinensis* ita exorsus est. Muneris, inquit, Vestri est, sanctissime Pater, qui vniuersam Christi ecclesiam moderaris, prospicere, vt qui ecclesiæ prouidenter & prudenter consulunt, Vestro patrocinio foueantur, & qui inconsultè rationes suas instituunt, Apostolica Vestra authoritate, resipiscere & sapere discant. Neque eos Vos, pro prudentiæ Vestrę magnitudine, sapere vnquam iudicabitis, qui fratrum concordiam, ecclesiæque pacem conuellunt, propensúmque Regis ad eam studium labefactant. Ortum est, Pater, nuper in

ANGLIA inter regnum & sacerdotium, ex causa non ita graui, graue tamen dissidium: quod facilè nascens, extingui potuisset, si prudens moderatio adhibita fuisset. Ceterum, *Cantuariensis* suo solum, & non communi fratrum, vt par erat, consilio nixus, violentóque quodam æstu abreptus, dum importuna quadam summum ius seueritate, & acerbitate vrget; se, & nos omnes, in maximas difficultates coniecit. Quòd si & nos ad eadem præcipites consilia traxisset; res hodie certè multo fuissent acerbatiores. Ille verò, cum nemo aut vim, aut minas intentaret, ad nostram omnium notam, & infamiam, fugam iniit; vt & in eo locum illud Prophetæ habeat, *Fugit impius, nemine persequente*. Quem interrumpens Pontifex, Parce, inquit, frater, Tum *Londinensis*, Parcam ei. At ille, Non dico, vt illi, sed tibiipsi parcas, & tempera huius tui sermonis acerbitatem. Qua voce ita *Londinensis* repressus est, vt penitùs obmutuerit.

CICESTRENSIS deinde eundem etiam, quòd priuata consilia, à fratrum consensu seiuncta sectatus, graues & sibi, & fratribus molestias excitasset, reprehendit. Cúmque adijceret, virum certè tam amplæ authoritatis id non decuit, nec (vt verbis eius vtar) oportuit, nec aliquando oportebit, nec suos, si saperent, consensum adhibere oportuerat; risum circumstantibus, quibus videbatur ridicule quasi de portu in portum prosilire, commouit. Exceptúsque est ita à quodam, Malè, inquit, tandem ad portum venisti. Quod ita præter expectationem auditum, silentium illi prorsus imposuit. Perstrinxit & *Eboracensis*, sed paucis nimiam THOMAE, vt putabat, pertinaciam; & quòd is esset, qui præ se ceteros omnes despiceret, & suis tantummodo omnia, quasi solus saperet, consilijs gubernare studeret. *Exoniensis* verò, ceteris omissis, Legatos cum amplissima cognoscendi causam, omni appellatione remota, authoritate in ANGLIAM mitti, & THOMAM eódem, ad iudicium subeundum, remitti postulabat. Comes deinde *Arundeliæ*, sed per interpretem, tam eleganter, & tam modestè & moderatè, támque ad causam accommodate disseruit; vt omnem totius eo die actionis, ceteris collegis laudem præripuisse censeretur. ALEXANDER verò maximis deliberandi difficultatibus implicitus est, vt vix sciret, quomodo se expediret. Amandare enim THOMAM in ANGLIAM nihil aliud erat, quam hominem innocentem, certæ tamen condemnationis causámque simul ecclesiæ, illiusque dignitatem atque immunitatem, inexplicabili periculo obijcere. Regijs verò votis non obsequi, nihil aliud videbatur, quàm noui, & inexpiabilis cuiusdam schismatis fenestram aperire. Sed respondit tandem, se de causa tota cognituru in præsentia THOMAE, quem post paucos dies adfuturum dicebat.

SED legati aduentum illius expectare noluêre, & certum sibi reditus diem, quem necesse esset obire, à Rege sibi præscriptum causati, rebus prorsus infectis abiêre. A quo tempore res quotidie in deterius proruebat. Multa tamen interim tentata sunt per literas, tam ALEXANDRI ad Regem, & Episcopos ANGLIAE; quàm THOMAE ad eosdem, quibus Rex & Episcopi ad officium reuocarentur. E quibus quædam hic intexere, non erit omnino alienum. Scripsit itaque ALEXANDER ad *Londinensem*, vt ille, adiuncto sibi *Herfordensi* Regem adiret, eumque admoneret, vt ad officium, veterémque tum erga sedem *Apostolicam*, & THOMAM; tum erga Clerum omnem, obseruantiam rediret, vtque à schismaticorum, & eorum, qui nominatim diris deuoti erant, communione & contagione, qua se inquinauerat, deinceps sibi temperaret; vtque annuam illam pensionem (quam denarios PETRI vulgò appellant) ad *Romanæ* sedis vsus colligeret. Regem illi diligenter, iam in expeditionem aduersus *Vallos* seu *Cambros* profectum, inque ipsis *Cambriæ* finibus adeunt: quod per literas *Londinensis* ALEXANDRO postea significauit, & quàm benigne atque leniter ipsorum reprehensionem audierit: paratúmque ecclesiæ regni sui iudicio per omnia patere, omniáque præstare, quæ, integra & illibata Regiæ maiestatis suæ, regnique sui dignitate, præstare posset. Et ALEXANDRVM ad omnes moderationis, * lenitatis, & patientiæ partes sedulò incitat, ne propositum animo nimis premendo & vrgendo, Rex valde exacerbetur, immaníque schismatis occasionem præbeat.

* al lenitatisque partes.

MISIT & aliàs postea aduersus THOMAM ALEXANDRO literas, quod *Saresberiensem* Episcopum, & alios, indicta causa, & præter iuris æquitatem, execratus est: simílémque in Regem ipsum execrationem, inque totum regnum interdicti sententiam minaretur. Aduersus igitur retentas iniurias, & similium imminentium metum, appellatione, quam hisce in literis complectebatur, se, ceterósque omnes muniebat. Extant verò & aliæ ALEXANDRI, tam ad *Londinensem*, quàm * ad reliquos Episcopos literæ.

* al abest ad.

Quibus

Quibus præcepit, vt per anathematis censuram cogerent eos, qui in bona & beneficia eorum, qui solum cum THOMA verterunt, inuaserant, ea ad assem ijs, qui spoliati fuerant, restituere. Idem *Londinensem*, *Saresberiensem*, *Exoniensem*, *Cicestrensem*, *Rossensem*, *Assassensem*, *Eboracensem* præterea, & *Dunelmensem* grauiter per literas reprehendit; quod aut interfuissent, aut consilio suasionéque sua, iunioris HENRICI regiam inunctionem promouissent; & illi *Eboracensis*, contra ipsius ALEXANDRI prohibitionem (qua illi & ceteris omnibus, ne id in aliena prouincia, nisi ex voluntate *Cantuariensis*, ad quem id muneris solùm spectabat, per literas interdixerat) diadema etiam imposuerat. Et alios quidem eorum, ab omni Episcopali, ad tempus, munere gerendo remouit; in alios, qui grauius deliquisse videbantur, anathematis sententiam pronunciauit. Mandauit etiam per alias literas *Eboracensi*, ne crucem suam, in *Cantuariensi* diœcesi, coram se deferri pateretur, omnibusque ecclesiæ *Cantuariensis* suffragantibus, vt ad obedientiam, obseruantiámque, quam THOMAE debebant, & perperam abiecerant, maiori deinceps reuerentia violatum officium compensantes, redirent. Et in his potissimùm literæ ALEXANDRI vertuntur. Cumque absente in exilio THOMA, *Cantuariensis* Christi ecclesia Priore destitueretur, & ad monachos ille scripsit, ne quem sibi præfectum ascisceren, nisi quem THOMAS (cui illum, ex antiquo ecclesiæ illius more, designandi potestas competebat) præscripsisset.

REPERIVNTVR & ecclesiæ *Anglicanæ* ad eundem literæ, quibus conqueritur legatis, qui ad totam controuersiam componendam, expediendámque, vt ipsi quidem sperabant, aduenerant, plenam & iustam, illam cognoscendi authoritatem defuisse, multæque aduersus THOMAM criminationes cumulantur, multæ eius in Regem & Episcopos, & Clerum acerbitates & iniuriæ, vt aiunt, commemorantur. Contra quas, ad sedem *Romanam* prouocatio opponitur. De quibus rebus parciùs iam diximus, quod eodem ferè mox reuoluemur, explicaturi quid inter *Thomam* & Episcopos per mutuas literas actum sit. Quod, quanto possumus compendio, perstringemus. Conspiciuntur igitur & THOMAE, tum ad singulos fere, tum ad vniuersos Episcopos, & eorum quoque similiter ad eundem, literæ. Sed ad nullum frequentiores, quam ad *Londinensem*. Quæ cum in eadem ferè consumantur narratione, in qua & reliquæ, in earum explicatione erimus breuiores. In vna illarum certiorem facit *Londinensem*, vicariam suam, amplissimámque sibi sedis *Apostolicæ* authoritatem, ALEXANDRVM, ad res in ANGLIA collapsas, corrigendas & erigendas, tribuisse. Rogátque *Londinensem*, vt ipsi & reliqui Episcopi, communes ea in re operas strenuè ponant. In alia œconomiam, & politiam ecclesiasticam ostendit, ab *Apostolorum* temporibus eam fuisse, vt inter magistratus ecclesiasticos, alij super alios eminerent. Et quod *Romanus* semper Pontifex, exorti quadam potestate supra omnes præeminuerit, vt *Moyses* olim supra septuaginta illos seniores; quos ipse illos fuisse putat, qui in *Ægypto* exigendis operis à *Pharaone* præfecti, dirè flagellati sunt,

Præter eas quæ sunt in vita impressa Thom ad London inter epist. non impressas sunt tres primæ incipit. Meminimus 2. Scuramus. 3. Vestra debuerant

QVERITVR igitur, veterem ecclesiæ disciplinam, illam præsertim, qua ad *Romanam* sedem, vel persequendæ iustæ appellationis, vel pœnitentiæ ergò, proficisci semper cuilibet integrum fuerat, adeo in ANGLIA perturbatam & euersam, vt qui huiusmodi iter ingrederentur, siue laici, siue clerici essent, bonis suis exuerentur, & in carceres crudeliter detruderentur. Mandat itaque *Londinensi*, vt his malis, quoad eius fieri poterat, occurreret, & anathema in eos fulminaret, qui Clericis violentas manus inferrent. Et quoniam literas ad eum aculeo plenas *Londinensis* scripserat, ad eas, vt & ad alias reliquorum Episcoporum literas, non minus mordaces & acres, & in eadem fere reprehensione positas, THOMAS vberiùs respondit. Vna itaque & eadem narratione vtramque responsionem breuiter absoluemus. Obiecere, repentina illius abitione, omnia fuisse perturbata. Quibus ille in mentem reuocat, totam illam *Northamptonensem* tragœdiam, qua ille, contra omnia iuris præscripta, indignè habitus & exagitatus erat, & insolenti, & nouo exemplo, à suffragantibus in ciuili adeo causa damnatus: & cautam atque occultam illam suam abitionem esse debuisse, ne alioqui, magna Regis ignominia, fuisset impedita, si manendo ab improbis cæsus fuisset. Cuius cædis voces aliquot, non omninò à fide alienæ, passim dissipatæ sunt. Consultum igitur fuisse, illa discessione, & Regis dignitati, & sceleratorum illorum, qui in necem illius coierant nefaria conspiratione, animarum saluti; sin perturbatio aliqua exorta inde sit culpam omnis illius motus in eis hærere qui eum excitarunt, cum damnum is dedisse censendus sit, qui damni occasionem dedit,

Vna epist. incipit mirandum ad Lond. altera ad omnes suffrag. fraternitatis,

quique iniuriam offert, non qui oblatam consideratè declinat. Id se feciſſe & appellatione primum, deinde, cum res magis efferueſceret, ſe in alias terras recipiendo. Cùmque appellatione interueniente, res integra & immota interim manere debeat, nec ſibi dum in curia eſſet, iuſtum aliquod crimen obiectum; tamen poſt appellationem, datum mandatum miniſtris ſuis, ne quid ſibi aut ſuis, ex Epiſcopatus poſſeſſionibus, ad victum & alios vitæ vſus ſuppoditaretur. Poſt receſſum verò, appellatione adhuc pendente, tam ferale & funeſtum edictum exiſſe; vt & pij omnes, qui tum vixere, quæ non tam auribus quam oculis ipſi ſuis vſurparent, deteſtarentur; & poſteri omnes tantæ immanitatis memoriam penitùs exhorreſcerent. Cum, non ob aliquod quidem ſuum flagitium (quanquam & illa fuiſſet, vel in ſummo à ſe ſcelere commiſſo, atrox & immanis crudelitas) ſed ob pietatem ſuam, ecclesiæque defenſionem, non ipſe modo, & coexules ſui, ſed & tota cognatio ſua, ſublato omni ſexus, ordinis, aut ætatis diſcrimine, infantes adeo ab vberibus matris pendentes, poſt bonorum & poſſeſſionum direptionem atque expilationem, in exilium detruderentur. Hæc cum ita ſint, inquit THOMAS, quæ ſunt illæ demum iniuriæ, quas alias ſuper alias me accumulare dicitis? Quas in me cumulatim congeri, mea & meorum inſignis miſeria, palam teſtatur. An ego iniurias in alias aggrego, qui eas à me & meis appellatione, querelis, & qua poſſum ratione depellere connitor? Neſcio quas iniurias inferam, niſi iniurius ſim, quòd tam indignè habitus, de tantis iniurijs & calamitatibus, ſine meo mihi merito inflictis, conqueror. At illa mihi aliarum omnium immaniſſima videtur, qua vnicum illud conquerendi etiam ſolatium, miſero mihi eripitur.

ADMONET deinde, vt illi diligenter Regi conſulant, ne eam ſibi authoritatem in rebus eccleſiæ, & viros eccleſiaſticos arroget, quæ nec ex ſacris ſcripturis, nec ex veterum & bonorum principum exemplo ei deberetur; ſuggeréntque ei triſtia infauſti exitus, quæ vbique obuia eſſent, huiuſmodi principum exempla, qui in officium ſacerdotale & eccleſiaſticam iuriſdictionem infeliciter inuaſiſſent. Adiecerant *Londinenſis*, & alij Epiſcopi in illis ſuis literis, *Thomam*, matre Regis dehortante, regno renitente, eccleſia etiam gemente, & ſuſpirante, ad *Cantuarienſem* ſedem euectum. Admiratur verò *Thomas*, eos à tam magno & impudenti mendacio, ſibi non temperare. Qui rectè ſcirent, proniſſimis Regis, eorumque, ad quos electio ſpectabat, ſuffragijs, ſummáque totius nobilitatis, ipſorúmque adeo propenſione illum eam dignitatem conſequutum: valdéque diſſentaneam eſſe hanc eorum calumniam aiebat, ijs literis quibus ipſi cum Rege ſummo illum Pontifici accuratè commendabant, rogantes, vt pallio ornaretur: Et lacerari iam ſe forſan inuidioſè ab hac obtrectatione, eorum potiſſimum opera, qui dolenter adhuc ferrent, irámque ſuam vlciſcerentur; quod deiectos ſe à tam opima, quam ſpe deuorauerunt, præda meminiſſent. Iam, & humilitatem generis fortunæque, ex qua tenuiſſima ad tantam eum amplitudinem Rex prouexiſſet, ingratitudinémque odioſè ſatis ei quaſi exprobrabant. Quibus ita ille occurrit, vt dicat eum ſe eſſe malle, qui animi nobilitate præſtaret, quàm, qui generis magnum alioqui ſplendorem, ſuis vitijs dedecoraret, & dehoneſtaret: habuiſſe tamen ſe parentes *Londinenſes* ciues, qui & inculpatè inter ſuos viuerent, nec eſſent inter eos infimi. Mirúmque viros eccleſiaſticos atque Epiſcopos in huiuſmodi oratione verſari, qui aut quales, & quam obſcuro genere ortus fuiſſet PETRVS, & reliqui eccleſiæ principes, aut ſaltem illud ethnici poetæ meminiſſe hîc debuerant, *Stemmata quid faciunt?*

NEC tamen ſe, (qua in re, in inſipientia ſe ſua reſpondere aiebat) ita tenuem fuiſſe, atque illi fingerent, antequam in curiam aduocaretur. Quippe, qui & *Cantuarienſi* Archidiaconatu, & *Beuerlacenſi* præfectura, & plurimis beneficijs atque præbendis honeſtatus fuiſſet. Ingratitudinis vero notam omnino deprecabatur, à qua ſe alieniſſimum merito iudicabat; magiſque ſe regiæ ſaluti & dignitati conſulere; qui eum, licet cum offenſione regia, officij admoneret: quàm eos, qui humano metu preſsi, vitijs illius indulgerent, & periculosè blandirentur. Suas enim potius aures, diuinam illam vocem circumſonare, *Si non annunciaueris impio iniquitatem ſuam, & moriatur in delicto ſuo, ſanguinem eius de manu tua requiram.* Ezech. 3. Proponebant vero ad deterrendam eius conſtantiam, Epiſcopi, quantum periculi non modo illi, ſed & *Romanæ*, totique eccleſiæ, ex rigida illa ipſius pertinacia immineret; ſi forte creſcente & ingraueſcente Regis indignatione, ſchiſmate (quod verendum erat) ſe implicaret. Nolite, inquit THOMAS, ANGLIAE & principi veſtro tam malè ominari. Dij hoc omne omen obruant. Nimis abiectè & perperam de principe veſtro cogitatis. Nolim hanc cogitationem in pectus veſtrum deſcendere, aut tam ſiniſtre vos de principe exiſtimare, vt ob

mundi

mundi aliquod commodum, seu detrimentum, velit se nefaria secessione ab ecclesiæ vnitate seiungere. Illud potiùs vos, ad cogitationes vestras reuocare debetis, Christum tam firmiter & solidè ecclesiam suam stabilijsse: vt nullo hominum, quantumlibet potentium, motu & impulsu labefactari posset. Laborat illa quidem sæpè grauiter atque periculosè, & inexplicabilibus humano sensu difficultatibus implicatur: sed eam Christus sponsus tandem explicat, nec obrui patitur. Nihil vnquam per immanes illius infectatores & hostes, maiestati ecclesiæ derogatum est: imo, plurimum inde dignitatis semper illi accesit. Proprium enim esse ecclesiæ, vt tum vincat, cum læditur: tum intelligat, cum arguitur. tum obtineat, cum deseritur.

REPELLIT deinde criminationem illam, quam illi intendebant, quòd legitima iudiciorum forma conuulsa, indictáque causa, *Saresburiensem* Episcopum à functione, munereque suo remouisset, & *Ioannem* decanum *Sarisburiensem* anathemate etiam execratus fuisset. Quam nihil aliud fuisse, quàm frigidam & ieiunam calumniam docet. Cum ille nihil nisi in re certissima, atque exploratissima omnibus, contra eos statuisset. *Ioannem* enim (quod palam omnibus constabat) non solum communione se schismaticorum, & nominatim à summo Pontifice execratorum contaminasse: sed & sua solicitatione labefactatum pænè, & confractum in *Germania* schisma, perniciosè restaurasse. Manifesto etiam multiplicis peruicatiq; atque pertinaciæ crimine, *Sarisburiensem* Episcopum obrui dicebat. Cui cum per literas summus pontifex mandasset, ne quenquam. nisi accedente consensu Canonicorum *Sarisburiensis* ecclesiæ, qui cum THOMA exilium subierant, decanum aliquem sufficere pateretur, sustectus est tamen *Ioannes*. Quin & priorem culpam noua cumulans, eundem, cum ne id faceret, THOMAS per anathematis interminationem prohibuisset, electionem eius confirmauit. Et quia appellatione aduersus THOMAM vtebantur, ostendit, non posse eam illis esse aliqua ratione fructuosam; aut enim illam exercebant ad sui defensionem, aut ad alienam. Si sui muniendi causa, frustra illos ad eam confugere, quos nulla iniuria affecisset. Quòd si se sibi in futurum cauere, & prospicere, & aduentantibus malis occurrere dicerent; Viderent, quàm id consultè & constanter facerent; Viderent, quomodo sibi ab ipso timerent, eo saltem timore, qui ad appellandum efficax esset, & in constantem virum caderet; Viderent, ne inanis planè & puerilis esset, cùm neque antea iniurijs illos vllis obiecisset, neque vllam ipse priuatam litem & causam aduersus eos haberet, neque pro vlla re alia se periculis, quàm ecclesiasticæ libertatis, & dignitatis tuendæ causa exposuisset. Sin alium, siue Regem, siue quemcunque respiceret illorum appellatio, nullas vires habere, cum appellationes ad propulsandam, non ad inferendam iniuriam; ad releuandos sine suo merito calamitosos, non ad iniustè obruendos & opprimendos, introductæ sint. Miserabilem & tetram ecclesiæ faciem futuram, si libertate & dignitate ipsius euersis, si Episcopis sine culpa erectis, si bonis & possessionibus ipsius direptis & expilatis: prædones & raptores tam præclara opposita prouocatione, latrocinia sua aduersus iustos dominos tueri possint. Ad quæ compescenda par erat, vt ipsi, coniunctis & consociatis viribus atque studijs, forti & infracto animo primati suo constanter adhæresceret. Obstupescent profectò, inquit, futura sæcula, cum intelligent, adeo vos ab hoc, licet necessario officio, abfuisse; vt ipsis etiam prædonibus, vestra appellatione consulere & cauere (vt impuniùs grassentur) videremini. Quos, si ipsi appellassent, nulla tamen vnquam appellatio tutos, & securos constituere potest.

SCRIPSERANT verò *Londinenses* & Episcopi, ad Regis culpam extenuandam, illum, si quæ in eo esset, satisfacere paratum; nec detrectare; totius regni sui iudicio se subijcere, cui æquum esset, & THOMAM per omnia parere. Ad quæ ille; Hoccine, inquit, est satisfacere, post tam inauditam omni memoria orphanorum, pupillorum, viduarum, & infantium etiam proscriptionem, post se & suos, ob nullam aliam, quàm ecclesiæ defentionem & tuitionem, bonis & possessionibus exutos, adeò Regem nihil rebus emendandis studere, vt quotidie grauiora etiam detrimenta accumulet? Et quo demum iure, superiores ab inferioribus, Primatem præsertim à suffraganeis, aduersus quos aliæ etiam iustæ exceptiones supperterent, iudicium excipere cogendos, in ea etiam causa, quæ in iudicium cadere non potest? Esse enim iam olim ab Apostolis, ab ecclesia, Deóque ipso hanc causam tam clarè, & expedite definitam; vt in controuersiam & quæstionem amplius vocari non poterit. Hortatur igitur tandem *Londinensem*, & alios Episcopos, vt omni consilio, suasione, atque increpatione non cessent, Regem officij sui admonere: neue se causis ecclesiasticis temerè immiscent,

ne proroget sibi quam non habet iurisdictionem, ne rapiat ad suum tribunal, quæ ad cognitionem ecclesiasticam pertinent, vt veterem suam erga Apostolicam sedem obseruantiam exerat, vt meminerit vetus illud præceptum, hodie etiam in quibuscunque principibus locum habere, Homo quicunque fecerit in superbia, vt non exaudiat sacerdotem & iudicem, morietur. Vt in præclari, primi, optimíque Christiani principis CONSTANTINI laudata vestigia incurrere studeat, qui noluit se aduersus Episcopos litigantes arbitrum interponere; sed querelas eorum mutuas, scripto ad se delatas, Vulcano mandarit, adque eos dixerit. Vos dij estis, à vero Deo constituti, ite & inter vos causas vestras iudicate, quia dignum non est, vt nos homines iudicemus Deos.

Deut. 17.

HAEC & alia in suis THOMAS ad Episcopos literis, quæ, ne nimij simus, consulto præterimus. Visuntur & aliæ THOMAE ad vniuersum Christi in ANGLIA populum. In quibus vehementer deplorat inconsultam, & præcipitem illius facilitatem, qua etiam iuramento ALEXANDRI Pontificis, vt diximus, authoritatem eiurarunt, denuncians illud nullas omnino vires habere: Omnibúsque qui id metu præsertim, magis quàm prona voluntate præstiterunt; pœnitentiam temeritatis suæ capientibus, pia indulgentia consulit, data Episcopis potestate, ex sua & *Apostolica*, qua amplificatus erat, authoritate, pœnitentes eo crimine eximendi. Visuntur THOMAE ad *Hereforaensem & Wigornensem, Wintoniensem & Norwicensem* priuatim literæ; qui ceteris constantius ei adhærescere videbantur. Quibus, alijsque vltrò, citróque missis iam dimissis literis, persequamur paucis cetera, quæ ad THOMAM atque Episcopos, & Regem in hac causa pertinent. HENRICVS igitur, cum neque ALEXANDRI *Pontificis*, neque *Ludouici* Regis *Franciæ*, qui summa animi propensione ferebatur in *Thomam*, eúmque cum coëxulibus in *Gallia* liberaliter fouit, animos abalienare potuisset; & deiectum se de ampla ea spe, qu am de *Gulielmi* & *Othonis*, de qua diximus, legatione conceperat: tam infesto odio THOMAM persequebatur, vt & bona presbyterorum in diœcesi *Cantuariensi* decedentium, & vacantes ecclesias inuaderet, & suo arbitrio, in demortuorum loco, alios sufficeret. Imo illius causa, quódque ei ALEXANDER adhæresceret, se ab vnitate ecclesiæ, & sua in ALEXANDRVM obseruantia abrumpere, & falsum, vitióque creatum Pontificem fouere cogitauit. Nunciosque (è quibus fuit IOANNES *Oxoniensis*) ad *Fridericum* Imperatorem, schismatis caput, misit, qui ipsius nomine, mandatóque obedientiam, quam ALEXANDRO debuit, eiurarent. Proposuitque *Eboracensem Londinensemque* Episcopos, & *Ioannem* illum cum archidiacono Pictauensi *Romam* mittere, qui apertè ALEXANDRO significarent illum cum populo suo ipsius obseruantiam abdicaturum, nisi *Thomam* desereret, & palam coram legatis suis iuraret, se regias illas consuetudines *Romanæ* sedis authoritate confirmaturum. Ad quam obseruantiæ in ALEXANDRVM renunciationem, laicus passim per ANGLIAM, vt dixi, populus, iureiurando constrictus est; Ingensque eam ob causam LONDINI Episcoporum, & Abbatum synodus indicta est. Qui cum noluissent in eam se perfidiam dimittere, coactus est HENRICVS eas cogitationes abijcere, & alias aduersus THOMAM suscipere,

Extat ipsius regis ea de re ad Reginaldum Cel episcopum epistola inter epistolas Tho. quas incipit duo desiderans.

SED ne eos forte insigni aliquo THOMAS detrimento afficeret, appellationem contra eum, quibus ea in re *Londinensis* & *Saresburiensis* præierant, interposuere. Ad quam tamen *Exoniensis* induci non potuit; *Roffensis* vero simulans ægritudinem abfuit; *Wintoniensis* missis literis, significauit se, à summo Pontifice euocatum, appellare nolle. Non ille quidem, de ALEXANDRO sentiens, sed Christo, ad cuius tribunal, propter decrepitam ætatem, se propediem sistendum nouit. De hac (nisi fortè sit alia, alio tempore proposita Episcoporum, aut prior renouata appellatio) *Wintoniensis* ipsius literæ extant. Quæsitum enim erat ab Episcopis, an Priori appellationi adhæresceere vellent? *Dunelmensis* interrogatus, respondit, neque priori se interfuisse prouocationi; neque se de ea posteà per scripta, aut sine scriptis interpellatum. Deliberaturum itaque se cum Archiepiscopo suo. Inscientiam similiter prætexuit *Exoniensis*. Quod si anathema, quod THOMAS promulgarat, summus quoque Pontifex confirmarit, religioni summæ sibi fore, aiebat, tantæ authoritati non parere. Neque tamen omnem sibi prorsus prouocationem displicere; non eam, quæ futurum, sed quæ præteritum tempus respiceret. Quæ eius à *Londinensi* sententia, magna cum indignatione & explosione, reiecta est. Aduersus quem, & alios quosdam Episcopos, quid per Pontificem summum, THOMAMque actum sit, locus iam postulat, vt pauca dicamus. Exordiamur à *Londinensi*, quem THOMAS videtur habuisse, & iudicasse capitalem quendam suum hostem, & quasi facem quandam totius huius incendij. Qui tamen videtur

Inter epistolas Thom imp incipit acta nostrorum ad Cantuarienses.

tur grauem quandam Regis indignationem incurrisse cum *Norwicensi*: Vocatusque est ad tribunal regium, quod possessiones Comitis *Hugonis* interdicto suppositorat; eumque anathemate ferijsset. Mandarat ei Rex, vt ille annuos prouentus beneficiorum, quæ in diœcesi ipsius ad coëxules *Thomæ* spectabant, legeret, & conseruaret. Sed cum præcepto THOMAE grauique interminatione, vt ea dominis restitueret, constringeretur, quid ageret animi hęrens rogabat Regem, vt, ratione reddita, eo onere exueretur, quod inuitus susceperat. Sed cum beneficia, prouentúsque eorum, exulibus, vt mandatum erat, non restituerentur, multáque alia THOMAE mandata *Londinensis* ptæuaricatus esset, anathemate THOMAS eum perculit. Misitque literas ad reliquos Episcopos, vt per diœceses suas, quid contra eum gestum esset, vtque ab omnibus declinaretur, palam denunciarent. *Matth. Par. an. 1164.* *Matth Par. an. 1166.*

ENIXE *Londinensis* cum Episcopis egit, adhibitis etiam regijs ministris, qui graues terrores denunciarent, ne execrationem illam diuulgarent. Sed frustra. Per *Norwicensem* enim, *Cestrensem*, *Wintoniensem*, *Cicestrensem*, omnibus palam innotuit. Rex verò cum hoc intelligeret, blandè *Londinensem* consolatus est, bonóque animo esse iussit. curaturum enim se apud ALEXANDRVM, ne THOMAS aliquam huiusmodi deinceps molestiam, sibi aut suis exhiberet. *Londinensis* verò iter *Romam* versus postea ingreditur, vt se contra THOMAM iustis ex causis prouocasse, iniustèque se ab eo premi ostenderet, atque vt ab execratione exolueretur. Sed dum adhuc esset in itinere, recepit apud *Mediolanum* pontificis literas, quibus *Rothomagensi* & *Exoniensi* potestatem dedit, vt accepto ab eo iuramento, quo sponderet, se pontificio iudicio staturum, ab execratione eximeretur; à qua deinde apud *Rothomagum* exemptus est. In quam tamen cum *Saresburiensi*, propter vitiosam, de qua diximus, iunioris HENRICI regiam inunctionem, postea rursus incidit. Ob quam etiam causam, & *Eboracensis*, qui diadema capiti imposuit, & alij Episcopi, de quibus diximus, ob præsentiam & consensum, & quòd passi sunt iusiurandum à nouo Rege, de damnatis illis consuetudinibus exigi; ab Episcopali omni functione & administratione, ad tempus per ALEXANDRVM abdicati sunt: Pontificisque summi de ea re literæ, paulò ante THOMAE in ANGLIAM reditum, inuectæ sunt, Episcopísque traditæ. Extantque *Thomæ* literæ ad *Idoneam* sacram quandam, vt videtur, virginem, cui potissimum, vt *Eboracensi* literas ALEXANDRI traderet, negotium (quod constantissimum quemuis hominem deterruisset) datum est. Episcopi, *Eboracensis* præsertim, cum *Londinensi*, & *Saresberiensi*, mira indignatione his ex rebus perciti sunt, & per nuncios cum THOMA, recens ANGLIAM ingresso, solicitè egerunt, vt per eum ab ea sacra nota liberarentur. THOMAS etsi diceret hoc totum ab ipso pontifice summo profectum, cuius ille actiones rescindere non posset, cum tamen eorum nuncij, & milites quidam valde eum vrgerent, respondit tandem; se tantum de summi pontificis benignitate, & æquitate præsumere, ac benè sperare, vt ad solidam pacem ecclesiæ *Anglicanæ* restituendam, id illis, & alijs beneficium tribuere non grauaretur, modò illi cauerent se ecclesiæ iudicio parituros. Quod quidem *Londinensis* & *Sarisburiensis* facere non detrectassent, nisi eos *Eboracensis* in aliam sententiam traduxisset. Habeo, inquit, numeratæ & expeditæ pecuniæ octo librarum millia; Quam ad assem omnem exhauriam, si necesse sit, potius, quàm vt ita de nobis THOMAS triumphet. Quin adimus Regem, cuius hactenus patrocinio stetimus, & deinceps, nisi nostra nobis ipsis socordia defuturi simus, aduersus eum stabimus. Ne committatis, vt stultè existimetis, post tam capitales inimicitias, solidam vllam apud eum gratiam iniri iam posse. Facilè nos paulatim, dum nihil ab illo timebimus, obruet, & dignitate omni exutos miserè euertet. *Matth. Pa 1169 & 1170.* *Extat hæc epist. lib. 5. vitæ Thomæ.*

HIS, alijsque id genus verbis ita illos acuit, vt in *Normanniam* cum eo ad Regem transmiserint. Ad cuius pedes prostrati, THOMAM acerbis verbis criminati sunt; qui singulari ipsius, qui deposita omni offensione in gratiam eum rursus admiserat, beneficio ingratus; in ipso regni ingressu, tam enormi in Episcopos contumelia, veteres iniurias maiori iam cumulasset. Nescis, nescis, Amplissime Rex, in quas redigeris angustias, cum nec sermonem cum istis meis coëpiscopis miscere poteris, nisi diram sacræ *execrationis notam subire velis. Per quam tamen, mihi adhuc os non est obstructum, quin & tuas & meas iniurias, apud te deplorare possim. At illi, quod regiæ inunctioni filij tui interfuerint, alijque omnes, qui eidem suffragati sunt; ab ingratissimo isto omnium, quos sol vnquam vidit, diris miserè sunt deuoti. Neque tam nostræ nos mouent iniuriæ, neque detrimenta insignia quibus afficimur, quam regni, & regiæ tuæ maiestatis periculum, nisi orienti maturè malo occur- *al. expeditionis.

occurratur. Ille enim veteris proscriptionis memor, aduersus similes casus magna equitum, peditumque frequentia stipatus, validè se munit. Rex cum hæc, & alia id genus audisset, & vereretur ex Episcoporum criminatione, ne & ipse anathemati obnoxius esset, iracundia & dolore, plus quam credi potuit, exarsit; doloriſque tandem magnitudini succumbens, huiusmodi voces & querelas deprompsit, quæ THOMAE exitiales postea, vt diximus, fuere. Quo cæso, magnus Episcopos dolor excruciabat, qui sententia illa & nota ALEXANDRI, adhuc manebant impliciti & irretiti. Et ante quidem cædis auditionem, magna spes erat pontificis facilè ad veniam, & miserationem per Episcoporum nuncios inflectendi. Illius verò semel auditæ dolor, tam altè, & tam acerbe pontificis pectori insedit, vt ne domestici quidem ipsius, ad octo dies, colloquio potirentur; Differtéque mandatum est, ne quisquam ANGLVS in illius præsentiam veniret. Remittente se tamen cum tempore, doloris acerbitate, nouisque etiam nuncijs, partim qui innocentiam Regis contestarentur (è quibus fuit *Wigornienſis*) partim, qui supplices Episcoporum causam promouerent, *Romam* aduentantibus; tandem post longam moram, Episcoporum nuncij *Eboracenſis* & *Sarisberienſis* hactenus admissi sunt, vt iusiurandum præstarent, eos quorum negotia procurabant, præceptis pontificis obtemperaturos. Eodémque die (qui fuit sacer ille Iouis dies, qui l'Ascha antecedit) ALEXANDER in authores cædis anathema fulminauit, & qui eam consilio, auxilio, vel consensu promouerant. Post aliquot vero dierum moram, missæ sunt Pontificiæ ad *Biturienſem* Episcopum literæ, vt *Londinenſem* & *Sarisburienſem*, præstita de more cautione, ab abstentione, aut, vt appellant, suspensione ecclesiastica eximerent. A qua *Londinenſis*, post iuramentum datum, se nec verbo, facto, nec scripto THOMAE necem procurasse, cum ceteris exemptus est. *Matth. Pa. 1172*

De alijs Londinensibus *Episcopis*, *de* Gulielmo Londinensi *pseudomartyre*, *de* Laurentio *Ciue* Londinensi, *deque quibusdam huius diœceseos cœnobijs.*

CAPVT XXIV.

Flor. 1187. GILBERTVS vero (qui ex Abbate Canonicorum Regularium diui *Augustini*, *Herefordenſis* Episcopus factus; ab *Herefordia*, *Londinum* translatus est) eo anno, qui obitum Regis antecessit, fato functus est. Cui à RICHARDO Rege, RICHARDVS *Elienſis* Archidiaconus, qui erat à Regis thesauris, surrogatur. Et huic post nouem annos, GVLIELMVS Canonicus ecclesiæ eiusdem. Fuit verò quædam, inter RICHARDVM & KOFFENSEM. in HVBERTI *Cantuarienſis* consecratione contentio: vter priorem, in cæremonijs eo die obeundis, locum obtineret; *Londinenſi* eò quòd decanus esset Episcoporum, *Roffenſi* vero, quòd Archiepiscopi sacellanus esset eum sibi locum vendicante. Quæ ita tandem sopita est, vt integro tamen, atque inconcusso vtriusque iure, *Londinenſis* dextram HVBERTI in prima ipsius exceptione, *Roffenſis* verò in pallij ab eodem susceptione occuparet. Orationem verò illam statam, cùm pallium humeris eius interponeretur, cúmque in sede collocaretur, *Londinenſis* pronunciauit. Inter alios in hac diœcesi oriundos, celebrantur doctrinæ & pietatis nomine, *Ioannes Tilberienſis* ex familia THOMAE, antequam abiret in exilium; & *Henricus Londinenſis*, qui comes & socius fuit exilij, in quo & obijt, dum nuncius à THOMA ad Pontificem mitteretur. *Londini* vero accidit quiddam hoc sæculo, lectu & animaduersione dignum, & affine cum illo, quod autea de matre THOMAE *Cantuarienſis* narrauimus. *Matth. Par. & Flor. 1189. 1198 1199.* *Gernaſ. in chron. 1193.* *In vita Thom. impr. lib. 4.*

INTER ceteros, qui in sacram expeditionem abiere, fuit *Laurentius* quidam in ea ciuitate natus; qui in potestatem hostium captiuus venit; vitámque in carcere diu, solo pane ordeaceo pastus, & aquæ potu traduxit. Vir vero illustris, qui eum captiuum tenebat, hoc in more habebat, vt statis quibusdam diebus, quos ille pro sua superstitione celebriter, & sumptuosè colebat; custodiæ in eius præsentia, ad mensam humiliorem lautius solito epularentur. Cuius vnica filia in *Laurentium*, qui eleganti & speciosa vultu fuit, oculos sæpe contorquens, miro tandem cœpit illius amore exardescere. Neque quieuit, donec carceris præfectum eo perduxisset, vt liber illi, frequensque ad *Laurentium* ingressus pateret. Et cum in-

cum indies nouas amoris sentiret ex familiaritate accessiones, ingenuè fatetur tandem, se totam illius amore ita captam, vt nihil magis malit, quàm matrimonium cum eo inire. At ille religione, ne id fieret, cùm esset Christianus, se prohiberi; alioqui, inquit, modò me ex hoc carcere expedias, tuo desiderio satisfaciam. Et ego inquit illa, & me christianam futurã spondeo, & illam alteram curam in me suscipio. Et quod verbis iniuit, rebus ipsis posteà præstitit beneficium, furtimque cum eo fugam iniit; *Londinumque* tandẽ cum *Laurentio* peruenit. Qui pontificem vnâ cum muliere adijt, rémque omnem ei patefecit. Illam ergò pontifex, fidei rudimentis imbutam, baptismo posteà perfudit. Domum verò reuersa, antequàm cibum caperet in grauem ægritudinem, ex qua eodem die obijt, mox incidit. *Laurentius* pro epithalamio, epitaphium cecinit. At illa, pro humanis, cœlestes hymenæos cum sponso Christo sortita est. At *Laurentius* charæ sponsæ, & assertricis memoriam nunquam deposuit; alimenta pauperibus, qui animam eius Deo commendarent quotidiè præbens. Author meus tradit, hunc *Laurentium*, quandam ex consanguineis ipsius in vxorem sibi postea asciuisse, multísque solitum ostendere sponsæ annulos, & gemmas magni quidem pretij & exquisiti artificij.

Autor quidam innominatus an. 13. Henr. 2.

Fvit hoc sæculo *Londini Gulielmus* quidam, qui à prolixa barba (quam quasi in *Normannorum*, qui barbam sibi demere solebant, contemptum nutrire putabatur) cognomen sortitus est. Quem quidam in cœlitum, & martyrum adeò numerum referunt. Quam ego illi dignitatem tribuere non audeo, & in *Nouoburgensis*, qui res illius gestas, ab ijs qui interfuerant, exactiùs didicerat, sententiam potius concedo. Neque enim vel ita vixit, vel ita mortuus est, vel ita quicquam præclari post obitum gessit, vt tam amplum & angustum in se nomen tueri, & sustinere possit. Fratrem enim educatorem suum, & optimè de ipso meritum, proditionis apud principem detulit. Quam ille tamen accusationem, vt à natura ipsa abhorrentem, repulit. Cúmque apud plebem, insita quadam facundia, ingenijque acumine, & ob criminationem quotidianam potentium, vrbísque principum; qui immodicis eos exactionibus, supra facultatum rationem, per speciem regij tributi, premerent, plausibilis & popularis esset, populum ad seditionem importunis huiusmodi, contra potentiores ciues, clamoribus commouit. Súæque factionis homines supra quinquaginta millia habuisse dicitur. In concione verò, quam ad populum inflammandum habuit, is potissimùm sacræ scripturæ verbis abusus est, *Haurietis*, inquit, *aquas in gaudio de fontibus Saluatoris*. Se illi à Deo saluatorem, assertorẽ, & vindicem missum contra potentiorum violentiã; & has à se aquas vberrimè manaturas clamitans.

Idem an. 1196.

Neuburg lib. 5. c. 18. cum seq.

Hvbertvs *Cantuarienſis* Archiepiscopus, cui regni procuratio credita erat, ne quid resp. detrimenti caperet, leniter & blandè populum appellando, obsides extorsit. Milites deinde & ciues misit, qui *Gulielmo* manus inijcerent, vt iudicio se sistere cogeretur. Quod ille sentiens; in templum beatæ Mariae, vt dicitur, *de arcubus*, præsidij sui, asylique causa confugit. Inque ipso ingressu, ciuem quendam, qui se illi opponebat, obtruncauit, & pellicem secum in eandem ecclesiam abduxit, sacrum Dei templum nefariè polluendo, & commaculando. Vana autem spe lactabatur, arbitratus tumultu se populi liberandum. Qui cùm pedem non moueret, tum obsidum suorum, tum militum metu deterritus, immisso tandem in templum igne, *Gulielmus* prodijt; & læsæ mox maiestatis damnatus, seditionis suæ graues pœnas, cum alijs suę factionis nouem exoluit. Populus verò qui viuum defendere non est ausus, ad maiorem potentioribus inuidiam; quasi hominem innoxium calumnijs suis sustulissent, *Gulielmum* velut martyrem adorare cœpit. Iactatæque sunt voces, nescio quem catenæ ipsius tactu febrem excussisse. Adeoque leuis hominum credulitas, & veneratio progressa est, vt noctu patibulum ipsum, & terræ ipsi adiunctæ non paruam molem auferrent; magnáque ad supplicij locum frequentia, religionis ergò concurrerent. Verum enimuerò, cùm sacerdos *Gulielmi* propinquus, qui commentitij illius miraculi author fuerat, meritis mendacij sui pœnis irretitus fuisset, militésque superstitiosum populum, ab eo loco arcerent; post paucos dies, omnis ista erga nouum martyrem religio, & adulterina miracula prorsus euanuere. Est in hac *Londinensi* diœcesi quoddam Regularium Canonicorum cœnobium, quod Richardvs *Londinienſis*, de quo diximus, Episcopus in sua apud *Chiche*, vbi diua Ositha miraculis inclaruit, diœcesi condidit. In quod & seipsum, vt longa iam paralysi exhaustũ totũ, abdicatis & reiectis omnibus mundi negotijs, diuinis rebus & meditationibus dare se posset, transferre cogitabat. Quas tamen suas cogitationes non perfecit. Est & cœnobium *Stratfordiæ* positum hoc seculo, prope *Londinum*, à *Gulielmo de monte Fichet* equestris ordinis homine. Est & *Cistercienſis* disciplinę *Coggeſthallenſo* cœnobium, quod ad preces Mathildis vxoris, Stephanvs Rex condidit. *Walthamenſe* vero cœnobiũ, sæculariũ, vt appellant, canonicorum sanctæ cruci dicatum, quod Haraldvs Rex struxerat; per Henricvm *ſecundum*, Episcopis & legato

In commentario chronic. Gallico.

Fab. vol. 1 parte 7. cap. 232.

Fabian. vol. 1. parte 7. cap. 233.

 ponti-

Pontificio annuentibus, ad Regulares, vt eos appellant, traductum est. Qua in re, vt & in cœnobijs *Amesburiensi* & *Withamensi*, nescio an ille magis eluserit quam exoluit votũ, quo expiandæ THOMAE cœdis causa, trium cœnobiorum ædificationem spoponderat. *Rodulphus Cicestriensis* Canonicus, primus eius ordinis Prior, ibi designatus est. *Maria* diui THOMAE soror *Bercingensi* cœnobio ab eodem Rege præfecta est. Celebres quædam Diuorum translationes, hanc hoc sæculo vrbem illustrarunt. In diui PAVLI ecclesia, ERKENWALDI eiusdem sedis Episcopi, & apud *Westmonasterium* Regis EDOVARDI Confessoris, cui Rex HENRICVS interfuit, ceremonias obeunte THOMA *Cantuariensi*. Cuius cœnobij magnum fuit pietatis & religionis, & doctrinæ nomine ornamentum *Gilbertus*, eiusdem cœnobij profectus, ANSELMI, & tanto præceptore dignus, discipulus. Augendæ doctrinæ, vberioris que cognitionis gratia, literis operam in *Gallia* dedit, & *Romam* etiam inuisit. Inde per *Maguntiam* redeunti, magna disceptatio orta est cum *Iudæo* de lege diuina. Quam ille tandem in dialogum redactam scriptis mandauit, & ANSELMO dedicauit. Commentatus est etiam quædam in *Ieremiam*, & *Esaiam* prophetas. Obijt ad annum millesimum centesimum decimum septimum. Non desunt qui hunc statuunt *Lunicensem* in *Hibernia* Episcopum,

Fab in Henr. 2. cap 138 Polid lib 13. Matth. Pa 1177. Floril 1176.

Matth. Par. & Florl 1148. Matth Pa 1163. Florl. 1164.

Ioan. Beland.

HVIVS societatis præses secundarius, seu Prior fuit, ad STEPHANI Regis tempora *Osbertus*. Qui in describendis vitis Regis EDWARDI, EDMVNDI Regis & martyris, diuq; EDBVRGAE operam suam posuit. Huic etiam cœnobio *Laurentius Dunelmensis* prius cœnobij præses, studio & gratia HENRICI *secundi* præfectus est. Atque in locum *Geruasij*, qui STEPHANI Regis ex fratre nepos, ex eo loco deturbatus est, quod perditus ac * profusus esset, & cœnobij bona disperderet ac dissiparet, suffectus est. Reliquit *Laurentius* post se, quædam eruditionis suæ monumenta. Inter quæ vitam BRIGIDAE, & quædam de diuo CVTHBERTO contexuit. Eiusdem etiam cœnobij alumnus fuit, regnante STEPHANO, RADVLPHVS, qui erat ei & ab eleemolyna, & à sacris concionibus. Quas multo cum fructu ad populum habuit, quas & scriptis, cum huc incitante *Laurentio* Abbate, ad posteritatis vtilitatem, homelias videlicet in epistolas & Euangelia complexus est. Accedat his *Richardus*, canonicus regularis ad *Trinitatis* tanum in eadem vrbe. Qui cum RICHARDO Rege in *Palestinam* & *Syriam* profectus est, resque illius gestas tam in ea expeditione, quam post reuersionem, conscripsit. Ex cuius nos libro, multa, cum de RICHARDO ageretur, mutuati sumus.

** al profusus nepos esset.*

De Episcopis Nordouicensibus.

CAPVT XXV.

Flor & Matth. Par. 1119.

HEREBERTO, qui fuit HENRICO Regiã consilijs, & legatus ab eo ad PASCHALEM missus, de quo antea tantum, quantum fat erat, diximus, defuncto; successit EBRARDVS siue EVERARDVS ecclesiæ *Sarisburiensis* Archidiaconus: qui & biennio post eius obitũ consecratur. Is cum vnus prius esset *Suffolchiæ*, duos constituit Archidiaconos. Cui, post viginti octo annos, propter nimiã crudelitatem exauthorato, GVLIELMVS *Torbus Normannus*, principis ecclesiæ monachus & præfectus, quẽ Priorẽ appellant, substituitur. Incidit iste GVLIELMVS in turbulenta illa tempora, quibus THOMAS ita exagitatus est: In quibus tamen ille optimũ egregij pastoris specimẽ, fortémque se athletam præbuit: cum in synodo Episcoporũ a Rege vrgerentur, vt *Alexandri* genuini & germani pontificis obseruantiæ nuncium mitterent, & pseudopontifici se consociarent. At *Gulielmus* non ipse modò se fortior opposuit, sed masculo & infracto animo author fuit ceteris, ne huiusmodi se schismate commacularent. Qua de re meritis eum laudibus THOMAS *Cantuariensis* effert, Cúmque gratiã ille cum Rege iniisset, iámque in ANGLIAM iter maturaret, GVLIELMVM potissimũ per literas huius boni certiorẽ facit. GVLIELMO sedente, *Nordouicensis* ecclesia incendio miserè conflagrauit. Hunc excepit IOANNES *Oxoniensis*, vir facundus & doctus, & *Anglicanæ* historiæ, quã & ipse contexuit, accurate peritus. Vir tamen doctior, quã constantior, vt qui regiæ se voluntati deuouerat. Cui vt inseruiret, illius causam contra D. THOMAM, vna cũ aliis, de quibus diximus, legatis apud ALEXANDRVM *Senonis*, & postea *Romæ* promouit. Qua in re ipsũ pontificẽ ita circumuenit, vt THOMAS ipse apud eundẽ ALEXANDRVM deplorat, vt pene omnẽ melioris rerũ successus spẽ THOMAE eripuerit, ad solã regis gratiam, ab ALEXANDRO ad tempus reiectus: schisma etiã, quod FRIDERICVS *Augustus* excitarat, debilitatũ iam & pene emortuũ, sua apud FRIDERICVM legatione restauratum, cum *Reginaldus Colonensis*; aliique ecclesiastici & profani principes ALEXANDRVM, & IOANNES ipse, absentis Regis sui nomine, iurarent. Quare & ALEXANDER, & THOMAS anathemate eum feriebant

Flor. 1121. Flor 1149. & 1150 Hen Hunt de summa rerum l b 10 appellat Fructa diem Vide epist. Tho. Cant ad eum l. 5 quæ incipit, vt aliquid. Dist lib 5 in epist. gestas hic Matth Pa 1174 & Flor Ioan. Lelandus.

Vide literas Thomæ suffragan. l b 5. post initium &c. & Gerard Sarisb l 2 Hist. Celebr. &c.

runt,cũ cõtra & ecclesiasticos canones,ipsorúmque interdictũ ad decanatũ se *Saresb.* ingeret.SED his sẽ rationibus in tantam Regis HENRICI gratiam insinuauit, vt *Cicestrensis* primum,deinde & *Nordouicensis* post GVLIELMVM, à cuius ille præclara, de qua diximus, constantia longè abfuit,constitueretur, Alias etiam pro Rege legationes obijt, præsertim in *Sicilia*,in promouendis IOANNAE Regis filiæ sponsalibus. Peruenit ad IOANNIS tempora,annumque domini ducentesimum supra millesimum, & vigesimum sextum administrationis suæ. Ecclesiam ab HEREBERTO incœptam, ipse demum absoluit; Ecclesiámque sanctæ *Trinitatis* apud *Gipwicum*,cum ædibus incendio absumptam reædificauit.Protulit hæc hoc sæculo diœcesis, eximium illum eremitam GODRICVM, cuius nos alibi historiam fusiùs explicabimus. *Flor. 1100.*

De Episcopis Cicestrensibus.

CAPVT XXVI.

POST RODVLPHVM SIGEFREDVS siue SIFREDVS hanc ecclesiam imperante HENRICO [a] administrauit, Abbas priùs *Glascontensis*. HILARIVS deinde, de quo satis, cùm THOMAE *Cantuariensis* illam historiam, & perturbationem tractaremus, anteà diximus. Quem miror ab vtroque *Matthæo* prætermissum. Post eum verò [b] IOANNES ecclesiæ eiusdem decanus, qui [c] obijt ad annum millesimum centesimum octingentesimum. Huic succedit [d] SIGEFRIDVS *secundus*, tum [e] SIMON, qui obijt millesimo ducentesimo septimo.Cuius ecclesiæ cœnobium hoc sæculo [f] incendio periit. Fuit huius ecclesiæ decanus *Iordanus*,fuit & *Matthæus*, viri docti, & THOMAE *Cantuariensis* familiares, sed tamen exilij illius haud quaquam participes.

a *Matth Par. & Flor. 1125.*
b *Matth. Paris 1173. & 1174.*
c *Flor 1180.*
d *Ex indice ecclesiæ Cicestr. de quo Par. & Flo. non meminere.*
e *Floril*
f *Matth.Par & Flor 1183. Videli 4. de vit. Thomæ.*

De Episcopis Wintonienſibus.

CAPVT XXVII.

MORTVO RVFO,*Wintonienſem* Episcopatum a RVFO Rege miserè debilitatum, & exhaustum, HENRICVS Rex GVLIELMO *Giffardio* commendat. Cúmque adhuc contentio illa,de inuestituris inter Regem & ANSELMVM ferueret, qui Episcopos à Rege designatos, missósque ab eo in possessionem recusabat (ne receptos ecclesiæ ritus, & patrum scita pernelleret ac polluęret,) initiare;GIRARDVS *Eboracensis*,cui Regis voluntas & gratia,canonum obseruantia grauior erat,ceteros quidem ex Regis mandato consecrauit.Sed cum GVLIELMVS,vt ab eo initiaretur in animũ inducere non potuisset,quippe apud quem legum & canonũ magis,quàm Regis reuerentia præponderabat:bonis & facultatibus exutus, in exilium abigitur. At cum Rex postea à veteri sententia recessisset, mississéque HERBERTVM *Nordouicensem*,de quo diximus,& ROBERTVM *Lichefeldensem*, quorum consilijs magnopere nitebatur,*Romam*,vt PASCHALEM,si fieri posset,ad suam voluntatem traducerent; profectus est,& GVLIELMVS *Romã* cum ANSELMO,& GIRARDO *Eboracensi*.PASCHALIS verò,re tota diligenter cognita, quæ anteà,licet perperã, gesta erant,confirmauit; seuerè mandans,ne de cetero quicquam huiusmodi tentaretur.Reuersus itaque ANSELMVS, cum bona Regis gratia, qui inuestituras iam non vrgebat,quinque Episcopos, inter quos fuit *Wintoniensis*,consecrauit.Post cuius obitum,locum eius capessit HENRICVS Abbas *Glascontensis*,HENRICI ex sorore nepos,frater Regis STEPHANI. Qui licet fidem astrinxerat suam, post obitum HENRICI, filiæ ipsius MATHILDI;omnem illam,eo mortuo,promissionem rescidit, vt fratrem STEPHANVM ad sceptra eueheret. Quod certè sua, qua maxima apud principes & populũ flagrauit, gratia facilè perfecit. Magnum sanè & viuente HENRICO,& maiorẽ,eo mortuo,legatione etiam summi pontificis auctus; in negotijs omnibus expediendis authoritatem obtinuit. Quæ,lites aliquot inter eum & THEOBALDVM *Cantuariensem*, cum iste illi suo suffraganeo cedere,dignitatísque suæ fasces illi submittere,illéque rursũ quicquam de concessa sibi, & aduentitia illa amplitudine imminuere detrectaret, peperit. Quæ contentio, vtrumque iter *Romam* vsque suscipere commouit. [g] In HENRICVM verò LVCIVS Pontifex adeò propendebat, vt si *Matthæo Parisio* credendum sit, pallium, ad eum miserit; & Archiepiscopum eum constituere, septémque suffragantes Episcopos, *VVintoniensi* ecclesiæ subijcere cogitarit. Habuit verò HENRICVS, Lega-

Matth Par & Flor. 1100.
Polid lib. 11. Matth Pa 1101
Matth.Pa 1107 Ad ann. 1129. Flor.
g *Nuber li 1. c.10 Floril & Math. Par. 1142 vbi manifestus est lapsus, qui ponit obitum Guliel. Wint eo anno vi & Flor Qui in eo anfetur. eum pro Wint. Lincolniensem ponat.*

Legationis suæ prærogatiua, Synodos aliquot, ad quas & THEOBALDVS accessit. E quibus vnam *Wintoniæ*, ad quam fratrē STEPHANVM accersiri curauit, rationem redditurum de iniurijs *Saresburiensi*, & *Lincolniensi* episcopis (de quibus postea dicemus) irrogatis. At ille Comitem *Albericum* ad Synodum misit, qui ostenderet, nihil à Rege præter officium & iustitiam factum. Et quoniam diutina bellorum consuetudine, & quotidianis domi tumultibus, omnia tam sacra quam profana perturbabantur, confundebantur, & prædæ atque rapinæ exponebantur; sublato omni, inter profana & sacra loca, inter non sacratos & sacratos, discrimine, quibus passim manus violenter inferebantur, quique in carcerem abducebantur; huic malo hac cautione, præsente Rege & annuente, prospectum est, vt qui de cetero ab huiusmodi iniurijs sibi non temperarent, diro anathemate ita irretirentur, vt ab eo expediri non nisi per summum pontificem possent. Quin & miseris agricolis prospectum est, vt si quis eos, dum terræ aratro proscindendæ, ad necessarios vitæ humanæ vsus operam darent, violaret, eodem anathemate implicaretur. In domesticis istis aduersus MATHILDEM tumultibus, multis HENRICVS curis, laboribus & periculis exercitus est. Et licet capto per eum fratre, fortunæ atque necessitati cedere coactus sit, MATHILDEMque in *Wintoniam* honorificè admiserit; turpiter tamen eam paulo post fugere, & se mortuam simulare, vt hoc fuco præsenti se periculo eximeret, coëgit. Atque in hac temporum exacerbatione, quædam admississe traditur, non satis rectè & ex officio facta, nisi forte temporum ratio, & necessitas culpam aut tollat, aut extenuet. E quibus est, quod principes quosdam viros ad conuiuium amicè inuitatos, non prius dimiserit, quàm arces quasdam, quas detinebant, illis extorsisset. Incendium præterea *Hidensis Wintoniæ*, & *Waruellensis* cœnobij, & aliorum sacrorum locorum, & sacrarum rerum expilatio, ex qua ingentem pecuniam conflasse dicitur. In *Hidensis* verò illius cœnobij incendio, cui beatus olim, vt dixi, GRIMBALDVS præfuit, ibique postea religiosè colebatur; vbi & CANVTVS Rex crucem quandam, auro gemmisque fulgentem posuit: admirabile quoddam ab authore meo, qui tum viuebat, ad eam crucem spectaculum accidisse traditur. Antequam enim conflagraret, mirifico quodam sudore totam manasse; ingentem deinde in ipsa conflagratione sonitum, quasi ex vehementi quodam de cœlo tonitru, idque ter repetitum dedisse.

Math. Par. 1142. Nubrig. li. 6. 10.

Add. ad Floren. Wigorn.

Math. Par. 1140. Gerual. in chron. addit. ad Floren. Wigorn.

In dict. addit. ad Florent. Wigorn.

VTCVNQVE sit, ecclesiam certè *Wintoniensem*, successores suos, atque adeo monachos, amplissimis possessionibus (de quibus scriptum confecit, quod adhuc ad rei memoriam extat) partim de suo, partim recuperatis, quæ prædecessorum incuria, vel temporum iniuria intercciderant, mirificè auxit. Nobile vero illud propter *Wintoniam* pauperum hospitium, cum sanctæ crucis ecclesia, ab illius sumptu, munificentia, & pietate profectum est. Quod INNOCENTIVS & LVCIVS Romani pontifices, authoritate, quanta potuerunt, maxima confirmarunt Fuit vero inter alios *Gulielmus* quidam, contra quem HENRICVS graues depromit querelas, in quem à puero illustria sua beneficia posuerat, cuique ob singularem fidei fiduciam, possessiones ecclesiæ suæ tuendas in absentia crediderat: qui eo tamen *Romam* ad negotia explicanda, & in *Hispaniam* pietatis & orationis causa profecto, insigni, omnem illam illius spem, perfidia elusit, ecclesiámque ipsius grauissimis damnis, & detrimentis affecit. Mortuo STEPHANO, cœpit HENRICVS sibi de HENRICO Rege timere. Quare coaceruatam pecuniam clam exportari curauit: moxque & ipse clandestinam fugam iniit. Quam ob rem, in tantam Regis indignationem incidit, vt tres illius arces euerti iusserit. Rediit tamen posteà in Regis gratiam, eámque propensissimam consecutus est: perduauitque ad annum millesimum centesimum septuagesimum primum, lumine oculorum aliquandiu ante mortem priuatus. In illa ceterorum contra THOMAM insectatione, aut nihil contra eum, aut mollius certé egit; extátque THOMAE ad eum epistola, qua gratias illi officiosè agit. Sed de his rebus iam anteà dixi, vt non sit necesse repetere.

Scriptum illorum extat in eodem libro.

Matth. Par. 1155 & add. ad Sigib. 1116.

Matth. Par. & Flor. Rob. Ath. mentiuntur 1172.

Est aliqua inter epistolas non impress.

ILLVD sanè (vt & hoc obiter aspergam) stupendum & prodigiosum est, quòd author meus, illorum temporum æqualis, tradit de cane quodam (quem in delicijs HENRICVS habuit) leporarij formam repræsentante, qui repertus est in ingenti lapide, dum in lapidicina dissecaretur. Quod tamen æquat aut superat, bufo quidam, collo cathena aurea redimito, in dissecto similiter lapide, circa hæc tempora in ANGLIA alibi repertus. Re relata ad Episcopum eius regionis, iussit ille eum mox altè in terram eo loci, vbi in eum lapidem homines illi inciderant, obrui. Magna HENRICVS beneuolentia, & gratia diuum *Bernardum* complexus est; extántque *Bernardi* ad eum literæ, quibus gratias illi officiosè agit. HENRICVM verò excepit RICHARDVS *Pictauiensis* Archidiaconus. Et hunc ad annum mille-

Nubrig li. 1. c. 28

Epistola 93.

milleſimum centeſimum octuageſimum nonum GODEFRIDVS. Celebratur hoc ſæculo *Guntherius Wintoniæ* natus. Qui quòd ſibi in doctrina defuit, pietatis in Deum, & THOMAM *Cantuarienſem*, ex cuius erat familia, magnitudine prolixè penſauit; celſo atque infracto animo omnes exilij cum eo moleſtias, omnino deuorans. Pauca iam de huius diœceſis cœnobijs applicemus. Inter quæ elucet nobile illud *Hidenſe*, quod HENRICVS primus extra pomeria, & ſuburbana ciuitatis *Wintoniæ* ædificauit incommodè priùs intra vrbem, & tam vicino loco, alteri illi cœnobio monachorum in principe eccleſia poſitum, vt cantantes inuicem, ſe in eccleſijs audire liceret. Regnante HENRICO primo defunctus eſt *Gilbertus* princeps *Normannus*, qui cum GVLIELMO *primo* ANGLIAM, vt quidam tradunt, ingreſſus eſt. Quique canonicorum, quos Regulares vocant, cœnobium apud *Mertonum*, ſeptem circiter à *Londino* paſſuum millibus poſuit. *Wintonienſe* verò in principe eccleſia cœnobium, doctrina & ſcriptis ſuis illuſtrarunt hoc ſæculo *Godefridus* & *Richardus* monachi. Quorum poſterior res geſtas à RICHARDO Rege perſcripſit. Alter in verſibus pangendis potiſſimum verſatus, inter alia ſcripſit de laudibus primatum ANGLIAE.

Vtrque Matth.

Polich li 7 c 14. Gul. Malm.

Flor. an. 1125. Polid. lib 26.

De Episcopis Saresburienſibus, *& quibuſdam huius diœceſis viris doctis, & cœnobijs eiuſdem.*

CAPVT XXVIII.

HENRICVS poſt OSMVNDI obitum, ad annum Chriſti milleſimum centeſimum ſeptimum, ROGERIVM hac dignitate ornauit. Quem ille ex tenui & obſcuro, in ſummum locum hac primum occaſione prouexit. Incidit fortè in ROGERIVM in templo quodam *Normanniæ*, RVFO fratre regnante. A quo cum ROGERIVS ſacra myſteria celebrare rogaretur, celebrauit ille quidem, & ita, vt aulicis breuis illius in tantis myſterijs actio valdè placeret. Quibus eum principi commendantibus, in famulitium illius aſcribitur. Cumque nullis fere literis, ſed ingenio, rerúmque humanarum dextra quadam prudentia polleret; adeò cœpit tandem adlubeſcere HENRICO, vt per eum potiſſimùm ſua maioris ponderis negotia expediret. Adeptus deinde ANGLIAE diadema, & hoc Epiſcopatu eum, & multis etiam alijs amplis reipublicæ muneribus amplificauit. Qui cum & accumulandarum opum, nominiſque ſui illuſtrandi nimio, & parum Epiſcopo digno ſtudio teneretur; illas ille quidem in immenſum, neſcio an turpiùs auxerit, an vaniùs profuderit. Duas enim munitiſſimas arces, alteram apud vicum *Schirburnum*, alteram apud eum, quem *Viſis* vocant, immenſis ſumptibus, ſed ſibi exitialibus condidit. Et vnde ſibi tutelam & munitionem ſperabat, inde perculſus & euerſus eſt. STEPHANVS enim Rex, cum à MATHILDE Imperatrice ſibi timeret (cuius in ANGLIAM propediem cum exercitu adfuturæ, iam rumor diſpergi cœperat) vt illas arces in ſuam poteſtatem rediger et, Epiſcopum repentè capit, & tanquam maieſtatis læſæ reum fictis crimi-
40 nationibus, in arcta cuſtodia poſuit, cum ALEXANDRO *Lincolnienſi* Epiſcopo, ROGERII ex fratre nepote. Nec priùs ciborum etiam inopia, metúque grauiter afflictum, ne nepos, qui Cancellarius aliquando Regis fuerat, laqueo (qui quaſi in præſenti exitio imminente, collo eius iniectus fuerat) ſtrangularetur, dimittere ſenem voluit, quàm in arcium poteſtatem veniſſet; *Matthæus Weſtmonaſterienſis* addit, & *Malmesburienſem* arcem.

Matth. Par. & Flor. 1139. Nub lib 1 c. 6. Polid li 12.

POTITVS eſt præterea opimâ pecuniæ præda STEPHANVS, quam ROGERIVS ad quadraginta circiter marcarum millia recondiderat. Cuius iacturæ & iniuriæ memoria, tam altè pectori ſenis infixa eſt, vt ætatis & doloris, mentiſque etiam impotentia, eodem anno viuere deſierit. Illuſtre relinquens omnibus ſui ordinis hominibus documentum, ne terrenis magis, quàm cœleſtibus diuitijs augendis, animum affigant; vtque illud prophetæ
50 recordentur, *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Ad hæc, ne humanæ gratiæ aucupandæ cauſa, à recto & honeſto recedant, ne indè, vnde præſidium ſibi ſperant, prorſus elidantur, vt ROGERIO huic accidit. Qui & beneficiorum in ſe HENRICI, & iuramenti ſui, quod non ſolùm ipſe MATHILDEM heredem agnoſcendo præſtitit; ſed & idem ceteris omnibus dictabat; memoriam, vt maiorem apud STEPHANVM gratiam iniret, perfidè abiecit. Quem licet omnibus modis, officijſque demereri diligenter ſtuderet, neque res nouas, aut motum aliquem aduerſus eum concitaſſet, huiuſmodi tamen, de quâ diximus, ab eo iniu-

Polich. li. 7. c. 8.

Pſal. 61.

ria insigniter affectus fuit. Ille verò, vt inuidiam ex illa, parum Episcopo, vt multis videbatur, digna, arcium constructione imminueret; duo cœnobia ædificauit, monachisque ea repleuit, Credebatur autem à multis STEPHANVS, grauem his Episcopis iniuriam, præter omnem iuris rationem, eorúmque merita irrogasse, & cum primis ab HENRICO fratre *Wintonienſi* Episcopo, atque Apostolicæ sedis per ANGLIAM, *Scotiam & Hiberniam* legato. Qui eum, idque accuratè sæpè, vt Episcopis iniuria affectis satisfaceret, arcésque iniustè extortas redderet, sed frustra interpellauerat. Neque vlla cum aut fraternæ necessitudinis ratio, aut regiæ authoritatis, periculiue imminentis metus, à constantia reuocare potuit.

The Rudburnus in chronico maiore.

AIEBAT verò, si in quam Episcopi culpam incurrissent, aut parum se officiosè erga regiam maiestatem gessissent; idoneam secundum canonum scita, idque in publico & ecclesiastico consessu, cognitionem anteire debuisse; nec arcium suarum eos possessione, indicta causa spoliari debuisse. Regem non tam iustam aliquam causam, quam impotentem animi sui cupiditatem ea in re sequutum; nec arces illas ecclesijs, quarum sumptu erant constructæ, sed laicis, ijsque non optimæ famæ hominibus, tradidisse. Fuerant vero alij, quorum potissimum consilio arces illas occupabat, qui ei consulebant, ne illas vllo modo redderet. Per quos factum est, vt aures à consilio fratris auertas haberet. Qui cum se nihil apud illum admonendo proficere videret, in dicta Episcoporum *Wintoniæ* synodo, Regem ad eandem accersiuit, facti sui rationem redditurum. Frequentissimus erat Episcoporum ibi cœtus, & inter alios & THEOBALDVS *Cantuarienſis* Archiepiscopus interfuit. THVRSTANVS *Eboracenſis*, propter morbi vim, quo misere afflictabatur: ceterique qui *Eboracenſi* parent, propterea quòd ille regiones bello impeterentur, per literas se excusabant. Habuit verò HENRICVS in eadem synodo orationem latine, in qua grauiter, de indigna Episcoporum captione, de Rege questus est. Qui ROGERIVM *Sarisburienſem*, & ALEXANDRVM *Lincolnienſem* ad concilium cum alijs proceribus *Oxonium* euocatos, repentè, causa haud cognita comprehendi, & in carceres detrudi iusserit, arcesque deinde illis summa vi extorserit. Hanc ille iniuriam non ferendam clamabat, & malle, se in omne fortunarum, corporisque periculũ incurrere, quàm pati tantam Episcopali dignitati contumeliam irrogari.

MISIT autem STEPHANVS duos Comites ad synodum, qui causam quærerent, ob quam ad illam accersitus fuisset. Quibus legatus respondit, eum nouo, & insolenti hactenus per orbem exemplo, Episcopos non auditos & possessionibus spoliatos, in carcerem coniecisse. Renunciarent Regi, si suo consilio obtemperaret, se id daturum, quod nec ecclesiæ *Romanæ*, nec *Galliæ* Regi, nec Comiti THEOBALDO, communi ipsorum fratri displiceret. Consulit itaque vt Episcopos in integrum restituat, ecclesiæ consulat, per quam, & non militari manu, ad regni diadema accipiendum prouectus fuerat. Comites deinde egressi; nec ita multo post reuersi, cum *Alberico Vero*, homine in forensibus causis exercatissimo. Qui, quanta potuit eloquentia, ROGERI & aliorum causam depressit. In qua tamen oratione, à verborum contumelijs sibi temperauit, etsi orantem alij proceres nonnunquam importune interpellarent, & conuitijs Episcopum contumelioſè vexarent. Affirmabat inter alia ROGERVM parum obseruanter regiam maiestatem coluisse, raróque ad eius curiam venisse; illiusque clientes & famulos potentia ipsius fretos, sub ipsius principis oculis, aduersus clarissimum heroa grauem seditionem excitasse. Hoc ideo dixit, quod per eos orta forte rixa *Oxoni*, *Alanus* Comitis *Britanniæ* nepos vulnus acceperat, & alij aliquot vulnerati essent, vnus occisus. Ex qua occasione, ROGERI æmuli Regem magis acuebant, ad arces illas occupandas.

AIEBAT, cum magnus nuper metus à *Briſtolienſibus* impenderet, & Rex *Rogerũ Mortimerum* cum militibus aduersus eos misisset, Episcopum nec vna quidem nocte passum, vt *Mortimerus Malmesburiæ* consisteret. Nihil esse in omniũ ore vsurpatius, quàm ipsum, quàm primum AVGVSTA Regis hostis in ANGLIAM appelleret, omnes suas opes, & summa sua studia in eam collaturum. ROGERIVM captum quidem à Rege, sed non vt Episcopum, sed vt Regis ministrum, quique stipendijs regijs frueretur. Nec vllas illi arces per vim creptas, sed ipsum & *Lincolnienſem* vltro se ab illis abdicasse, vt imminentes iuste pœnas, propter tumultum à suis concitatum, effugerent. Incidisse quidem Regem in aliquam pecuniam captis castellis, sed quam optimo iure occuparet. Quippe quam ex reditibus anunculi sui, & Regis HENRIGI, ROGERVS sibi coaceruasset; qua, vt & ipsis arcibus, lubens ob causam commemoratam cesserat: Cuius rei Regem habere expeditos atque idoneos testes. Non debere igitur illum a suis pactis, & conuentionibus iam recedere. Restitit. *Alberico* pa-

lam

lam ROGERVS, & nihil esse veri & solidi aiebat in ipsius oratione, nec vnquam se regia stipendia meruisse, aut regis copias ad sua commoda transtulisse. Vi & eo metu, qui in constantissimum virum cadere potuit, se de rerum suarum possessione deturbatum. Postulare itaque vt in priorem statum omnia reformarentur. Atqui si nihil æqui atque boni in ea synodo posset obtinere, ad maius & augustius se auditorium prouocaturum. His altercationibus aliquot dies extracti, legato nihil non interim tentante, vt omnia Episcopis in priorem conditionem reponerentur. Cui se inter alios *Rothomagensis* Archiepiscopus opposuit. Qui se nihil repugnare aiebat, quin arces habeant Episcopi, si per canones edoceant id licere. Alienum id esse à functione & officio Episcopali. Si igitur ipsis canonum scita repugnent, frustra arces illos repetere. Sed sit ita, inquit, vt nihil aduersentur canones, certè, inquit, in tam suspectis & turbulentis temporibus, par est, vt ad voluntatem Regis se accommodent, & illi earum possessionem cedant.

ADIECIT deinde *Albericus*, intelligere se arcana inter Episcopos consilia agitari de appellatione *Romam* interponenda. Quod ne fiat, seuerè Regis nomine interdicit. Quod si *Romam*, inquit, quisquam se proripiat, non reperiet forsan facilem atque expeditum huc reditum. Regem interim aduersus iniurias sibi irrogatas, & quas irrogandas verebatur, *Romam* appellare ait. Verebatur enim ne anathema in eum Episcopi denunciarent. Sed huc tandem res omnis euasit, vt nec Episcopi sine *Romani* Pontificis consensu id attentare auderent, nec sine præsenti periculo id attentari posse viderent: Cum iam non verbis, sed grauionibus terroribus res ageretur, & nudati atque exerti gladij impendens periculum denunciarent. Dimissa igitur seueriori omni actione, legatus & *Cantuariensis* supplices Regem adeunt, adque pedes illius effusi rogant, vt dignitati & famæ suæ consulat, & nascens inter regnum & sacerdotium dissidium maturè satisfaciendo læsis, opprimat. Quibus valde ille se affabilem præbuit, seque purgat, omnémque à se culpam auertere conatur. Sed satisfactione nulla sequuta, dimissum est deinde concilium. Proximus (quem apud vtrúmque *Matthæum* reperio) est IOCELINVS; cuius tempora ad annum Domini milleſimum centesimum octuagesimum quartum pertingebant. Huic post quadriennium HVBERTVS surrogatur: de quo satis inter *Cantuarienses* Archiepiscopos diximus. Quo *Cantuariam* translato, HERBERTVS *Cantuariensis* Archidiaconus, qui à paupertate cognomen sortiebatur, *Saresburiensi* sedi admotus est. *Matth. Par. & Flor Matth Pa 1188. Flor. 1189. Matth. Pa. 1194*

AD alios iam ecclesiasticos viros, & cœnobitas veniamus. E quibus, omni doctrinæ & pietatis vbertate conspicuus præ ceteris, est IOANNES *Sarisburiensis* in prouincia *Vlugiæ*, siue *Wlcheriæ*, siue vt eam ipse IOANNES appellat, in prouincia *Seueriana* natus. Doctrinam eius doctissima illius monumenta, quorum aliquot extant, in quibus in totum fere nouum testamentum commentatus est, mundo mirificè, pro ratione illorum temporum commendant. Inter quæ, illud de nugis curialium elucet. Et nescio sanè, an post THEODORVM illum *Cantuariensem*, secundus sit ANGLORVM cuiquam, in Latina & Græca etiam literatura. Quam in ANGLIA inchoatam, non solùm diligenti studio, ingenijque præstantia, sed & longinquis in *Galliam*, & *Italiam* peregrinationibus, & exoticas academias inuisendo, mirum in modum auxit. Quæ illius dotes, cum alijs omnibus pijs, tum THEOBALDO, & successori etiam *Thomæ*; tum summis pontificibus EVGENIO, & HADRIANO nostrati, valde eum charum & gratiosum reddidere. De HADRIANO autem multa ille, ex familiaribus eius colloquijs mutuatus, operi illi suo de curialium nugis asperſit. Et nos aliquid de ea re antea attigimus. THOMAE verò vitam IOANNES, vt classicus & optimus testis, summa fide, vt & ANSELMI, posteritati commendauit.

ET licet præclarum sit, doctos & pios libros scribere, præclarius tamen * longè est, quę piè & rectè dixeris, vita & actionibus, cum res postulat, & duris præsertim atque difficilimis temporibus præstare. Quod certe IOANNES noster præstitit, cum alias, tum potissimum, cum crucem suam ferret cum THOMA *Cantuariensi*, cuius erat familiæ ascriptus, & nec Dominum suum, nec pietatem, ob vllas rerum aspetitates, deserere in animum inducens. Quæ illius spectata probitas, tanta doctrina cumulata, magnam illi & laudem & honorem peperit, adeo sane, vt defuncto *Carnatonensi* Episcopo, apud *Senones Gallorum*, cum potissimum sibi Episcopum optarint: legatósque *Cantuariam* vsque miserint. Vbi in domo, vt appellant, capituli, ab ijsdem sufficienti collegarum omnium mandato instructis, in *Carnotensem* Episcopum electus est. In omnium ordinum etiam principum & summorum pontificum, curiæque *Romanæ* vitijs perstringendis, satis se liberum & acrem præstare solebat

* *vel abest* Ion.

solebat; & contra eos, præsertim monachos, qui quam vultu & vestæ simulabant, re ipsa pietatem non præstarent. *Carthusianos* vero, vt accuratum absolutæ religionis exemplar (qui hoc primum seculo in ANGLIAM venerunt) summis laudibus euehit. Fuit alius ex eadem *Vilugia*, natus apud vicum *Caunum*, ex eiusdem THOMAE familia, *Philippus* nimirum, qui in exilium cum eo profectus est. sed non perduravit. Quare, rerum difficultatibus deterritus, in patriam; non tamen sine bona THOMAE venia, reuertus est. *Carnotensis* mentio, alios quoque mihi in mentem reuocat, qui tum aut exilij diui THOMAE participes fuissent, aut ex familia eius, cum exularet; valde vel domi, vel foris amplificati sunt. E quibus est, vt minus illustres omittam, *Herebertus Boshamus* apud *Sudosaxones*; qui ei ab epistolis erat, cum archigrammate, siue cancellarij munere fungeretur, & exuli constantissimè adhæsit: qui & vitam ipsius fideliter contexuit.

Io vita Thom. lib. 4.

EXTITIT etiam alius hoc sæculo HEREBERTVS natione ANGLVS, *Cusentinæ* in *Apulia* Archiepiscopus, qui cum clero, & maxima ciuium parte, miserabili clade ex terræ motu obrutus est. Fuit vero cum THOMA exule, & HVGO *Normannus* Oxoniensis Archidiaconus, in Episcopum postea *Couentrensem* ascitus; & GVLIELMVS *Roffensem* postea sedem adeptus. Ex exteris verò *Lombardus Placentius*, qui THOMAM exulem canonum scientia exactius imbuebat. Qui Cardinalicea galera, & *Beneuentano* Archiepiscopatu donatus est. Fuit & HVMBERTVS *Mediolanensis*. Qui & patriæ suæ Archiepiscopatu, & summo deinde pontificatu functus est, dictus VRBANVS *tertius*. Commendatur inter alios doctrinæ nomine, *Robertus* quidam *Sarisburiensis* ecclesiæ Canonicus. Est in hac diœcesi pagus *Vindesorum*, circiter viginti mille passibus à *Londino*. In quo mirum, & prodigiosum quiddam de cruce sudore manante, & nunc in hanc, nunc in illam se partem mouente, ab illius temporis scriptoribus proditur, quo tempore populus frequens erat in templo sacris audiendis intentus. Constructit in hac diœcesi HENRICVS *primus* nobile illud *Radingense* cœnobium. Erat vero iam olim eo loci positum monasterium, sed à *Dacis* posteà euersum est, vt & *Cealsia* & *Leominstria*, transfusæque sunt ad laicos eorum possessiones, quibus diu illi incubuerunt.

Nich Triuetus anno 1185.

Dist. lib. 4.

Ioan. Lel.

Gerual. in chro 1117. & in ad dit. ad Hier. Wig

Vide diploma Henr quod in capit Henricus primus &c. scutis, quatres. & ann 1125 desinit Henrico quarto.

HENRICVS vero cum magnifice *Radingense* cœnobium exædificasset, attribuit illi, non solum veteres illius, sed & vtriusque alterius possessiones, cum tantis priuilegijs & immunitatibus, quantæ in vllius Regis donationem & potestatem cadere possunt; cum diris deuotionibus & execrationibus aduersus eos, qui vel possessiones; vel immunitates labefactarent, aut minuerent. *Leominstria* vero est in diœcesi *Herfordensi*, Vbi Abbates, *Radingenses, monachos* & Priorem semper posuere. Non tamen vt ceteri, perpetua & stabili administratione, cœnobium illud Prior regebat, sed precario, & ad Abbatis *Radingensis* voluntatem, vt literæ tam *Romanorum* pontificum, quam Regum & Episcoporum *Herfordiæ* testantur. Ornauit HENRICVS illud suum cœnobium brachio diui IACOBI Apostoli. Quod ab eis, ab HENRICO *Wintoniensi* Episcopo, nescio qua de causa ablatum, altero HENRICO post STEPHANVM regnante, restitutum est. Templum vero *Radingense* multis postea annis per THOMAM *Cantuariensem*, Rege, Episcopis, & proceribus magna frequentia præsentibus, solemniter dedicatum est. Constructit HENRICVS *Cirencestrense*, *Dunstaplense*, & pro *Carthusianis Vithamense* cœnobia, de quibus nos suo loco. Cúmque monachi huius diœcesis *Amesburienses*, incontinenter & dissolutè viuerent, exegit eos, & alios quos à tranmarinis regionibus accersiuerat, pro eis suffecit. Primum vero cœnobij *Radingensis* præsidem, HVGONEM designauit. Qui posteà *Rothomagensis* Archiepiscopus constitutus est. Extant vero RICHARDI *Herfordensis* Episcopi literæ, quibus *Leominstriam*, & omnes illius possessiones, quarum nomenclationem continet illud scriptum, commemorato *Hugoni* confirmat.

Vt apparet ex antiquis huius cœnobij monumentis.

Flo 1133 & 1136 Matth Par. Flo & Polyb. anno 1133.

Flor 1164. & li. 2 de vita Thom. Cant.

Matth. Pa. 1130.

Indict antiqui monumentis.

FVIT & alius ad posteriora huius sæculi tempora *Hugo*, huius cœnobij Abbas, qui non minus sua virtute, & doctrina dignitatem hanc illustrauit; quam ab ea est illustratus. *Abingdonensi* vero præfuit inter alios, hoc sæculo, cœnobio *Faritius* homo *Thuscus* ex *Italia*. Qui cœnobium à violentia, & iniuria potentium strenuè vindicauit; & multa, quibus spoliatum erat, sua industria & gratia apud HENRICVM *primum* principem recuperauit, & de suo etiam multa prædia, ecclesiæque ornamenta addidit, templúmque magnis sumptibus splendidè exornauit. Rem medicam exactè calluit, & tanta apud HENRICVM gratia flagrauit, vt & *Cantuariensem* eum *Archiepiscopum* designare cogitarit. Conscripsit & ille commemorati ALDELMI *Schireburnensis* vitam. *Bladunense* vero, & *Malmesburiense* cœnobium,

De quo in epist. Pet. Blesensis.

Vide Gul. Mal. de pontif.

Io. Leland.

Gulielmus

Gulielmus eiusdem cœnobij monachus, valde hoc sæculo pietate & doctrina sua ornauit. Qui historijs gentis nostræ scribendis se totum dedicauit, & fidum atque egregium, pro ratione illorum temporum artificem, & narratorem se præstitit. Neque scio an quisquam sit ex nostra natione, qui paria in hoc genere cum eo faciat. Inter alia, sex de Regum, & seorsum quinque de Episcoporum gestis libros, præter PATRITII, DVNSTANI, & aliorum sanctorum vitas; præter antiquitates *Glasconiæ* & *Malmesburiæ*, eleganter conscripsit. Quod illius de Regibus & Episcopis opus, magno nobis fuit vsui. Ingenui certè hominis puto, fateri per quos profeceris. Fuit præcentor eiusdem ecclesiæ, & bibliothecæ præfectus. Quod munus fuit sane illi, & studijs illius accommodatissimum. Obijt deinde ad STEPHANI Regis tempora, de cuius intemperanti vita aliquibi queritur. Fuit ijsdem, in eodem cœnobio, temporibus *Petrus Bladuinus*, quem idem *Gulielmus* ob doctrinam, magnis laudibus euehit. *De pontif.*

De Episcopis Bathonienſibus & Vlrico *eremita.*

CAPVT XXIX.

POST IOANNEM, de quo diximus, hanc hoc sæculo sedem adepti sunt GODEFRIDVS, Reginæ cancellarius, ROBERTVS, REGINALDVS, *Sarisburiensis* Archidiaconus ad 1173. Qui eodem anno *Romam* profectus est. Et mortuo BALDVINO *Cantuariensi*, in locum eius suffectus, mox obijt. Proximus, quem vterque *Matthæus* subijcit, est SAVARICVS *Northamptoniensis* Archidiaconus. Qui *Romam* pergens, & presbyter ibidem, & ab *Albanensi* Episcopo, Episcopus ordinatus est. Sed ego hic prætermissum puto, RICHARDVM Episcopum, ante REGINALDVM interponendum. ROBERTVS ante regiam inunctionem HENRICI iunioris obijt. Cui RICHARDVM suffectum crediderim; ad quem varię *Petri Blesensis* literæ extant: & quem excusat ob ea, quæ contra diuum THOMAM *Cantuariensem* egerat. Quem tamen non RICHARDVM, sed ROGERIVM *Gerualius* appellat. Ecclesia verò *Bathoniensis* incendio, miserè hoc sæculo absumpta est, vt & *Gloecestrensis*, cum cœnobio, quæ bis regnante HENRICO primo igne conflagrauit. Quo imperante, cœnobium Canonicorum diui ANGVSTIM, per *Robertum* dominum de *Berklai* constructum est. Exhibuit verò ANGLIAE singularem hæc diœcesis, monasticæ & solitariæ vitæ athletam, atque sectatorem VLRICVM, apud vicum *Lentonium*, octo passuum millibus à *Bristolio* distantem. Iuuenis sacerdotio honestatus est, quo tempore, nec iuueniles adhuc deposuerat mores atque affectus, vitam parum ordini suo consentaneam, in venationibus & aucupijs degendo. Quam posteà culpam, exactissima, & pæne incredibili seuerioris vitæ disciplina, abundè pensauit.

a *Flor & Matth. Par. 1163*
b *Vide addit. ad Sigib. & Flor. Wig. 1155.*
c *Matth. Par. 1173.*
In chro. 1186.
Matth. Par. & Flor. 1193.

ERAT primum à sacris *Gulielmo*, villæ illius domino, vbi prima emendationis vitę fundamenta iecit, omnium carnium esu sibi interdicendo. Sed fastigium huic sanctæ architecturæ, apud *Heselbergam* in Comitatu *Dorsetensi* (quo eum *Gulielmus* amandarat) ab *Exonia* triginta circiter passuum millibus disiunctam, imposuit. In cella itaque se templo contigua abdidit, tam immoderatis ieiunijs & vigilijs se exhauriens, vt sola pellis in homine superesset: multas noctes insomnes transigens, neque alium somnum ferè capiens, quàm necessitas ipsa, cum natura magnitudini vigiliarum succumberet, extorsit. Neque eum quidem in lecto, sed capite parieti applicato, capiens. A quo se mox excussit, seipsum quasi obiurgans, & castigans ob niniam mollitiem. Quid? quòd in asperrimis frigoribus, totum corpus noctu, in vas aqua plenum, nudum immergeret. Aqua non prius emergeret, quam omnes psalmos *Dauidicos*, orando eos percurrens, quasi sacrificium Deo obtulisset. Adiecit huic asperitati cilicium interdiu, quo carnem nudã premebat; & post aliquod tempus, non iam tyro, sed veteranus Christi miles, pro cilicio loricam ferream quæ ad ipsa genua permanabat. Quæ cum genuflectendi frequentissimum illi vsum, propter longitudinem impediret, forcipe perinde, atque mollem aliquem pannum laneum atque lineum eam dissecuit, & precandi vsui commodiorem reddidit. Quam historiam, tanquam rem exploratissimam, & indubitatum sui temporis miraculum, *Henricus Huntingtoniensis*, illius temporis æqualis, seuerus alioqui recentium miraculorum arbiter, præter ceteros, qui ex professo illius vitam descripsére, recenset. Particulæque illæ posteà ita dissectæ, multis aduersus graues, & exitiales morbos salutares fuerunt. Quod de catenis PETRI & PAVLI, & multorum superioribus temporibus martyrum proditur.

Quodam e dicto habent Oxonia, sed vitiosè.
Hist. Ang. li. 9. in fine.
Fiunt (inquit) miracula tempore nostro variissima, sed quandóque clarissima, vnde de quodam illi adhuc vitalis superest spiritus memoriale clarissimum communicabo.
In prouincia. &c

HANC tantam generosi & celsi animi fortitudinẽ, tantam in Deum fiduciam, tantã & tam stupendam in castigando & macerando corpore, & inhonestis illius motibus reprimendis, du-

ritiem nefarij dæmones mirum in modum illi inuidere, mirásque molestias, turbas, gratéſque & pené exitiales cruciatus, vt olim *Hilarioni*, *Antonio* & alijs anachoretis, ad tam mirabilem mentis illius constantiam debilitandam intulére. Et corporis quidem ille cruciatus fortiter & æquanimiter, imò & gratias Deo agendo (cum aliás baculo caput eius contunderent, aliás intolerabili calore, aliás non minus infesto frigore, ita vt de vita desperaret, corpus illius vrerent, aliás horrendo vlcere brachia illius corrumperent, & fœdo pure, & vermibus horrendum visu scaterent) sustinuit. Sed cum ad sacram Paschalis celebritatis noctem, in tam arido & pænè emortuo corpore, nocturno tamen, per seminis profusionem, ludibrio illi illusissent, incredibili inde dolore, & luctu confectus est; manéque è cella ad ecclesiam se, cum populus frequentissimus confluxisset, proripiens, miras querimonias, & væ mihi misero VLRICO, quem hostes mei in peccatorum meorum vltionem ita turpiter hac sacra nocte dehonestarunt, & alia id genus, magna voce clamabat; populique pro se preces apud Deum anxiè implorans, in cellam se rursus recepit. Quæ mihi tam admirabilis animi deiectio, in qua nihil suo pudori, nihil celeberrimæ illi sanctitatis, quam apud omnes sustinuit, opinioni imminuendæ pepercit, neque ob eam ceteros præ se despexit; loricam illam, & quicquid in eo, vt sunt certè complurima admiratione & laude digna, superare videtur. Et vt hæc illi Deus tentandi, experiendique constantiam eius causa immisit, ita certè cœlestibus suis beneficijs, prædictionum & sanationum dotibus, & spirituali consolatione, nobilibúsque contra dæmones triumphis, adeò eum rursus ornauit & recreauit; vt verè illud de se VLRICVS dicere potuerit, *Secundum multitudinem dolorum meorum, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Nam & aquam in vinum conuertit, & modicum panem, à se benedictum, instar farinæ *Eliæ*, & olei *Helisei* ita repentè auxit, vt multorum fami depellendæ seruiret. Aqua à se consecrata & benedicta, multorum morbos abegit. Cuidam effossos oculos, lumenque & aspectum reddidit. Quæ locis longe à se dissitis gerebantur, perindè vidit, atque si sub ipsius aspectu gesta essent. Et futura sæpè, non minus quam præsentia, & inter alia HENRICO Regi, in illa sua vltima in *Normanniam* profectione, profecturum quidem dixit, sed minimè rediturum. Et cùm defunctus esset, obitum eius, eo quo obijt die, nunciauit. Et aduenientem aliquando ad se STEPHANVM, tum priuatum, salutauit, non vt priuatum, sed cum omnium admiratione, vt Regem. Imo & diserté dixit fore, vt regnaret, diligentérque admonuit, vt pacem, æquitatem, Deique ecclesiam officiosè tueretur.

Psalm. 93. 19.

QVID iam dicam, quòd Christus & angeli eius, cælesti quadam cum luce eum inuiserint. Quid? quòd cùm aliquandiu, sacris missæ mysterijs, animo secum hæsisset, an calicem aqua miscuisset, Deumque rogasset, vt se ab eo scrupulo expediret; calicem, non iam vino, sed sanguine planè recenti, ad summa labia plenum viderit. Et licet aliquando, Deo seruum suum probante, ita à dæmonibus, vt dixi, & illuderetur & cruciaretur, speciosos tamen de eis triumphos retulit. Cum & eos ab obsessis corporibus precibus suis excuteret, & ita nonnunquam constrictos teneret, vt nisi eo volente, ne abire quidem possint. Sed illud in hoc genere maximè omnium illustre est, quòd quendam, qui rerum magna inopia pressus, nuncio christianæ fidei misso, dæmoni se totum consecrarat & deuouerat; posteà pœnitentem, (cui propterea dæmon miram perniciem struebat, & iam in aquis pænè demersérat prope vicum illum *Heselbergensem*) absens, misso presbytero; qui crucem secum deferret, aquamque benedictam, qua miserum illum hominem aspergeret, à præsenti illo periculo liberarit, & ad se adductum, auricularíque confessione expiatum, à dæmonis deinceps potestate glorioſe asseruerit. Quem & sacra eucharistia aduersus hostem muniuit. Et cum VLRICVS rogaret, an sincerè crederet subesse carnem Christi? ex animo, inquit, confiteor. Nam & eucharistiam verè in carnem transformatam video. Cumque mox ad preces VLRICI eucharistia ad priorem formam redijsset, homini illam porrigebat. Qui ab eo tempore à iugo illo diabolico, iniquique dæmonis perturbatione & exagitatione, liber & solutus viuebat. Obijt deinde vir prius ad annum millesimum centesimum quinquagesimum quartum addecimum Kal. Martij.

CARTHVSIANI hoc primum sæculo in ANGLIA, apud pagum *Withamum* conspiciuntur. Quorum primus præfectus fuit HVGO *Lincolnienſis* posteà Episcopus. Celebratur huius sæculi *Bathoniensis* quidam monachus *Athelardus*. Qui *Ægyptum* & *Arabiam*, ad exquisitiorem mathematicarum rerum scientiam, adijsse traditur. *Glasconiensis* verò cœnobij hoc sæculo, ex *Bermundiensis* insulæ Abbate præfectus fuit HENRICVS *de Solsaco*, *Wintoniensis* posteà Episcopus: In quod ossa ARTHVRI Regis, recèns cum vxore inuenti in insula *Aualonia*, translata

Ioan. Leland.

translata sunt. Reperta est crux plumbea super corpus eius, cum literis, sed inuersis introrsum ad lapidem, cuius esset corpus, significantibus. Ampli & vasti corporis fuisse hominem, ex ossium magnitudine & longitudine apparebat; & decem vulnerum in capite (quod & antea diximus) cicatrices conspiciebantur. *Girard. Cambr. Polich. li 7. c. 19 Primorum sex saculorum c. 24.*

De Episcopis Exonienſibus.

CAPVT XXX.

GVLIELMVM, qui fuit vnus ex illis quinque, quos ANSELMVS, post grauem illam de inuestitura controuersiam, consecrauit, de quo priore sæculo commemorauimus: duo ROBERTI sequuti sunt, quorum posterior Decanus fuit *Sarisberiensis*, alter obijt ad an. millesimum centesimum quinquagesimum quintum. Hos BARTHOLOMAEVS, qui ob eruditionem & exquisitiorem Theologiæ peritiam, quam & libri ab eo scripti testantur; hoc sæculo celebris fuit. De quo hanc habet *Matthæus Parisiensis* narrationem. Diuerterat aliquando in villam, & cubauit in domo cœmiterio adiuncta. Vbi, cum summa nocte, ad preces de more surgere voluisset, cubicularium excitauit, vt lumen adferret: sed cum nihil esset in domo vnde accenderetur, coactus est omnem fere villam peragrare, priusquam lumen reperiret. Incidit tandem in domum, vbi reperit quendam nuper defunctum, & multos vtriusque sexus homines cum presbytero, mortuum amare deflentes. BARTHOLOMAEVS interim, dum vigilans famulum expectaret, repentè ingentem hominum complorationem audit. O nos, inquiunt, miseros! quis deinceps preces Deo pro nostra salute porriget? quis eleemosynas erogabit? quis sacrificia offeret? Quæ voces, magno Episcopum stupore affecere. Quem & auxit narratio famuli de his, quæ, dum lumen quæreret, in villa viderat. Postridie Episcopus presbyterum ad se accersit, à quo intelligit, defunctum illum, in pauperibus & hospitibus iuuandis, fuisse maximè munificum, suisque sumptibus presbyterum illum aluisse, qui nullum diem præterire patiebatur, quo non salutare sacrificium pro defunctorum animabus offerret. Id audiens, & quò voces illæ spectarent, animo coniectans, curauit vt victus presbytero in eadem villa suppeditaretur: mandauitque ne à pristina sua erga defunctorum animas, precibus pijs & quotidiano sacrificio Deo commendandas, pietate recederet. *Matth. Par. & Flor. 1107. Matth. Par. & Flor. 1155. Matth. vterque 1161. Matth. Paris. 1161.*

BARTHOLOMAEO IOANNEM, & huic HENRICVM subijciunt. Videtur tamen fuisse alius GVLIELMVS, hoc sæculo Episcopus, de quo reperio apud *Petrum Blesensem*. Ad quem *Walcherus* Archidiaconus *Exoniensis* scripsit, vt matrimonium quoddam, inter consanguineos contractum, dissueret & dirimeret. Nisi forte fuerit GVLIELMVS de *Bruere*, qui ad annum millesimum ducentesimum vigesimum quartum consecratus est. Sed non reperio *Petrum* ad ea tempora vixisse. Fuit hoc sæculo *Rogerus Cistertiensis*, *Fordani* ad *Axi* fluminis ripam, cœnobij monachus. Is gesta vndecim millium virginum scriptis suis, in quæ adhuc non incidimus, complexus est. Quæ si eiusdem farinæ sint, cuius ea quæ *Richardus* quidam *Præmonstratensis* paulo post nobis dedit; dolco beatarum Virginum & Martyrum (nam pro huiusmodi eas meritò ecclesia hactenus semper coluit) tam commentitijs fabulis deformatam historiam. Quarum veram & solidam historiam, ni fallor, anteà dedimus. Eiusdem *Fordani* cœnobij alumnus fuit & *Mauritius*, qui inter alia scripsit de pontificali schemate. In hac diœcesi natus est *Ioannes* qui *Cornubiensis* dicitur, qui celebris Theologus habitus est. Qui varia de rebus Theologicis scripsit; propter quas fuit illi cum *Petro Lombardo* aliqua concertatio. Claruit & *Serlo* ex *Saresburiensis* ecclesiæ Decano, cœnobij *Exoniensis* Abbas factus. *Flor. 1185. Rog. Houeden 1186. vterque Matth. 1194. & Rogero Houeden 1193. Vide epist. 79. Flor. 1224.*

De Episcopis Wigornienſibus, *deque monacho* Eueshamenſi *in extaſi rapto, deque alijs cœnobijs huius diœceſeos.*

CAPVT XXXI.

POST SAMPSONEM,[a] THEOPHILVS hoc munere fungitur. Deinde [b] SIMON, qui erat à ſacris reginæ propter morum comitatem & liberalitatem clarus. Tertio loco [c] ROGERIVS, cuius obitum reperio in vtróque, *Matthæo*, ſed non tempus, quo primùm Epiſcopus deſignatus eſt. Quod tamen alibi, præclarámque ſimul illius laudem reperio. Illuſtri quidem loco ortus fuit, *Roberti Claudioceſtriæ*, ſiue *Gloceſtriæ* Comitis filius. Et Epiſcopatu ætate quidem iuuenis, honeſtatus eſt. Sed egregia hominis virtus abundè hunc omnem defectum, morúmque maturitas ſupplenuere, vt maius inde ſuo generi decus & ornamentum adiecerit, quàm ab eo acceperat. Conſecratus vero eſt à THOMA *Cantuarienſi*; ad initium turbarum illarum, de regijs conſuetudinibus, quibus cum THOMA & reliquis Epiſcopis aſſenſum ſuum præbuit, electus quidem, ſed non adhuc conſecratus. Et ille quidem, atque *Herfordenſis*, de quo poſtea dicemus, primi fuere Epiſcopi, quibus THOMAS manus impoſuit. Viri pietate & doctrina ita ornati, vt THOMÆ Deus preces exaudiſſe in eis videatur; quibus ſupplex cum rogarat, ne cui, niſi digno & idoneo, Epiſcopo manus ſacras imponeret. Hunc author meus tradit multis moleſtijs, & periculis THOMÆ gratia, cui conſtanter adhæſerat, obiectum fuiſſe. Et extant ſanè de eo eiuſque conſtantia in illis turbulentis temporibus, præclara THOMÆ ipſius teſtimonia. Succeſſorem habuit BALDVINVM, de quo ſatis diximus, cum in Cantia verſaremur, & quod de eo ibi deeſt, reſarciet, cum eò venerimus, *Wallia* ſiue *Cambria*. BALDVINO *Cantuariam* tranſmigrante, GVLIELMVS *Northallus* ſedem eius adeptus eſt, tum ROBERTVS, deinde HENRICVS, qui paulo poſt obijt: tum IOANNES de *Conſtantijs* ad annum milleſimum centeſimum nonageſimum ſextum, ex decano *Rothomagenſi*. Qui biennio poſt defunctus eſt. Eſt in hac diœceſi inter cetera, nobile *Eueshamenſe* cœnobium, vbi quid cuidam eiuſdem alumno & monacho, ad RICHARDI Regis tempora, ab eius ætatis, alijſque ſcriptoribus admirabiliter acciditſſe proditum eſt, paucis aperuiſſe, à noſtro ſcopo nullo modo erit diſſentaneum, aut à lectoris vtilitate ſeiunctum. Narrationis certè ſumma eò ferè recidit, quò illa BEDAE, de *Furſeo* & *Drithelmo*.

AD annum ille, annique quadrantem, vehementiſsima ægritudine ad omnium deſperationem afflictus decuberat. adeo vt per biduum, videlicet à media nocte ſacræ paraſceues, ad Sabbati ſequentis veſpertinum tempus, nullam omnino vitæ aut ſenſus ſignificationem, licet ad eam illi exprimendam, cum alia tentata ſint, tum plantis pedum acum infixerint. Sub veſperum vero illius Sabbati, repentè cœpit oculos erigere & ſenſim ad ſe rediens, alta ſuſpiria dabat; & lachrymis aſſatim per genas manantibus, tanta ſibi, & tam ſolida gaudia intercepta vehementer deplorabat: nocteque ſequenti chorum cum reliquis, nulli baculo niſi aut ductore vſus, ingreſſus, matutinum; & orta luce reliquum ſacræ diei pensum, ſacroſanctæ Euchariſtiæ particeps factus exoluit. Mirari omnes tam repentinam mutationem, virésque corporis ita exhauſti tam ſubito, & tam firmiter redditas: ſed nihil magis, quàm quò ſpectarent graues illæ illius querelæ. Socij vero, cum non ſine cauſa, inſolitam illi in ea ægritudine obiectam viſionem coniectarent, non paſſi ſunt eum, rogando & vrgendo quieſcere, donec, quod quærebant ab eo, elicuiſſent. Ille igitur tandem expugnatus, non ſine multis lachrymis, grauique gemitu teſtabatur, ſe in prolixa & periculoſa illa ægritudine (pro qua gratias ſe, quantas mens illius capere potuit, maximas Deo, ab paternam illam caſtigationem egiſſe aiebat) magno quodam deſiderio cupiditatéque incenſum fuiſſe, vt aliqua ratione, quænam eſſet animarum poſt obitum conditio, intelligeret, idque à Deo precibus, ſi voluntas illius ferret, enixè poſtulaſſe. Venerandum deinde quendam virum, ineunte quadrageſima, ſibi nocte apparuiſſe, & dixiſſe, vt bono eſſet animo, fore enim, vt voto ſuo potiretur. Sacra autem illa Paraſceues nocte, hauſiſſe vocem, qua iubebatur ſurgere, & oratorium adire, & crucem ibidem adorare. Surrexiſſe ſe mox, crucem reperiſſe, eámque ſuppliciter adoraſſe, ſed ſanguine manantem,

eóque

[a] Vterque Matthæus, ſed Floril. appellat Theulpium vt & add. Florentij.
[b] Vterque Matth. 1176.
[c] Vterque Matth. 1179. Lib. 1 de vita Thom. Cant. c. 20. & 21.
Anno 1164. lib. 2. vit. Thom. ca. 21.
In epiſt. Thom. non impreſſ.
Gul. obyt 1190. Vterque Matth. Roger. Houed. 1191. vterque Matth. 1196. Vterque Matth. 1198. Vterque Matth. 1196.
Lib. 3 eccleſ. hiſt. ca 19. & li 5. ca. 22.

cóque oculos, aures, & nares liuisse. Vidisse mox venerabilem quendam senem, qui tergo ipsius pro more cœnobij sex virgæ ictus (disciplinam appellant) infixit. Et deinde, Tu me, inquit, sequere: apprehensumque manu Orientem versus duxit, & ad ea loca, vbi & pœnas (non illas quidem internales) sed eorum, qui licet non eò præcipitati, immaniter tamen ob peccata, quæ in hac vita iusta pœnitentia non deterserant, salutis nihilominus spe non abiecta, cruciabantur, & tria quidem se huiusmodi loca vidisse aiebat. Pœnarum verò genera & rationem, & quicquid viderit hic describere prolixum esset.

Et licet leuissima pœna, quæ illic irrogabatur, omnium huius mundi cruciatuum magnitudinem superaret, pœnas tamen secundi, & tertij loci, multò immaniores fuisse. Et primi quidem illius loci, licet longè ceteris mitiores, tam multiplices tamen, tam exquisitas, & horrendas fuisse, vt monachus in hæc verba proruperit. Si quis fortè omnes, inquit, quos in mundo charos, & intimos, & propinquos habuissem, parentésque adeo meos crudeliter sustulisset, mille corpus meum, si fieri posset, mortibus obijcerem; potius quàm paterer, Deum testor, homicidam illum, tam atroces pœnas subire. In tertio autem eos potissimùm fuisset, qui execrabili, præposteræ, & damnatæ libidinis turpitudine, naturæ ipsius iura violassent. Multos se omnis ordinis homines, quos bello in hoc mundo nouerat, & vidisse, & quosdam etiam compellasse, causámque supplicij ab eis didicisse, à Leguleio præsertim quodam, qui mancam & mutilatã peccatorum suorũ confessionem reliquisset, reiecto in aliud tempus sacerdote: ante cuius tamen reditum ipse præmature obierat. Quod ita contigisse, sacerdos, qui Leguleio erat ab auriculari confessione, monacho huic religiosè postea testatus est. Id verò in vniuersum obseruabat, eos, qui priuati vixissent, nullis functi magistratibus leuiores præ alijs cruciatus subijsse: singulisque pro ratione criminum, & pœnitentiæ, remissiores, aut atrociores pœnas inflictas. Eodem deinde duce (quem tandem cognouit fuisse diuum *Nicolaum* cui se præ ceteris cælitibus maximè deuouerat) Elysios illos campos, & beatorum iucundissimas sedes adijt: Non illas quidẽ, vbi Deus in sublimi maiestatis suæ solio residet, sed eas quas illæ animæ ad tempus incolebant; quæ ab illis, de quibus diximus, supplicijs Dei bonitate euaserant. Atque hę quidem sedes triplices erant: & licet singulæ indicibili voluptate atque iucunditate affluerent, prima tamen secundam, & secunda tertiam felicitatis suæ magnitudine mirum in modum superabat. Et animæ, quæ erant quasi in tertia beatitudinis illius classe, vt erant cælo ipsi empyreo ceteris viciniores, ita inde mox ad ipsam diuinæ maiestatis sedem transmittebantur. Et in primo illo loco reperit monachus aliquot vtriusque sexus, quos olim nouerat in mortali adhuc corpore positos. Et hæc quidem, de monachi istius visione, dicta sunto.

Fuit huius cœnobij, regnante Henrico *secundo*, præses *Adamus*. Qui cum alia, tum de miraculo quodam, quod in sacrosancta eucharistia acciderat, scripsit. *Vigorniense* verò cœnobium, cum reliqua ciuitate, graue hoc sæculo incendium passum est. Quo incendio quindecim ciues, vnus monachus, cum duobus cœnobij famulis, periere. Nec ita multò post *Florentius Brauonius*, eiusdem etiam cœnobij monachus obijt. Qui in contexenda Anglorvm historia diligentem, & vtilem operam posuit. Quæ nobis nonnunquam vsui fuit. A quo se multa mutuatum fatetur *Ranulphus Higdenus*. Quem, & *Marianum*, dicit se in annorum calculo maximè sequutum. Atque vtinam incidissem in eum, quem scripsit præterea de rebus sui cœnobij librum. Addidit huic quidam (de cuius nomine certus non sum) accessionem quandam, quæ nobis etiam aliquoties profuit. Quanquam, quod ego vidi, *Florentij* exemplar, non videtur iusta illius historia, quàm chronicon ex chronicis inscripsit; sed potius collectio quædam expeditior ex eodem. Ornauit postea hoc cœnobium sub imperio Henrici *secundi*, *Senatus* & ipse *Brauonius*, siue *Wigornienses*, eiusdem deinde cœnobij præses. Præter vitas Osvaldi & Wlstani Episcoporum, scripsit de ratione pallij pontificij. In illis, regnante Stephano, ciuilibus tumultibus, magnas molestias & direptiones passum est *Vigorniense* cœnobium, quod ex sacrario in arcem & armarium conuersum est, Qua de re author meus graues querelas depromit. Fuit inter monachos, quos laicos appellamus, quidam hoc sæculo *Wigorniæ*, de quo mira quidam author meus refert. Eum videlicet, cum periculosè ægrotasset, nouem diebus atque noctibus, omni sensu atque motu spoliatum, atque in extasi mentis positum, iacuisse in templo ante altare. Decimo deinde die, lugubri quadam voce, sexaginta supra versus, pro illorum temporum ratione satis elegantes, cum latinę linguę prorsus imperitus esset, expeditè, multiplicique vsurpatione repetitos pronunciasse. Qui potissimum in tristi imminentium malorum, & pœ-

Sim. Dun anno 1119. & Hoven. Wig.

Lib. 1. c. 15. & li. 2 in præfat. Ioan. Leland.

Th. addit. ad Flo. Wigorn.

Rog. Houed. anno 1184. exercit. Anselmus idem cœnob. monachi oculari testis. Extant apud eundem Roger.

narum quas damnati luunt, commemoratione versabantur. Caput deinde, quasi à somno excitatus, erexit; oculósque in monachum quendam, qui admirandi causa cum alijs confluxerat, firmo acutóque obtutu defigens. Ne te, inquit, tanta de me admiratio capiat, repentinus enim te, atque improuisus manet interitus. Qui & eodem die maximis in doloribus obijt. Atque ipsemet paulo post, pio & sancto obitu, quem & sacra exomologesi, atque sacrosanctæ eucharistiæ sumptione religiosè munierat, sequutus est. Celebrat author meus *Hucbreanum* quendam huius cœnobij monachum, cui erat coniunctissimus, qui singulis fere diebus, eo, quo obijt, anno, monasticæ disciplinæ, id est, grauibus virgarum verberibus, corpus suum ob peccata eluenda exposuit. Commendatur & *Osbernus* monachus *Gloucestrienſis* ob raram in theologia eruditionem. Quam & libri illius spirant. Qui in Regis STEPHANI tempora incidit. Est in vicinia *Gloceſtriæ Lanthonium* celebre monasterium, ordinis Canonicorum diui *Augustini*. Cui, rempublicam *Anglicanam*, administrante eodem HENRICO, præfuit *Clemens*. Qui cum alia, tum & in Euangelia, atque canonicas Epistolas, & concordiam etiam Euangelistarum scripsit. Fuit & aliud *Lanthonium Brechianum* in *Cambria*, à quo & hoc manauit. Quò cum a tumultu & frequentia hominum esset multo remotius, vt animo esset ad legendum, scribendum, & meditandum, solutiore & liberiore, sæpe se recipiebat.

Addit. ad Fiore.

Ioan. Leland.

Ioan. Leland.

De Episcopis Couentrensibus, Lichfeldensibus *siue* Cestrensibus, *& quibusdam huius diœceseos cœnobijs.*

CAPVT XXXII.

Robertus Abbas de monte in add. ad Sigeb.

HAE tres sedes, vni tamen hoc sæculo Episcopo subeRant. Quod lector animaduertere debet, ne forte in errorem alioqui aliquem abducatur. Fuit igitur inter alios post ROBERTVM, de quo diximus, superiore sæculo alius ROBERTVS Archidiaconus priùs *Lincolnienſis*, qui obijt ad annum milleſimum centeſimum vigesimum sextum. Fuit & ROGERIVS; fuit & GVALTERVS; fuit & RICHARDVS. Huic suminus Pontifex administratione sui muneris interdixit cum ceteris, quòd iunioris HENRICI regiæ inunctioni interfuisset. Fuit deinde GERARDVS *Puella*, quem THOMAS *Cantuarienſis*, antequam in exilium abiret, in clerum ascripsit: & primus fuit, qui eum beneficio, vt appellamus, ecclesiastico honestauit. Qui & eius gratia multis molestijs periculisque obiectus est. Vir certè ob singularem eruditionem ea ætate celebris. Sed non impleuit in eo munere, vt quidam scribunt, tres menses: nec sine suspicione dati veneni obijt. Qui successorem habuit HVGONEM NOVANTVM (VINANTIVVM appellat *Nubergerſis*, nisi forte Amanuensis sit error) genere *Normannum*, hominem multis & magnis naturæ dotibus imbutum. Quique aliquando fuerat ex THOMAE *Cantuarienſis* familia. Cum RICHARDVS Rex peregrè abesset, HVGO te IOANNI Regis fratri multa seditiosè contra Regem molienti, coniunxit. Quo reuerso, in *Gallium* profugit. Sed Rege tandem magnis muneribus delinito, rediit, multaque eius negotia procurauit. Incidit inter eum & monachos *Conentrie* acerrima contentio, &, vt ita dicam ἄξιον θρύλλιον. Contra quos ille, ope atque auxilio GVLIELMI *Eliensis* Episcopi, Regis Cancellarij, & Pontificij Legati factus superior, distur bauit & exegit eos ex illis ædibus, & sacerdotes sæculares, vt appellant, pro eis substituit.

Robert. de monte in add. ad Sigeb.

Rog. ob. vt 46. vterque Matth. Add. Sigeb. 1 15. In vita Thom. li. 1 Matth Par. 1170 Lib. 4. de vita Thom.

Florent. 1181. Add. Sigeb. 1182 Matth. Par. & Cestrens. 1183. Ad annum 1187. Vterque Matth. Nubrig. 4 ca 5. Lib 4. de vita Thom. Nubrig. li 5 ca. 5.

Matth. Pa. 1191.

SVNT qui tradunt, rixa inter eos & HVGONEM orta, ad manus ventum, sauciatúmque ab eis HVGONEM, apud sacrosancta altaria, ad sanguinis effusionem. Quidam ex monachis *Romam* profecti sunt, graues aduersus HVGONEM querelas depromentes, è quibus anteſignanus fuit *Thomas* quidam. Qui cum frustra multis annis ibi hæsisset, INNOCENTIO pontifice, assidentibus Cardinalibus, de rebus ecclesiæ aliquando deliberantes irrupit repentè, & quanta potuit contentione, cœnobij sui causam agitauit. Cui INNOCENTIVS. Cur tu tam improbè hanc apud me causam vrges, quam decessores mei CLEMENS & CELESTINVS reiecerunt? Abi, abi, inquit, frustra enim teris tempus: & inani expectatione torqueris. At, inquit *Thomas*, lachrymis totus oppletus, summa æquitate postulatio mea, Sanctissime Pater, nititur. Atque ideo spero, non esse vanam, & inanem

Cest. li. 7. ca. 25.

Matth Pa. 1198.

meam

meam expectationem. Expecto enim, vtte Deus è medio tollat, quod duobus iam tuis decessoribus accidit. Succedet, nihil dubito, qui honesti mei desiderij, maiorem habiturus sit rationem. Quæ verba ita pontificis animum perculere, vt mox literas ad HVBERTVM *Cantuariensem* & alios daret, quarum authoritate monachi in integrum restituerentur. Qui & paulo post restituti sunt. Quam tamen restitutionem HVGONIS mors, dum esset in *Normannia Romam* profecturus, anteuerit. Qui, qua ratione obierit, est oppido memorabile. Cum enim omnem sibi vitæ spem recisam vidisset, cœnobiorum præfectos quosdam ad se aduocat. Palámque totam præteritæ vitæ suæ rationem, cum magno lachrymarum, imbre, & frequenti grauique gemitu pronunciat: adeo, vt astantibus lachrymas & suspiria exprimeret. Ille vero, eiulando, manúsque miserabiliter complodendo: pœnitentiam sibi ab illis, qua peccata ipsius idoneè expiarentur, indici vehementer postulauit. *Matth. Par. & Flor. 1198. & Cell. 1191.*

ILLI cum Episcopum tot & tam detestandis flagitijs (quod nunquam cogitassent) inquinatum & obrutum audissent, & solidæ pœnitentiæ simul signa viderent; obstupefacti, & animi, quidnam agerent, hærentes, alij in alios, alto vbique silentio, lumina defigebant. Tum HVGO. Video, inquit, vos conturbatos, & consilia vestra impedita, ad tam atrocium criminum meorum recensionem. Quare pœnitentiam ego ipse mihi indicam, & ego vos, vt non possim magis, ex animo obtestor, vt hac demum, vestra bona cum venia & consensu, pœnitentia defungar: quæ me ad supremum iudicis aduentum, in purgatorij pœnis defigat. Vt vel tandem ex misericordia Dei, quę modum non habet, æterna salute potiar. Cuius illi aduersum se præiudicium sequuti, nullam aliam pœnitentiam pronunciarunt, ad diuinam tamen illum benignitatem reijcientes. Inter cetera, & illam suam, de monachis exterminatis, culpam pronunciauit: & vt eos, quos viuus offenderat, mortuos haberet patronos & deprecatores, monastica veste contectum, se apud monachos sepeliri iussit. Quicquid verò habuerat in auro & argento numerato vel facto, quicquid in gemmis, pauperibus & cœnobijs liberaliter elargitus est. Regnante STEPHANO, cùm omnia sacra & profana, inter ciuiles temporum illorum tumultus, prædæ & direptioni exponerentur, templa pro armarijs, imo & stabulis inseruirent; & hoc quoque *Gouentrense* cœnobium eiectis monachis, direptum, & sacrilegè profanatum est, per *Robertum Marmionem*, qui cœnobium in arcem conuerterat. Sed mox graues sacrilegij sui pœnas, non procul à cœnobio, suis ipsius laqueis, quos per subterraneos cuniculos ad hostium equos impediendos struxerat, imprudens irretitus exoluit. De alijs etiam, qui similes sacrilegij sui pœnas, eodem tempore subierunt, postea dicemus. Prioratus cœnobij *Nortonii* in hac *Cestrensi* diœcesi, beneficio *Gulielmi Nigelli*, hoc sæculo constitutus est, & cœnobium de *Cumbermere* constructum. In hac *Cestrensi* diœcesi, *Cestrensique* comitatu, HENRICVM *quartum* Imperatorem, cui MATHILDIS, HENRICI Regis filia in matrimonium collocata erat, postquam eremum ad decennium, nomine dissimulato, & *Godestallum* se simulans, coluisset; obijsse quidam tradunt. Quod ego certe à vero prorsus dissentaneum puto. *Salopiani* hoc sęculo, huius diœceseos cœnobij, præfecturam *Robertus* administrauit; qui vitam WENEFREDAE virginis, quæ à regio iuuene, cuius libidini satisfacere noluit, gladio cæsa est, conscripsit. *Nuberg li. 5. ca. 22. Matth. Par. 1143. & Flor. Cest. li. 7. ca. 17. ad 1133. Polich li. 7 c. 17. anno 1125. Girald. Cambr.*

De diuo ROBERTO *& alijs Episcopis* Herfordensibus.

CAPVT XXXIII.

CHENELINVM, HENRICVS *primus* ad regni sui exordia, nulla præeunte canonica electione, Episcopum designauit, & contra antiquos canones, recentisque concilij authoritatem, suámque religionem, qua in regni sui initiatione sanctè promiserat, se ecclesiæ immunitatem & prærogatiuam, rectásque EDOVARDI leges illæsas, & integras conseruaturum. CHENELINVS verò temeritatis & facilitatis suæ, qua perperam & vitiosè se ad Episcopatum ingesserat, pœnitentiam capiens, regem adiens: Episcopatum inquit, quem præceps & inconsultè à te accepi, re mecum melius meditata, consultius reddo, méque iam abdico & baculum simul atque annulum, quos à Rege acceperat, reddidit. Rex magna indignatione percitus, eum è curia ignominiosè deturbari iussit. Sed post paucos annos, cum *Flor. & Matth. Par. an. 1101. Matth. & Flor. 1102.*

Matth. Par. & Flor. 1107.

cùm Rex eam authoritatem, cui se iniustè ingesserat, à se abdicasset; CHENELINVS legitimè & solemniter cum alijs consecratus est. Vir & aliàs oppido quam bonus, & qui inter sacra, missæ mysteria, à lachrymis se continere non potuerit, neque vlla vel leui infamiæ, atque vitij nota commaculatus, nisi quod minores, quam pro dignitate, sumptus fecisse credebatur. Qua tamen, post illius ad annum Christi millesimum centesimum decimum quintum obitum, successor GAVFREDVS, multo magis notatus, quasi erga pauperes durior: & quod cum omnibus rei familiaris copijs afflueret, copias illas facultatum neque ad pauperes, neque ad certos heredes transfuderit. Dedicauerat GAVFREDVS

Ad lit ad Flor. Sim. Dunel. an. 1118.

ecclesiam quandam apud *Momerfeld*, ad quam dedicationem magna populi frequentia concurrerat. Post solemnia peracta domum quisque repetit. Abeuntes vero, maxima in itinere aëris tempestas oppressit, quinque præsertim; e quibus tres viri, & binæ feminæ. Altera ex his fulmine extincta est: altera ab vmbilico ad pedes fulmine miserabiliter vsta est. Equi omnes interierunt, viri ægre periculum euasere.

Matth. Par. sed Floril. de Rich. non facit mentionem.

GAVFREDVM RICHARDVS excepit, RICHARDVM, qui obijt ad annum millesimum centesimum vigesimum septimum ROBERTVS *Betunensis*, Canonicorum apud *Lanthoniam* Prior, vir omni pietate cumulatus, de quo nobis iam vberius dicendum. ROBERTVS itaque à parentibus, propter disciplinam militarem, non omnino obscuris ortus est. Sed aliam ille, longéque meliorem militari mundi disciplina, idque ab ipsa prope infantia, illam, inquam diuinam, & cœlestem aduersus spirituales nequitias, dæmonésque armaturam suscepit. Prima literarum rudimenta potuit sub fratre primogenito *Gaufredo*, ieiunijs etiamnum puer vsque eo deditus, vt qui assi modum in illis excesserit, sit à pædagogo reprehensus. Quæ licet tum ad tempus moderatus sit, adultior tamen factus, ad eadem reuijt, vigiliasque etiam adiecit. Cúmque iam eo profecisset, vt etiam alijs instruendis sufficeret, adolescentum instituendorum curam suscepit. Tenuiores discipulos gratis instituit, à locupletioribus vltro oblata in sanctos vsus erogauit. Quod si, vt fit, recreandi, reficiendique animi causa, discipuli aliquo progrederentur, nusquam ab eis abluit, diligentérque cauit, vt ipse eorum ludus, honestus foret & liberalis. Sed cum apud se cogitasset, quam inanis & sterilis esset poetarum atque philosophorum, præ sacris literis lectio; ad illas se totum transtulit. Quarum germanum & genuinum sensum ab ijs prædecessoribus studiose hausit, qui & ipsi eum à sanctis patribus hausissent. E quibus præcipue fuere *Gulielmus Lampellensis*, *& Anselmus Londinensis*. Quódque ab eis didicit, alijs & ipse candidè, & ingenuè communicauit. Iámque altius, augustiúsque aliquod viuendi genus animo secum meditabatur, quas eius cogitationes, aliquandiu interpellabant naturales illi stimuli erga liberos fratrum, qui iam ad tertiam vsque generationem succrescebant, quorum ille educandorum curam suscepit. Sed abrupit tandem omnia illa impedimenta, ingens hominis erga Deum, vitæque seuerioris studium. Postque diutinam secum de vitæ genere meditationem, Canonicis se *Lanthonensibus* ascribi, ab eis postulauit & impetrauit, certúmque atque fixum reuersionis diem præscripsit. Quem cum ille obire conaretur, difficile dictu est, quantas viæ difficultates, quantum dæmonum impedimentum, & senserit, & superarit.

Vita dui Roberti magna fide conscripsit, Gulielmus prior Lanthonis. Quã dedicauit Henrico Episcopo Winton in epist ad eundem Henricum hoc habet. Quod scribo poterat alter elegantius, veracius nemo. Quippe cum mihi & prafato viro fuerit locus nascuitatis contermi-nus, pro cursus ætatis se-ve continuus, e cura satis familiaris amicitia ob animis denique maturitatis ac credentibus societas indiuidua.

Nunc Haiteram appellant incolæ.

VENERAT iam dies, quo se fatere promiserat, sed antequam *Lanthoniam* peruenire potuisset, ad radicem montis, quem *Haitram* appellant (qui solus interijciebatur) nox eum & socios oppressit, & niue viæ oppletæ erant. Cúm & equi & socij de via fessi essent, neque isti longius id temporis progredi cogitarent, pedes ipse, solúque iter ingressus est. Neque id solùm, sed & calceos pedibus detraxit. Credo, ne, quod euentus postea monstrauit, sine aliquo martyrio, ad viuentium ille martyrum habitacula veniret. Deus bone! quot, quámque graues prolapsiones sensit, dum noctu per callem angustum, anfractuosum, saxosum, niuéque coopertum, viam sibi alias baculo, alias vtroque brachio niuis molem dispergendo, reptandóque strueret? Attigit tamen tandem montis cacumen, in quo Christi crucis imago defixa erat. Ad quam dum reliderat, vt se reficeret, viréque ad residuum itineris repararet, sinistras illi dæmon, peruersasque cogitationes suggerit. Ecquid, inquit, cum sis liber & tui iuris, ad voluntariam seruitutem ruis? Quid te frustra tantis, & tam inanibus laboribus obijcis? Quid te ad alia non conuertis, vnde maiorem laudem, amplioráque præmia expectare poteris? Sensit vir pius hostis insidias, properéque abiens, frontique crucis signum imprimens, iubet longe facessere improbas illas omnes cogitationes. Poteram quidem, inquit, aliam vitæ rationem ingredi, præstantiorem non potui. Cumque adiecisset, non esse condignas huius temporis passiones, ad futuram gloriam, quæ in nobis reuelabitur, aliáque id genus; in-

nu; instar fumi, omnis illa tentatio euanuit. Pergit itaque cœpto itinere. Quamuis verò montis ascensum difficilem, arduúmque reperisset, maiores tamen ille difficultates, cum è monte descenderet, expertus est; nunc in frontem, nunc in dorsum, graui lapsu impingens. Verum vbi tandem prærupta, grauisque illa via mitescere cœpisset, animum resumere & ipse cœpit. At vbi mox campanas è subiecta ecclesia sonantes audisset, visus est sibi, quasi cœlestem quandam harmoniam auribus hausisse: & alacris residuum itineris conficit, pedibúsque ex itineris asperitate sanguine manantibus, ante lucem monasterium ingressus est.

In Canonicum itaque adoptatus, non solùm regulas & præscripta illius monasterij, sed & omnia alia, quæ ad christianæ perfectæque vitæ exemplum pertinebant, ita ad vnguem obseruabat; vt illustri omnibus exemplo præiret. Nec ita multo post, *Eruisio* domus præfecto, ad anacoriticam vitam, quam intermiserat, redeunte, in eius locum substitutus est. In quo munere nihil prætermisit, quod ad optimi pastoris officium spectaret; & ita *Mariæ* partes egit, vt meminerit etiam *Marthæ* iam sibi munus delegatum; eóque strenuè, nec sine singulari quodam numinis diuini præsidio, admirabili quadam in se, suisque disciplina, perfungeretur. Nam cum audiendis fratrum confessionibus, quibus de more ecclesiæ crimina sua expiabant, frequens vacaret, non solùm salubri consilio, sed & precibus apud Deum suis multos iuuit: & à multis grauibúsque aduersarij impugnationibus, de quibus excutiendis frangendisque penitus animos desponderant, admirabiliter liberauit. Quid? quòd multis, multorum criminum, quæ occultè admiserant, quæque auriculari illa expiatione præ verecundia supprimebant, diuinitùs de eis doctus, memoriam suggerebat, confessionem & pœnitentiam eo modo ab eis extorquens. Sed en tibi iam, nouum *Iob!* magísque admirabilem, quàm fuit illius, pro filijs suis, solicitudinem. In more enim sæpè positum erat huic beato viro, ad noctem, cum reliqui iam fratres somno premerentur; accuratiùs, quid vel ipse, vel aliqui ex grege grauius admisissent, ad calculos reuocare; centies deinde aut eo amplius, flexis genibus, preces lachrymis mixtas ad Deum effundere; tum deinde, cilicio detracto, quo carnem domabat, sęuis eam verberibus totam lacerare.

Henricvs ad hæc tempora Angliae regnum moderabatur, *Herfordensisque* ecclesia ad quinque iam annos pastore destituta erat. Suggeritur Regi de *Roberto*, communicat ille rem Archiepiscopo, miróque ille fauore assensus est. Quæ cum *Robertus* intelligeret, mirum est, quantum animo sit consternatus, quantum perturbatus, quàm omnes rationes secum meditatus sit, ne hoc sibi onus imponeretur: vixque tandem, accedente etiam Innocentii Papæ mandato assensit. Sed vide ex altera parte miram hominis demissionem. Discessurus à fratribus, demisse veniam, genibus etiam aduolutus, à singulis, illorum, quæ in ipsos peccarat, postulat; nec id solum, sed se vestibus spolians, nudamque carnem ostendens, flagellóque porrecto, se singulis cædendum præbuit; & verbera, quamuis ab inuitis, & mandato præfecti sui obedientibus, passus est. Susceptum tandem Episcopatum ita administrauit, vt nihil in eo, quod ad sanctissimi illius muneris administrationem spectat, desideraretur. In omnem occasionem anxiè, solicitéque intentus, qua posset vel verbo, vel exemplo, vel re gregi suo prodesse. Magna quidem prudentia ita actiones suas moderatus, vt nec nimia seueritate in odium, nec nimia demissione in contemptum aliquem incurreret. In initiandis sacro muneri clericis, accuratè & exquisitè prospiciebat, ne quisquam per sordes, aut aliàs indignus, ad eam functionem irreperet. Rogatus vt aut basilicas, aut cœmiteria dedicaret, aut alia ecclesiastica munera obiret, aut aliquò ad controuersias, litésque componendas (quarum passim ad eum arbitrium deferebatur) proficisceretur; nulla vnquam aeris temporisue iniuria, ad statum diem defuit; Confectisque negotijs, sacrisque sæpe concionibus ad populum habitis, domum ieiunus redijt: Neque nisi necessitas ipsa id extorqueret, aliorum cum expensis alicubi diuersatus est.

Miro semper mentis ardore, Deum precando vsus est, neque cum in missa sacrosanctam Eucharistiam sumeret, à singultibus & lachrymis temperare sibi potuit. In priuatis sæpe precibus, quasi in mentis quandam extasim raptus est. Cum femina, nisi præsentibus arbitris, ne de his quidem, quæ arcana erant, & ad conscientiæ expiationem pertinebant, loqui voluit. Familiam habebat optimè & sanctissimè constitutam, mensam verò, quæ neque ob sordes, neque ob luxum esset insignis. Cibos sacrarum scripturarum lectio condiebat, quas aut ipse imperitioribus explanabat, aut de eis cum doctis disseruit. Carnes

ipse rarò gustabat, sed pisces, eósque viliores; lac, caseus, butyrum legumina, arborum fructus & olera, deliciæ illius erant. Antequàm verò ipse pranderet, magnam pauperum multitudinem pascere solitus est. Qui si tardiùs superuenissent, cibaria coram se, dum pranderet, illis præberi iubebat. Tam denique in pauperes fouendos propensus fuit, vt insignis ille *Ioannes Eleemosynarius* in eo renatus videretur: quibus non solùm quæ ad vitæ vsum necessaria essent, suppeditabat, sed & pedes eorum lauit. Imò & leprosorum domus, nudis pedibus & capite adire, eorúmque pedes magna animi demissione lauare, lachrymis rigare, capillis extergere, suauiterque exosculari consueuit. Neque tamen tanto viro aduersarij defuere, cum primis *Rodulphus Herfordensis*, ipsius potissimùm beneficio & opera, Decanus. Cuius, & aliorum iniurijs exagitatus, *Romam*, sui defendendi causa, proficiscí coactus est ad INNOCENTIVM papam: qui Decanum, post causæ cognitionem, ea dignitate spoliauit. In ea verò, quæ postea sequuta est, sub STEPHANO Rege, regni totius perturbatione atque procella, iactatus & ipse est. Quibus temporibus, cùm minores ecclesiæ spoliarentur & incenderentur, maiores verò in castella & munitiones conuerterentur; *Herfordensis* quoque ecclesia in eandem tempestatem incidit, Episcopus alibi, quasi in exilium, secedere coactus est. Sed antequàm *Herfordensis* ecclesia hac calamitate inuolueretur, societas illa *Lanthonienſis*, de qua diximus, in his tumultibus spoliata est, & ad extremas vitæ angustias redacta. Quam pius antistes *Gloceſtriam* transtulit, domóque ædificata, de sumptibus etiam illi prospexit, cui etiam viginti alios, aliundè in summa rerum inopia, ad se opis ergo venientes, adiecit, illis etiam alimenta suppeditans.

VOCATVR post hæc ad concilium, quod *Rhemis* papa EVGENIVS indixerat. Qui licet iustam ex morbo excusationem haberet, maluit tamen de vita periclitari, quàm publicis ecclesiæ rebus deesse. Cùm eò veniſſet, coactus est ad tertium concilij diem lecto, propter morbi magnitudinem, se continere. Iamque feria quarta ante pascha aduenerat, & ille morbum ingraueſcere sentiebat: postulat itaque vt sacrosancto ægrotus vnguento, de more ecclesiæ inungeretur. Ad quod munus illi præstandum, *Odo* Abbas (apud quem *Rhemis* diuersatus est.) cum tota societate cubiculum illius ingreditur. Antistitem vero reperiunt nudo corpore,* inque nuda terra prostratum. Ad hoc spectaculum partim obstupescunt, partim miserentur. Conantes in lectum sustollere, non patitur: rogátque vt patiantur Episcopum indignum, grauémque peccatorem, totúmque terrestrem, in terra sacramentum suscipere. Quin, inquit, & hanc mihi quæso misericordiam exhibete, vt meas in Deum culpas seuerius in me vindicetis: moxque virgas, quas in parato habuit, ad se cædendum obtulit. Sed cum id illi recusarent, rapit ille è manu vnius virgas, seque * miserandum in modum cæcidit, donec vnus è domesticis accurrens, virgas ei extorqueret. Móxque delibutus sacro illo oleo, & sacrosancta eucharistia exitum suum muniens, turbas omnes, quantum potuit, amouit: diem illam noctémque sequutam, in exquisita quadam cogitatione meditationéque eorum, quæ in Christum nefarius *Iudas*, & scelerati Iudæi eo die attentarunt, transigens: consequentem quoque diem in accommodatis tempori meditationibus, in quo potissimùm peccatorum reconciliationis, cœnæ dominicæ, triplicísque olei consecrati mysteria celebrantur, consumens. Neque solum meditatus secum est de immensa illa Dei misericordia, qui pro omnibus veteris testamenti sacrificijs, vnum in ecclesia sua ad omnia sæcula perpetuandum, corporis inquam, sui, & sanguinis sacrificium, sub panis & vini specie substituit; sed & cum gratijs, lachrymisque sacramentum illud, priùs reuerenter adoratum, sumpsit: cum gratijs, propter diuini beneficij magnitudinem; cum lachrymis, recordatus illud Apostoli, *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.*

QVID? quòd in infirmissima illa sua valetudine, solenne illud suum pauperum pedes, genibus flexis, lauandi, lachrymis rigandi, capillisque suis tergendi, nullo modo consilióue prætermittere voluerat? Sequenti feria, totus in salutaris Christi passionis cogitatione defixus hærebat, cúmque iam statas illas alias de more ecclesiæ preces exoluisset, Crucem Christi sibi afferri rogat. Quam (sequar iam ipsa authoris nostri verba) cùm vidisset à longè, incuruatus quantum potuit, pronus in terram adorauit, & dixit: Salue crux pretiosa, crux benedicta, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membris eius tanquam margaritis ornata. Post hæc extensis manibus apprehen-

§.

* *al. absit inque.*

* *al. miserandum.*

2. Cor. ca. 11.

apprehendit eam, deosculans reuerenter, & lachrymis rigans vberrimis. Et adiecit. O crux, aue spes vnica, post passionis tempora, te adoro in Domino IESV meo. Sed in te adoro speciale illud Crucis signaculum, in quo Christus pependit, & morte sua de mortis authore triumphauit. In honore eius ac tuo IESV Christe, in memoria beatæ passionis tuæ, adoro Crucis tuæ signaculum; non tanquam opus manuum hominum, nec eo puro adorationis intellectu, quo tu solus Deus adorandus es: sed tanquam passionis tuæ patibulum, mortis tuæ instrumentum, redemptionis nostræ adminiculum, conuersationis tuæ mysterium, quo scilicet mortificamus & crucifigimus tecum membra nostra, quæ sunt super terram, cum vitijs & concupiscentijs. Nobis absit gloriari, nisi in Cruce tua Domine. Te igitur Christe. &c. Sabbatum quoque sequens (quod sanctum dicimus) habuit suas aptas idoneasque meditationes. Quo, cùm fortè ad memoriam reuocasset, quòd canem quendam, ceruumque domesticum, grues atque pauones in delicijs habuisset, quibus sæpè panem, vt fit, porrigere solebat; mirum est, quantum sibi iam displicuerit, quémque dolorem animo hauserit: & cum verbera sibi ob id factum à suis infligi postulasset, eáque illi parcius infligerent, correptis ille virgis, miserabili planè spectaculo se flagellauit. Paschatis die totus erat in consideratione, atque contemplatione gloriæ Christi resurgentis. Ex qua alacri & erecto animo, magnáque fiducia imminentem exitum expectabat. Sequenti verò die, qui ei supremus illuxit, postquam octodecim dies * decubuisset, animam sanctam Deo commendauit. Quo cum die EVGENIVS Papa inuisit, & mirificè consolatus est, & confessionem ipsius, qua peccata expiauit, audiuit.

* al. occubuisset.

HVNC pium pontificem non solùm vita innocenter & sanctè acta, sed & multa, quæ tam viuus, quam post obitum, miracula edidit, orbi commendarunt. E quibus est & illud, quòd semel atque iterum in vndis perituros admirabiliter liberarit; quòd dæmonem ab eo, cui aquam à se consecratam bibendam miserat, excusserit. Obijt beatus vir * decimo sexto Kal. Martij anno millesimo centesimo quadragesimo octauo, & Episcopatus decimo septimo. Corpus demortui delatum est per *Cantuariam*, *Roffam*, *Londinum*, & alias vrbes, *Herfordiam*; non sine ingenti vbique locorum luctu, & lamentatione: quæ *Londini* præsertim insignis erat, HENRICI præter ceteros *Wintonienſis* Episcopi, atque adeò ipsius Regis STEPHANI. In via dum defertur funus, multi diuinitùs sanitati redditi sunt, ad pij antistitis reliquias confugientes. Inter quos fuit puella quædam, multis annis grauissimè afflicta: quod ita futurum mater eius triduo antè diuinitùs didicerat. Atque hoc quidem in transmarinis partibus. In ANGLIA etiam similia beneficia contigêre, tum alijs, tum mulieri cuidam, quæ mane grauem infestúmque morbum discussit, cùm noctu capiti suppositisset fasciculum quendam fœni, quod erat in vehiculo, quo sanctæ reliquiæ deuectæ sunt. Quæ si quis plenius scire cupiat, eum ad ipsum authorem remittemus. ROBERTO sedente, *Herfordenſis* ecclesia miserè deformata est. Conuersa est enim per Regis STEPHANI aduersarios in arcem siue castrum, & in equorum stabulum. Cœmiterium ecclesiæ, ad maiorem sui tuitionem, quasi fossa & vallo circundederunt; defunctorum corporibus miserando spectaculo effossis. GILBERTVS FOLIOTH *Leicestrensis*, vt diximus, Abbas, post illius obitum ad hanc functionem vocatur. Qui ob id inter alia celebratur, quòd *Herfordiæ* Comitem, seditionem aduersus HENRICVM molientem, ab eo proposito auerterit. Quo *Londinum* accersito, propinquus eius *Robertus Folioth.* Archidiaconus *Oxonienſis*, huic sedi, THOMAE maximè *Cantuarienſis* ope præficitur. De quo, miror tantum esse in vtroque Matthæo silentium, vt ne semel quidem (aut fallor) eius meminerint. Fuit enim inter nostros eius sæculi Episcopos, virtutis & doctrinæ commendatione valde illustris: magnáque cum laude, & in frequentissima discipulorum copia, theologiam in *Gallia* publicè prælegit, discipulúmque inter alios habuit THOMAM commemoratum. Qui præceptori ornando, valdè, vt diximus, studuit. Magnis hunc laudibus euehit author libri de vita THOMAE. Qui tamen THOMAE tam constanter non videtur adhæsisse, atque vel beneficiorum THOMAE in eum, vel dignitatis ipsius, vel causæ magnitudo postulabat. Qua de re leniter cum eo THOMAS per literas expostulat, & à primogenito suo (sic enim eum appellat, credo quòd primus fuerat quem consecrarat) eóque qui tantam totius orbis sustineret expectationem, se destitutum, queritur.

* al. 15.

Addit. ad Flor.

Gerualſ. in chro. anno.

De vita Thom. lib. 3. Stilton. &c.

EXTANT & prioris *sancti Victoris* in *Gallia*, ea de re literæ, quibus præclaram omnium

Inter epiſt. Th. non impreſſ.

de se excitatam opinionem, frustrari eum, nec fortibus dictis, quibus in pusilli & dejectianimi Episcopos, qui metu, & animi pusillanimitate ab officio se abduci patiebantur, apud auditores liberius inuehere solebat; parem factorum constantiam in ipso respondere, & magisterij atque muneris sui dignitatem ea cum ratione dedecorare dolet. Videtur tamen absentem & exulem THOMAM per literas, aut forsan & munusculis consolatus. Qua de re illi THOMAM gratias agit. Quis ei successerit, aut quo demum anno obierit, non satis mihi adhuc expeditum videtur. Reperio alicubi mortuum fuisse, vt & ARDVLPHVM *Carliolensem*, ROBERTVM *Bathonensem*, HILARIVM *Cicestrensem*, & NIGELLVM *Elicnsem*; cum iunior HENRICVS in regni societatem asciscretur. Atque eo tempore abfuisse ROGERIVM *Wigornensem* in *Normannia*; HENRICVM & GVLIELMVM *Norwicensem* aduersa valetudine impeditos. Successorem verò adhuc alium non inuenio præter GVLIELMVM *de Veer*, quindecim posteà annis. Quod admonuisse satis iam mihi erit. *Ioannes Lelandus* tradit ROBERTVM scripsisse de sacramentis antiquæ legis, & conciones quasdam; de alijs eius libris nil meminit. Ego verò reperio eum scripsisse libros tententiarum, de sacramentis veteris & nouæ legis, continentes septemdecim partes. Scripsisse præterea super *Genesim*, *Exodum*, de consensu *Iacob*, super *Leuiticum*; *Numerum*, *libros Regum*, *Psalterium*, *duodecim Prophetas*, *Cantica*, *epistolas Pauli*, *Matthæum*, *Apocalypsim*, & complures *Canonicas*. Incidi verò aliquando in volumen quoddam, quod ad cœnobium diui EDMVNDI spectabat, in quo erant fragmenta tantum duodecimæ & tertiædecimæ partis, cum portione quartæ decimæ partis illarum sententiarum. Ex quibus satis apparet, quanta fuerat doctrinę, ingenijque in homine magnitudo. In quo fragmento constabat eum, & ea quæ commemorauit, scripsisse, & integras illas septemdecim particulas, duobus libris comprehensas, in cœnobij illius bibliotheca, duobus magnis & pulchris voluminibus conscriptas, conseruatas fuisse. Est apud *Salopium Benedictinorum*, à *Wenno*, vt diximus, Comite, ædificatum cœnobium, Huic *Robertus* hoc sæculo præfuit. Qui vitam WENEFREDAE virginis, de qua antea commemorauimus, perscripsit.

Rob de monte in addit. ad Sigeb 1191.

Matth & Flor 1180

Ioan. Leland.

De Episcopis Lincolnensibus.

CAPVT XXXIV.

ROBERTO defuncto successit ALEXANDER, qui bis *Romam* adijt, & magno cum honore à pontifice exceptus est, templumque *Lincolniense* incendio vastatum, magnificè reparauit. Fuit ille ROGERII *Sarisberiensis* ex fratre nepos, quem simulatis & commentitijs de causis, Rex STEPHANVS carcere inclusit; nec prius liberum abire passus est, quàm duas illas illius *Neouerensem* & *Lafordiæ* arces extorsisset. Post eum sedit ROBERTVS de *Chasueio*, *Leicestriæ* Archidiaconus. Ingemuit, eo mortuo, septemdecim pæne annis vidua *Lincolniensis* ecclesia, suam miseram destitutionem, direptionem, & spoliationem. Cum enim aliquot annis Rex HENRICVS possessionum illius ecclesiæ intermedios fructus sibi interuertisset, tandem ad nomen Episcopi GAVERIDVM nothum filium asciuit. Nihil enim ille cum Episcopo commune, præter designationis & nominis vmbram habebat. Et quia magis lanam; quàm oues amabat, magisque erat ad tondendum & deglubendum, quàm pascendum accommodatus; sciretque se nullo modo, cum tanto munere paria facere posse; consecrationem suam ex proposito, varijs causationibus in alia & alia tempora frustrando reiecit. Id summus pontifex cum intelligeret, literas ad RICHARDVM *Cantuariensem* misit, præcipiens, vt GAVLERIDVM interpellaret, vt omni mora remota, sacerdotio & Pontificio muneri initiaretur, aut electioni & designationi suæ renunciaret. Quod cum Rex cerneret, sciretque se magis carnem & sanguinem in eo designando, in consilium adhibuisse, quàm maturam aliquam deliberationem, cum Dei gloria & vtilitate ecclesiæ coniunctam; curauit vt ille se tandem ea dignitate, post septem aut octo annos abdicaret. Quem mox Cancellarium suum constituit, deditque ei quingentarum marcarum annuos in ANGLIA prouentus, & tantundem etiam in *Normannia*.

Rob. Hound. 11 81

Vtraque Matth. lib. Nubrid. c. 8.

SVBSTITVIT vero GVALTERVM de *Constantijs*, hominem *Britannum*, & *Oxoniensem* prius Archidiaconum. Cui duplex hæsitatio & difficultas obijciebatur, altera quidem,

vtrum

vtrum nouum admitteret, altera vero an adeptum priùs dimitteret Episcopatum. Cum enim post consecrationē ad sedē venire suam *Lincolniensem*, cogitasset, venit quidem tandem, sed magna animi trepidatione; propterea quod quidam, qui magnam sanctitatis & prædictionis opinionem sustinebat, magna constantia ante multos annos dixisset, ROBERTVM illum, postremum *Lincolniensis* ecclesiæ fuisse Episcopum. *Nub. dist. 64.*

ALTERAM vero illam hæsitationem, duæ impotentissimæ dominæ, variè animum eius hinc inde ancipiti deliberatione distrahentes, iuiciebant. Ambitio, inquam, & Auaritia. Cum enim per RICHARDVM *Rothomagensis* priùs Archiepiscopus designatus esset, non potuit se statim expedire, admitteretne an respueret sedē *Lincolniensem*, quod se explicare non poterat, vtrum ditiorem an honorabiliorem se esse vellet. Illic videbat se maiore honore amplificandum; hic vero maioribus opibus, vitæque copijs affluere. Sed honoris amplificatio magis apud eum præponderat, & forsan eo magis, quod credebatur, genus duxisse à MADDANO, LORINI *secundi* BRITANNORVM Regis filio, & ex GVENDOLENA *Cornei* filia. Intimus fuit apud RICHARDVM, cum quo in *Palæstinam* & *Syriam* proficisci cogitabat. Sed cum RICHARDVS, in *Sicilia* adhuc hærens, audisset quàm impotenter & insolenter se, GVLIELMVS, quem Cancellarium regni in discessu reliquerat; haberet; properè misit GVALTERVM in ANGLIAM pari authoritate instructum & munitum, & cum mandatis, ne quid GVLIELMVS rei grauioris tentaret, nisi re cum GVALTERO communicata. Sed homo tamen factiosus, omnia ad se vnum nihilominus rapiebat, donec principes viri grauiter offensi, cum & ex administratione, & è regno eiecissent. Quo interim tempore GVALTERVS probum, ciuilem, & modestum se administratorem reipublicæ dedit; & obses postea fuit apud Imperatorem pro RICHARDO. Acerrima tamen illi postea fuit cum RICHARDO Rege, magna vtrinque animorum offensione, contentio, quòd vicum *Audelaicum*, qui ad *Rothomagensem* ecclesiam spectabat: ad arcem in eo constituendam ecclesiæ inuertisset. Sed pacificatio tandem inita est, commutatione facta vici illius maritimi, qui *Depa* dicitur. RICHARDVS vero, cum arcis illius exædificationem vrgeret, & operis vt magis maturarent, frequens interesset, repentè imber sanguineus de cœlo, stupentibus cunctis cecidit, ipsásque Regis vestes imbuit: mortis regiæ, quæ paulo post insequuta est, triste, vt credebatur, præsagium. Sedit verò GVALTERVS *Rothomagi* viginti tres annos. *Nub. lib. 4. c. 15.* *Nub. lib. 5. c. 11. & 24.*

De HVGONE Lincolniensi *Episcopo*.

CAPVT XXXV.

VO post exiguum tempus *Rothomagum* translato, idem munus HVGO, de quo prius mentionem fecimus, primus *Carthusianorum* in ANGLIA Præses siue Prior, vt appellant, capessit; qui virtutum suarum magnitudine, diuturnam illam illius ecclesiæ orbitatem, egregiè pensasse visus est. Fuit enim non solùm seuerioris illius monasticæ vitæ, & veri germaníque Episcopi, imò totius christianæ pietatis, tam solida & expressa quædam imago; vt nos hodie, vereor, ne vix vmbram illius teneamus. Decessit priore sæculo alter HVGO *Gratianopolitanus* Episcopus, & ipse non minùs quàm noster HVGO omnibus Episcopo dignis dotibus instructissimus; qui cum *Brunone*, viro apprimè docto, scholarum doctore, & magistro, *Rhemensique* Canonico, primæ *Carthusiæ* eremum in *Gallys* introduxit. Atque HVGONE adhuc viuo, rémque promouente, *Carthusianorum* familia paucis annis mirè succreuit; non solùm apud *Carthusiam*, sed apud *Carlesienses*, apud *Excubias*, apud *Eremum* Canonicorum regularium, apud *Miserenum* & sanctum * *Gregorium*. Nec incredibilis pæne vitæ *Carthusianis* propositæ austeritas, homines Deo totos affixos, ab ea quicquam deterruit. Huius autem instituti originem hinc manasse quidam tradunt, quòd audisset *Bruno*, doctoris cuiusdam nuper defuncti vocem grauiter conquerentis, iusto se Dei iudicio æternis pœnis addictum. Natus est HVGO noster in *Burgundia*. Et vt illud in eo locum haberet, Beatus qui ab adolescentia sua iugum Domini portauerit, octennis Canonicis quibusdam Regularibus, in ditione *Gratianopolitana*, sanctè educandus à patre (qui ipse eandem vitæ rationem, vxore defuncta, ingressus est) traditur: felix qui à mundi inquinamentis & illecebris, quas ne tenuiter quidem gustarat, tam maturè conseruatus est. Patre, cui officiosissimè inseruiebat, defuncto, *Add. Sig. anno 1107.* * *al.* Georgium. *Sigeb. an. 1082.* *Vincent. lib. 27. ca. 8 & 17.* *Vitam eius scribit Guido Prior Carthusiæ Obyt An. 1132.*

functo, durioris atque asperioris illius apud *Carthusiam* vitæ, cupido illum incessit, vbi se rebellantémque carnem vigiliis, ieiunijs, flagellis, cilicio, sicci atque aridi panis esu, aquæque potu admirabiliter castigauit. Quem tamen improbus dæmon, non cessabat miris libidinis incendijs infestare. Quæ illum infestatio cum mirabiliter torqueret & affligeret, visus est quidam ei per somnum, ventrem ipsius quasi nouacula aperire, & velut scrutinam quandam igneam excidisse, atque extra cellam proiecisse. A quo quidem tempore, aut nullam, aut tam leuem infestationem sensisse se dixit, vt facile eam cemprimeret & frangeret.

Vitam Hugonis fusiùs alios scribunt Silvester Girald.

SACERDOTIO ornatus, maiora prioribus addidit, & acriora pietatis exercitia. Et in tremendo illo sacrificio ita se habuit, quasi Christus præsens ab ipso aspiceretur. HENRICVS *secundus*, postquam *Carthusianis* Cœnobium apud *Witham* in diœcesi, vt dixi, *Bathonensi* (quos ANGLIA prius non vidit) posuisset, cum HVGONIS fama longè latèque spargeretur; REGINALDVM *Bathonensem* Episcopum *Gratianopolim* misit, qui cum *Carthusianis* enixè ageret, vt HVGONEM in ANGLIAM transmitterent, cum collegis aliquot, qui disciplinæ illius in ANGLIA semina iacerent. Qui licet multum reniteretur, præfecturámque illam accuratè deprecaretur, missus tamen est. Quem HENRICVS summopere coluit; tantúmque in pietate illius præsidium sibi reposuit, vt cum aliquando immani maris tempestate ita iactaretur, vt omnis pæne salutis spes eriperetur, Deum obsecrarit, vt ad preces, & in gratiam saltem HVGONIS & gregis ipsius, tempestatem illam pacificaret. Et vix hæc lingua nuncuparat, cum omnia placida & pacata sensit. Vbi vero GVALTERVS *Rothomagum* abijt, ad HVGONEM HENRICVS sede *Lincolniensi* ornandum, totus incubuit, Qua in re priorem illam suam in GAVFREDO designando culpam, aliqua ex parte relarcisse videri potest. Quod munus cum frustra HVGO diu excutere conatus esset, tandem cum & prioris *Carthusiæ*, & Decani atque Canonicorum *Lincolniensium* assensum accessisse electioni (sine quo illud munus prorsus refugiebat) intelligeret, voluntati Regis cessit. Qui licet HVGONEM valde vt dixi, suspiceret, animum tamen sæpe erga eum valde alienatum & offensum ostendebat. Nam & cum postularet Rex ab eo, vt quendam ex familia sua præbenda, vt appellant, *Lincolniensi* ornaret: Aulicis, inquit, ecclesiæ beneficia, quæ illis solum, qui ecclesijs inseruiunt, debentur, non tribuuntur; habet, inquit abundè de sua Rex, vnde eos, qui ipsi inseruiunt amplificet.

IAM cum magistratus clero initiatos, quod in regijs viuarijs aut saltibus, feras occidissent, contra canonum scita, & prærogatiuas clero indultas, & à Regibus confirmatas, ciuilibus pœnis afficeret, eos anathemate ferire non distulit. Hæc & alia cum Regem valde ab eo abalienarent, ille tamen partim asperis deterruit, partim blandis, facetisque verbis Regem iratum ita deliniuit; vt Rex nihil postea de priori erga eum reuerentia detraxerit, sed eam potius auxerit. Nec minus generosos, aduersus RICHARDVM & IOANNEM Reges, postea spiritus ostendit. RICHARDVS cum reuersus à Palæstina, venditiones locationésque suas, alioſque, quos ante discessum inierat contractus, vbique rescinderet, aliique passim regiæ voluntati satisfacerent, neque contra mutire auderent; HVGO constanter se opposuit vt alias aduersus eundem, cum ob militem in *Gallum* immittendum, graue ille tributum indixisset. Negauitque plane *Lincolniensem* ecclesiam, ob vllam aliam causam sumptibus obnoxiam esse debere, quàm quæ ANGLIAM ipsam, & non alias Regis ditiones respiceret. Iratus Rex, omnes HVGONIS opes & possessiones, quam primũ fisco addici imperat. Quem ille tamen postea sua præsentia, & idonea facti sui purgatione, atque satisfactione ita placauit: vt multa præclara monita, ad vitæ emendationem ab eo data, lubens audierit, & totum se illius precibus commendarit. Contestatus postea apud suos principes, masculum & magnum se HVGONIS animum, egregiasque virtutes mirificè suspicere. Quales si se ceteri quoque Episcopi præstarent, non futurum vt quisquam ex principibus & Regibus, illis se vnquam opponeret. Cúmque RICHARDVS postea egregiam contra *Gallum* victoriam reportasset: HVGONEM ille cum primis per literas victoriæ suę certiorem fecit. In diœcesi vero sua administranda, nihil prætermisit, quod aut doctum (erat enim & ipse apprimè doctus) aut pium Episcopum præstare oporteret. Amplum & magnificum, inter cetera pietatis eius opera, *Lincolniæ* templum struxit. Sed ego præclariorem quandam illius architecturam, qua non tam vel malè materiatas domus restaurauit, vel de nouo alias erexit; quàm spiritalem illam, viuis ex lapidibus constantem, qua partim per se, partim per suos; quos non nisi valde excussos, & idoneos ecclesiasticis muneribus admouit, cœleste illud rectæ fidei, & totius pietatis ædificium, in animis suorum fabricatus est, admiror.

PRAETER

PRAETER ceteras illius egregias dotes, mirifica quædam in eo, in humandis defunctorum corporibus (quod officium ipse, oblata occasione, præstare nunquam prætermittebat, vt nouus in eo *Epiphanius*, nouus *Tobias* renatus videretur) & in iuuandis, & inuisendis pauperibus pietas elucebat. Cúmque in itinere eorum, qui lepra, aut alijs horrendis morbis laborabant, hospitia præteriret, non solum sumptuum, sed & osculorum solatia, suauiter tam tetros homines basiando, præstare solitus est. Quem cum *Gulielmus* illius cancellarius (vt animum atque affectum illius experiretur, atque exploraret, vtrum à solida & fixa pietate, an ille potius ab aliqua vanitate, gloriæque cupiditate proficisceretur) ita esset adortus vt diceret, MARTINVM lepram ab hominibus, quod tamen ipse præstare non potuit, suis osculis excussisse; Fateor, inquit, illius, afflicti hominis carnem & lepram sanauit, at meum osculum animam meam sanat. Hæc ille pro sua modestia. Cum tamen certo constaret summa illum & admirabili potestate à Deo donatum, morbos & dæmones solo signo crucis, & aqua sacrata admirabiliter profligandi. Inter cetera, insigne est illud miraculum, quod exhibitum est in quodam, vtroque pede debili manco & claudo, quique duobus baculis gressus suos sustentare cogebatur. Eum magna incessit cupido, aliquam etiam operam suam in *Lincolnienſi* illo templo ædificando, quam posset ponere. Cophinum igitur arripuit, cúmque lapidibus, cæmentóque plenum, suis, vt potuit humeris, quotidie imposuit, ad locum destinatum deferens. Quod cum aliquandiu præstitisset, post paucos dies alterum, mox vtrúmque baculum abiecit: Receptáque prorsus pedum firmitate, iam alacrius & expeditius suam deinceps operam adhibuit. Neque ego tamen tam hoc tantum, & plane admirabile beneficium, quàm summam & mirificam illam animi in HVGONE deiectionem, qui illius exædificationis, non solùm inanis & otiosus spectator fuit; sed & lapides atque cæmenta, simul cum aliis, idque in eodem ipso cophino deferre solitus erat, admirari cogor: vt minus etiam iam mirer, si tantum postea beneficium per eum cophinum, in misero & afflicto homine sit repræsentatum.

MORBO vir pius tandem lætali correptus, exitum suum exomologesi; & sacrosancta Eucharistia muniuit. Qui cum Eucharistiam ad se deferri videret, è lecto prosilijt, nudisque pedibus, cilicio, tunica & cuculla tectus, obuiam processit; & vbi eam supplex adorasset, postque diuinas preces, cœlestibus illis epulis satiatus, Deo gratias egit. Et ne quæ habebat, fiscus vt solebebat interciperet, quicquid inquit bonorum habeo, Domino nostro IESV Christo, & per eum pauperibus lego. Quanquam IOANNES Rex ægrotantem inuisens, promiserat ei, quod neque illius, neque cuiusquam morituri deinceps Episcopi supremas tabulas conuelleret. Defunctus est *Londini* post decimum quartum administrationis suæ annum, cum à principali illa, & transmarina *Carthusia* redijsset; vbi fratres suos (quod diu desiderabat) inuiserat. Solebat etiam semel aut iterum singulis annis, veterem illam suam *Witamienſem* matricem inuisere, & suam antiquam cellam (quæ illi vacua semper conseruabatur) ceterorum more, sepositâ omni pontificiæ suæ dignitatis ratione, frequentare: totúmque se ibi orationibus, & cœlestibus meditationibus affigere. Demortui corpus *Lincolniam* delatum est. Quod & in itinere, & paulo post, antequam in sepulchrum inferebatur, & per omnem postea temporum memoriam, tantis Deus, tâmque certis miraculis honestauit; vt merito eum Deo esse charissimum, & cœlitum concilium ascriptum omnibus testentur. Quo autem tempore corpus *Lincolniam* aduectum est, accidit vt Rex IOANNES cum *Gulielmo* Rege *Scotiæ* HVBERTO *Cantuarienſi*, GAVFRIDO *Eboracenſi*, BERNARDO *Raguenſi* Archiepiscopis, & tredecim alijs ANGLIAE & *Scotiæ* Episcopis, magnàque procerum, & aliorum viuorum ecclesiasticorum frequentia ibi versaretur. Corpus itaque ad atrium vsque ecclesiæ Reges ipsi cum proceribus, ad chorum deinde Archiepiscopi & Episcopi suis humeris deuexerunt. Hunc tantum etiam sepulturæ videtur Deus, quasi mercedem quandam officiosæ illius in pauperes, & alios humandos sedulitati, honorem, mirabiliter tribuisse. Non dum ab obitu quindecim dies effluxerant, cum ecce per somnum *Rogerio* Decano *Lincolnienſi* se ostendit. Noueris, inquit, ex summa Dei benignitate mihi patefactum, & indultum, vnum ex vestra societate propediem ad cœlestia mecum gaudia capienda venturum. Sitis ergo parati, & ad obitum instructi. Quam ille postridie visionem cum fratribus retulisset, *Robertus* quidam ex eis mox in morbum incidit, ex quo post triduum obijt. Corpus vero defuncti cilicio ad poplites premebatur; quod communibus vestibus tectum viuus gestare solebat. Obijt autem pius pontifex ad annum redemptionis millesimum ducentesimum, quinto Kal. Decembris.

Reg. Houed.

Reg. Hou. 1209 Vinque Matth. Capgr. & Polid. 1206.

De

De hæreticis quibusdam Oxonii *damnatis.*

CAPVT XXXVI.

EST in hac diœcesi *Oxoniense*, celebre propter insignem, qua honestatur, academiam, oppidum, vbi Rege præsente, & magna etiam Episcoporum frequentia, hæretici quidam aliunde aduenientes, &, sinceritatem fidei catholicæ inter nostros conati contaminare, damnati, meritas suæ pertinaciæ pœnas subierunt. Immunisque fuit ANGLIA à fœdis, & terris illis hæresibus, quæ *Italiam*, *Germanniam* & *Galliam* præsertim hoc sæculo, grauiter infestabant. Nam præter *Berengarij*, ab eo ipso tandem authore, confossum, & iugulatum errorem, qui superiore sæculo contra

Add. Sigeb. 1124 sacrosanctam eucharistiam, natus est; multi alij hoc sęculo renati, longè latéque per *Europam* spargebantur. Fuit *Tandenus Antuerpiæ*, qui negaret eucharistiam quicquam ad salutem prodesse: qui nihil discriminis diceret esse inter Episcopos & sacerdotes, & multa alia. Qui licet vita, quàm doctrina fœdior, quippe qui filias in matrum, & vxores in maritorum

Nub. lib. 1 c. 19. alij appellant Eonem. præsentia nefarie violaret, adeo tamen à suis discipulis cultus est, vt aquam, quæ sacrilegum corpus lauisset, instar sacrarum reliquiarum conseruarent. Fuit & *Eudo* qui auderet dicere (furcifer) se eum demum esse, cui in viuos & mortuos, omne à Deo iudicium datum est, quique mundum igne expiaret. Et de discipulis suis se, tanquam de magnis quibusdam prophetis, quique angelis & apostolis pares, essent, gloriosè venditabat. E quibus aliquot, cum nulla persuasione errores abijcerent, ignibus addicti sunt. Inter quos fuit vnus, qui tanta fiducia ad ignem accessit, vt crederet, terram mox hiscere velle, & findi ad ipsius imperium, aduersarios deuoraturam. Succreuit indies hoc hominum genus in *Gallia* & *Flandria*. E quibus Comes *Flandrensis* multos incendio exposuit, qui negabant temporalia, sed sola æterna à Deo creata, quique paruulorum baptismum & sacrosanctam eucharistiam, cum ipsius sacrificio flocci faciebant, multisque alijs erroribus irretiebantur.

Vide de hac secta latè apud Gervasium Cant. circa 1181. E quibus *Cotarelli* cum *Biturigensem* regionem vastarent, septem eorum millia internecione delerunt. Nec prius *Gallia* ab hac fæce purgari potuit, quam *Albigenses*, immisso exercitu, *Simon Montisfortensis* Comes prorsus sustulisset. ANGLIA tamen, summo Dei beneficio, ab hac peste libera, vt dixi, fuit. Cui tanto nostro bono sceleratus dæmon inuidens, qui iam *Italiæ*, *Germaniæ*, & *Galliæ*, magnam fidei catholicæ per suos assecias intulerat cladem; amandat in ANGLIAM, triginta vtriusque sexus ex suis discipulis, qui pseudoeuangelium suum apud nostrates proueherent. Quorum dux fuit *Gerardus* quidam vtcunque literis imbutus, ceteri omnium prorsus literarum rudes. Sed neminem hic, nisi vnam feminam nefarius dæmon prædari potuit. HENRICO interim Regi innotuit nefariorum istorum aduentus, &

Nubr. li. 1 c. 13. Matth. Par. 66 Polid li. 19. conatus. Qui nolens in eos, nisi auditos, & causa cognita ad nimaduertere, Episcopos *Oxonium* acciuit. Accersitur *Gerardus* cum suis, & ille quidem pro se & reliquis, fidei suæ rationem reddidit: & licet manifestis tenerentur erroribus, quibus baptismum, eucharistiam & coniugum detestabantur; abduci se tamen ab errore nullo modo, aut persuasione passi sunt. Cum igitur hæreseos aduersus eos sententiam Episcopi pronunciassent, frontes eorum, & mentum etiam doctoris *Gerardi* cauterio inusta sunt: flagris etiam publice cæsi sunt, datúmque mandatum à principe, ne quis eos hospitio, aut viatico iuuaret. Atque ita paulo post, frigoris & famis magnitudine periere. Mirum est videre, quanta alacritate, præsertim doctor eorum *Gerardus*, ad supplicia quasi cucurrerit, canens interim: *Beati eritis cum vos oderint homines.* Mulier vero illa nostras ab eis illusa, per pœnitentiam pœnam omnem euasit. Et hæc quidem seueritas tantum profecit, vt nec tunc, nec postea, ad *Wicleuiana* vsque tempora, ista ANGLIAM lues valdè contaminarit. *Oxonij* humata est beata FRIDESVIDA virgo, de qua commemorauimus. Erat ibi quondam virginum cœnobium; In quod hoc sæculo indu

Matth. Par. 1111 cti sunt Canonici Regulares, quorum Præses fuit *Guimundus* HENRICI priùs Regis sacellanus, vir eruditus.

De Gilberto Sempringhamensi *authore* Gilbertinorum, *vt appellantur monachorum.*

CAPVT XXXVII.

PATREM habuit *Iocelinum* hominem *Normannum*, militia clarum; matrem ANGLAM. Natus est in vico, quem *Semprimgham* appellant. Illustre quoddam de eo præsagium mater habuit, cum antequam nasceretur, per somnum lunam in sinum suum delapsam vidisset. Profectus est in *Galliam* ad liberalium artium, ingenijque cultum feliciùs capessendum. Reuersus postea, pueris puellisque sanctè liberalitérque instituendis, animum intendit. Quos non solum literas docuit, sed & eis morum accuratam quandam, quasique monasticam disciplinam tradidit: puerísque silentij, loquendique, & sub vno tecto cubandi, alijsque de rebus præscripta dedit. Pater interim eius *Sempringhamensis*, & *Tyringtonensis* ecclesiarum patronus; cum videret sancta filij viuendi instituta, eum illis præ ceteris cohonestare operæ precium putauit. Quod munus susceptum tanta diligentia, cura, sedulitatéque administrauit, vt concionandi frequentia, claróque suo omnium virtutum exemplo, parochianos valde ad pietatis suæ imitationem inflammaret; ita vt non multum à monachorum disciplina abesse viderentur, illustréque quocunque pergerent, cuius pastoris oues forent, pietate sua documentum darent. Non defuit tamen, vt fit in multitudine, qui parum tanti pastoris expectationi respondens, in decimis adeo soluendis fraudem faceret. Quo ille cognito, fraudatorem eò perduxit, vt omne frumentum ex horreo educeret, iustamque illius decimam persolueret. Quam ille in fasces collectam, in tanti criminis detestationem, aliorúmque terrorem, palam incendio absumpsit. Versatus vero est aliquandiu in familia ROBERTI BLOET *Lincolniensis* Episcopi, & ALEXANDRI, qui ei successit, Sacerdotióque vel inuitus ornatus est. A quo tempore, etsi priùs semper singularem quandam, & apprimè piam viuendi rationem sequeretur; accuratius tamen multo, pietati omni, eleemosynisque cum primis operam dedit; adeo ab omni ambitione remotus, vt insignem quendam *Lincolniensis* ecclesiæ Archidiaconatum sibi oblatum prorsus renuerit. Cúmque singulari quadam animi propensione ad pauperes iuuandos prochuis esset, ea tamen ad feminarum subsidium emineбat. Septem itaque delegit: in quas suam beneficentiam, liberalitatémque conferret, quas deinde per sanctam virginitatem deo consecrauit, easque ita ALEXANDRI *Lincolniensis* Episcopi consilio, authoritatéque præeunte inclusit: vt nemini ad eas accessus, solàque fenestra pateret, per quam cibaria eis inferebantur. Ad quod munus puellæ quædam pauperiores, quas laicas appellant, inseruiebant. Quæ & ipsæ postea, monastico voto illigatæ sunt. Adieit deinde & viros quosdam, qui exteriores, rusticásque monasterij res obirent, qui & ipsi tandem, toti ex monastico præscripto, cui se palam solemni contestatione deuouebant, viuebant.

MAXIMO hæc sancta *Gilberti* molimina, Regis principúmque applausu excepta sunt; amplæque vndique possessiones donatæ, quas tamen ille partim omnino coactus admisit, partim prorsus reiecit: Ne nimia fortè rerum copia, nascentem suorum pietatem quasi in herba suffocaret. Magna interim virorum & mulierum, ad hoc vitæ genus accessio facta est. Quam ille tantam fœcunditatem videns, séque pro animi sui demissione, indignum qui tot pijs præesset, arbitratus: *Cistertium* adijt, vbi tum Papa EVGENIVS diuersabatur, vt eius authoritate liceret *Cisterciensis* aliquos assistere, qui huius recentis prolis curam administrationémque susciperent. Qui cum accuratiùs curiosiúsque de illo, vitáque eius inquisisset, certiúsque edoctus de illo, & quod eum Deus etiam stupendis operibus edendis nobilitasset; indoluit eum sibi virum tam serò cognitum. Quippe quem, si maturiùs de eo cognouisset, *Eboracensi* Archiepiscopatu amplificandum curasset. Ei igitur suæ nimirum prolis fouendæ, educandæ, & prouehendæ, licet valde reluctanti, munus maximè commendandum arbitratus est. Hoc loci incidit in notitiam celeberrimi illius MALACHIAE *Armachani* Archiepiscopi, & Abbatis *Bernardi*. Cuius consilijs animatus, pié cœpta feruentiùs prosequutus est. Reuersus, susceptúmque munus strenuè exequens, addidit & Canonicos, viros & sacro sacerdotio, & literatura insignes; qui nouæ huius multitudinis mentes sacris concionibus reficerent, acueréntque ad omnem pietatis feruorem, qui sacra obirent, *Gul. Nubr. lib. 2. 16.*

& sacramenta, cum res postularet, ministrarent. Quibus alioqui non licebat monasteria virginum ingredi (seorsum enim ab eis habitabant) neque vel sacramenta ministrare, nisi in multorum præsentia, neque vel tum, vel aliâs nuda, sed operta tantum virgines facie videre. Mira & casta disciplina: si quid vel intrò, vel extra referendum gerendúmque fuerat, id quidem extra duo senes probatæ vitæ, intrò duæ matronæ sola voce expediebant, cum se interim mutuò neutiquam aspicerent. Reliquam disciplinam omitto, quam ille scriptis accuratè complexus est. Quam EVGENIVS, alijque postea pontifices propenso fauore confirmarunt.

ILLE verò vt authoritate & dignitate, ita etiam exemplo ac seueritate, exactáque obseruantia longè ceteris præiuit. In victu omnium continentissimus, vtpotè qui à carnibus omnino, nisi graui ægritudine pressus, & per totam quadragesimam à piscibus adeò abstineret. Olera, legumina, & id genus alia illius erant deliciæ; quibus tamen & alijs, tam parcè vtebatur, vt mirarentur homines, vel viuere posse quenquam in tanta parcimonia. Et tamen ille in tanta seueritate, solitus est sæpè cum a mensa surgeret, quasi de crapula conqueri. Id verò ei semper in more positum erat, vt vas quoddam, quod discum domini IESV appellauit, mensæ supponi iuberet; in quod non solum reliquiæ, sed etiam ciborum præcipuæ & primæ partes, ad vsus pauperum congerebantur. Cilicio (quod ab oculis aliorum studiosè tegebat) semper vlus est. In lecto non iacuit, sed sedit, vestibus nunquam exutus: neque aliquid, quod caput sustineret, suppositi. Atque ita cum somnus necessario irrueret, depressit caput, vnde facilè excusso somno, orationi & meditationi se dabat. Æstate hyemeque ijsdem vestimentis, & pellibus nunquam, vsus est. Mensa eius non aureis aut argenteis vasis, sed ligneis tantùm ac testeis, & cochlearibus corneis ornabatur. Cum diu præfuisset, neque ipse tamen aut vestes mutasset, aut voto aliquo, vt moris est, monasticam illam vitam, quam alijs præscripserat, professus fuisset; ne forte successores id in exemplum traherent, alijsque de causis excitus, *Rogero* cuidam *Sempringhamensi*, ecclesiæ *Maltonæ* Canonico, qui in eius postea locum suffectus est, se totum subiecit: monasticámque quam ipse condiderat alijs, disciplinam ex professo amplexus, qui alijs omnibus præerat iam *Rogerio*, huic per omnia se subdidit, eámque quasi ducem & magistrum, per omnem postea vitam coluit, factus ex magistro discipulus.

HVNC tantum virum graues tamen quædam, Deo ita ordinante, exercuere procellæ & tentationes; ex quibus & illa domestica fuit, ab ijs contra officium excitata, qui eum præ ceteris colere & amplecti debuissent. Ex laicis enim illis, de quibus diximus, aliquot seuerioris iam vitæ pertæsi, scelerate aduersus pium virum coiëre, fictisque cum criminationibus, non modò apud THOMAM *Cantuariensem*, qui postea martyr obijt: sed & apud ipsum adeo ALEXANDRVM pontificem ita exagitarunt, vt multum homini sancto molestiæ excitarint. A quo eius rei cognitio, HENRICO *Wintoniensi*, & GVLIELMO *Norwicensi* Episcopis demandata est. *Norwicensis* (absente propter affectam valetudinem *Wintoniensi*) causam accuratè cognouit, innocentiámque *Gilberti* significauit. De qua & multi alij Pontifici suggesserunt, & inter alios Prior *Bridlingtonensis*, & *Wintoniensis*, de quo diximus; atque ROGERIVS *Eboracensis* Archiepiscopus: sed nullus ipso Rege accuratiùs id præstitit. Qui grauissimè tulit laicos illos, qui, vt Regis verbis vtar, ante professionem rustici erant, & glebæ ascriptitij, perfidè à disciplina, quam scientes & prudentes religiosa contestatione amplexi erant, scelerate deficere, & de ea tanquam iusto seueriore conqueri, aliámque leuiorem & mitiorem postulare: & cum non impetrarent, cælum terrámque mouere ausos. Quam si eos Pontifex excutere pateretur, denunciat futurum, vt ipse & proceres, possessiones quas illis attribuerant (id quod, inuersa priore disciplina, se facere merito posse existimauit) penitùs auferrent. Hæc & alia Pontificem commouerunt, vt priuilegia ab EVGENIO & ADRIANO data, disciplinamque omnem à *Gilberto* suis præscriptam; fixa & immota ad omnem memoriam manere decreuerit: & scriptis tam ad Regem quàm Episcopos, ipsúmque *Gilbertum* literis, voluntatem suam ea de re, præfractósque illos viros ad officium omnino cogendos, significarit.

Extant epist. D Thom ad eum ea de re, inter eas quæ adhuc non sunt impress.

SED hæc quidem leuior fuit ea, quæ præcessit, procella. In illa enim acerba diui THOMAE *Cantuariensis* insectatione, delatus est *Gilbertus* cum suis, quòd exuli contra Regis præceptum, pecuniam transmisisset. *Londinum* itaque cum præpositis, & monasterio-

rum

rum procuratoribus accersitur ad causæ dictionem. Cui tamen iudices, ob summam viri reuerentiam tantum detulere, vt, si iureiurando obiectum crimen inficiaretur, mox dimitteretur. Quod ille constantissimè recusabat. Neque iam quicquam præter exilium, monasteriorúmque vastationem expectabatur: cum ecce literæ Regis à *Normannia* deferuntur iudicibus, vt causam illam ad ipsius aduentantis cognitionem remitterent. Dimissus est igitur *Gilbertus* cum suis. Qui iam liber et abiturus, palam apud iudices contestatur, se obiecti criminis omnino immunem. Mirari valde omnes, quòd vltrò iam fateretur, quod in tanto priùs periculo positus, cum id pudore veritatéque salvis potuisset, præstare tamen noluisset. Ceterum ille altiore vsus consilio, neque ex dignitate sua aut ecclesiæ, neque sine malo exemplo futurum putauit; si suppetias, quas reuera non tulit, tulisse se tamen antistiti suo debuisse existimauit, tam solemni apud tribunalia contestatione, se nullas tulisse professus fuisset. Ad summam vir iste pius senectutem peruenit, centesimumque viuendo excessit annum; reliquitque suorum, quatuor nempe virorum, virginum vero nouem monasteria; ex illis ad numerum septingentorum, ex istis mille quingentas. Obijt ad annum millesimum centesimum nonagesimum, pridiè nonas Februarij. Cuius sanctitatem, etsi totius vitæ exactæ ratio satis contestetur, voluit tamen Deus eam illustriorem, & clariorem orbi fore, ex stupendis operibus, quæ per eum tam in hac caduca, quàm in illa immortali vita præstitit. Cum enim adhuc apud homines supereſſet, morbi, venti, ignis, quasi illius imperio admirabiliter cesserunt. Nec prædictionis caruit dote, de illa præsertim *Stephaniani* temporis grauissima perturbatione cessatura. Multáque illi alia diuinitùs ostensa sunt.

De his & sequ. miraculis, vide vitam eius latè.

ATQVE hæc quidem, licet & numero & amplitudine sua illustria sunt: magis tamen & dignitate & numero eminent, quæ post obitum illius accidêre: virtutes enim suas, ipse semper adhuc viuus, quoad potuit, celauit & suppressit. Atque ista quidem cum alibi sæpè, tum potissimùm ad sepulchrum pij viri patrata cognoscuntur. Acceptáque ibidem beneficia cæci, claudi, muti, surdi, paralytici, febricitantes, hydropici, furiosi, dæmoniaci, alijque varijs ægritudinibus, ad deplorationem omnium amicorum & medicorum oppressi, palam, ingentique gratulatione denunciabant. Et ne quid ficti aut simulati (quod in hoc genere contingere aliquando solet) gereretur, rerúmque verè & præclarè gestarum fidem contaminaret, & vel leuiter eleuaret: omnia ad diligentissimam, accuratissimámque disquisitionem & cognitionem, non solum ex sanatorum, sed ex testium integerrimorum testimonio, fidéque reuocata sunt. Cui cognitioni non solùm alij multi, doctrina, pietate, religione insignes; sed & HVBERTVS *Cantuarienſis* Episcopus interfuit, aut potius præfuit. Quæ cum tam essent vbique manifesta & illustria, significata sunt *Romano* pontifici per Priores de *Chicksand*, & de *Cateleia*, per Priorem & conuentum de *Tyma*, *Kyrkeham*, Abbates de *Barlingkerſted* & *Renesby*, *Kirkestall*, *Diui Albani*, *Suineſheued*, *Brunna*, *Croxtona*, per *Gulielmum* Comitem *Eſtſexiæ*, per Episcopos, *Bangorienſem*, *Roſſenſem*, *Elienſem*, *Norwicenſem*, *Couentrenſem*, *Londonienſem*, & HVBERTVM *Cantuarienſem*; Cui, & alijs quibusdam, INNOCENTIVS *tertius* rerum accuratè inuestigandarum curam delegauerat. Qui iam de rerum gestarum per beatum GILBERTVM magnitudine, & veritate affatim instructus, corpus eius in editiorem augustiorémque locum, memoriámque eius inter ceteros cælestes ciues, in posterum celebrandam decreuit. Atque hæc in annum domini millesimum ducentesimum secundum, & tertium Idus Octobris, & Regis IOANNIS, qui & ipse his de rebus ad Pontificem scripsit, tempora inciderunt.

De diui ALBANI, *Rameſienſi, & alijs huius diœceſeos cœnobijs, déque quodam, qui poſt mortem oberrabat.*

CAPVT XXXVIII.

ALBANIENSE & *Rameſienſe* cœnobia valde nobilitata ſunt, illud ex diui AMPHIBALI martyris hoc ſæculo, iſtud ex IVONIS Epiſcopi reliquijs ſuperiore ſæculo repertis, de quibus iam antea diximus. Inter alios *Albanenſis* cœnobij præſides, *Nicolaus* & *Radulphus*, ob doctrinã, quorum poſterior heroico carmine vitam diui ALBANI conſcripſit, & *Simon* ob ſuum in THOMAM *Cantuarienſem* obſequium, hoc ſæculo celebrantur. IVONIS vero tranſlatio, vt ineunte ſuperiore ſæculo ad magnam cœnobij amplificationem contigit, ita hoc iſto ſæculo, valde contaminarum, & deformatum eſt per ciuiles illos tumultus, qui, regnante STEPHANO, ſurſum & deorſum omnia miſcuere. *Gaufridus* enim *Mandeuillæ* monachis exterminatis, inſtar arcis & caſtelli illud muniuit, vicinas inde regiones crebris excurſionibus grauiter infeſtans, magniſque eos, qui STEPHANO parebant, detrimentis afficiens. Aduerſus quem eiuſque ſocios, etſi lenta & tarda fuerat diuina manus, grauitate tamen pœnæ tarditatem penſabat, memorabile ad omnem poſteritatem in eos exemplum edens. *Gaufridus* à gregario milite ſagitta ictus, occubuit. *Arnulphus*, qui poſt patrem eadem eccleſia vt arce vtebatur, in STEPHANI poteſtatem veniens, in exilium miſſus eſt. Iam magiſter equitum ſub equo lapſus, cerebróque excuſſo, miſerè perijt. *Raynerius* vero peditum magiſter, homo incendijs & direptionibus cœnobiorum nobilitatus, cum proſcriptus cum vxore, liberis, & ſuppellectili nefarijs artibus conquiſita, nauim eſſet ingreſſus, vt mare tranſmitteret, ecce in medio curſu, non vt olim; cum fugeret *Ionas*, ſæua tempeſtas orta eſt, ſed nauis quaſi fixa in ſolida terra immobilis ſtetit. Neque vlla ratione ſe nautæ ex loco, in quo hærebant defixi, aliquam in partem explicare potuerunt. Omnium animis ad hunc euentum mirificè attonitis; iactæ ſunt ſortes, vt ſic explorarent, ſi in quoquam nautarum aut vectorum, cauſam tanti prodigij reperire poſſint. Sortes ſæpius iactæ, in ſolum *Raynerum* ſemper ciderunt. Quare poſt deliberationem, optimum viſum eſt vt *Raynerium* cum vxore, liberis, & ſuppellectili in ſcapham transferrent, diuinæque eum voluntati committerent. Quod vbi actum eſt, nauis libero, expedito, & inoffenſo curſu reliquum iter confecit: Scapha vero mox fluctibus obruta eſt. Neque id ſilentio prætereundum eſt, antequam hæc ita accidiſſent, parietes clauſtri & eccleſiæ, quam tam nefariè contaminarunt, ſanguine, non ſine magna vel atrocitatis ſcelerum, quæ iſti in ſe admiſerant, vel imminentis, de qua diximus, eorum cladis ſignificatione, cum magno omnium ſtupore manaſſe.

Nub lib. 1 ca. 11. Matth. Par. Henr. Hunt. Anno 8. & 9. Steph.

RAMESIENSE hoc cœnobium, *Gulielmus Petroburgenſis* huius cœnobij alumnus, ad HENRICI *ſecundi* tempora, propter exuberantem & exquiſitam theologiæ cognitionem, cui & libri ipſius teſtimonium luculentum ferunt, decorauit, *Robertus* vero *Leiceſtriæ* Comes, ad tempora HENRICI *ſecundi*, poſuit in eadem vrbe, *Regularium* Canonicorum cœnobium, Cuius inter alios, præſules fuit GILBERTHVS *Foliorh*, *Herfordenſis*, & *Londinenſis* poſtea Epiſcopus. Huius diœceſeos eſt *Crolandienſe* cœnobium, quod *Gulielmus Rameſius*, inter alios eius loci & huius ſæculi monachos, ſcriptis quibuſdam, quibus GVTHLACI, NEOTIque verſu, eiuſdémque NEOTI, & aliorum Diuorum vitas ſoluta oratione complexus eſt, illuſtrauit. Viſitur in hac diœceſi *Bukingamienſe* oppidum, à quo & comitatus nomen mutuatur, vbi magna per defuncti cuiuſdam manes perturbatio exorta eſt. Quidam enim, qui præcedenti die humatus erat, nocte illa, quæ ſepulturam excepit, non modo vxori ſe viſendum præbuit, ſed corporis ingenti, & pæne intolerabili mole, pæne eam obruerat. Quam moleſtiam cum & ſequenti nocte innouaſſet, tertiam illa quidem noctem excubando tranſegit, alióſque qui ſimul vigilarent ſibi adiunxit. Et venit ille quidem, & illa etiam nocte, ſed ad magnum vigilantium clamorem tandem abactus, citra noxam aliquam abſceſſit. At enim ſpectrum illud ſimiles fratribus & vicinis moleſtias exhibebat, vt iam totum oppidum aduerſus illas, quibus & animalia eorum diuexabat, vigilare, excubiásque agere cogeretur. Quid? quod interdiu ſe viſendum ſæpe exhibuit, idque cum multi ſæpe adeſſent. E quibus vnus aut alter

Polyd li. 23.

Nuberg. in hiſt. Angl li. 1 ca. 22. quod deeſt in impreſſo vt multa alia. Quæ tamen in antiquo quodam codice Nub. reperiuntur.

alter eum vidit; cum ad eos dies ceteri eum præsentem certò scirent. Cúmque loci illius Archidiaconus eò veniſſet, vt frequenti sacerdotum concilio præesſet, & negotia quædam ecclesiastica obiret, quæ sui erant muneris; magno concursu ab oppidanis, consilij capiendi causa ad eum itur. Ille rem totam Episcopo suo, qui *Londini* tum versabatur, per literas significat. Rem ille domesticis suis, & alijs theologis communicat. Responsúmque est, huiusmodi casus non insolentes in ANGLIA esse; fuere, qui suaderent vt cadauer effoderetur, & incendio absumeretur. Post varia tandem consilia rescribit Archidiacono, vt aperiret sepulchrum, & chartulam quandam, quæ abolitionem ecclesiasticam criminum defuncti complectebatur, quam cum literis transmittebat, pectori hominis imponeret, & terra rursus cadauer obrueret. Paruit Archidiaconus, neque vllas oppidum illud huiusmodi spectri infestationes postea sensit. Hæc author meus illorum temporum æqualis, tum ab alijs, tum à *Stephano* illius loci Archidiacono didicisse se tradit.

De Episcopis Elienſibus.

CAPVT XXXIX.

ELIENSEM quoque diœcesin (quæ *Lincolniensis* antea portio fuit) hoc sæculo natam, & constitutam hic adiungamus. Est in *Elienſi* insula celeberrimum, de quo diximus, cœnobium, possessionibus & rerum copijs, vt si quod aliud, valde affluens; hoc, isto sæculo *Richardus* administrabat. Qui cum & insulam, & se amplificandi cupidus esset, egit accuratè cum *Romano* Pontifice PASCHALI, HENRICOque Rege, GVLIELMI filio, vt Pontificia sedes in ea insula constitueretur. Tam copiosè enim, aiebat, cœnobium possessionibus abundare, vt tum nouo Episcopo, tum etiam Priori, qui Abbatis loco futurus esset, sufficere possit. Et certè tam exuberantes huius cœnobij possessiones fuere, vt præter trecentas libras reddituum, qui monachis quotannis attribuebantur; Abbas mille quadringentas ad suos vsus decerperet. Pertraxit tandem *Richardus* in suam vtrumque sententiam. Locata est ibidem Episcopalis cathedra, eiúsque potestati *Cantabrigiensis* Comitatus, cum ipsa insula suppositus est. Et ne quid *Lincolniensi* Episcopo commodi detraheretur (ad cuius ecclesiasticam ditionem Comitatus pertinebat) aliarum possessionum, quas illi Rex in villa *Spaldingia* commutatione contulit, Episcopo hoc omne damnum abundè resarcitum est. Cúmque hæc omnia PASCHALIS Regisque authoritate rata, & munita haberentur, repentè, quasi inter os & offam, *Richardus* obiens, honorem quem ipse voluit, sed capere non potuit, ad HERVEIVM *Bangoriensem* Episcopum transmisit. HERVEIVS iam antea *Bangoriensem* sedem quodammodo dimiserat, relicta *Cambria*, in ANGLIA commoratus, nescio an melioris fortunæ spe, an, quod causabatur, propter capitales cum *Cambris* inimicitias. Vtcunque sit, ille hac occasione, non de bobus, quod dicitur, ad asinos: sed ab asinis ad boues, id est à tenui, ieiuno, & sterili Episcopatu, ad abundantem & copiosum transiuit, ad annum trigesimum tertium Regis HENRICI. Quem ad NIGELLVM ille, *Rogerii* illius, de quo diximus, *Sarisburiensis* Episcopi nepotem transmisit. Quem Rex (qui cum ROGERIO grauissimas gessit inimicitias,) STEPHANVS proscripsit.

Gul. Malm. Polid lib 11.

Cestrenſis & vterque Matth. 1109.

Vterque Matth. 1133 & 1139.

SEQVVTVS est postea GAVFRIDVS. Qui cum intestatò obijsset, omnia eius bona Rex sibi conuerrebat. Huic GVLIELMVS *Longeshampus* successit, homo magnis quidem dotibus, sed quas, grandia etiam vitia, impoténs que diuitiarum, & dominationis amor deformabant, eique magnam inuidiam & periculum conflabant. Apud RICHARDVM Regem gratiosissimus fuit, adeo quidem, vt non solum hac pontificia sede, sed cum propter voti sponsionem in *Palæstinam* discederet, supremo etiam cancellarij munere, & summa reipublicæ totius administrandæ, se absente eum ornarit. Quid? quod *, ne ei ad iustam, & exortem quandam singularis potentiæ amplitudinem aliquid deesset; à *Romano* etiam Episcopo CLEMENTE, Pontificiam loco eius legationem in omnem ANGLIAM, & eam etiam *Hiberniæ* partem, quæ ANGLIAE ditionis erat, impetrauit? Qua ille tam ampla authoritate, perperam, acerbè, & immoderatè abusus; in grauissimam omnis ordinis hominum, pænéque sibi ipsi funestam offensionem, paulo post incurrebat. Qua fretus, multa ille ma-

Matth. vterque 1189.

* *al quòd*, vt nec ei.

De Guliel Vide Rog Houed & Gul Nub li 4. ca 14 cum ſeqq. Matth. Par. & epist Hugo Cest. Episcopi de eius fuga apud eundem Rog Houed

gna,& periculosa moliebatur. Multos profusósque ille sumptus, in *Londinensi* arce nouis muris & defensionibus munienda posuit. Quam & inducto, vt eam vndique circumflueret, *Thamesi*, frustra grandibus impensis, laboribúsque operarum perditis, circundare & vallare conatus est.

ARCES omnes, reipublicæque præfecturas etiam, quas varijs ANGLIAE in regionibus, speciali quadam fiducia, à nonnullis clarè redemptas, RICHARDVS ante discessum commiserat & crediderat: aut malitiosis officiorum blanditijs, aut terrore, & fictis criminationibus; & alia fere quæcunque ad explendas suas cupiditates voluit, gladio illo suo vtrinque acuto extorsit; & in omnia omnium bona & possessiones, quos deprædari semel statuit, vel irrepebat, vel irrumpebat. Quotus enim quisque erat, qui eius immoderatis desiderijs aduersabatur, quem non facile vel fulmine illo suo Pontificio, vel regio gladio euerterit? In publicum prodibat, pluspuam regio fastu, mille & amplius equitibus stipatus. Cœnobia & collegia immodicis expilationibus exhauriebat; quibus, vt & Episcopis, alijsque ex clero, (cum aliàs regij gladij, cum res postulabat, obiecto terrore, tum in Synodis, quas nonnunquam legationis suæ authoritate, sed modico aut nullo rerum, melius constitutarum fructu indicebat) ita imminebat, vt vix quisquam hiscere contra auderet; Canonicos, alioslque ex clero *Eboracensi*, ab omni sacrorum vsu, & functione, quod illi eum vt legatum Apostolicæ sedis, priuilegijs eiusdem sedis freti recusarent agnoscere, abdicauit. Quo terrore illi coacti, supplices ad eum venerunt, & ei vt Legato, per omnia paruerunt. Et facile quidem fuit clerum, vtróque suo summo sacerdote, *Cantuariensi* BALDVINO in *Syria* & *Palæstina*, & GAVFRIDO *Eboracensi* in exteris regionibus, propter metum GVLIELMI peregrinante, destitutum, pecunijs exhaurire, prosternere & obterere. Et tamen vmbratilis cuiusdam, & parum fructuosæ visitationis, vt appellant, nomen; quam vt legatus pontificius in totam ANGLIAM exercebat; vt & alius, ob laicos, arcibus & præfecturis deiectos, speciosus prætextus obtendebatur: ne videlicet ANGLIA,* vno & vero Rege absente, multorum Regum & dominorum iugo præmeretur.

* al. viuo &.

A laicis verò quanquam magis sibi timebat, tamen, eorum sibi vel amicitiam beneficijs & affinitate (necessarios enim ex *Normannia*, quibus abundabat, in magna frequentia in ANGLIAM accersebat, cum quibus etiam principum virorum liberi in matrimonium coire, magni beneficij loco ducebant) adiungendo: vel aliàs potentiæ suæ magnitudine deterrendo, satis se munitum erga alios omnes existimabat. IOANNEM solum Regis fratrem magnopere, nec tamen valde viuo RICHARDO, sed in posterum formidabat: veritus ne si quid humanitùs RICHARDO contigisset, ipse ab eo (quem ad regnum, mortuo semel RICHARDO, aspirare non ignorabat) prorsus euerteretur. Hoc ille malum vt auerteret; missis duobus fratribus suis ad *Scotorum* Regem, solicitè cum eo egit, vt, si forte RICHARDVS in itinere illo interciperetur & obiret; communem secum operam in ARTHVRO, RICHARDI ex fratre maiore natu nepote, ad regiam dignitatem euehendo poneret. Et licet hæc inter GVLIELMVM & *Scorum* clandestinis consilijs tractarentur, subodoratus est tamen IOANNES GVLIELMI molimina. Qui quanquam iram suam aduersus GVLIELMVM ad tempus concoqueret, & premeret, pressit tamen, certiore aliquando GVLIELMI pernicie, si occasio daretur, crupturam. Quales mulæ quidem se dedere. Nam etsi propter varias principum, aduersus GVLIELMVM per literas querelas, RICHARDVS WALTERVM *Rothomagensem*, vt diximus, è *Sicilia* cum pari & æquali authoritate, quam GVLIELMO dederat, in ANGLIAM amandasset, præcipiens GVLIELMO, ne quid in difficilioribus regni negotijs tentaret, nisi conscio & assentiente WALTERO, quem illi associarat: non destitit tamen ille, frustra reclamante, imo deterrito *Rothomagensi*, communes omnes reipublicæ deliberationes sibi soli, & res suo solius arbitrio, vt solebat, præripere, & in aliorum bona, arces, & præfecturas inuolare.

QVAM eius, præsertim aduersus *Gerardum Lincolnienſis* arcis præfectum, quam GVLIELMVS obsidebat, iniuriam, IOANNES grandi exercitu collecto, ita defendit & vindicauit; vt GVLIELMVM metu consternatum eò adegerit, vt & obsidionem solueret, & IOANNEM pro iusto herede post mortem RICHARDI agnoscerer, arcésque regias, quæ ab eo tenebantur IOANNI RICHARDO mortuo, reddere promitteret. Et rebus sic transactis, IOANNEM quidem videbatur GVLIELMVS officiosius deinde colere, & mutua inuicem ad tempus amicitia obtendebatur, quæ mox facilè, cum nunquam bene coaluit,

luit, dissuebatur, résque in hostilem inimicitiam, propter GAVFRIDVM *Eboracensem* Archiepiscopum, IOANNIS sed nothum fratrum erupit. Eum enim ANGLIAM recens ingressum, GVLIELMVS in carcerem *Douerensem* conijci iussit. Quo ex facto tanta se inuidia apud principes, IOANNEM præsertim & Episcopos, cum alios, tum etiam eos, qui coniunctissimi priùs ei fuerunt, *Bathoniensem* dico & *Cestrensem* onerauit; vt omnes vno ore, omnia de ipso mala dicerent. Tanta omnium in se conspiratione, & animorum vbique abalienatione fractus GVLIELMVS, dimitti *Eboracensem* iubet. Sed IOANNIS & principum animi aduersus eum exulcerati, non ita quieuere, sed magno aduersus eum opprimendum cum exercitu profecti sunt. Nec ille minus se aduersus eos partim domestica, partim exterorum, quos sibi tunens antea acciuerat, manu muniebat. Non tamen ausus congredi, in arcem se *Londinensem* proripuit, quam tamen postridie IOANNI, ita vt liber abire sineretur, reddidit. Qui dimissus, recta ad *Douerensis* arcis præfectum sororium eius; inde transmisso mari, vel ora suorum non ferens, vel questuras apud Regem & summum Pontificem de acceptis iniurijs, in continentem abire cogitabat. Sed portus ita obseruabantur, vt omnis illa nauigandi spes ei præcideretur. Quid ergo facit? exuit virum, exuit Episcopum, & muliebri veste personatus, pontificiam virilémque omnem dignitatem dedecorans, per littus obambulat, pro tiara, caput peplo obuoluens, pro pedo pontificio dextra vlnam mensoriam, & leua pro manipulo pannum lineum, quasi venditurus gerebat, vt vel hac pudenda arte, in nauem aliquam irreperet. Sed cum fortè quis esset agnosceretur, mirum, quantis cum contumelijs, irrisionibus, & iniurijs feminea illa larua illi à populo, magna illic vndique frequentia se conglobante, detracta sit. In custodia deinde apud eius oppidi magistratum aliquandiu detentus est, donec principum, quid de illo statuendum esset, voluntate certior fieret. Dici non potest, quanto IOANNES ad hanc auditionem, gaudio exiluerit. Qui certè vetus illud suum in eum odium, animo alté adhuc inclusum, insigni aliquo aduersus GVLIELMVM detrimento, & contumelia saturasset; ni Episcopi, dignitati pontificiæ consulentes, intercessissent. Dimissus ergo GVLIELMVS, tantâque contumelia accepta, nauem, nemine prohibente, conscendit. Atque animaduersione, admiratioñéque res digna est, quòd in eo potissimùm loco tot ludibrijs, contumelijs, conuicijs, iniurijsque obiectus sit: vbi pontificiam in GAVFRIDO dignitatem, & ipsa patrum sacrosancta decreta tam ignominiosè violauerat. IOANNES vero & reliqui principes ex communi omnium consensu, summam Reipublicæ *Rothomagensi* crediderunt. Et ne forte falsis GVLIELMVS criminationibus, inuidiosos illos, suis literis apud pontificem summum & Regem RICHARDVM faceret; & ipsi per literas quomodo *Eliensis* mandata ipsius præuaricatus esset, ludibrióque habuisset, & quam indignè & turpiter in munere sibi à Rege credito se dedisset, explicant.

ILLE vèro missis *Romam* literis, ita suarum iniuriarum, reique indignitatem, apud CELESTINVM verbis exaggerauit, vt ad comprimendum IOANNEM, & alios aduersarios, veteris legationis in ANGLIA, quam à CLEMENTE acceperat, authoritatem, RICHARDO etiam Rege per literas id à CELESTINO flagitante, renouarit. Qua confisus, anathema in WALTERVM *Rothomagensem*, in GODEFRIDVM *Wintoniensem*, in HVGONEM *Couentrensem*, & alios ex Clero, & aduersus multos laicos dictauit: misitque literas ad HVGONEM *Lincolniensem*, vt ille anathema illud palam pronunciaret. Ceterum, cum Pontificij rescripti exemplar in ANGLIAM transmisisset, mox intellexit, illud sibi frustra acquisitum, nisi IOANNEM, quem, ne magis eum irritaret, anathemate notare noluit, aliqua ratione placare, eiusque gratiam inire posset. Quam, cum alia ratio solida non suppeteret, amplis largitionibus, & maioribus pollicitationibus, satis sibi conciliasse visus, maiore fiducia *Douerium* appulit. Neque tamen vltra progredi, dum certiùs principum voluntatem exploraret, ausus, substitit. Qui vbi IOANNEM solito in *Elienſem* propensiorem intellexissent, ita cum IOANNE egerunt, præsertim Regina mater, & GAVFRIDVS frater, vt communi & ipse sententiæ subscriberet; qua GVLIELMO, vt Regis & reipublicæ infesto hosti, magnis interminationibus denunciarunt, vt primo quoque ille tempore ex ANGLIA, si salutem suam amaret, pedem referret. Quem ille mox, ab omni spe melioris successus decidens, & grauiora timens, retulit; *Rothomagensis* vero & alij Episcopi, quos GVLIELMVS execratione, vt diximus, ecclesiastica confixit, solicitè interim apud summum pontificem egere, vt ab illa sententia eximerentur, multâque, & grauia contra GVLIELMVM crumina cumulabant. Pontifex vero fuit valde in GVLIELMVM propensus.

Neque

Neque se quicquam ab ipso Rege RICHARDO, qui tanta illum amplificasset authoritate, intellexisse adhuc dicebat de aliqua GVLIELMI exauthoratione. Seque non solum ab ANGLIAE Episcopis, sed ad ipso *Rothomagensi* fuisse solicitatum, vt legationem GVLIELMI confirmaret.

QVAM, licet reuocare noluisset, ita tamen temperauit, vt non liceret GVLIELMO anathematis sententiam in *Rothomagensem*, in Episcopos & principes ANGLIAE intorquere: & latam iam sententiam contra *Rothomagensem* & alios infirmauit. Missique sunt in *Normanniam* duo Cardinales, *Octauianus* & *Iordanus*, vt litem inter GVLIELMVM & *Rothomagensem* dirimerent. Qui non admissi per *Gulielmum Normanniæ* præfectum, qui se opposuit, diris eum execrati sunt, & in *Normanniam* totam interdictum tulerunt. Cuius relaxandi gratia missus est eò HVGO *Dunelmensis*. Quod postea pontifex remisit. GVLIELMVM vero in maxima habuit RICHARDVS post reditum gratia. Qui & veteri cancellarij munere potiebatur, & valde tum domi, tum foris eius opera vtebatur. Et cum captiuus *Augusti* esset, iamque pactum de se redimendo inijsset, GVLIELMVM in ANGLIAM præmisit, qui & quid actum esset referret, & literas simul Imperatoris deferret, & pro pecunnia redemptionis corradenda, diligentem daret operam. Reuersus vero RICHARDVS fratrem GAVFRIDVM & GVLIELMVM reconciliauit, ita, vt GVLIELMVS cum centesima, vt dicitur manu sacerdotum, iuraret captionem GAVFRIDI ab ipsius mandato non profectam. Misit vero eum RICHARDVS, cum ob alia negotia ad *Augustum*, tum ob controuersiam illam suam cum *Rothomagensi*, *Romam*. Quo in itinere obijt apud *Pictauiam*, vbi & humatus est. Atque hic *Rogerus Houedenus*, illius temporis non contemnendus author, tradit crucem quandam ligneam, in cathedrali eiusdem ciuitatis ecclesia, quæ crux diui *Martialis* appellatur, toto eo tempore, quo lecto affixus fuit GVLIELMVS, admirabiliter, magnóque omnium stupore, stillis ab oculis per totam faciem vbertim manantibus, quasi illachrymatam; Quod prius bis, in duorum eiusdem *Pictauiensis* sedis Episcoporum obitu, accidisse obseruatum est. EVSTACHIVS deinde *Sarisberiensis* Decanus munus illud capessit, per HVBERTVM *Cantuariensem* consecratus. Quem cum alijs, eodem anno, RICHARDVS ad comitia, quæ in *Germannia*, noui Imperatoris designandi causa, indicta erant, misit. Hoc sæculo *Cantabrigiensis* Academia, cum ob bella superiora adhuc langueseeret, pristinam quasi valetudinem hoc modo recuperauit. *Ioffridus Crolandensis* Abbas, de quo paulo ante meminimus, *Gislebertum*, *Odonem*, & alios eiusdem cœnobij monachos, ad villam quandam suam (*Cottonham* vocabant) non procul à *Cantabrigia* sitam, vt vicinorum eleemosynas, cœnobij, quod tum fuerat concrematum, reparandi gratia peterent, amandauit. Hi *Cantabrigiæ* magno conducto horreo, dialecticam, philosophiam, ac Theologiam publicè profiteri cœperunt. vbi intra vnius anni spacium auditorum numerum tantopere auxerunt, vt in turmas sese diuidere, ac sensim prælegere more studij *Aurelianensis* cogerentur. Quo effectum est, vt *Cantabrigia* conualuerit; fluuiúmque illum produxerit, qui totam ANGLIAM (vt ipsius vetusti historici verbis vtar) per Magistros ac pastores suos irrigat.

Petrus Blesensis in posteriori parte Crolandensis *historiæ, quæ incipit*, Ardet Crolandiæ monasterium.

De Archiepiscopis Eboracensibus.

CAPVT XL.

GIRARDVS post THOMAE, de quo priore sæculo commemorauimus, obitum, WALCHELMI *Wintoniensis* Episcopi nepos, ex *Herfordensi Eboracensis* Episcopus creatur; homo facundus, doctus, in rebus agendis prudens & industrius: sed ad omnes occasiones commodi sui augendi, vndecunque oblatas, mox accipiendas nimis attentus, gloriæque nimium appetens. Quique in principum gratiam ecclesiæ ritus, scita & præscripta peruertere, & polluere, legationémque contra ecclesiæ dignitatem, inque summi pontificis contumeliam falsò renuntiare, Episcopósque contra ecclesiæ morem ab HENRICO Rege designatos, quos ANSELMVS ideo reiecerat, consecrare non dubitarit. Ad quam inter Regem & ANSELMVM controuersiam sedandam, missus est à Rege *Romam* (quanquam & alia, pallij videlicet adipiscendi, causa suberat) cum HERBERTO *Nordouicensi*, & ROBERTO *Cestrensi*. ANSELMVS *Balduinum Beccensem*,

censem, & *Alexandrum Cantuariensem* monachum ex Regis consensu, eodem etiam delegauit. Legati regij & Regis postulationem, vt liceret ei maiorum suorum in designandis Episcopis, vt dicebat, morem tenere; & multa, quibus pontificem ad Regis voluntatem inflecterent, proposuere. PASCHALIS contra nulla se ratione passurum aiebat, vt vel VRBANI, vel aliorum suorum decessorum decreta, quæ Dei honorem, ecclesiæque dignitatem proueherent, infirmarentur. Literásque ad ANSELMVM misit, quibus eum admonebat, vt recens, tam de Episcopis creandis, quam alia synodi; cui & ipse, interfuerat, decreta; & ipse accuratè obseruaret, & ab alijs etiam obseruari curaret. Admonuit etiam et Regem per literas, ne talem sibi deinceps potestatem arrogaret. Redit sequenti anno, id est millesimo centesimo secundo GIRARDVS cum suę legationis collegis. Cumque Rex ANSELMVM vrgeret, vt designationem Episcoporum à se factam ratam haberet, alioqui in exilium detruderetur; Nihil, inquit ANSELMVS, quod mea dignitate, sedisque apostolicæ authoritate salua atque incolumi potero præstare, recusabo; Regémque rogauit, vt literæ à *Roma* ad ipsum missæ palam legerentur. Tibi, inquit Rex, missas si lubeat recita: meæ non recitabuntur. Pro tuo, inquit, ANSELMVS, ea in re arbitrio, statuas. Meas certe si visum fuerit, mox audies. De literis respondit, nihil equidem laboro. Tu vero mihi, nulla circuitione vsus, expedite respondeas, voluntati meæ obtemperare velis, an secus? ANSELMVS mox literas ad se PASCHALIS, præsentibus GIRARDO & collegis, & quàm plurimis alijs, recitari curauit.

TVM GIRARDVS cum collegis. Nos, inquit, etiam planè ex ipsius Papæ ore sententiam audiuimus. At, inquit *Balduinus*, nulla vnquam illi huiusmodi vox, nobis præsentibus, excidit. GIRARDVS regerit, se & socios, aliàs pro concione, aliàs priuatim, sæpe cum Papa colloquutos. Atqui, inquit *Balduinus*, parum credibile est PASCHALEM aliud literis, aliud ore professum. Cumque magna inter monachos & GIRARDVM, eiusque collegas contentio exardesceret, atque inter alia isti dicerent, par esse vt trium Episcoporum testimonium duorum monachorum testimonio præponderaret; cum præsertim à mundo, & rebus omnibus profanis, atque ita ab omni testimonij dictione se abdicassent: replicat *Balduinus*, hanc non profanam, sed ecclesiasticam causam censeri debere. Multáque alia inter eos vltrò citróque agitata sunt. At Rex propositum suum vrgens, ROGERIVM *Sarisburiensi*, & alium ROGERIVM *Herfordensi*, contra recentis concilij decretum mox præfecit. ANSELMVS vero paulo post, synodum *Westmonasterij* cui & GIRARDVS interfuit, indicit. Multáque ibi sancita, quæ & à PASCHALI postea pontifice confirmata sunt. Breui post tempore moritur ROGERIVS *Herfordensis*, Cui & REINELMVM substituit. Et deinde ANSELMO Rex mandat, vt eos cum GVILIELMO *Vintoniensi* consecraret. Et GVILIELMVM ille quidem (qui de manu Regis baculum & annulum non acceperat) sacro illi initiare magistratui paratum se asserebat; non itidem ROGERIVM & REINELMVM. Rex hoc responso exasperatus, ANSELMO præcepit ne vlla se ratione huic muneri obeundo interponat; & mox totius huius initiationis curam GIRARDO iniungit. At REINELMVS mox pœnitentia ductus, quòd perperam & contra ecclesię scita ad eā dignitatem esset ascitus, Regi baculum & annulum restituit. Aduersus quem ille valde stomachatus est. GIRARDVS tamen voluntati Regi obsequutus; diem initiationis GVILIELMO *Vintoniensi*, & ROGERIO *Sarisberiensi* præscribit. Quem illi quidem diem obierunt. Sed GVILIELMVS magna fiducia, animique magnitudine palam contestatus est, se nolle vt GIRARDVS manus sibi imponat; periclitari potius se velle non solum de dignitate, sed & fortunis omnibus. Quo responso tam GIRARDVS quàm ceteri, qui ad initiationem confluxerant, perculsi; re omni infecta domum redierunt.

QVADRIENNIO post, omnis ista contentio extincta est, Rege palam in synodo, vt diximus, *Londinensi*, omnem hanc Episcopos instituendi potestatem, prorsus in posterum repudiante. Atque ibi ANSELMVS à GIRARDO postulauit, vt *Eboracensis* Episcopatus nomine, principatum & prærogatiuam *Cantuariensis* ecclesiæ, suamque agnosceret. Responsum est, id neutiquam necesse esse: cum id antea, cum esset *Herfordensis* Episcopus, præstitisset. Eādem enim in vtroque episcopatu personam subesse. Tandem eo deuentum est, vt quam obedientiam, cum esset *Herfordensis* Episcopus pollicitus, quáque tum fide se astrinxisset, eandem iam polliceretur, eademque se fide astringeret. Delatæ sunt etiā ad GIRARDVM PASCHALIS literæ, quibus eum admonet, vt ANSELMO, quasi totius ANGLIAE primati, obtemperaret. Sed ille, antequam redditæ essent, suo hac in re officio satisfecit. In his literis GIRARDVM PASCHALIS perstringit, quòd in matrem *Romanam* ecclesiam contra officiū egisset, innuens eum legationis suæ, (vt diximus) renunciationem mendacio contaminasse. Nec diu post hæc GIRARDVS superuixit. Leui quadam apud *Suthuellam* agritudine tactus, in hor-

tum se vicinum deferri mandauit, vt odorum suauitates, qui ex amœnissimis floribus afflantur, hauriret. At ille mox repentè obijt, ad annum Christi millesimum centesimum octauum Corpus *Eboracum*, rara ad cohonestandas exequias frequentia, delatum; quas nec Clerus, nec ciues pro more occurrentes cohonestabant: imo nec intra ecclesiam Canonici corpus eius humari sunt passi. Sparsus est rumor, sub puluinari eius, quo tempore animam efflauit, repertum librum improbatæ & damnatæ lectionis *Iulij Firmici*, quem solitus sit pomeridianis horis lectitare. Vtcunque sit, successor eius THOMAS, corpus illius intra ecclesiam relatum, iuxta decessorum suorum tumulos collocauit. Cum Thomas Archiepiscopatu donatus esset, eumque ANSELMVS ætate, morbisque totus debilitatus & fractus, ad initiationem petendam tardum & remissum videret; hominis tarditatem excitat, eumque per literas vrget, & ad officij memoriam reuocat. Et ille quidem prompto & parato erat animo, vt officio suo perfungeretur; sed Canonici *Eboracenses* ecclesiæ, qui ANSELMVM diu superstitem non futurum, præ ætatis & morbi magnitudine existimabant, THOMAE se opponebant: omnem, quod dicitur, lapidem mouentes, ne iter *Cantuariam* ingrederetur.

DE industria itaque tempus extrahentes, respondent ANSELMO, venturum quidem THOMAM initiandi causa; sed dignitatis suę fasces *Cantuarienſi* ecclesię neutiquā submissurum, neque in ANSELMI verba obedientiamque iuraturum. Quorum responsum, quorsum tenderet, ANSELMVS subodoratus, Episcopos ad se properè euocat. Qui cum maturè deliberassent, in eam vniuersi abierunt sententiam, pati se nulla ratione debere, vt tam sanctum & solemne officium, quod matri ANGLIAE ecclesiarum præstandum erat, per THOMAE pertinaciam comminueretur, aut violaretur. Quare vt citius & melius, THOMAS officium suum ad cogitationes suas reuocaret, vtque pertinaciam eius magis emollirent; duos summi ordinis viros *Londinenſem* & *Roffenſem*, ad eum Episcopos ablegant. Quibus THOMAS nullum aliud responsum dedit, quàm literas se ad Regem dedisse, quibus illius voluntatem expiscaretur. Quam postquam semel intelligeret, ANSELMVM certiorem futurum. Dimissis ita legatis, regias deinde literas recepit, quarum summa huc recidebat, vt Rex ANSELMVM rogaret, vt initiationem ad pascha produceret, atque prorogaret. ANSELMVS non ignarus, quo ista tenderent, THOMAE mox per literas denunciat, illum ab omni iam esse sacerdotali officio abstentum. Et se verè interdicit, ne cuiquam episcopali muneri se immisceat, donec se ad officium atque obtemperationem, quam *Cantuarienſi* debebat ecclesiæ; maiorumque suorum, THOMAE præsertim, & GIRARDI recens defunctorum morem, subductis melius secum rationibus, reuocasset. Quæ literæ & illud etiam complectebantur. Si errori, inquit, & pertinaciæ tuæ adhæresceres decreueris, anathema in omnes eos Episcopos intorqueo, qui manus tibi imponere ausi fuerint. Quòd si exterus aliquis Episcopus hoc munus erga te obierit, idem in omnes anathema pronuntio, qui vlla tecum communione, aut Christiana societate iungentur. Idem etiam in te, O THOMA anathema iacio, à quocunque tandem consecratus fueris; nisi prius officium tuum *Cantuarienſi* ecclesiæ debitum reddideris, fidémque illi ex veteri instituto dederis. Atqui si Archiepiscopatum ipsum funditùs repudiare velis, non prohibeo, quo minus integrum tibi sit, sacerdotali munere fungi. Misit post hæc ad omnes etiam ANGLIAE Episcopos literas, quibus significauit summam eorum, quæ iam narrauimus; eisque pro fide, qua *Cantuarienſi* ecclesiæ astringerentur, mandauit, ne præceptum suum infringerent. Paulóque post ad immortalem illam vitam ter beatus euolauit. Quo mortuo *Odolricus* quidam Cardinalis, in ANGLIAM, à PASCHALI *Romano* pontifice missus, venit; pallium secum *Eboracenſis* Archiepiscopi deferens. Ad cuius auditionem cum mors *Anſelmi* peruenisset, in multas mors illa animi illum angustias, atque solicitudines coniecit. Mandauerat enim illi nominatim, & accuratè PASCHALIS, ne cuiquam nisi ex voluntate ANSELMI, à quo totus penderet, pallium traderet.

REX postea in amplissimo Episcoporum & procerum consensu deliberat, quid de *Eboracenſis* initiatione statui optimum foret. Cui Episcopi, religione se prohiberi ab omni ista initiatione, propter ANSELMI præceptum, nisi THOMAS ocyùs pertinaciam deponeret, constanter responderunt. Ibi tum Comes de *Mellendo*, vt odiosos eos Regi faceret, asperis illos verbis aggressus est, quasi parum honorificè, parumque ex fide Regi data, maiestatem regiam colerent, qui huiusmodi literas, regio consensu non præeunte, accipere ausi essent. Quare Episcopi, amplius adhuc de tota re deliberandum, & concoquendum sibi existimant, vtrũ ANSELMI literis per omnia obsequi debeant. Post deliberationem huc omnes decurrũt, vt omnibus se potius fortunis euerti paterẽtur, quàm ab ANSELMI præceptis discedere,

animum

animum inducerent. Et quoniam SAMSON *Wigornienſis* Epiſcopus, pater THOMAE aberat; eum quoque ad eam deliberationem adhibendum putant. Qui cum euocatus aduenisset, multo eos magis in priori ſententia conſtabiliuit. Non ignoro (inquit) ex lege, quæ non ſcripta, ſed nata eſt, naturalique ſtimulo, honori & commodis filij mei, ſtudere, me debere; eáque ſummo conatu prouehere. Sed & illud quoque memini, neutiquam decere, vt communis matris *Cantuarienſis* eccleſiæ (cuius ego filius, & ſupra meum meritũ Epiſcopus adeo ſum) dignitati aliquid detraham, filijque honorem cum illius iniuria & ſpoliatione augeam. Adeunt deinde Regem, & in ANSELMI literis totos ſe acquieſcere, neque præcepta illius vlla ſe ratione præuaricari velle, palam & conſtanter denunciant. Quod reſponſum dum quidam ex aulæ proceribus audiſſent, vt Regem aduerſus Epiſcopos magis excitarent atque exaſperarent; *Aulici infeſti Clero.*
Has, inquiunt, literas, in Regis contemptum & contumeliam accepiſtis: quas pro officio, & in Regem obſeruantia reijcere debuiſſetis. Tum Rex ſubiecit, *Vt lubuerit, de nobis iudicate: Id vero Ego vobis certò & palam affirmo, meam ſententiam cum Epiſcoporum iudicio prorſus cohærere.* ANSELMI *hac in re iudicium neutiquam infringam, in cuius ego anathema nullo modo, vel ad vnam horam inciderem. Neque Ego, ab hac mea ſententia, cuiuſcúnque argumenti aut rationis ſpecioſo fuco, reſiliam.* Tum Epiſcopi, Gratias Deo, quantas mens eorum maximas capere potuit, egerunt: qui mentem Regis ita emollierat, & inflexerat. Regem deinde rogarunt, vt quibus, & quantis prærogatiuæ ſuæ in *Eboracenſem, Cantuarienſis* eccleſia probationibus flueret, & muniretur, audiret. *Non eſt*, inquit *Rex, neceſſe. Habemus enim in publica monumenta relatam patris ac matris meæ, legati Romani pontificis, & omnium* ANGLIAE *Epiſcoporum, manu recens conſignatam hac de re diffinitionem. Quæ vel ſola, remota hac omni* ANSELMI *epiſtola, abundè nobis ad omnem huius rei ſcrupulum eximendum ſufficere deberet. Tu vero* THOMA, *aut maiorum veſtigijs inſiſtendo,* ANSELMI, *vt* ANGLICANAE *totius eccleſiæ principis, mandatis pareas, aut ſcito ab Archiepiſcopatu te deturbandum. Facio tibi poteſtatem atque optionem, vt vtrum velis eligas.* THOMAS cum & omnium maiorum ſuorum inſtituta atque exempla, pro ANSELMO contra ſe apertiſſimè & planiſſimè ſtare, ſéque conſpirantibus Regis & Epiſcoporum omnium ſuffragijs oppreſſum videret; Canonicorum, à quibus ſeductus erat, conſilio reiecto, quibus ſe inconſulte paruiſſe, & ANSELMI initiatione atque benedictione priuatum fuiſſe, vehementer dolebat, totum ſe ad Regis atque Epiſcoporum voluntatem contulit: Conteſtatus velle ſe deinceps, auguſtè & ſanctè *Cantuarienſem* eccleſiam, eiúſque Archiepiſcopum, vt totius ANGLIAE primatem colere; præceptiſque eius accuratè parere. Imperat deinde Rex ſolemnem illam profeſsionem; qua initiandi fidem *Cantuarienſi* eccleſiæ obligare, diſertis & conceptis verbis ſolent, in ſcripta referri. Quæ ſuo ille ſtatim, ne quid fraudis interueniret, ſigillo muniuit. Quam THOMAS profeſsionem, reuulſo & reſignato per RICHARDVM *Londinenſem* Epiſcopum, ad diem initiationis ſigillo, ex ſcripto recitauit. Quam deinde RICHARDVS *Conrado Cantuarienſis* eccleſiæ Priori, alijſque eiuſdem eccleſiæ monachis ibi præſentibus, vt in archiuis, ad perpetuitatem memoriæ conſeruaretur, tradidit: Surgenſque RADVLPHVS *Ciceſtrenſis* Epiſcopus, populo, qui ad initiationem magna frequentia confluxerat, denunciauit; debuiſſe ſane eam inaugurationem, ex antiqua conſuetudine per manus deducta, *Cantuariæ* peragi; peractam vero iam *Londini*, & à *Londinenſi* Epiſcopo, propterea quòd ſedes vacaret; atque ille, in huiuſmodi eccleſiæ deſtitutione, Decanum eccleſiæ *Cantuarienſis* ageret. Dimiſſa concione, profectus eſt THOMAS *Eboracum*, ibique à Cardinale, de quo meminimus, pallio ornatus eſt. Qui deinde ad annum Chriſti milleſimum centeſimum decimum quartum obijt. De quo illud memorabile fertur. Grauis eum morbus quotidie afflixerat, & morbus quotidie valde ingraueſcebat. Medici vnicum ſupereſſe remedium dictitabant, ſi feminam ſibi ad coitum aſciſceret. Nec debere illum exiſtimare offenſum iri inde Deum, aut facilè certè offenſionem depoſiturum: cum ad eum ſponte illecebriſque victus non prorueret, ſed eum neceſsitas illi exprimeret. Videbatur iam THOMAS eorum conſilio acquieſcere; Adducitur deinde ad eum elegantis formæ femina. Sed hoc ficte & ſimulatè à THOMA geſtum, medici ex vrina & euentu poſtea deprehenderunt. Seuerè eum deinde amicis obiurgantibus, quòd medicis non parendo mortem ſibi vltrò accerſeret: Reprimite, inquit, hanc omnem veſtram obiurgationem, neque mihi deinceps vllum hac de re negotium faceſſatis. Nolo enim committere, vt ſaluti animæ corporis curam præuertam, & cum pudicitiæ iactura, ſalutem perituri nihilominus corporis redimam. Obijt ex eadem deinde (vt creditur) ægritudine, relicta ſede THVRSTINO ſucceſſori, qui erat Regi à ſacris.

EO Archiepiſcopatum adepto, recruduit vetus illa inter eum, & RODOLPHVM *Cantua-*

rienſem diſceptatio. In qua adeo ille pertinax fuit, vt à dignitate ſe potius maluerit abdicare (vrgente Rege, vt vel abdicaret ſe, vel *Cantuarienſi* pareret) quàm *Cantuarienſi* ſedi ſubijci. Poſtea tamen Canonici *Eboracenſes*, nuncijs clam *Romam* miſsis, rerum veritate ſuppreſſa, grauiter apud pontificem PASCHALEM, quaſi THVRSTINVS in iuſtè à ſede eiectus fuiſſet conqueſti; tantum effecere, vt ſcripſerit ad Regem, vt in ſede, ſine *Cantuarienſis* eccleſiæ tamen præiudicio, cuius dignitatem imminuere nollet, reponeretur. Quod ſi controuerſia aliqua inter *Cantuarienſem* & *Eboracenſem* eccleſias ſupereſſet, de ea ſe cogniturum. Ita ille poſt biennium, quàm cum Rege *Normanniam* tranſmiſit, in ANGLIAM redijt. Indicitur deinde ſynodus, *Remis* in *Gallia*. Per *Normanniam* properat ad ſynodum THVRSTINVS, vt ſua ibi negotia expediret. Cúmque veniſſet ad Regem *Rothomagi*, grauiter Rex aduerſus eum indignatus eſt, quod abſque ſua notitia & voluntate ANGLIAM reliquiſſet. Mandat deinde ne prius ad ſynodum iret, quàm certius aliquid de Pontifice *Romano* (duo enim eam ad ſe ſedem nefario ſchiſmate rapiebant) cognoſceretur. Tota *Gallia* & ANGLIA CALIXTO (qui verus & genuinus Pontifex erat) Imperator & alij *Gregorio* cuidam adhęreſcebant. Confluebant iam ad CALIXTVM & *Remenſem* ſynodum frequentes Epiſcopi. Ad quam quoſdam è *Normannia* HENRICVS amandauit. Adfuere etiam ex ANGLIA GVLIELMVS *Exonienſis*, RANVLPHVS *Dunelmenſis*, BERNARDVS *Menenenſis*, VRBANVS *Londinenſis*. Literas Rex ad CALIXTVM miſit, quibus rogauit ne GVILIELMI *Cantuarienſis* (quem ſecum è *Normannia*, propter ægritudinem retinuit) à ſynodo abſentiam ægrè ferret. Sed ante omnia, ne THVRSTINVM vel ipſe conſecraret, vel ab alio conſecrari pateretur, niſi priùs maiorum ſuorum, in præſtanda *Cantuarienſi* eccleſiæ obedientia, veſtigia ſequeretur. Quam THVRSTINVS conditionem ſi præcisè non ſeruaret, ſciret ANGLIAM & *Normanniam* ſibi deinceps ad reditum intercluſam. A qua ſe ſententia, nulla deinceps ratione inflecti velle, conſtanter affirmat; etſi ſibi de regno periclitandum foret, & totius ſeptennij anathema incurrendum. Reſpondet Pontifex *Sifredo* monacho *Cantuarienſi*, & Regis nuncio, (quem pontifex iam diu nouerat, & cum quo *Sifredus* familiariter olim verſatus eſſet) & Regis voluntatem, & *Cantuarienſis* eccleſiæ dignitatem magnæ ſibi eſſe curæ.

POST hæc rogat Regem THVRSTINVS, vt liceret ſibi cum bona illius gratia, ad ſynodum pergere. Et tandem licet ægrè, nec priùs quàm ex fide Regi data promitteret, quòd nihil contra dignitatem *Cantuarienſis* eccleſiæ, & in illius præiudicium, admitteret. At ille fidem datam mox fefellit & reſcidit, tantúmque per eos, qui apud Pontificem gratioſi erant, effecit, vt ab eo, licet IOANNE *Cantuarienſi* Archidiacono palam renitente, & iniuriam *Cantuarienſi* eccleſiæ fieri clamante (cui Pontifex regerebat, ſe quod ageret, ſalua tamen illius eccleſiæ dignitate, & ſine vlla eius iniuria acturum) initiaretur. Nec dum Epiſcopi ANGLIÆ ad ſynodum aduenerant, citiſſimè enim iter THVRSTINVS expediuit, nihilque ſibi reliquum, ad ſummam itineris, totiuſque adeo negotij celeritatem reliquit. Alij itaque ex exteris Epiſcopis, qui ad ſynodum conuenerant, ſummo pontifici initianti THVRSTINVM inſeruiebant. At HVBALDVS *Lugdunenſis* Archiepiſcopus etſi rogatus à Pontifice, propter ſingularem, qua dictam eccleſiam proſequebatur reuerentiam, adeſſe detrectauit. Hæc cum ita vt geſta erant, certa Rex auditione accepiſſet, omnibus ſuis ditionibus THVRSTINO interdicit. Neque à CALIXTO in colloquio illo, quod apud *Giſortium* cum eo habuit, licet multis eius poſtulationibus (& inter alias, quòd ſine Regis conſenſu, idque in rebus ſolum tam arduis & difficilibus, vt commodè per Epiſcopos expediri nequirent. legatum ſuum in ANGLIAM deinceps non mitteret) CALIXTVS aſſenſerit, emolliri potuit, vt eum in gratiam reciperet. Verumenimuero cum CALIXTVS *Cantuarienſi* poſtea Archiepiſcopo ſacerdotali officio interdiceret, & Regi ipſi anathema (niſi ad ſedem reſtitueretur) denunciaret; re cum principibus & Epiſcopis priùs deliberata, eorum conſilio & ſuaſu ceſſit, & THVRSTINVS *Eboracum* redijt. Mortuo deinde ad annum Chriſti milleſimum centeſimum vigeſimum ſecundum RADVLPHO: GVLIELMVS in *Cantuarienſem* Archiepiſcopum eligitur. Qui cum *Cantuaria* à GVLIELMO *Wintonienſi*, THEODVLPHO *Wigornienſi*, ERNOLFO *Roffenſi*. EVERARDO *Nordouicenſi*, VRBANO *Londinenſi*, GREGORIO *Dublinienſi* Epiſcopis conſecraretur; THVRSTINVS, qui iam à CALIXTO pallium acceperat, licet ab Epiſcopis accerſitus, præſentiam ſui facere recuſauit.

SEQVENTI anno GVLIELMVS iter *Romam* capeſſit, moxque veterem controuerſiam retricat. Nec ſibi defuit THVRSTINVS. Multa vltrò citróque acri contentione agitata ſunt. Sed cum CALIXTVS (qui alioqui in THVRSTINVM valde propendebat) videret mo-

* *Videtur deeſſe* obtinuit, *vel ſimile verbum.*

ret momenta causæ *Cantuariensis* præponderare, rogat THVRSTINVM, Ecquid haberet quod amplius in eam causam dissereret? Ille causatus est, se ob eam disceptationem eò non venisse, neque se satis instructum, propterea quòd robora & munimenta suæ causæ *Eboraci* essent. Atque ita GVLIELMVS, controuersia non adhuc penitus sopita, pallio tamen ornatus in ANGLIAM reuertitur. Contigit postea Regem natales Christi dies *Windosoræ*, amplissimo apparatu, regióque diademate insignitum, celebrare; ibi cum THVRSTINVS Regis capiti diadema imponere conaretur, ab omnibus, quia id in *Cantuariensis* præiudicium spectare credebant, ignominiosè reiectus est. Imo & qui crucem de more ante eum deferebat, è sacello protrusus est. Vitam ad STEPHANI Regis tempora, & ad quintum quo regnauit annum prorogauit. Cui, & patriæ suæ, magno fuit vsui aduersus *Scotos*, qui STEPHANO domestico bello implicato, immani vastatione illas ANGLIAE partes depopulabantur. Ita enim sua diligentia, industria, adhortationéque illius regionis nobiles ad pugnam, pro patriæ salute incendit & animauit; vt pauci, militéque raptim collecto, magnum & copiosum, & bene instructum *Scotorum* exercitum, clade graui cæsum profligarint. Sunt ab eo aliquot *Scotiæ* Episcopi, & inter eos *Gilda Aldanus Candidæ casæ* Episcopus, consecrati; iuramento priùs, de parendo *Eboracensibus* Episcopis præstito. Ornauit, vt diximus, sua liberalitate & sumptu diui OSVALDI apud *Gloecestriam* canonicos. Multúmque illi *Fontanense*, & *Rhuallense*, de quibus mox dicemus, cœnobia debuerunt. Qui & ipse, ante obitum pastorali onere excusso, in quietem & solitudinem, vt imperturbatus Deo vacaret, se contulit, & monachum se, apud *Pontis fracti* cœnobium *Cluniacensium*, professus est.

De GVLIELMO, *& alijs* Eboracensibus *Episcopis*.

CAPVT. XLI.

MORTVO THVRSTINO, potiora & frequentiora Canonicorum *Eboracensium* suffragia, in electionem GVLIELMI ecclesiæ eiusdem à thesauris concurrerunt. Sed *Osberto* Archidiacono eiusdem ecclesiæ, homine turbulento, & factioso intercedente, multísque frustrationibus, commentitijsque apud *Romanum* pontificem criminationibus, cum alijs factiosis eludente, causæque cognitione, sedentibus INNOCENTIO *secundo*, CELESTINO *secundo*, & LVCIO *secundo*; totos quinque & amplius annos huiusmodi cauillationibus extracta; EVGENIVS *succedens*, non quòd inidoneus esset GVLIELMVS, sed tamen magis in HENRICVM *Mordachium*, à quo *Osbertus* stabat, suæ, id est *Cistercienſis*, apud *fontes* in ANGLIA disciplinæ, & sub *Bernardo* condiscipulum, certe dignum alioqui tali munere hominem, propensior, pro HENRICO pronunciauit. Mox à se initiatum pallio de more ornauit. At offensus STEPHANVS Rex, cum pro Archiepiscopo agnoscere noluit: sed neque populus *Eboracensis*, qui propensiori in GVLIELMVM voluntate ferebatur. In quem HENRICVS pontificium fulmen vibrauit, & sacris ciuitati interdixit. At EVSTACHIVS STEPHANI filius eo aduolans, coëgit homines edictum passim violare. Et propinqui ac fautores GVLIELMI, aduersarijs eius multas (vt fit) molestias intulere, ad eo vt Archidiacono illi virilia execuerint. Sed lenito & placato postea Rege, & ciuitas ad officium redijt. Tradunt vero HENRICVM munere suo præclare, tam concionando, tam egregiè, sincerè, & inculpatæ vitæ exemplo publicè perfunctum; quàm priuatim duram, & austeram, corpus ieiunijs, cilicióque premens transegit; HENRICVS *Optatum Orcadum insularum* Episcopum consecrauit; qui & iurata obedientiæ sponsione, *Eboracensi* se obstrinxit. Post septennium deinde obijt HENRICVS. At GVLIELMVM Canonici rursus, tuis sibi Archiepiscopum suffragijs designauit. Qui post priorem repulsam, apud HENRICVM *Wintoniensem* auunculum permansit. Vbi, licet ei omnia affluentissimè suppeditarentur, vitam tamen ille pæne solitariam, inter assi dua ieiunia, orationes, & vigilias: rebúsque diuinis meditandis totus deditus, egit.

Acta Eboracens. Nuberg li. 1 c. 17 Vterque Matth. 1140.

Polid li. 12. 1154 Dicta acta Ebor. & dict. ca. 17 & li. 1. ca. 16. Vterque Matth. 1150. Capg. in vita.

FILIVS fuit *Herberti* Comitis, & EMMAE, quæ STEPHANI Regis soror erat. Qui tamen virtutum suarum, & cœlestium dotum, quibus à Deo ornabatur, illustri luce natalium splendorem longe superauit. *Romam* vero GVLIELMVS profectus, ab ANASTASIO *quarto* electione eius probata, & ab eodem consecrationis, & pallij honore amplificatus,

in ANGLIAM redijt. Quem *Cantuariæ Rogerius*, eiusdem ecclesiæ Archidiaconus, honoris causa inuisit. Quo discedente, GVLIELMVS suis. Hic est, inquit, qui me defuncto, meum in Pontificia dignitate locum subibit. Admirandis enim eum dotibus, supra communem hominum sortem, Deus tam viuum quàm defunctum amplificauit. Inter quas nec illud silentio obrui debet cœleste beneficium; quod in primo suo *Eboraci*, post reditum, ingressu præstitit. Vt eò aduentantem populus vndique magno, per omne iter, ad eum inuisendum, eique gratulandum; ita certe, maximo *Eboraci* concursu confluxit: vbi dum pertransiret, ligneus quidam pons multitudine, ponderéque concurrentium confractus est, multique omnis sexus, & tenerioris præsertim ætatis pueri, in profluentem præcipitati sunt. Quod beatus vir ex aduersa ripa consistens, & præsens vitæ periculum, cum eis imminere videret, mirabiliter indoluit; lachrymisque totus perfusus, manibus oculisque ad Deum sublatis, diuinam pro pereuntium salute misericordiam implorans, demersósque cruce consignans, voti & desiderij sui ita repentè compos factus est, vt ad omnium stuporem, summámque Dei & Archiepiscopi laudem, nullus de vita periclitatus sit. Quibus, vt ille suis precibus vitam reddidit, ita mortalem ille suam, paulo post vitam, tricesimóque post ingressum ciuitatis die, induturus cœlestem illam & æternam, deposuit. Quam illum induisse, magnáque apud Deum in gratia & gloria constitutum, testantur innumera omnis generis illustria apud sepulchrum eius, miseris & afflictis hominibus beneficia, omnium temporum memoria præstita; & admirabile, atque ad medicinam ægrotorum salutare oleum, ex corpore beati promanans. Migrauit ad Dominum sexto Idus iunij. Ossa vero eius post annos centum triginta & vnum sublimi loco, & in pretiosa theca reposita sunt. Sunt qui tradunt eum, quod tam cito obierit, & ex nescio quibus coniecturis, veneno sublatum, quas *Nuburgensis* idoneis, & accommodatis rationibus, conuellit & dissipat.

Vtrque Matth. 2161. Nub. li. 3. ca. 1. & 5. Acta Eboracens. Pol. li 13. p. 234. Addit. Sigeb. anno 1181.

GVLIELMVM, quod ipse, vt diximus, prædixerat, ROGERIVS *Cantuariensis* Archidiaconus, HENRICO Regi à sacris, excepit. Homo magni ingenij, doctrinæ, eloquentiæ, magnique etiam in rebus ciuilibus vsus: Quique ecclesiæ suæ *Eboracensis* amplitudinem, splendidis ædificijs, præclaráque acessione possessionum valde auxit. Hac tamen nota inuritur quòd in diuum THOMAM, vt iam ostendimus, & viros monasticos iniquior fuerit, quos opibus aut possessionibus abundare non satis æquo animo ferebat. Imo male collocatas apud eos dicere solitus est. Ipse vero interim ad rem suam amplificandam, satis intentus (ne dicam nimis) fuit, & paulo ambitiosior. *Cantuariensis* ecclesiæ, primatusque prærogatiuam tot annorum vsu, tanto omnium consensu constitutam & constabilitam, ad se sedémque suam auertere, & violenter in possessionem irrumpere conabatur. Cum enim *Hugo* pontificius legatus, frequens Episcoporum, & aliorum virorum ecclesiasticorum concilium *Londini*, ad res ecclesiæ constituendas adhibuisset: *Cantuariensis* aduentum ROGERIVS anteuertens, sedem primam sibimet arripuit. RICHARDVS *Cantuariensis* postea aduenies, cum sedem sibi præreptam videret, rei indignitate offensus, mox discessit; ortáque, vt fit, inter vtriusque partis studiosos, verborum contentione, res intra verba solùm non stetit. Nam RICHARDI studiosi (qui vt causæ æquitate, ita & numero abundabant) ROGERIVM è sede, quam præcipiti audacia inuaserat, cum contumelia & violentia, ita vt vestes eius discrumperentur, disturbarunt. Conuenerunt deinde Episcopi & Proceres sequenti anno apud *Northamptonam* oppidum. Vbi non modo *Hugo* legatus, ANGLIAE & *Scotiæ* Reges, sed & *Scotiæ* Episcopi magna frequentia adfuerunt. In quo conuentu *Hugo* facultatem Regi dedit, vt etiam sacris initiatos, per suos magistratus ciuilibus pœnis coerceret, qui in regijs viarijs & saltibus, ceruos aut damas occidissent. Quam ab eo tempore potestatem semel oblatam, Reges mordicùs retinuerunt. In eo etiam concilio accuratè actum est cum *Scotiæ* Episcopis, vt ad officium, & veterem erga *Eboracenses* Episcopos obedientiam, ac fidem redirent: & ab eo solo manus sibi in pontificia initiatione imponi paterentur: Cuius præcipuè discessionis author erat *Egeluinus Glascuensis* Episcopus, ante quinquennium defunctus Cumque & alij aliâs, ab officio suo ea in re recederent, multi *Romani* pontifices, præsertim PASCHALIS *secundus*, CALIXTVS *secundus*, HONORIVS, INNOCENTIVS, EVGENIVS *tertius*, HADRIANVS *quartus*, eos officij admonuere, & ad veterem obseruantiam reuocare conati sunt. Quam licet *Scotiæ* iam Episcopi non prorsus recusarunt, ita longius sibi, ad maturius de certo responso deliberandi tempus postulantes, rebus infectis abiere. Reliquum postea, necessitate, propter assidua bella inter vtrámque nationem id extorquente, partim *Romanis* pontificibus, per rescripta sua illos à solita obedientia exoluentibus, &

1176. Ita innominatus q dam eius dem temporis author. Polyd lib. 13.

nouos

nouos Metropolitas in *Scotia* constituentibus, eò perducta est: vt sensim omnis in *Scotiæ* Episcopos, *Eboracensium* authoritas. sit prorsus antiquata. Qua de re nos alibi, cum res postulabit, plura afferemus.

QVAS & sibi, & ceteris Episcopis, quòd contra summi pontificis, & THOMAE interdictum, contra iuris & æquitatis rationem, iuniorem illum HENRICVM in Regem consecrauit ROGERIVS turbas peperit, iam antea diximus. Quo die, cum ROGERIVS in mensa cum eo assideret, & pater HENRICVS, ad maiorem filij amplificationem, filio in mensa ministrasset, ROGERIVS ad iuuenem conuersus lepidéque affatus; Magna, inquit, tibi, mi fili, gaudendi materia oblata est, qui talem hodie mensæ tuæ administrantem, inseruientémque sortitus es, cuiusmodi nullus certe reliquo in orbe princeps nactus est. Ecquid, inquit ille, miri? cum illum materna solùm, me ex vtróque latere, regia illustret origo? Quod audiens pater, & inde, vt homo prudens, quorsum tam præceps inuenis euasurus esset, coniectans, mire doluit, quod eum ad eam dignitatem, tam inconsultè proiexisset. Quæ & ipsi & ROGERIO, eum inungenti, infausta & calamitosa postea, vt diximus, fuit. Anathemate ROGERIVS, cum HVGONE *Dunelmensi*, *Gulielmum Scotiæ* Regem, ex ALEXANDRI pontificis authoritate inussit, propter molestias, quas ille IOANNI diui ANDREAE Episcopo inferebat, quemque regno exegerat. Quod autem ROGERIVS plus iusto, rei familiari amplificandæ & exaggerandæ studuerit, vel hinc intelligere licet. Impetrarat enim ab ALEXANDRO pontifice, vt licet quisquam ex suæ diœceseos sacerdotibus, suprema sua ordinasset, & voluntatem suam de bonis suis post obitum erogandis, palam testatus esset: nisi tamen viuus ea distribuisset, liceret Archiepiscopo eas facultates inuadere. At, ô mirificam Dei prouidentiam & æquitatem! plagis, quas alijs imposuit, ipse irretitus est. Etsi enim moriturus, in supremis tabulis de facultatibus suis, quæ erant sane copiosæ & amplæ, ad certos vsus conuertendis idonèe cauisset; post obitum tamen illius, Rex HENRICVS tam opimæ prædæ inhians, neque effugere passus, omnes illas facultates in fiscum transtulit, cauillatus esse reconditos thesauros, qui iure fisco deberentur. Aut, vt *Rogerus Houedenus* scribit, ipsum debere pati, quæ in alios statuerat, decreuisse enim cum viueret, sententiâque sua definijsse, non licere clerico de rebus suis, dum ægrotaret, constituere. Neque ea solùm, quæ domi reperiebantur, inuasit; sed & ea, quæ secundum tabulas, legatarijs post obitum, aut ante obitum, à testatore erant tradita, sibi per suos ministros corrasit, & extorsit. Ita sæpe malitiosa molimina in authoris caput, iusto Dei iudicio, magnóque mortalium ad cauendum documento recidunt. Atenim HVGONIS *Dunelmensis* constantia hic, & pietas laude digna est. A quo cum trecentæ marcæ, quas à ROGERO acceperat, regio mandato exigerentur: Has ego, inquit, in pontium & ecclesiarum sarta tecta, in cæcorum, claudorum, & aliorum egentium opem ex voluntate ROGERI contuli. Ab eis, si velitis, repetite. Sed, vt dixi, magna per eum *Eboracensium* ecclesia incrementum accepit. Nam præter alia varia illius in eam beneficia collocata, chorum ecclesiæ, & pontificium palatium exædificauit, cum sacello sancti sepulchri; vbi societatem, quæ ex quatuor sacerdotibus, quatuor diaconis, quatuor hypodiaconis, & vno præside constaret, constituit. Et deinde post vigesimum septimum administrationis suæ annum obijt. Vacauitque deinde per decennium *Eboracensis* ecclesia. Postridie obijt & *Ioannes* illius ecclesiæ Archidiaconus, intimus apud ROGERVM. Cuius etiam post obitum facultates, in fiscum Rex conuertebat.

Polid. lib. 19. pag. 216.

Matth. Par. 1161. Nubr. dist. ca. 3.

Anno 1161.

De GAVFREDO *Archiepiscopo.*

CAPVT XLII.

Vterque Matth. 1191. Nub lib. 4 ca. 17. Acta. Eber. archiep. Reg. Houeden nus.

GAVFREDVS tandem, qui se (vt ostendimus) à *Lincolniensi* abdicauit, hanc sedem fratris RICHARDI beneficio capessit. Multæ vero postea illi cum Rege fratre; multæ cum *Cantuariensi* Archiepiscopo, cum *Eliensi* Cancellario; multæ & graues cum HVGONE *Dunelmensi* Episcopo, cumque Decano & *Eboracensis* ecclesiæ Canonicis; multæ denique cum IOANNE fratre, & postea Rege, concertationes & inimicitiæ interceſſere. Quas iam partim paucis attingemus. Cum esset designatus à fratre & tamen ne videretur RICHARDVS alienum ius præripere, imaginaria & adumbrata quędam electionis species Canonicis relinqueretur vel hæc ipsa vmbra animorum offensiones, digladiationésque; peperit. Etsi enim *Walterus Eboracensis* Decanus, & HVGO *Dunelmensis* Episcopus, quem ea res potissimum respiciebat, abessent, reliqui tamen Canonici sua in GAVFREDVM suffragia contulerunt. Querela itaque per eos, ea ex re ad Regem delata, interdictum est *Gaufredo* rerum, quæ ad eam sedem pertinebant, omnium, siue sacræ siue profanæ essent, administratione. Mox vero vt designatus est BALDVINVS *Cantuariensis*, veterem suam supra *Eboracensem* sedem prærogatiuam, vendicabat, & postulabat ne GAVFREDVS, à quoquam præterquam ab ipso, sacerdotalem aut episcopalem initiationem susciperet. At ille neutram ab eo susciperе voluit. Neque conuenit ei cum HVBERTO postea *Cantuariensi*, propterea quòd crucem suam contra maiorum morem, in *Cantuariensi* prouincia portaret; & querebatur de eodem HVBERTO, quod etiam in *Eboracensi* prouincia crucem deferret. Cúmque RICHARDVS à *Hierosolymitana* expeditione reuersus, *Wintoniæ* diademate solemnibus cæremonijs, in frequentissimo omnium ordinum cœtu rursus cingeretur; non interfuit illi pompæ, ob causam commemoratam, GAVFREDVS. Et ante Regis aduentum, cum *Londinum* venisset, & crucem ante se deferri curasset; *Londinenſis* & alij Episcopi ita se ei opposuere, vt ab eo proposito desistere cogeretur.

RICHARDVS vero cum regnum auspicaretur, HVBERTO Decano *Eboracensi* ad *Sarisberiensem* Episcopatum euecto, *Henricum* eo decanatu; *Buchardum* nepotem HVGONIS *Dunelmensis*, Thesaurarij *Eboracensis* munere; *Gulielmum* Archidiaconatu *Richimondiæ*, & *Rogerium* præfectura *Selebiensis* cœnobij ornauit. Sed cum GAVFREDVS contestaretur, consensum se nunquam suum huic donationi Regis accommodaturum, neque sineret eos dignitatum possessionem adipisci; Rex vehementer offensus, spoliauit eum omnium possessionum, quas vel cis mare, vel trans mare habuit, vsu atque emolumento. Verumenimuero cum Rex *Douariæ* consisteret, mare mox transmissurus, placatus GAVFREDI, & aliorum pro eo intercessione & munere, quo abeuntem ad tres mille libras prosequutus est; reddidit ei gratiam suam, omniúmque possessionum, quibus non solum in ANGLIA, sed in *Normannia* atque *Andegauia* abundabat, quietum & liberum cum solito redditu vsum: Eodémque etiam tempore HVGONEM *Dunelmensem*, *Henricum* Decanum, & alios cum GAVFREDO pacificauit. Quæ pacificatio parum firmè, & animis adhuc, vt credibile est, exulceratis (licet ad gratiam forte Regis ad tempus iram mutuam concoquerent) inita; in graues & enormes contentiones (quas, vt & alias id genus, ab alijs petendas relinquo) vix mense emenso prorupit. Profectus est post paucos dies, cum ALIENORA Regis matre, cum IOANNE fratre Regis, BALDVINO *Cantuariensi*, GVLIELMO *Eliensi* & alijs, in *Normanniam* ad RICHARDVM: vbi illi & IOANNI delatum est iusiurandum, ne (nisi ex Regis voluntate) ANGLIAM ad triennium ingrederentur. IOANNEM mox Rex iurisiurandi illius religione exoluit, GAVFREDVS postea *Romam* profectus est, vt natalium vitio gratia Pontificis abolito, electionéque sua ab eo confirmata, pallio donaretur. Non deerant qui se ei opponerent, causásque apud Pontificem necterent, ne ad eum honorem admitteretur; & ij maximè, qui à Cancellario subornati fuerant. Accepit tamen tandem, licet nouo & præpostero more, ante sacram initiationem pallium, & mandatum datum est *Turonensi* Archiepiscopo à CELESTINO, vt ab eo consecraretur. Iámque in ANGLIAM totus securus, vt videtur, de iureiurando, aut certe prorsus contempto, cogitat. Cuius, num Rex aut Pontifex ei gratiam fecerit, non lego alicubi proditum. Et forte eo se non

teneri,

teneri, vtpote ab ea cura, quam gregi suo diuinitùs debebat, præuentum arbitrabatur. Vtcunque sit, à *Turonensibus* ille ad ANGLIAM recta.

CVIVS aduentum subodoratus Cancellarius, siue ob religionem iurisiurandi à GAVFREDO fractam & violatam, siue veritus ne suis ille Inminibus obstrueret, conatibúsque cum IOANNE fratre opponeret; misit *Doueriam*, qui eum vel ab ingressu arcerent, vel ingressum caperent. & in carcerem abducerent. Ille verò structas sibi insidias non ignorans, vbi littus attigit, pernicissimo equo ascenso, ab ijs, qui littus obsidebant, in cœnobium *Douerix* profugit. Cumque tutelæ suæ causa templum ingrederetur occœpta iam missa, ad eum Apostoli locum ventum est, vbi in epistola legitur; *Qui conturbat vos, portabit iudicium, quicunque ille est:* quod ille sibi ad melioris alicuius euentus spem, quasi prælagitionem & omen arripuit. At ministri, quos ad eum comprehendendum Cancellarius miserat, cœnobium & ecclesiam, quasi arcem vndique obsederunt, omni effugij spe præcisa: & irruentes postea, cum post missæ celebrationem sacerdotales vestes adhuc non deposuisset, ab ipsis altaribus violenter abstractum, neque loco, neque personæ, aliquem honorem deferentes, in carcere *Douerienſi* clauserunt: populo indignante, & interim vociferante, Quò miseri hunc ducitis Regis filium, Regis fratrem, & Archiepiscopum? Quod in se tantum scelus admisit? Sed hæc illi frustra. At cum omnium ordinum homines, præsertim frater IOANNES & Episcopi, atrocitatem facti detestarentur, & iam ad arma contra GVILELMVM sumenda ventum esset; coactus est eum Cancellarius dimittere. Qui mox dimissus, LONDINI à populo & Clero honorificè acceptus est: & adhibitis sibi alijs Episcopis, anathema in eos, qui se & sacerdoralem dignitatem tam turpiter violassent, intorsit. Intercessit etiam grauis, inter eum & Canonicos *Eboracenſes* ecclesiæ controuersia, propter optionem *Simonis* Decani *Eboracenſis*, quam GAVFREDVS infirmare conabatur. Quare vtrinque ad summum pontificem prouocatum est. Decani, & alij quidam ex Canonicis, *Romam* profecti sunt Et cum multa hinc inde, tam per *Simonem* & assecias, quam GAVFREDI nuncios disceptata fuissent; cum hinc iste, illinc Canonici electionem Decani ad se raperent; pro *Simone*, sine præiudicio tamen Archiepiscopi aut Canonicorum, Pontifex pronunciauit.

GAVFREDVS mox apud pontificem de grauibus criminibus insimulatur. Arguebant enim eum vt Simoniacum, & qui sacra nummis turpiter distraheret, quique infesto esset in sedem *Romanam* animo, priuilegiáque illius sedis euerteret, prouocationes ad eam sedem factas contemneret, in ecclesias vi irrumperet, aucupio, venationibus, & militiæ potius quàm Pontificio suo muneri animum applicaret. Hęc & alia id genus aduersus eum congesta. Scripsitque CELESTINVS HVGONI *Lincolnienſi* & alijs, vt diligenter de causa cognoscerent; à quibus cum ille eorum iudicium appellatione præuertisset, dictus est dies, quo se *Romæ* sisteret: ad quam cum non venisset, ab vsu pallij & ab omni pontificij muneris administratione & procuratione, per CELESTINVM abdicatus est, omnésque ecclesiæ redditus ei per Regem subtracti sunt. Ecclesiæ vero interim procuratio *Simoni* Decano credita est. Et sententia illius, qua ille Canonicos & alios quosdam, post appellationem diris ecclesiasticis confixerat, per *Lincolnienſem* & alios, quibus causa legata est, rescissa & reuocata est. His difficultatibus implicitus GAVFREDVS, *Rotham* proficisci cogitur. Qui crimina, quæ aduersus eum aduersarij congesserant, constanter negauit. CELESTINVS licet difficilem se diu præbuisset, pro innocentia illius tandem pronunciauit, misitque litteras *Eboracenſibus*, vt GAVFREDO tanquam iusto Archiepiscopo per omnia parerent. Sed cum reuersus fratrem RICHARDVM, qui iam sibi Archiepiscopatus annuos fructus corraserat, placare non potuisset, neque quicquam æqui ab eo impetrare; imo cum videret eum promissionem suam, quam de restituenda rerum suarum possessione fecerat, rursus rescindere, *Romam* repetit; iactationisque illius, ac tam diuturnæ perturbationis INNOCENTIVS Pontifex, qui tum summo illo munere fungebatur, misertus, accuratè cum Rege egit per literas, vt GAVFREDO pateret tandem aditus ad gratiam ipsius. Ad quam Rex aliter flecti non potuit, quàm si GAVFREDVS ratas haberet eas donationes, quas Rex sibi in ecclesia EBORACENSI vsurpauerat. Quod cum GAVFREDVS recusaret, neque tutum sibi in ANGLIA locum videret, *Romam* rediit; misitque & suos RICHARDVS nuncios, qui causam suam contra GAVFREDVM tuerentur, vix tandem, & non nisi imminentis pontificij fulminis metu conterritus, GAVFREDVM in gratiam recepit. GAVFREDVS vero inter ceteras, nec illa nota caruit; quod regijs & profanis se negotijs plus iusto implicuerit: cum enim RICHARDVS paulo post reditum, ad emungendam quaque ratione pecuniam, vicecomitatum *Northamptoniæ*, *Lincolniæ*, & *Eboracenſis*

censis venditioni, quasi in auctione exposuisset, & Cancellarius licitaretur, GAVFREDVS licitatione eum superans, vicecomitatum illum *Eboracensem* cum quibusdam arcibus præripuit: atque ita regijs rationibus, curisque profanis obnoxius, curas & cogitationes suas ab ecclesiastico suo munere distrahere cogebatur.

DEFVNCTO RICHARDO, in nouas, (regnante fratre IOHANNE) perturbationes incidit. Profectus ille fuerat ante obitum RICHARDI *Romam*. Cúmque iam negotia sua obijsset, & octo dierum itinere ad reuersionem progressus esset, cum de morte RICHARDI audisset, *Romam* redijt. Venit deinde in *Normanniam* GAVFREDVS ad Regem, apud quem HVBERTVS *Cantuariensis* & alij solicitè agunt, ne pateretur GAVFREDVM in ANGLIAM venire; fore enim aduentum illius nihil aliud, quam nouarum discordiarum, & perturbationum seminarium. IOANNES certe postea, quo iure, quaue iniuria, inuolat in possessiones illius: quas *Iacobus Eboracensis* Vicecomes, ad regios vsus occupat. At cum, GAVFREDVS, & alios, à quibus rebus suis spoliatus fuit, anathemate percellit. Quo ille illos postea exoluit, & Regis gratiam, cum *Eboracum* forte venisset, recuperauit, aut potius coëmit. Multæ illi post reditum, cum *Rogerio Richmondiæ* Archidiacono, ob iniurias ei illatas, (ob quas INNOCENTIVS summus pontifex acerbè in eum, per literas inuehebatur) cumque Decano *Eboracensi* & alijs, controuersiæ exortæ sunt; quas author meus late tractat, à quo, si quis eas scire desiderat, peti poterint. Sed multo omnium maximæ, cum IOANNE Rege fuerunt; ipsiúsque aduersus IOANNEM, qui immodicis exactionibus populum exhauriebat, libertas & constantia, qua se ei opposuit, & grauiter in eum ideo inuectus est, magnæ ei laudi tribuitur. Vnde valde exasperatus IOHANNES, possessionibus bonisque eius occupatis, in exilium eum extrusit; vbi post quinquennium ex angore & mœstitia animi, propter pessundatam à fratre rempublicam, obque Regem regnúmque pontificia execratione notatum, defunctus est. Vacauit postea ecclesia ad quadriennium. Est quædam insula, quæ interiacet inter *Hiberniam*, & eam ANGLIAE partem, quæ spectat ad occidentem, ANGLIAE quàm *Hiberniæ* propinquior, quam *Monam* vulgo appellant. In ea duos hoc seculo Episcopos reperio, *Eboracensem* primatem agnoscentes; *Wimundum* monachum *Sauinensem*, & *Iohannem* monachum *Sagiensem*. Ille vero prior, cum aduersus incolas nimis acerbus fuisset; tantam aduersus se inuidiam excitauit, vt oculis spoliatum à se extruserint. Hæc insula & hodie habet suum *Sodorensem*, vt inscribitur, Episcopum, quæ tota est sub Comitis *Darbiensis* ditione; qui, quoties sedes destituitur, Episcopum designat.

Vterque Matth. 1151.

De quibusdam doctis & pijs viris, & cœnobijs huius diœceseos.

CAPVT XLIII.

Io. Sarisb. Polycr. li. 7. ca. 8. Rob. Abb. in add. Sigeb. anno 1181.

HANC sua hoc sæculo doctrina diœcesim, illustrarunt *Alphredus Beuerlacensis*, & *Ioannes Belmeus Eboracensis* thesaurarius. Ille & vitam IOANNIS *Beuerlacensis* Episcopi, & annales nostræ gentis eleganter conscripsit; nec id genus tantùm, sed philosophicæ, & theologicæ cognitionis nomine, eo tempore celebrabatur. Iste in *Galliam* & *Italiam*, maioris ingenij cultus capessendi gratia profectus; in doctissimum & eloquentissimum hominem, triumque linguarum (quæ rara erat illis temporibus dos) peritissimum euasit: quem HENRICVS *secundus* magno in pretio habuit. Fuit primum *Pictauiensis* Episcopus, deinde designatus *Narbonensis* Archiepiscopus. Cuius rei gratia cum *Romam* pergeret, *Lugdunenses* eum Clerici in suum Archiepiscopũ elegerunt; quorum iudicium probauit LVCIVS pontifex, pallióque *Lugdunensi honestatum*, dimisit. Accedat his & *Petrus Ripponensis* Canonicus, qui post alios, BEDAM videlicet, *Heddium*, *Frigeodum*, & *Petrum Blesensem*, vitam & miracula WILFRIDI Archiepiscopi literis mandauit. *Stephanus* vero cuius priori sæculo meminimus, *Eboracensis* cœnobij præfectus habuit, inter alios suos discipulos, illustrem illum genere & pietate virum *Gualterum Especum* ANGLVM. Quo solicitante, diuus BERNARDVS, monachos quosdam suos *Clarauallenses*, huc transmisit. Qui in immani & vasta solitudine, cœnobium sibi ad annum millesimum centesimum trigesimum secundum *Gualteri* sumptibus, & THVRSTINO etiam negotium suo fauore, & ope promouente, in loco, qui nunc *Rieuallis* dicitur, posuerunt. Quorum pietas arctaque disciplina, Priorem & superiorem, vt appellant, prædictæ apud *Eboracum* Abbatiæ, & decem aut vndecim alios ex ea societate, qui videbant se & reliquos, longè

mollius

molliùs & remissiùs, quàm ex diui BENEDICTI præscripto viuere; ad tantum durioris & seuerioris vitæ capessendi studium ardorémque, tantosque stimulos excitabant, vt & ipsi mox ad incultam & horridam solitudinem, quæ a *Ripponensi* oppido tribus fere miliaribus secernitur, secederent: templum ac domicilium ibi constituentes, totius paupertatis acerrimi sectatores. Et quia locus ille fontibus affluebat, cœnobium, inde nomen suum felici prorsus omine traxit. Veræ enim ibi, & viuæ totius pietatis, & cælestis desiderij aquæ abundè manabant; quæ in vitam æternam saliebant. Nouaque quotidie, post hæc tempora, tam *Cistercienſium*, quam aliorum monachorum cœnobia, tamque numerosa non modo in hac diœcesi & prouincia, sed & passim prodierunt; vt omnem illam ruinam & iacturam, quam *Dacorum* antea rabies, in hac præsertim regione, nobilissimis monasterijs inuexerat, magno cum fœnore, singularique pietatis accessione resarcierint.

BELLELANDIAE etiam cœnobium disciplinæ *Cistercienſis*, opera, & sumptu *Rogeri de Moubray* initiũ sumpsit; vno tantum miliario ab ecclesia *Nubergenſi*, quam idem *Rogerus* extruxit, distans. Cui cœnobio *Rogerus* quidam, vir summæ pietatis præfuit. Ortum est etiã, regnante STEPHANO, imo eo authore & duce, sumptusque & possessiones suppeditante, *Furneſium* in hac diœcesi *Cistercienſium* cœnobium, in Comitatu *Lancastriæ*. In cuius regno, aut potius ludicra & adumbrata quadam regni, propter publicam disciplinam, & quæ Regi debetur obedientiam, vndique perturbatam & conuulsam imagine; mirum est, & ad omnem memoriam insigne, tot cœnobia, quæ suo numero aut æquant, aut forte superant reliqua, centum antea annis exædificata, in ANGLIA exulceratis temporibus pullulasse. Quã in re singulare diuinæ pietatis munus, eximiámque prouidentiam facilè agnoscas; qui dum omnia domesticis & ciuilibus bellis & dissidijs feruerent, & singuli, ad suos quisque hostes euertendos & spoliandos, vigilantes & intenti essent, tot sibi præclarioris militiæ milites, qui aduersus grauiores, licet haud visibiles, & suos & totius humani generis hostes, glorioso triumpho decertarent. sibi in medijs hisce tumultibus excitauit. Habet hæc diœcesis *Maltoniæ Regularium*, vt appellamus, Clericorum cœnobium. Cuius præses, cum forte cum quibusdam fratribus cœnobij fornacem quandam calcariam inuiseret, vnus ex fratribus, cum nox eos oppressisset incautius obambulans, in foueam quandam adiacentem, ad sex vel septem pedes altam forte decidit, qui mox expirauit; cumque nec prodiret, nec inclamantibus responderet, quidam ex astantibus rogatus in eandem descendit, tentandi vel periclitandi gratia. Quo cessante, & ad inclamationes obmutescente, descendit & tertius, sed non meliori euentu. Hic casus cum valde præsidem & reliquos angeret, & solicitos haberet, per scalam & alium dimittunt. Qui in ipsa mox exitij, & mortis appropinquatione cum opem imploraret, properè cum scala eductus est: cuius tunica, quasi vi illata, conscissa reperiebatur. Ipse vero aliquandiu voce sensuque omni spoliatus, spumantique ore quasi exanimis iacuit, & vix tandem post multos dies conualuit. Postridie, cum quidam alij descenderent, nihil illi quidem noxæ sensere. Priorum cadauera, sine aliqua lesionis significatione, nisi quod sinistri oculi liuidi, & cruentati visi sunt, reperiunt. Et hæc quidem author noster, qui in eadem regione versabatur, ab ijs, qui vel interfuerant, vel qui ab ijs, qui interfuerant, audiere, hausisse se tradit.

Nubr. li. 1. ca. 15. Fab. vol. 1 parte 7. ca. 23.

Nub. lib. 5 c. 33. quod deest. in impr. codice.

ORNAVIT hoc sæculum & diœcesim KETELLVS quidam, vir qui in vico, qui *Farnahus* dicitur, vitam innocentissimam duxit; Is ab adolescentia, admirabili quadam dæmones, eorumque præstigias humano oculo videndi dote, diuinitùs enituit. Quos ille magno aliquando numero vicum illum ingressos, & quasi partitione, pactóque domos, quas infestarent, sibi sortientes, audiuit, vidit, & grauissima diuini nominis contestatione adiuratos abire mox coegit. Quos nonnunquam humeris intemperantiùs compotantium, instar simiarum insidere videbat. Solebat dicere, omnes quidem ad exitium & perniciem, sed alijs alios multo magis intentos & instructos, & si vel in minimo hominem, aut rem eius domesticam læsissent, & vel in equi, vel in humani pedis offensione, vehementer lætari solitos. Oblitus erat aliquando KETELLVS, cùm cubitum iret, crucis se ex veteri more signo munire. Aduolant itaque dæmones, magnósque terrores incutiunt, contra quos cum manum se signaturus erigere, vocémque contra eos exerere cogitaret, neutram expedire potuit; iamque hostes mirificè illi insultare, glorioséque de illo triumphare, magnúmque illi malum struere: cum ecce iuuenis quidam, magno splendore conspicuus, introgressus (quem KETELLVS suum angelum, sibi à Deo ad custodiam, & tutelam ascriptum putabat) pestes illas profligauit; iussitque vt KETELLVS cautius se deinceps, aduersus huiusmodi hostes muniret. Apud *Suthuellam* vero, dum humus ad demortui corpus sepeliendum effoderetur, reli-

Nub. lib. 2. c. 21.

quiæ quædam repertæ sunt eo locis & quod magis mireris, vitrea quædam ampulla, purissima aqua referta. Quæ postea multis ad morbos depellendos, oppido quàm salutaris fuit. Incendia ad tertium STEPHANI annum, tum alias ANGLIAE regiones, tum potissimum *Eboracensem* diœcesim & ciuitatem, sæuissimè depopulata sunt. Quo incendio templum diui PETRI *Eboracensis*, cum templo beatæ MARIAE, & hospitio pauperum, & triginta nouem (nisi fortè exemplar meum in numero sit vitiosum) ecclesijs misere eodem die periere. Et paulo post conflagrauit templum sanctæ TRINITATIS in suburbio, cum residua ciuitate; funestum forte præludium, & præsagium ciuilium bellorum, & immanium passim in regno incendiorum, quæ paulo post insequebantur. Templum vero *Benerlacense*, imperante postea HENRICO, simili conflagratione intercidit.

Addit. ad Flor. Wig.

Rog. Houed.

De Episcopis Dunelmensibus, & Carliolensibus.

CAPVT XLIV.

Anno 1146. Vterque Matth Matth. 1150. Flor.

POST RANVLPHVM, de quo diximus, *Huntingtonienſis* ponit GAVFREDVM, deinde ad annum trigesimum quintum HENRICI *primi*, GVLIELMVM. At RANVLPHO successit, vt quibusdam videtur, GVLIELMVS de *sancta Barbara*, qui quadriennio aut quinquennio postea mortem obijt. In successore vero GVLIELMI, video historias nostras paulo impeditiores. Alij enim RODVLPHVM quendam constituunt, qui præclaram ad milites, contra *Scotos*, immaniter in ANGLIAM post paucos annos imperij STEPHANI grassantes, animandos, concionem habuit. Alij eam non *Dunelmensi*, sed *Orcadum* Episcopo tribuunt, Vtcunque sit, GVLIELMO HVGO PASACVS *Eboracensis* ecclesiæ thesaurarius, & STEPHANO Regi sanguinis propinquitate coniunctus, valde renitente HENRICO *Eboracensi*, cum nec ætas iusta, nec vitæ sinceritas, nec doctrina in eo tanto muneri responderet, sufficitur. Tres enim nothos, & adulterinos filios, ex varijs matribus, ante susceptum Episcopatum genuit. Quo suscepto, etsi ab huiusmodi postea libidine sibi temperasse traditur, alijs tamen grauissimis dominabus, ambitioni videlicet & auaritiæ nimis inseruijt. Adque filios amplificandos, bonis & præfecturis ecclesiæ, è quibus vnum *Dunelmensi* Archidiaconatu, alijsque ecclesijs, tali muneri ineptum ornauit, abusus est. Curámque & industriam, opésque, quas quacunque ratione corradebat, magis ad arces & splendidas ædes ædificandas, infructuosè abiecit; quam in spirituali illa animæ suæ, aut suorum exædificatione, pauperibúsque ab inopia vindicandis fructuosè collocauit. Quanquam non est tamen sua laude fraudandus, quod luculentis accessionibus & possessionibus Archiepiscopatum suum auxerit, & nobile illud leprosorum prope *Dunelmium* hospitium construxerit. Quæ vtinam plena & solida illius esset laus, neque eam aliorum aliqua iniuria, quibus sua detraxit vt huic ea hospitio adijceret, contaminaret. Longum quadraginta duorum annorum in suo munere curriculum habuit.

Polid. li. 12. & Matth Pa. 1138

Henr Hunt. Sim Dunelm. Rog. Houed. Neuburg li. 1. ca. 26 li 4 c 3. li 6 & 9. Matth. Par.

ILLVD dolendum, quòd vel ad postrema tempora, iustam pœnitentiam non subierit, & terrenarum rerum curarúmque, quæ cum sacerdotali munere vix cohærent, & imporentem cupiditatem non abiecerit, sed potius imprudenter auxerit, vt quo minus superesset viæ, eo magis viaticum quæsierit. Et ipsum quidem aliquam aliquandiu cuiuscúnque resipiscentiæ dedisse videbatur; cum in peregrinationem illam *Hierosolymitanam* omnia studia feruerent, ille quoque pio, vt credendum, proposito, eodem igne accenderetur, & crucem sacrosanctæ peregrinationis tesseram, post publicam voti sponsionem, sublimem humeris gereret, & pœnitentiæ augendæ gratia, cilicio etiam clam vteretur: sed iste mox omnis feruor refrixit, & impotenti quadam ambitione, quasi ignis ab aqua deletus est. Cum enim RICHARDVS, vt illud suum *Hierosolymitanum* iter feliciùs, & rebus omnibus instructior absolueret, imperij sui vectigalia, portoria, possessiones, arces, comitatus, & præfecturas & omnino omnia, vnde pecunia conflari potuit, quasi sub hasta, vt ita dicam, proscriberet emptoribus & redemptoribus; non ignorans HVGONEM, præceteris omnibus, copiosa pecunia abundare, hanc ab eo emungere quoquomodo conatus est. Quid ergo? vt hominem inescaret, quasi participatione quadam regni, omnem curã se absente, inter GVLIELMVM *Elienſem*, & hunc HVGONEM distribuit. Huic, omnem illam regni partem, quæ Aquilonem, cum arce illa nobili *Windesorienſi*, & regijs siluis vicinis, illi, eam quæ Austrum respicit,

respicit, credens & committens: inter quos male sanè conuenichat, vt & in illos quoque non ineptè illud accommodaretur, *Omnisque potestas, impatiens consortis erat.* Post discessum enim RICHARDI ex ANGLIA, GVLIELMVS cancellarius coniecit eum in carcerem, nec prius dimisit, quàm arcem *Windesorien sem*, & obsides quosdam HVGONI extorsisset. At non hic se sistit RICHARDVS, sed alio præclaro pecuniarum aucupio vtitur. Cum non ignoraret HVGONIS ambitiosum animum, neque adhuc illius saccos exhaustos, *Northumbriæ* Comitatum, in quo nullus diu Comes positus erat, vt maiori pecunia augeretur, HVGONI vendidit. Iamque HVGO pro pedo & tiara pontificijs, quibus olim ab initiatore suo, ad ecclesiasticum munus peragendum, ornatus fuerat, gladio, vt profanus & terrenus miles à RICHARDO accinctus, in Comitem repentè euasit. De quo sæpe RICHARDVS lepidè iocari solebat, & nobile suum artificium venditare, quo veteranum Episcopum; in nouitium & tyronem Comitem transformasset.

DIOMEDIS plane & *Glauci* (de qua prius memini) permutationem hic video, & pro aureis ferrea arma suppositа. Ab eo enim tempore, ita inanis iste terrestris honoris fulgor, caligantes senis oculos perstrinxit, vt iam planè cæcutiret; & non modo cilicium, & solennem illam voti de sacra expeditione sponsionem, sed omnem pæne rerum ecclesiasticarum curam, mundi curis totus deditus, & plane illis obrutus abijceret. Vana interim septennij (nescio cuius) expectatione & spe (quo sibi tantum ad pœnitentiam temporis, oculis tamen capto superfuturum, falsò blandiebatur) animum lactans. Sed quàm vana illa fuerat, omnisque ista noui huius honoris titillatio, exitus hominis paulo post palam ostendit. Redierat iam ex *Palæstina* RICHARDVS. Neque ille quidem tam prodigus & profusus fuit ante discessum largitor, quàm in repetendis & rescindendis, quæ largitus erat, seuerus & iniquus exactor. Quem cum solito alieniorem videret HVGO, rem acutè subodoratus, ne in grauiorem aliquam illius offensionem incurreret, vltro Comitatum, quem tam carè redemerat, abdicat; ita tamen, vt ingentem pecuniam, si redderetur, Regi promitteret. Senem vero impotenter cupidum, blandis & insidiosis literis è *Normannia* missis, quibus voluit vt *Londinum* quam primùm accederet, pecuniam illam olim promissam deferens, circumuenit. Eum enim se, in summa regni administratione, HVBERTO *Cantuarien si* associasse aiebat. Venit nimis properè infelix senex; non modica ob tantam Regis gratiam, hanc-que nouam authoritatem suam, lætitia gestiens. Quam post paucos dies cum ipsa vita, mors ex crapula superueniens, omnémque simul illius, de pœnitentiæ spacio, vanam spem obruit. Quam ille ex dictis GODRICI eremitæ, de quo vberius mox dicemus, perperam contexuit. Cum enim multa ab eo HVGO anxiè, & præsertim quam prospere, & quam diu viueret, scisciteretur, ille ad ea cunctatus diu respondere, tandem tamen respondit, eum septennio ante mortem occæcandum: de animæ, & spirituali illa, de qua diximus, cæcitate intelligens. At HVGO alrorsum id, & ad corporis oculos rapiens, exquisitam quandam visui conseruando curam, sed frustra, adhibuit; & illam alteram interim, de qua minus erat solicitus, cæcitatem imprudens & improuidus miserè incurrebat. Qui etsi testamentum, quo de rebus suis post obitum constituerat, condidisset; in facultates tamen illius Rex, eo demortuo inuolauit, sibique non modo ea, quæ in ædibus eius reperta, sed quæ ad aliorum iam possessionem peruenerant, multis iniectis terroribus, vindicauit.

HVGONI PHILIPPVS genere *Aquitanus*, qui magnam & diuturnam operam in grauioribus STEPHANI negotijs expediendis posuerat, STEPHANI opera successit. Promouerat enim accuratè illius causam partim blanditijs, partim minis apud *Dunelmenses*, vt sua in eum suffragia conferrent, quæ & illi contulerunt, non dicam tam libera, ac par erat, voluntate, sed huiusmodi, de quibus dixi, rationibus elicita vel expressa. Consecratus est *Romæ* à CELESTINO, à quo etiam impetrauit vt interdictum illud ecclesiasticum, quod *Rothomagensis* in *Normanniam*, propter illam suam cum Rege dissentionem, tulerat, remitteretur. Vsus est autem RICHARDVS opera PHILIPPI, non solum domi, sed & foris, eo præsertim tempore, quo defuncto *Augusto* Germaniæ principes *Coloniam* venere, de nouo Imperatore substituendo deliberaturi. Ad quam deliberationem, & RICHARDVM vt clientem imperij *Romani*, & cui fidem suam iureiurando astrinxerat, accersere. At RICHARDVS memor acceptæ nuper ibidem calamitatis, noluit se illi itineri credere. Misit vero PHILIPPVM, & EVSTACHIVM *Elien sem*, & alios ex laicis principes viros, per quos ita cum principibus Germaniæ egit, vt OTHO vnus ex imperij candidatis, nepos RICHARDI, ad *Augusti* functionem vocatus sit. Orta vero est inter eum & monachos *Dunelmenses*,

Flor. 1196. Nub. dict. ca. 9. Reg. Houed.

Anno 1198.

nelmenses, ob vacantium quorundam beneficiorum donationem, grauis contentio: adeò vt *Armoricus Dunelmensis* Archidiaconus, ex eius præcepto, monachos ad ecclesiam sancti OSWALDI confugientes, submisso igne eiecerit.. Quibus tamen postea, Episcopus litem omnem remisit, liberámque illis de more ecclesiarum suarum donationem permisit. quibus & priùs idem Archidiaconus molestiam exhibuerat, vique eiecerat ex villa *Herfcuelle:* quæ cœnobio data erat ad sustentandos quosdam monachos apud *Finchale*, vbi GODRICVS obijt. Monachi vero, cum ille negaret eam violentiam se authore illatam; omnes, qui illam intulerant, anathemate notarunt. Tertio autem, quo IOANNES imperauit, anno, PHILIPPVS ex voto inuisit diui *Iacobi* sepulchrum apud *Compostellam*, eiusque in multis rebus opera IOANNES vius est. HENRICVS vero Rex, vt apud *Elienſem* insulam, ita & apud *Carliolum*, nouam sedem pontificiam locauit, in qua constituit ÆTHELVLPHVM Episcopum, Priorem apud sanctum OSWALDVM, qui erat ipsi à sacra exomologesi. ÆTHELVLPHVS vero Canonicos, quos *Regulares* appellant, ibidem posuit.

Nub lib 5. ca. 23 Quod deest in impress.

EST in hac diœcesi, & in ipsis ANGLIAE finibus *Berwicum* oppidum, vbi spectrum quoddam hominis demortui, copijs quidem rerum & diuitijs, sed vitijs multo magis abundantis, multos incolas, vt illud *Buckingamiense* molestias inferebat. Nisi quòd istud, multis canibus latus eius sepientibus & stipantibus, ad summum illorum terrorem noctu obambularet. Quem vt discuterent, & pestem simul, quam imminere inde verebantur, auerterent, decem fortissimorum & audacissimorum iuuenum operam mercede redemêre, vt effossum cadauer ignibus traderent. Quod cum illi perfeciſſent, nullis illi huiusmodi nocturnis spectris, & ludificationibus exagitati sunt, sed in pestem tamen & luem, cui occurrere se ea ratione potuisse existimabant, eamque omnium grauissimam & exitialem inciderunt.

Lib. 5. ca. 26. sed deest in impr. eodice Pestis post famem.

Quanquam non eo loci tantum, sed totam passim ANGLIAM post summam annonæ caritatem, & famem ex ea exortam, sed nullibi immitius, quàm hoc loco, depopulata est. Vt cum aliàs, tum & hoc potissimum in tempore, vetus illud, λειμὸς μὴ λιμὸν, locum inuenerit. Commemorat meus author & alia id genus, ad id tempus, tanquam in re sibi notissima, & expeditissima, duo exempla; quorum alterum versatur in sacerdote quodam, in *Mailrosio* cœnobio post obitum sepulto, venationibus plus iusto olim dedito Cuius spectrum cum graue & molestum noctu vicinis esset, quatuor constantiores, & infractiores illius cœnobij fratres, animis atque armis etiam instructi atque muniti, sepulchrum adiere. Cúmque iam media mox lapsa fuisset, neque spectrum se proderet, tres ex illis ad vicinas ædes calefaciendi gratia diuerterunt. *Sathanas* iam sibi commodum tempus oblatum ratus, spectrum illud educit. Quo viso, etsi qui relictus erat, magno aliquandiu timore totus inhorresceret, animum tamen recolligens, irruenti spectro non modo fortiter, & intrepidè se opposuit; sed & bipennem, quam manu gerebat, totis viribus in spectrum vibrans, coëgit illud sepulchrum rursus subire. Cum socij non ita multo post redijssent, & quid se ablentibus, interim accidisset, intelligerent, mane ad sepulchrum redeunt. Quò effosso, mirum dictu! cadauer reperiunt & ei vulnus inflictum, exque eo sanguinem copiosè manasse. Quod illi sublatum; Vulcano mox commisere. Alterum vero contigit in castello, quod *Amantis* dicitur, vbi defunctus quidam, non modo incolis grauis & molestus erat, quòd noctu magna canum turba stipatus obambularet, sed quod dira & exitialis lues (quam ex pestilenti cadaueris illius afflatu natam existimabant) totam pæne illam parochiam immaniter exhausserat. At vbi animosi quidam iuuenes, aperto sepulchro, cadauer illud igne absumpsissent, siue ex ea, siue alia quacunque occasione, lues illa mitescere indies cœpit. Atque istud author noster, ex illius id temporis parochiæ sacerdote, didicisse se testatur.

De

De beato GODRICO *eremita.*

CAPVT XLV.

HVNC beatum virum ANGLIAE peperit *Nodouolchia*, expoliuit, absoluit, consummauit, & ad Deum transmisit *Northumbria*. In quo certe mundo Deus solidam quandam, & expressam immensæ suæ bonitatis & misericordiæ, effigiem reliquisse videtur. Quippe quem infimo plane loco & tenuissimo natum, nullisque prorsus literis imbutum, ad eam tamen virtutis, prudentiæ, perfectionis, cœlestiúmque donorum indicibilem plane magnitudinem prouexerit, vt pæne omnem multæ ex his fidem superent. Quas neque ego attingerem, nisi me de rerum gestarum sinceritate, & veritate securum crederem. De quo, si nostra forte narratio sit paulo vberior & fusior, id ex immensa rerum, quæ ad eum pertinent, copia, atque admirabilitate, cum aliqua lectoris (vt arbitror) vtilitate & voluptate coniuncta, & ex eo quoque proficiscitur, quod authoris nostri de eo opus sit rarum, & paucis obuium. Cum igitur adoleuisset, in minutis quibusdam mercibus, per vicos & villas vendendis, quas pedes circumferebat, operam dedit. Deinde rem industria augens, nundinas & ciuitates frequentabat. Maiore postea facultatum accessione facta, solebat in *Scotiam*, in *Daniam*, in *Flandriam* naui transmittere, euasitque vsu in hominem nauis gubernandæ, reique totius nauticæ valde peritum. Magnis sæpe & periculosis tempestatibus iactatus, Dei & Diuorum opem anxius implorabat; & discusso periculo, non ingratus celebriora quædam loca & Diuorum memoriam, eorum precibus profectionem & reditum suum commendaturus, adire solebat. Sed cum frequens *Scotiam* inuiseret, *Lindisfarnensem*, vbi CVTHBERTVS pontificiam tenuit sedem, & illam *Farnensem* insulam, vbi solitariam vitam exercuit, sæpius adire desiderabat. Vbi cum totam vitæ CVTHBERTI rationem à monachis didicisset, & omnes eremi illius angulos deuotus explorator lustrasset, & Dei erga se clementiam, supplex multisque lachrymis imploraſſet: cœpit indies postea, à terrenis rebus animo esse alieniore, & arcano quodam animi motu, ad perfectioris solitariæ vitæ æmulationem, vehementius ferri. Mirum interim eum *Hierosolymam* inuisendi desiderium, & sepulchrum aliáque sacra dominicæ passionis monumenta, adorandi incessit. Eò igitur profectus, per *Hispaniam rediit*, diuum IACOBVM religionis ergo inuisurus. Reuersus, rerum diuitis cuiusdam familiæque illius, in ea, qua natus erat, regione procurationem suscepit. Vbi cum videret famulos diuitis licentius viuere, & conuiuia fere quotidiana ex ijs cibis, quos à vicinis furto interceptos verebatur, instruere, nec vllum apud eos locum ipsius amica admonitio haberet, nec Dominus ipse admonitus, modo nihil ex rebus suis imminuerent, quicquam penderet: non ita multò post munus illud excusit, & nihil sibi voluit esse deinceps commune, vel cum familia illa deprauata, vel cum tam remisso Domino.

ET quoniam, etsi inscius, his eorum epulis aliquando interfuerat, tanto animum illius dolore, rei illius memoria vulnerauit, vt delicti illius expiandi gratia, diui *Ægidij*, Apostolorum deinde PETRI & PAVLI *Romæ* templum, veniam postulaturus, supplex adierit. Quid? quod eiusdem memoria etiam lachrymas sæpe illi extorserit. Reuersus, aliquandiu, apud parentes, resedit, nec multum intercessit temporis, cum nouum iter *Romam*, pietatis ergo ingressus est. In quo & matrem, & virginem quandam, quæ se illis paulo vltra *Londinum* progressis, eiusdem itineris sociam vltro obtulit, comites habuit; quæ illis eundo & redeundo officiosissimè inseruijt, nullis tamen vnquam, nisi GODRICO & matri visa. Quibus in ANGLIAM, & ad eum ipsum locum, vbi illis primo occurrit reuersis, illa eos dimisit. Neque in toto eo itinere, aut GODRICVS ab ea, quænam esset aut vnde venisset, aut illa quicquam id genus ab eo scisciata est. Neque potuit vnquam se GODRICVS postea expedire, vt quid de ea certo statueret, iudicare posset. Neque eam vnquam cuiquam hominum historiam, nisi postremis vitæ suæ annis authori nostro, qui erat illi ab expiandis peccatis, aperire voluit. Neque ego id iam referrem, si in talem virum vel læuissimæ vanitatis suspicionem cadere existimarem. Hoc certe satis video, excellentis in eius pectore pietatis semina iacta, magis ac magis ab eo tempore ad maturitatem peruenisse. Iámque inter cetera sacrosancta Christi, ad perfectiorem & omnibus suis numeris absolutam vitam capessendam,

Huius vitæ scripsit Nich. monachus Dun. qui erat illi à sacra exomologesi, resque illius omnes, partim quibus interfuit, partim ab ore ipsius Godrici aliorumque certiss. testium hausit exploratissimas habuit. De quo ampliam mentionem faciunt illius facti scriptores. Nubr. li 2. c. 20. Pog. Houed. Matth. Pa. 1170 & Flor. 1171. Quidnam narrarit Godricus authori nostro de rebus suis, aut quibus interfuit. Vide capita 4. 6. 8 9 51. 53 54. 55. 63. & 69. 78 82. 90 92 96. 98. 99. 100. 101 102. 103. 104. 105. 106. 131. 132. 133 134. 140 143. 144. 145. 147. 148.

dam monita, illa illius vox, *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, ita velut buccina quædam auribus eius insonuit, vt non conquieuerit, donec id præstitisset. Sed non sic tamen, vt censum sine sensu (vt ita dicam) profuderit (quod multi adeo philosophi gentiles fecerunt) sed vt Christum expeditius sequeretur, & illud etiam præstaret, *Da pauperibus & sequere me*: quod illi quidem non præstiterunt.

RELICTIS igitur parentibus, sed bona eorum cum venia, qui religiosum illius studium precibus hortatione etiam sua, bonis omnibus imprecationibus promouerunt, & prosequuti sunt; ad extremos ANGLIAE fines, & *Lugubaliam*, quæ vsitatiùs *Carliolum* dicitur, & deinde in vastam quandam & horridam solitudinem se contulit. Vbi aliquandiu versatus, incidit tandem in speluncam alterius cuiusdam eremitæ, valde ætate proiecti. In cuius se societatem admitti vehementer orabat, & admissus est. Fuit & ille laicus, & fere literarum rudis, sed *Dunelmi* tamen aliquando inter monachos versatus, & ideo aliquantulum idoneus, à quo GODRICVS monasticæ vitæ rationes accuratius disceret. Inter quos iucundissima & cœlestis plane, inter diurnas & nocturnas continuo Dei laudes vita fuit; nec alia contentio, quam vter alteri officiosiùs inseruiret. Post biennium fere; seniorem lethalis quidam morbus occupat. In qua ægritudine, incredibile pæne dictu est, quanto GODRICVS obsequio, *Goduino* (id enim pius vir nominis habebat) inseruierit. Per totos quindecim dies atque noctes, ne somnum quidem cepit. Cui cum naturæ, infirmitatisque humanæ vi, succumbere cogeretur; contestatus est animam ægroti, per augustum & summum Dei nomen, ne se dormiente & inscio egrederetur. Votóque potitus est, viditque eam egredientem, instar vrentis & feruentis venti, instar globi seu sphæræ, instar fulgentissimi vitri, & inexplicabili candore abeuntem. Amisso iam socio, deque futuræ suæ vitæ transigendæ rationibus accuratiùs in ea solitudine meditanti, & CVTHBERTI singularis sui patroni opem imploranti, repentè visendum se ei CVTHBERTVS præbuit, *Hierosolymaque* eum iterum, vt Crucis Dominicæ particeps fieret, petere, ac deinde reuersum solitudinem illam *Finchalensem*, non procul à *Dunelmo* distitam, incolere iubet. Cuius ille monita impigrè, tamque laboriosum iter obijt, vt vere vel ex hoc tanto huius itineris ardore & labore, Christi Cruci & Passioni communicasse credendus sit. In via enim nullo alio cibo, præterquam pane ordeaceo, eóque valde arido iam, & propter vetustatem indurato, nullo potu; nisi aqua vsus; vestes aut calceos nunquam exuit. Quorum cum soleæ essent detritæ, neque ille eas reficeret, moles quædam luti, calculorum & arenarum coagmentata, pedúmque plantis inhærens, grauissimos illi dolores impressit. Nec ille tamen iter solito minus indies continuare destitit.

CVM *Hierosolyma* tandem venisset, mirum est dictu, quantam mentis, corporisque totius iucunditatem, agilitatémque senserit; quanto ardore, pietate, deuotione, vigilijs, lachrymis sanctum Domini sepulchrum, aliáque sacra loca inuiserit & excoluerit. In *Iordanem* deinde cum alijs abluendus descendit. Atque illo primùm tempore, à prima perfectione vestes exuit. Domum vero nudis, & religiosa ibidem sponsione facta, pedibus redijt, nullis per totam postea vitam calceis vsus. Secessit vero post reditum ad solitudinem illam in aquilone positam, quæ *Streneshal* olim, hodie vsitatius *Whitby* dicitur, locum cœnobio diuæ HILDAE celebrem, vbi annum, & aliquot menses commoratus, *Dunelmum* profectus est. Quo loco non solum ecclesias, sed & puerorum scholas frequentabat, & pueros prælectiones magistris repetentes diligenter audiuit, multósque ibi psalmos, hymnos & orationes didicit: Psalmis enim edicendis, impensè deditus erat, quorum volumen minimo digito semper appendens circumferebat. Quo factum est, vt digitum illum curuum, & intortum per totam postea vitam haberet. Sed iam ad desideratam illam solitudinem totus ferebatur, CVTHBERTVMque instituti sui summum ducem & auspicem, solicitè *Dunelmi* implorabat, vt fortiter, & animæ suæ fructuosè, in eremo illa posset decretare. Quam ille semel ingressus, per sexaginta tres postea annos, ter tantum, idque *Dunelmum* tribus fere miliaribus distans egressus est. Et primum quidem ad eam, qua Christus Dominus natus est, noctem, vt sacris monachorum interesset. Qua, nix incredibili copia cœlo demissa est, & gelu deinde acerrimo ita omnia conglaciabant, vt GODRICI pedes atrocissimè vulneraret, sanguinísque vbertim manantis vestigia, palam passim per iter conspicerentur. Ad pascha deinde iterum *Dunelmum* aliquando venit, vt sacrosanctam eucharistiam perciperet. Po-

stremo

strenuo vero tempore, ab Episcopo RANVLPHO accersitus est.

IAM si quis pro magnitudine rei, omnes beati huius, in hac solitudine viuendi rationes accuratius excutere, & describere vellet; multa ea res volumina desideraret. Nobis sufficerit interim gustum qualemcunque, & tot tamque præclaras res, tanquam in parua tabula, & quasi per transennam lectoribus exhibuisse. In summa hoc dixerim, nouum CVTHBERTVM, imo nouum *Hilarionem*, nouum *Antonium* in ANGLIA his temporibus renatum. Cupis scire, quibus præclarus iste certator vestibus vsus sit? certe exterius ijs, quæ licet tali instituto congruerent, nihil tamen valde asperius præferrent. At sub illis, hinc cilicium asperrimum (quorum magnum numerum in ea eremo contriuerat) hinc ferrea lorica, quarum etiam tres per quinquaginta fere annos contriuerat, nudam hominis carnem, noctu dieque premebant. Cupis scire, quibus in ciborum delicijs vixerit? Certe aliquandiu in nullis alijs, quàm quas ipsa inculta & horrida eremus, non minus bestijs, quàm illi ministrabat. Post aliquot demum annos, ipse sibi panem ex farina ordeacea, quam cinere ad tertiam semper partem consperſit, conficere solebat. Sed his non priùs vti, quam ad tres vel quatuor iam menses, nonnunquam & ad sex induruissent. Pro olere vero & legumine, pulmentum sibi quoddam ex agrestibus & siluestribus herbis comminutis, aquáque maceratis, & ita absque sale & alio leguminum genere coctis, parabat. Neque vel eo prius vsus est, quam muscidum & horridum totum redderetur. Neque aliud renouabat, priusquam vermes scaturire inciperent. Neque quicquam vnquam cibi aut potus, quem sola aqua exhibuit, sumpsit: nisi cum graui fame, aut siti premeretur: neque vnquam ante obscuram noctem, tamque secretò, vt nec famuli ipsius per quadraginta annos quid, aut quo tempore vesceretur, scirent. Nonnunquam vero ieiunium ad tres totos dies, & aliquando ampliore tempore continuabat. Somnus etiam tam ieiuno, arido, & tenui victui consentaneus fuit. Quem non in lecto, sed humi stratus, aut lapidi siue parieti caput apponens; neque eum quidem aliter capiebat, quam quem ipsa naturæ necessitas illi vel inuito, idque post graues & diurnos labores, expressit. Manibus enim non interdiu solum, sed & nocte luna micante, tam in summis æstatis caloribus, quàm hyemis asperitatibus operabatur, neque loricam tamen vnquam interim deposuit. Et in his exercitijs, quoties orationi & meditationi non vacaret (quanquam nec hoc ipsum tempus ab orationibus feriatum habuit) noctes diésque transmisit, omnem mentis corporisque torporem, atque otium procul à se relegans.

STATA vero certáque quædam, de more ecclesiæ, quasi orandi pensa, ad mediam noctem, diéque ad solis ortum ineunte, ad tertiam, ad sextam, ad nonam, ad vespertinam denique horam, à se seuerus exactor exegit. Quas nulla vnquam de causa, aut quocunque obiecto impedimento prætermisit, sed ad vnguem, non illis quidem, quas ecclesia præscribit, quas non tenuit, & quibus non astringebatur, cum merus esset laicus, precibus; sed quas sibi priuato instituto ex psalmis, & aliunde composuerat, obseruauit. Atque ad stata ista orationum tempora, modicæ cuiusdam campanæ, quam in eum vsum parauerat, sonitu, & se & suos ad orandum excitabat. Et quoniam certum, magnumque præterea quendam quotidie orationum numerum cumulare solebat, ad singulas, ne obliuione forte aliquæ excidérent, singulos mediocris quantitatis lapides sepposuit. Quibus orationibus singulis absolutis, pectus ad dei misericordiam prouocandam, ter feriebat. Sed ex omni hac eius laude, nihil præclarius, nihil admirabilius, quàm quòd non solum æstate, sed etiam hyeme, & illis præsertim noctibus, quibus aquæ ex frigoris magnitudine gelabant: glacie confracta, aquis se ad collum vsque immergere, noctémque ibi in orationibus insomnem ducere solitus sit. Quod ille omne frigus, propter ignem illum diuini amoris, quo totus incensus erat, facilè aut contempsit, aut æquanimiter tulit. Cumque præ frigore frenderet, dentésque colliderentur, totumque corpus rigesceret & horresceret, hæc ille sibi: Grauia certe ista sunt, sed nihil, præ vt sunt inferorum pœnæ. Tam generoso & infracto erat iste heros, ad omnem doloris patientiam, animo. Qui tamen haud scio an alibi magis, quam in morbis, quos Deus illi, ad periclitandam patientiam eius, mercedísque cælestis coronam augendam, grauissimos immisit, emicuerit. Quos ille, adeo absunt, vt ægro & iniquo animo tulerit, vt gratias Deo officiosissimè, quasi perindulgenti patri, (qui temporarijs & tam leuibus plagis inofficiosum filium ca-

stigaret, & æternas, quas meritus esset, propitius ab eo auerteret) maximas reddiderit.

Quid? quòd non solum æquanimiter diuinitùs immissum tulerit, sed nouum ipse sibi, nec minus, aut forte acerbiorem dolorem accersierit. Cum enim aliquando totum illius corpus vlceribus, & scabie horrendum in modum scateret, ita quidem, vt caro illius vasto hiatu indè dissecaretur; leuiter, inquit, & per benignè mecum agit dominus, qui tam mansuetis remedijs æterna mea supplicia anteuertit, & auertit. Sed cur ego ipse, inquit, tam remissus sum, & tantus in proprijs meis delictis expiandis cessator? moxque salem afferri, & in vlcera illa patentia, atque hiantia infundi, funéque ex fœno facto, fricari per famulum ea loca iussit. Quo ex labore cum famulus quidem torquendo, ille tamen patiendo delassatus non esset; ipse, arrepto fune, multo inclementius & violentiùs loca illa affecta exagitauit, & perfricuit. Et mihi certe Godricvs, cum aliàs excellens & magnus, tum certè nunquam maior videtur, quàm cum humilem, mansuetum, demissum, & deiectum hominis animum, & ab omni humana laude & gloria remotissimum considero. Quæ pestis præclaras præstantium virorum laudes commaculare, & obruere sæpe solet. Noluit ille, si quid præclarè egisset, illud in lucem & hominum notitiam venire, sed potius, quantum potuit, suppressit. Imo nec ad colloquia aut aspectum hominum, nisi grauatim veniebat. Nec fas cuiquam erat eum, nisi certis quibusdam hebdomadæ diebus, idque à Priore *Dunelmensi*, in cuius se potestatem gubernationémque transtulerat, venia impetrata, conuenire. Qui vitam illius contexuit, homo valde apud eum familiaris, rogabat eum aliquando, vt bona ipsius venia, vitam illius liceret sibi describere, & quædam ab eo, ad eam rem accommodata haurire. Præclaram vero, inquit, tute tibi prouinciam sumpseris. Ecce enim tibi tuum Godricvm, olim quidem bene curata cute, *Epicuri* de grege porcum, fornicatorem, fœneratorem, adulatorem, periurum, nunc vero vilem homuncionem, falsum eremitam, & imitatione simulatum; vmbratilem religiosæ personæ imaginem, pigrum, desidem & stertentem, pias bonorum virorum eleemosynas infructuosè dilapidantem, ambitiosum, in famulos nimis imperiosum. His & alijs encomijs Godricvm tuum insignire poteris. Quo responso ita hominem consternauit, vt non ausus sit deinceps illum, de re huiusmodi interpellare. Post aliquot tamen annos, potestatem illi scribendi permisit, religiosè priùs affirmanti se, ipso viuo, rem omnem silentio prorsus suppressurum.

Has vero, aliasque præclaras virtutes, cum dæmones in Godrico cernerent, mira erga eum inuidia torquebantur, omnésque suas fraudes, machinamenta & terrore adhibuerunt, quibus perniciem aliquam corpori, vel animo illius insidiosè struerent. Et vt olim Cvthbertvs, *Hilarion*, *Antonius*, & alij quidam ex antiquis patribus, sic & Godricvs noster varijs insultibus à dæmonibus impetitus, glorioſè tandem de eis triumphauit. Cum *Finchalensem* ille solitudinem primùm subiret, lupus, aut dæmon potius sub lupi effigie, inusitatæ magnitudinis & feritatis, eum terribiliter inuasit: quem oratione, signo crucis, constantique ille fide facilè repulit, & profligauit, vt & infinitas postea dæmonum insidias, vt quo tempore dæmon eum in aquis illis, de quibus diximus, orantem opprimere conatus est. Qui cum se nihil aduersus eum valere videret, arreptis vestibus Godrici, quas in ripa fluminis posuerat, abire properauit. Sed à Godrico reuocatus, coactus est vestes eodem loco reponere. In mille vero se nefarias dæmon formas, dum ei insidiaretur, transformauit. Aliàs enim bouis, aliàs vrsi, aliàs aquilæ, aliàs corui, aliàs peregrini & religiosi hominis, aliàs mulieris, (vt reliquas id genus non prosequamur) speciem induebat. Nonnunquam immensa quædam dæmonum in eum colluuies, ignita framea, ardentibus facibus, claua & malleis, forcipibus, alijsque telis armata & instructa, horrendo strepitu, & tumultu irruebat: quorum ille ludibria, clausis oculis, ne aspicere quidem voluit, qui ita ab eo contemni, maximo dolore vrebantur. Concertabat vero aliquando cum improbo dæmone, qui eum terribili impetu aggressus est, à prima hora ad nonam. Et licet quinquennio ante, lecto ita fuisset ob tenium & morbi magnitudinem affixus, vt ne surgere quidem de lecto, nisi aliena manu & auxilio posset: surrexit tamen sine alicuius ope, & nudus, vt erat, infestanti se tamdiu, vt dixi, dæmoni opposuit. Sedebat vero multis, ante hoc tempus, annis ad focum, & ecce, repentè, tam grandem dæmon illi inflixit colaphum, vt pæne in terram præcipitem prostrauerit. Cuiusmodi ille Godrico

molestias,

molestias, & sæpe alias exhibuit, sed nulla alia in re magis, quàm impudicos, & titillantes libidinis motus, in animo illius ciendo; & sæpe se illi offerendo, & feminam eámque nonnunquam speciosissimam mentiendo. Quam ille laruam, loco aqua sacra consperso, mox abegit.

Et hæc quidem illi, à decertationis suæ primordijs, per quadraginta annos infestatio, grauissime incubuit. Quas ille spurias cogitationes, cum nec longioribus solito vigilijs, ternas aut quaternas noctes ducendo insomnes; nec maiore inedia, quam aliquando ad tres aut quatuor dies, aliquando per integram hebdomadam ieiunus sustinuit; neque vllis orationibus comprimere & obtuere potuisset: aquis diu noctuque, & tum potissimum, cum asperrimum gelu omnia occuparet, nudum corpus ad collum vsque immersit. Neque hic sistit, sed vt facilius ardentes illas, quas nefarius dæmon libidinum faces suggerebat, extingueret; nudum corpus, in densissimis & acutissimis vepribus volutando, ita lacerauit, vt vel sic omnem voluptatis sensum, doloris magnitudo opprimeret. Post quadraginta tandem annos, ita hunc spurcum & impudicum tentatorem prostrauit, vt aut nullis huiusmodi motibus fuerit impetitus, aut leui negotio, solaque eos oratione; & sacratæ, vt dixi, aquæ aspersione repressérit. Et hæc quidem de negotijs & molestijs, quas scelerati illi dæmones facessebant. Quas omnes persequi nimis longum esset. Neque est quod quisquam aut miretur, aut ægrè ferat, tam atrocibus, tam pium virum, aut morbis afflictum, aut dæmonum insidijs atque infestationibus appetitum; cum hæc omnia illi ex viri æquanimitate & patientia, non solum ad mercedis, gloriæque æternę, sed ad diuinæ, etiam in hac temporaria & caduca vita, consolationis, ad virtutum, ad cælestium gratiarum & donorum cumulum accesserint. Quibus eum deus admirabiliter amplificauit, vt rectè illud propheræ occinere potuerit. *Secundum multitudinem dolorum meorum, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* GODRICVS etiam non solum feras bestias, sed & ingentis magnitudinis serpentes, qui innoxij pæne cohabitabant cum eo, dicto sibi audientes habuit; neque solum innoxij, sed & quodammodo adblandientes ei, neque sine aliqua animi ipsius voluntate, apud eum in domo frequentes: sed ne eorum frequentia aspectúsque, cęlestibus meditationibus affixam animi ipsius intentionem frangerent, aut interpellarent, iussit viperas & serpentes secedere, neque domum illius frequentare. Cui certè illius mandato, vt ferę sępe aliàs alijs in rebus bestię, accuratissimè paruere.

De negotijs quæ illi dæmones exhibuere
Vid. cap 19. 28. 37. 38. 34. 35. 39. 43. 71. 86. 117. 98 122. 123. 124. 125. 126. 130. 139.

Vide 40. 49. 50 55. 63 135. 141. 142. 144. 149.

ABSENTIA vero & remotis locis diffita, non minus ille sæpe, quàm si sub carnis oculis & præsentia essent, spirituali illo suo oculo vidit; & eo ipso tempore, quo res longè ab eo gerebantur, præsentibus eas, rerum fide nihil corrupta, quod euentus docuit, narrauit. Futura vero toties, longè antè & præuidit & prædixit, vt operosum esset singula sigillatim recensere. Inter quæ erant iunioris illius, de qua diximus, Regis HENRICI iniunctio, & ea, quæ THOMAE *Cantuariensi* acciderant. Significauit enim illi GODRICVS, cum adhuc gratia Regis floreret; quòd ea propediem excideret, & in exilium protruderetur. Iussitque mascte, & masculo eum esse animo, nec in bona, quam susciperet tuendam, causa cedere. Fore vt intra septennium, maiore, quàm cum exulatum abiret, honore amplificatus rediret. THOMAS vero eo, quo rediit anno, nuncium ad eum misit, vt quid sibi tamdiu exuli, & iam pæne extra omnem spem posito, deinceps eueniret, ab eo exploraret. Cui, authore nostro præsente & audiente, GODRICVS respondit, pacificationem qualemcunque verbis inter THOMAM & Regem, antequam sex menses laberentur, ineundam; eumque ad sedem intra nouem sequentes menses, sed ad breuissimum vitæ ipsius tempus rediturum: Mortémque illam fore THOMAE salutarem & gloriosam, & multis etiam alijs hominibus ad opem, & salutem profuturam. Dixit etiam se, ante sex illos menses transactos, vitæ humanæ eximendum. Quæ omnia vt prædixit, certissimè postea euenerunt. Reuersus est THOMAS, legatione *Romani* Pontificis, quam in discessu non habuit; & martyris etiam post obitum, qui mox imminebat, honore auctior. Iam quàm hoc augustum & amplum in eo censeri debeat; quòd cum alias, tum ad sacratos pentecostes dies, linguarum, quod tum in Apostolos effusum est, cælesti dono repente ornatus sit, & eos, qui loquebantur latinè, intelligendo, & ipse ea lingua (cuius prorsus erat rudis & imperitus) multa expedite loquens. Quid? quàm magna & illustria illa, quod cum aquæ in insitatam altitudinem sublatæ, omnia vicina loca, longè altiora & firmiora, imo robustissimas arbores occupassent, & euertissent; humilem

Vide id cs. 54. 77. 79 94 95 96, 137. 41. 53. 70. 76. 80. 82 109. 110. 111. 113 122. 135. 139. 140. 141. 142. 144. 149.

& pæne stramineam GODRICI domum, ne gutta quidem (omnibus stupentibus, & extinctum interim GODRICVM existimantibus) attigerit. Quid? quod aqua magno alias impetu irruens, domúique ipsius appropinquans, præscriptum ab eo locum nullo modo sit transgressa. Quid? quod grassantem in domum suam ignem, suo mandato repente, ne progrederetur, compressit.

De his vid. cap. 55. 59 83 91. 92 104. 112. 1038.

SI iam vel solas afflictorum, & deploratorum hominum sanationes, quas diuinitùs præstitit, adeo vt triduo defunctam ad vitam reuocarit, vt res meretur, oratione nostra prosequerer, res ea longam sane narrationem, & propositi nostri metas excedentem, postularet. Quo tamen mihi illud, quod in defunctos posuit, quos pijs suis precibus, vigilijs, ieiunijs, alijsque sanctis exercitijs, ab expiatorijs illis pœnis ereptos, in cælum ocyus transmisit, beneficium longè maius, & admirabilius videtur. Neque tamen ego id adeo suspicio, quàm cœlestem illam gratiam, qua ita est à Deo ornatus, vt non solum concertatoris illius sui, in eremo (vt dixi) morientis, sed & multas aliorum beatorum animas, in mortali adhuc corpore positus, non modo cœlesti gloria donatas intellexit, sed & in cælum post obitum delatas viderit. Sed minus id miror, vel quod propter cœlestem hic vitam, non tam in terris quàm in cælo egisse videri possit; vel quod beatos angelos, alióque cœlestes ciues, & cum primis diuum CVTHBERTVM, diuum *Nicolaum*, PETRVM Apostolum, *Ioannem Baptistam*, *Mariam Magdalenam*, MARIAM matrem Christi, imo & ipsum Christum & sæpe viderit, & cœlestes ab eis, quas nulla humana lingua exprimere potest, consolationes, & à matre Christi canticum quoddam, quod sæpe postea vsurpabat, hauserit. Inter alia illud illustre, quod idem PETRVS Apostolus sacra missæ mysteria, ecclesiæ more apud eum celebrauerit, eiusque confessione & exomologesi, quam exquisite GODRICVS de omnibus peccatis suis, quæ ad memoriam reuocare potuit, eo ita iubente fecit, audita; omnium delictorum gratiam fecerit, & sacrosanctam illi de altari eucharistiam ministrarit. Quę cum author noster sacra obiturus, eadem ad eum aurora venisset, & quæreret in cuius Diui memoriam mysteria celebraret? De beata MARIA virgine, inquit ille: Et mox illi retulit, quod ante eius aduentum diuus PETRVS in honorem beatæ TRINITATIS mysteria prius apud se peregisset. Hæc mihi de isto iam viro dicta sunto, qui post sexaginta sex annos, in vna aut alia solitudine tranſactos, ad cœlestem illam vitam, quam hic inchoauit, omnibus suis numeris cum Christo consummandam, feliciter transijt, duodecimo Calend. Iunij. Corpus eius humatum est, in æde *Ioannis Baptistæ*, quem ille inter Diuos eximiè coluit, quique in illa sua solitudine, idque Deo ipso præcipiente, sacram illam ædem posuit. Cuius sepulchrum multis & magnis postea Deus miraculis nobilitauit: quæ ab eo, qui vitam illius composuit, copiosè, summáque cum fide traduntur.

Vide ea 52. 60. 62.

Vid. ea. 12. 60. 62. 64. 74 75. 103. 106.

Anno 1170.

De Episcopis Cambriæ *siue* Walliæ, Meneuensibus, Landauensibus, Bangorienſibus, *&* Assauensibus, *deque* Giraldo Cambrensi, *& beato* IODOCO.

CAPVT XLVI.

A SAMPSONE *Meneuensi* Archiepiscopo, de quo longe ante diximus, nihil fere de successoribus, præter nuda quædam & inculta, ad hunc fere modum nomina reperio, RVCLINVS, RETHER, ELGIVA, MORLIN, BVRNERD, NERGV, SLITHIDER, ENEVRIS, MORGENEN, MATHAN, IOANNES, AVGVSTINVS, MORGENEN, BLETHVTH, ERVIM, TRAMERON, IOSEPH, BLETHVTH, SVLGEN, ABRAHAM, WILERIDVS. Traduntve ro omnes *Meneuiæ* Episcopos, ex veteri instituto ad MORGENEN, carnibus abstinuisse. Qui cum veterem illam disciplinam præuaricatus esset, paulo post à piratis occisus est. Et hactenus quidem *Cambriæ* Episcopi solum MENEVENSEM, vt primatem coluere. Qui & eos consecrauit, & ipse ab illis, vt à suis suffragantibus, consecratus est. Sed cum ad tempora HENRICI primi, *Cambria* iam ANGLORVM imperium subijsset, BERNARDVM ille hominem *Francum*, curiæ suæ assecla, *Meneuensibus* Episcopum dedit. Quem RODVLPHVS *Cantuariensis* initiauit. Sed & ille tamen primatum *Cambriæ* ad se reuocare,

Matth. Par. 1115 Flor. 1114. Girald Siluest. in itinerario Walliæ ejus et topographia Walliæ.

HENRICO

HENRICO Rege mortuo, conatus est, & crucem ante se, more Archiepiscopi, deferri aliquandiu curauit: querelamque interuertiæ suæ sibi prærogatiuæ, apud summum pontificem in *Remensi* synodo, sed inani conatu, proposuit: cum testes per THEOBALDVM *Cantuariensem* inducerentur, qui testarentur eum suam fidem & obseruantiam *Cantuariensi* astrinxisse. Pallio autem a DAVIDE, qui sedem primam *Walliæ*, quæ tum erat in vrbe *Legonum, Menenuam* transtulit, & Archiepiscopali authoritate vsi sunt viginti quatuor illius successores, quorum postremus fuit SAMPSON. Qui cum morbus ille, quem ictericiam passionem appellant, sæuissimè in *Cambria* grassaretur, in *Armoricam Britanniam* profugit; atque ibi, cum forte *Dolensis* ecclesia pastore destituta esset, illi ecclesiæ præfectus est, in qua & pallio, quod secum detulit, vsus est. Quam occasionem arripientes *Dolæ* Episcopi, pro Archiepiscopis se gessere, nec *Turonensem* sedem, vt solebant, primariam agnoscere volebant, donec INNOCENTIVS eos *tertius* ad officium, & pristinam obseruantiam reuocasset. At *Menenenses* qui sequuti sunt SAMPSONEM, etsi cetera pro Archiepiscopis se gesserint pallio tamen siue id propter incuriam, siue paupertatem acciderit, destituti sunt. Septem verò fuerant olim huius ecclesiæ suffraganei, *Banzorensis*, *Landauensis*, *Assauensis*, *Cestrensis*, *Herfordensis*, *Vigornensis*, & *Cherdicanus*. sed *Cherdicana* sedes, postquam diœcesani pastorem suum nefariè occidissent, obsoleuit, & cum *Menenensi* diœcesi coaluit. Et priores quidem tres sedes, ad hæc vsque tempora, nihil cum *Cantuariensi* habebant commune, & tres posteriores, his regionibus olim ab ANGLIS occupatis, ad obseruandam *Cantuariensem* metropolim, ante multa sæcula traductæ sunt. At iam & *Menenensis* fasces suos sedi *Cantuariensi* submisit. Eloquentia valuisse traditur BERNARDVS: sed parum frugi fuisse ecclesiæ suæ pater familias, quippe qui sordidus, parcus, & illiberalis in domesticos, ecclesiæque Canonicos, ecclesiæ possessiones redditusque in aulicos, & milites turpiter profuderit. Episcopatum triginta tribus annis tenuit. Huic alter, post primum illum tam celebrem, DAVID successit, munusque illud, imperante STEPHANO & HENRICO administrauit. Et inter alios Episcopos adfuit, cum causa illa grauis, de regijs consuetudinibus ageretur. Post obitum BERNARDI fuit à Canonicis quidam optatus, eo munere dignior. Sed hæc optio reluctante illi *Cantuariensi* Archiepiscopo, rescissa est, & nouus suffragijs habitis, Dauid suffectus, parum commodus, ac frugi rerum ecclesiasticarum administrator. Qui reliquas possessiones ecclesiæ, quas BERNARDVS non spoliarat, ad filios & filias, ad nepotes & alios necessarios, cum ingenti ecclesiæ detrimento auertit. Cumque nullum modum iniurijs, quas Canonicis & ecclesiæ irrogabat, poneret, grauem aduersus eum, ad *Cantuariensem* Episcopum, querelam detulere. Quos vt placaret, multa, quæ abstulerat, reddidit. Post vigesimum septimum deinde annum, nullo testamento condito, obijt, bonaque illius, partim à regijs ministris, partim ab ijs, qui illi inseruierunt inuasa sunt. Atque ita malè parta, malè etiam dilapsa sunt. GVILIELMVS vero *Milonis* Comitis filius, vt alijs acerbè atque violenter imperauit: ita in hunc præcipuè Episcopum, ecclesiæque ipsius possessiones magna sæuitia grassatus est, adeo vt latebras sibi, partim in ANGLIA, partim in *Cambria*, aduersus illius crudelitatem quærere cogeretur. *Gulielmus* postea è capite obtrito lapidis ex turri casu, miserè periit, ob iniuriam suam in Episcopum, & *Menenensem* ecclesiam, hanc sibi cladem accidisse vociferans. Fuit vero aliquando tempus, cum flumen quoddam DAVID equo vectus, cum familia sua transmittere debuit, sed magnus eum comitémque omnes metus incessit, propter aquæ altitudinem. Adfuit forte sacerdos quidam, cui paulo ante, mysteriorum sacrorum functione, ob aliquam causam, ab Episcopo interdictum erat. Ei, quoniam locum illum vsu exploratum habebat, data est prouincia, vt vno ex optimis Episcopi equis ascenso, periclitaretur, &, vadum tentaret. Ille vero ascendit, & ad alteram ripam transmisit, sed mox magno cursu ad vicinas siluas se contulit, neque prius Episcopus equum recuperare ab eo potuit, quàm promisisset veteris muneris sui functioni sacerdotem restituere. Et hæc quidem satis facetè.

Giraldus in topographia Walliæ.

ILLVD vero admirabilius, sed quasi de re explorata, securus *Giraldus* aspersit, quòd hoc apud *Menenuam* Episcopo sedente; Huius quidam qui cœmiterium eiusdem ecclesiæ præterlabitur vino, & fons quidam ibidem quem *Pistheldeu*, id est fistulam DAVID vocant, lacte quoque manarit. Huic in *Menenensi* sede, PETRVS *Cluniacensis* monachus, HENRICI *secundi* opera & fauore, successit. Vterque *Cantuariæ*, Rege hoc vrgente, consecratus est. PETRVS vero ad postrema RICHARDI Regis tempora obijt. Est in eadem Australi *Cambriæ*

Flor. 1108. Add ad Flor Cicestr in chro. Girald in itiner. Flor an 1107. Matth. Par 1107 Vterque Matth 1109.

regione, sedes *Landauensis*. Cui hoc sæculo VRBANVS, GILEBERTVS ad tempora regis STEPHANI, & GVILIELMVS, vt sparsim reperio, præfuere. Aduersa vero *Cambriæ* regio, quę Septentrionē respicit, quam *alli Guinedham*, ANGLI *Northwalliam*, *Venedotiam* quidam appellant, duobus itidem Episcopatibus insignitur, *Bangorien si*, & *Assauensi*. Illic hos hoc sæculo inuenio Episcopos, VRBANVM (nisi forte sit, vt puto, in *Florilego* error, eumque *Matthæus Parisius* non *Bangorien sem*, sed *Clamorganensem* (vt & *Gemmeticus*) qui idem est cum *Landauensi*, appellat) & HERVEVM, qui *Elien si*, vt diximus, Episcopatu auctus est: ROBERTVM *Salopien sem* Priorem hospitij *Hierosolymitani*, GVLIELMVM, GVITANVM deinde, nisi forte vitio librarij idem sit cum priore, & GVITANVS pro GVLIELMO suppositus. Sed tamen varia exemplaria, idem omnino GVITANI nomen complectuntur. *Eluien-sium* siue *Assauensium* hoc sæculo Episcoporum, nemo iam mihi occurrit præter GALFRIDVM *Monumethen sem* Archidiaconum, qui *Arthurus* dictus est, quod tam multa de ARTHVRO scripserat. Qui, imperante STEPHANO huius sedis honore potitus est. Reperio inter alios, qui iunioris Regis HENRICI inunctioni interfuerunt, Episcopos adfuisse *Landauensem*, & *Assauensem*; & ideo à muneris sui functione remotos. Sed nomen *Assauensi* Episcopo non ascribitur, neque reperio quando, aut vbi mortuus sit GALFRIDVS: etsi non ignorem esse, qui eum inter Cardinales referat, quod mihi aliter adhuc non constat. Inciderat ille in librum quendam *Britannice* scriptum, qui res BRITANNORVM ad sexcentos fere annos perducit, à *Gualtero Exonien si* Archidiacono è BRITANNIA *Armorica* allatum, quem ille in latinum sermonem transtulit. Quæ certè translatio, vel ideo pluris facienda, quod multa de rebus *Britannicis* in lucem protulerit cognitu digna, quæ perpetuo alioqui forte silentio obruta interciduissent. Illud vero dolendum, quod tot eum librum commentitiæ, & adulterinæ de ARTHVRO, MERLINO, & id genus fabulæ occupent: quæ reliquam ei fere fidem eripiunt.

Vterque Matth. an 1190 & 1197 Reg. Howed an 1184 Girald in itinere.

Pontic. Virunnius in epit historiarum Brit.

CELEBRANTVR quidam, ex hac hoc sæculo regione, doctrinæ nomine, inter quos *Caradocus Lancaruanensis*, qui inter alia BRITANNORVM successiones, & vitam *Gildæ Albani* conscripsisse traditur: & *Guido*, quem IOANNES *Sarisberien sis* commendat ob prudentiam & doctrinam. Fuit & *Alexander*, & *Tiliauus* vir doctus, & vrbani ingenij, THOMAE *Cantuarien sis* exilij comes, & qui illius negotia summa & fide & dexteritate, non sine grandis periculi metu, strenuè & constanter obibat. Sed ceteris omnibus longe præstitit SILVESTER GIRALDVS. Natus est (vt ipse de se testatur) in prouincia *Pembrochiana*, Theologiæ, quam in academia *Parisien si* prælegit, omnique humaniorum artium cognitione eleganter instructus. In summa fuit apud Regem HENRICVM *secundum*, & IOANNEM gratia: Cui comes, & à secretis epistolis adiunctus est, cum IOANNES in *Hiberniam*, ad seditiosos motus ibi compescendos, à patre mitteretur. Fuit *Brechaniæ*, & *Meneuiæ* Archidiaconus, ac deinde illius ecclesiæ Episcopus; vnde & illi cum HVBERTO *Cantuarien si* Archiepiscopo, de primatu *Cambriæ*, quem quasi postliminio quodam ad sedem illam reuocare studijt, contentio orta est. Cuius rei gratia, ad exordia regni IOANNIS, *Romam* profectus est. Etsi enim EVGENIVS Pontifex BERNARDO, litem THEOBALDO intendenti mandarit, vt *Cantuarien sem* secundum formulam iuramenti, quod præstitisse conuincebatur, coleret & obseruaret, nihil tamen inde successoribus BERNARDI præiudicatum voluit, sed totius causæ cognitionem ingram reseruauit: quam GIRALDVS apud INNOCENTIVM prosequutus est, præcepitque ille HVBERTO, vt GIRALDVM consecraret, neque quod (à prædecessoribus eius factum erat) vllum ab eo iusiurandum, ne pro sedis suæ dignitate litem moueret contra *Cantuarien sem*, exigeret. Quod si HVBERTVS eum initiare detrectaret, mandatū est *Elien si*, *Dunelmen si*, & *Lincolnien si*, vt hi hoc in illum munus authoritate Apostolica conferrent. Sed nunquam potuit postea sedes illa, interceptam semel dignitatem recuperare. Multis & elegantibus scriptis, nomen suum GIRALDVS apud posteritatem illustrauit. Inter quæ vitam ETHELBERTI martyris, DAVID *Menenen sis*, REMIGII & HVGONIS *Lincolnien sis* Episcoporum, & *Caradoci* presbyteri, & eremitæ conscripsit. *Hiberniæ* omnem situm, & incolarum mores atque naturam, & quicquid in ea insigne, & illustre fuit, diligenti inquisitione, & magna ex parte oculatus testis perlustrauit. Cuius topographiam, HENRICO Regi: naturalem vero illius gentis historiam, quæ multa rara, & cognitu digna habet, RICHARDO illius filio dedicauit.

De vit. Tho li. 4

Bal. cent. 3. ca 59

Reg. Houed. 1199

BALDWINVS vero *Cantuarien sis* Archiepiscopus, vt gentem illam, ad *Hierosolymitanam* profectionem, magis excitaret & animaret, *Cambriam* pæne totam peragrauit, comitéque

inter

inter ceteros sui itineris, GIRALDVM nostrum habuit. Qui luculenter sane, non modo totam eam profectionem, sed & multa, quæ eo sæculo, in illis regionibus contigere, scriptis; quæ nuncupauit HVGONI *Lincolniensi*, mandauit. Quæ quoniam licet digna, rara tamen sunt cognitu, quod volumen illud typis non sit excussum, & parum alioqui hominibus commune: nos ex eo, quæ nostro scopo magis videntur accommoda, decerpemus, & quoad res patietur in pauca conferemus. Et de hoc quidem itinere mox: pauca interim de commemorato *Caradoco*, qui hoc sæculo vixit, & obijt, interspergemus. Natus est in *Brechania* parentibus omnino non ignobilibus, literisque aliquandiu operam dedit. Postea adscripsit se *Resi* principis familiæ, qui ei duos leporinos canes, quos in delicijs habuit, custodiendos commisit. Qui cum ita vt fit, amissi essent, vehementi bile aduersus eum *Resus* efferbuit, dira ei minatus. Qua ille occasione arrepta, à *Reso* se subduxit, *Resoque* palam dixit; Si ista mea sit fidelium, & longorum erga te obsequiorum remuneratio, in illius deinceps me seruitium & familiam adscribam, cui vita hominis antiquior est, quam canum cura; quique seruorum suorum labores, obsequia & merita, iusta & æterna mercede, & potest & solet pensare: Voutque se deinceps & cœlibem, & monasticam vitam ducturum. Coma igitur apud *Landauensem* Episcopum deposita, versatus est aliquandiu in ecclesia sancti *Theliau*. Sed quia videbat nimiam ibi hominum frequentiam, vitæque suæ instituto parum congruentem, diuertit ad desertam quandam diui *Rinedi* ecclesiam. Sacerdotio deinde ab Episcopo *Menenensi* honestatus, ad insulam quandam *Ari* dictam secessit. Quæ cum à piratis valde infestaretur, versatur in cœnobio diui *Ismaelis*, quod *Isam* vocatur, in prouincia *Rossensi*. Obijt ad annum Domini millesimum centesimum vigesimum quartum, in ecclesia *Menenensi* multis, in vita & post obitum, clarus miraculis: inter quæ & illud notatum est, quod cum funus in magna pluuiæ copia efferebatur, omnésque pluuia madescerent, palla serica, qua feretrum tegebatur, ne minimam quidem guttam sensit. Tentauit aliquando *Gulielmus Malmesburiensis* digitum à demortuo corpore auferre, vt loco reliquiarum haberet, & mox vidit omnes digitos repente in volam retortos. Qua ex re timore concussus, ab eo proposito destitit.

Vide Giraldum in itinerario: & Io. Cap. in cata.

De itinere BALDWINI Cantuariensis *per* Cambriam, *& de multis quæ tum, & hoc priùs sæculo eadem in prouincia contigere.*

CAPVT XLVII.

INGRESSVS est igitur BALDWINVS primum eam regionem, quæ iacet ad Austrum, per *Herfordiam*, & quæ sita est inter *Vagam* fluuium & *Sabrinam*. Ibi illi occurrit *Resus Griffini* filius, totius eius prouinciæ princeps, ad castrum *Rademiram*, vbi post concionem à BALDWINO habitam, & per interpretem redditam, primus, qui sacræ huius expeditionis tessera insignitus est, fuit author noster, & PETRVS deinde *Menenensis* Episcopus, cum Æneas vno ex proceribus illius regionis. Et *Resus* etiam, ad eam iam se profectionem rebus omnibus necessarijs instruxerat, & eam omnino suscepisset, nisi *Guendolena* vxor, quarto illi cognationis gradu coniuncta (cuiusmodi passim ibi nuptiæ ex deprauata consuetudine inoleuerant) cum ab eo proposito auertisset. Illi autem castro præfuit quidam, regnante HENRICO *primo*, qui cum in ecclesia diui ANANI cum canibus venatorijs pernoctasset: mane & ipse visu spoliatus nihil vidit, & canes in rabiem acti sunt. Fuit in hac regione hoc sæculo in ecclesia diui GERMANI baculus, qui diui CIRITII dicebatur, cum aduersus alios morbos, tum potissimum aduersus strumam ijs salutaris, qui denarium ibi obtulissent. Vbi cum quidam pro denario obolum subiecisset, dimidiatam tantum sanitatem recepit; quam alterius oboli adiectione, integram & consummatam recepit. Habebatur etiam hoc tempore in magno pretio, campanula quædam, quæ sancti DAVID *Menenensis* fuisse putabatur: quæ ad parietem appensa, cum totum oppidum incendio esset absumptum, nihil tamen, cum magno omnium stupore, detrimenti sensit. Nec minus illud obseruatum, ecclesia in hac regione quadam, vi hostium immaniter incendio conflagrante, illud in omnia grassatum, præterquam in pixidem, in qua sacrosancta eucharistia reposita erat. Profectus deinde est BALDWINVS ad *Hatam*, & *Brechaniam*, & castrum *Aberochen*, vbi riuus *Ocheni* in

Oscam

Oscam deuoluitur. Cuius castri, authoris nostri temporibus, *Gulielmus de Bruſa* Dominus erat, qui & sacellanum quendam *Hugonem* habuit, qui in sacello diui *Nicolai* sacra faciebat. Hic ter variis in noctibus per somnum, iussus est Domino suo, qui prædium quoddam, ecclesiæ diui *Nicolai* ad pauperum vsus datum, detinuerat, dicere: Hoc aufert fiscus, quod non capit Christus, Dabis impio militi, quod dare non vis sacerdoti. Quæ ille prius verba neque legerat, neque audierat, quam auditione ista, ex qua valde constet natus erat; eaque authori nostro patefacta, & quam ea verba sententiam haberent, & huiusmodi apud *Augustinum* verba reperiri, intellexit.

OBSERVATVM quoque est & illud, quòd his in regionibus, in ecclesia sancti DAVID *de Lamais* accidit. Pueri nimirum, pullos columbinos ex nido ibidem surripere volentis, manum lapidi adiacenti tam firmè adhæsisse, vt nulla humana ratione aut ope auelli potuerit. At enim post triduanas tam pueri, quam parentum eius vigilias, orationes, & ieiunia, amouisse manum à lapide, sed ita, vt quinque digitorum vestigia lapidi, quasi ceræ impressa cernerentur. Quare lapis ille postea in ecclesia, ad rei memoriam conseruatus est; atque hæc ita sibi accidisse, author noster eundem ex puero iam senem factum, DAVIDI *Meneuensi* Episcopo narrantem, audiuit. Admirabilia quædam iam prætereo, quæ author noster de torque diui BANANTI, & cornu diui PATRICII refert. Quorum omnium admirabilitatem superat, *Gulielmum Hageruellum* longis, & grauibus quasi parturiendi doloribus obsessum, vitulum, tandem per egestionis locum edidisse. Primus ex *Normannis Bernardus* hanc *Brechaniæ* regionem *Cambris* eripuit. Cuius vxor, vt se de filio *Mahelo*, qui militem quendam ab adulterinis matris complexibus redeuntem noctu, grauiter cecidit & mutilauit, vindicaret: tantum & tam inauditum in se scelus admisit; vt & se adulteram, & eum nothum & suppositititium, apud HENRICVM *primum* fateri non vereretur. Quam Rex vtcúnque oblatam occasionem arripiens, à patrimonio eum prorsus excluſit; quod ad filiam *Bernardi*, & *Milonem* Comitem eius maritum transtulit. Sed infelicem exitum habuit illud matrimonium, cum liberi ex eo nati *Rogerus*, *Walterus*, *Henricus*, & *Mahel*, præmaturè & sine liberis; & *Gulielmus*, ad quem tota hereditas deuoluta est, quem diximus tam infestum fuisse *Meneuensi*, ea, quam commemorauimus clade, nondum vertente anno quo dominari cœpit, obrutus sit.

BRECHANIAE autem illa regio, nomen à *Brechano*, illius olim principe mutuata est. De quo illud illustre traditur, quod viginti quatuor filias, eásque virgines, & pietatis nomine insignes habuerat: adeo sane, vt quibusdam earum basilicæ post obitum, vt in cœlitum consortium receptis, constructæ fuerint, præsertim virgini ELMETHIAE, ad cuius templum ineunte AVGVSTO mense, magna ægrotorum copia quotannis, sanitatis recuperandæ ergò (quam multi læpe consequebantur) confluere solebant. Illud autem author noster, in omni fere diui PATRICII celebritate, accidere suo tempore solitum obseruauit, vt vtriusque sexus homines, qui seruilibus & manuum operibus festos dies profanassent; eò confluentes, in cœmeterio repentè, quasi mente alienati, miris sed accommodatis corporum gestibus, illius operis genus, siue id arando, siue acu texendo, siue per telam & colum, siue alia ratione artéque peregissent; palam repræsentarent. Qui in ecclesia introducti, & positis cum precibus apud altare oblationibus, veteri & placidæ mentis quieti reddebantur. Id etiam refert; esse in eadem regione locum, vbi aues à veteri, & genuino, & germano patriæ Domino iussæ, canere solebant: quod nouus & aduentitius Dominus frustra tentabat. Atque ita ad tempora dicti Regis HENRICI, præcipiente *Griffino Resi* filio, licet ex possessionibus illis fere omnibus disturbato, *Milone* Comite, nouóque Domino inani id labore tentante, vt rem certam & exploratam, post supplices *Griffini* ad Deum preces accidisse narrat. Est in his regionibus *Lanthodeuense* ordinis diui *Augustini* (quem potius locum *Giraldus Nanthodeni*, id est vallem *Hodeni* fluuij, vel *Lanhodeni*, id est ecclesiam ad fluuium *Hodenum* fundatam, appellandum putat) cœnobium. Eum ille locum vastis montibus inclusum, quasi monasticæ vitæ accommodatissimum, primósque illius cœnobij incolas, è quibus principes fuere *Gulielmus* quidam, & *Eruisiulius*, propter vitam, remotis omnibus delicijs & possessionibus, in summa paupertate, & in accurata vigilandi, orandi, & meditandi, aliisque monasticæ vitæ disciplinis, transactam, summopere laudat: qui & possessiones multas oblatas respuebant, & cum prædijs, aut beneficijs ecclesiasticis, vel ab *Hugone de Lucy* (qui princeps erat omnium, qui sua in illud cœnobium beneficia contulerunt) vel ab alijs augerentur; dolebant potius, quam vlla huiusmodi accessione gaudebant. Huic, inter alios, præerant

Gulielmus

Guilelmus, Clemens, & *Rogerus*, qui diuinitùs castigati sunt, quòd bona cœnobij perditè dissiparent, vel dissipari sinerent.

INVISIT hunc aliquando locum ROGERVS, *Sarisberiensis* Episcopus, & admiratus fratrum concordiam, arctamque disciplinam, summamque in tanta paupertate mentis æquanimitatem; magnis eos apud HENRICVM primum laudibus cumulauit, & tandem subintuit, Sed claustro eorum construendo, nec regiæ, nec totius regni gazæ sufficerint. Quo dicto & Rex, & reliqui valde consternati sunt. Sed ille mox ænigma illud suum expediuit, significans se de claustris illis montium, quibus cœnobium cingebatur, intellexisse. Ab hoc cœnobio manauit illud aliud eiusdem nominis, prope *Claudiocestriam* positum. Quod cum diuitijs afflueret, nimijsque illis rerum copijs cœlestes meditationes refrigescerent, & germana pietas suffocaretur; *Brechamienum* nostrum, tanquam grandæua & pia mater, licet esset rerum terrestrium cumulo & splendore inferius, pietatis tamen & virtutum accessione filiam * longè superabat. De vtroque hoc cœnobio nos alibi aliquid diximus. Fuit vero, vt iam commemorauimus, author noster huius regionis Archidiaconus, habuitque hic prope *Brechamianum* castrum domicilium, licet non rerum copijs valde exuberans, studio tamen suo literisque aptissimum. Diuertit deinde BALDVINVS ad *Abergenium*, inde dictum, quod Geuenni fluuius illic in *Oscam* delabitur. Vbi concione habita, multi sacram militiam professi, cruce se insignierunt. In hac regione, regnante HENRICO *secundo*, contigit *Ranulphum* Vicecomitem *Herfordiæ*, in hostili conflictu cum alijs trucidari. Miraculo datum est, quòd inter tot læthalia vulnera, tam diu tamen superuixerit, donec accersitus sacerdos ei sacra exomologesi expiato, eucharistiam ministrasset: qua accepta, (quasi à Deo de industria ad hoc reseruatus) mox animam efflauit. Hoc autem diuino, in tam necessario tempore, beneficio auctus creditur, quod sacerdotes Dei præcipuo quodam, præ ceteris, honore coleret.

* al. abest longè

ADIIT deinde castrum *Oscæ*, & celebrem illam olim *Legionum* vrbem quæ *Caerleon* Britannicè dicitur. Non procul ab ea vrbe fuit, authoris nostri tempore, *Merlerius* quidam, qui dæmonum opera futura prædicebat. Puellam enim quandam iam diu amauerat, in quam nocte illa dominicæ, quæ Pascha antecedit, quæ Palmarum dicitur, ille, vt putabat, incidens, sese cum illa commiscuit. Sed mox nihil aliud vidit nisi speciem quandam adeo hispidam, & hirsutam, tam tetram tamque immaniter deformem, vt mente statim alienari cœperit. Sempérque postea frequentes, & familiares habuit immundos spiritus, à quibus res futuras, fide rerum plerumque nihil corrupta, præsertim de his, quæ non ita diu postea contingebant, vt rerum euentus docuit, intelligebat. Si quid falso, ipso præsente, diceretur, statim declarabat id esse vanum. Imo si liber allatus esset, qui vanum aliquod complecteretur, conspecto libro, locum illum vitiosum & corruptum, porrecto ad illum digito, licet esset omnino illiteratus, indicabat. Ita cum *Enocus* cœnobij de *Strachmarchil* Abbas, rapta sacra virgine aufugisset, eodem die, licet absens, multis id factum narrauit. Ita cum * *Conamus* de *Alba domo* Abbas, turpes de muliere, quam aspexit, cogitationes suscepisset, eas illi in aurem mox indicauit. Vterque vero postea resipuit. Ita *Houelo* principi multa de HENRICO *secundo*, quæ euentus paulò post, vera fuisse comprobauit, & multa de ipso *Houelo* partim vera, partim falsa prædixit. Accessit postea BALDVINVS ad *Cardiffum*, sacræque ibi expeditionis negotium promouit. In quo oppido, HENRICO *secundo* ab *Hibernia* reuerso quidam occurrens, Salutat te, inquit, Christus, cum Virgine matre, cum IOANNE *Euangelista*, & PETRO Apostolo, mandatque per me, vt diligenter deinceps prospicias, ne nundinæ & mercimonia dominicis diebus exerceantur: quòd si huic admonitioni obtemperes, feliciores rerum tuarum successus inuenies. Quære, inquit Rex militi cuidam *Philippo* astanti, ab isto rustico, Cur sua mihi somnia narret? At ille ad Regem conuersus; At enim, inquit, nisi mihi parueris, vitamque primo quoque tempore in melius emendaueris, ante anni lapsum duriores tibi res accident, quam hactenus senseris. A quibus, quamdiu vixeris, te non expedies. Rex inde, calcaribus equo subditis, se auertens, sed mox conuersus, iubet hominem ad se denuo accersiri; sed ille postea reperiri non potuit. Nec dum anno emenso, luctuosa illa filiorum illius, HENRICI, RICHARDI, & GALFRIDI, societatem cum Gallo aduersus patrem incuntium, seditio orta est.

* al. Conabus.

Non ita procul à *Gardiso* est insula *Barri*, à *Barroco* pio quodam viro, cuius & reliquiæ ibi conseruantur, hoc nomen mutuata: A quo etiam & multi illarum partium nobiliores viri nomen suum traxere. Ventum deinde est ad *Landauensem* pontificiam sedem, quæ *Landaph* dicitur, quasi ecclesia super *Taph* sita; quæ & ecclesia sancti *Teiliani*, eiusdem sedis aliquando Episcopi, appellatur, vbi Baldwinvs ab Episcopo eius loci hospitio exceptus est. Hinc itum est ad *Cistercienſis* ordinis *Margamense* cœnobium, præ alijs omnibus *Cambriæ* cœnobijs, docto & prudenti viro *Cunano* præside, ob summam in peregrinos & pauperes fouendos propensionem, nobilitatum. Quam Deus insigni sæpe munere & beneficio, instar illius *Helisiani*, frumento repente diuinitus aucto (quod author noster vt rem certam & expeditam refert) & alias in summa annonæ caritate, messe eorum ad vnum mensem solito præcocius matureſcente, magno omnium stupore remuneratus est, grauésque in cœnobij aduersarios vindictam exercuit. Inter quos fuit quidam inuenis, qui horreum eorum frumento refertum incenderat; Qui mox mente, rationeque omni humana excidit, vinculisque ne vel in se, vel alios sæuiret, coercitus, ea derumpens ad monasterium profugit miserè eiulando, se monachorum igne totum deflagrare. Atque in his eiulationibus paulo post expirauit. Fuit in his regionibus hoc sæculo princeps *Karodocus*, cuius filius *Caduallonus*, cum fratrem *Oenum* è medio sustulisset, ipse paulo post, cum castrum quoddam obsideret, muri ruina, omnibus alijs ab omni damno immunibus, oppressus, iustas fatricidij pœnas luit.

Transmittens postea *Auennæ* & *Neth* fluuios, non sine magno periculo & metu, monasterio de *Neth* à dextera relicto, *Lether* deinde & *Wadres* fluuios, ad castrum *Keduueli*; & deinde per fluuium *Tenuiensem* ad oppidum *Kaermerlin*, ortu *Merlini* (quem *Cambri* quasi vatem suscipiunt) à quo *Kaermerlin* appellatur, quod est oppidum *Merlini*, nobilitatum; & inde ad cœnobium *Cistertiense*, quod *Alba domus* dicitur, & mox ad *Hauerfordiam* peruenit. Quo loci & author noster, qui se *Meneuensem* Archidiaconum fuisse profitetur, concionatus est. Qui refert anum quandam triennio ante oculorum visu spoliatam, cum paululum terræ, quam Baldwinvs hic concionando calcauerat, ori oculisque post pias preces admouisset, visum recuperasse. Qui mirabilem ritum quendam, (sed sine dubio superstitiosum & damnatum) hominum huius regionis, (*Rosensis* inquam) narrat; qui per arietis armum elixum, & carnibus spoliatum, & futura prædicere, & absentia, tanquam sub oculis posita, enunciare solebant. Qui à *Flandrensibus* potissimùm, qui ab Henrico primo immissi, *Wallos* veteres colonos exigebant & exterminabant, vsurpabatur. Ad regionem deinde *Pembrochianam* (in qua author noster natum se ostendit) itum est. Atque vt *Demetia* totius *Cambriæ*, ita *Pembrochiana* totius *Demetiæ* regio est amœnissima, & feracissima, omnibusque vitæ copijs instructissima; graui tamen alicubi hoc sæculo incommodo laborabat, quòd multorum domus à dæmonibus, sine tamen insigni aliquo damno, infestarentur. Qui hominibus sæpe scelera, quæ ab infantia perpetrarant, palam exprobrabant. Qui nec sacratæ aquæ aspergine, nec sacrosanctæ Eucharistiæ præsentia, abigi potuerunt. Quid? quòd cum mulieribus se nefariè commiscebant. Et fuit qui ab incubo huiusmodi progenitus, cuidam huius regionis patrifamilias aliquando inseruiebat, totiusque familiæ curam gerebat. Qui singula, quæ domi clam & occultè gerebantur, scire, & interdiu quidem satis industriè munus suum obire, sed noctibus abesse semper solebat.

Ab *Hauerfordia* itum est ad *Meneuiam*, locum, vt totius *Cambriæ* ecclesiasticæ authoritatis prærogatiua facile principem, ita maximè sterilem & infœcundum: Vbi Petrvs eiusdem sedis Episcopus, qui toto priùs itinere se comitem dedit, Baldwinvm honoratè excepit. Ibi author noster eiusdem ecclesiæ Archidiaconus, concione ad populum habita, ad sacram expeditionem illum animauit. Abijt inde Baldwinvs ad regionem *Chemesiam*, & cœnobium diui Dogmaelis, & oppidum *Aberteini*, id est, situm ad lapsum *Teini* fluminis, egregijs salmonibus referti. In eo oppido *Resus* princeps Archiepiscopum hospitio splendidè, pro more patriæ excepit. Ibi non procul à *Ponte*, tam Archiepiscopus, quam author noster, sacri itineris negotium suis concionibus promouerunt. Inter ceteros quidem fuit quidam iuuenis qui se huic itineri deuouit, quem solum mater annis confecta superstitem habuit. A quo se destitutam adeo non indoluit, aut questa est, vt eundem cruce insignitum redeuntem videns, gratias Deo officiosè egerit, quòd filio se tali dignatus erat, qui ip-

qui ipsius, pietatisque obsequium, bonis & vitæ anteponeret. Sed vide quanta animorum affectuumque sit disparitas. Fuit enim alia in eodem oppido matrona, quæ maritum satis bene ad iter affectum, iámque ad BALDVINVM ire paratum, summa vi palam retinuerit; quæ per somnum huiusmodi vocem sibi insonantem, audiuit. Tu eum mihi, qui mihi, meisque negotijs obsequeretur, præripuisti; at enim & tibi rursus, id quod omnium habes antiquissimum, maximéque charum intercipietur. Quam auditionem viro mox, valde animo consternata, retulit, eadémque nocte, cum rursus obdormisset, filium infantem iuxta cubantem imprudens oppressit; factáque mox est talis animorum conuersio, vt maritus iter illud iam omnino obire voluerit, & vxor frigidam quoque suffunderet, crucem suis ipsa manibus humeris illius affigens. Eo vero loci, quo BALDVINVS concionatus est, sacellum populus struxit, ibique multos postea à morbis grauibus conualuisse proditum est.

DVO vero in hac *Chamesiensi* hoc sæculo prouincia, non omnino silentio premenda contigerunt. Alterum regnante HENRICO *primo*, quo tempore vir quidam locuples, ter per somnum admonitus est, vt ex fonte proximo, qui diui BERNARDI dicebatur, aureum torquem sibi extraheret. At ille monitioni parens, non quod contritum vetustate prouerbium est, pro thesauro carbones, sed exitiale ex viperæ morsu venenum reperit: ne quis putet omnibus somnijs suum pondus, & fidem inesse. Alterum vero recentius. Inuenem quendam (qui *Seisillus* dictus est) bufones magna quadam copia semper insequebantur, & ad eum opprimendum vbique, etiam in lecto imminebant. Aduersus quos (licet infinito numero occiderentur) cum nulla cautio atque prouisio efficax esset, in altissimam quandam arborem cum lecto, resectis vndique ramis, qui inferius prominebant, sublatus est. Quò bufones certatim nihilominus irrepentes, miserè hominem (quo Dei iudicio nescitur) consumpsere. Prosequitur deinde BALDVINVS iter per pontem *Stephani*, vbi concionantibus tam BALDVINO, quàm authore nostro, & *Ioanne Albæ domus*, atque *Sessillo de Stratflur*, *Cistercienſis* ordinis cœnobiorum Abbatibus, plurimi huic itineri nomen dederunt. Peruentum postea est ad dictum cœnobium de *Stratflur*, & *Landeui Breui* id est ecclesiam sancti DAVID de Breui, *Llanpadern Vawr*, id est ecclesiam PATERNI magni. In qua, vt alibi in his regionibus, viri mere laici & profani possessionibus cœnobiorum, idque, si dijs placet simulantes Abbatum inane nomen incubuere. Ne tamen omnia sibi conuerrere viderentur, decimas & oblationes ad clericos, filios tamen & cognatos suos reiecerunt Sed huiusmodi fucos, ab alueis ecclesiæ abegit HENRICVS *primus*, & monachi in hanc ecclesiam (quæ erat sub potestate cœnobij diui PETRI *Claudioceſtriæ*) introducti. Quo defuncto, res ad veterem perturbationem redijt.

REGNANTE itaque STEPHANO, deuenit forte in eum locum, quidam ex *Armorica Britannia*, in peregrinationibus aliarum nationum detritus, & (vt ille ait) qui mores hominum multorum nouit, & vrbes. Festo itaque quodam die, vidit clerum & populum diligenter Abbatis ad ecclesiam aduentum expectare. Quod intelligens, prodijt & ille cum alijs in occursum eius. Venit deinde cum viginti alijs suæ gentis armis * munitis. Diligenter interim aduena incolas interrogat, Ecquis tandem esset abbas? Ecce, inquiunt, eum tibi. Præcedebat enim ceteros, longam lanceam manu gerens. At enim, ait ille, Nunquid alijs vestibus, alióque baculo Abbas vester non vtitur? Minimè quidem respondent illi. Satis, inquit, hodie miraculorum & nouarum rerum vidi. Móxque tali rerum specie attonitus, in patriam regredi cœpit. Ad fluuium post hæc *Deui* (qui *Northualliam* & *Suthualliam*, vt appellant, secernit & distinguit) peruentum est. Quo cum *Meneuensis* & princeps *Resus*, BALDVINVM à castro *Abertenum*, per *Cereticam* regionem officiosè deduxissent, retro rediere. Ingressus est igitur BALDVINVS *Northualliam* per prouinciam, *Merioneth*, quæ prima se ex ea parte *Venodociæ* offert, & *Bangorienſem* diœcesim. Prima nocte apud *Towen*, proxima apud *Lanmer*, id est ecclesiam MARIAE in prouincia *Arduei*, diuersatus est. Et primo quidem *Griffinus*, proximo die alter *Conani* principis filius *Mereducius* BALDVINO occurrit. Qui cum videret quendam ex suis cruce insigniendum, tenui & vili quodam pallio tectum, ipse se suo exuit, eique illud generosè donauit. Profecti deinde per *Denbechiam* & *Kairmaderim*, diuertunt ad *Newe*, vbi post accuratam inquisitionem, author noster inuenit sepulcrum *Merlini* siluestris. Est hic insula quam *Cambri Enthi*,

* *Al.* munitus.

nos *Bardese* appellamus, quam monachi religione & pietate celebres inhabitant, vbi morbi aut nulli, aut rari, neque quisquam fere, nisi longa senectute confectus, obit. Quæ & propter sanctorum corpora ibi posita (inter quæ numeratur & beati DANIELIS *Bangorienſis* Episcopi) celebris est.

BANGORIAM deinde per *Canaruon*, id est castrum *Arnon* (dicitur autem ea Arnon prouincia, quòd sit contra Mon, id est *Moniam* insula sita) BALDWINVS accessit. Vbi GVITANVS eiusdem sedis Episcopus, se hoc iter *Hierosolymarium* suscepturum, solenni ritu professus est. Traiecit deinde in *Moniam* insulam, modico interuallo inde distantem. Hic *Rothericus* princeps *Oenei* filius, BALDWINO occurrit. Ex cuius familia iuuenes quidam (cum alij passim nomina darent) nulla BALDVINI, aut aliorum suasione animum inducere voluerunt, vt hoc iter susciperent. At post triduum, cum latrones quosdam prosequendo, partim ab illis cæsi, partim grauiter vulnerati essent, crucem, quam rogati recusarant, iam vltrò postulant. *Cambria*, vt dixi, iuris ecclesiastici in matrimonijs contrahendis, parum hoc sæculo obseruans fuit. Inter alios *Rothericus*, vt se magis contra fratrum filios, ad quos hereditas respiciebat, muniret, *Resi* filiam, tertio gradu coniunctam, sibi vxorem asciuit. Neque vlla apud eum BALDVINI admonitio, vt eam reijceret, locum habere potuit. Nec ille multo post, possessionibus omnibus suis exutus est: Quod & alijs *Oenei* filijs, quos ex consobrina genuerat, (propter quod matrimonium anathemate à diuo THOMA *Cantuariensi* percussus est) similiter accidit: vt semper fere verum sit, Spuria vitulamina non agere altas radices. Datumque est à BALDWINO mandatum *Bangorienſi* Episcopo, in (cuius ecclesia humatum erat *Oenei* corpus) vt inde ablatum in fluctus marinos abijceret.

SED vt ad *Moniam* reuertamur, quæ id *Cambriæ* est, quod *Italiæ Sicilia*, id est frumentaria penus, ideóque prouerbij loco est, Mon, Mam *Cambry*, id est *Monia*, mater *Cambriæ*. Quædam de ea narrantur rara, & auditu certe admiranda. Inter quæ illud cum primis est, esse ibi lapidem ad magnitudinem fere humani fœmoris, qui nulla humana vi aut ingenio transferri ita potest, quin proxima nocte vetus suum hospitium repetat. Periclitatus est, an id esset verum, *Salopiæ* Comes *Hugo*, catenæque implicatum in mare proiecit. Qui cum postridie suo loco ad omnium stuporem cerneretur, edixit Comes, ne quisquam deinceps lapidem loco mouere auderet. Dicebatur & id quoque, si veneri forsan opera prope eum locum daretur, solitum lapidem magnis aquæ guttis manare, & infelices semper partus exitus sequutos. Est in eadem insula *Tenradeuei* Confessoris ecclesia, vbi cum *Hugo Cestrensis* Comes noctu canes suos locasset, mane reperit omnes inutiles, & in rabiem actos. Et ipse, intra mensem, à piratis cæsus est. Adiacet huic alia modica insula, eremitarum tantummodo, qui suis sibi manibus victum suppeditant, & murium, qui nimis ibi exuberant, domicilium. De quibus id obseruatum fuit, eos alias semper innoxios, quoties tamen eremitæ animis, vt fit, inter se dissentiebant, & contentionibus distrahebantur: alimenta omnia, quæ sibi ad victum parabant, contaminare & corrumpere solitos. In commemorata vero *Arnon*, siue *Arsinia* prouincia sunt montes, qui altitudine alpes prope æquant. Quos *Iren*, *Cambrenses*, nos *Snowdon*, id est montes niuis appellamus, in quorum vertice duo sunt lacus, quorum alter habet insulam quæ loco mouetur, & aliquando longius dissita à priore loco apparet. Alter habet pisces, sed omnes monoculos.

PERREXIT deinde BALDVINVS per *Duganum Cistercienſis* ordinis cœnobium, ad *Ruthlandiæ* castrum, & *Lanelwiensem* ecclesiam. Transmisit deinde *Deam* fluuium, qui *Cestriæ* adiacet, quique à Septemtrione *Walliam* ab ANGLIA, vt *Vaga* ab Austro secernit & terminat, *Powisiamque* (quæ ex tribus *Cambriæ* præcipuis regionibus vna est) apud *Oswaldestriam* ingressus est, Vbi *Griffinus* illius terræ princeps, admonente BALDVINO, mulierem, quam ex consobrina vxorem sibi asciuerat, repudiauit. Hoc loco cum inuenis quidam moneretur, vt se huic militiæ sacratæ ascriberet; Minime vero, inquit ille, nisi Domini mei (intelligebat de *Oeneo* nuper cæso) necem prius vindicauero: moxque dum ira efferuescens hastam, quam tenebat manu, concuteret, illa in frusta repente dissiluit. Quod spectaculum tanto terrore inuenis animum concussit, vt mox sacræ expeditionis tesseram, susciperet. Post hæc *Salopiam* BALDVINVS petit, vbi, *Oeneus*, qui solus ex *Cambriæ* principibus cum suis BALDVINO non occurrit, anathemate confixus est. Proficiscitur inde per difficilem, angustam, & præruptam viam, quæ & mala platea appellatur, versus *Guenlocke*, ab eo loco per cœnobium *Brunfeldium*, & arcem *Ludlowe* Leoniſque mònasterium, *Herfordiam* petens; vt eo loco vbi

co, vbi incunte qnadrageſima inchoauit, iter etiam, tranſacto iam paſchate, terminaret. Hic author noſter facetum *Iudæi* cuiuſdam, ad ſua tempora, dicterium recenſet. Inciderat enim per eam regionem quam *malam plateam* diximus, *Saiopiam* verſus, cum Archidiacono eius regionis, qui *Peccatum*, & Decano, qui *Diabolus* dictus eſt. Quorum nomina cum loci difficultate & anguſtijs, appellationéque conferens, eique alludens, Mirum eſt, inquit, ſi ex hoc vnquam me loco feliciter expedierim. Tria millia ſelectiſsimorum militum, huic ſe militiæ, in *Cambria* hoc tempore conſecrarunt; qui nihil tam auidè atque pugnam, & congreſſum cum hoſtibus fidei, expetebant. Sed diſcordię capitales inter HENRICVM Regem & *Gallum* mox exortę, filijs etiam HENRICI aduerſus patrem nefariè coëuntibus, & Regis, ex doloris magnitudine, paulo poſt mors inſequuta, omnem iſtum apparatum inanem, & inutilem reddiderunt. Iter vero iſtud BALDVINI in annum Domini milleſimum centeſimum octogeſimum octauum incidit.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ ANGLICANÆ DECIMVM TERTIVM SÆCVLVM.

DE ROMANIS PONTIFICIBVS, DE Augustis, deq; ANGLIAE hoc saeculo Regibus.

CAPVT PRIMVM.

Onuphrius.

ROMANAM & Apostolicam hoc sæculo sedem tenuere INNOCENTIVS *tertius*, HONORIVS *tertius*, GREGORIVS *nonus*, CELESTINVS *quartus*, INNOCENTIVS *quartus*, ALEXANDER *quartus*, VRBANVS *quartus*, CLEMENS *quartus*, GREGORIVS *decimus*, IOANNES *duodecimus*, NICOLAVS *tertius*, HONORIVS *quartus*, NICOLAVS *quartus*, CELESTINVS *quintus*, BONIFACIVS *octauus*. Imperium verò *Otho* quartus, *Federicus* secundus, *Conradus* quartus, & (post *Richardum* ANGLVM, & *Alphonsum* Regem, qui imperium in factiones distraxere) *Rodulphus* & *Adolphus*. In ANGLIA rerum potiti sunt IOANNES, HENRICVS & EDOVARDVS Reges. De quibus iam nobis diffusiùs dicendum est.

De IOANNE Rege, & regni, eo imperante, summa perturbatione.

CAPVT II.

LVCTVOSAM & tragicam planè historiam in manibus de IOANNE Rege habemus. Quo nescio an tulerit vnquam ANGLIA, ante hoc tempus, principem magis importunum, magisque sibi, suæ animæ, atque toti patriæ exitialem. Qui omnis Christianæ moderationis, pietatisque fines longè excessit, & pertinax pugnáxque in vitijs suis, neque vllum æquitati iustitiæ, atque salutari monitioni locum relinquens; in eum se perturbationis, atque miseriæ locum præcipiti temeritate demisit, vnde nullum vnquá commodum postea exitum reperire potuerit. A scelere atque parricidio, vt quidam tradunt, imperium fere orsus est; cum non modo ARTHVRVM, GAVFREDI senioris fratris filium (cui ex legum præscripto regnum debebatur) iniustè extruserit; sed & eundem postea nefarie sustulerit, sororémque ipsius ARTHVRI perpetuo carcere clauserit. Ob quod scelus, Rex *Galliæ*, *Normanniæ*, alijsque præclaris transmarinis regionibus quas ANGLIAE Reges hactenus possederant, eum spoliauit. Atque vt illas amisit, ita & domestico ANGLIAE regno tantum non excidit; illudque alieno beneficio atque precario, *Romanæ* sedis beneficiarius & cliens factus, possedit. Sed tantis nihilominus, & tam grauibus postea calamitatibus oppressus, vt tandem illarum magnitudine, & animi dolore sit obrutus, primas cum principe ecclesiæ, proximas easque grauissimas, cum magnatibus suis inimicitias exercuit.

Polichr. lib. 7. c. 13.

ASCIVERANT *Cantuarienses* monachi sibi in Archiepiscopum. INNOCENTIO suggerente, STEPHANVM *Langtonum* Cardinalem, in HVBERTI defuncti locum, repudiato IOANNE *Nordouicensi* Episcopo; ad quem, ea dignitate ornandum, Rex omni co-

natu

natu incubuit, quémque & ipsi priùs monachi elegerant. Sed optionem & electionem illam INNOCENTIVS infregit. Cúmque nec INNOCENTIVS, nec monachi a causa STEPHANI quam semel amplexi essent, remoueri potuissent: tam vehemens, & tam importuna iracundia, ita omnem IOANNI mentem abstulit, vt STEPHANVM *Cantuariensem, monachosque* omnes exilio multarit. Quo cum INNOCENTIVS accuratè egit, vt & STEPHANVM amplecteretur, & monachos detrusos cœnobio redderet. IOANNES verò stomachosiores & acerbiores literas remittit, vehementérque INNOCENTIVM reprehendit, quod reiecto *Nordouicensi*, amplificando STEPHANO homini sibi ignoto, diúque apud hostes suos in *Gallia* versato, quem monachi contra suam regnique dignitatem, præter officium & patriæ consuetudinem temere sibi optassent, totus incumberet. Et mirari se, quòd INNOCENTIVS cum suis non cogitaret, quam fructuosa *Romanæ* sedi præ ceteris nationibus ANGLIA foret; obstirmasse denique se animum, ne S. STEPHANVM pro iusto vnquam Archiepiscopo agnosceret. Quin & discessionem à *Romana* sede, licet tectius & inuolutius minatur, si obstinatius pontifex ea in re pergeret.

Matth. Par. anh. 1207. cum seq. & Nichol. Tri-

AT contra INNOCENTIVS, nullam superesse iustam causam, cur STEPHANVM hominem ANGLVM, præbendáque *Eboracensi* honestatum, virum probum, accuratáque Theologiæ, & omnium liberalium artium cognitione ornatum, & ad quem ipse varias, postquam cardinalatu amplificatus fuerat, literas, amoris & beneuolentiæ plenas misisset, ita auersaretur. Et licet non esset in more positum *Romanæ* sedi, vt pro Episcopis, qui ibi designati essent, principum consensus exquireretur; missos tamen duos monachos, qui eum flagitarent, cúmque & se per literas flagitasse. Quem vt vel iam tandem accommodaret, enixè eum rogat. Non posse se certe pati, cum omni iuris ratione STEPHANI optio nitatur, vt *Cantuariensis* ecclesia diutius suo pastore viduata maneat. In memoriam præterea illi reuocat, præclarum illum THOMAE *Cantuariensis* & martyris certamen, paternam fraternámque promissiones, quibus policiti erant, se aduersus Episcoporum iustas & legitimas optiones non esse intercessuros. Sed cum nihil ille à IOANNE æqui boniue impetrare potuisset, missis ad GVLIELMVM *Londoniensem*, EVSTACHIVM *Elyensem*, & MALGERVM *Wigorniensem* literis, admonet, vt omnia tentarent quo Regem, ad officium reuocarent; quod si inanem suam operam & admonitionem sentiant, regnum omne ecclesiastico interdicto obnoxium reddant. A quibus ille admonitus, adeo ab omni emendatione & resipiscentia abfuit, vt rabiosas voces iactaret, & nihil nisi sæuum & atrox cogitaret, diceret, faceret; pérque dentes Domini (is enim illi iurisiurandi mos erat) iuraret, si quicquam id genus vel per ipsos, vel per alios quoscunque accideret, se Episcopos & Clerum omnem, bonis & possessionibus eorum sibi vindicatis, exilio proscripturum: & *Romanos* quoscunque in ditione sua reperisset, oculis & naribus mutilatos *Romam* amandaturum.

LATO itaque ab Episcopis interdicto, & ipsi & alij quidam clam è regno se propipuere. IOANNES vero mox Episcopatus, cœnobia, *Cisterciensium* præsertim, aliásque Cleri possessiones violenter inuadit, easque suis vsibus applicat. Episcopi & alij ex clero in cœnobijs, & alibi delitescebant, nec prodire ausi. Monachi vero & clerici, qui forte in publico visebantur, quiue in itinere deprehendebantur, ab equis deturbati; magnis & multis contumelijs, atque iniurijs impunè pulsati: Ductusque est fortè ad Regem per vicecomitis ministros, nefarius quidam, qui sacerdotem in itinere deprædatus erat, eundémque occidisset. Qui cum Regem interrogassent, quid de homicida statui vellet? Dimittite, inquit, eum solutum & liberum, quia hostem meum è medio sustulit. Sæuitum est, non solum in Clerum, sed & in eos, qui vel STEPHANO, vel Episcopis necessitudine & cognatione iuncti erant; qui bonis & patrimonio spoliati, in carceres detrudebantur. Misera iam & lugubris rerum erat in ANGLIA facies, cum spectatissimi quique ex Episcopis & Clero exularent, cum reliqui atrocissimè haberentur, cum statæ preces, sacra & sacrificia passim obmutescerent, cum corpora defunctorum in campos instar canum, sine ecclesiæ ritibus & orationibus abijcerentur. Quanquam STEPHANI postea flagitatione, cœnobijs & maioribus ecclesijs, id priuilegij irrogatum sit, vt semel per hebdomadam liceret sacra conficere. A quo albi, quos appellant, monachi, quippe qui interdictum, ab initio sacris non abstinendo, violassent, remoti sunt.

SED cum IOANNIS aduersus Clerum insectatio, adeo nihil mitesceret, vt magis indies ingraueſceret, réſque eò dilapſa esset, vt omnis simul emendandi spes dilaberetur; anathemate

mate siue excommunicatione IOANNEM ferire INNOCENTIVS decreuit. Ceterum
Matth Pa 1211. cum neque ea, induratum, atque obstinatum IOANNIS animum frangeret, illam aduersus eum tulit sententiam, qua regno regiáque illum omni potestate exuit, omnésque, qui ei parebant, ab omni erga eum fide atque obtemperantia soluit, omnibúsque mandat, vt mensam colloquiúmque illius diffugiant & auersentur. Quin & literas cum ad alios, *Idem an. 1212.* tum ad PHILIPPVM *Galliæ* Regem misit, quibus eos ille ad bello IOANNEM lacessendum, tanquam religionis hostem, excitabat. Quem si forte extruderet, regnum IOANNIS sibi suisque retineret. Iámque instructissimum *Ludouicus Philippi* filius exercitum, quo ANGLIAM inuaderet, collegerat. Qui metus, cum præsertim videret IOANNES domi omnia turbata, seque quotidiè à suis, qui in *Gallum* profugiebant, desertum, haberétque in vinculis apud se *Petrum* quendam, quem populus quasi vatem in oculis ferebat & suspiciebat, qui constanter palamque Regi dixerat, fore vt ante sequentem Pentecosten regno excideret: ita eum perturbauit, vt omnes iam seriò expediendæ salutis, tantáque pericula declinandi *Matth. Pa. 1213.* rationes secum meditaretur. Cumque intelligeret hærere in *Gallia Pandulphum* INNOCENTII legatum, qui potestatem acceperat certis conditionibus, omnes illas turbas pacificandi, omniaque, si iis pareretur in integrum restituendi; nihil ad summam celeritatem prætermisit, qua ille accerseretur.

Matth. Pa. 1211. ADVENERAT prius ab INNOCENTIO in ANGLIAM *Pandulphus*, cum IOANNE transacturus. Cumque ceteris omnibus, quæ ab eo postulabantur, annueret, de damnorum datorum ratione clero sarcienda, transigi non potuit. Re itaque infecta, ille abijt. Iam verò præsens metus, & malorum, quæ mox imminebant, quæ quomodo transiret & discuteret, planè nesciebat, magnitudo; ad pacificatorias illum cogitationes, & ad omnia, quæ imperabantur, præstanda, facile deduxere. Totum itaque se in INNOCENTII & *Pandulphi* potestate posuit, eiusque se mandato staturum, religiosa iusiurandi con-
Matth Par. 1213 testatione promisit. Promissiones verò (quas Principes & Episcopi ratas habuere) huc ferè
* *Videtur deesse restitutione aut similis vox. Matth Par. & Flor. Hab Nich. Trivet. Polichr. Io. Lond & alia chronic.* recidunt, vt STEPHANVS *Cantuariensis*, cum monachis *Cantuariensibus*, Episcopis, aliisque omnibus exulibus; secure redirent, monasterijs, dignitatibus, bonis & possessionibus liberè & quietè vterentur, fruerentur; vt damna illis interim illata ad assem resarcirentur. Ex qua * octo millia librarum, quàm primùm IOANNES sacra nota & anathemate liberaretur, mox in partem solutionis repræsentarentur, vt IOANNES & heredes *Romanæ* deinceps ecclesiæ clientes constituerentur, & beneficiario iure regnum ab ea possiderent, annuumque pro ANGLIA & *Hibernia* mille librarum censum præstarent. Quas aliasque, in quas iuratum erat conditiones, si præuaricarentur, omni regni iure, exciderent. Exuit deinde IOANNES diadema, capitique detractum *Pandulpho* tradidit: quod post quintum illi diem reddidit.

VENIT post *Pandulphum* in ANGLIAM *Nicolaus Tusculanus* Episcopus, INNOCENTII legatus, apud quem rursus priora pacta conuenta per IOANNEM renouata sunt, & certa ratione de damnis clero reficiendis transactum. Aduenere & alij ante & postea legati,
Matth. Pa. 1199. inter quos *Petrus Capuanus*, vt *Belnacensem* Episcopum, armatum in bello contra RICHARDVM, captum carcerique mancipatum liberaret. Quem IOANNES quidem tan-
Matth. Pa 1206 dem, sed carè redemptum dimisit. Venit deinde post septennium *Ioannes Ferentinus* qui *Radingiæ* concilium celebrauit. At IOANNES, his rebus confectis, iamque in maiori quiete & regni securitate constitutus, cum Ascensionis ille dies ipso & incolumi, & regno potiente,
Matth Pa. Cron. Chrochesden & Flor. 1213. affluxisset; *Petrum* illum de quo diximus, tanquam vanum & mendacem vatem, cum filio summis supplicijs affecit. Quanquam cum suprema ecclesiæ authoritate abdicatus esset, & nouo iure alienoque beneficio regnum possideret, non omnino inanis & vana, multis
Matth. Pa. 1213 prædictio illa vitã est. Exolutus itaque est hac ratione his difficultatibus IOANNES; militémque *Philippi*, qui in ANGLIAM cogitabant, in *Flandriam*, inuersa iam rerum *Anglicarum* scæna, immissos, victos, & protritos, læto animo accipiebat. Sed non diu, neque solidè hoc gaudium gaudebat, quod mox nouæ domi ortæ procellæ prorsus conturbauere, & in extremas IOANNEM miserias coniecere. Nam & principes prius, eundem eum in *Aquitaniam* cum exercitu in *Gallum*, destituerunt, quod Pontificis adhuc diris non esset exemptus; & grauissimam postea aduersus eum coitionem inierunt, quod promissionem suam de pristinis EDOVARDI legibus, antiquisque regni ritibus & consuetudinibus, præsertim quas HENRICVS auus antea, & ipse nuper suo edicto confirmasset, restituendis, inconsulta facilitate reuocasset. Tanto denique omnium odio flagrauit, vt principes frequentes aduersus

uersus eum arma corriperent; quæ vt facilius Christianæ religionis, sacrique propositi reuerentia repelleret, vel ad tempus saltem impediret, sacræ se expeditionis, voto concepto, tesseram palam insigniuit. Sed Proceres proprijs, & domesticis viribus non satis confidentes, accersunt *Ludouicum*, *Philippi* Regis *Franciæ* filium, ad regnum IOANNI eripiendum, quod *Ludouico* deferebant, eiusque se imperio bona fide parituros contestabantur. Conflato itaque *Ludouicus* exercitu, ANGLIAM ingressus, pronum & procliue principum, populique erga se studium passim sentit, multasque IOANNI prouincias eripuit.

IN has itaque delatus angustias, INNOCENTII opem implorat. Qui *Walonem* in *Francia* legatum ad *Philippum* amandat, qui vehementer cum illo egit, ne sineret *Ludouicum* in IOANNEM, suum, sedisque *Romanæ* clientem, eiusque regnum diui PETRI patrimonium grassari: Cui responsum est, non potuisse IOANNEM regnum illud, præsertim, quo ille nullo iure potiretur, quippe qui publicus Reip. hostis, lata per *Hugonem Prusatum* sententia, propter seditionem in RICHARDVM fratrem denunciatus esset, ad *Romanæ* sedis clientelam transferre. Quare regnum illud sibi *Ludouicus* deberi palam asserebat, cum ex principum volũtate, à quibus esset accersitus ad illud capessendum; tum quod neptem IOANNIS vxorem sibi asciuisset: Quo potius quam cedere velit, se suáque omnia, vitámque omnibus periculis obiecturum. In ANGLIAM deinde *Walo* veniens, omnia solicitè tentat, quo res pacificaret, pontificijs diris (quibus & eos INNOCENTIVS in concilio *Romæ* celebrato priùs irretierat) principes, & qui eis contra IOANNEM adhærescebant, execratur. Sed in tanta animorum contentione & distractione, in tanto armorum, quæ vndique circumstrepebant fremitu, in tanto & tam infesto contra IOANNEM odio, nihil eis deferebatur; eoque minus, quod principum contra IOANNEM transactionem, illiusque promissiones INNOCENTIVS per literas paulo ante ratas habuisset. Resque IOANNIS in deterius quotidie prolabebantur, adeo vt abiecta omni fere melioris successus spe, desperationéque fractus, animo IOANNES langueret, & in febrim acutam incideret. Qui mortem ocyus, intemperanti etiam victu, *Persicorumque* esu, recentisque cideris, vt nostrates appellant, potatione accelerauit. Nam quod quidam veneno à monacho sublatum, apud cœnobium *Suincshedium*, & nescio quæ alia portenta tradunt, nullo certo, probato illiusque temporis authore, sed *Anglicano* quodam recentiore, ignotique nominis authore nituntur.

Flor. 1215 & 1216.

Matth. Pa. 1216

IN ista vero procerum, contra IOANNEM conspiratione, traditur IOANNES execrabili quadam perfidia, nuncios ad principem quendam *Agarenum* in *Africa* & *Hispania* potentem, transmisisse, illius opis implorandæ gratia. Quam si largiretur, professus est se paratum à Christiana fide, ad *Mahometanam* superstitionem deficere. Cuius preces tamque insignem perfidiam, *Agarenus* ipse princeps detestatus dicitur. Quod ego certè, vt pænè incredibile non referrem, nisi probatum illius temporis authorem præeuntem haberem, qui id se ex vno regiorum nunciorum audiuisse testaretur. De quo & id etiam idem author refert, IOANNEM cum vidisset ceruum quendam captum perpinguem, in risum solutum, subsannandóque dixisse. En quàm belle iste se ceruus habuit, qui tamen nunquam missarum solemnijs interfuit. Præter alia vitia, acerbus fuit IOANNES populi clerique exactor; vt tamẽ istas expilationes, & direptiones honestiùs tegeret, extorsit literas à cœnobitis, quibus significabant, à libera & spontanea liberalitate hæc omnia profecta. Coniugalem etiam fidem, multiplicibus adulterijs violasse traditur. Repudiarat ille quidem *Anisiam* vxorem, in ipsis principatus auspicijs, siue iure, quasi tertio cognationis gradu coniunctam, siue iniuria. Acciuit sibi deinde ISABELLAM filiam Comitis *Engolismi*, *Hugonis Marchiæ* Comiti priùs desponsatam, & ab eo violenter ablatam. Qui propterea se cum ARTHVRO contra IOANNEM postea coniunxit. Cum quo & ISABELLA, post obitum IOANNIS, in matrimonium coijt. Duo vero IOANNES cœnobia construxit, alterum *Cistertiensis* disciplinæ quod *bellum locum* appellant in *Wintoniensi*, alterum sacrarum virginum apud *Godstoum*, in *Lincolniensi* diœcesi.

Matth. Pa. 1213.

Polid. lib 15. Nich. Trim. 1200

Matth Pa 1216 Nich. Trim. 1216 Flor. 1209.

De HENRICO Rege.

CAPVT III.

IOANNE defuncto, melioris successus spes magis ac magis quotidie aspirabat. Nam & qui stabant à IOANNE, constantius filio adhærebant, & qui contrarias factiones alebant, remissiores indies, & alieniores à *Ludouico* esse incipiebant. Etsi enim ab illis accersitus fuisset, haberétque eos suis sibi chirographis, & iuramentis implicitos; magnamque ANGLIAE partem in suam potestatem redegisset; tamen morte IOANNIS, odium, quod in eum speciatim conceptum erat, exaturari iam visum est: & pueri innocentis, qui nihil eos offenderat, & perturbatæ reip. commiseratio, nonnullos etiam nec sine causa metus, ne infestiorem ipso IOANNE *Ludouicum* aliquando paterentur (id quod vicecomes *Melunensis* vir illustri loco, & summa apud *Ludouicum*, gratia, cum animam in ANGLIA exhalaret, accitis quibusdam ANGLIS aperuit, destinasseque animo *Ludouicum*, principum, qui eum acciuerant, rebus suis constitutis, lanienam) & anathematis præterea, quo implicit erant, sensim eorum in *Ludouicum* studia, opesque *Ludouici* labefactabant, tandemque prorsus fregerunt. Huius totius pacificationis seminarium & Antesignanus fuit *Gulielmus Mareschallus*, vt appellamus, *Gloceſtriæ* Comes. Qui præclaro & prudenti suo consilio cohortationéque multos Proceres ad HENRICVM tuendum, fouendum, & amplificandum pertraxit. Coactusque est tandem *Ludouicus*, rebus suis in deterius fluentibus, certis conditionibus inter ipsum & HENRICVM initis, & iureiurando constabilitis (inter quas & illa, vt HENRIGVS veteres illas & antiquas leges, bona fide cõseruaret) ANGLIAM deserere. Repio interim HENRICVS diademate *Claudioceſtriæ* seu *Gloceſtriæ*, per PETRVM *Wintoniensem*, & IOANNEM *Bathoniensem*, præsente *Walone*, qui multũ causam HENRICI prouexit, decem aut nouem annorum puer insignitus est, quod *Londinum* & *Weſtmonaſterium*, qui locus ab antiquo huic decori capiendo destinatus erat, à *Ludouici* fautoribus occuparetur. Quo tamen loci post paucos annos, rebus iam tranquillatis, solemni pompa in maxima omnium ordinum frequentia, diademate redimitus est.

Matth. Pa. 1216.

Matth. Par. apponit comitem Pembrochiæ.

Matth. Pa. 1217.

Matth. Pa. Nich. Trin. 1216.

Matth. Pa. 1220

CVSTODIA educatióque pueri, *Gulielmo* Comiti, & eo paulo post mortuo, PETRO *Wintoniensi* Episcopo, ex voluntate Procerum demandata. Qui, vt quasi fontem, vndemalorum & perturbationum omnium riuuli prius manarunt, obstruerent; in amplissimo totius regni conseſſu, veteres illas leges, & magnam, vt appellant, chartam, propter quas tam acerbè nuper dimicatum erat, maximo totius populi applausu publico contentu renouant. In qua & illud inter alia continebatur, vt suæ ecclesiæ libertates, consuetudines & prærogatiuæ, sartæ tectæ, atque integræ manerent. Ex quo decreto, ingenti populus lætitia cumulatus, magnam ad regios vsus pecuniam, lubens contribuebat. Sed hanc lætitiam, HENRICO paulo adultiore facto, non modo veterum legum abolitio, sed & alia multa incommoda, ad malorum accessionem adiecta contaminauerunt, aut potius prorsus eripuerunt. Ille enim prorsus paternarum, ob hanc causam, calamitatum, oblitus, studiorum etiam atque beneficiorum, quæ in summa sui destitutione, cum regno initiaretur, à regni Proceribus, sui & reip. amantibus acceperat; eorúmque quæ vel illi pro ipso adhuc pupillo, vel ipse cum adoleuisset reip. his de rebus pollicitus esset: & ingentis illius beneficij, quo inæstimabili suo lucro, primus omnium regum, earum possessionum, quarum ille dominus erat, quásque parentes relinquebant filijs immatura ætate, eo vsque sibi commodum decerpebat, donec illi ad iustam adoleuissent ætatem: prauorum quorundam consilio, suasionéque deprauatus, promissiones suas omnes, inconsulta facilitate, post biennium rescidit. Causatus hæc sibi omnia, in ætatis tyrocinio, & aliorum tutela posito extorta, atque ideo omni se huiusmodi promissione, maturiore iam ætate atque consilio, exoluere & posse & velle.

Matth. Pa. 1227

DENVNCIATVM est cœnobiorum præsidibus, & alijs, qui priuilegijs muniti erant, vt ea nouo Regis sigillo corroborati curarent, vacuam alioqui atque inanem futuram omnem priorem confirmationem. Quo artificio maximam ille pecuniam conflauit. Cuius aucupij artifex credebatur *Hubertus*, qui summæ iustitiæ præfectus erat, magnáque apud Regem gratia, & authoritate florebat. Iurisdictionem præterea HENRICVS ecclesiasticam valde depresserat & imminuerat, causas, quæ ab antiquo in foro ecclesiæ agitari solebant, ad suum reuocans: vnde in maximas se postea difficultates, tumultus & prælia coniecit. A quibus cum quo modo se expedire nesciret, reposuit tandem & restituit

Matth. Pa. 1247

tuit veteres illas leges,cóque præsente, cum maxima omnium ordinum frequentia,BONIFACIVS *Cantuariensis*, alijque Episcopi, in aula *Westmonasterienſi* pontificijs vestimentis ornati, candelasque accensas manibus tenentes, anathemate & diris ecclesiasticis eos execrati sunt, qui eadem deinceps leges violarent. Extinctas deinde candelas in terram proiecere, fumo naribus ingrato, & tetro odore plenas, campanisque magno clangore sonantibus,acclamabant,Sic pereant et extinguantur, qui hoc nostrum decretum perfidè violabunt. Rex vero per fidem,quam homo homini, quam Christianus Deo,per fidem, qua se regno, cum principatum iniret astrinxerat, religiosè promisit; se decretũ illud integrum, inconcussum & illibatum conseruaturum. Cui in eodem Principum consessu decima,ad *Hierosolymitani* itineris,cui se Rex deuouerat, sumptus, à clero decreta est. Renouatum est rursus post triennium solemni cæremonia, per BONIFACIVM & alios Episcopos, in commemorata aula, inque Regis præsentia, idem anathema; literæque LOANNIS Regis, quibus liberas clero optiones atque electiones concesserat, quibus nulla se ratione intercessurum promiserat, quasque INNOCENTIVS suo diplomate confirmauerat, Regi traditæ sunt, vt eam rem, & multa alia quæ emendari postulabantur, Rex ad suam curam diligenter reuocaret.

Vide statut. & Matth.Par.1253

Matth.Pa.1256

CETERVM res eo nihilominus recidit, vt post tot promissiones, post tot iuramenta; post tot anathemata, post tantas tamque graues dimicationes, ad priorem aut deteriorem conditionem prolaberetur; tandémque Rex a *Romano* Pontifice impetrauit, vt omni huiusmodi iureiurando exolueretur. Ob quam causam,tam Rex quam pontifex,in magnum apud proceres,& populum odium incurrebant: bellóque paulo post à proceribus excitato,Rex in eorum captiuus potestatem venit.Magnam ille certè animi leuitatem atque inconstantiam, in tot promissis infringendis, immoderatamque cupiditatem in emungenda pecunia, nimisque dissolutum & supinum sæpe animum, in repellendis Episcopis & alijs cleri proceribus, idoneis & iusto suffragio electis,inque sacerdotijs perperam & vitiosè collocandis, inque reprimendis immoderatis exactionibus, quibus *Romani* aliquot Pontifices clerum exhauserant, & externis reijciendis, quibus sacerdotia sine delectu credebantur,nostris illorum temporum scriptoribus ostendisse vitus est. Qua ex re exulceratis vehementer omnium animis,Proceres tam ecclesiastici quam profani, & Rex ipse demum literas ad INNOCENTIVM, *Lugduni* concilium celebrantem, misere; vt his tandem rebus vel finis,vel modus aliquis statueretur. Sunt qui tradunt,scriptum illud,quo IOANNES regnum in *Romanæ* sedis clientelam transtulit,palatio pontificio hoc tempore *Lugduni* incenso,simul conflagrasse.Alteram digladiandi secum causam Rex HENRICVS Proceribus ideo dedit, quòd exteros aduocasset, quibus,incolis fere exclusis,atque in ordinem redactis, summa regni negotia procuranda dedit; præsertim cum se auarè,& impotenter gererent. Inter quos fuit & BONIFACIVS *Cantuariensis*, & ETHELMARVS *Wintoniensis*, homines tantis functionibus parum accommodi, longéque LANFRANCO & ANSELMO,qui licet exteri,præclarè tamen munus suum, vt diximus,obiere,dissimiles.Exteros tandem illos,cum omnia propter illos dissidijs & tumultibus arderent,ad tempus extra regnum ablegauit, quos postea tamen reuocauit: quod nouorum motuum & seditionum seminarium fuit.

Vide hæc grauamina & literas apud Matth. Par 1245.1246 1247

Matth.Pa 1245

De qua re vide Matth Pa.1229 1240 1241. 1244 Flo 1240. 1240. 1247.

IAM, si quis scire desideret,quantas,& quam infinitas pecunias populo cleroque extorserit, partim domesticorum onerum, bellique in *Gallos* inferendi, partim sacræ expeditionis prætextu,quam nunquam obijt, ob quam tamen triennalem decimam à clero lucrifecit; vt videatur noua ista pecuniæ conflandæ esca atque aucupium, & quomodo in ecclesias vacantes grassatus sit,quamque immensas pecuniæ moles, inani quadam spe RICHARDI fratris in *Augustum*,& EDMVNDI filij in *Siciliæ* Regem prouehendi; hęc & id genus,ab illius temporis scriptore petenda relinquo. Quæ tam inexhaustæ pecuniarum profusiones, ad tantas eum sæpe rerum angustias perduxere, vt vasa omnia,aurea atque argentea,quæ in regijs thesauris conseruabantur,vendere, & pecunias apud sacras ædes CVTHBERTI depositas, effractis arcis,diripere,& vasa sacra *Westmonasterienſis* ecclesiæ pignori dare, & alia improbata auxilia conquirere sæpe coactus sit. Vasa tamen illa & pecuniam *Dunelmi* acceptam restituit. Adeò vero fuit in conflanda pecunia durus,& improbus exactor,vt *Cistertienſes* ad eam conficiendam,cum præter expectationem,& contra immunitates eis indultas exigeretur,cucullas & tunicas vendere cogerentur. Atque hæc quidem ille prauo magis quorundam consilio, quam suapte natura & propensione patrasse traditur. *Wintoniensis* certe & alijs ita cum totum in sua potestate,quasi irretitum habebant, vt sæpe in rebus maximi momenti, sigillum literis,quarum tenorem ignoraret, apposuisse dicatur. Imperauit HENRICVS quinquaginta

Matth Pa 1248 & 1255. Flor. 1267.

Matth.Pa.1256

Matth. Pa.1254

Matth Par. 1221 & 1237. Polich. li. 7 c. 15. In constitut. prouincial.

sex annis. Quo prolixo imperij tempore, multi à *Romanis* pontificibus nuncij, & legati in ANGLIAM venere. E quibus, præter *Walonem*, fuit *Otto* ab HONORIO, deinde à GREGORIO *nono* missus. Qui *Londini* celeberrimam synodum coegit, multâque quæ hodie extant, ecclesiasticæ disciplinæ apta & accommodata decreuit. *Walo* de singulis cathedralibus

Flor an 1216. Matth. Pa. 1240

ecclesijs quinquaginta solidos, nec minus decerpsit sibi ob procurationem sumptus *Otto*.

AT postea sub INNOCENTIO tot legati, & proximi quique duriores aduenere, tot et tam graues pecuniarum à clero exactiones sequutæ, vt nostri illorum temporum historici de ijs, & alijs id genus valde querantur. Cum sacerdotia exteris, linguæ nostratis ignaris, & alioqui inidoneis, passim donarent; cum clericorum omnium, qui intestati obirent, ad se bona transferre conarentur; cum * ab ijs, qui in sacerdotijs non residerent, dimidiatam, ab alijs tertiam reddituum ad triennium portionem sibi auferrent. Legati vero inter alios fuere, *Stephanus*, *Petrus Rubeus*, *Petrus Supinus*, & *Ioannes Martinus*. Quibus ex causis grauiter Rex, principes, & populus conquesti sunt apud pontificem. Quæ tamen onera adeo non leuata, vt potius per ALEXANDRVM *quartum* aucta sint, eiusque legatos *Ruslandum*, & *Messanensem* Episcopum. Cumque *Pictones* & alij exteri omnem ferè, indulgente illis HENRICO, reipublicæ administrationem ad se traherent, & importunè atque impotenter dominarentur; principes, qui illis aduersabantur, eos ad VRBANVM pontificem detulerunt, multâque aduersus eos crimina cumularunt. Cumque principes nouos aduersus HENRICVM motus cierent, misit VRBANVS in ANGLIAM *Sabinensem* Episcopum, qui anathemate eos inuoluit: Defunctóque VRBANO, dum hic versaretur, absens suffectus est, & CLEMENS *quartus* appellatus est. Inter alios vero, quos INNOCENTIVS *quartus* suffecit Cardinales; fuit & *Ioannes*, qui *de Toleto* dictus est, homo ANGLVS. Pauloque ante ROBERTVS SOMERCOTVS, homo itidem ANGLVS vnus ex Cardinalibus, qui obijt, dum in sufficiendo summo Pontifice, consilia agitarentur, nec sine sinistra suspicione, si famæ credendum est, ne fortè ad *Romanam* sedem homo exterus proueheretur. Quam tum adeptus est INNOCENTIVS *quartus*. Ablegauit ad nos CLEMENS *Octobonum*, qui omni qua potuit oratione & ratione, Regem contra principes fouit, ad eosque literas misit, quibus ad officium & pacem illos reuocaret. Celeberrima per illum *Londini* synodus habita, in qua edita decreta, quæ *Octoboni* dicuntur, quæ passim habentur, quæque cum decretis *Ottonis* diligenter, & accuratè in ANGLICANA postea semper ecclesia obseruata sunt.

Matth. Pa. 1244 Flor. 1247 * al. ab alijs.

Matth. Pa. 1259

Matth. Par. 1260 & 1265.

Matth. Pa 1244

Matth. Par. 1241

Matth. Par. 1265 1267.

INTER sua vitia, non caruit HENRICVS quibusdam egregijs dotibus. Templum ille *Westmonasterienſe* amplo sumptu de nouo magnificè exædificauit (etsi obiret ante consummationem) & nobile *Oxony* pauperum hospitium, quod in *Magdalense* postea collegium conuersum est. Ædes etiam *Londini* non procul à veteri templo ædificauit, in quas reciperentur *Iudæi*, qui repudiata sua superstitione Christo se addicebant. Cœnobia alia & in primis diui ALBANI magnis donarijs ornauit. Publicis sacris atque sacrificijs, tribusque quotidie missis, licet prolixioribus, propter cantum in illis adhibitum, diligenter interfuit, præter alias priuatim & submissa voce celebratas. Cúmque aliquando *Ludouicus Franciæ* Rex diceret, debere eum potius concionibus frequentiùs audiendis, animum aurésque applicare; Imò, inquit ille, Ego multò magis malim frequenti amici mei conspectu frui, quam aliorum de illo orationem audire; quantumuis prolixè, atque amplissimis & ornatis verbis eum laudarint. Obijt eo die, quo EDMVNDVS *Cantuarienſis Pontiniaci*. Quem diem quidam magis obseruarunt, quod eundem ille iniurijs affecerat. Biennio verò ante, tanquam ab omnibus deploratus ægrotauit. Quo quidem tempore monachi *Westmonasterienſes* nudis pedibus, licet tempore incommodo, & pluuioso, habitis supplicationibus ad nouum templum *Londini* venerant, missamque in honorem beatæ MARIAE virginis celebrarunt, & *Westmonasterium*, precibus intenti, rediere. In reditione misit ad eos Rex nuncium qui significaret, se meliuscule habere, quam reconualescentiam monachorum precibus ascripsit. Singulari vero HENRICVS, vt alibi dicemus, in diuum EDOVARDVM Regem colendum propensione ferebatur. Cuius vigiliam, acri ieiunio, ab omnibus esculentis & poculentis, præterquam pane & aqua se abstinens, & in precibus pernoctans celebrabat.

Addit. ad Math. Par. 1549. Matth Pa 1253. Fab & Flor. Matth. Pa. 1255.

Nich. Triuet. 1272 Matth. Par. 1273.

Pol. li. 7. ca. 37.

Flor. an. 1270.

Flor. 1241. & 1249.

De

De Rege EDOVARDO primo.

CHAPVT IV.

CVM supremo HENRICVS die fungeretur, EDOVARDVS nondum redierat à peregrinatione sacra. Reuersus, à ROBERTO *Cantuariensi* regno initiatur, *Alexandro Scotiæ* Rege, & *Ioanne Britanniæ* Comite sororijs præsentibus. Vt strenuè se EDOVARDVS in *Syria*, ita certe domi, aduersus *Cambros* præsertim, & *Scotos* gessit; quos prorsus, illos in suam propriámque ditionem, istos ad veterem clientelam, solitámque erga Reges ANGLIAE obseruantiam agnoscendam compulit. In *Leobinum* fratrémque eius *Dauidem Walliæ* principes, & *Robertum Valesium*, qui sibi contra fidem datam *Scotiæ* regnum vendicabat, ANGLIAMque hostiliter infestauit; *Londini*, immani & infami illo, quo regni proditores, & maiestatis rei afficiuntur, supplicio, animaduertit. Ingentem certè in *Cambria* cædem fecit. Quam portendere videbatur sanguis ille, qui in ea regione de cælo pluisse dicitur. *Cambriæ* vero in potestatem redactæ, ANGLORVM leges, & viuendi instituta præscripsit, arcésque construxit, è quibus prædidiarij erumpentes, à solitis *Wallos* rapinis & vastationibus, malè multatos repellebant; & ita sensim partim ab ignobili ocio, quo torpentes desidere soliti erant, & à prædis ad ciuiliorem vitam, agrósque colendos, & honesta artificia excolenda, traducti sunt. Non defuere tamen extincto *Valesio*, nouæ grauésque ex *Scotia* molestiæ, per *Robertum Brusium*; qui labefactata, quam dederat fide, regni administrationem sibi arripuit, sæuisque depopulationibus ANGLIAM vexauit. Sed *Scotos* ille tandem potenter armis ad officium compulit, vt vere, si quis alius, totius BRITANNIAE monarcha censeri possit. *Flor. an. 1194.* *Fabianus.*

FVIT certè EDOVARDVS multis, heroicisque animi & corporis dotibus amplificatus; & cum ob alia, tum ob summam in patrem pietatem celebris. Cui officiosissimè semper obsecutus est, captiuúmque ab hostibus eripuit. Cumque eodem tempore de filij, patrisque obitu audisset, longè prolixiùs & acerbius patrem defleuit; causámque tam immoderati fletus, *Galliæ* Regi roganti respondit, Filios quidem, qui in defuncti locum sufficerentur, sortiri se posse, at noui patris omni se prorsus spe destitutum. Magnanimitatis verò & benignitatis, vno eodémque exemplo præclarum reliquit specimen. Cum enim aucupio aliquando vacásset, & quendam sibi inseruientem, ob culpam nescio quam, reprehendisset; ille præcipitantius & importunius; Gaudeo, inquit, flumen inter nos positum nos desiungere. Quod ille audiens, admisso equo, non sine præsenti vitæ periculo, flumen rapidissimum & profundum transmisit; eductoque gladio proteruum illum aggreditur. Sed cum illum supplicem vidisset, ceruicémque gladio submittentem, ferocem iuuenis animum, quem non potuit vllum ex flumine periculum mollire & sistere, illa illius submissio penitus fregit, ita vt illum mox in veterem gratiam reciperet. Neque hic modo, sed alias etiam persæpe, magnam atque singularem Deus videtur salutis ipsius curam, & rationem habuisse. Cum enim adhuc iuuenis talis luderet cum milite quodam, repentè, nescitur quam ob causam, relicto loco cui insidebat, discessit. Et vix se loco mouerat, cum ingens ex cœnaculo superiore lapis, in eum locum magno impetu decidit. Qui EDOVARDVM, si mansisset, penitus obtriuisset. Quo ille periculo, diuinitus defunctus, *Valsingamiam* profectus est, Deo & beatæ MARIAE virgini gratias officiosè acturus. Triennio vero ante obitum, cum arcem *Striuilensem* in *Scotia* obsideret, similem, admirabilis diuini in periculis beneficij, fructum expertus est. *Nich Triuet. 1173 Rob Anesbur.* *Nich. Triuet. 1202.* *Nich. Triu. dict. an 1271. Rob. Anesbur. Vide duas alias huiusmodi exceptiones admirabiles à periculo, apud Nich Triu. an. 1287, & 1297.*

MVLTAS EDOVARDVS leges, tam politicis quam ecclesiasticis rebus vtiles, atque salutares tulit. ET inter ceteras, ne proceres aut alij, suo aut famulorum aduentu, aut equos canesue illuc mittendo, cœnobia onerarent; ne aut ipsi monachi egerent, aut opulentiores, id quod pauperibus & egenis erogari deberet & solebat, interciperent. Cauit etiam, vt qui ex clero essent in ciuili iudicio capitalis criminis rei, Episcopis traderentur, in eorum custodia & carcere detinendi; & non nisi idoneè de crimine purgati dimitterentur. Seuere etiam statuit aduersus mulierum, virginumque raptores. ET quoniam multarum causarum cognitio clero (quasi ex eo genere essent, quarum cognitio ad regium forum spectaret) eripiebatur, nec deinceps iudices laici in eis se causis immiscerent, atque ita omnis cognitio *Io. Leland in chron. & Flor. 1304. Vide statu. Edow. an. 3 c 1. Cap. 23. & an. 7. ca 5.*

Anno 24. intercludebatur: huic quoque fraudi occursum est. Et quoniam bona, naufragio eiecta, fisco vindicabantur, constituit, vt si vel homo, vel quodcunque animal, siue id esset catus, aut canis, è naui euasisset; bona illa ad annum, tuto conseruarentur ad repetentium vsus. Magnam etiam chartam, non solum corroborauit, sed & quædam de suo, ampliorâque priuilegia irrogauit, ob quæ imminuta & violata, cum ingentis per proceres seditionis conflandæ metus impenderet, concordia per filium, Rege absente, inita est, veterésque illæ leges restituendas promisit. Quam eius postea promissionem pater repræsentauit. Cautumque est, ne tributum deinceps aliquod populo indiceretur, nisi ex communis concilij decreto. Qui vsque hodie mos mordicus retinetur

An. 3. ca 25. 28. 34.

Anni 25. Polid. lib 17.

IN magna illa, de qua commemorauimus, charta cautum fuit, ne quisquam alienaret possessiones suas, & prædia ad monachorum collegia transferret, eaque deinde ab ipsis, vt fiduciarius cliens, aut vsufructuarius obtineret. At EDOVARDVS, siue quod ex huiusmodi alienationibus multa officia, quæ à possessoribus laicis præstari solebant, in magnum reipublicæ detrimentum interciperentur; vel quod cleri opes nimium indies augescere, & insolentiores atque dissolutiores clericos facere existimaret, seuerius huic rei prospexit, omnésque prorsus huiusmodi alienationes, quocunque in posterum prætextu fierent, reuocauit, & infirmauit, nisi regio consensu interueniente. Quod edictum ad vnguem hactenus obseruatum, Regibus certe fuit valde fructuosum, quorum consensus carè fere semper redimebatur. Qua de re, quidam forsan non incommodè admonuit, ignorasse proceres, *Amalechitas Mosis* magis oratione, quàm vllo *Israelitarum* robore & viribus deuictos. Magno & singulari quodam pietatis cultúsque affectu, EDOVARDVS in beatam MARIAM virginem honorandam propendebat; Adeo vt à decimo, quo regnare cœperat, anno, singulis sabbatis austerum, & rigidum in solo pane & aqua ieiunandi, in illius honorem, ritum & morem teneret. Neque vero pro innata prudentia facilè ab impostoribus, qui adulterina miracula ad suum lucrum comminiscebantur, circumueniri potuit. E quibus, cum aliquando quidam, matris ALIENORAE, quæ monacham apud *Ambesburiam* se professa est, simplicitate, minúsque credulitate abusus esset, mentitus ad tumulum HENRICI Regis & mariti, amissum sibi oculorum lumen redditum; admonuit matrem, ne impostori fidem daret, quem tam perditum esse sciebat, vt si pater viueret, oculos ei potiùs erueret.

Anno 7.

Flor. 1280.

Author quidam nuominatus il lius temporis de vita Edou.

Nich. Trin. 1281

Flor. 1272.

IN reuersione à *Syria* inuisit *Romæ* EDOVARDVS GREGORIVM *decimum*, Archidiaconum prius *Leodicensem*, cui in *Syria* valde coniunctus erat, quémque patres purpurati ibi absentem, ad eam administrationem vocarunt. A quo impetrauit, vt *Guido Montefortius*, & alij, qui *Viterbii* HENRICVM patruelem, RICHARDI *Romani* Imperatoris filium, nefariè per insidias sustulissent, diro anathemate notarentur. Nobilitatus vero est GREGORII principatus, ex *Lugdunensi* æcumenica Synodo, cum propter numerosam Episcoporum, qui sexcenti fuere, præter mille alios selectos viros ecclesiasticos, præsentiam, tum propter coniunctionem illam *Græcæ* ecclesiæ cum *Romana*. In qua inter alia, decreta est decima ad septennium, in sacræ terræ subsidium. Cuius pecuniæ colligendæ gratia, vtque ea EDOVARDO & EDMVNDO Regis filijs traderetur, *Remundum* ille in ANGLIAM misit. Cuius pecuniæ magna pars ad alios vsus deriuata creditur. BONIFACIO autem summo pontificatu fungente, aduenere duo legati Cardinales, vt per affinitatem inter ANGLVM & *Gallum* coeundam, aliqua & certa ratio pacificationis iniretur. Quæ res post aliquot annos idoneum exitum habuit. BONIFACIVS, cum videret nullum finem aut modum statui immoderatis vectigalibus, quæ Principes sæpe, nulla vrgente causa clero imponebant, adque summas sæpe rerum angustias clerum redigi: cum magno pauperum & egenorum, qui ab illorum eleemosynis pendebant, detrimendo: in *Lugdunensi* illo concilio decreuit, ne quisquam ex clero, nisi velit in dirum anathema incurrere, inconsulta *Romana* sede, vllam in principes suos pecuniam conferret. Ob quod decretum, magnæ postea vt dicemus, clero molestiæ exhitæ sunt.

Flor. 1274. Polich. li. 7. c. 39.

Flor. 1273.

Lib. 3. sexti de immunitat eccl.

MISIT etiam BONIFACIVS literas ad EDOVARDVM, quibus admonuit, vt ne *Robertum Brusium Scotiæ* Regem (quem ille à iuramento, quod EDOVARDO dederat, exoluisse dicitur) amplius impeteret, aut regno *Scotiæ*, quod ecclesiæ *Romanæ* patrimonium esse asserebat, neque quicquam iuris illi in eo competere, negotium facesseret. Multa ille, quibus assertionem suam confirmaret, in medium hisce in literis produxit. Quæ hodiè extant cum prolixo, & accurato Regis responso. In quibus varia argumenta ex

Vide Flor. 1300. & 1302. Nich. Trinit. 1302. Iob. Aucth Belch. li. 7 c. 39.

nostra-

nostratium historijs petita referuntur, per quæ manifestè constare videtur, *Scotiæ* Reges, fuisse ante multa sæcula, & ab ipsa regni origine, ANGLORVM Regum fiduciarios homines & clientes. Ad quæ exquirenda, Rex ante paucos annos, cum controuersia illa in *Scotia* orta esset de Rege sufficiendo (cum legitimus heres ex obitu MARGARETAE, EDOVARDI proneptis, quæ Regi *Norvegiæ* desponsata erat, decesset) quosdam industrios homines, scrutatum cœnobiorum & alias bibliothecas miserat. Ex *Mariano* itaque *Scoto*, ex *Gulielmo Malmesburiensi*, ex *Henrico Huntingdonio*, ex *Radulpho de Diceto*, & alijs, multa eruta sunt, quæ satis solidè EDOVARDI ius astruere credebantur, *Scotosque* tandem ille non tam verbis, quàm armis ad officium, & fidem reuocauit. Neque *Romani* postea pontifices magnam aliquam spem in postulationis suæ æquitate reposuisse videntur, quam tacite silentio deinceps obliterabant. Cum CLEMENS deinde quintus, sedem *Romanam* adeptus esset, iureiurando ille *Edouardum*, quo ad veteres leges conseruandas astrictus erat, exoluit; primitiasque totius *Anglicani* cleri, ad triennium sibi nouo exemplo decerpit.

Flor. 1291.

Flor. 1306.

FVIT ad hæc tempora in ANGLIA *Gulielmus* quidam *Testa*, qui summi pontificis negotia procurabat, contra cuius intemperantem auaritiam, publicè in Parliamento querelæ depromptæ sunt, quod clerum * immoderate emungeret: venitque in ANGLIAM postea *Petrus Hispanus* Cardinalis, qui pactum illud & conuentum, de matrimonio inter EDOVARDVM Regis filium, & *Isabellam*, Regis *Galliæ* filiam, absoluit & perfecit, firmámque pacem constabiliuit. Postulabat ille ad itineris sumptus à cathedralibus ecclesijs & cœnobijs duodecim marcas, & à parochialibus ex singulis marcis octo denarios. Sed Rex cum consiliarijs postulationem eius moderatus est, dimidium tantummodo eius, quod postulauerat, tribuens. Ædificauit EDOVARDVS in comitatu *Cestriæ* nobile monasterium *Cistercienſis* ordinis, quod *Vallem regulam* appellauit, ampliſque redditibus cumulauit. Huc vero protectus est, vt damnum datum in cœnobio *Abertonii*, vt dicemus, euerso resarciret. Obijt deinde EDOVARDVS, cum iam triginta quatuor annos regnasset. Legauit vero ad sacram expeditionem triginta duo librarum millia, diris adhibitis execrationibus, si illa pecunia ad alios vsus transferretur. Sed patris voluntati EDOVARDVS filius, nec in hac, nec alijs in rebus obtemperauit, *Petrum* præsertim *Gauerstonem* reuocando; quem pater, vt hominem corruptissimum, & filij deprauatorem, ablegauit ab ANGLIA; filium moriturus obnixè rogans, ne supremam hanc suam voluntatem violaret. Prospexit prudens pater pestem illum filio futurum: qui postea reuocatus, totius regni, atque vitæ EDOVARDI, vt deinceps dicetur, calamitas fuit.

Flor. 1307.

Nich. Trin. an. 1283. & dictus author in vita Edouardi.

Rob. Antiſ.

De STEPHANO, *& alijs hoc sæculo* Cantuariæ *Archiepiscopis.*

CAPVT V.

POST obitum HVBERTI magna fuit de surrogando Archiepiscopo inter monachos *Cantuarienses* dissensio. Qui primum *Reginaldum*, cœnobij sui, vt appellant suppriorem, *Ioannem* deinde *Nordouicensem* Episcopum; cuius causam serio apud eos Rex IOANNES promouebat, HVBERTO substituere. *Reginaldus* cum quibusdam monachis protectus est, ad summum pontificem. Apud quem magnis res altercationibus agitata est, cum alij ex monachis in *Reginaldum*, alij in *Ioannem* propenderent. INNOCENTIVS, cum monachos ita dissectos, nec vllam reconciliationis inter eos spem videret, vtrámque electionem rescidit. Illo deinde suggerente, in STEPHANVM *Langtonum* suffragia sua conferunt. Qui paulo post *Viterbij* à pontifice consecratus est. Qua ex occasione, omnis illa, de qua diximus, tragœdia in ANGLIA excitata est. Qui, postquam IOANNEM INNOCENTIVS per sententiam à regno abdicasset; in *Galliam*, cum GVLIELMO *Londinensi*, & HELIA *Elienſi* Episcopis (qui *Romam* graues contra IOANNEM querelas depromientes, profugerant) venit, exque pontificis præcepto, *Gallum* vehementer, vt IOANNI bellum conflaret, excitauit. Sed rebus postea per *Pandulphum* tranquillatis, STEPHANVS qui *Pontiniaci* potissimum, vt olim

Matth. Pa. 1229 cum seq.

Matth. Pa. 1212. 1213. Nich. Trin. 1208

THOMAS

THOMAS *Cantuariensis* & martyr, exilij tempore versabatur, in ANGLIAM redit cum GVLIELMO *Londinensi* HELIA *Eliensi*, cumque *Lincolniensi*, & *Herfordensi* Episcopis, monachisque *Cantuariensibus*, aliisque magno numero, tam ex laicis quam ex clero, qui ob interdictum aut IOANNIS metum, patriam deseruerant. Ad quem, & alios miserat IOANNES, vt maiore fiducia venirent, literas amoris benevolentiæque plenas, signis & nomine viginti quatuor Procerum subsignatas. Et cū alia, tum illud in primis IOANNEM, vt aduentum STEPHANI acceleraret commouit, quod cum exercitum eo tempore in *Galliam* ducere cogitasset, Proceres eam expeditionem detrectarent, propterea quod in pontificijs adhuc diris hæreret, nec damna STEPHANO & alijs illata pensasset, & refecisset.

POSTQVAM itaque STEPHANVS cum reliquis Episcopis in ANGLIAM appulisset, Regem apud *Wintoniam* adijt. Cui ille obuiam prodiens, ad pedes se eius supplicem dimisit, lachrymisque oppletus, rogat eum & reliquos, vt dilaceratæ, labefactatæ & perditæ reipublicæ misereatur, curámque suscipiat. Ad quam Regis ille demissionem, vt nec reliqui Episcopi lachrymas reprimere potuere. IOANNES deinde ad templi fores per STEPHANVM (qui *Romani* tum pontificis authoritate ad eam rem muniebatur) stipantibus eum vtrinque Episcopis ductus est; & per eum execratione illa exemptus. Quo ille tempore, & cetera, de quibus diximus, promisit; & clientelæ obseruantiæque suæ in *Romanam* sedem promissionem repetijt. *Cantuariam* deinde STEPHANVS profectus, & rerum suarum possessionem capesit, monachósque veteri suo loco restituit. At STEPHANVM (ô Eurupum & rerum humanarum instabilitatem!) noua paulò post procella vehementer iactauit, & in grauissimum non IOANNIS modò, sed & INNOCENTII (qui tam acer hactenus illius erat patronus) odium incidit. Post reditionem STEPHANI, venerat in ANGLIAM *Nicolaus Tusculanus* Cardinalis INNOCENTII Legatus, qui & de ratione damnorum per IOANNEM resarciendorum cum IOANNE decidit, & interdictum, quod sex annis & tribus mensibus ANGLIAE incubuerat, sustulit. Habuit *Nicolaus* frequentem cleri totius Synodum, multáque ibi de reparanda & restauranda ecclesia, déque damnis datis agitata sunt.

Matth. Pa. 1213. 1214.

AD eum inter alia INNOCENTIVS scripserat, vt vacantibus ecclesijs, suffectis idoneis ministris, quorum functioni & doctrina & vita respondereret, diligenter prospiceret. At ille multos parum idoneos tanto muneri admouit, præripuítque Episcopis & alijs ius suum, quo vacantibus ecclesijs pastores præficere solerent. Qua de iniuria Episcopi apud STEPHANVM expostulabant, & cum eo de idoneo aliquo remedio apud *Dunstabliam* deliberant. Mittit deinde STEPHANVS ad *Nicolaum* nuncios, ne his se rebus, cum suo & aliorum Episcoporum luculento damno, magnáque iniuria immisceret, ab eòque ad *Romanum* ipsum pontificem prouocauit. Quem ille parum æquum habuit, *Pandulpho*, quem *Nicolaus Romam* ad his accusationibus occurrendum miserat, IOANNEM apud INNOCENTIVM amplis & mirificis verbis ornante: in STEPHANVM & alios Episcopos, tanquam proteruiores & pacificationi parum amicos, vehementer inuehente. Sed hæc INNOCENTII aduersus eum indignatio, magis alia postea ex causa efferbuit. IOANNES etsi persanctè iurauerat pacta & conuenta, de veteribus præsertim legibus conseruandis, se integrè & illibatæ conseruaturum; resilire tamen ab eo proposito, quotidie magis & magis cœpit. Quos tamen illius conatus & molimina, sua apud eum STEPHANVS authoritate periculique imminentis denunciatione aliquandiu repressit. Imo cum Proceres veteres illas leges, Regisque iusiurandum vrgerent, armisque arreptis grauia illi minarentur, si vlterius tergiuersaretur; missus est ad eos à Rege, ad exasperatos illorum animos mitigandos, STEPHANVS cum *Eliensi*, & GVLIELMO Mareschallo Comite *Gloceſtriæ*, qui ALIONORAM Regis filiam vxorem sibi asciuerat: qui hanc omnem tempestatem sedauit. pollicitus, Rege ita volente, & mandante, suo & sociorum nomine, quod Rex ad certum diem illorum postulationi satisfaceret.

SED IOANNES hoc metu submoto, facile ad ingenium redijt, promissáque omnia rescindens, & fideiussores suos, & Proceres perfidè illusit. Quare omnes pæne ANGLIAE Proceres ab eo desciuere, clamantes armis IOANNEM ad promissa seruanda cogendum. Quibus se etiam STEPHANVS, toties à IOANNE, & maxime in illa sua pro IOANNE sponsione ludificatus, adiunxit. Quem cum postea Proceres ad Regem misissent, voluntatem illius exploraturum, & an tandem promissis suis toties repetitis stare vel-

re vel-

re vellet, ſimulque exemplar miſiſſent poſtulationis ſuæ, earumque legum, quas flagitabant, magna IOANNES ira peteitus. Eequid, inquit, non ſimul & regnum poſtulant? Magnoque iuramento aſſeruit, ſe nunquam tam damnoſis poſtulationibus acquieturum. Quo ex reſponſo efferati Proceres, arma mox expediunt, in eaque tandem IOANNES anguſtias ductus eſt, vt ſcriptis edictoque ſuo poſtulationes illas ratas haberet. Inter quas vna ex præcipuis erat, vt ne ſe deinceps interponeret, quo minus Epiſcoporum & aliæ electiones, per eos, ad quos ſuffragia pertinebant, libere, & ſine impedimento aliquo per eum obijciendo, expedirentur. Quam eius antea promiſſionem INNOCENTIVS, vt diximus, ſuis literis comprobabat: reſtituitque ſimul STEPHANO *Roffenſi* arcis cuſtodiam, quæ ad *Cantuarienſes* antiquitus Archiepiſcopos ſpectare ſolebat. At IOANNI præſenti hoc metu ſemel defuncto, factum ſuum adeo diſplicere cœpit, vt nunquam acrius ad infringendas ſuas promiſſiones incubuerit, licet aliud aliquandiu principum metu præ ſe ferret, clam vero totus in eo erat. Cumque omnes ſuas diu multumque cogitationes verſaſſet, & attentiſſima cura ſecum meditatus eſſet, qua potiſſimum ratione has ſuas cogitationes ad rem conferret, & perficeret, tandem hanc, quaſi ſuis maxime conſilijs oppoſitunam, rationem arripuit, vt tentaret & aggrederetur *Romanum* pontificem, ſi illum poſſet in ſuas forte partes pertrahere, eiſdemque vt pontificia execratione Proceres deuoueret, niſi ab huiuſmodi poſtulationibus, armiſque deſiſterent.

AMANDAT itaque *Romam Pandulphum*, WALTERVM *Vigornienſem* regni cancellarium, & IOANNEM *Nordouicenſem* cum alijs. Ipſe interim quaſi profugus, occulte paucoque comitatu ſtipatus, ad tres menſes in rei euentum & expectationem totus ſuſpenſus delituit. INNOCENTIVS vero, auditis & regijs legatis, & quos principes miſiſſent, ſententia ſua confirmauit, quæcunque IOANNES pollicitus erat, vtpote ea, quæ nullo regiam maieſtatem imminuerent, & vt atque metu ſui in conſtantem virum caderet, illi expreſſa eſſent, idque poſtquam ad *Romanam* ſedem prouocaſſet, mandatumque a ſe STEPHANVS *Cantuarienſis*, & alij Epiſcopi accepiſſent, vt IOANNEM omni ratione contra huiuſmodi vim, & impreſſionem tueretur, præſertim *Hieroſolymitanæ* profectionis candidatum: nihil tamen STEPHANVM, eccleſiaſtica ſua authoritate, opis IOANNI contra tam importunam vim præſtitiſſe. Denunciare itaque ſe nunc anathema Proceribus, ſi IOANNI his de rebus negocium facceſſant. Qui cum nihilominus in armis perſiſterent, & vt magis penitusque IOANNEM obtererent, *Ludouicum* è *Gallia* ad ſpem principatus accerſerent; promulgandi anathematis cura, PETRO *Wintonienſi* & *Pandulpho* legato mandata eſt. Qui cum ad STEPHANVM acceſſiſſent, & ab eo poſtulaſſent, vt anathematis promulgationem non ſolum in ſua diœceſi, ſed & per eos, qui erant ipſi à ſuffragijs, per reliquam ANGLIAM ſpargi diligenter curaret; reſpondit paratum ſe iam iter *Romam* verſus ingredi, vt Lateranenſi concilio intereſſet, promulgationemque illam accuratiorem deliberationem flagitare, videriquè ſurreptum ea in re fuiſſe INNOCENTIO, & ſuppreſſa veritate hanc illi ſententiam exediſſe. Quare velle ſe iam inſtitutum iter perſequi, nec prius his in rebus ſe interponere, quàm cum ipſo INNOCENTIO ſermonem inſtituiſſet. At illi, tanquam pontificijs mandatis, quinime dicto audientem, ab ingreſſu illum eccleſiæ, ſacrorumque adminiſtratione arcuerunt. Moxque ipſi anathematis diuulgationem accurate curauerunt.

CVM *Romam* STEPHANVS veniſſet, Abbas de *bello loco*, aliique IOANNIS Regis nuncij, graues contra illum querelas deprompiere, quod *Romanæ* ædis mandata contemniſſet. Ille vero ſupplex, vt ab ea ſententia, qua implicitus erat, ſeſe abſolueret INNOCENTIVM rogauit, in quem ſecure iniectus eſt, ſententiamque PETRI & *Pandulphi*, miſſis ea de re ad Epiſcopos ANGLIAE literas, confirmauit. Quem tamen INNOCENTIVS poſtea, Cardinalium quorundam rogatu, in priſtinum locum conditionemque reſtituit, habuitque poſtea STEPHANVS magnum *Oconiæ* ad annum milleſimum ducenteſimum vigeſimum ſecundum Synodum. In qua multa ſancita ſunt ad eccleſiæ *Anglicanæ* ſtatum apprime accommoda, quæ hodie extant, vt & reliquorum ſuorum ſucceſſorum RICHARDI, EDMVNDI, BONIFACII, PECHAMI, ROBERTI, WALTERI, SIMONIS

Thor. Wes.

Mepham, IOANNIS, Stradforde, SIMONIS Langtoni, Iffeij, Sudburij, Arundelli & Chichele id genus decreta. Sequenti vero anno, diligenter cum Proceribus apud HENRICVM Regem de restituendis veteribus illis legibus, vt antea promiserat, egit, & *Guilielmum Briterum*, qui Regem vehementer ab ea re dehortabatur, quasi per vim extorta esset illi illa promissio, in os Rege præsente reprehendit. Permulta hoc tempore Regis castra & arces à Proceribus detinebantur, neque reposcenti ea Regi reddere voluere. Quare querela ad *Romanum* pontificem delata, pronunciauit ille Regem legitimæ & iustæ esse ætatis, & posse & debere iam rerum suarum esse moderatorem, idoneúmque, qui cum domesticorum suorum consilijs, regni negotia per se procuraret. Datumque est negocium STEPHANO & reliquis suffraganeis, vt anathemate Proceres irretirent, nisi arces restituerent. STEPHANI itaque cura & diligentia, arces sunt redditæ.

Matth. Pa. 146.

Matth. Pa. 1223. & 1224.

ADVENIT paulo post in ANGLIAM *Otto* legatus. Per quem pontifex postulauit duas præbendas suo commodo, in qualibet cathedrali ecclesia attribui, nec minus beneficium à quolibet cœnobio. Cui postulationi, tam laici quàm clerici restiterunt. Reuocatóque *Romam Ottone*, mandata est hæc STEPHANO per literas prouincia, vt causam illam accuratè apud Regem & Clerum prosequeretur. Qui magna frequentia *Westmonasterium* confluxere. Interfuit huic Synodo & Rex, à quo & reliquis, hoc STEPHANO responsum datum est; rem esse magni momenti & præiudicij, neque ANGLIAM solam, sed & alias nationes respicere. Suspendere itaque se suam sententiam, donec sciretur, quid ea in re alijs in regionibus decerneretur. Biennio post fato functus est STEPHANVS, post vigesimum primum administrationis suæ annum. Vir fuit Philosophiæ, & sacræ theologiæ cognitione instructissimus, quam *Lutetiæ Parisiorum*, magna cum laude professus est. *Romam* deinde per INNOCENTIVM accersitus est. Egregiam illam palatij *Cantuariensis* ille aulam ædificauit. Biblia, in ea capita, quæ hodie cernimus, distinxit. Commentarios in omne vetus testamentum, & nouum instrumentum (quos nuper in *Cantuariensi* bibliotheca vidimus) contexuit. Qui & vitam RICHARDI Regis, & THOMAE *Cantuariensis* conscripsit. Cuius translatio in pontificatum illius incidit, octennio ante illius obitum. Cui rex cum omni fere nobilitate, & Episcopis, & cœnobiorum præsidibus interfuit; multique etiam Archiepiscopi, & Episcopi exteri. In quam maximas STEPHANVS impensas contulit, & præter alias curauit, vt equorum sumptus a *Londino Cantuariam* vsque de suo, cuicunque poscenti suppeditarentur.

Ver. 122.

Nich. Triu. 1228

Polich. l. 7. c. 34.

De RICHARDO *Archiepiscopo.*

CAPVT. VI.

POST STEPHANI obitum, Cantuarienses monachi WALTERVM *Henshamium* vnum ex sua societate, in eius locum surrogant. Sed illa illorum de illo electio, & Regi & Episcopis, (qui illam, vtpote absque suo consensu institutam, infirmam & inanem asserebant) valde displicuit. At WALTERVS electionem suam vrgens, *Romam* profectus est. Quo & Rex ALEXANDRVM *Stanesbeium Cestrensem*, & HENRICVM *Stanfordium Roffensem* Episcopos cum *Ioanne* Horosio Archidiacono *Bedefordiensi* ablegauit, qui optioni & electioni illi se opponerent. Congestæ sunt igitur aduersus eum, Regis & Episcoporum nomine, variæ accusationes. Pontifex Cardinalibus quibusdam causæ cognitionem delegauit. Qui de doctrina WALTERI periculum facere volentes, cum quædam illum interrogassent de Christi descensu ad inferos, de matrimonio per infidelem contracto, de *Rachele*, quæ mortua diceretur filios suos elugere, neque vlla consolatione leniri potuisse, deque re eucharistica, auferunt ab eo huiusmodi responsa, quæ arguebant tenuem quandam & ieiunam

Matth. Pa. 1228.

naim

nam viri in re theologica cognitionem. Qua re ad Pontificem GREGORIVM relata, omnem ille eam optionem, monachorumque suffragia infirmauit, & euertit. RICHARDVMQVE *Lincolniensis* ecclesiæ cancellarium, quem multi Cardinales in tranſmarinis tenuis versatum rectè norant, quemque legati Regis, ob singularem doctrinam & pietatem, magnis laudibus extulere; *Cantuariensi* ecclesiæ ex suæ authoritatis magnitudine præfecit. Qui deinde *Cantuariæ* per *Roffensem*, *Londinensi* sede vacante, consecratus est, pallium postea recepit, eòque ornatus, Rege, Episcopisque præsentibus, sacra *Cantuariæ* mysteria obiuit.

BIENNIO autem post, graui inter eum & Regem lite exorta, *Romam* profectus est. *Hubertus* enim *Cantiæ* Comes *Tunbrigensem* arcem cum oppido aliisque possessionibus, quas fuisse *Cantuariensis* ecclesiæ expediti iuris erat, inuaserat. Qui cum apud Regē querelā contra eum mouisset, Rex acrem *Huberti* patronum egit, seque authore possessioni illi (quæ ad se, defuncto *Gilberto Clario* Comite spectaret, & in sua, non Episcopi clientela esset) *Hubertum* incumbere, aiebat. RICHARDVS itaque à Rege destitutus, omnes (Rege sepulto) qui illas possessiones occuparant, diris pontificijs deuouet: *Romamque* mox profectus, sententiaque secundum se de his, & alijs rebus dicta, cum rediret, iamque tridui iter confecisset, in morbum incidit, qui & eum ex humana vita abstulit. Sepultus est apud sanctam *Gemmam* in templo fratrum minorum. Quo humato, prædones quidam sepulchrum eius aperiunt, vt vestes, annulum, & alia pontificia insignia (quibuscum de more Episcopi humantur) sibi illi sacrilegi auferrent. Miraculo datum est, quod nulla fatione aut ingenio, aliquid defuncto detrahere potuerant. Consternati igitur, manuque pectus tundentes, inde se proripiunt. Nescio quæ de commemorato *Huberto* quibusdam suspicio orta est, quod RICHARDVM veneno aliquando è medio tollere cogitarat. Quod certe ei proximo anno obiectum inter alia, cum regio fauore excidisset, constat. In eius locum monachi *Cantuarienses* RADVLPHVM *Cicestrensem* Episcopum (de quo postea plura) supponunt. Quam electionem cum *Romanus* pontifex ratam non haberet, IOANNEM Priorem (vt appellant) *Cantuariensem* sufficiunt. Sed nec eius optio *Romano* Pontifici placuit, *Romamque* profectus, Pontificis consilio suasuque cessit iuri electionique suæ. Quin & IOANNEM *Blonaum* virum doctum & Theologiam *Oxoniæ* profitentem, in cuius optionem monachorum postea suffragia concurrebant, quòd contra Synodi œcumenicæ decretum duo beneficia, sine Pontificis Romani gratia occuparat, reiecit. Sed commodum accidit, vt post tot reiectiones, vir omnium dignissimus ad illud munus vocaretur, EDMVNDVM dico. De quo nobis vberior narratio iam suppetit.

Matth. Paris. 402. & 502.

De diuo EDMVNDO Richio Cantuariensi *Archiepiscopo.*

CAPVT VII.

IN lucem prodijt insignis iste athleta apud *Abingdoniam*, quod oppidum quinque miliaribus ab academia *Oxoniensi*, quadraginta quinque à *Londino* dissitum est. Et ideo EDMVNDI nomine insignitus, quod die EDMVNDO Regi & Martyri dicato, in mundum emerserit. Postquam natus est, per totum eum diem à mane ad vesperam iacuit exanimis, adeo vt sepulturæ eum mandassent, nisi mater intercessisset. Quod fortè præsagium fuit, quòd mundo ab ipsa infantia moreretur. Nouus certè & ille martyr EDMVNDVS, non ideo quod ceruix illius gladio terrestri (quod EDMVNDO Regi, vt diximus, contigit) abscissum; sed quod ipse sibi spirituali illo gladio, effrenatas omnes animi, corporisque cupiditates nobiliter, exactaque vitæ seueritate prorsus reciderit, Christóque totus etiam à puero sit crucifixus. Quam ille, ab ipsis parentibus pietatem haustam, feliciter & absolutè confirmauit: qui in ipsa coniugij specie, monasticam plane religiosamque vitam æmulati sunt. Quam & pater, assentiente vxore, in monasterio *Euesshamensi* amplexus postea est. Mater, licet *Abingdoniæ* resederit, domi exactissi-

Vitam Edmundi scripsit Robertus frater eius. Extat & apud Ioannem Capgraue. in catalogo Sanctissimi etiam quedam ex Matthæo Parisio an 1234 & 1238 1240. & 1244 & alibi. & quadam ex innominato quodam eiusdem temporis authore.

mam quandam viuendi rationem ingressa est, nocturnásque in monasterio vigilias sedulò seruauit. Carnémque non solum cilicio, sed & lorica ferrea castigauit. Miramque quandam, pænéque incredibilem viuendi seueritatem, in filium puerulum transfudit. Qui in tantilla ætate teneros artus cilicio pressit, singulasque sextas ferias, in aqua & pane transegit. Dominicis autem & festis diebus nihil gustauit, antequam totum psalterium percurrisset. Adeo ille non prius dicere quàm facere, sed etiam facere antequam adhuc didicisset, visus est. Ad scholas deinde, academiamque *Oxonicnsem* transmissus, cum insigni omnium virtutum profectu, in literis etiam insigniter supra æquales suos profecit.

Author innominatus eiusdem temporis, & academiæ, qui se illam imaginem sæpe cum tota academia vidisse scribit in dicto innominato authore.

CELEBRE illud de eo commemoratur, quòd cum adhuc *Oxonii* Grammaticæ operam daret, & in tantilla ætate, firmo animi proposito constituisset apud se, pudicitiam suam integram, & illibatam ad obitum vsque conseruare; se beatæ MARIAE virgini solicitis precibus totum commendarit, eámque ad prosperum & felicem propositi sui, totiusque vitæ cursum conficiendum non modo inuocarit, sed nouo stratagemate, eam sibi, immisso in digitum imaginis virginis annulo, cui inscriptum erat *Aue*, quasi desponsarit. Exactè certè constat eum castitatem per omnem postea vitam conseruasse, & (quod ipse, cum obiret, fatebatur) præsentem illum, & admirabilem virginis opem, in summis rerum suarum difficultatibus & angustijs, sæpe expertum. Quid? quod in eo annulo, qui, vt moris est, cum pontifice humatus erat, eadem vox insculpta, omnibus admirantibus reperta est. Circa quod primum illius, in re Grammatica & Dialectica, tyrocinij tempus accidit, vt cum sacrosancto sacrificio *Oxoniæ* interesset, & vt fit, in lubrica præsertim illa ætate, magis cantuum dulcedini, quam attentis precibus animum intenderet, & post sacrosanctæ eucharistiæ de more ostensionem, mox cum quibusdam suis æqualibus egrederetur; alapa cælesti quadam manu grauiter maxillæ illius impacta sit, & vox quædam aures illius circumsonaret, quæ reuerti iuberet, iamque primum sacrosancta missæ mysteria inchoata diceret. Ad quæ etiam tempora, cum post sacrificium in scholis cum alijs condiscipulis, ad lectionem excipiendam attentè auscultaret, tantum repentè lotij reddendi cum incesserit desiderium, vt quantumuis inuitus, egredi cogeretur. Quo vix egresso, lapis ex superiore loco cadens, locum, quem reliquerat, occupat; vt omnibus constaret, diuinitus illum periculo exemptum.

PVDICITIAE vero adolescentis, dæmon varijs artibus, vt olim patriarchæ *Ioseph*, insidiatus est. Filia enim illius, apud quem hospitio vsus est, cum frustra eum nutu, signis, verbisque ad libidinem sæpe excitare conata esset, eo impudentiæ prouecta est, vt in ipsius se cubiculum ingereret. Quam ille (cum iubente adolescente vestes exuisset, quasi desiderio suo potitura) virgis ita cæcidit, vt ab omni huiusmodi procacia & petulantia postea abstineret. Immisit deinde callidus hostis, qui per puellam se nihil profecisse videbat, matronam quandam, quæ illum muneribus prius, quasi obsequij & honoris gratia, deprauare conabatur, vt ad turpiora sibi inde aditum faceret. At ille eam ita reiecit, vt religiosum sibi fore diceret, inicio eius marito, quicquam ab ea recipere. Quanquam & aliàs semper, pecuniam egregie contemnebat. Quam ab ijs, quibus in academia prælegebat sæpe acceptam, puluere contectam, in fenestra deponere solitus est, hoc addito elogio; Terra terræ, pulus puluери merito consociari debet; vndè nonnunquam ab æqualibus eius loco, nonnunquam seriò à furibus intercipiebatur. Ab omni vero munere, maximè post susceptum Archiepiscopatum, religiosè abstinuit, Dictitare solitus, inter prendere & pendere, vnius tantum literæ discrimen interuenire: quasi suspendio dignos, obiter notans magistratus huiusmodi, quorum per sordes iudicia constuprarentur. Cúmque multi illius iam Archiepiscopi facti, fauorem gratiámque amplis, & prolixis donis sibi emereri enixè laborarent, nihil ille vnquam eorum, apud se hærere voluit: Hoc etiam adiicere solitus. Iam, inquit, cum omnibus affluo & abundo, hostis qui me olim pauperem, & in angustia facultatum deprauare non potuit, circumuenire conatur. Sed Deo mihi propitio ludet operam.

QVI vt ab omni corruptela castus, integer, & immunis, ita sanè in patrimonio ecclesiæ erogando prouidus, & cautus fuit. Quod non temerè effudit, sed in necessarios pióque vsus tantummodo expendebat. Atque vt à muneribus & donis castè atque integrè, ita etiam ab vsitatis stipendijs (quæ huiusmodi legati de more capiunt) quæ procurationes appellant, abstinuit; cum ea legatione fungeretur, qua homines ad expeditionem *Hierosolymitanam*

capes-

capessendam excitabat. Pecuniam vero nec tangere, nec videre dignabatur, nisi eam forte, quam ipse a sua in pauperum manus transfudit. Dignus certe qui tanta sede (quanta est *Cantuariensis*) potiretur, qui præter eminentem cum in alijs artibus, tum in sacra theologia illius cognitionem, his alijsque præsule dignis virtutibus splendide exornatus erat. Mirum, quantum EDMVNDVS a nostris quibusdam delicatulis prælatibus abfuit, qui vix per totam vitam audiendæ alicuius confessioni vacare solent, in qua ille audienda diligens & frequens fuit: Adeo vt in itinere positus, de equo sæpe ob eam causam descenderet, & sub dio, tam sancto negotio, se totum impenderet: sed nulli se magis rei, quàm sacris concionibus, quarum auditio multis sæpe fuit ad vitæ emendationem valde fructuosa, dedit; facile enim in profundum pectus hominum se illius oratio insinuabat, qui vitæ illius sanctitatem, doctrinæ dignitatisque magnitudini respondere certo scirent. *Gallia* etiam rarum quoddam in eo pietatis, beneficentiæque exemplum vidit: cum ille apud *Lutetiam Parisiorum* libros decretales, ipsos etiam duodecim prophetas, & psalterium vendidit, vt egenis quibusdam scolasticis prospiceret. Theologiam ille magna cum laude, in commemorata academia professus est. In quibus prælectionibus, mirum excitandorum piorum affectuum artificium tenebat, singularique in ea re prærogatiua pollebat. Clari viri ex omni ecclesiastico ordine, ad eum audiendum vndique concurrebant. Qui sæpe, cum prælegeret, clausis libris, lachrymis se totos dare cogebantur.

QVADAM nocte visus est per somnum, scholas, in quibus prælegebat, incensas videre; exque eo igne septem faculas ardentes promanasse. Postridie Abbas quidam *Cisterciensis* disciplinæ, auditorio eius interfuit; lectione absoluta septem ex EDMVNDI discipulis, tota seueriores & cœlestis vitæ desiderio inflammati, Abbatem adeunt, seque disciplinæ *Cisterciensium* ascribi enixe postulant. Quorum vnus fuit *Stephanus Clarevallensis* postea Abbas. Longum iam esset, si per singulas illius virtutes, vel obiter decurrerem, quæ a primo, vt dixi, lacte in eo creuerant: Vt in eo verè illud *Hieremiæ* completum videatur, *Bonum est homini cum portauerit iugum ab adolescentia sua*. Qui quam fuerit rigidus ieiunij exactor, seuerus carnis castigator, quasi ex vnguibus leonem facilè intelligere poteris. Carnem certè ille, cum supra humanam fere conditionem premeret, quasi insultare quodammodo illi solebat. Quo tu te magis erigere & lasciuire cupis, eo, inquit, te magis deprimam & conteram. Nec vana ita ille ita iactatione dixit, sed præstitit, vt verbis tota vita responderet. In tantum somni abstinens, vt pæne sit incredibile. Quem breuem, & rarissimum illum quidem, non in lecto, sed aut sedens, aut cubans cepit, nec eum quidem, idque totos triginta sex annos nisi cum naturæ humanæ necessitas vrgebat. Respondebat tantis vigilijs & victus ratio, qui parcissimus & tenuissimus erat, adeo quidem, vt capitis barbæque pilos defluxisse constaret, & labia quasi finderentur, ob humoris defectum & inopiam. Hunc omnem viuendi rigorem durissimum, nodisque grauibus vndique exasperatum, cilicium augebat & aggrauabat. Reliduum temporis, quod tantillo somno cibòque supererat, orationibus, sacris lectionibus, meditationibus, lachrymis, pijsque exercitijs totum tribuebat. Omne illud tempus, quod cibus, somnus, aut equitatio abstumebat, perire arbitrabatur. Sacrosanctis verò diuinæ scripturæ libris tantum reuerentiæ deferebat, vt nunquam biblia aperiret, quin ea honorifice dulciterque suauiaretur. Ab omni ambitione, & obtrectatione fuit alienissimus. Qui tum conspirantibus Regis, aliorúmque omnium suffragijs, incredibili consensu ad summam illam Archiepiscopatus *Cantuariensis* dignitatem, nihil minus cogitans vocaretur; consensum tamen suum ad aliquot dies suspendit, nec nisi inuitus tantæ omnium conspirationi tandem cessit. Obtrectatores vero, cum primis exosos habuit. Quod si, vt fit, obtrectatio aliqua erumperet, dextrè prudenterque exorsos liuidos huiusmodi sermones, ad meliores auertebat. Has, aliasque tam egregias virtutes, magna multáque miracula, quibus eum diuina gratia insigniter adornabat, amplificabant, & quam Deo esset gratus, tantum non voce emissa palam clamabant. Quæ, ne lectori tædium ex narrationis prolixitate obrepat, prætermitto. Nec tamen mihi temperare debeo, aut possum, quin nouum illud & fere inauditum sanandi genus, in medium lectori producam, quo ab vno discipulorum fistulæ morbum, quo brachium eius ad omnium medicorum deplorationem inuaserat, orando, in se transtulit. quo, quindecim postea circiter dies, grauiter premebatur. Sic beatus iste vir, ad magistrum nostrum Christum, qui non solum infirmitates nostras sanauit, sed vt *Esaias* ait, portauit etiam, propius accedere videtur, Neque tamen obtrectationem, quam ipse tantopere in alijs inuisam habuit, ipse in tanto virtutum cursu, & splendore suspiciorum, inuidorum,

rum, & maledicorum hominum, euitare potuit: qui multis illi modis obtrectabant, singulare'que illius dotes, varijs & veteratorijs artibus imminuebant, & siniſtrè deprauabant. Quidam vero palam illum oppugnabant, grauitérque affligebant. Resque eo tandem indignitatis delapta, vt in grauissimas magnatum, Regisque offensiones & inimicitias incideret, adeo vt, cum nullum suis vel admonitionibus, vel consilijs locum relictum, nullam pastoralis suæ dignitatis rationem iam haberi videret, cedendum, & in voluntarium, vt mox dicemus exilium secedendum existimarit.

SED hic se ille certe virum, per omnia constantem & infractum ostendit, qui nec blandientis, & arridentis fortunæ illecebris corrumpi, nec opprimentis & sæuientis infestatione frangi potuerit. Cumquè familiares illius auribus circumstreperent, aduersantemque fortunam, iniuriarumque magnitudinem dolenter referrent, omniáque plangore & lamentatione replerent, querelas earum repressit. Quid? inquit, videtur mecum ita agi, ac si mater filio ægrotanti, potum amarum offerret: non oportet itaque stomachari, ebibendus est calix iste, nam vtile & salutare remedium est. Infestissimos vero inimicos, si aliquam pœnitentiæ significationem darent, ad gratiam & intimam adeò familiaritatem admittebat. Quam animi ipsius mollitudinem lenitatemque, cum familiares ipsius dicerent, nihil aliud quam occasionem, irritamentumque alijs præbere, vt grauius eum infestarent, grauius itaque in huiusmodi homines ad exemplum vindicandum: An ignoratis, inquit, Christum etiam pro inimicis suis supplices preces fudisse, & vindictam Deo reseruandam? Certè inquit, si vel oculos mihi eruissent, vel brachio me vtroque mulctassent, nihil de meo erga eos amore, remitterem, nec vel vultu inimicitias aliquas significarem. O martyrio paratum animum! A cuius gloria proximo tantum gradu abfuit, cum sibi spontaneum exilium indixerit. Incidit EDMVNDI pontificatus in magnam, incredibilémque tum ciuilis, tum ecclesiasticæ disciplinæ conturbationem. Cum itaque Regem de emendatione tantorum malorum frustra interpellasset, præsentiáque sua mala potius exasperari, quam leniri perspiceret; consultius putauit, ad tempus secedere, priuatamque interim alibi vitam capessere, quàm frustra tantam dignitatem officiumque nomine tenus solum sustinere. Secessit itaque in *Galliam*, & apud *Pontiniacum* diui THOMAE martyris decessoris illius vetus hospicium, commoratus est, soli Deo procul ab omni mundi turba, turbulentisque negotijs, per ieiunia & orationes vacans; Nec ita multo post in grauem & lethalem ægritudinem incidit. Medicorum vero consilio non longe ab eo loco ad *Sociacum* secessit: & querentibus monachis, tantique viri desiderium, absentiámque non ferentibus; Reuertar, inquit, die diuo EDMVNDO Regi & martyri dicato. *Sociaci* obijt; nec tamen promissum fefellit. Corpus enim eius eo die *Pontiniacum* relatum est. Vnde prophetiæ eum spiritu afflatum palam constat. Ecclesiasticis sacramentis, sacra Eucharistia, & sacra vnctione piè obitum suum muniuit. Cúmque iam Eucharistia adferretur, digitum in eam prætendens, magna magna fiducia, Tu es inquit, Domine, in quem credidi, quem prædicaui, quem vere docui, quem dilexi. Tu mihi testis, quod alium quam te, tuámque voluntatem in terra non quæsierim. Sacra demum vnctione delibutus, crucem Christi in manus sumpsit, quam mira pietate ardoréque, non sine gemitibus & lachrymis diu multúmque, ipsumque præsertim vulneris locum osculatus; Haurite, nunc, inquit, aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Nec ita multo post, quasi dulci somno correptus, feliciter in Domino obdormiuit. Cuius obitum tribus, eodem quo *Pontiniacum* corpus delatum est die, miraculis, & multis postea Deus insigniuit. Quæ tam certa, tam vagata fuerunt, vt post sexennium à *Romano* Pontifice in Diuos sit, de more ecclesiæ, relatus; festusque eius dies à Rege, Episcopis, Proceribus, totáque ANGLIA solenniter celebratus sit.

QVANTA & qualia, quam illustria, quàm testata & explorata fuerunt illius post humatum corpus miracula, quæ in *Gallia* præsertim apud sepulchrum eius edita sunt; indicio sunt literæ *Pontiniacensium* ad INNOCENTIVM *Romanum* pontificem, ipsiusque INNOCENTII literæ, quæ illius relationem in Diuos complectuntur. Sed nec ANGLIA huiusmodi beneficiorũ, præsertim apud *Catesbeium* expers fuit, vbi pallium eius, & alia quædam, quæ quondam ad eum pertinebant, conseruabantur. Sed inter cetera in ANGLIA, illud valde illustre fuit, quod magno suo bono sensit NICOLAVS *Fernamius Dunelmensis* Episcopus. Qui ab omnibus prorsus, propter morborum magnitudinem deploratus, cum forte suggerente tonsore, EDMVNDI pilos, qui ab illius barba olim abrasi essent, aqua lustrali maceratos ebibisset, vomitu excitato, dolor tumorque mox corporis sedatus est, breuique

usque illi postea ad omnium stuporem conualuit. Nec expers huius beneficij fuit INNOCENTIVS ipse. Qui cum grauissimo iliacæ vt appellant, passionis dolore pungeretur, illius opem tupplex cum lachrymis inuocans, præsens mox remedium, doloris que leuamentum sensit. Quod illum propensiorem fecit vt EDMVNDVM (cum & aliunde tot & tam certa miraculorum testimonia accederent,) Diuorum catalogo asscriberet. Habuit EDMVNDVS fratrem *Robertum Richum*, fraternæ pietatis diligentem sectatorem. Qui vna cum illo in literis *Oxonij* & alibi, & *Romæ* etiam cum eo versatus est, & in voluntarium cum eo exilium abiit. EDMVNDO autem Pontificatum administrante, *Orbo* pontificius legatus, frequentem *Londini* apud Diuum PAVLVM Synodum habuit. Cuius hodie varia de re ecclesiastica decreta extant.

EDMVNDO mortuo, *Cantuariensis* ecclesia circiter triennium vacauit. tandémque BONIFACIVS *Sabaudiensis*, ALEONORAE Reginæ auunculus, pro EDMVNDO longe deteriore sane permutatione suffectus est. Et monachi quidem libenter alium nunc i passent *Matth. Pa. 1242.* sed cum viderent Regem totum pro BONIFACIO incumbere, nec ignorarent, quanta apud pontificem summum gratia polleret, Regis tandem desiderio succubuerunt. Qui adeo hoc negotium vrgebat, vt multis Episcopis cœnobiorumque præsidibus literas quasi exprimeret, quibus mirifice BONIFACII dotes apud *Romanum* Pontificem deprædicabant. Et certe, si corporis gratiæ & proceritati, generisque splendori cetera respondissent, inter præclaros pontifices merito collocari potuisset. Atqui, cum quidam ex monachis *Cantuariensibus* vidissent quem cui subsituissent, & quam indignum, magna eos leuitatis & consensus sui pœnitudo cepit. Nam præterquam quod monachos ipsos *Cantuarienses*, grauius quam quisquam maiorum suorum opprimeret, vt iam EDMVNDVM, quem sibi nimis grauem prius querebantur, omnibus votis rursus expeterent; non modo *Cantuariensem* suam, sed & totam ecclesiam ANGLICANAM immoderatis expilationibus exhauriebat. Et ne deesset, vt in huiusmodi rebus fit, prætextus, cauſabatur ecclesiam suam infinito ære alieno oneratam, perque hanc surreptionem à summo pontifice impetrauit, vacantium in diœcesi sua primo anno ecclesiarum prouentus, nemoraque *Cantuariensis* suæ ecclesiæ ad redigendam pecuniam excidit. Quam omnem ille pecuniam, non ad æs alienum ecclesiæ suæ, vt prætexebatur, dissoluendum; sed ad bellicos potissimum vsus, adque fouendam consanguineorum suorum in prouincia cauſam transtulit. Pauperes tamen apud *Maidestonam* in *Cantia* multum illi debent, quibus hospitium ibidem extruxit. Post viginti septem deinde administrationis suæ annos, diem suum supremum obijt, quem Rex ipse HENRICVS proximo anno secutus est. Triennio fere post GREGORIVS summus Pontifex ROBERTVM *Kilwardbium*, ex secta fratrum prædicatorum, in locum BONIFACII suffecit; a quo EDOVARDVS Rex regio diademate honestatus est. Cuius actiones propter temporis, quo *Cantuariæ* sedit, exiguitatem, nullæ fere reperiuntur. Post paucos enim annos Cardinalis, & *Portuensis* Episcopus creatus, & ad *Romanam* curiam euocatus (ad quam cum permensisset paucos postea superuixit dies) *Cantuariensi* se sede abdicauit. Quod præclarum eius exemplum, vtinam insequentes multi Episcopi æmulati fuissent, qui varios diuersis in prouincijs Episcopatus, sibi auare & turpiter cumulabant,

Anno 1272.

Nich. Trim. 1279

De IOANNE Pechamo.

CAPVT VIII.

ROBERTO per Pontificem summum IOANNES *Pechamus* surrogatus est, reiecto ROBERTO *Bathoniensi*, quem suis monachi *Cantuarienses* suffragijs creauerant, vir exquisite, cum in alijs disciplinis, tum in theologia doctus, quique ob concionandi, gregemque suum multis magnisque itineribus & laboribus instituendi accuratam diligentiam, ob præclara, quæ scripsit, volumina, obque alias multas præclaraque dotes, paucos aut nullos sui similes in eadem sede postea successores sortitus est. In *Cressensi* diœcesi natus traditur. Ipse certe fatetur se non procul a *Hevensi* cœnobio educatum, & ab eodem se cœnobio liberaliter adiutum, beneficijque accepti non ingratum debitor memoriam se non deposuisse, paratúmque se illi gratificari ostendit. In primæ adolescentiæ in Galliam profectus est, literisque dedit operam apud *Lutetiam Parisiorum*, vbi, vt

Flor. Hist. & Nich. Trim. 1278.

Idem Nich. 1279

In repos. Cant. in literis ad Abb. Cluniacens.

&

& Ouonii atque adeo *Romæ* sacram theologiam cum magna sua laude, magnóque discipulorum profectu professus est. Acceptáque à *Margareta* Regina *Franciæ*, aliisque eius regionis principibus varia beneficia, gratus agnouit. Cumque iam non solum ANGLIAM & *Galliam*, sed & *Italiam* celebris de eo fama peruagata esset, postquam totius sui ordinis, id est, fratrum minorum ex omni *Franciscæ* disciplina prouincialem, vt appellant, magistratum gessisset, *Romam* accersitur, & lector palatinus constituitur, proque ROBERTO in *Cantuariensi* sede à NICOLAO Pontifice inuitus, vt ipse sæpe fatetur, collocatur; grauiterque questus est postea, quod eam vnquam suscepisset prouinciam, eamque se libenter excutere velle, malleque se, si voluntas Dei foret, a sacris esse Cardinali *Beneuento*, quam sub honoris tanti specie, tantis curarum fluctibus obrui, aut potius obrui.

In literis ad Magistr. ad Gr. nos. Card. & in regist.

ROMA reuersus cum literis pontificis ad EDOVARDVM Regem, quibus se illum *Cantuariensem* Archiepiscopum delignasse significat, incidit in EDOVARDVM in *Gallia* circa Pentecosten, vbi vertabatur pacis cum *Gallo* constituendæ gratia; quam pater ipsius valde iniquis conditionibus cum *Gallo* inconsulte inierat. Iuramento enim se illi HENRICVS obstrinxit, se curaturum vt principes viri, qui sibi in illis regionibus parebant, religione se GALLO astringerent, se ANGLVM, si quando bellum *Gallo* interret, deserturos, & *Gallo* adhæsuros. Id quod IOANNES in suis ad pontificem literis significat, simulque quanta animi promptitudine, pontificis factum Rex ratum habuerat, quantáque se alacritate & benevolentia complexus fuerat, & in eartum terrarum, quæ ad Archiepiscopatum *Cantuariensem* pertinebant, mox possessionem singulari benignitate miserat, licet literæ pontificis, nescio quo errore, clausulam illam consuetam de temporalibus, vt appellant, restituendis, non fuissent complexæ, atque ideo Rex potuisset, eam restitutionem vsque ad nouas pontificis literas distulisse. Mense Octobri in magna Episcoporum, atque Procerum aliorum frequentia, quibus magnificum epulum præbuit, in sede & throno *Archiepiscopali* de more locatus est. Et Iunio, qui præcessit, *Gilbertus Clarus* Comes *Gloccstriæ* & *Herfordiæ* recognouit se ipsius, & *Cantuariensis* ecclesiæ, & nullius præterea hominis clientem esse, pro honore, vt appellant, *Tunebrigensi*, & possessionibus illi oppido attributis. Ob quam prærogatiuam successoribus eius, multas aliquot Reges molestias facessere, sibique eam interripere conati sunt. Cumque *Iohannes Reigatus* & alij iustitiæ præfecti, Comiti negotium postea facesserent, ob quasdam controuersias, quæ in commemoratis possessionibus acciderant; scribit ad eos IOANNES, vt causæ cognitioni supersedeant, quippe quæ ad se & suam ecclesiam solummodo pertineret.

Quæ manent in dicto regist.

Fatur Homagium illius Gallicæ in regist.

DVAS præ ceteris IOANNES celeberrimas synodos habuit; alteram *Lambethi*, alteram apud *Redingiam*. In quibus multa egregie, ad disciplinam ecclesiasticam tuendam commoda, & opportuna constituit. Cum synodum *Lambethanam* indiceret, aliquid negotij habuit cum multis Abbatibus, qui ad illius edictum in synodo se sistere, aut procuratores mittere detrectarunt: asserentes se ab omni illi, & Episcopis debita obseruantia, ex summorum pontificum privilegijs solutos & liberos. Contra quos, missis ad RICHARDVM *Londinensem* literis, grauiter conquestus est. Dicebatque eos, quantumuis alter exemptos, non debuisse suam præsentiam tam venerando patrum consessui, consiliáque sua communibus ecclesiæ necessitatibus subtrahere; cumque haberent multas ecclesias cœnobij suis attributas, quas impropriatas * appellamus, (quas a sua iurisdictione & potestate exemptas negabat) mandauit *Londinensi* Episcopo, vt annuos huiusmodi in sua diœcesi ecclesiarum prouentus cœnobijs subtraheret, donec ad officium redirent. A quo decreto præfecti cœnobiorum *Wigmorcasscnsis*, diui ALBANI, & EDMVNDI, & alij ad summum pontificem prouocarunt. Inter quos & IOANNEM pacificatio postea inita est. Quin & potestatem de causis matrimonij cognoscendi, testamentaque insinuandi, quam, licet ex privilegio, & antiqua consuetudine sibi vendicassent, BONIFACIVS Archiepiscopus quibusdam monasterijs in *Cantuariensi* diœcesi abstulerat, IOANNES rursus restituit. Et vt alijs suum ius non detraxit, ita privilegijs prærogatiuisque non modo ecclesiæ suæ (quæ in ANGLIA id temporis erant amplissimæ) sed & reliquæ *Angliæ* ecclesiæ vindicandis & conseruandis, diligentem & acrem se defensorem præstitit. Inter quæ fuit, vt integram esset, ex more per manus deducto, *Cantuariensi* Archiepiscopo vnam, in quouis monialium ANGLIAE cœnobio, sacram virginem præficere: quo privilegio ipse, & successor eius vsus est. Nec passus est ARTHVRVM *Eboracensem* crucem in sua prouincia vti, quod dignitatem sedis suæ ea ex re imminui crederet. Quæ illi controuersia, cum multis decessoribus, aduersus *Eboracenses*, communis

Vide & Regist. Hom. & Flor. anno 1191.

Ex regist.

communis fuit. Magnam ANGLIAE partem per se obiuit, vt de statu cathedralium ecclesiarum, cœnobiorum, & aliarum ecclesiarum, cleri, & reliqui populi, certius intelligeret. *Cambriam* etiam inuisit. Quam tamen, ne ex animi proposito, in ecclesiastica illa sua disquisitione peragraret, & temporis angustia, & alia quæ obijciebantur impedimenta obstabant; vt ipse in literis ad *Leolinum Cambriæ* principem significat. Adhibuit ille certè diligentem operam in *Snodoniam* profectus, vt principem *Cambriæ* & fratrem, ad pacis & quietis studia traduceret. Sed, cum nihil proficeret, reuersus anathema in eos iaculatus est: De qua re & alijs, ad Cambriam spectantibus, suo postea loco latiùs dicemus. Dum peragraret per se & suos cœnobia, multa emendatione digna reformauit; certáque, ne res obliuione deperiret, in scriptis mandata dedit: Quæ sanctimonialibus, quæ *Gostoium* prope *Oxoniam* vicum inhabitant, non Latinè, non Anglicè, sed Gallicè tradita reperio. Inter cetera mandata, & illud erat, ne, quod alicubi apud sacras virgines fiebat, eo die qui *Innocentibus* dicatus est, sacra officia precésque per paruulas obirentur. Quin & illud oportunè præcepit, vt si fortè à vespertinis illis precibus (quas quia ceteras totius diei complent & absoluunt, *Completorium* appellamus) præfecta ob hospitum aliquorum aduentum abesset; absolutis illis precibus, matrona, quæ choro præfuit, duabus alijs sibi delectis, cubiculum præfectæ mox adiret, nunciarétque Completorij preces absolutas: vtque mox hospites, cuiuscumque generis aut conditionis, dimitterentur, & præfecta deinde statas illas preces Deo redderet, & nocturnis matutinisque postea vigilijs cum reliquis in choro interesset. Multæ erant his temporibus in ANGLIA ecclesiæ, in quibus diuina sacra peragebantur, quæ solemni, vt moris ecclesiastici est, dedicationis ritu Deo adhuc non erant initiatæ. De qua re diligenter quæsiuit, oportunáque remedia, vt infinitis alijs rebus, quæ opem & auxilium desiderabant (quas persequi non est necesse) adhibuit. *Vt in registro.*

MAGNA sane integritate, & ab omni sorde abstinentia, in ista ecclesiarum lustratione, vsus est; nec suas solum, sed & suorum manus cohibuit. De quibus, cum alicubi, nescio quid sinistri rumoris ortum esset, parochianis illius loci sub anathemate mandauit, vt si quis eorum, cui illam lustrationem & inspectionem mandauerat, aut quisquam ex ijs, quos à sacris habebat, pecuniam aut munus accepisset, palam dicerent. In qua lustratione, multum illi molestiæ exhibuerunt sacella quædam, quæ Regia appellant, apud *Derbeiam*, *Salopiam*, *Staffordiam Voluerhamptonum*, *Totenhallum* & alibi. Quorum Præfecti illius imperio, nescio qua ex immunitate, parere recusabant. Quam, cum ille nulla *Romani* pontificis, nulla Archiepiscopali, aut pontificia authoritate nixam, & munitam videret; iniquo animo huiusmodi authoritatis suæ reiectionem ferebat, & ecclesiastica aduersus eos seueritate, vt ad officium redigeret, vtebatur. Qua de re, tres illius literæ, ad Regem EDOVARDVM Gallicè scriptæ, quibus se apud eum purgat, hodie extant. Apud quem etiam diligenter egit, vt neminem, nisi idoneum & accommodatum, beneficijs ecclesiasticis præficeret, nec sineret suos sacellanos aliosque sacros homines, contra ecclesiasticas sanctiones, plura beneficia animarum cura implicita, sine pontificia indulgentia occupare, aut cum animarum, de quibus rationem redderent, iactura, abesse à functione sua, functionibus ciuilibus & profanis Regis mandato districtis: Magnáque fuit illis temporibus ecclesiasticæ disciplinæ labes (de qua IOANNES conqueritur) quod cum episcopales sedes pastore destituerentur, Reges huiusmodi beneficia, cum interim vacarent, in homines ineptos & inidoneos conferrent; nec postea eos, licet iustæ abdicationis causæ suppeterent, per pastores remoueri paterentur. *Ex registro.* *Ex registro.* *Vid. Flor. 1278.*

MVLTA EDOVARDVS in detrimentum & damnum ecclesiæ tentarat, eámque & *Westmonasterienſe*, & alia cœnobia veteribus immunitatibus, & priuilegijs spoliarat. Accurate itaque ad eum IOANNES scripsit, hortatusque est, ne leges ederet, quæ summorum pontificum, quæ œcumenicorum conciliorum, quæ sanctorum patrum decreta & sanctiones euerterent. Qua in re clarissima illi proposuit CONSTANTINI *magni Augusti*, WIGREDI, CANVTI, & diui EDOVARDI Regis & Confessoris, & aliorum ANGLIAE Regum exempla. Quorum æmulationem illi speciosam, animæque illius, regnoque salutarem futuram dictitabat. Conspiciuntur & aliæ eius ad EDOVARDVM literæ, quibus consulenti respondet, vtrum, & qua demum ex causa atque ratione, obnoxius sit damnis resarciendis, ex ecclesiarum & cœnobiorum incendijs, alijsque cleri & populi expilationibus, quæ in *Extant in registro 1281. Qua in re & ad Antoninum Assauensem eius etiam literæ conspiciuntur.*

grauissimis illis suis bellis contra *Wallos* acciderunt. In quibus, dum versatur, venit ad
Ex regist. eum IOANNES ex mandato summi pontificis, expostulaturus cum eo, quod pecuniam ex decreto *Lugdunensi* ad terræ sanctæ subsidium collectam, & in sacro loco depositam, EDOVARDVS intercepisset. Cui id dedit responsi, vt diceret, se eam suo loco iam ante duos menses restituisse. Qua de re & ad *Barhoniensem* Regis Cancellarium IOANNES scripserat, rogauitque simul, vt Regem admoneret, quàm inconsulte cuidam *Iacobo* puero, eidemque parum probatis natalibus orto, ecclesiam *Crundaliæ* contulisset. IOANNEM vero EDOVARDVS, ante postremum cum *Leolino* bellum, in *Walliam*, vt cum eo de pace ineunda ageret, eumque in officio retineret, amandauit. Quo ille profecturus,
Pelid. li. 17. existimat non profectum, sed aliud apparet ex regist. prouinciæ suæ interim procurandæ, & administrandæ curam commemorato *Barhoniensi* delegauit. Ante quam profectionem, *Walli* solemni cæremonia sententia anathematis, in concilio *Oxoniensi* contra pacis perturbatores lata, per Episcopos irretiti sunt.

CONTROVERSIAS aliquot ob varias, vt fit, causas cum singulis fere Episcopis IOANNES habuit, quarum aliquot suo attingemus alibi loco, imo & cum vniuersis. Existimabant enim Episcopi IOANNEM multa sibi in causarum cognitionibus, præter
Quæ apparent in registro cum responso Ioannis. iuris rationem, & in legitimæ potestatis ipsorum detrimentum, atque imminutionem arrogasse. Cuius generis illi viginti supra vnum grauamina, ob quæ se nimium ab illo premi, iurisdictionemque suam ecclesiasticam perturbari, detrahique querebantur, collegêre. Quibus ille singulis speciatim respondit, responsique totius summa in hoc volue-
batur, vt diceret, se nihil vlia in re tentasse, quod non cum ecclesiastici iuris, cum maiorum suorum institutis & exemplis, cumque potestatis tuæ amplitudine, quam non solum vt Metropolitanus, sed vt summi pontificis legatus exercebat, cohæreret atque congrueret. Ceterum ne videretur nimis seuere, & summo iure agere, consentit, ne Officialis, vt appellant, *Cantuarienses* auocaret ad se causas à Suffraganeis, nisi appellationibus gradatim factis; & cum constaret, Episcopum negligenter & remisse versatum; inque testamentarijs causis, cum defuncti bona in diuersis diœcesibus possiderent. Neque voluit sequestrationes, vt appellamus, ecclesiarum per Suffraganeos factas rescindi: hac tamen hæc omnia cautione, ne hoc indultum ecclesiæ suæ, aut
Anno 1282. successoribus suis esset damnosum. Sed neque leues, neque paucæ fuere molestiæ, quas aduersarij illius *Romæ* illi facessebant. Alij enim, sed taliò, pontifici suggerebant, habuisse eum à sacris plurimos, qui varia beneficia, quibus animarum cura & procuratio implicita erat, citra pontificiam vllam indulgentiam, contra *Lugdunensis* Synodi præscriptum occuparent, & quod huiusmodi vitijs implicitos, & Episcopos designatos confirmaret. Quam ille, missis *Romam* ad *Matthæum*, & alias Cardinales literis, calumniam facilè dissipauit. Imò, cum huiusmodi homines vitio creatos, aut ab episcopatu, aut alios ab ijs beneficijs, quibus perperam incubuerant, remouere diligenter conaretur; non defuere *Romæ*, qui friuolas & frigidas, iniustasque id genus hominum prouocationes, summis apud pontificem *Romanum* studijs promouerent.

E quibus *Tedisius de Camilla*, multum illi inter alios negotij exhibebat, qui sibi multa in ANGLIA beneficia, sinistris rationibus *Romano* Pontifice circumuento, homo omnium illis indignissimus, accumularat. Quem IOANNES, cum ab ecclesia de *Wengham*. & decanatu *Voluerhamptonensi* contra iuris præscripta abesset, & euocatus vt se iudicio sisteret, contumaciter & proterue præsentiam suam subtraheret; primum anathemate inuoluit. In quo cum biennio hæsisset, exuit illum IOANNES & abdicauit ab illis beneficijs. Sed *Benedictus* Cardinalis, qui in summa erat apud Pontificem gratia, cuique *Tedisius* sanguine coniunctus erat, ab eo impetrauit, vt *Giffredus* quidam homo indoctus, quique palam ex professo erat IOANNIS aduersarius (vt IOANNES in suis ad summum pontificem literis testatur) causæ illius cognitionem inter IOANNEM & *Tedesium* haberet. Qua ex re magnam longámque molestiam sensit IOANNES. Vnde tam apud ipsum BENEDICTVM, quam apud *Iordanum*, *Matthæum* & *Germasium* Cardinales, multum conqueritur. Et palam apud *Benedictum* contestatur, quem necessitudo sanguinis ad *Tedisium* fouendum mouere videbatur (quanquam & sordium, munerumque acceptorum in eum nonnulla suspicio cecidit) se in hac sua actione ad nihil aliud respexisse, quàm ad sanguinem, quem pro grege suo Christus effudit; & ad animarum salutem, quam pro dignitatis

tatis suæ ratione, procurare debebat. Multa illi alia per importunas, & iniquas prouocationes, præsertim *Ioannis* monachi *Fiscanensis*, quem anathemate deuouerat (quas non est necesse iam persequi) impedimenta, cum suum strenue officium exequitur, allata sunt, de quibus ille passim conqueritur. Et licet *Romani* pontificis exortis amplitudinis, vt si quisquam alius, fuerat obseruantissimus, ingenuè tamen, illam multum imminui, & cantaminari per callidos quosdam homines, qui circumuento pontifice illa abutebantur; iniustásque appellationes contra prælatos, qui diligenter & solicite suo officio fungebantur, fouebant, contestabatur. Imò ex hac potissimùm causa *Græcam* ecclesiam à *Romana* desciuisse: quin & defectionem illam, cuius meminit Apostolus, ex hac inter alias causas, olim manaturam. Quas ille sex, hac remota, recensét; nimiam videlicet imperandi seueritatem, violentas & immodicas exactiones, infinitam & immoderatam litium & altercationum forensium multitudinem, neglectum in prælatis concionandi officium, vitæque in eisdem deprauationem, cum passim carni magis & sanguini quam spiritui seruiretur. Aperte tamen fatetur, non posse eam sedem, propter Christi promissionem, in causis fidei expediendis, sententiáque huiusmodi errare.

Fvit Ioannes ex disciplina diui *Francisci*, eiusque sectæ homines magno, vt par erat, amore, & quibuscunque poterat beneficijs, & contra aduersarios (ex quibus inter alios fuit præses cœnobij diui Albani) auxilijs prosequebatur. Quibus eorumque orationibus, cum ad Synodum, siue, vt vocant, capitulum coibant, se totamque suam in *Cantuariensi* ecclesia (cui se inuitum præesse palam fatebatur) procurationem anxiè solebat commendare fuit vero totius illius sectæ, & priuilegiorum ipsius in Anglia, conseruator à summo pontifice designatus. Et, quoniam non deerant, qui illam illis temporibus acriter impugnabant, magna constantia professus est, diui *Francisci* institutum ad eam interpretationem & declarationem accommodatum, quam summus Antistes Gregorius adhibuit; non modo omni vicio & reprehensione vacare, sed esse oppido quam sanctum, & ad æternæ vitæ adeptionem valde aptum & idoneum, & vehementer cum vitæ Christi ipsius exemplo congruere. Ad cuius disciplinam & ordinem, cum multi ex *Benedictinis* & *Augustinianis* fratribus, atque adeo *Carthusianis* confluerent, eamque ob rem quidam, præsertim ex fratribus *Augustinianis* in publicis *Oxoniæ* concionibus palam contra Minores inueherent; scripsit Ioannes ad Cancellarium *Oxoniensem*, vt huiusmodi oblatratoribus os obstrueret, ostenditque nihil ea in re à Minoribus factum, quod non ex summorum pontificum priuilegio, facere illis esset integrum. Cumque quidam ex clero se opponerent, nec sinerent aut *Dominicanos* concionari, aut *Franciscanos* per sacram exomologesim alienos parochianos expiare: Ioannes id eis ex summorum pontificum priuilegio licere docuit, & ne impedirentur, diligenter curauit.

In literis contra detrahentes regulæ Franc. vt in regul.

Fvit verò Ioannes catholicæ doctrinæ, & totius disciplinæ ecclesiasticæ, (vt & alibi partim dicemus,) acerrimus assertor. Cumque *Richardus Knapwellius Dominicanus*, quædam è suggesto assereret non satis catholicæ fidei congrua, euocauit eum ad suum Ioannes tribunal. Cúmque ille se non sisteret, octo illius errores, re cum doctis communicata, damnauit. Sed *Hugo Mancestriæ Dominicanorum* prouincialis interposuit se, & iurisdictionem Ioannis declinare cupiens, asseruit cognitionem contra *Dominicanos* soli *Romano* Pontifici reseruatam. Fuere tamen, præsertim *Dominicanorum* quidam *Oxoniæ* præses, qui errorem Ioanni de formarum multiplicitate impingerent, quódque ea de re mortuum (diuum *Thomam Aquinatem* intelligentes, qui vnicam formam tuebatur) minus candide perstringeret & roderet. Quorum iniustam ille accusationem, iustis rationibus retundit. Nec diffitetur inter *Dominicanos* & *Minores* multa & grauia esse opinionum dissidia, ob quæ ægro & dolenti erat animo; quæque summi pontificis authoritate interposita, componi primo quoque tempore cupiebat. Sed tamen ea, cum nulla fidei iactura coniuncta, neque in his hærere, quæ illam læderent, & fuisse etiam magnam, salua tamen & integra amicitia, inter philosophos sententiarum varietatem & dissonantiam. Neque se quidem inuidia aut contentione huc productum, aut cum *Thoma*, aut cuiusquam mortui cineribus pugnare. Imò mordicus aliquandiu *Thomæ* eiusque hac in re sententiam, tueri solitum, donec vidisset eam à Theologis *Parisiensibus* impugnatam, præsentemque *Thomam* audisset (qua erat ille animi de-

Tho. Wichamchonic.

In literis ad epist. Lincol. & ad Cancel. & schol. Oxon.

nui demissione) *Parisiensis* Episcopi, & Theologorum *Lutetiæ* iudicio, & censuræ sc & totum illud suum dogma, subiecisse. Quam & decessorem suum ROBERTVM licet institutum esset *Dominicum*, Ovonia tamen damnasse ait. Neque recens se, vt aduersarius criminabatur, eam de varietate formarum sententiam sequutum, sed ante multos annos eandem constanter *Lutetiæ*, in ANGLIA, atque adeo *Romæ* palam, post *Alexandrum* & *Bonaventuram* suæ disciplinæ homines, defendisse.

LVCVLENTAM sane & illustrem hominis doctrinam, præclara quæ post se reliquit monumenta, ex quibus aliquot hodie extant, abunde testantur. Collegium in *Cantia Wengamense*, eius potissimum opera constitutum est, sed seminarium eius beneficij, à ROBERTO decessore eius profectum est: qui à GREGORIO pontifice impetrabat, vt liceret ecclesiam parochialem *Wengamiensem* in eum vsum conuertere. Sacellum etiam illud lapideum, apud villam Archiepiscopalem *Otfordam* ædificauit. Illa vero eius singularis ad pauperes fouendos propensio, non est prætereunda, quod in magna quadam annonæ caritate, non tolum de suo illis liberaliter prospexit; sed curauit etiam, vt qui beneficia in sua diœcesi possidebant, illorum inopiæ subuenirent. Pauperum etiam aduersus Comitem *Warennium* defensionem suscepit, ex cuius siluis damæ & cerui longius euagati, tenuiorum segetem misere vastabant, nec eas feras, præ Comitis metu; exagitare audebant. Ad quem accurate scripsit IOANNES, vt huic malo remedium adhiberet. Multam IOANNES cum ceteris Episcopis operam posuit, vt *Almericum Montisfortensem*, filium *Simonis* Comitis *Leicestriæ* è carcere liberaret. Hanc enim illis curam summus pontifex solicitè mandarat. *Almerici* soror *Alienora* virgo pulchertima, *Leolino Cambriæ* principi desponsata, patre mortuo, transmissa est è *Gallia* per mare ad *Leolinum*. Cuius deducendæ curam ALMERICVS habuit. Sed is cum sorore incidit in manus *Bristolienses*. Coniecit EDOVARDVS *Almericum* in carcerem, timens nouas ab eo & *Leolino*, grauioresque solito turbas. Intercedente tandem summo pontifice, & IOANNE atque ceteris Episcopis diligenter ad eam causam incumbentibus, & Regem securum reddentibus propter eas conditiones, quas *Almerico* imposuerant, tandem dimissus est. Singulari post Christum, vt par erat, honore & cultu beatam virginem MARIAM *Ioannes* prosequebatur: ad quem & alios sedulò prouocabat. Ad cuius honorem multi id temporis quadraginta dies, qui assumptionem eius antecedunt, ieiunare solebant. Quod ille ieiunium ANGLIS accurate commendat, neminem vero illi astringit. Obijt deinde IOANNES ad annum millesimum ducentesimum nonagesimum secundum. De quo reperio inter cetera, in eiusdem sæculi quodam authore, quod postquam designatus erat *Cantuariensis* Archiepiscopus, à carnibus abstinuerit, quod mediocri communique vestitu vsus; quod vigilando orandoque omnes, quos a sacris habebat, superauit; adeoque se demiserit, vt sæpe cereos, candelasque in ecclesia ipse accendere, & cetera infimorum munia obire solitus sit.

De ROBERTO Winchelseio *Archiepiscopo, deque ijs, quæ eo sedente, cum Regibus & Romanis Pontificibus acta sunt, deque* Templariorum *ordine antiquato.*

CAPVT IX.

In dissuasione Edouardi.

ROBERTVS *Middelsexiæ* Archidiaconus, & sacræ theologiæ professor, IOANNI successit, quem CELESTINVS pontifex consecrauerat. Pro vacantis ecclesiæ fructibus cum Rege decidit, quos redemit tribus millibus triginta & octo libris. Reuersus vero Synodum *Londini* habuit, in qua & veteres multas ecclesiasticas sanctiones, ad formandam cleri populique vitam accommodatas renouauit; & aliquot etiam, quæ hodie vi-

Visuntur in constitut. prouinc.

suntur, de suo adiecit. Plurimi vero & alij per eum acti sunt ecclesiarũ conuentus, in quibus maximæ de pecunia Regi exoluenda deliberationes habitæ sunt: de quibus non ita multo post, sed pauca tamen ante dicemus. Post reuersionem illam statim adijt Regem, qui tum bellum cum *Gallis* gerebat, vbi res erant valde perturbatæ, magnáque ANGLIS clades illata; cuius ipse secum vestigia, corporáque ANGLORVM passim inhumata, auibus ferisque bestijs exposita, oculis suis vsurpasse dicit. Missis igitur

igitur postea ad *Assauensem* Episcopum literis, mandat, vt ipse *Madocum* nominatim, assecias vero & socios generatim anathemate deuoto, esse, palam denunciet, admoneteque eos, vt ad officium fidemque, quam EDOVARDO Regi dederant, redeant; dataque est, Rege postulante, quibusdam potestas, *Cambros* qui ad officium redirent, ab anathemate eximendi. Atque illam ille operam ad pacificandam *Cambriam* potuit, sed maiorem, post paucos annos, in domestica seditione reprimenda: quę *Humfredo* & *Richardo* Comitibus authoribus, qui veteres leges & prærogatiuas repetebant, vehementer exarsit. Cum quo ex Regis præcepto, communes suas operas adiunxere *Lincolnienſis*, *Londinenſis*, *Eliensis*, *Norwicensis*, *Rothomagensis*, & *Dublinensis* Episcopi. Illas igitur veteres leges princeps EDOVARDVS absentem in *Flandria* patre, in integrum restituit, illamque restitutionem ratam, firmamque habuit Rex, per literas a *Gandauo* missas. Quod Regis decretum, si quis infringeret, ROBERTVS eum anathemate, palam literis diuulgato, configit.

QVOD a *Roma* redierat anno, literas ad EDOVARDVM misit, vt Comiti *Gloceſtriæ*, & *Herefordiæ* qui, (vt alibi diximus) pro arce & oppido *Tunbrigiano*, & alijs, *Cantuariensis* Archiepiscopi cliens erat (vt & *Londinensis* Episcopus pro manerio, vt appellant, de *Benesteshama* vnde proxime & tecum tum Regem, *Richardus Grandisonatus*, fidem iuram ROBERTO altrin xit) vt mortuo patre, paternas illi possessiones restitueret. Habebant autem hoc Archiepiscopi *Cantuariensis* prærogatiuæ, vt si cliens illius ecclesiæ diem obiret, Archiepiscopus & non Rex, donec heres ad iustam ætatem matureſceret, etiamsi alioqui teneret, vt loquuntur, in capite a rege, illarum possessionum, quæ ab ecclesia proficiscebantur, vsum fructum caperet. In illis, de quibus diximus, Synodis, inter alia deliberatum est, qua ratione obuiam iretur *Franciscanis*, *Dominicanis* & alijs, qui * mendicitate viuebant, qui multa libra rogare videbantur, quæ ad solum Episcoporum, & aliorum pastorum ecclesiæ munus pertinere credebantur. Quare, ex communi Synodi decreto, scriptæ sunt ad singulas sigillatim societates, literæ, ne hiisce se deinceps rebus immiscerent. Sed nihil erat, quod in maiorem aut grauiorem deliberationem cadebat, quam quibus demum rationibus Regi satisfaceret, qui nouis quotidie postulationibus, & efflagitationibus, immoderatas ab eis pecuniarum summas extorquere conabatur. Qua in re difficiliores illi se præbebant, quod immodicis huiusmodi solutionibus iam fere exhausti essent, & quod *Bonifaciani* decreti in *Lugdunensi* Synodo fulmen valdè illos terrebat, quo anathema in viros ecclesiasticos iaculabatur, qui citra *Romanæ* sedis consensum, principes bonis & facultatibus ecclesiæ imuarent.

ET habuit quidem *Edouardus* (vt de alijs silcam) eo, quo ROBERTVS Archiepiscopus anno initiatus est, dimidiatos totius ecclesiæ *Anglicanæ* prouentus, præter ingentem pecuniæ summam, quæ ad sacræ expeditionis vsus exaggerata erat, quam ille omnem ad suum commodum traduxit. *Gulielmus Montefortius* ecclesiæ diui *Pauli Londini* Decanus Regem adisse traditur, rogaturus vt tam grandi exactioni aliquam saltem moderationem adhiberet. Sed dictorum & lingua, & vita mox defecit. Proximo anno decima nihilominus totius ecclesiæ portus est; quam tamen ille ægre admisit, cum vberiori summæ inhiaret, quæque tertiam, aut quartam reddituum portionem conficeret. Altero vero postea anno, frequens omnium ordinum conuentus apud oppidum diui EDMVNDI actus est: in quo rex magnum a laicis tributum impetrauit. Actum est & cum clero, sed nihil impetrari potuit. Iubet verò Rex, vt maturius ea de re deliberarent. Interim vero omnia virorum ecclesiasticorum horrea clausit, ne quid inde ad vitæ hinc vsus sumerent. ROBERTVS mox reſcriptum illud BONIFACII, quo anathemati subijcit omnes, qui inconsulta sede *Romana* pecunias principibus largirentur, per maiores ecclesias, diuulgari curauit. Coit post paucos deinde menses Synodus *Londini*, ibi agitatur quidem tum ratione exprætentibus difficultatibus se explicarent, quos, hinc pontificum fulmen, hinc regius terror fortunarumque omnium vastitas premebat. Cum sententijs variaretur, Rexque quintam omnium reddituum portionem subsidium postularet, aliquot ex aula, & alij animo molliores, regio desiderio succubuere. Nec defuere qui pontificij rescripti nullam rationem habendam putarent, quod necessarios ad hostes propulsandos, & ad regni tuitionem sumptus flagitaret, alij authore ROBERTO, animarum periculum, cui obnoxij erant, quam fortunarum incommodum potius propulsandum putabant. Per communes igitur literas Synodus postulat maiores deliberandi moras, vt *Romanum* interim pontificem consulere possit.

AT Rex illorum bona, & vniuersas, ROBERTI præsertim, possessiones inuadit, omniaque

Ex regist. Nic. Trivet.

Extat tum reg. S.

Flor. 1207.

Extat in Lacun. Pand. an. Ed. 1. & in regist. Epist. Extat regiſtro.

** al mendicabaque.*

Lib 6. decret. de immunit.

Flor. 1294. Sal. Bruam. 1296.

Flor. 1295.

Ioan. Lond in Chron Flo 1294

Flor. 1296.

Ex regiſtro.

Ex regestro.

niaque tam monachorum, quam clericorum feuda, vt appellant, laica sibi vendicat, edicitque nisi intra certum diem redimerentur, in perpetuum illis auferenda. Neque sine magno metu, qui erant ex clero in publicum prodire, propter iniurias, quibus passim obiectabantur, audebant. Quibus & omne communium legum præsidium ereptum; vt nemo causam illorum, aut negotiorum procurationem apud regium forum suscipere permitteretur. Impune itaque contumelijs, damnis, & iniurijs afficiebantur. Qui pecuniam largiebantur, regiæ se opis præsidio sepiebant, ad anathema declinandum. Edictumque est, ne quis in huiusmodi, anathema aliquod promulgaret, & si promulgaret, in carceres detrudendum. His terroribus omnes fere succumbentes, quintam bonorum suorum partem Regi donarunt, vt vexationem suam redimerent. Solus ROBERTVS solitam constantiam retinuit, omnium possessionum suarum commodo propterea spoliatus. Inter alios vero, qui regiæ voluntati subscripsere, fuit & *Ofsetensis* apud *Oxonium* Abbas: quem ROBERTVS, inscius illius promisli, obuium forte osculo excepit. At mox à sacellanis admonitus, quod decretum ille *Bonifacianum* violasset, reuocatum graui & acri obiurgatione incessit. Quæ tantum illi doloris inussit, vt mox ad hospitium profectus, post paucas horas animam exhalarit. Redijt tamen non ita multo post EDOVARDVS in gratiam cum ROBERTO, iter iam in *Flandriam* cum exercitu aduersus *Gallos* ingressurus, redditæque sunt omnes illi possessiones; vtilémque, Rege absente, in principibus, vt diximus, placandis, paceque conciliandæ operam collocauit. Qua in re quid, & quanta cum fide erga Regem egisset, per literas *Dunelmensi* Episcopo, qui Regem comitabatur; & simul quæ recte & vtiliter egisset, sinistra interpretatione per æmulos, & malcuolos extenuari, deprauari, & calumnijs appeti, significat.

In dist. vita Edon. 1297.

CVM vero Rege absente *Scoti* ANGLIAM depopularentur, & res moram deliberandi longiorem non pateretur, clero accito, nouæ decimæ solutionem à clero, ad tam graues & repentinos impetus, ANGLIA præsertim Regis præsentia orbata, retundendos procurauit. Quæ quidem largitio, quoniam à libera & spontanea cleri voluntate, neque ab importuna aliqua Regis postulatione profluxit, & res præsens promptúmque remedium flagitaret, clerus nihil se contra *Bonifaciani* decreti verba, aut sententiam fecisse existimabat. Ad maiorem tamen cautionem, ne aliquis forte per ignorantiam & imprudentiam error, aut prolapsio contigisset, illum ea de re certiorem facit, veniamque, si quid forte erratum esset, supplex postulat. Sedente ROBERTO veteres leges & prærogatiuæ, importuna principum postulatione sunt renouatæ. Etsi enim tam recens erat illarum priùs renouatio, indies tamen violabantur. Quod Regis in illis renouandis factum, tam populo & principibus plausibile erat, vt quintamdecimam bonorum suorum portionem laici penderent. Actum est tum & cum ROBERTO, vt & clerus Regi similiter gratificaretur; sed ille totam rem ad summum pontificem reiecit; & in magnam deinde, post paucos annos, Regis indignationem venit. Cum enim Rex & aliunde sibi quietem parasset, & *Scotiam* quietam pacatamque & dicto audientem reddidisset, & iuramento suo, quo principibus obstrictus erat pro veteribus legibus conseruandis, per summum pontificem exolutus esset; cœpit illis, & cum primis ROBERTO negotium facessere, quod se in *Flandria* absente, quædam contra fidem & officiũ molliti essent, Id etiam, vt *Matthæus Parisiensis* tradit, vitio illi vertit, quod illos, qui ei à sacris erant, & in expeditione illum comitabantur, sacerdotijs, non moratus aut ipsius preces, aut ipsorum appellationem spoliasset. Qua tamen in re aliud sentio, cum aliud ROBERTI ipsius ad Regem literæ indicent. Detulit autem Rex apud summum pontificem, quasi reipublicæ & regni perturbatorem, qui eum ad se *Burdegalam* accersiuit, & ab officij, atque muneris administratione remouit, donec obiectata crimina idoneè diluisset. Biennióque ecclesiæ suæ, cuius interim procurationem, prouentuumque colligendorum potestatem habebant *Guielmus Tessa*, & *Petrus Amalminus*, redditu priuatus est. Quem licet ei postea pontifex restituisset, recepit eum tamen valde ægre, eumque mancum & mutilatum, & vix dimidiatum. Cuius etiam magnam partem ad sarta tecta ædificiorum, quæ valdè interim custodum incuria, ad ruinam spectabant, collocare cogebatur.

Ex regist. Flor. 1300. & 1302. & ex regist.

Flor. an 1305. & 1306.

Ex registro Flor. 1306. Nic. Trin. eod. anno.

Ex registro & literis Rob. & cleri missis ad regem Edon. 3.

ACCVRATE vero *Robertus* & reliquus clerus egit, tam cum EDOVARDO isto, quam illo altero eius filio, de immunitatibus, prærogatiuis, priuilegijs, & libertatibus, vt vocant, ecclesiæ, ex præscripto canonum, atque adeo GVLIELMI *primi* Regis, & magnæ, vt appellant, chartæ conseruandis, quæ valde labefactata & imminuta querebantur, quorum nos breuem, ad posteritatis memoriam, recensionem complectemur. Querebantur

itaque

itaque quod regij indices, in causis legatorum & testamentorum, rationumque ab herede reddendarum, & decimarum, cum petitarum æstimatio quartam partem annui redditus beneficij conficeret, & de vicariarum patronatu se immiscerent. Querebantur quod tributis & vectigalibus operarentur, quod equi & currus ecclesiasticorum, ad publicas & regias transuectiones, contra immunitates abducerentur. Quod molendini recens constructi decimę, ex regio rescripto hac frustratione, quod hactenus nullæ decimæ solutæ sint, intercipierentur; quod Episcopi, sacerdotes, qui sacerdotia & plebem suam, sua præsentia contra canones destituerent, non permitterentur, ad officium & præsentiam sui faciendam, cogere; eo quod in ærario Regis, quod *Scacarium* appellant, regijs negotijs operam darent; quod clericorum defunctorum bona, qui rationibus Regi reddendis obnoxij erant, à Rege ita occuparentur, vt heredibus aut administratoribus non liceret, ea ex voluntate defuncti erogare. Ad hæc cum Episcopatus & cœnobia vacarent, domos, vinaria, piscinas, molendina, nemora & alias ecclesiæ possessiones, luculentis detrimentis culpa eorum, qui custodes à Rege aut alijs præscripti erant, affici; cumque agri negligenter, & tenuiter colerentur, & rara semina iacerentur, successores tamen grandes summas pendere cogi, quasi iusta cultura impensa fuisset, & agri pleno & iusto semine instructi. Quòd clerici per laicos nonnunquam, præsertim in illis, quæ liberæ capellæ dicuntur, in possessionem inducerentur. Quod de Regij iudices nonnunquam in cognoscendo de vsuris, de infamantibus, de vim sacris hominibus inferentibus, de sacrilegio, de oblationibus, de cœmiterijs non clausis, de mortuarijs, vt appellant, iurisdictionem sibi, quam non habebant prorogarent. *Grauamina Cleri.*

IAM ad impediendam ecclesiasticam cognitionem, prodibant rescripta regia, quæ *Prohibitiones* appellant, quæ causam à foro sacro ad regium adducebant; cúmque tandem liquidò appareret, litem nihil habere cum foro regio commune, aduersario tamen, per frustratorem ita vexato, consuli ad sumptus resarciendos non potuit, quod reseriptum impetrantis nomen non complecteretur. Deferebant etiam multi Episcoporum & sacerdotum nomina, multáque illis sæpè crimina in foro regio obiectabant; quæ cùm illi infirmassent, & exclusissent, nullis tamen calumniatores illi pœnis mulctabantur. Cleri à laicis comprehensi, deposcentibus eos Episcopis, aut non tradebantur, aut grauatè & cum onerosis conditionibus tradebantur. Cúmque clerici de criminibus, quorum in illis suspicio cadebat, idoneè in sacro foro forent purgati, rursus tamen in regio ob eandem causam irretiebantur, neque sic purgatis ablata bona reddebantur. Confugientes verò ad ecclesiam, ibi quasi in arce obsidebantur. Deferebantur regia ad Episcopos rescripta, vt cautione accepta, etiam antè satisfactionem, implicitos anathemate liberarent. Quique per quadraginta dies in eo hæsissent, & ideo in carcerem missi, per Vicecomites tamen, plateas & ciuitatem vbique obire permittebantur. Et coloni atque tenentes, vt appellant, Regis, anathema, in quo iam quadraginta dies pertinaciter permansissent, eo prætextu eludebant; quod extra parochiam euocari non deberent, neque contra huiusmodi frustratores, rescriptum regium de capiendo, vt appellant, excommunicato dabatur. Cumque alij vi illius rescripti comprehendi essent, dicebant se ab Episcopo prouocasse, aut non esse ex diœcesi Episcopi, magisque illis fides adhibebatur, quam Episcopo, neganti huiusmodi appellationem interpositam, aut affirmanti suæ rem esse iurisdictionis. Non permittebatur clericus, à clerico, mutuo datam pecuniam, in foro ecclesiæ reposcere. Episcopi cogebantur clericos suos in foro regio sistere, quos commodè sistere non poterant; nec excusare se poterant, licet dicerent omnem se operam quo illos sisterent, diligenter dedisse. Propter negligentiam & præfecti & præsidis, ad biennium cessantis redditus, aut certam pensionem debitam ab ecclesia soluere, excidebat ecclesia rei Dominio. Quæ se flammeo virgineo velassent, possessiones tamen defunctorum, ipsis necessitudine & cognatione iunctorum, in foro profano vendicabant.

ECCLESIARVM præsides, qui priuilegijs quibusdam nitebantur, iussique, vt scripta quibus se muniebant proferrent; interim possessiones iuris sui spoliebantur. Vicecomites & Proceres ecclesiæ præsidibus, ijsque quibus illi causas fori ecclesiastici mandauerant, molestias sæpe irrogabant, & se ita opponebant, vt causas non possent cognoscere. Cum sacerdotio donatos, Episcopi quasi inidoneos illi muneri, vel propter morum & vitæ deprauationem, vel doctrinæ inopiam, repellerent; Laici sæpe, vtrum idonei essent, aut non idonei, cognitionem sibi arripiebant. Illi, quorum maiores cœnobia construxissent, aut vicecomites frequentius iusto, cum familia & equis ad ea diuertendo, nimijs ea sumptibus exhaurie-

exhauriebant. Laici cognitionem bigamiæ, & an aliquis esset legitimis natalibus ortus, si sub illa verborum formula quæstio propoponeretur, vtrum esset quis legitimus, ad se rapiebant: At si ita conciperetur, vtrum, vt appellant, Bastardus, tum supersedebant. Sacerdotia, quæ Rex se conferre debere dicebat, lite iurispatronatus pendente, nonnunquam quinque aut sex annos, pastore contra scita canonum, quæ intra sex menses orbatis ecclesijs consuli præcipiunt, orbabantur. Querebantur etiam clerum nimis premi ex edicto illo, de quo recensuimus, de possessionibus ad manum mortuam non transferendis. Quod aut antiquari atque tolli, aut molliri & leniri, vt saltem ab vna manu mortua ad alteram; aut ab ijs vt minimum, ad quos possessiones illæ ab ecclesia promanabant, transferri possent. Hæc fere sunt, quæ emendari clerus postulabat. Quorum voto in plerisque satisfactum est, (etsi edicta ea in re principum frigide nonnunquam obseruarentur) in plerisque responsum est, rem maiorem deliberationem postulare. De quibus rebus omnibus, si quis vberius scire velit, illum ego ad *Cantuarienses* ecclesiæ archiua remitto.

Vide statutum circumspectè agatis an. 13. Edw. 1.

CELESTINVS qui ROBERTVM sacrauit Archiepiscopum, post quinque menses & septem dies, nouo in ea sede exemplo, in quo neminem præeuntem vel sequentem habuit; illa se dignitate vltro exuens, BONIFACIVM *octauum*, BENEDICTVM, & CLEMENTEM quintum successores habuit. BONIFACII & CLEMENTIS variæ ad ROBERTVM, & ROBERTI ad illos literæ visuntur. Variis à *Romana* sede, præsertim à CELESTINO priuilegijs, & prærogatiuis honestatus est. Inter quę & illud erat, vt in qualibet Cathedrali, aliisque insignioribus suæ prouinciæ ecclesijs, vnam quam vocant prębendam, cui velit, arbitrio suo largiri possit, quo beneficio sępe vsus est: vtque quatuor ex ijs, qui illi ad sacra inseruiebant, duobus sacerdotijs siue beneficijs, etiam si alterum dignitatis (vt appellant) titulo ornaretur, augere sibi liceret. Et quoniam, multa BONIFACIVS acta CELESTINI resciderat, agit cum *Iacobo* & alijs Cardinalibus ROBERTVS per literas, vt beneficia illa CELESTINI, sarta tecta & integra sibi manerent. Extant inter alias ROBERTI & cleri *Anglicani*, ad *Hugonem*, & alios Cardinales literæ, quibus rogant, vt ipsi BONIFACIO suggerant, quo summa illa pecuniæ, quæ clero ANGLIAE per *Albanensem* & *Prænestinum* Cardinales, legatos BONIFACII in ANGLIA, ad sumptus legationis imposita erat, quòd nimis clerum exhauriret, minueretur; vtque liberarentur multi ab anathemate, in quod, ob eam non depensam, inciderunt. Querebantur etiam, quod æstimatio beneficiorum, quæ recens inita erat, ob decimas in terræ sanctæ subsidium contribuendas, plus iusto immoderatior esset: præsertim cum quotidie ea ad deteriorem conditionem laberentur; postulabántque rem ad priorem & *Nordouicensem* æstimationem reuocari. Querebantur quòd Apostolicæ sedis nuncius, ampliorem summam, quàm quæ de more, & antiquitus præstari solebat, pro pensione annua illius sedis, quam *denarios* PETRI appellant, flagitaret; * séque interponeret, ne Episcopi Clericorum suorum, ab intestato decedentium, bona ex antiquo instituto & more collocare & erogare possent. Exigebat & BONIFACIVS à ROBERTO sex millia Marcarum, quę dicebantur ex commemorata decima apud eum residisse. Sed ille respondit, nec ad se, nec ad suos illam vnquam pecuniam peruenisse, nec illius colligendę curam sibi, sed alijs mandatam. Visuntur & CLEMENTIS ad ROBERTVM literę, quibus vehementer conqueritur, de immunitatibus & libertatibus, vt vocant, ecclesiæ valdè in ANGLIA labefactatis; eiusque rei aliquot, quę nos iam prius commemorauimus, recenset exempla. Conqueritur se, quo minùs, quod a decessoribus suis factũ erat, beneficia in ANGLIA largiatur, impediri. Conqueritur nuncijs suis in ANGLIA, prębsertim *Gulielmo de Praco* (qui in carcerem etiam missus est, dum beneficiorum quorundam, quę CLEMENS sibi & ecclesię suæ vsibus attribuerat, emolumenta colligeret) contumelias & iniurias irrogatas. Conqueritur Regis mandato impediri ROMAM à se euocatos, ne profectionem capessant, neque à se anathemate deuotos, cum in eo contumacia illorũ per quadraginta dies indurueri, nuncijs eius id postulantibus, ex regio rescripto carceribus mandari. Conqueritur denique regem EDOVARDVM quindecim iam annos, pensionem illam annuã mille marcarum, quam ANGLIAE Reges sedi *Romanæ* pendebant, non soluisse. Mandat itaque vt accuratè cum EDOVARDO filio, qui patri iam successerat, agat, vt ijs rebus omnibus idoneum maturè remedium adhibeat. Conspiciuntur & alię CLEMENTIS ad ROBERTVM, et alios Episcopos contra *Templarios* literæ. In quibus ille significat, cum primum ad eam dignitatem vocatus esset, tam grauia & detestanda ad se contra *Templariorum* ordinem crimina delata fuisse, vt fidem huiusmodi delationi nulla ratione adhibuerit. Sed cùm infamia illorum & accusatio indies ingraueſceret,

In registro.

** al. atque se.*

veſceretur,& *Philippus Galliæ* Rex rem iam valde vrgeret (qua tamen in re nullum ſuum commodum ſequebatur,cum nihil de ipſorum bonis ſibi intercipere cogitaret, quippe qui omnia quæ in ipſius ditione reperirentur Romanæ ſedis arbitrio adminiſtranda, atque collocanda permiſiſſet, ea prius ſeſe ſerio de causa illa cognoſcenda cogitare. Accerſiſſe itaque ad ſe quendam conſpicuæ apud eos authoritatis,& claris parentibus ortum,qui iureiurando conſtrictus, immania quædam crimina detegebat. Accerſiſſe & duodecim alios,eorumque confeſſionem eodem recidiſſe. Mandaſſe deinde vt magiſtri,& præceptores ordinis, ex *Normannia*, *Aquitania*,& *Pictauia* ad ſe euocarentur. Ceterum quoniam quidam eorum tam graui ægritudine laborarent, vt equos aſcendere nequirent,tres Cardinales miſit,qui de tota re accurate ab eis inquirerent. Qui & ipſi tam à ſe quam a ſocijs,ingentia piacula per libidinem præpoſteram & execrandam,propter Chriſti crucem à ſe conſputam,ipſamque Chriſti fidem clam à ſe renunciatam,admiſſa fatebantur. Quorum veniam & indulgentiam, ſubmiſſi in genua, manibus compoſitis,magnaque lachrymarum effuſione ſupplices poſtulabant; vtque eccleſiæ & fidei, quam perfidè prodiderant,ab anathemate, in quod ſuo ſcelere ceciderant liberati, redderentur. Mandat itaque vt ROBERTVS & ceteri Epiſcopi, quamprimum ad Synodum coeant, omni diligentia de tanta re deliberaturi, vtque ſolerti & acri inueſtigatione *Templarios* omnes in ANGLIA excutiant, & de huiuſmodi facinoribus accurate inquirant; omniaque interim tam bona mouentia,quam *Templariorum* poſſeſſiones ad ſuam cuſtodiam reuocent: aut illis,ſi innocentes reperiantur,reddenda,aut ſacræ terræ vſibus, ſi huiuſmodi in illis crimina hærerent, accommodanda & attribuenda. Significat etiam ſe in *Scotiam*, *Hiberniam*, *Norueg iam*, & *Daciam* ob eandem cauſam literas & nuncios ſuos miſiſſe. Et quoniam res tanti eſſet momenti,& iuſtum aliquod tempus, vt omnia maturè,rectè, atque idoneè fierent, poſtularet,& ne tam grauem cauſam incõſulta aliqua facilitate precipitaret, biennio poſt apud *Viennam Galliæ*,ſe Oecumenicam ſynodum indicere ſcribit; in qua omnium iudicijs & ſententijs auditis, & perpenſis,totaque re exploratè & exquiſitè cognita,ſe quod Chriſti religio, & rei æquitas flagitaret,conſtituturum dicit. Cui ſynodo Archiepiſcopos *Cantuarienſem* & *Eboracenſem*, *Londinenſem*, *Wintonienſem*, *Wigornienſem*,& *Lincolnienſem* Epiſcopos, vt omni excuſatione remota,interſint,præcipit. Conuenit itaque poſtea *Londini* frequens Synodus: ſed quid ibi actum ſit,non ſatis explicatam recenſionem adhuc reperio. Sed, cum has CLEMENS literas *Auguſto* menſe,tertioque pontificatus ſui anno miſiſſet,*Iulioque* prius Rex EDOVARDVS in fata conceſſiſſet; *Ianuario* ſequenti,omnes per ANGLIAM vno eodemque die *Templarij* comprehenſi, varijs cuſtodijs paſſim attributi ſunt. Vtrum aliqui,quod in *Francia* factum eſt, (in qua ſexaginta illorum exuſti traduntur) vltimo ſupplicio addicti fuerint, non ſatis ſcio. Reperio *Templarios Eboraci*,obiecta huiuſmodi piacula conſtanter negaſſe, *Londini* verò quoſdam illa agnouiſſe. Sed cum CLEMENS in œcumenico *Viennæ* Concilio ordinem illum abrogaſſet, bonaque ac poſſeſſiones *Templariorum Hoſpitalarijs* addixiſſet (quibus mox illi inſtructi, *Rhodum Turcis*, quæ in Chriſtianorum poteſtate ad noſtram pæne memoriam permanſit,eripuiſſent) diſceptatum eſt in ANGLIA, ad quem potiſſimum bona & poſſeſſiones *Templariorum* ex iuris præſcripto recidere deberent. Et licet qui patrium noſtrũ ius callebant,ex regni noſtri ſcitis, fiſco illa commiſſa dicerent; noluit ea tamen Rex in ſuum commodum conuertere,ſed ad *Hoſpitalarios* commemoratos tranſtulit. Quod & omnium ordinum homines in ampliſſimo illo ſuo, quem *Parlamentum* vocant, conuentu corroborarunt. Seuerus & acer fuit ROBERTVS in peccatis vindicandis; eoſque qui ſtupris & adulterijs ſe contaminaſſent, fuſtibus palam cædi mandauit. Priuilegia etiam ſuæ eccleſiæ *Cantuarienſis* acriter defenſabat. Inter quæ erat,ne vſufructuarij aut tenentes, vt appellant, vectigalia aut telonia vlla ſoluerent. Anathema etiam illis inuſſit,qui *Cantuariæ* aut aliarum eccleſiarum prærogatiuas,& immunitates labefactarent, reliquoſque Epiſcopos ad denunciandum hortatus eſt. Diligenter etiam prohibuit ne mercaturæ, negociationes & lites in cauſis profanis, in templis aut cœmiteriis exercerentur; neue iuſiurandum in litibus huiuſmodi,per iuſtitiæ præfectos in quadrageſima,aut ijs diebus,qui præcedunt Chriſti natalem,deferretur. Quanquam nonnunquam,ob vrgentes cauſas,præfectis id permiſerit,ſpeciali ſcriptiſque comprehenſa licentia. Defuncto autem EDOVARDO Rege, cum ROBERTVS *Romæ* ſe iſtiſſet, vt crimina ſibi ab EDOVARDO intentata diluceret, CLEMENS nuncios ad filium EDOVARDVM miſit,rogauitque an criminationem,contra ROBERTVM à patre inchoatam, perſequi vellet. Qui reſpondit,ſe eum vt patrem eximium colere, neque ſcire grauius aliquod crimen quod illi vitio vertat; multoque ſe malle illum domi,vt ſuſcepto officio munereque de-

Addit ad Nich. Triuet in vitam Edou. primum.

fungatur, quàm in exilio manere. Absoluit itaque ROBERTVM CLEMENS, & famæ ac possessionibus reddidit. Cui cùm ille ob clementiam gratias officiosissimè egisset, ANGLIAM repetit, & Calendis deinde *Aprilis Douerium* appulit. Proximo deinde anno, qui *Viennensem* Synodum excepit, viuere desijt, cum iam nouemdecim annos ecclesiam gubernasset, & paulò ante obitum concilij principum cogendi author fuisset; in quo cum multa alia è Reipublicæ vsu, tum illud sancitum, vt *Spenserij* & alij, quos adolescens Rex in delicijs habuit, & qui omnia illius facta gubernabant, quique perditis consilijs adolescentem nefariè deprauabant, profligarentur, alijque moderati & prudentes homines res publicas administrarent. ROBERTIque potissimum opera & suasione, Rex iuramento promisit se ijs staturum, quæ decreta essent. Sed cum fidem deinceps falleret, in certam, vt posteà dicemus, perniciem tam inconsulta leuitate prorsit.

De quibusdam Cantuariensis *ecclesiæ hoc sæculo Archidiaconis.*

CAPVT X.

CVM IOANNES regni habénas moderaretur, *Simon Langtonus* Archidiaconatu *Cantuariensi* ornabatur, STEPHANI Archiepiscopi frater. Et vt STEPHANVS legato Pontificio in ANGLIA, quòd ad se vacantium ecclesiarum donationes raperet; ita *Simon Romæ Pandulpho*, quem legatus eo miserat, vt quoad poterat, STEPHANVM in inuidiam apud Pontificem traheret, sed parum fructuosè, restitit. *Eboracenses* eum sibi deinde Canonici Archiepiscopum creant, sed Rex suis apud summum Pontificem criminationibus adeò profecit, vt pontifex eum prorsus reijceret. In ciuilibus illis dissensionibus, quibus principes *Ludouicum Gallum*, vt eum Regem constituerent, accersiuere, *Ludouico Simon* adhesit. Quare à *VVallone* legato pontificio nominatim anathemate insultus est. Quod ille sub prætextu appellationis contemnens, ausus est se sacris nihilominus ingerere. *Matth. Pa. 1217.* Pacificatione itaque cum *Ludouico* inita, legatus omnibus eum beneficijs exutum, misit *Romam* ad summum pontificem. Monachorum *Cantuariensium* acer fuit *Simon* aduersarius, quibus, omnibus se viribus *Romæ* opposuit, cum ab anathemate, quo eos EDMVNDVS *Cantuariensis* inuoluerat, explicari & solui postularent. Peruenit ad annum millesimum ducentesimum quadragesimum octauum, quo defunctus est, vt & *Ioannes Blondus* Cantuariensis, vt diximus, Archiepiscopus designatus, sed ab ea dignitate (*Simone* maximè eum insectante) à summo Pontifice reiectus.

HAC etiam inter alios dignitate *Henricus Staffordius*, *Gulielmus Medletonus*, & *Robertus VVinchelseius* honestati sunt: HENRICVS *Roffensis*, GVLIELMVS *Nordouicensis* Episcopus, ROBERTVS ex Archidiacono Archiepiscopus postea designatus est. Archidiaconatum deinde suscepit *Richardus Feringius*. Cui *Dublinensi* Archiepiscopatu donato, & obeunti dum reuerteretur à *Roma*, BONIFACIVS *Ioannem Langtonum*, Regis cancellarium in Archidiaconatu suffecit. Inter quem & ROBERTVM aliquot postea controuersiæ interceserunt, atque etiam monachos *Cantuarienses*. Nam ille iurisdictionem, vacante sede *Cantuariensi*, ad se trahebat. Est quidem *Cantuariensis* ceterorum in ANGLIA Archidiaconorum antesignanus, habétque, & hoc etiam sæculo habuit id prærogatiuæ, vt designatos & initiatos Episcopos, quasi in præsenti rerum omnium possessione constituat: Ad quam possessionem tradendam, solebat ipse proficisci ad Episcopum in possessione locandum. Quibus temporibus equum Episcopi, & penulum ad suos vsus, & viginti præterea aureos ad sumptus accipiebat. Moris præterea erat, vt ex argenteo aut deaurato quodam poculo Episcopus ei in mensa præbiberet, acceptúmque poculum ad Archidiaconi commodum cederet. Posterioribus, & nostris præsertim temporibus, Archidiaconi possessionem hanc tradendi prouinciam, alijs per literas mandantes, ipsi non proficiscebantur, viginti illos aureos solummodò sibi decerpentes. ROBERTVS vero monachorum contra *Ioannem* causam, missis ad Cardinales literis *Romæ* fouebat. Cui, sed proximo sæculo, ad *Ciceftrensem* Episcopatum prouecto, *Bernardus* CLEMENTIS pontificis donatione successit. In quem delata est ad CLEMENTEM pontificem querela, fuisse ROBERTVM plus iusto iniquum & infestum. Quam ille per literas calumniam dissipat.

Matth. Pa. 1248. Flor. 1278. & dominus author in vita Edouardi a. 1295.

Ex registro & dict. an. 1198. Flor. an. 1303. Ex registro.

De

De quibusdam Cantiæ *cœnobijs, déque Diuis* Dominico & Francisco, *eorumque sectatoribus hoc sæculo* ANGLIAM *ingressis, deque cade* Thomæ *monachi apud* Doueriam.

CAPVT XI.

RECENSVIMVS iam antea varias & graues procellas & fluctus, quibus *Cantuarienses* monachi, propter sua in Archiepiscopo optando suffragia, agitati & iactati sunt. Sed immanior ceteris illa tempestas fuit, quæ eos inuoluit, propter repulsam *Ioannis Nordouicensis*, cui Rex ad eam dignitatem prouehendo, omnes suas vires adhibuit, & STEPHANVM, de quo diximus, *Langtonum* suffectum. Qua ex causa intemperanti Rex aduersus eos ira efferatus, misit *Cantuariam Fulconem Canteloium*, & *Henricum Cornhellium* inimicissimos homines, qui monachos vt maiestatis regiæ læsæ reos, vel regno extruderent, vel è medio tollerent. E quibus * sexaginta quatuor proscripti traduntur. Qui mare traijcientes alij apud diuum *Bertinum* in *Flandria*, alij alibi se collocarunt. Inuasitque Rex tam Archiepiscopi quam monachorum possessiones, lacunámque illam immissis *Augustinianis* monachis repleuit. Septimo tamen post anno, concordia & pace cum *Romana* sede sancita, vna cum Episcopis, vt diximus, exulibus, pristinis sedibus redduntur. Fuere ad IOANNIS *Pechami* tempora monachi eiusdem cœnobij, qui à cœnobio digressi, ruri in possessionibus cœnobij vitam agerent, earum sibi fructus importunè, & contra scita canonum attribuentes, vitámque aliter longè, quam pro disciplinæ suę ratione, in delicijs & voluptatibus intemperanter transigentes. Quos *Thomas Rigmerus* Prior, vir probus & pius domum reuocauit, cauitque ne deinceps monachi, sed bonæ fidei laici possessionum cœnobij curam agerent. Cui & suam IOANNES opem atque authoritatem diligenter adiunxit. Sed importuni quidam homines, qui suæ intemperantiæ frenum impositum dolebant, omnia contra *Thomam*, quem è dignitate mouere conabantur, & IOANNEM etiam calumnijs suis sursum & deorsum mouebant, falso criminantes eum, quasi ecclesiæ sigillum & possessiones, ad suum commodum deriuare, & transferre cogitaret. Multa certe ille, vt & successor ROBERTVS decreta edidit, ad monasticæ vitæ in cœnobio illo, & disciplinæ rationem & normam sartam tectam tuendam, valde accommoda. Cumque triginta, ex iusto & antiquo monachorum numero, deessent, ROBERTVS ad priorem eos numerum reuocauit, *Thomas* vero ille Prior *Cisterciensium* se postea disciplinæ dedit: deinde & asperiora meditatus, anachoretam egit.

Matth. Pa. 1206 207 & 1 Io. Leland.

* *al.* quinquaginta *quatuor.*

AVGVSTINIANI vero *Cantuarienses* monachi, cum PECHAMVS Regem in eo cœnobio inuiseret, cruce vt moris est, ante se delata, putabant priuilegia sui cœnobij inde imminuta. Ad quos ille scribit, se nihil minus cogitare, quam vt priuilegijs ipsorum deroget. Et cum pro officio teneatur Regem inuisere, imo cum ipsi Archiepiscopum deberent ex veteri instituto, certis diebus ad missas celebrandas inuitare, & neutrum præstare pro officii & dignitatis suæ ratione possit, nisi crucem de more ante se deferri curaret; non esse quod ipsi, quicquam iniustre de prærogatiuis suis inde abolendis, cogitarent. Admonétque eos præterea, etsi forsan cœnobium à iurisdictione Archiepiscopi liberum foret, cum tamen ipsi haberent varias ecclesias cœnobio attributas (aut appropriatas vt appellant) non posse priuilegium ipsorum ad huiusmodi ecclesias, nisi distertis verbis in eo contineantur, produci. De quibus ecclesiis parochialibus numero quadraginta quatuor, cum omnem sibi in illis, excluso Archiepiscopo, monachi iurisdictionem vendicarent; magna orta est inter eos, & ROBERTVM postea Archiepiscopum, apud *Romanam* sedem controuersia. Ad quam fouendam, rescriptum quoddam, quod à BONIFACIO impetrarant monachi, multum illos animabat. In quibus locis, præsertim apud oppidum *Feuershamium*, propter mutuas huiusmodi contentiones, magna pietatis iactura in populo contigit, cum monachi anathema contra ipsos latum nihil penderent; & dum vtrinque iurisdictionem, causarumque cognitionem ad se tumultuose raperent, à rixa & contumelijs, nonnunquam ad plagas & cædes hominum res ingraueſceret. Id quod BONIFACIO ROBERTVS significauit, videtúrque sententia tandem pro ROBERTO contra monachos (licet illi adhuc reniterentur) per BONIFACIVM lata. Qua de re BENEDICTVM, BONIFACII successorem ille admonet, eiusque etiam authoritatem adiungi decreto illi postulat. Et quoniam varię ex ijs, cum vacarent, quarum mo-

nachi erant patroni, propter litem illam interpositam pastoribus adhuc destituerentur, licèt propter cessationem monachorum, potestas illas conferendi, ad ROBERTVM deuoluta videretur; noluit ille se tamen interponere, donec BENEDICTVS ea de re pronunciasset.

FRANCISCANI, *Dominicani*, *Augustiniani*, & *Carmelitæ* fratres hoc sæculo in ANGLIA; & *Franciscani* quidam atque *Dominicani Cantuariæ* sedes suas primum posuere. Et certè cum iam mundus ad vitia magis atque magis prorueret, imò, & qui monasticam profiterentur, laxiùs & dissolutiùs quotidie viuerent; exhibuit mundo diuina prouidentia, duos insignes inter ceteros athletas, *Dominicum* dico, & *Franciscum*, eorumque deinceps assecla, qui homines mundo nimis alte indormientes, & quasi è veterno ad accuratiorem, & plane Apostolicam quandam vitæ rationem, suo exemplo tam claro & illustri, in omniumque oculis exposito, & infinitis insignibusque per deum prodigijs commendato, excitarent. Eodem vterque tempore & anno fere, sectam & disciplinam suam condidit, atque promulgauit. Præclaram cum primis & valde fructuosam *Dominicus* in *Allijs* siue *Albigensibus*, in comitatu *Tholosano* ad fidem catholicam reducendis hæreticis, operam posuit. Quorum aliqui, cum clam nostros in ANGLIA corrumpere conarentur, comprehensi flammis exusti sunt. Nec minus fructuosam discipuli eius paulo post cum alibi, tum in *Asia* aduersus *Nestorianos*, *Iacobitas*, & alios id genus posuere. Eodemque, vno aut altero remoto, *Franciscani* & *Dominicani* anno, ANGLIAM ingressi sunt. Quo primum die *Dominicani Cantuariam* venere numero quidem tredecim, quibus *Gilbertus* præerat, & STEPHANVM *Cantuariensem* adijssent, qui cogitabat concionem eadem die habere; *Gilbertum* rogabat, vt concionaretur, idque eodem tempore, in eóque templo, vbi ipse concionari instituerat. Cuius cum ille desiderio satisfeciisset, admiratus tantam ex tempore dicendi in homine facultatem, summopere postea ipsum, & socios complectebatur & fouebat.

Dominicus 1205
Franciscus 1209.
Onuphr. diff. annis.
In vita eius.
Polid. li. 7. c. 33.
Matth. Pa. 1237.
Anno 1224.
Polich li. 7 c 34
Francisc. 1222.
Fab. 1221. *vt Nich. Triuet.*
Nich. dict. an. 1222.

ET *Franciscani* quidem, cum aliquandiu *Cantuariæ* commorati essent, *Londinum* deinde profecti sunt, vbi illis ædes postea ISABELLA, EDOVARDI *secundi* VXOR, construxit, quas tamen MARGARETA EDOVARDI *primi* VXOR inchoauerat. Venere deinde *Oxoniam*, & per varias postea ANGLIAE regiones dispersi sunt. Et vt alibi *Franciscus*, tam in mortali corpore positus, quam post obitum, insignia prodigia edidit; ita certè non minus illustria apud nos, post obitum designasse traditur. Quæ si quis desideret, potest ille quædam ex illis apud authorem meum, qui illis temporibus vixit, reperire. Post quæ tempora, multi se ANGLI & aliquot etiam vel genere, vel doctrina, & alijs donis illustres, familiæ se *Dominicanorum* & *Franciscanorum* ascripsere. Et *Dominicanis* quidem se adiunxit primus ex ANGLIS *Ioannes Ægidius*, apud oppidum diui ALBANI natus: qui *Philippi Francorum* medicus fuerat, animumque deinde ad Theologiæ studium transtulit, quam *Lutetiæ* palam, & *Oxoniæ* deinde, magnaque cum laude professus est. Cœpit deinde animum adijcere *Dominicanorum* disciplinæ. Cumque tertia generalis illorum Synodus *Parisijs* celebraretur, concionemque ad clerium *Ioannes* haberet, in qua vehementibus inductionibus & persuasionibus vtebatur, quibus homines ad spontaneam rerum abdicationem, & indiuulsum Christi seruitium atque obsequium * proliceret; ecce in media concione è suggestu descendens, veterique exuta, *Dominicani* institutum vestem induit, moxque ad absoluendam concionē ad suggestum redijt. Varia in re philosophica, medica, & theologica conscripsit. Post septennium celebris huius societatis coijt *Bononiæ* Synodus, in qua magna omnium consensione cautum, ne liceret vlla ratione huius disciplinæ cœnobijs redditus annuos, aut possessiones vllas accipere. Inter ceteros nostrates, qui hoc postea institutum hoc sæculo arripuere, fuit *Nicolaus Triuetus Thomæ Triueti* aurati equitis, summæ iustitiæ in ANGLIA præfecti filius; vir non solum eximia pietate, sed pro ea ætate omnibus bonis artibus, & cum primis in re theologica, & historiarum cognitione instructissimus. Quod & libri eius testantur.

In dict. vitæ Edon. 1289 1290. apud Oxoniam, Berwicum & alibi.
Leland Nic Trim. 1221.
** al. pelliceret.*
Nich. Trev. 122
Leland. vide Triuet. 1272.

FRANCISCI vero institutum primus ex ANGLIS, aut inter primos *Alexander Halensis*, quo tempore celeberrimus erat inter *Parisienses* Theologos, ob summam Theologiæ, quam magno cum auditorum fructu perlegebat, *Ioannis* forte exemplo prouocatus, amplexus est. Cuius, inter cęteros, discipuli erant *Thomas Aquinas*, *Bonauentura* & *Guilielmus Guarro*. De singulari eius in rebus Theologicis cognitione, non est quod plura addam, cum eam abunde monumenta eius, quæ hodie visuntur, prodant. Est in hac diœcesi extremum omnium ad orientem *Douoriæ* oppidum, insigni portu & arce, atque cœnobio *Benedictinorum* celebre. Quod *Galli*, ardente inter illos & nos bello, spoliarunt & vastarunt. Monachi vero omnes, vt

Io. Leland Triuet. dict. anno 1224.

salutí

saluti suę consulerent, alij alio diffugêre. Solus *Thomas* vir pius, & infracto ad mortem animo, ne pedem quidem vllis persuasionibus è monasterio mouere voluit. Hunc igitur *Galli* magnis minis terroribusque vrgebant, vt thesaurum ornamentáque ecclesiæ proderet. Qui cum adeo illis non acquiesceret, vt seueris præterea eos verbis, ob sacrilegos ipsorum ausus castigaret, ab illis, vehementi ira inflammatis, iugulatus est, Nonis *Augusti*. Quem Deus varijs, & insignibus post obitum miraculis nobilitauit. Magnum hæc oppidi & cœnobij (vbi, à quo primum tempore conditum erat, singularem quandam præcipuámque *Cantuarienses* Archiepiscopi authoritatem, HENRICI Regis, qui illud condidit, beneficio adepti sunt) direptio & depopulatio dolorem ROBERTO inussit. Qui cum nihil aliud posset, anathemate & diris depopulatores illos publicè execrabatur. Est & *Feuershamiæ Benedictinorum* cœnobium. Cuius præsidem ad suam *Benedictini* Synodum accersiuerat. Oppositum se IOANNES *Pechamus*, & missis ad eos literis, significauit cœnobium illud tantummodo, ex omnibus alijs suę diœceseos cœnobijs, ita esse suæ solius iurisdictioni & potestati attributum, vt nullam aliam in ANGLIA agnoscere cogeretur.

Ioan. Lond. in chron. & Flor. 1192.

Ex registro.

De Episcopis Roffensibus.

CAPVT XII.

AD quartum IOANNIS annum, GVLIELMVS *Lincolniensis* à GVLIELMO *Londinensi Westmonasterij* initiatus est. Cui initiationi interfuit GILBERTVS *Glanduilla Roffensis* Episcopus. Qui post decem deinde annos, vitam hanc mortalem exuit. Succedit GILBERTO BENEDICTVS præcentor templi diui PAVLI *Lonaini*, & huic post decennium HENRICVS *Stanfordius Cantuariensis* prius Archidiaconus. Qui *Romam* proximo anno missus est à Rege & Episcopis, ad labefactandam *Cantuariensium* monachorum electionem de *Waltero*, quem illi *Cantuariensem* Episcopum creârant. Per hunc *Cantuariæ* consecrati sunt RICHARDVS *Cantuariensis* Archiepiscopus, ROGERIVS *Londinensis* & HVGO *Eliensis* Episcopi. *Henricus* iste, cum in sacerdotum apud *Sittingburniam* initiatione, IOANNE *Cantuariensi* designato, magnaque populi & cleri frequentia præsenti concionem habuisset; ingenti fiducia palam asseruit, RICHARDVM Regem STEPHANVMque *Cantuariensem* Archiepiscopum, cum vno sacerdote, qui STEPHANO erat à sacris, vno eodémque nuper die, ab expiatricibus pœnis, quibus post mortem peccata eluuntur, solutos & liberatos, in cœlum emigrasse. Id quod sibi, & alij cuidam ter repetita patefactione, ita commonstratum narrauit, vt nullum sibi, vel alijs ea de re scrupulum in animo residere debere diceret. Post eius obitum RICHARDVS *Wendouerus* eam administrationem obiuit, ad annum Christi millesimum ducentesimum quinquagesimum. Homo quidem doctus, quem tamen EDMVNDVS *Cantuariensis* non admisit ad eam functionem. Quare monachi *Roffenses* ad summum pontificem prouocauerunt. Qui & eorum electionem, EDMVNDI reiectione infirmata, ratam habuit. Et consecratus quidem est deinde *Cantuariæ*, sed non in principe ecclesia (cui ab EDMVNDO sacris interdictum erat) sed apud diuum GREGORIVM. Humatus est non *Roffæ* sed *Westmonasterij*, Rege ad eam rem operam dante, non sine aliqua sanctitatis opinione. Qui cum Synodum haberet, quidam ex *Crucijferorum* secta (qui ita appellati sunt, quod cruces baculis affixas gestarent) ad eum venerunt; quæ tum primum secta in ANGLIA visa est.

Flor & Matth. 1204.

Flor. 1224.

Flor & Matth. 1216 & 1226.

Nub. Triuet appellat Gulielmum 1214.

idem 1227.

Matth. 1228. & 1229.

Vterque Matth. 1231. 1238 1250.

Flor. 1239.

Flor. dict. an. 1250. Vterque Matth. 1244.

VOCATVR deinde ad illam functionem per monachos *Roffenses* LAVRENTIVS, qui Regi erat à consilijs; veritos, ne si alium sufficerent, à Rege reijceretur. Is regia negotia *Romæ* diu procurauerat, adque rem iam attentior, effecit, vt nouo exemplo, non modo aliquandiu veteres ecclesiasticas possessiones sibi retineret, sed & ad quinquennium, quintam ecclesiasticorum in sua diœcesi reddituum partem, sibi ex gratia pontificia acquireret, cum summam Episcopatus iejunitatem & sterilitatem causaretur. Qui dum suos ita emungit, admirabile quoddam & stupendum per puerum quendam, qui vix bimatum excesserat, spectaculum, cum incredibili multorum beneficio, quos ille solo crucis signo, à varijs & grauibus morbis liberauit, in ea diœcesi oblatum est. Vehemens & acris inter eum & BONIFACIVM *Cantuariensem* fuit contentio, quem apud summum pontificem deferebat, quod ecclesiæ suæ possessiones per vim occupasset. Quibus querelis vt responderet,

Matth. Pa. 1250. 1251 & 1252. Flor. 1256.

Matth. Pa. 1256.

BONIFACIVS *Romam* accersitus est. In LAVRENTII demortui locum WALTERVS *Nich Trin.127. Polid. li. 17. qui appellat Gulielmum.* *Mertonus* suffectus est, qui prius fuerat EDOVARDI Regis Cancellarius. Qui vt bonas literas magis promoueret, collegium, quod nomen ab ipso hodie mutuatur, virisque in omni disciplina accurate doctis abundat, *Oxonii* instituit, præsidijsque, quibus sumptus discentibus suppeditarentur, liberaliter ornauit. Qui ad annum Christi millesimum ducentesimum *Flor 1278. Hov. ibid.* septuagesimum octauum obijsse traditur. Pro eo suffectus est quidam monachus *Rossensis*, cuius nomen author meus reticet. Reperio tamen alibi *Ioannem*, in fallor, appellari. Cui *In registro.* & IOANNES *Chirbeius* successit. fuit ille quidem *Couentrensis* Archidiaconus, & Regi à *al. Ioannem.* sacris. Elegerant vero monachi alium, sed* IOANNES cum PECHMVS, qui ad se omnem in illo Episcopatu vacante iurisdictionem pertinere asserebat, tam in profanis quam sacris, vt parum idoneum reiecerat. Dat illis igitur de integro alium optandi facultatem. Qui *Chirbeium* optant. Quem licet se merito posse reijcere diceret, probauit tamen electum protestatus, ne id ad suæ ecclesiæ detrimentum cederet, qui solebat antequam EDMVNDVS sederet, de pastore *Rossensis* ecclesiæ prospicere.

PRAEFVIT huic postea sedi THOMAS. Cuius diœcesim cum authoritate sua Metropolitana, ad statum illius inquirendum & reformandum, obiret IOANNES *Pechamus*, varia aduersus Priorem *Rossensem*, & Abbatem *Lesneium* crimina ad eum delata sunt. Quorum *In registro ad an. 1283.* ille diligentius & exactius inuestigandorum, & in ea animaduertendi potestatem, THOMAE Episcopo demandat. Delata vero est ad eum querela, quod cum *Rossenses* ciues nullam aliam parochialem ecclesiam haberent, præter cœnobium, monachique singulis noctibus portas cœnobij clauderent; & interdiu matutinis fraudarentur, & noctu, & sæpe Eucharistia, & alijs sacramentis. Quare mandauit vt, aut noctu ianuæ cœnobij paterent, aut templum monachi peculiare parochianis construerent. *Ex registro.*

De Episcopis Londinensibus.

CAPVT XIII.

Matth. Pa 1199 & 1213. AD primordia regni IOANNIS GVLIELMVS *Londinensem* sedem adipiscitur. Is, rebus per IOANNEM exacerbatis in ANGLIA, cum *Cantuariensi* & alijs Episcopis *Romam* profugiens, postea cum ijsdem in IOANNIS gratiam priorémque conditionem restitutus est. Qui dum *Idem 1206.* hoc sacro munere defungitur; *Thurcillus* quidam, qui *Tidstudiæ* villam in *Estsexia* inhabitabat, cum sanus cubitum iret, per duos postea dies & totidem noctes, quasi exanimis, voce sensúque omni spoliatus, lecto affixus est. Deinde ad se rediens, pristinæque valetudini redditus, mira referebat de inferorum & expiatorijs animarum, quas viderat in extasim raptus, pœnis. Idque præter morem tam promptè, tam culta & eleganti oratione, cum rusticæ vitæ operam daret, vt magnam omnibus audientibus admirationem, multisque ingentes lachrymas & lamentationes excitaret. Quæ si quis scire accuratius desiderat, eum ego ad authorem meum, qui eorundem temporum æqualis fuit, reijciam. Post paucos deinde annos, pernicioſum incendium in suburbio ciuitatis *Londinensis*, apud *Suthuerkium* ortum, ecclesiam Beatæ MARIAE, cum magna parte suburbij, cum ædibus, quæ super pontem structæ erant, & sacello ibidem locato, cum magna ciuitatis parte, hominesque plus mi- *Vterque Matth. 1212. Ibid 1221.* nus mille, miserabiliter absumpsit. Cumque GVLIELMVS sponte se ea dignitate abdicasset, EVSTACHIVS *Faucumbergius*, qui erat à thesauro ærarij regij (quod scaccarium *Nich Trin. appellant*) eandem adeptus est, consecratus à BENEDICTO *Rossensi*; cum STEPHA- *appellat Stephanum.* NVS *Cantuariensis* ab *Anglia* abesset. In cuius locum post septennium demortui, Cano- *Idem 1228.* nici *Londinenses* ROGERIVM *Nigrum* surrogant, ciusdem ecclesiæ canonicum doctrina *Matth Pa 1229* & moribus apprime excultum. Proximo deinde anno defunctus est *Martinus Patishallius*, vir singularis prudentiæ, quique patrias atque domesticas nostras leges, & iura valde callebat.

APPLVEBAT ad hæc tempora ANGLIA exteris hominibus, præsertim *Italis*, qui multis ecclesiasticis beneficijs apud nos ornati erant. Quod cum populo valde displiceret, multis illi iniurijs passim afficiebantur, effractisque horreis frumentum illorum abripieba- *Matth. Pa. 234.* tur. Insimulatus est *Romæ* ROGERVS, quasi & ipse clam, huiusmodi violentos homines

mines foueret. Et licet innocens eſſet, *Romam* tamen euocatus eſt, grauéſque ſuſtinuit & corporis labores, itineriſque expenſas. Abundabat etiam hoc tempore, *Londonium* præſertim, veteratorijs & callidis quibuſdam mercatoribus exteris (quos *Cauſinos* appellamus) qui ſub prætextu mutuĕ vturis populum, viros præſertim eccleſiaſticos, præter fas expilabant. Quos cum ROGERVS pietate huc productus, anathemate alligaſſet, tantum illi per amicos, quos *Romæ* habebant, negotij faceſſebant homini, iam ætate & morbis confecto; vt cogeretur diſſimulatione totam rem tegere. Sacra Conuerſionis diui PAVLI die, cui princeps eccleſia *Londini* dedicata eſt, ſolemniter myſteria celebrauit. Ita vero vſu venit, vt cum eodem die ROGERVS ſacris veſtibus ornatus ſacra celebraturus, altari, in magna populi concurſantis frequentia, altaret; tenebris totus repente aër obduceretur, adeo quidem, vt vix proximum quémque quiſquam diſcerneret. Intonant deinde horrendo modo tonitrua, nec minus formidanda fulgura emicant. Quid? quod fœtor quidam non ferendus, naribus hominum aſperſus eſt. Nihilque iam homines aliud, quam aut mundi, aut ſuum certe interitum expectabant; paſſimque & tumultuarie è templo profugientes, in terram præcipites corruebant. Solus ex omni multitudine ROGERVS, cum vno quodam diacono, ad altare, animo magno & forti permanſit, expectans quid Deus ſtatueret. Paulóque poſt, omni illa cœli perturbatione euaneſcente, cœloque ſereno reddito, redijt populus, & ſacra ROGERVS abſoluit. *Vterque Matth.* 1250.

MVLTIS eccleſiaſticis hoc tempore beneficijs *Romani* inſidebant: quod multi ægre ferebant. Qui coitione inita, armiſque muniti, capitibúſque velatis obambulantes, ad *Romanorum* horrea irrumpebant, & frumentum illorum ſuo arbitrio diſtrahebant. Hi regias literas, ſigillúmque ementientes, impuniùs graſſabantur. Qui *Cincium Romanum*, *Paulinum Londini* Canonicum in itinere, atque alios apprehenſos ſecum abduxere. *Cincium* verò, poſt quinque ſeptimanas, pecunijs omnibus emunctum dimiſere. ROGERVS cum hæc audiſſet, indignè ferens tantam licentiam, anathemate deuouit omnes, qui *Cincio* vim intulerant, quiue regias literas adulterarant. Vixit ROGERVS in Epiſcopatu tredecim annis. Quem poſt mortem miraculis claruiſſe, eiuſdem temporis author meus teſtatur; *Parmenſeſque*, à quibus, cum *Romam* proficiſceretur, pecunia ſpoliatus erat, quorumque ille propterea ciuitatem execratus eſſet, cum grauiter & arctè ab *Auguſto Frederico* obſiderentur, & præſens exterminium expectarent, veritos ne hæc eis pœna ob iniuriam ROGERO illatam hæreret: ſpopondiſſe ſolemni voto *Londinenſi* eccleſiæ tantundem pecuniæ, quantum illi eripuiſſent, & deinde è ciuitate irrumpentes, *Friderici* exercitum præter omnem ſpem profligaſſe. Luctum, quem ex ROGERI obitu eccleſia *Londinenſis* capiebat, mors *Galfridi Lucij* eiuſdem eccleſiæ Decani, qui infra vnum menſem obijt, valde auxit. Eodem poſt ROGERVM munere defungitur FVLCO *Baſſetus*, *Eboracenſis* Decanus. Quem canonici *Paulini*, licet Rex plurimùm eos vrgeret, vt *Herfordienſem* ſibi Epiſcopum aſciſcerent, elegerunt. Qui aliquot cum BONIFACIO *Cantuarienſi* controuerſias habuit, de quo ad ſummum Pontificem de iniurijs acceptis, *Londinenſem* eccleſiæ ſuæ Decanum, Canonicoſque quoſdam querelam deprompturos miſit. *Matth. Pa* 1248. *Id.* 1241. *Matth. Pa* 1241 1244. 1250.

QVO quidem anno quadringenti ex omni orbe Chriſtiano, quidámque adeo ab ipſi *Hieroſolymis*, ex *Dominicanorum* ſecta *Ioanne*, ordinis, vt appellant, Prouinciali, huic Synodo præſidente, egregio lingua *Germanica* & *Italica* concionatore, *Londini* in ædibus ſuis apud *Holborne* confluxere; deliberaturi de his, quæ ad ſuam diſciplinam ſpectabant, & ſi quid forte emendationem inter fratres deſideraret. Quos cum omnibus poſſeſſionibus carerent, tertio conuentus die FVLCO aluit, reliquis deinde alij. Primo quidem die Rex; ſecundo Regina expenſas omnes miniſtrabant: interfuitque primo die Rex, ſe & regnum illorum orationibus commendans. Mandarat Epiſcopis, vt retulimus, *Romanus* Pontifex, vt ad ſuos vſus, ipſi ex eccleſiaſticis ANGLIAE beneficijs, ab ijs quidem, qui in illis reſidebant, tertiam; ab aliis dimidiatam portionem corraderent: FVLCONIque datum negotium, vt diligenter videret, quo Pontificis mandato à clero ſatisfaceret. Cum quo ille deliberans, Pontifici ſignificauit, illam poſtulationem ad totius eccleſiæ *Anglicanæ* euerſionem, & ruinam tendere, variáſque cauſas reddidit, ex communi cleri conſenſu, cur id fieri non poſſet. Quin & Rex, miſſis ad clerum nunciis, in mandatis dedit, ne vlli huiuſmodi contributioni contentiret. Reſtitit & poſtea acriter, cum aliis Epiſcopis, *Ruſtando* Pontificio nuncio, qui ad pontificium vſum, immodicis exactionibus clerum premebat. Ante paucos verò annos, Rex HENRICVS ampliſſimis priuilegijs, & vt appellant, iiſdem libertatibus ſocietatem *Viterque Matth.* 1250. & *Nich. Trin.*

tatem sacerdotum, apud templum diui PAVLI *Londini* amplificarat; quibus ciuitas *Londinensis* ornabatur. Quæ liberalitas, ne ciuitati fraudi aut damno esset, dedit annuas septem ex fisco ærario libras ad id omne damnum resarciendum; quæ illi summa ad nostra vsque tempora dependitur. Multi his temporibus regni principes magna constantia veteres leges (quæ sensim ad Regis commodum abolescebant) repetebant, illisque se aliquandiu FVLCO coniunxit. Quos tamen in ea postea causa, non sine magna illorum offensa, nec sine aliqua, vt creditur, inconstantiæ nota, deseruit. Proximóque deinde anno à grauissima peste & lue, quæ tam in ANGLIA quam alibi immaniter grassabatur, ex mortali vita abreptus est. Qui annus nobilitatus fuit ex vino, oleo, annona, & alijs, quæ humano victui inseruiunt, mirificè corruptis & vitiatis.

Matth. Pa. 1243

Vterque Matth.

TRANSMISIT ille Episcopatum ad HENRICVM *Wenghamum* regis Cancellarium, qui etsi prius optatus erat ad *Wintonien sem* Episcopatum, quia tamen res erat in disceptatione, & in causæ cognitione *Romæ* (frater enim Regis eum ad se trahere conabatur) hunc qui erat extra omnem litem, altero dimisso, oblatum arripuit. Qui cum ad initiationis suæ tempus solemne, de more, iusiurandum daret, diserte adiecit, saluo & integro ecclesiæ meæ *Londinensis* iure, non sine aliqua Archiepiscopi indignatione. Hanc cautionem adiecit, propter litem, de qua dixi, quæ intercedebat inter *Londinensem* & *Cantuariensem* ecclesiam. *Rustando*, de quo paulo ante meminimus, mortuo, cui FVLCO præbendam ecclesiæ *Paulinæ* contulerat, *Romanus* pontifex eandem donauit, eiusque mox donationis Rex ignarus, eandem *Ioanni*, qui erat illi à thesauris, contulit. Confirmata est per *Cantuariensem*, propter temporis præuentionem & prærogatiuam, prima donatio. Sed *Ioannes* quidam Clericus, cum procuratorio nomine possessionem, domus, quæ ad eandem præbendam spectabat, adipisci conaretur, vique prohiberetur; dum ad *Cantuariensem* ea de re questurus proficiscitur, in itinere per insidias interceptus est. HENRICVS verò cùm alijs quibusdam Episcopis, qui *Simoni* Comiti, & alijs principibus adhæserant aduersus Regem EDOVARDVM, per *Octobonum* legatum anathemate notatus est.

Flor. 1265. Nic. Trim 1266. Flor. 1262. & 1265 & addit. Matth. ancod.

POST HENRICVM, RICHARDVS *Talbotus*, exiguo tempore ecclesiam administrans, ad HENRICVM *Sanduicensem* eandem transfudit. Cui *Octobonus* legatus, vt & alijs quibusdam Episcopis, quòd Baronum causam complexi essent, officio munereque pontificio interdixit. A quo illi *Romam* prouocabant. HENRICO hanc ecclesiam gubernante, turris templi diuæ MARIAE de *Arcubus*, vt appellant, collapsa est, suáque ruina multos oppressit. HENRICVM ad annum millesimum ducentesimum septuagesimum tertium excepit IOANNES *Chishallius*, ecclesiæ *Paulinæ Londini* Decanus. Qui cum ante obitum, partim ætatis longitudine, partim sensuum iudicijque imbecillitate, obcundo tanto muneri non esset idoneus, IOANNES PECHAMVS *Cantuariensis* consociauit ei alium, per quem pontificiæ curæ expedirentur. Successorem sortitus est RICHARDVM *Graueſendium* (cui absens in *Flandria*, pater EDOVARDI principis immaturæ ætatis curam potissimum mandauit) & RICHARDVS RADVLPHVM *Badochium* ad annum millesimum trecentesimum tertium. HENRICVS verò Rex ad annum millesimum ducentesimum trigesimum quintum, *Aleonoram* Comitis *Prouinciæ* filiam vxorem sibi asciuit. Quæ nobile illud *Londini* prope turrim, feminarum hospitium constituit. Cum ROBERTVS *Cantuariensis* ecclesiam regeret, fuit *Londini* ad templum Beatæ MARIAE de *Arcubus*, vt appellant, Grammatices schola, cui ludimagistrum Decanus de *Arcubus* præficiebat. Nec à quo orta, nec quando, aut quomodo desierit satis scio.

Flor. 1273.

Ex registro.

Flor. 1303.

Ex registro.

De West-

De Westmonasterienſi & alijs huius diœceſeos hoc ſæculo cœnobijs.

CAPVT XIIII.

WESTMONASTERIENSIS cœnobij præſides fuere inter alios hoc ſæculo *Guilielmus Poſtardus*, & *Radulphus de Arundellio*. Hic per *Pandulphum* legatum poſtea dignitate motus, ſucceſſorem ſortitur *Guilielmum Humetum* monachum *Cadomenſem*, & ille *Richardum Berkingium*, qui obijt ad annum milleſimum ducenteſimum quadrageſimum ſextum. Poſt eum huic functioni admotus eſt *Richardus Crokeſletus*, & deinde *Philippus*. Cum poſterior *Guilielmus* præſideret, orta, vt fit, ex publica luctæ paleſtra, apud hoſpitium pauperum diui IACOBI extra ciuitatem, quod conſtruxit MATHILDIS Regina, rixa inter ciues *Londinenſes*, & eos qui cœnobio inſeruiebant, qui quoſdam ciues pulſarant, & cæciderant, reliqui ciues ex querela ſociorum exciti, confertim cum armis è ciuitate euolant. Qui, authore *Conſtantino*, (qui capitalem poſtea pœnam cum alijs luit) varia ædificia cœnobij funditus euerterunt, alíaque grauia damna intulerunt. Magnam illi EVSTACHIVS *Londinenſis* Epiſcopus controuerſiam mouit, priuilegiaque cœnobij intercipere conatus eſt. Sed re communi conſenſu ad honorarios arbitros delata, decretum eſt paulo poſt illius obitum, ne quam ſibi deinceps Epiſcopus in cœnobium illud, aut vicinam diuæ *Margaretæ* eccleſiam, iuriſdictionem aut authoritatem vindicaret. Ad cuius tempora, egregium illud beatæ MARIAE virginis ſacellum extruere cœpit HENRICVS Rex, primumque ſuis manibus in fundamento iecit lapidem.

Flo. 1210 1214 & 1221

Math. Pa. 1240 & 1256.

Vterque Matth. 1248. Flor. 1251. Matt. Pa. 1251.

Vterque Matth. 1240 & Nub. Trium 1210 Vterque Matth. 1241.

QVIN & veteris templi poſt viginti quinque annos maiorem partem euerti, illudque laxius, & magnificentius extrui curauit, & variis exquiſitiſque magni precij eccleſiæ ornamentis ornauit. Sed nulla alia re tam memorabili, atque inſigni; atque illa, præ qua omnes humanæ diuitiæ atque theſauri ſordeſcunt plane, preciolum & adorandum intelligo Chriſti ſanguinem. Qui ad eum ab *Hieroſolymis* tranſmiſſus, cum literis Magiſtri templi & hoſpitalis, Patriarchæ *Hieroſolymitani*, multorúmque Epiſcoporum & Abbatum, qui conteſtabantur verum & genuinum eſſe Chriſti ſanguinem; quem Rex ipſe, die EDOVARDO Regi ſacro, cum præcedentem diem in ieiunio, nihil guſtans, præter panem & aquam, noctemque in pernigilatione poſuiſſet, ab æde ſacra diui PAVLI, ſuis ipſe manibus pedes, & plebeiam tantum veſtem indutus, in maxima & celeberrima ſupplicatione, omnium̃que ordinum præſentia, *Weſtmonaſterium* deportauit. Quo die concionem habuit *Nordouicenſis* Epiſcopus, docuitque, cum ipſam crucem Chriſti tanto omnes, vt par eſt, honore proſequerentur, quam eximiam & auguſtam ipſi Chriſti ſanguini reuerentiam impendere deberent; cum non ſanguis propter crucem, ſed crux propter ſanguinem Chriſti, quo irrigata eſt, in honore & cultu habeatur. Et cum, vt fit, ſcrupulus quidam in quorundam pectoribus naſceretur, qua ratione fieret, vt germanus aliquis Chriſti ſanguis in terra viſeretur, quem omnem pro nobis effuſum, credibile eſt Chriſtum cum redituo corpore in cœlum euexiſſe, cum omnem nodum docte *Lincolnienſis* Epiſcopus exemit, vt author noſter, qui præſens fuit, oſtendit; & hoc amplius, miraculum quoddam eodem die ſummo mane, per ſacroſanctum ſanguinem accidiſſe, vt ipſum Regem referentem audiuit.

Math. Pa. 1247 Vid. Flo. eod. an. & Polich. li. 7. cap. 36.

EANDEM autem HENRICVS ieiunandi atque orandi rationem, cum copioſa eleemoſynæ largitione, in alijs etiam Regis EDOVARDI vigilijs tenere ſolebat, in quem ſingulari ferebatur propenſione. Quæ cum etiam excitauit vt auream thecam, quæ ſacras eius reliquias contineret, fabricauit, tantiſque beneficiis cœnobium illud auxerit. In qua capta, cum ſolemni per Epiſcopos cæremonia ſacræ reliquiæ reconderentur, duo, quos nefarius Dæmon occuparat, Dæmonem beneficio pij Confeſſoris excuſſere. Illa autem de qua diximus templi ædificatio, non eſt niſi ad decimumtertium EDOVARDI Regis *primi* annum abſoluta. Ita vt ædificatio circiter ſexaginta ſex annis durarit. Prima autem templi ædificatio cœpta eſt, viuo AVGVSTINO, per Regem *Sigebertum*, reno-

Flor. 1249 & 1241. & 1269 & Nub. Trium. 1269.

Fab. in chron. an. 13. Edou. primo.

uata deinde per EDOVARDVM Confessorem commemoratum. Sunt qui asserant, fuisse eodem loco templum falsorum deorum, priusquam BRITANNI Christo initiarentur. Ri-
Matth. Pa. 1246 *chardus Berkingius*, laudem magnam habuit, à prudentia, à literis, à monasticæ disciplinæ obseruantia, ab industria, quæ cœnobium annuo circiter trecentarum marcarum reditu amplificauit. Exortæ verò sunt graues aliquot inter alterum *Richardum* & monachos controuersiæ, quæ, Rege operam suam interponente, sedatæ sunt, & monachorum desiderio per arbitros, in quos vtrinque compromissum erat, satisfactum est. Exornarunt inter ceteros hanc hoc sæculo diœcesim, & HENRICI imperium, *Alexander Suereſordius* ecclesiæ *Londinensis* diui PAVLI à thesauris, qui præter singularem corporis gratiam,
Ioan. Leland. multiplici omnium doctrinarum genere ita creditur effloruisse, vt vix alium ANGLIA parem ei habuerit. *Petrus Henhamus Waldensis* monachus, & *Ranulphus* Præses *Coggeshalensis*, qui chronicis contexendis operam dederunt. Et *Petrus* Canonicus sancti *Seruatoris*, seu *Trinitatis* iuxta veterem portam *Londini*, non incelebris illo tempore theologus: qui
Matth. Pa. 1236 ingens lexicon illud theologicum, quod *Pantheologum* appellauit, conscripsit. Quam illius familiæ tociecatem post aliquot annos, eodem Rege imperante, quidam eiusdem Canonicus valdè dehonestauit, in loci cædem leui ex causa grassatus. Atque, ô pernitiosas veteratoris diaboli artes! qui necem intulit, vt videretur huc lacessitus, vltro graui seiptum prius vulnere confecit.

CRVCIGERI, de quibus meminimus, ad annum millesimum ducentesimum quadragesimum quartum *Colecestriæ*, & ad annum millesimum ducentesimum quinquagesimum septimum *Saccy* (qui ita appellabantur, quod *Saccis* vestirentur) locati sunt. Habuit IOANNES *Pechamus* grauem controuersiam cum Abbate *Westmonasterien si*. Cum enim *Wigornien sem* diœcesim, vt trito vocabulo vtar, visitaret, Priorem cœnobij *Malueruiæ*, quod prodigè bona cœnobij effunderet, ab ea dignitate amouit. Monachi in eius locum *Gulielmum* asciscunt. Quem cum alijs *Londinum* ad *Westmonasterium*, cui istud cœnobium subest, mittunt, vt ibi electio confirmaretur. Abbas verò *Gulielmum* & socios in carcerem coniecit, aliumque in eius locum suffecit; *Romam*que mittit, qui optionis huius corroborationem impetraret. Ad quem *Pechamus* scribit, & vt ab illo inconsulto facto desistat, admonet; optionemque illam, missis ad *Hugonem* Cardinalem literis rescindere conatur.

De Episcopis Nordouicensibus.

CAPVT XV.

Vterque Matth. 1205 Matth. Pa. 1205 & 1210

VM regnum auspicaretur IOANNES, mox IOANNES *Grauius* huic throno insedit, Quem, mortuo HVBERTO, Rex *Cantuariam* omni conatu transferre cogitabat; idque adeo per monachos suo voto respondentes perfecit, inque possessione Archiepiscopatus locauit. Sed ab ea postea monachi electione, *Romano* Pontifice impulsore, recessere. Quæ res infinitas illas, quas commemorauimus, Regi, totique regno turbas peperit: quem Rex postea Hi-
Matth. Pa. 1214 *bernicæ* regendæ præfecit. Ex qui ille ad eum milites, cum suis ille rebus & regno à *Gallo* valdè timeret, adduxit. Profectus est deinde (non satis scio ob quam causam) *Romam*, & in reuersione supremum diem apud *Pictauos* obijt. Corpus postea *Nordouicum* delatum, honorificè ibidem humatum est. Inter hosce his temporibus tumultus, cumque Pontificijs diris deuotus esset IOANNES, mul-
Matth. Pa. 1209 tus clam ea de re sermo miscebatur. Fuit eo tempore *Gaufredus* quidam *Nordouicensis* Archidiaconus, quique regijs negocijs in regio ærario (quod *Scaccarium* appellant) inseruiebat. Is cum inter alios dentes mulsitaret non esse integrum ijs, qui ecclesiasticis beneficijs potirentur, Regis sic deuoti ministerio, negocijsque operam dare, nulla licentia impetrata, à *Londino* se proripuit. Qua re ad Regem delata, cum sermone quem clam habuisset, in carcerem compactus est. Vbi & plumbeæ vestis, quam cogebatur induere, pondere; & alimenti inopia, non ita multò post è vita discessit. IOANNI *Pandulphus*, pontificius
Vterque Matth. 1211. 1212. & 1216. ille ad

ille ad IOANNEM Regem legatus successor datus est. Qui post tres annos legatione motus, quinquennio tantum in rebus humanis superfuit.

PAVCIS ante obitum eius annis, *Bromhamiæ* cœnobium, licet alioqui prius obscurum, cæpit inclarescere, propter illustria beneficia ex lignea cruce (quæ Dominicæ crucis, in qua mundi delicta Christus exhausit, portio erat) insigniter promanantia. Quam eo ab *Hierusalem* quidam, recens illi societati ascriptus, quique erat Regi *Hierosolymitano* *Balduino* a sacris, detulerat; Qui, vt illud dominicæ crucis frustum fuisse sacrosancta religione contestabatur, quaque ratione illud sit consecutus, significauit; ita non fuisse vanam hominis tam sanctam contestationem, insignia miracula ibidem edita, quibus, cæcis visus, claudis gressus, morbóque afflictatis sanitas, atque adeo mortuis vita reddebatur, tantùm non voce edita clamabant. Administratio deinde huius Episcopatus THOMAE *Balduillæ* creditur, & post eum RADVLPHO. Elegerant quidem monachi, eiusdem cœnobij sui Priorem, sed non satis probatis de causis Rex eum reiecit. Habebatur enim pro pio & docto viro, quique præter statas & consuetas ecclesiæ preces, psalterium quotidie precando absoluere solitus est. Quo tempore *Cincius*, de quo diximus, à prædonibus illis captus est, *Ioannes Florentinus* *Nordouicensis* Archidiaconus (dum eodem tempore redit à celebri consessu, qui apud diuum ALBANVM coijt, vt ex mandato Papæ de diuortio inter Comitissam *Essexiæ* & maritum cognosceretur) ægrè illorum manus euadens, *Londini* diu delituit. RADVLPHO monachi GVILIELMVM *Ralæum*, hominem patriarum legum peritum, & in magna apud Regem gratia substituunt; quem *Couentrenses* priùs sibi Episcopum optarant. Qua de re ille deliberans, oblatum interim *Nordouicensem* complectitur. Sed gratia illa Regis in maximum odium postea commutata est, quòd ille *Wintonienſem* Episcopatum, quò optione monachorum vocatus est, ad Regis desiderium dimittere noluisset: qui auunculum suum *Gulielmum*, ea sede ornare summopere conabatur.

Matth. Pa. 1223

Vterque Matth. 1256. & 1257.

Matth. Pa. 1238 Matth. Pa. 1239 & 1240. & Flor.

Matth Pa. 1241

MAGNA his temporibus & *Simon Normannus*, *Nordouicensis* Archidiaconus, Regis gratia aliquandiu flagrabat; sed & ea exijt in aspertimum odium: quo adeo eum Rex persequebatur, vt ab Archidiaconatu, omnibusque beneficijs, vno dempto, per summum Pontificem illam deturbari curarit. Praua sæpe ille consilia Regi suggesserat, & cum aliquandiu summus Pontifex mirari se diceret, quod ablegatis suis, exteros Rex homines tanti faceret: Nil miri, inquit, *Simon*, cum nullum habeat ANGLVM cui securè fidere posset. Ob quam importunam vocem, *Robertus Somercotus* Cardinalis ANGLVS, graui eum mox reprehensione castigauit. At cum GVILIELMVS noluisset electioni monachorum renunciare, eámque iam vel inuito Rege, *Romanus* Pontifex ratam habuisset; *Nordouicensem* pro eo thronum WALTERVS *Suffeldius* adipiscitur. Qui à BONIFACIO *Cantuariensi* consecratus est. Ad hunc & ad *wintonienſem* extant *Romani* Pontificis *Innocentij* literæ, de exigenda, ad *Romanæ* ecclesiæ vsus, à Clero *Anglicano* pecunia. Et quidem primò, sex millium marcarum summa indicebatur. Intercessit aliquandiu Rex omni huiusmodi solutioni, cessit tamen tandem, pecuniáque repræsentata est. Ad quæ tempora, prior *Thetfordiæ* *Sabaudus*, à monacho quodam suo in templo cæsus est. Et miles quidam huius regionis *Godefridus*, dum ex pacto noctu in domum *Ioannis Britonis* militis, à filia eiusdem *Ioannis*, vt cum ea nefariè misceretur, introductus est; ab ea proditus multis vulneribus conficitur, & membris illis, quæ generationi inseruiunt abscissis, è domo semiuiuus eiectus est. Permansit WALTERVS in Episcopatu ad annum millesimum ducentesimum quinquagesimum septimum, decessitque non sine opinione eximiæ sanctitatis. Illud certe ei summæ laudi ascribitur, quod cum annona mirum in modum ingraueſceret, non modo omnem pecuniam suam pauperibus fouendis erogabat, sed & vasa sua pretiosiora distraxit, atque argentea cochlearia, vt inde ad illorum opem pecuniam conficeret. SIMON *Vantonus* ad rectionem deinde eius ecclesiæ asciscitur. Qui pernicioso exemplo, quod mox alij æmulabantur, à pontifice *Romano* impetrauit, vt ad quadriennium priores suas omnes dignitates, beneficiáque retineret: quo defuncto GVILIELMVS *Middletonus* Archidiaconus *Cantuariensis* sedem conscendit; & post eum RADVLPHVS *Walpolius*. Quo ad *Elienſem* sedem per *Romanum* pontificem traducto, IOANNES Prior *Elienſis* in eius locum surrogatur.

Matth Pa. 1240

Vterque Matth. 1244.

Matth Pa. 1245 & 1248.

Idem anno 1257

Idem anno 1258

SOLEBANT hoc sæculo *Nordouicenses* Episcopi, vacantium in diœcesi sua ecclesiarum fructus sibi decerpere. Cui rei initium dedit PANDVLPHVS Episcopus, cui graue æs alienum ecclesiæ suæ prætendenti, hoc beneficium à *Romana* sede indultum fuit. At cum successores idem ad se beneficium traherent, restiterunt eis *Cantuarienses*, IOANNES præsertim & ROBERTVS Archiepiscopi. Et à quibusdam quidem illi ecclesijs primitias, licet non integras exegerunt. Multi verò hoc onus agnoscere noluerunt. Et IOANNES quidem *Pechamus*, licet vacante *Nordouicensi* ecclesia, beneficium hoc potuisset illi fuisse commodum & fructuosum, noluit tamen quicquam inde ad suos vsus transferre; imò & *Radulphum* eò redegit, vt promitteret se diœcesanis suis hac in re nolle à se molestum. ROBERTVS etiam IOANNI mandauit, ne huiusmodi primitias sibi vendicaret, à quo ille ad *Romanam* sedem prouocauit. Et certè ad nostra vsque tempora hoc esse beneficium transtulere. Celebriores, qui scriptis apud *Sudouolcas* hoc sæculo claruere, fuere *Iocelinus Broklandius* monachus *Burienſis*; qui & chronicon (quod tamen ego adhuc non vidi) sui monasterij, & vitam ROBERTI *Martyris* conscripsit; *Radulphus Niger*, qui historijs etiam continuandis vtilem sanè dedit operam, & in sacras etiam scripturas multa commentatus est; *Humfridus Nectonus*, *Petrus Suanningtonius*; ille *Nordouici*, iste in *Bromhamiensi* cœnobio *Carmeli* instituta sectatus; viri in Theologia, & omni, quam vocant, doctrina scholastica valde exercitati, quod & libri eorum testantur. *Henricus* etiam de *Hamua*, *Bromhamiæ* alumnus, secundus ordinis sui rector, quem Prouincialem appellant: qua ille in functione positus, cœnobia suæ disciplinæ, valde per ANGLIAM, *Hiberniam*, *Scotiam*, atque adeo per *Germaniam* & *Franciam* auxit. His adiungendus *Thomas Dakingius* Minorata, qui plurima in veteris, nouique testamenti libros commentaria edidit. *Nordouicenſis* & principijs ecclesiæ, quo tempore Rex HENRICVS obijt, *Gulielmus de Bromham* Prior, vt appellant, erat: quem annum, insignis calamitas illius ecclesiæ, ad omnem posteritatem nobilitauit. Contentione enim quadam inter monachos & ciues exorta, tam impotenti ira ciues abrepti sunt, vt quasi rabido quodam furore agitati, in tam celebre templum ignem immiserint, quo illud, & vicina cœnobij ædificia miserè conflagrarunt. Ad quam calamitatem visendam Rex ipse illuc profectus est, grauissimisque supplicijs ciues affecti, & magnam quandam pecuniæ summam dependere coacti, tum ad templi reædificationem, tum ad emendandum damnum, quod in libris & ornamentis, & reliqua ecclesiæ suppellectile datum erat.

Ioan. Leland.

De Episcopis Cicestrensibus.

CAPVT XVI.

Matth Pa.1204 Flor 1205. Matth. Par & Flor. 1214. & 1215.. & Flor. 1218. Nich. Trin. 1218. & 1222. Idem 1222.

SIMONE *Wellensi* post triennium mortuo, RICHARDVS Decanus *Saresburiensis* post octennij vacationem; post paucos deinde alios annos, eo *Sarum* translato, & RANVLPHO successore eius, qui primum officialis, deinde Prior *Nordouicensis* ecclesiæ fuerat demortuo, RADVLPHVS *Nouauillanus* Regis Cancellarius eam functionem obijt. Qui ex consilio consensúque omnium regni ordinum, cancellarij dignitate fungebatur, hac cautione per illos adiecta, vt ea non nisi ex illorum etiam consensu exueretur. Et respondebant quidem doctrina, prudentia, integritas, & probitas hominis tam illi, quàm pontificio muneri. Quare dignus visus est, quem sibi monachi *Cantuarienses* in Archiepiscopum optarent. Sed eorum tamen optionem *Romanus* Pontifex ob sinistras quasdam suspiciones, quas maleuoli homines animo illius iniecerant, reiecit. Offensum etiam sibi postea Regem habuit, sed quam offensionem haud promerebatur, ita, vt illum & ab officio Cancellariæ, & à consilio suo exturbaret, quod eum *Wintonienses* monachi Episcopum sibi asciuissent. Ad quam sedem Rex auunculum *Gulielmum* manibus pedibusque prouehere cogitabat: sed melius secum postea meditatis rationibus, Cancellariæ eum Rex officio restituit.

Matth. Pa. 1231. Flor 1230. Matth. Pa 1238 & 1242.

Matth Pa.1231

ILLVD vero magnum modestiæ & integritatis viri indicium est, quod monachis, qui suffragijs suis eum Archiepiscopum crearant, itineris sui expensas, dum *Romam* proficiscerentur, vt *Romanus* Pontifex electionem ratam haberet, postulantibus; ne teruntiũ quidem dare voluerit.

voluerit. Quin & manibus ad cœlum productis, Si me, inquit, summe Deus, tanta sede, licet immerentem ornare volueris, tuæ voluntati satisfiat. Sin vero in hoc meo minore pontificatu, cancellariæque munere, mea tibi opera grata, populóque tuo necessaria fuerit, & hic quoque tuæ sanctæ voluntati pareatur. Obijt deinde in egregio illo suo palatio, quod *Londini* non procul à nouo templo, domóque *Iudæorum* conuersorum constructum erat. Illo defuncto, Canonici *Cicestrenses*, vt Regi gratificarentur, *Robertum* Passeleuium, qui in summa eius gratia florebat, sufficiunt. Sed BONIFACIVS *Cantuarienſis*, ROBERTVS *Lincolnienſis*, alijque Episcopi, quia videbant hominem, omnino ad tantam functionem ineptum, optionem illam omnem rescinderunt. Et RICHARDVM *Wichium* illo munere dignissimum, citra omnem Regis consensum pro illo surrogant. Quæ res in magnam Regem iram atque indignationem coniecit, præsertim aduersus BONIFACIVM, quem ille, ceteris ferè omnibus aduersantibus, ab extero in primam sedem proue xerat. Qua de re *Laurentium Martinum* legatum *Lugdunum* misit, vehementem apud Pontificem per eum querelam depromens. Quæ leuior censebatur, quòd multos ille sæpe idoneos, animi tantum libidine, nullâque idonea causa ductus, à sede, ad quàm asciscebantur, repulisset.

Vterque Matth. 1244.

Matth Pa. 1244

De diuo RICHARDO, *& alijs Episcopis* Cicestriæ.

CAPVT XVII.

DE RICHARDO autem nobis, propter singulares eius dotes orbique testatam sanctitatem, non perfunctorie, sed accurratiore oratione dicendum est. In cuius certe optione, etsi non in reliquis rebus, egregiè suæ BONIFACIVS dignitati respondit. In RICHARDO itaque nostro in ipsa ipsius pueritia, tanquam in herba, futuræ maturitatis, fructúsque spes non mediocris effulgebat, cùm puer puerile nihil, sed quæ grauioris atque constantioris ætatis erant, saperet. In qua literis & virtute adeo profecit, vt coætaneos suos longè omnes superaret. Sed vide iam raram modestiam & pietatem ipsius. Etsi frater ipsius senior habuerat ex hereditate paterna possessiones aliquot, quia tamen defunctis parentibus in minore adhuc esset ætate, fuit in tutela, donec ad iustam ætatem maturuerat, eorum, quorum erat, pro illis possessionibus cliens, vt moris est patrij. Et licet adulto illæ restituerentur, summa tamen laborabat inopia, nec habebat, qui agros coleret, & reliquam rem familiarem curaret. In hac pius RICHARDVS fratris destitutione, se famulatui fratris addicit, nunc aratrum, nunc currum ducens, aliáque rustica opera sedulò & gnauiter obijens. Qua sedulitate adeo fratris animum sibi deuinxit, vt is omnem illam in eum possessionem transtulerit. Iámque, cum propter has possessiones, tum propter RICHARDI in rebus omnibus procurandis industriam, aliásque dotes, non ignobilis sponsa ab amicis illi paratur. Cepit interim, vt fit, fratrem pœnitentia, quod possessionem illam alienasset. Quod RICHARDVS perspiciens, iubet fratrem bono & alacri esse animo. Neque enim minus promptè, & liberaliter se illas in illum refundere aiebat, quam ab illo eas accepisset. Quin, inquit, si & illi, & amicis visum fuerit, quam amici pararant sponsam (cui ego, inquit, adhuc ne osculum quidem libaui) tibi quoque per me sumito. Atque ita à rusticę rei omnis cura & solicitudine expeditus (quia illum Deus ad maiora & augustiora munera reseruabat) ad degustata olim studia totum se retulit, *Oxoniæ* primum, *Lutetiæ Parisiorum* deinde, vbi dialecticæ operam dedit. Mirum est quam tenuem & inopem illic vitam traduxerit, cum præ summa inopia, nec carnes, nec pisces, nisi forte Dominico aut alijs celebrioribus diebus, aut propter amicorum aduentum gustarit.

Richardi vitam sanctitatem insignē ac virtutibus gloriosam rudi quidem, sed veraci stilo scripsit frater quidam de ordine prædicatorum Radulphus nomine, quem dum adhuc viueret in suum elegerat confessorem. Meritorum vero eius magnitudinem & gloriam crebrescentia post mortem miracula certissima fide probant. Nic Trin. 1248

DVOS alios sibi habuit in arida hac vita coniunctos, qui adeo vestium inopia premebantur, vt singuli singulas tantùm haberent tunicas. Et, cum ad lectiones prodeundum esset, cum vnicum tantum caputium, vt appellant, haberent; per vices cum eo prodibant, ita, vt vno in publicum prodeunte, residui duo in cubiculo se continerent. Sed sic itur ad cognitionem, sic ad virtutem. Quantum itaque *Richardus* ventri & tergo detraxit, tantum doctrinæ & pietati adiecit. Iámque non inanis aut vacuus, sed virtute literisque abundans, repetit patriam, & academiam, ad multorum vtilitatem, *Oxonienſem*. Et quoniam iurisprudentiæ,

dentiæ, illi præsertim quæ circa sanctorum patrum scita & canones versatur, animum adiecit, vt eam plenus vberiusque hauriret, *Bononiam* in *Italia* adijt, septémque ibi annos tanta cum scientiæ, cui animum applicabat, accessione transegit; vt cum prælector muneri suo supersesse, præ morbo, qui eum afflixit; non potuisset, RICHARDO potissimum vices legendi crediderit, adeóque in hominem propenderit, vt eum generum sibi asciscere, vnicámque filiam & heredem illi matrimonio copulare lubens voluisset. Sed præclarior RICHARDO à Deo, id est, Christi ipsius sponsa ecclesia destinata erat. Reuersus itaque in ANGLIAM, *Oxonium* repetit, paulóque post Academiæ, deinde & EDMVNDI *Cantuarienſis* cancellarius designatus est. Quo vtroque munere summa cum integritate, prudentia, atque diligentia defunctus est. EDMVNDO verò in exilium abacto, constantem se & fidum amicum ostendit, quem, vt in rebus ad voluntatem prosperéque fluentibus, ita & in duris atque asperis summè coluit, exilijque particeps factus est. Quo defuncto, totum se *Aurelys* theologię studio apud *Dominicanos* dedit, vbi & sacerdotio initiatus est. Redijt deinde in ANGLIAM ad parochię, quam vnicam habebat, curam, quam valde diligentem illi impendit. Nec ita multo post BONIFACIVS *Cantuarienſis*, ad vetus illud suum Cancellarij illum munus reuocauit. Deinde *Roberto*, de quo meminimus, reiecto, *Ciceſtrenſis* pro eo Episcopus designatur.

QVAE *Roberti* reiectio, Regem, qui hominem mirificè complectebatur, regijs certe magis thesauris accumulandis (qua in re valde industrius erat) quam animarum saluti augendæ & prouehendæ idoneum, ita exacerbauit, vt statim in omnes *Ciceſtrenſis* Episcopatus possessiones manus iniecerit. Ad quem ex consilio Episcoporum, cumque literis BONIFACII profectus, cum nihil æqui & boni impetrare potuisset, sed & conuitijs impeteretur, *Romanum* Pontificem vltimum oppressorum asylum adijt. Miserat vero & Rex nuncios ad eundem, vt causam eius apud Pontificem deprimeret. Sed ille, re tota cognita, non modo Episcoporum delectum in eo, & iudicium probauit, sed RICHARDVM cum alio quodam Episcopo consecrauit. Ecce vero, cum sacrum oleum de more in capita eorum esset effundendum, vix guttulam, qua alter foret delibutus, exprimere potuit. At vbi ventum est ad RICHARDVM, quasi noua quædam *Heliſiani* illius olei, miraculique repræsentatio facta est, tantáque ampulla liquoris sacri copia scaturiuit, vt lintea ministri subijcere cogerentur, ne in collum & corpus viri diffluerent. Ad quod spectaculum cum Pontifex & ceteri obstupescerent, vnus ex Cardinalibus subiecit. Reuera homo iste, diuina gratia affluenter abundat. Reuersus ille cum literis Pontificijs, nihilo tamen Regem æquiorem aut placatiorem, nihilque nisi contumelias, & opprobria inuenit. Quæ patienti illeanimo omnia deuorauit, vixque tandem post biennium, cum literas duobus Episcopis misisset Pontifex vt nisi ad certum diem RICHARDO ecclesiam suam Rex redderet, & possessiones illi attributas, sententiam aduersus eum à se dictam exequerentur: ecclesiam cum possessionibus & ædificijs laceris, & iam pæne corruentibus, recepit. Ecclesiæ igitur suæ redditus, omnia sanctissimi Pontificis munia vigilanter obijt, cumque ipse durè & rigidè viueret, & cilicio atque adeo lorica corpus premeret, non modo verbo salutari parochianos suos, sed & cibis, vbi opus fuit, pauit.

DE pauperibus prolixe semper meritus, quos & ægros officiosè etiam inuisere, & consolari solebat, mortuosque suis ipse manibus sepelire. Querentique aliquando fratri suo RICHARDO, (cui possessionum ecclesiasticarum curam crediderat) de illius larga liberalitate, affirmantique redditus ecclesiæ, præ tanta pauperum multitudine, tantis sumptibus non esse pares. Quid, inquit, æquumne censes, vt mensa nostra aureis & argenteis vasis onueretur, & interim Christus in suis pauperibus fame conficiatur? Distrahantur ergo & illa, & magni equus pretij, quo vehi soleo, vt Christum pascamus. Qui cum contra ordinis sacri dignitatem videret presbyteros, alios senio, alios inopia summa, alios morbis confectos, alios cæcos, alios mancos & mutilatos mendicando suis necessitatibus consulere coactos, hospitij domum construxit, illisque, quæ ad victum & vestitum spectant, idonèe procurauit. Cumque aliquando nunciaretur illi magnum incommodum, quod ex domibus & suppellectile sua combustis accepisset, familiáque eius magno luctu conficeretur; Erigite, inquit, deiectos animos, luctumque abstergite. Suppetit enim nobis abundè, vnde viuamus. Imò inquit, hoc omne detrimentum Deus nobis immisit, ob eleemosynarum nostrarum ieiunitatem & sterilitatem. Volo igitur eas deinceps esse non tam accilas, sed largiores atque vberiores. Seueréque & sub diuini iudicij contestatione, ijs, qui res suas procurabant, præcepit,

cepit, ne quenquam concuterent, aut opprimerent, iniustéue vexarent. Ipse vero sæpe debitoribus illius opem implorantibus, debiti gratiam facere solebat; Charitatem & amorem maxime cum ijs, quibulcum pro ecclesiæ suæ rebus, aut alias ob causas, in foro decertare cogebatur, fouebat; contumeliatque ea in re potentium æquanimiter ferebat. Diceréque solebat, Si quod nostrum est in iudicio recuperare velimus, non debemus, quod Deo debetur, quódque ille præcepit, subducere, id est, amorem & charitatem. Anathemate ille aliquando *Ioannem* quendam, qui ecclesiæ *Cicestrensi* iniuriam intulerat, irretitum tenebat: quem tamen ad se venientem humaniter excepit, meniæque adeo adhibuit. Quamdiu, inquit, hic moraris, excommunicationi te sacræ eximo; qua tamen te post discessum, donec ecclesiæ damnum datum emendaris, implicitum rursus esse volo.

ETSI vero demisso & humili prorsus esset animo erga omnes, quoties tamen res ferebat, & cum iustitiæ ratio postularet, alto atque erecto animo fuit, criminaque seuere prosequebatur. Cumque clericum quendam, qui sacram virginem è cœnobio abductam violasset, sacerdotio spoliasset, Regis, multorumque pro eo principum virorum preces, prorsus reiecit, tresque alios, qui concubinas contra canonum scita fouebant, à beneficijs ecclesiasticis eiecit. Ciues quidam *Leuenses*, furem, qui ad ecclesiæ asylum profugerat, vi inde abductum, suspendere. Quos ille, effossa humo, graue olens & putre illud cadauer post quindecim dies educere, proprijsque humeris ad ecclesiam, à qua illum abstraxerant, deferre coegit. Mandatum illi erat à summo pontifice munus, excitandi homines suis concionibus ad sacram Hierosolymitanam expeditionem. Quod ille munus dum nauiter, non solum in sua diœcesi, sed & alijs persequitur, in ipso itinere mortem, qua se defunctum ante prædixerat, apud celebrem illum *Douerix* portum & oppidum, obijt, cum prius ad ciuium preces, basilicam quandam in honorem diui EDMVNDI constructam, ibidem dedicasset, vbi in concione palam contestatus est, se voto suo diuinitus potitū. Summopere enim se desideralle, vt antequam rebus humanis eximéretur, vnam saltem Basilicā ad eius honorem sibi dedicare liceret. Paulo ante mortem Christi crucifixi imaginem ad se deferri mandauit. Quam brachijs pie amplexus loca, quæ vulnera Christi repræsentabant, quasi ipsum Christum recens mortuum vidisset, dulciter suauiatus est, adiecitque deinde, Gratias quantas maximas possum, tibi ago Domine IESV Christe, pro beneficijs, quibus me ornasti, pro supplicijs & tormentis, quibus te propter me subiecisti, Quorum tanta fuit multitudo vt recte illa tui propheiæ verba viurpare potueris: *Non est dolor, sicut dolor meus.* Et tu Domine, à quo nihil est reconditum, noli me ita affectum, vt in tui gratiam & gloriam contumelias & opprobria omnia, imo & mortem, si res postularet, lubens subirem. Tibi itaque animam meam commendo. Matrem vero Christi, ijs verbis compellabat, MARIA *mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & in hora mortis suscipe.* Mandauitque sacellanis, vt hæc verba, donec vitalem duceret spiritum, aures ipsius assidue circumsonarent. Defunctus est vir pius tertio Nonas *Aprilis*, pontificij nono, ætatis vero quinquagesimo sexto anno, & ad annum redemptionis nostræ millesimum ducentesimum quinquagesimum tertium. Mortui corpus intentum est cilicio tectum, & ferreis quibusdam circulis constrictum. *Thom. 1.*

MIRACVLA per eum tam viuum quam defunctum, & *Cicestriæ* humatum, multa Deus edidit. Et vt viuus manicis & mutilatis, cæcisque membrorum & oculorum vsum, ægrotisque sanitatem sæpe reddidit: vtque illud magnum fuit sanctitatis illius signum, quòd in supplicatione illa solemni, quæ ad Purificationem beatæ MARIAE virginis habetur, ceterorum omnium extinctis, illius solius cereus lumen retineret; vt illud ingens fuit viui miraculum, cum ex vno pane, tria pauperum millia pauerit, cum tantæ etiam reliquiæ, quæ centum alijs pauperibus sufficerent, nihilominus superessent: ita non minus, sed magis potius stupenda post obitum designauit, cum, præter alia beneficia, etiam tres mortuos vitæ reddiderit. Quid? quod vestes eius, & ocreæ, & accubitus in lecto ipsius ægrotis sanitatem attulerint? Quæ quidem miracula, illis temporibus tanquam certa & manifesta, perscripta sunt, & in cœnobio *Albanensi* liber repositus, qui illa complecteretur. Cum itaque huiusmodi RICHARDI miracula, tanta & tam peruagata essent, per VRBANVM Pontificem vicesimo post obitum anno, Diuorum albo ascriptus est. Beatæ vero illius reliquiæ, solemniter postea in *Cicestrensi* ecclesia, Rege EDOVARDO, cum magno principum virorum & Episcoporum numero præsente, translatæ sunt. Extant ad hunc *Guilelmi Aurelianensis* Episcopi literæ, quibus eum certiorem facit de statu, &, conditione Christianorum quo tempore *Ludouicus Francorum* Rex in potestatem manusque *Mahometani* principis venerat. Quas qui videre desiderat, *Vincent. Matth. 1252.* *Matth. Pa. 1255.* *Matth. Pa. 1259 Flor. 1262.* *Nic. Trim. 1262. Ochra. Archiepisc. Flor. 1276.*

Math Pa 1151 Flor. 1253. & 1265.

siderat, habet vnde petat. Episcopatum vero post RICHARDVM, IOANNIS *Chippingius*, eiusdem ecclesiæ canonicus suscepit. Tum STEPHANVS, quem OCTOBONVS legatus cum alijs Episcopis, ab officij administratione suspendit. Contra quam ille sententiam prouocauit. GILBERTVS deinde vir spectatæ pietatis, & singularis ad pauperes fouendos propensionis, cui nec diuina miracula post obitum defuisse tradunt: qui obijt ad annum millesimum trecentesimum quintum successorem, sortitus IOANNEM *Langtonum* Archidiaconum *Cantuariensem*. IOANNES *Pechamus*, cum in vitam & mores cleri, & populi huius Diœcesis inquireret, multa reformauit in cœnobio, prætertim *Begenhamij*. *Cicestrensem* etiam Episcopum arguit, quòd, cum quidam, qui se clericum dicebat, fuisset à laicis iudicibus damnatus, & vltimo supplicio addictus, Episcopus illum ab illis non liberasset; admonétque, vt si iudices postulati huiusmodi reos dimittere recusent, anathemate deuoueantur. Fuit hoc sæculo *Robertus Arundelius* (credo ita dictum, quod apud *Arundelium* natus sit) vir linguæ Hebraicæ exactè callens, è qua multa in Latinum transfudit.

Idem anno eod. Cum communia Episcoporum nomenclatura conuenit. & vndec Episcopum ex archimandritis Cisterc

De Episcopis Wintonienſibus.

CAPVT XVIII.

Vterque Math. 1204. Nic Trin. 1205 Polid lib 15. Matth. Pa 1215.

POST GODEFREDVM, PETRVS *de rupibus* Episcopatum obtinuit, *Romæque* consecratur. Huic, & *Redingiensi* abbati INNOCENTIVS Pontifex mandauit, vt principes, qui IOANNI Regi arma intulerant, pro hostibus religionis, & impijs declararent. Sed id ne fieret, *Cantuariensis*, qui principibus studebat, intercessit. Mortuo IOANNE, totóque regno in maxima perturbatione, & tumultu posito, propter *Gallorum* exercitum, qui illi intulerant, & *Ludouicum*, quem principes, reiecto IOANNE, in Regem sibi asciuerant: PETRVS maximam operam dedit, vt puer HENRICVS pari sufficeretur, cui & diadema sacro oleo delibuto apud *Gloceſtriam* impositum; vtilemque illi operam (erat enim rei militaris peritus) in eo prælio mox præstitit, quo principes HENRICI aduersarij, apud *Lincolniam* deuicti sunt. Mortuoque post biennium GVILIELMO Marescallo, cui, propter ætatis HENRICI tirocinium, Regis tutela commissa est, illud munus a principibus PETRO delatum est. Post aliquot deinde annos *Hierosolymam*, ad sacram expeditionem ad quinquennium profectus est. Reuersus in maxima fuit apud HENRICVM gratia, occasionemque dedisse creditur *Richardo* Marischallo & alijs principibus, vt in grauissimam contra Regem seditionem coirent. Cum enim Rex omnem rem suam pecuniariam in recens cum *Gallo* bellum profudisset, accurate apud concilium principum egit, vt quoniam à pecunia inops erat, inopiæ suæ, ad regni suique tuitionem, per principes & populum prospiceretur. Qui cum se, populumque varijs exactionibus ita exhaustos, vt Regis deinceps tantis tueretur ibi integrum non foret, dicerent, ibi tum PETRVS subiecit: Populo, inquit, ad summas rerum angustias redacto parce. Ceterum si possessiones, quas inconsulta & præcipiti facilitate, in regni tui tyrocinio multis contulisti, consultius iam reuocaris; si homines auaros & sordidos, quibus rerum tuarum procurationem, & regios reditus colligendi facultatem dedisti; si denique quibus magistratus publicos credidisti, ad calculum & rationem reddendam reuocaris; ingentem facile ab eis pecuniarum summam exprimes, quam PETRI consilium sequutus expressit. *Hubertusque Cantianus* Comes, quo nemo apud Regem maiore gratia flagrabat, in carcerem detrusus, acrem mulctam exsoluit. Ad hæc, cœperat iam Rex, PETRI potissimum (vt dicebatur) consilio ductus, ANGLOS è consilio suo, & à rebus publicis gerendis remouere, in eorumque locum exteros, *Pictauenses* maxime, & inter alios *Petrum Rouallem*, qui filius aut consanguineus credebatur *Wintonienſis* Episcopi, sufficere; eisque fere solis omnia publica & priuata, quæ maioris alicuius momenti erant, credere.

Idem 1216.

Idem 1217. 1219 & Flor. Matth Pa 1227 Flor. 1227.

Polid. lib. 16.

Matth Pa 1233.

HAS ob causas *Richardus* Mareschallus, ex aliorum etiam principum voluntate & consensu, Regis factum improbat, rogatque vt perperam admissa primo quoque tempore resecindat, emendétque. PETRVS vero Regem nihil, nisi consulte prudenterque, fecisse hac in re respondit. Quippe qui recte meminisset ANGLOS fuisse, qui ad euertendum patrem suum IOANNEM conspirauerant, & qui nuper tam perfide, & flagitiose in rebus

bus publicis obeundis se gessissent. Neque debere *Richardum* Regi præscribere, quibus demum auxilijs ad sui, & regni defensionem vti debeat; sed id totum à Regis voluntate pendere, vt ea, & illis potissimum temporibus, sibi accersat, quæ rebus suis maxime forent oportuna. Quod PETRI responsum tam altè in RICHARDI, & aliorum principum pectus descendit, adeóque eorum animos exacerbauit, vt in apertam mox seditionem eruperint, Quos hostes HENRICVS patriæ, ex PETRI & assectarum illius consilio declarauit, cosque ferro & igni persecutus est. RICHARDVS vero se cum *Leolino Wallix* principe consocians, insignibus quotidie detrimentis ANGLIAM afficit. *Petrus*, cum sibi & suis certam imminere per principes perniciem, nisi maturè occurrat, videret; nefarium, de *Richardo* per insidias ab *Hibernis* toilendo, consilium cum *Petro Rivalli* & alijs comminiscitur. Ad eos igitur scribit, *Richardum* pro perduelle ab HENRICO denunciatum, quem in *Hiberniam* euocatum si possent opprimere, summa quæque ab HENRICO Rege officia, muneraque expectare debere. Vtque facilius ad fraudem hanc eos impelleret, regias ad eos in eum sensum literas, ab eo, (sed cum non sciret, quid complectebantur, vt postea affirmauit) sigillóque regio obsignatas transmisit. Sed interim, vt cœperam dicere, res HENRICI ita perturbatæ erant, adeoque iam *Richardi* & coniuratorum potentia indies augescebat, vt rebus suis valde timere incœperit. Re ad senatus sui, principumque aliorum deliberationem relecta, etsi in sententijs variarent: rei tamen præsens necessitas eos in eam tandem sententiam deduxit, vt Rex RICHARDI & sociorum animos, quacunque ratione leniendos & molliendos curaret, pacémque cum eis ineundam; *Wintoniensem* & *Petrum Rivallem*, à quibus rerum omnium immutatio manarat, cum socijs à curia, à regio consilio, & publicorum munerum cura relegandos. *Stath Pa. 1133. & 1134.*

IN publicis interim concionibus PETRVS palam perstringebatur. Et inter alios illustris ille *Robertus Baconus* dicebat, res turbatas nunquam feliciter consopiendas, donec *Wintoniensem*, & alterum illum *Petrum* a suis consilijs Rex ablegasset: fuitque alius vnus ex regijs clericis, prompti & expediti, iucundique ingenij vir *Rogerus Baconus*, qui inter illas deliberationes Regem interrogauit. Quidnam illud demum esset, quod in marina nauigatione maximum nauigantibus periculum crearet? Cum Rex responderet id eos potissimum scire, qui huiusmodi nauigationibus vterentur: Certè, inquit ille, petræ & rupes, alludens ad vtriusque *Petri* nomen. Quin & EDMVNDVS *Cantuariensis*, & alij HENRICVM Episcopi adiere; rogantes vt pacificationi alicui inter se & principes animum adiiceret, & regnum ab hisce turbis & tumultibus explicaret: alioqui certe, se in eum & alios omnes, qui auersa à pace ineunda consilia haberent, anathematis sententiam laturos. His vndique HENRICVS angustijs circumuallatus, accersitum *Wintoniensem* ad diœcesim amandat, præcipiens, vt ne se deinceps regijs negocijs immisceret; sed procurandæ animarum quæ illius curæ creditæ erant, saluti totus intenderet. *Petro* etiam *Rivalli* (qui longè lateque omnia suo arbitrio moderabatur) thesauros omnes regios illi creditos & castra; quæ in sua potestate habebat aufert, & a curia amandat. Iuramentoque affirmat, quod nisi adscriptus fuisset in clerum, & beneficio ecclesiastico ornatus, vtrumque illi oculum eruendum curaret. Eiecit etiam è curia & à castris, quę possidebant, *Pictones* omnes, patriámque repetere iussit. Principes interim quidam *Hiberniæ*, vbi *Richardus* amplas possessiones habebat, illas misere deuastant, vt ea illum occasione in *Hiberniam* prolicerent, & dolo circumuentum è medio tollerent. Quæ cum illis ex voto successissent, deque eius Rex cæde audisset, ingentes lachrymas profudit, magnoque se luctu confecit: pro quo honoratas in aula exequias celebrari, magnásque eleemosynas pauperibus erogari curauit. Venit interim e *Wallia* EDMVNDVS *Cantuariensis* (quo cum HENRICVS cum *Ceffrensi*, & *Roffensi* Episcopis, vt pacem inter se & *Leolinum* atque *Richardum* conflarent, miserat) exemplarque literarum regiarum, quæ de intercipiendo *Richardo* missæ erant, secum attulit. Quarum auditio lachrymas Regi & principibus viris expressit. Ingenuéque professus est Rex se à *Wintoniensi* & *Petro Rivalle* circumuentum, sigillum suum literis quibusdam (quarum tenorem ignorabat) appossuisse.

HAEC cum iam peruagata essent, *Wintoniensis* cum altero *Petro Wintoniæ* in sacris ædibus, *Stephanus Segrauius* (qui primarius quidam erat inter Regis & *Wintoniensis* consiliarios) apud Canonicos *Leceftriæ*, & alij alibi delituere. *Stephanus* vero, qui abiecto clericatu, in militem & profanum se hominem totum transformarat, in hac rerum difficultate, clericum se simulat, & coronam capitis, quam repudiarat, iam rursus suscepit. *Petrum* deinde *Rivallem* ad se accersitum, acerrime Rex de sua per illum ad *Richardi* cædem circumuentione,

alijsque quæ perperam gesserat, increpauit. Ad calculum deinde eum, de pecunijs, quas ad regium vsum exegerat, reuocat. Cum ille aliquod deliberandi tempus postularet, ad *Turrim* inquit *Londinensem* te interim, vbi tecum deliberes, & de rationibus reddendis attentius cogites, amandabo. Cum ille Cleri & ecclesiæ beneficium implorares, nec debere se clericum apud laicos in custodia esse diceret, Atqui, inquit Rex, te hactenus pro laico habuisti: Moxque eum in *Turrim Londinensem* coniecit. Sed *Cantuariensis* opera liberatus est, & ad ecclesiam *Wintoniensem* transmissus. PETRVS vero *Wintoniensis* à Pontifice accersitus, *Romam* profectus est, nec inutilem ei operam, in eo bello, quod GREGORIVS, à ciuibus *Romanis* impetitus, gessit, præstitisse dicitur. Rem enim militarem, quam adolescens in castris RICHARDI Regis didicerat, præclare caluisse traditur, & post biennium, aduersa corporis valetudine afflictatus rediit: sequentique anno voluit eum Rex ad *Fridericum Augustum* cum alijs legatis proficisci. Rogarat enim *Fridericus* cum alios principes, tum HENRICVM, vt ad certum diem & locum conuenirent, de rebus maximi momenti, quæ non tam ad imperium, quam ad alia christiana regna spectabant, deliberaturi. Et Rex quidem *Galliæ*, maximo stipatus exercitu, eo properabat. HENRICVS multa prætexens, cur præsentiam sui facere non posset, amplissimam illuc legationem, RICARDVM videlicet fratrem, *Eboracensem* Archiepiscopum, *Elienſem*, & *Wintoniensem* Episcopum destinare cogitabat. Sed *Wintonienſis*, idque hoc prætextu ire recusauit. Cum enim diceret, Regem proditionis eum nuper apud *Fridericum* insimulasse, & quod regnum ANGLIAE euertere, atque pessundare cogitasset; si iam, inquit, tantum meæ fidei credideris, magnam tibi apud *Augustum* inconstantiæ, & leuitatis notam conciliabis. Et visa quidem multis est hæc, non improbanda excusatio. Sed paulo post tota reliqua legatio in irritum tum recidit, cum per literas *Fridericus* significaret, non posse se, ob grauiores causas, diem & locum præstitutum obire.

Matth. Pa. 1234 & 1235.

Matth. Pa. 1237.

TRIENNIO post, cum triginta duos annos sedem illam administrasset, abijt è vita vir sane, licet vicijs suis interim non caruerit, multis egregijs dotibus amplificatus, & qui post fatum multa præclara beneficiorum suorum monumenta reliquit. Multa ille quidem in *Syria* præclare gessit, quibus rem ibi Christianam mirifice prouexit. Pernitiosam illam toti *Europæ* inter *Pontificem* & *Augustam* discordiam, ille potissimum pacificauit: Cœnobiumque *Halense*, & *Tikesfordense* ordinis *Premonstratensis*, & *Seleburnense* ordinis *Canonicorum diui Augustini*, cum egregio illo pauperum hospitio *Portesmuensi*, & ecclesiam *Hierosolymis* in honorem diui THOMAE *Cantuariensis* condidit, ijsque singulis locis ingentem pecuniarum post obitum summam erogauit. Et Episcopatum nihilominus adeo non imminuit, vt rebus omnibus instructissimum successori reliquerit. Sed successoris electio atque optio, miris quibusdam fluctibus atque tempestatibus iactabatur. Rex quidem omni conamine *Gulielmum* auunculum suum eo throno collocare conabatur, electum iam prius ad sedem *Valentinam*. Monachi vero *Wintonienses*, cum intelligerent *Gulielmum* martia magis quàm cœlestia studia complecti, & esse externum hominem, quique cum esset Comitis *Flandriæ* frater, posset, dissidijs interuenientibus, rei *Anglicanæ* plurimum incommodare, nec moribus probatis, aut doctrina vlla commendatum: obfirmantes se aduersus Regis insultus imminentes sibi, *Radulphum Neuellum*, de quo iam commemorauimus, HENRICI cancellarium in Episcopum sibi postularant. Sed, cum eius optio, per nuncios quos rex *Romam* miserat, infirmata esset, *Gulielmum Raleium* Episcopum sibi asciscunt. Quæ res magnam Regi bilem excitauit. *Valentinum*, inquit, reiecerunt, quia sanguinem & cædem spirare aiunt, hunc vero amplectuntur, qui plures lingua, quàm ille vnquam gladio interfecit. *Gulielmi* vero, *Romam* profecti, electio à Pontifice rata habebatur. Cum reuersus, nunc per vnam portam & ibi repulsus; nunc per aliam, ciuitatem & ecclesiam suam nudis pedibus ingredi conaretur: prorsus ex Regis præcepto exclusus est, omnisque ei in vrbem aditus obstructus. Quod cum ille cerneret, nec vllis precibus proficeret, ciuitatem ecclesiastico interdicto multauit. Adeo vero regis in eum ira efferbuit, vt & supellectilem, quam *Norwicum* miserat, abstulerit; cúmque *Londini* clam delitescceret, præceperit, ne quisquam ei aliquid, quod ad victum spectaret, præberet. Quem cum *Lincolnienſis*, *Wigornienſis*, & *Herfordienſis* Episcopi adijssent, admonuissentque, ne ita in hominem innoxium desæuiret, nihilo ille placabilior factus est. Quin & nuncios *Bartholomæum* Priorem *Harlœ*, & *Henricum Sufsanum Romam* misit, quos nullis sumptibus parcere voluit, modo GVLIELMVM ab Episcopatu amouere possent.

Matth. Pa. 1238 Nich. Trimet. 1205. & 1239.

Matth. Par. & Flor. 1238.

Matth. 1230. 1231 & 1243.

GVI-

GVILIELMVS itaque cum nihil ſibi tutum a Rege videret; clam in *Galliam* profugit: quæ res *Gallis* malignè de Rege loquendi feneſtram aperuit. Ecce, inquiunt, HENRICVS contra inimicos imbellis et ſocors, graue cum Epiſcopis ſuis bellum gerit. Olim, inquiunt, alter HENRICVS ANGLIAE Rex THOMAM *Cantuarienſem* & martyrem, & nuper iſte beatum EDMVNDVM *Cantuarienſem*, nunc & WINTONIENSEM, qui ei diuturnum, fidum & ſpectatum obſequium præbuit, magnaque fide inſeruiit: inſectatur atque exagitat, & à regno exterminat. Scripſit vero & BONIFACIVS *Cantuarienſis* ad Regem, rogans vt GVILIELMVM in gratiam admittat. Sed nihil æqui aut boni impetrare potuit, donec ſummus pontifex ad eum ſcripſiſſet, & ſignificaſſet ſe non poſſe tantam Epiſcopo, ſibi, & eccleſiæ Chriſti iniuriam illatam amplius diſſimulare. Significat ſimul iiſdem literis quædam Regi non ſatis conſultè excidiſſe, cum diceret, Nullius Epiſcopi poſtulati tranſlationem, in regno ANGLIAE vim habere, niſi ex Regis conſenſu; & quam poteſtatem Papa haberet in rebus ſacris, eandem ſe habere in profanis. Significatque pios omnes ſentire liberum eſſe ſedi apoſtolicæ, de quibuſcunque eccleſijs diſponere, nec cogi Principum ea in re iudicium expectare: etſi tanta cautione his in rebus vti ſoleat, vt de nullius vel honore, vel de iuſtitiæ ratione quicquam imminuatur. GVILIELMVM vero cum eſſe *qui preterquam quòd ſumma & ſincera ſemper fide, regia negotia procurarat, eumque Rex ſemper antea impenſè dilexerat: propter dotes ſuas eximias dignus ſit, vt hac ſede amplificetur. Scripſit etiam eadem de re literas ad Reginam, ad *Cantuarienſem*, *Wigornienſem*, & *Hereforden ſem* Epiſcopos. Iamque emolliri incipiebat HENRICVS, miſſaque eſt ad GVLIELMVM certa quædam pacificationis formula. In qua cautum erat inter alia, vt GVLIELMVS ciuitatem interdicto, eoſque quos anathemate irretierat, eodem liberaret; Priorem, quem Rex in his tumultubus intruſerat, non remoueri; beneficia eccleſiaſtica, quæ interim Rex donarat ex *Wintonienſi* patronatu, rata haberi; redditus intermedios, quos Rex perceperat, ſibi condonari. Summa vero reſponſi eo recidit, vt cum res huiuſmodi eſſent, vt non poſſet honeſtè, pacto præeunte, de his quicquam ſtatuere; certo tamen ſibi Regem perſuadere debere, poſtquam ipſe in integrum reſtitutus eſſet, tanta ſe moderatione, & æquitate rem omnem (quatenus quidem ſacroſanctæ leges paterentur) temperaturum, vt nullam querelæ cauſam Regi ſit relicturus.

REDIT deinde, poſt gratias actas Regi *Gallorum* & alijs, qui liberaliter & humaniter ibi eum habuerant, in ANGLIAM. Et *Wintonienſem* ciuitatem ab interdicto, alioſque, & inter eos Priorem *Ioannem Cauſium* ab anathemate exoluit: remouit tamen cum à functione, mulctaque Maior ciuitatis *Wintonienſis*, qui eum illam ciuitatem ingredi prohibuit, affectus eſt. Poſt ſex deinde annos (neſcio ob quam cauſam) in *Galliam* profectus eſt, proximóque deinde anno *Lugduni* obijt: Cúmque ſacra euchariſtia per ſacerdotem ad eum ægrotantem deferretur, non paſſus eſt eam ad ſe deferri, ſed cum cubiculum ingrederetur ſacerdos, curauit ſe deferri per famulos obuium ſacerdoti, atque ita cum lachrymis & magna pietate, ſacroſancto exitum ſuum viatico muniuit. Paucis ante obitum eius annis, venerant in ANGLIAM *Odomarus* ſacris initiatus, *Gulielmus*, *Gaufredus*, & *Guido* fratres vterini matris Regis ISABELLAE. Hunc igitur *Odomarum* ſedi *wintonienſi* præficiendum omni HENRICVS induſtria curat: miſitque *Wintoniam*, qui ſuo nomine cum monachis ea de re vehementer agerent. Venitque eo poſt quindecim dies & HENRICVS, ingreſſusque Capitulum, vt appellamus, locumque preſidentis occupans, quaſi concionabundus, ab illo Vatis verſiculo occæpit, *Iuſtitia & pax oſculatæ ſunt*; Iuſtitiæ voeem & ad ſe, & alios ſuos magiſtratus, pacis ad monachos accommodans. Iuſtitiam vero & pacem ideo coituras dixit, quod ſperaret monachos ad ſuam voluntatem inflectendos.

NVPER (inquit) vobis magnas moleſtias faceſcebam, vt vxoris meæ deſiderio ſatisfacerem, & GVILIELMVM *Valentinum* auunculum eius, hac dignitate ornarem, ſed nunc hanc meam poſtulationem multo æquiorem, & conſentaneam exiſtimare debetis, quam mihi ſanguinis ratio, & neceſſitas exprimit: & ſi cetera omnia apud vos iaceant, memineritis ſaltem eum me eſſe, qui in hac ipſa Ciuitate in lucem editus ſum, & in hac eccleſia Baptiſmo ſacro perfuſus; vt vel ob hanc cauſam poſtulationi meæ æquiores eſſe debeatis. Ita vero exijt illius oratio, vt niſi deſiderij ipſius rationem haberent, omnia inimica & acerba ſibi expectarent. Monachi etſi ſcirent *Odomarum* moribus, doctrina, & ætate longe tanto muneri inidoneum, tamen cum recentes moleſtias, quas pro *Guilielmo Valentino*, deinde pro illo altero *Guilielmo* ſuſtinuerunt, imo quas poſtea per eum ipſum, qui miris eos modis

Math. Pa. 1244

* al. qui præ ſumma.

Omnia hæc extant apud Mat. Par. ann. 1244.

Math Pa. 1250 ait eum obiiſſe apud Turonum.

Math Pa. 1250. Nich Trivet. eod. an.

Math. Par. an. 1247 Polid lib. 16 Math. Pa. 1250

afflictauit atque exagitauit, sustinuerunt, obliterata beneficiorum suorum in eum, & constantiæ suæ, & afflictionum memoria, memoresque illius, quod poeta cecinit, *Stricto supplicat ense petens*; veritique ne si alium asciscerent, Rex apud summum pontificem omnia illorum suffragia labefactaret & euerteret, licet inuito animo, ODOMARVM susciunt. Rex
Matth Pa 1251. vero, missis *Romam* literis & nuncijs, effecit, vt pontifex *Romanus* electionem illam probaret; neque hic stetit illius gratia, sed consensit præterea, vt reliqui redditus ecclesiastici, quos amplissimos possidebat, apud eum simul residerent.

Idem 1252. REVERSVM à *Roma* cum ceteri fratres cum alijs *Pictonibus*, tum Rex cum primis mirifica gratulatione excipiunt. In grauem tamen post paucos annos, Regis offensionē ob huiusmodi causam incurrebat. Largitus erat Regi summus pōtifex decimam totius ecclesiæ *Anglicanæ*, ad vsus illius in sacram expeditionem (quam tamen nunquam ingressus est) ad triennium. Quam cum à clero Rex exigeret, Episcopi fere omnes restitere, adque suam sententiam *Wintonienſem* etiam traxere. Cœpere vero iam exteri partim in eam magnitudinem crescere, partim tam impotentem dominationem sibi arrogare, principésque viros ANGLIAE quasi in ordinem redigere, vt huic tanto illi malo, quauis ratione occurrendum putarint. Neque
Nic. Trin 1258 Math. Pa. 1259 enim *Herfordenſis*, *Wintonienſis*, & *Cantuarienſis* sedes solummodo ab illis tenebantur, sed & castra atque arces regni, & maiora omnia regni munia, atque negotia ad eorum arbitrium
Vterque Matth. 1260. expediebantur. Quare non prius quieuere, quam fratres Regis, alioſque exteros ex ANGLIA deturbassent. ODOMARVS vero *Romam* profectus, à pontifice, postquam triennium ibidem fere consumpsisset, consecratus est.

PRINCIPES vero literas ROMAM misere, quæ homicidia, rapinas, iniurias que multiplices, quæ ODOMARVS, & alij *Pictones* admiserant, complectebantur. Parat interim ODOMARVS reditum in ANGLIAM. Quæ auditio vt principes magno dolore affecit,
Matth Pa. 1259 & Flor. ita altera illa, qua significatum est *Lutetiæ Parisiorum* fato functum, incredibili gaudio perfudit. Postquam vero ODOMARVS proscriptus est, monachi *Wintonienſes* *Henricum Venghamum* Regis cancellarium Episcopum sibi optant. Ipse vero, quia causa ODOMARI adhuc pendebat, neque plene erat cognita, suspendit & distulit suum consensum; quem tandem accomodauit, modo ODOMARVS non esset à pontifice consecratus. Quem si Pontifex forte reijceret, tum demum suum consensum adhibiturum se dicit. Atqui cum interim ad *Londinenſem* vacantem assumeretur, dimissa litigiosa, quietam illam & pacatam sedem amplexus est. *Wintonienſem* vero summus Pontifex, monachorum suffragijs euictis,
Matth Pa. 1267 IOANNI *Oxonienſi* donauit. Cui *Octobonus* postea legatus, muneris sui administratione interdixit, quod principum causam contra HENRICVM fouisset. Proximus quem in *Mat-*
Nich. Trin. 1282 *thæo Westmonasterienſi* & *Nicolao Triueto* reperio, est IOANNES *Pontoſius*, quem ait *Matthæus* obijsse ad annum millesimum trecentesimum quintum: designatus est, reiecto *Richardo*, quem monachi optarant, per summum pontificem.

In regiſtro. REPERIO vero alibi NICOLAVM quendam huic throno insedisse, & obijsse ad annum millesimum ducentesimum octogesimum primum, IOANNIS *Oxonienſis* (quem *Triuetus*
Ex regiſtro. IOANNEM *Gerualium* appellat) successorem. Qui postulatus erat, vt aiunt ad *Wigornienſem*, sed huc translatus. Illud satis constat, vacasse ecclesiam ad annum millesimum ducentesimum octogesimum, extátque elegans & docta Epistola IOANNIS *Pechami* ad monachos *Wintonienſes*, vt neminem nisi idoneum huic muneri sufficerent. IOANNES vero monacho-
Matth Pa. 1259 & Flor. rum optionem, & electionem de *Richardo* commemorato improbauit & euertit, propterea quod contra canonum decreta pluribus sacerdotijs implicaretur. Quæ res magnam IOANNI in *Romana* curia, apud *Richardi* fautores, quos ibi plurimos habebat, molestiam & inuidiam peperit. Qui se apud *Hugonem* & alios cardinales purgauit, ostenditque se nullo præiudicato, & præpostero ea in re affectu, sed solo veritatis & iustitiæ amore ductum. Valde
Flor. 1262. & 1263. Nich. Trin. 1262. & 1266. enim accuratus & seuerus fuit in *Wintonienſis* huius, vt in *Londinenſis* & aliorum Episcoporum huiusmodi optionibus excutiendis, & ponderandis. IOANNES vero à BENEDICTO summo pontifice impetrauerat, vt solueretur ab omni obseruantia & iurisdictione *Cantuarienſis*. Quæ res valde ROBERTVM pungebat, & nihil non egit vt id reuocaretur.

De

De Epiſcopis Saresburienſibus & Exonienſibus.

CAPVT XIX.

RICHARDVS regnante IOANNE ad annum milleſimum ducenteſimum decimum quintum, ex Decano *Saresburienſi Ciceſtrenſi* ſede, & deinde *Saresburienſi* donatur: cui immortalem illa gratiam debet, quod cum prius in loco valde incommodo, arduo, arido, caſtróque Comitis vicino poſita eſſet, illius opera & magno ſumptu in eum, qui hodie viſitur, locum certe aquis, & alijs omnibus commodis affluentem, ſit tranſlata. Templum poſtea ſolemni cæremonia dedicatum eſt, Rege & multis principibus præſentibus. Exædificauit præterea cœnobium illud ſanctimonialium apud *Tarentum*, in Comitatu *Vltoniæ*, quod dono dedit Reginæ, vbi & humata eſt. Ab hac ad *Dunelmenſem* poſtea eccleſiam accitus eſt, & ibi quoque magna pietatis ſuæ teſtimonia relinquens, & ingens æs alienum, quo prædeceſſorem ipſius RICHARDVM obſtricta erat diſſoluens. Obijt vero ad annum milleſimum ducenteſimum trigeſimum ſeptimum apud *Tarentum*, cum obitum ſuum in publica paulo ante concione prædixiſſet. Poſt triduum rebus omnibus ſuis ordinatis, ſacramentiſque eccleſiæ munitus, dum completorij, vt appellant, preces abſolueret, ad illa verba, *In pace in id ipſum dormiam & requieſcam*, animam efflauit.

Flor. 1215. Matth Pa. 1218 Nic. Trin. 1227

Vtrque Matth. 1238. & Flor. 1237.

AD ea tempora quibus *Saresburienſi* eccleſiæ præfuit, *Gulielmus Saresburienſi* Comitatu ornatus eſt. De quo quædam memoria digna traduntur. Transmiſſurus aliquando in ANGLIAM, in immanem tempeſtatem, quæ omnem nauigantibus ſpem vitæ præciderat, incidit. En vero! repente in ſummo malo vſus eſt ardens cereus, cui iuxta aſtabat miri decoris puella, quæ illius lumen pluuia & ventis obrui non patiebatur. Quod ſpectaculum cum omnium oculis obijceretur, in bonam illos ſalutis ſpem erigebat, quæ nec eos fefellit: occultum vero cerei illius myſterium ſolus *Gulielmus* norat. Is enim, quo primum die militari zona & dignitate ornabatur, cereum quendã curauit accendi ad miſſam, quæ in honorẽ D. MARIÆ virginis celebrabatur; deditque redditus ad illud lumen quotidie eo tempore perpetuandũ, nec ita diu poſt reditum ſupervixit. Cumque lecto propter ægritudinem affigeretur, accerſiuit *Saresburienſem* Epiſcopum, vt ſacra Euchariſtia exitum ſuum muniret. Qui cum cubiculum ingrederetur, è lecto nudus, niſi quod verenda tegebantur, Comes proſiluit, colloque laqueo inſerto obuiam Epiſcopo progreſſus, & in ſolum proſtratus, multo cum gemitu, & profuſis lachrymis miſericordiam diuinam implorauit; nec priùs ſe loco mouit quàm pectus exomologeſi purgaſſet, & ſancta myſteria percepiſſet. In funere vero ad veterem *Saresburiam*, à caſtro mille paſſibus diſtantem, cum cruce, thuribulo, & cereis de more efferendo, non ſine multorum admiratione, & bona aliqua præſagitione de ſalute animæ Comitis, obſeruatum eſt, quod nec pluuiæ demiſſione, nec ventorum vlla violentia, cereorum lumen fuerat extinctum.

Matth. Pa. 1226

Vtrque Matth. 1226.

ROBERTVS *Benghamus* eandem mox eccleſiam moderatur, qui inchoatam illam ſtructuram abſoluit. Coniectus erat ad hæc tempora *Hubertus* Comes in carceres, opera, vt credebatur, PETRI *Wintonienſis* apud caſtrum *Diuiſienſe*. Euaſit vero è cuſtodia in eccleſiam quandam vicinam, in qua ſe, vt in aſylo, continebat: Sed caſtri cuſtodes violenter illinc abductum, plagiſque affectum in arcem reducunt. Quos cum ROBERTVS adiiſſet, & ob aſylum violatum coarguiſſet, poſtulaſſétque, ſed fruſtra, vt eidem redderetur; non parentes anathemate deuouit, nec priùs deſijt Regem ſolicitare & vrgere, quam illius præcepto, templo rurſus reſtitueretur. Quo ſedente *Ioannes Offintunius* obijt, *Saresburienſis* Canonicus, præ doctrinæ magnitudine inter omnes ANGLOS celeberrimus. Et quoniam multæ his temporibus celebres in ANGLIA eccleſiæ non erant adhuc dedicatæ, de quibus dedicandis in recenti *Londinenſi* concilio cautum erat; dedicata eſt in hac diœceſi *Abingdonenſis*, & alibi *Eueshamenſis Glouerniæ, Teukesburienſis, Winchelcumbenſis, Wellenſis, Perſorenſis, Alenceſtrenſis* & aliæ eccleſiæ. GVILIELMVS *Eboracenſis* ROBERTVM, & GVILIELMVM ÆGIDIVS *Bridleſſordius* excepit. Qui *Romam* profectus, obtinuit vt ſimul cum Epiſcopatu veteres dignitates retineret. ÆGIDIVM vero WALTERVS, qui obijt anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo nono. *Matthæus Weſtmonaſterienſis* proximo loco conſtituit NICOLAVM *Longeſpeium*, eiuſque mortem ad annum milleſimum ducenteſimum nonageſimum ſeptimum. SIMONEM deinde, quem de *Gandauo* appellat, ſed *Londini* natum, hominem

Matth Pa. 1227 & 1228 quod videtur reſtitui. Flor. 1229 Nich. Trin. 1229. Matth Pa. 1232 & 1233.

Flor. & Matth. Par 1230. Vtrque Matth. 1246. & 1256.

magnæ sapientiæ atque pietatis. Sed ego alicubi reperio ROBERTVM quendam, ad annum millesimum ducentesimum octogesimum secundum, eam ecclesiam moderatum, cui moderandæ cum tandem propter ætatis magnitudinem, iudicijque inopiam sufficere non videretur; IOANNES *Pechamus Cantuarienſis* prudentem hominem consociauit, cuius consilio & industria negotia ecclesiastica expedirentur; HENRICVM videlicet *Braundestonum* Archidiaconum *Dorsetensem*: Quem arbitror interijciendum inter NICOLAVM & WALTERVM, ROBERTVM inquam *Chantonium*, qui designatus est ad annum Domini millesimum ducentesimũ sexagesimum nonum & post quindecim annos obijt, successorem WALTERVM *Stammelium* sortitus, qui tamẽ apud *Matthæum Westmonasterienſem* non apparet. Fuit vero NICOLAVS illustribus ortus maioribus. Patrem habuit *Guilielmum* Comitem *Seresburienſem*, filium *Guilielmi* filij HENRICI *secundi*, sed *Nothi*: Matrem *Elam*, quæ cœnobium virginum apud *Lacochium* constructit. WALTERO vero *Stammelio* huic ecclesiæ præsidente, quum IOANNES ecclesiasticam disquisitionem exerceret, *Osbertus Giffardius* miles apud eum delatus est, quod duas sacras virgines abduxisset. Quem crimen confitentem, ab anathemate quod incurrerat, ad supplices eius preces absoluit, pœnitentiámque, quam ille præstare iureiurando promisit, præsente WALTERO iniunxit: hanc videlicet, vt sola camisia tectus, & cetera, pudendis tamen velatis, nudus, nouem fustigationes, tres apud forum *Saresburiæ*, tres apud *Saresburiam*, tres vero apud *Wintoniam* subiret. Sacro etiam cinerum die cum alijs pœnitentibus exturbaretur, omnibus interim militaribus insignijs, vestibúsque preciosioribus, atque etiam camisia abstinens. Atque ad hanc rationem, sacram deinde militiam per triennium militaret.

Flor eod. anno Vterque Matth 1210 & 1207. Vterque Matth. 1121 & 1114 & Nich. Trin. Vterque Matth. 1224 & Nich. Trin. Matth. Par. 1128. 1135 & 1244 quo obijt. Flor. 1246. Nic. Trin. 1145 Ex regiſtro.

DE *Exoniensibus* vero Episcopis hæc reperio. Post HENRICVM *Marescallum*, qui ad annum millesimum ducentesimum nonagesimum quintum creatus est, & post duodecim annos obijt, alius HENRICVS *Stratfordiæ* Archidiaconus; & eo circiter duodecim postea annis defuncto, SIMON *Apulus Eboracensis* Decanus succedit. GVILIELMVS deinde *Bruerus*. Cuius natalium splendori generosi & ingenui mores, doctrináque respondere, qui *Senonis* consecratus est. In sacram deinde expeditionem cum *Wintoniensi* profectus est, ibique quinquennium triuit; quo tempore *Fridericus Augustus* illuc diuertit. Cui cum ISABELLA HENRICI soror postea in matrimonium collocata esset, precipua quædam, eam in *Germaniam* deducendi, cura *Gulielmo* mandata est. Sequutus est eum RICHARDVS *Bundius*, & RICHARDVM WALTERVS *Surreius*. Sedente vero *Pechamo*, videtur hanc ecclesiam administrasse. Quem ille cessantem admonet, vt RICHARDI *Menenensis* Episcopi supremam voluntatem, pro suæ dignitatis & officij suscepti ratione, defunctique expectatione exequatur. Quo sedente, *Beuerardus* quidam *Exoniensis* ecclesiæ canonicus, ecclesiam *Colmastochiensem* certa annua pensione conduxit, & accepit in firmam, vt appellant, vt moris tum erat: sed cum postea vxorem duxisset, non solum spoliatus est firma illa, sed & ceteros fructus restituere coactus est. Legauit *Walterus Pechamo* quædam in testamento suo, atque inter alia volumen decretalium, quod executores quinque libris redemerunt. Exornauit hanc diœcesim, & hoc sæculum sua illustri doctrina, in omni disciplinarum genere: in sacras etiam scripturas multa commentatus est *Alexander Nekamus* apud diuum quidem ALBANVM ortus, sed disciplinæ tamen *Canonicorum* diui *Augustini* deuotus, & illustris eorum cœnobij apud *Excestriam* præses. Traditur eum ad Abbatem *Albanensem*, cum cuperet illi cœnobio initiari, facetius & obscurius scripsisse; Si vis veniam, sin autem, tu autem: Abbatémque respondisse; Si bonus sis venias, si nequam, nequaquam; ad nomen illius siue serió, siue ioco falsitatem alludens. Quod responsum ita pupugit & vulnerauit illius animum, vt penitus fuerit ab *Albanensibus* alienatus.

De

De Episcopis Bathonienſibus & Wellenſibus.

CAPVT XX.

DEFVNCTO SAVARICO, accerſitur ad huius eccleſiæ adminiſtrationem IOCELINVS. Natus eſt apud *Wellas* ſiue *Fontes*, vbi templum ab ipſis fundamentis perpulchrum conſtruxit, præbendas vt appellant auxit, locumque nouis redditibus, ædificijs aliis, & amplis donarijs ornauit. In tragicis vero illis, & luctuoſis, ſub IOANNE, ANGLIAE tumultibus, cum omnes eſſent à ſacris abſtenti, ex ANGLIA, cum alijs Epiſcopis profugit. *Bathonienſes*, vt iam diximus, Epiſcopi, cœnobium *Glaſconienſe* ſuis vſibus attribuebant. Qua de re *Euſtachius* Prior, & alij monachi, grauem IOCELINO item *Romæ* intendebant. Succubuit tandem IOCELINVS, non tam inuitus quàm volens cœnobiumque *Glaſconienſe* in integrum reſtitutum eſt: ita tamen vt luculentæ quædam poſſeſſiones, ex monachorum conſenſu, ad illius & ſucceſſorum Epiſcoporum vſus & commodum cederent. Ab hoc IOCELINO & HVGONE *Lincolnienſi* Epiſcopo, exædificatum eſt hoſpitium pauperum, quod ſancti *Ioannis* dicitur apud *Fontes*. Poſt tringinta ſeptem annos humatus apud *Fontes*, Epiſcopatum ad ROGERIVM, quem ROBERTVM ſæpe, corrupti codices vtriuſque *Matthæi* nominant, transmiſit. Qui cum præcentor eſſet, vt appellant, *Sareſburienſis* eccleſiæ, à monachis quidem *Bathonienſibus*, ſed Decano & Canonicis *Wellenſibus* refragantibus deſignatus eſt. Quem ſummus Pontifex, reſciſſa optione, quaſi ſua authoritate præfecit. Non deſiere tamen Decanus & Canonici litem intendere illis, quaſi ſuo iure ſpoliati. Inter quos, interueniente pontifice ſummo, transactio quædam inita eſt, de modo & more electionis; quæ forma poſterioribus temporibus durauit.

SPECTABANT hoc tempore Decanatus *Wellenſis*, & omnium parochialium eccleſiarum in diœceſi iſta, vacantes fructus ad Epiſcopum: quos ROGERVS cœnobio, & Archidiaconis attribuit, ita vt duæ partes cœnobio, tertia iſtis accreſceret. ROBERTI vero inſignem præbendam, *Martinus* pontificis nuncius, ad vſum nepotis cuiuſdam eiuſdem pontificis inuaſit, qui clerum mirifice emunxit: præſidésque cœnobiorum, niſi equos ſplendidos, & alia quæ poſtulabat, ſuppeditaſſent, multis moleſtijs & inter alios *Malmesburiæ* & *Mertonæ* vexabat. Annum quo obijt, inuſitatus per ANGLIAM, maximè per hanc diœceſim terræ motus nobilitauit: qui magnum detrimentum *Wellenſi*, & alijs eccleſijs inflixit. In quo illud miri accidit, vt cum caminorum, columnarum, & turrium ſummitates magno motu concuterentur; ipſæ bates, & fundamenta nullum motum, aut concuſſionem ſentirent. Huiuſmodi tertæmotui ANGLIA bis, intra triennium expoſita eſt. Accidit & alius poſt viginti ſeptem annos, quo eccleſia diui MICHAELIS, in monte prope *Glaſconiam* poſita, prorſus concidit. Poſt ROGERIVM, qui tribus tantum annis adminiſtrauit, *Bathoniæ* ſepultus; ſucceſſorum eius apud vtrunque *Matthæum* manca & mutilata eſt recenſio, quam nos aliunde explebimus. GVILIELMVS itaque *Buckonius* hanc deinde ſedem ſeptemdecim annis regebat. Qui quod cœnobio ROGERVS dederat beneficium, & alia quædam intercipere conatus eſt, ſed poſtea ab eo propoſito reſiliit, nec monachis negotium exhibuit. Recruduit vero de nouo lis inter eum & cœnobium *Glaſconienſe*, cuius rei gratia, & *Romam* profectus eſt, cum antea à Rege ob publica negotia in *Hiſpaniam* miſſus fuiſſet; Interfuit vero cum ceteris Epiſcopis, cum in aula *weſtmonaſterienſi* ſolemni illa cæremonia dirum anathema in eos, qui magnam, vt appellant, chartam violarent, intonabant.

CAPESSIT eo defuncto, & apud *Fontes* humato eam ſedem WALTERVS *Giffardius* qui erat Regi à theſauris; quo, poſt biennium, defuncto GODEFRIDO, *Eboracum* tranſlato, alter GVLIELMVS *Buckonius Wellenſis* Archidiaconus ad eam functionem accerſitur; in qua ſeptem annos tranſegit, apud *Fontes* humatus, vbi & miraculis poſt obitum claruiſſe traditur. Hic ob pietatem celebratur, & ideo ab eo potiſſimum ROBERTVS *Cantuarienſis* conſecrari voluit, à quo præſentibus vndecim alijs, qui erant à ſuffragijs initiatus eſt. Huic ſurrogatur ROBERTVS *Burnellus* Regis Cancellarius, qui & à theſauris fuiſſe videtur. Hunc monachi *Cantuarienſes*, ROBERTO *Cantuarienſi Romam* vocato & cardinalitia dignitate ornato, *Cantuarienſi* ſedi optarunt. Sed eorum optionem atque poſtulationem NICOLAVS ſummus pontifex ratam non habuit. Qui dum eccleſiam illam moderaretur,

Anno 1249. Vterque Matth. ſed vtrobique mal. pro Rogerio Robertus. Flor. 1275.

In catal & Nic. Trin an. 1248

Matth. Pa. 1255.

Flor. 1256.

Nic Trin 1266. & in dicto cata.

Flor. 1278. Nic Trin 1278 ſed videtur codex corruptus vbi appellatur Gulielmus in catal Nic. Trin 1278.

huiuſ-

huiusmodi quiddam accidit. Fuit sacerdos quidam in hac diœcesi, qui cum periculosè ægrotasset, *Franciscanos* quosdam fratres, quos de animæ suæ salute consuleret, accersiuit. Qui cum properè aduenissent, ille tempus extrahens; Quoniam, inquit, de itinere fatigati estis, reficite paululum vos, ego vero mox vos accersam. Dimissis interim omnibus ex cubiculo, præterquam puerulo quodam, eundem ad se accersens, Aperi, inquit, hanc arcam, & defer mihi argenteum discum, quem in eadem reperies: erat autem totus auro & argento oppletus. Quem acceptum & in sinu positum, fixo continuóque obtutu, magnáque cum voluptate intuetur, acceptosque nummos in os dimittere cœpit. Ibi puer herum mota mente existimans, citato cursu descendens è solario vbi iacebat infirmus, famulos & alios euocat. Qui cum incontinenter aduenissent, reperiunt hominem mortuum, cadauérque eius prorsus nudum humi proiectum, numinis, vndique quasi contectum, quod spectaculum ingentem omnibus intuentibus horrorem incussit.

In catalogo.

Defvncto Roberto, & apud *Fontanam* ecclesiam, quam maximis beneficijs amplificauit, sepulto, Gvlielmvs ea dignitate amplificatur, qui erat a thesauris Regijs. Quem quidam eximiæ pietatis laude ornant, ijque aiunt miracula ad tumulum patrata, quasi suffragium honorarium tulisse in ecclesia *Fontana*; in qua post decem administrationis annos, humo mandatus est. Fuit hoc, vt diximus, sæculo *Ela Salesburiensis* Comitissa, mulier multæ pietatis, *Gulielmi* Comitis defuncti (quem de *Longa spata* appellant) qui in sacra expeditione vtilem operam præstitit, quondam vxor, qui *Carthusianorum* cœnobium apud *Heitropium* constituxit, quod illa ad *Hentoniam* Bathoniensis diœcesios, locum longe commodiorem transtulit. Quæ & *Lincolniense*, vt diximus, cœnobium sacris virginibus exædificauit.

Nic Trin. 1227. Flor. 1227. & 1232.

De Episcopis Herfordensibus & alijs Merciorum Episcopis.

CAPVT XXI.

Flor. & Matth. Par. 1200.

Gidivs Bransius ad annum millesimum ducentesimum hanc sedem adipiscitur, qui sub Ioanne postea Rege, in rebus illis exulceratis, & execratione pontificis summi deuotis, cum alijs quibusdam Episcopis sponte exulauit. Quo quidem anno vterque *Matthæus* Gilonem quendam (sed vitiosa ni fallor vtriusque sunt exemplaria; aut memoria vterque, vt fit, lapsus) creatum asserit. Ægidivs rectionem sedis ad Hvgonem *Maneportium*, & is ad Hvgonem *Foliotum*, & Hvgo post quindecim annos ad Robertvm *Maidestonium* transfundit. Hunc, inter ceteros, Rex Henricvs ad *Remundum* Comitem *Prouinciæ* misit, vt filiam eius Aleenoram, quam sibi desponsauerat, in Angliam deduceret. Is terum humanarum satur, & iam affecta ætate, Deo & sibi soli, animæque suæ curandæ vacare desiderans, sponte se Episcopatu abdicans, *Franciscanorum* se *Oxoniæ* disciplinæ deuouit. Meminit *Matthæus Westmonasteriensis* Ioannis cuiusdam *Herefordensis* Episcopi (nisi forte sit in nomine lapsus) qui ab Episcopatu deturbatus, viginti annos apud monachos diui Albani, pontificis summi iussu versatus, ad annum millesimum ducentesimum quadragesimum quartum è vita decessit. De quo & *Matthæus Parisius* meminit, sed non quod per pontificem abdicatus fuerat. Petrvs deinde Egeblancivs *Burgundus* locum capessit; qui maiorem operam posuisse videtur in regijs thesauris coaceruandis, quam in animarum suorum salute procuranda. Imo nefarius fuit adulterinarum literarum concinnandarum (si illius temporis authori credi debeat) quo à clero pecuniam sceleratè exprimeret, artifex. Hunc Rex ad *Lincolniensem* sedem vacantem transferre enixè curauit; sed id ab illius ecclesiæ Canonicis Rex impetrare non potuit.

Vterque Matth. 1220. & 1234. Matth. Pa. 1236.

Ad 1240. Vterque Matth. Matth Pa. 1254 & 1255. & Flor. 1255. Matth. Pa. 1254

Post biennium deinde conatus est cum *Burdegalensi* Archiepiscopatu amplificare; aduolarat enim rumor, Archiepiscopum hominem prolixæ ætatis obijsse: Cito igitur cum literis regijs profectus est *Petrus*, sed cum senex conualuisset, omnem suum laborem itinerisque expensas perdidit; nihilque aliud, nisi importunæ ambitionis infamem notam sibi lucrifecit. Anno sequenti morbum, quem polypum vocant, in naso passus est, qui faciem eius valde

valde deturpauit. Cuius curandi gratia, ad *Montem Pessulanum* profectus dicitur. Post paucos annos in eo bello, quod *Simon* Leicestriæ Comes, & alij principes regni contra HENRICVM concitarunt, cum quibusdam eiusdem ecclesiæ Canonicis, qui exteri similiter erant, captus fortunisque omnibus spoliatus, in carcerem ab eis coniectus est. Eundem deinde Episcopatū tenuit ad annum millesimum ducentesimum septuagesimum quintum IOANNES *Bretonus*, vir in patrijs legibus mirifice eruditus, qui & de illis librum, qui hodie extat, docte conscripsit. Eius locum subijt THOMAS *Cantilupius* vir illustribus ortus parentibus, & diuini humanique iuris callentissimus, quique erat à consilijs HENRICO Regi; sed quem vitæ sinceræ singularis pietas, insigniter præ alijs ornauit: quam crebra, & paucis annis ad centum sexaginta tria, post obitum, miracula mirifice orbi commendarunt. Fuit illi cum IOANNE *Cantuariensi* controuersia. Quam dum *Romam* profectus persequitur: extra ANGLIAM, post septimum administrationis annum obijt, ad annum millesimum ducentesimum octuagesimum septimum. Corpus eius *Herefordiam* delatum, ossaque post sexaginta quinque annos è tumulo, quo condebantur, in magni pretij ornatissimam thecam, EDOVARDO Rege, Principibus, & Episcopis magna frequentia præsentibus, honorifice reposita sunt.

Fabianus pag. 75. Addit ad Matth. Pa & Flo 1264. Nic. Trim. 1263

Nich. Triuet. & Flor. eod. an.

Flor. 1287. Nich Trim. 1281

Polich li. 7 c. 46

RICHARDVS *Suuinefeldus* egregius concionator huic successit. Mandarat IOANNES *Pechamus* officiali *Herfordiæ* ne tribunali veteretur, nisi apud *Herfordiam* aut *Ludleiam*: quod mandatum & ROBERTVS apud RICHARDVM renouat. Cum hanc diœcesim IOANNES *Pechamus*, vt eam reformaret, peragraret, non principem ecclesiæ, vt moris est, primum adiuit; de qua re se excusat, nec alicui ecclesiæ illi præiudicio esse vult; sed ideo à se factum dicit, vt institutum in *Cambriam* iter commodius prosequeretur.

De Episcopis Couentrensibus, Lichfeldensibus *siue* Cestrensibus.

CAPVT XXII.

Chron. Chroches 1201

Vterque Matth. 1208 Flo 1190.

Vterque Matth. 1210

Matth Pa. 1214

Vterque Matth. 1215 & 1221 & Nich Trim 1216 & 1223.

Vterque Matth. 1214 & 1215.

Nich Trim 1218

Matth Pa 1224 & 1234.

AVFREDO *Mulstampio*. post decennium è vita abrepto, WALTERO *Graio* Regis cancellario administratio sedis datur. Qui post quadriennium *Wigorniam* traductus est, & hanc sedem ascendit GVILIELMVS *Cornhulius Huntingtonensis* Archidiaconus. Quo post octo annos rebus humanis exempto, ALEXANDER *Stauenesbeius*, qui *Tolosæ* theologiam professus est, sacro eo magistratu defungitur. Qui mox *Romam* à Rege missus est cum *Lentoniæ* Priore, vt GVILIELMVM, quem Monachi sibi Episcopum asciuerant, lectionem atque optionem (quam Rex auersabatur) quacunque ratione labefactarent, qui & *Romæ* consecratus est. Increpuit aliquando eum grauiter, quasi regiæ maiestatis læsæ suspectum HENRICVS Rex; & quod Comiti mareschallo consociatus, conaretur ipsum à regio throno, atque administratione præcipitare. Quod in eum crimen, suggerente per calumniam *Rogerio Canteluo Leguleio*, Rex torsit. Quæ verba altè in pectus ALEXANDRI descenderunt, illudque miris dolorum aculeis vulnerarunt, ostenditque ille à *Leguleio* illa per summam malitiam profecta: moxque vt sui innocentiam testaretur, sacris & pontificijs vestibus se induens, anathema contorsit in omnes, qui Regem euertere conarentur. Quadriennio post dum accersitus à Rege *Londinum* petit, in itinere in morbum incidit, qui & vitam illi extorsit. Ad ALEXANDRI tempora controuersia illa, quæ diu Monachos *Couentrenses* & Canonicos *Lichfeldienses* inter se commiserat, sententia summi pontificis composita est. Cum enim vtraque esset quasi princeps diœceseos ecclesia, vtrique ad se optionis Episcopi suffragia rapiebant. Quæ monachi pro veteri consuetudine ad se sola spectare dicebant. At Canonici regerebant, præter rationem esse, se, qui principalem ecclesiam obtinerent, & in qua Episcopi sedes locaretur, à suffragijs dandis excludi. Pontifex vero sic rem temperauit, vt ea alterna esse voluerit; sed ita, vt apud Priorem *Couentrensem* suffragij prærogatiua maneret.

Anno 1238. Nich Trim & chron. Chrocheſd

Vterque Matth. 1228.

GVLIELMVS *Raleius* deinde à monachis sufficitur, quanquam videatur EDMVNDVS quidam, qui mox obijt, prius ascitus, nisi forte authoris mei exemplar vitiosum sit. Sed cum

GVLIELMVS consensum suum differret, accersitus est interim ad *Nordouicensem* sedem, quam propensius, vt diximus, amplexus est. Declarant igitur *Couentrenses* monachi suis suffragijs NICOLAVM *Fernamium* pontificem suum, hominem quem præter eximias virtutes, summam doctrinam & facundiam, præclara etiam corporis & oris gratia commendabat. Canonici interim *Lichfeldenses* Decanum suæ ecclesiæ sibi pontificem accersunt. Et licet NICOLAVM dignissimum dicerent, perperam tamen & contra formulam nuper à pontifice præscriptam, monachos egisse asserebant. Ad se enim non ad monachos, qui iam GVLIELMVM optassent, eligendi vices deuolutas. At illi regerebant optionem illam, quam causa, ex diuina voluntate inexpectata, frustrata esset, habendam pro nulla, nihilque in iuris ratione interesse, siue non optassent, siue optio ex insperato casu euentum, atque effectum non habuisset. Decanus cum has altercationes audisset, vir modestus & minimè ambitiosus, clamare se tanto magistratui ineptum, & parum accommodatum; quare vltrò se cedere, suffragiumque suum omnem in NICOLAVM, qui maxime ad eam functionem idoneus erat, transferre. Quę tanta viri modestia effecit, vt coniunctis iam animis & suffragijs, vtrique tam monachi quam Canonici, mirificè ad ornandum NICOLAVM conspirarent. Mittunt igitur qui significent omnem iam dissentionis impedimentum, quod obijciebatur, sublatum: & magnopere rogarent vt communi & quasi diuinitus immissæ optioni, & ipse suum consensum accommodaret.

ILLE cum amplas illis ob tantam in se beneuolentiã gratias egisset, non posse tamen se desiderio illorum satisfacere aiebat. Obstirmasse se enim animum ne illi se muneri immiscereret, quod tantam, tamque accuratam tot animarum Deo reddendarum rationem secum traheret Præclare secum actum arbitrari, si facili et expedita vel de his animabus, quarum iam curam gereret, ratione apud Deum aliquando vti posset, nolle se maiores sibi, in id genus functionibus, difficultates accersere. Præclarum & rarum sane in Decano illo, & *Nicolao* exemplum visebatur. Cumque fixum & immotum in huiusmodi proposito animum *Nicolaus* ostenderet, HVGO *Petershallus* Canonicus diui PAVLI, Regisque cancellarius & à thesauris, huic sedi præficitur. Qui cũ iam confirmatus esset, accedens ad scacarij, vt appellant, barones; Ego inquit ad aliam functionem vocor à vobis iam, non animo tamen & beneuolentia distrahendus, singulosque osculatus valere eos iussit, qui lachrymas erumpentes, pro sua in hominem propensione, continere non poterant. Exiguo tempore nec multo amplius quam vno anno sedit. Cuius mors minus Monachis molesta fuit, quod ipsis cum viueret, ille grauis & iniquior videretur. Monachi deinde *Couentrenses* præcentorem ecclesiæ suæ *Gulielmum* Episcopum suum renuntiant, reiecto *Richardo* præsidè *Eueshamensi*, quem illis Rex accurate commendarat, & in quem Canonici aliquot sua suffragia contulissent. Qua ex re in maximas se difficultates & perturbationes coniecerunt; adeo vt præ regiæ iræ magnitudine, cœnobiũ deserere & latitare, alij apud diuũ ALBANVM, alij alibi cogerentur. Sed tamen audita præsertim paulo post *Richardi* morte, in suo proposito persistunt.

Matth Pa. 1239. 1240 & 1247.

Matth Pa. 1241 1243. & Flor.

GVLIELMVS vero causam suam, cum per alios, tum per se aliquandiu persecuutus, cum videret quantis perturbationibus cœnobium hac de causa iactaretur, omnémque prorsus spem de gratia regia reconciliandæ abiecisset; pontificem summum adijt, & vltrò abdicat se ab ea dignitate. Cui surrogatus est, idque contra Regis consensum, ROGERVS *Vesehamus* Decanus *Lincolniensis*, homo moribus & doctrina vndique expolitus. Cui aliquandiu magnas molestias Rex adhibuit, nec passus est eum ecclesiæ suæ possessionibus frui. Qui vndecimo postea anno sponte ea dignitate propter paralysim se exuens, priuatam vitam traduxit, quam & ipsam sequenti anno exuit. Videtur apud *Matthæum Westmonasterienſem* millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo, & millesimo ducentesimo quinquagesimo octauo proximo loco successisse *Rogerus Molendinus* Regis nepos: & huic *Walterus*. Sed video authores meos hic impediores. Nam Chronicon *Chrochesdenense*, *Rogeri* obitũ conijcit in annum millesimũ ducentesimum nonagesimum quintum, vt & *Matthæus* & alij, neque alium interim à ROGERO *Vesehamo* recitat. Sed ex *Cantuariensibus* archiuis apparet, sedisse interim RICHARDVM, quem *Pechamus* sæpe officij, & muneris negligenter obiti, deque multis, quæ perperam in eius diœcesi obirentur, admonet: & cui, quod à diœcesi sua abesset, & propterea quod morbis, & ætate impeditus, pontificijs negotijs supereſſe vacaréque nequiret, *Ioannem* Archidiaconum *Cestriæ* adiungit, qui munia omnia pontificia administraret, vetitúmque RICHARDO, ne quid, inscio *Ioanne* gereret. Quod si mandatum violaret, sciret, quicquid ita ageret, nullo modo posse subsistere. *Ioanni* vero ex redditibus, in laboris mercedem centum

Vterque Matth. 1245.

Idem 1245. Chro Chrochesſed. 1256 Matth Pa. 1256 & 1257.

marcas

marcas annuatim attribuit. Cumque *Tuddurnense* & alia cœnobia, Episcopi quidam annuis pensionibus, famulis ipsorum præstandis, & alijs sumptibus oneraſſent, illas *Pechamus* conuentiones rescidit.

CONEVGERAT quidam reus, vacante hac sede, ad cœmiterium ecclesiæ *Septoniæ* tanquam asylum: sed quidam ex ea parochia eum inde abstraxerunt. Quibus Episcopi ROBERTI officialis hanc pœnam & pœnitentiam iniunxerat, vt toto anno sola aqua & pane, dominico die semoto, vterentur, vtque in supplicationibus palam, singulis dominicis diebus fustibus cæderentur. Et huic quidem mandato aliquandiu paruerunt. ROBERTVS postea aliquid de tanta seueritate relaxauit, ita vt ad septem annos solemnem & publicam pœnitentiam agerent; & septem certis diebus solemnes fustigationes subirent. *Ex registro.*

Ranulphus Cestriæ Comes ad initium regni HENRICI in *Syriam* profectus est. Sunt qui ideo profectum tradunt, vt delictum, quod se incurrisse existimabat, quo se, in illis suis cogitationibus & conatibus de IOANNE Rege detrudendo, & *Ludouico* ad regias faces euehendo, obstrinxerat, expiaret. Reuersus, præter castra *Barteleum* & *Bessonium*, & cœnobium *Deulacresium* condidit. Ædificauit & EDOVARDVS *primus* cœnobium illud, vt diximus, quod *Valle regale* dicitur. Fuerat vero mulier quædam *Emma*, quæ hoc sæculo apud *Salopiam* ita domo se incluserat, vt potestatem sibi omnem foras prodeundi sustulerit. Quæ quo magis se ab hominum terrestrium consortio remouit, eo vberius cælestium ciuium, diuæ MARIÆ matris Christi, *Ioannis Baptistæ*, *Francisci* & aliorum, quasi familiari consuetudine fruebatur. Adeo quidem vt aliquando missarum solemnia à cælestibus spiritibus celebrata audire promeruerit, vt quidam illorum temporum æqualis tradit. Ad quæ tempora obijt in hac diœcesi *Gaufridus* quidam ex secta *Albigensium*, qui omnia docebat à stellis & astris pendere, quique veritas & damnatas artes edisserebat: tedecim antea annis sacram eucharistiam non acceperat, nec peccatorum exomologesim fecerat, imo nec cum lethali morbo, qui eius vitam abstulit, decumberet, vt id faceret vllis persuasionibus adduci potuit, vanáque se mulier homo longioris vitæ spe lactabat. *Ex registro. Fabianus Polich. lib. 7. ca. 34.*

De Episcopis Wicciorum *siue* Wigornienſibus.

CAPVT XXIII.

MAVGERVS ad annum millesimum ducentesimum designatus, incidit in perturbatissima illa IOANNIS Regis tempora, quem cum ex mandato summi pontificis, vt damna data ecclesiæ *Cantuariensi* fateretur, frustra admonuisset, regnoque deinde sacris esset interdictum: ipse cum quibusdam alijs Episcopis, spontaneum sibi exilium indixit, in quo etiam apud *Pontiniacum*, postquam duodecim annos sedisset, defunctus est. Ecclesiam deinde WALTERVS *Gratus* Regis cancellarius, & post eum SILVESTER, cœnobij prius eiusdem ecclesiæ præses administrat: & ad annum millesimum ducentesimum decimum octauum obijt. Qui insignis fuit propter dedicationē ecclesiæ eiusdē, & translationem D. VLSTANI Episcopi miraculis magis ac magis quotidie inclarescētis. Huic surrogatus GVLIELMVS *Bleius Buckingamiæ* Archidiaconus, & post octodecim annos WALTERVS *Cantilupius* ex splendida familia ortus. Is ægre tulisse videtur decretum illud *Ottonis* legati, quo ecclesiastici, etiam nobiles viri, ad vnicum beneficium ecclesiasticum redigebantur, eaque de re legatum in concilio sedentem admonuit, rogauitque vt diligentius de ea cogitaret, ANGLOS enim aiebat difficulter in eas angustias, nobiliores præsertim detrudi posse, & extrema omnia potius molituros. Quo administrante immoderatis ANGLIA pontificis exactionibus exhausta adeo videbatur, vt Rex & principes viri se opponerent, *Romam*que legatos de ea re mitterent. Sed cum pontifex nihilo moderatiorē se præstaret, solutionēmque vrgeret, Rex RICHARDI fratris, quorundámque Episcoporum, WALTERI præsertim suasione, cui facultas data erat regno etiam, si obstinatius pergerent interdicendi, euertis, & de constantia deiectus, cessit. *Nich. Trin 1208 Vtique Matth. 1200. 1208 & 1212. Hist 1214 & 1218 Nich. Trin. 1214 Vtique Matth. 1215 & 1217. & Nich. Trin. 1236 Matth. Pa. 1237 Matth. Pa. 1246 & 1247.*

EO qui sequebatur deinde anno, WALTERVS cum multis alijs principibus, sacræ expeditioni nomen dedit. Cum principibus se postea, qui armis auitas illas suas leges & consuetudines (qua in re fidem ille suam sæpe fefellit, vanáque illos spe lactauit) à Rege repetebant, coniunxit; ob quam coitionem a pontificio legato diris est deuotus: pauloque post defunctus est. professus perperam se & præter officium, aduersus Regem cum principibus illis coisse. Dum ille hoc magistratu fungitur, RICHARDVS commemoratus adiecit animum *Matth. Pa. 1250.*

animum ad *Hadesliæ*, huius diœceseos cœnobij possessiones occupandas. Agnoscebant hi monachi Abbatem diui *Dionysij* in *Gallia* prope *Lutetiam*, vt suum primatium præsidem. *Richardus* itaque sic cum illo Abbate, pecunia repræsentata, transegit, sicque rem apud summum pontificem agitauit, vt & ille quoque suum consentum accommodaret, vt voto suo, plane potiretur. Reuersus itaque, monachis alio amandatis, possessiones illorum omnes sibi arripit. NICOLAVS *Eliensis* Regis cancellarius WALTERI, & eius locum, obeuntis ad annum millesimum trecentesimum primum, GVLIELMVS *Garesburgius* capellit Franciscanus, & ita quidem *Matthæus Westmonasterienſis* recenset successionem. Sed mihi videtur GODEFRIDVS *Giffardus* ante WALTERVM interferendus, qui hanc ecclesiam, IOANNEM *Pechamo* sedente *Cantuariæ*, gubernasse traditur: quocum IOANNI propter iurisdictionem, & cum ceteris Episcopis controuersia fuit.

Flor 1300. Add ea Matth. Par. 1267. ca. 1311.

IOANNES vero *Pechamus Wigornienſis* Episcopi officialem admonuit, imo seuere ei præcepit, ne pro criminibus manifestis & palam cognitis, pecunia reos multaret; sed aut fustigationibus, aut longis & laboriosis peregrinationibus, aut id genus alijs pœnis afficeret. ROBERTVS vero, cum hanc Diœcesim inuiseret, & *Glocestriæ* versaretur, hospitij Priorem remouit, aliumque substituit. *Wigornienſem* vero hanc diœcesim *Ioannes Wallius Minorita* hoc sæculo valde illustrauit. Qui theologiam *Lutetiæ Parisiorum* magno cum auditorum applausu, atque fructu prælegit; multisque libris editis nomen suum posteritati commendauit HAILENSE hoc sæculo cœnobium, per Comitem RICHARDVM Regis HENRICI fratrem, & *Augustum* designatum, duodecimo circiter lapide à GLOCESTRIA ædificatum est. Quod *Edwardus Cornubiæ* Comes, post parentis obitum, sanguinis dominici portione (quam forte sibi in *Germannia* compararat) ornauit. Quem tuum Christus sanguinem multis miraculis postea eo loci honestauit.

Ex registro.

Ioan. Leland.

In dicti Edouardi vita.

De Episcopis Lincolnienſibus.

CAPVT XXIV.

Vterque Matth 1207 & 1206. Nich. Trim 1206 Chron. Grochesden. Matth. Pa. 1209.

HVGONE, qui frater fuit IOCELINI *Saresburienſis*, ad superos abeunte, ecclesiæ administratio GVLIELMO *Bleio* delata est, eiusdem ecclesiæ vt appellant, præcentori; & decursio quinquennio, HVGONI *Archidiacono Wellenſi*, regij sigilli custodi. Accepit vero GVLIELMVS ecclesiam valde exhaustam, & per milites regios, qui superatis ibi principibus, qui cum *Ludouico* se coniunxerant, vrbem illis eripuerunt, moxque tam cathedralem, quam ceteras vrbis ecclesias expilabant. Expilatores & direptores illi *Gaufredo Drepingio*, illius ecclesiæ præcentori, vndecim marcarum millia abstulerunt. Cui commoditis successisset, si eam pecuniam Christo in suis pauperibus erogasset, & ibi recondidisset thesaurum, vbi (vt Christus ait) fures & direptores penetrare non possunt. HVGO vero rogat deinde Regem IOANNEM, vt liceret in *Galliam* ad *Rothomagenſem* Archiepiscopum, quo sacræ initiationis ab eo munus susciperet, proficisci. Quam eius postulationem lubenti ille animo suscepit. At ille vbi mare transmisisset, recta ad STEPHANVM *Cantuarienſem* proficiscitur, vt ille consecrationis solemnia perageret. Quæ res Regi magnam bilem excitauit. Inuadit itaque mox HVGONIS ecclesiasticas possessiones, suisque vsibus attribuit. Redit vero deinde in ANGLIAM cum alijs Episcopis post IOANNEM Regem pontificijs diris exolutum. Cui, quod se cum principibus, qui aduersus IOANNEM cum *Ludouico Gallo* coijssent, consociasset; pacificatione, motuo IOANNE, inter HENRICVM & *Ludouicum* inita, mille marcarum multa per pontificium legatum ad pontificis vsus irrogata est, præter alias centum, quæ ad commodum *Wallonis* legati derivatæ sunt. Cumque post pacificationem, arcem *Neverchiæ*, quæ Episcopi ditionis erat, milites regij adhuc occuparent, coactus est eos pecunia, quasi ossa obiecta placare, suamque quietem redimere. Vitam perduxit ad annum salutis humanæ milletimum ducentesimum trigesimum quintum: quo ROBERTVS *Grosthedius* (quem *Capitonem* appellare, latinè credo possimus) illi surrogatur. Qui licet esset capito, non tamen fuit capitosus, id est duro & obtuso, sed acri, acuto & subtili ingenio. Quanquam in nonnullis visus est quibusdam capito fuisse, suoque nomini respondere; qui eum vt hominem nonnur-

Matth. Pa. 1217.

Matth. Pa. 1209.

Matth. Pa. 1217. & 1218.

Vterque Matth and an. & Chron Grochesden & Nich. Trim.

quam

quam duræ, præfractæ & præcipitis ſententiæ notarunt. Quod tamen (ſi aliquod id genus in eo fuit) zeli in res omnes honeſtas magnitudo, & ſincera vitæ inculpatæ integritas (quam nec aduerſarij inficiari poterant) obruere facile vita eſt. Quam vt mox dicemus, Deus etiam miraculis poſt illius obitum teſtari dignatus eſt.

Ex hoc fonte manaſſe creditur contentio, qua ſe Canonicis ſuæ eccleſiæ, qua monachis, qua Regi, qua denique ſummo ſe Pontifici ſæpe oppoſuit. Fuere in hac diœceſi circa hęc tempora, *Robertus Haleſius Lincolnienſis*, *Almaricus Beáſordiæ*, *Ioannes Horoſopius Northamptonienſis* Archidiaconus, qui repentina morte abrepti, nullum teſtamentum condiderant: cum tamen pecunia, aureis atque argenteis vaſis, omnique pretioſa ſuppellectile mirum in modum abundarent. Quod cum ad aures ſummi pontificis perlatum eſſet, cauit, vt ſi quiſquam ex Clero inteſtato in ANGLIA obiret, facultates illius ad *Romanæ* vrbis pontificem transferri deberent. Sed Rex, Principes, atque Clerus intercedebant, ne illi edicto pareretur. Acres etiam digladiationes inter HVGONEM & monachos *Cantuarienſes* interuenere, quem ipſi etiam anathemate inſſerunt, quod Abbatem *Bardenei* cœnobij, qui ad ipſos *Romana* ſede vacante appellaſſet (qui huiuſmodi prærogatiuam prouocationes id genus admittendi, à *Romana* ſede habebant) dignitate abdicaſſet: quod ille anathema flocci fecit, neque ſibi vel à ſacris locis adeundis, vel à ſacris obeundis propterea temperauit. Quę poſtea cauta *Romæ* per ROBERTI & monachorum nuncios agitata eſt. Impetrauerat vero à *Romana* ſede, vt ſi quæ cœnobia ſuæ diœceſeos poſſeſſiones haberent, quibus aſſenſum ſuum Canonici, & Capitulum vt appellamus, eiuſdem eccleſiæ non dediſſent, aut monachis nulla ſcripta ſuppeditarent, quę huiuſmodi contentum teſtarentur, huiuſmodi poſſeſſiones ſuæ ſedi attribuerentur. Qua de re cum monachos ille vrgeret, & ad ſe accerſeret; illi ab eo *Romam* prouocabant. Reuocatúmque eſt poſtea id pontificis mandatum, ROBERTO licet indignante, & fruſtra cum pontifice *Romæ* expoſtulante; *Romam* enim ob eam cauſam perrexerat.

Matth. Pa. 1246

Matth Pa 1243

Matth Pa 1250

EST in hac diœceſi *Tamenſis* eccleſia annuis fructibus vberrima. Hanc vacantem, Epiſcopus cuidam *Simoni* largitus erat, Rex vero cuidam *Ioanni Manſelio* ratione pontificiæ, vt appellant, prouiſionis: ſed quæ poſterior erat ROBERTI donatione. Rex vero ſuam *Romanique* pontificis donationem omnibus viribus tuebatur, vehementérque egit cum ROBERTO vt ratam haberet. Sed adeo eum difficilem inuenit, vt paratus fuerit eundem IOANNEM anathemate deuouere, coegeritque ipſum cedere. *Manſelius* iſte in ſumma fuit gratia apud Regem. Cuius annui ex eccleſia prouentus, duo librarum millia conficiebant. Vicecomitem *Rotholandiæ*, qui Clericum, quem propter incontinentiam ſacerdotio *Robertus* priuauerat, & cedere nolentem diris execratus erat, capere, carcerique tradere (poſtquam iam quadraginta dies in anathemate hæſiſſet) reculabat, eodem etiam anathemate implicuit. Sed Rex miſſis nuntijs, facile à pontifice *Romano* impetrauit, ne quis huiuſmodi, Regis miniſtros diris ſacris deuoueret. Cumque Rex immodicis clerum priuaret exactionibus, nemo tam conſtanter reſtitit, atque ROBERTVS, eandemque conſtantiam etiam tenuit in ſimilibus cauſis contra ſummum pontificem. Qua in re, de obitu prætertim INNOCENTII quarti, quædam noſtrates tradunt, quæ ab eis petenda relinquo, de quibus in exterorum adhuc hiſtorijs nihil reperio. Obitum vero ROBERTI, qui incidit in annum milleſimum ducenteſimum quinquageſimum tertium, multis & certis poſtea miraculis mundo diuinitus commendatum, ac ornatum noſtrates ſcribunt. Nec prædictionis, dum viueret, dote caruiſſe videtur. Cum enim aliquando ſtatas ordinandorum in quadrageſima initiationes, apud *Huntingtoniam* perageret, dum nomina eorum de more recitarentur; ille in ſomnum incidit, qui adeo eum preſſit, vt à quodam, qui erat et à ſecretis, excitaretur: tum ille eccleſiarum detectatus expilationem, Ecce, inquit, propter eam res noſtræ male ceciderunt apud *Damietam*, Quam illius vocem non fuiſſe vanam, triſtiſſimi poſt paucos menſes nuncij comprobarunt. Quam rem Author meus, ex narratione viri probi, qui tum *Huntingtoniæ* interfuit, recenſet. Fuit certe ROBERTVS egregijs atque dignus Epiſcopo dotibus amplificatus, in ouibus verbo Dei paſcendis diligentia, & peccatis reprimendis acrimonia; nobiliúmque illorum cœnobiorum *Rameſienſis*, *Petroburgenſis*, & *Sautereienſis* eccleſiæ, ſolemni ceremonia, ex recenti *Ottonis* legati præſcripto, per eum dedicatæ ſunt.

Matth Pa 1251

Idem 1244.

Idem 1242 Vterque Martl. 1253 1254 Polydoro & Fabianus.

FVIT ad poſteriora ROBERTI tempora miles quidam huius diœceſeos. *Lambertus Muſcronius*, qui huiuſmodi reſcriptum à Summo Pontifice elicuerat, vt

à nemine quamcumque ob causam, nisi Pontifice speciatim mandante, anathematis nota intireretur, an id ille, vt licentiosius, peccaret, impetrarit, nescio; qui repentina postea morte occupatus, multis, multam de illo loquendi materiam præbuit. Cuiusmodi repentino fato, eodem anno, *Rannulphus* Reginæ Cancellarius, qui magna iniuria *Mesedoniæ* Canonicos affecisset, & *Nicolaus Damnus* à thesauris Comiti RICHARDO, qui per fas & nefas nummos in Domini gratiam accumulabat, defuncti sunt. Magno hominibus documento, ne morte imparati opprimantur, sed sint vigilantes & attenti ad eam, iuxta Christi præceptum, & expediti ad rationem, summo iudici quandocumque vocauerit, reddendam.

Idem 1254. HENRICVS *Lexintonius* eiusdem ecclesiæ Decanus, Episcopatus successionem occupat.

Idem 1258. Quem Rex licet ægro animo (*Herfordensem* enim eo transferri cogitabat, & ad Canonicos accuratè, sed frustra ea de re scripsit) admisit tamen tandem. Huic post quadriennium BENEDICTVS *Grauesendius* eiusdem ecclesiæ Decanus (qui mox ad regiorum negotiorum procurationem, non nisi post prolixum tempus rediturus mare transmisit), & huic obeunti ad annum millesimum ducentesimum septuagesimum nonum vt *Trivetus* tradit, sed RICHARDVM appellat, *Flor. eod anno.* OLIVARIVS *Suttonus* sufficitur, qui in Episcopatu ad annum millesimum ducentesimum nonagesimum nonum permansit. OLIVARIO successit IOANNES *Alderbius*.

De Oxoniensi Academia, & doctis quibusdam ibidem & alibi viris, & aliis rebus qui ibidem, vel in cœnobijs huius diœceseos accidere.

CAPVT XXV.

Matth. Par. 1238 HABVIT hoc sæculo Academia *Oxonienses* varias & graues, partim inter ipsos scholasticos, partim cum ciuibus, partim cum legato pontificio, partim cum *Lincolniensi* Episcopo, concertationes. Cum enim ibi residerent, non solum ANGLI sed WALLI & SCOTI; nescio quo dæmone

Idem 1217. clasicum canente, quasi in ciuile quoddam bellum, prolatis militaribus signis, mutuamque cladem precipites ruebant. IOANNE vero regnante, *Idem 1209.* vsuenit vt scholasticus quidam mulierem casu interimeret. Qui cum fuga saluti suæ prospexisset, ciues duos illius socios, eiusdémque cum eo hospitij apprehensos, sed ab hac omni culpa consilióque alienos, in crucem, Rege iubente, sustulerunt. Indignati scholastici, academiám prorsus ad tria millia deseruerunt, profecti alij *Cantabrigiam*, alij *Redingum*. Cum vero postea *Nicolaus Tusculanus* Episcopus, & Pontificius legatus venisset in ANGLIAM, Ciues illi, quorum præcipuè opera, illi scholastici suspendio affecti sunt, ad eum supplices venerunt, & demisse, vt à censura ecclesiastica soluerentur, postularunt. Quibus ille inter cetera indixit, vt vestibus exuti, & nudis pedibus, flagellaque manibus portantes, singulas, variatis diebus, oppidi ecclesias supplices adirent; & a parochianis presbyteris absolutionis beneficium, quinquagesimo Dauidis psalmo recitato, implorarent. Inciderunt aliæ, quas non est necesse, digladiationes commemorare. *Otto* legatus tum à ciuibus, tùm ab Academia honorificè *Oxoniæ* est acceptus. Cumque in cœnobio *Osneiensi* hospitaretur, à prandio quidam ex Academia venerunt, vt inuiserent, & salutarent legatum. Quos cum inciuilius ganitor repulisset; à verbis ad verbera ventum est. Accidit interim noua mali accessio, cum princeps coquorum, idémque legati frater, pauperem scholasticum *Hibernum* aliquid esculenti & poculenti postulantem, feruenti iure contumelioscè perfunderet. Ibi scholastici, arreptis quæcunque proxima erant armis & telis, in coquum & familiam irruentes, coquum sagitta transfodiunt, ægréque illorum manus legatus euasit: paulóque post & in oppidum sacrum interdictum, & in authores cædis anathema tulit, qui postea *Londini* in carcerem coniecti sunt, reliqui ex Academia alio dilapsi. Vix tandem placatus *Otto*, oppidum à sacra nota exoluit, postquam Abbas et Canonici *Osneienses*, cum præcipuis Academiæ magistris, nudis pedibus, & capitibus, per mediam *Londinensem* ciuitatem ad domum *Dunelmensis* Episcopi, vbi diuersatus est, pergentes, supplices veniam postulassent. Atque ita rursus studijs, quæ tota æstate intermissa fuerant, incumbere cœperunt.

Idem 1213. Vide Flor de alia dissentione 1259. & Matth. Pa. 1240. & 1250.

Matth Pa. 1238. & Flor.

NON

NON leuis etiam cum HENRICO Episcopo *Lincolniensi* contentio intercessit, qui conatus est veteres Academiæ prærogatiuas & priuilegia labefactare. Qua in re pacificatio inita est, sed reuocata est postea per OLIVARIVM Episcopum. Ad quem IOANNES *Pechamus Cantuariensis* scripsit, rogauitque ne Academiæ negotium faceſſeret; neue ægre ferret scholasticos, etsi suæ diœcesis, habere tamen suos domi Iudices: cuiusmodi priuilegia & consuetudines, in *Parisiensi* & alijs celeberrimis Academijs vsui parentur, & huiusmodi etiam priuilegia. etiam iura ciuilia Academijs indulsisse. Fuit vero ex scholasticis *Oxoniensibus* quidam, imperante EDOVARDO primo circiter annum milleſimum ducenteſimum octogeſimum quintum, qui cum sanus, lætúsque cubitum iret, ad mediam noctem cœpit magnum tumultū ciere. Accurentes socij qui in eodem solario cubabant, reperiunt hominem præ tetra ægritudine quasi in Æthiopem transformatum, & tam mutum ac piscem. Quorum animis mirum in modum consternatis, Quin, inquit, vnus ex socijs, ad preces confugimus, principiumque euangelij IOANNIS recitamus. Quod cum ille occœpisset facere, & alij eadem post eum sacra euangelij verba repeterent, ecce dæmon, qui hominem occuparat, cum dimisit, abiensque gradus lapideos ad ostium solarij positos prorsus euertit, tamque tetro locum odore aspersit, vt pæne presentes enecaret. Quod author meus ab eo se audisse dicit, qui illo tempore interfuit. Neque hic præterire debeo *Ioannem Baliolum Scotorum* Regem, aut *Gulielmum Mertonum* Regis Cancellarium, *Roffensemque* Episcopum. Qui singuli singula collegia Oxoniæ condidere, quæ vel hodie authorum nomina retinent, *Baliolense* videlicet & *Mertonense*. Quin & Rex HENRICVS insigne ibi ædificauit pauperum hospitium, quod postea in *Magdalenense* collegium conuersum est. Ad annum vero milleſimum ducenteſimum nonageſimum quintum, grauis clades Academiam percutit, cum scholastici repentè abrepti, magno numero obirent; adeo vt ad vnam ecclesiam vno die sexdecim & amplius cadauera deferrentur. Multi & celebres hic hoc sæculo, omnium ordinum conuentus agebantur. inter quos fuit & ille Principum, qui ad veteres leges conseruandas, & *chartam*, quam vocant *magnam*, HENRICO & filio EDOVARDO iurisiurandum expressere, quod non ita multo post violarunt. Multa hic in synodo per STEPHANVM *Cantuariensem* ad Cleri emendationem sancita. In hac synodo, aut paulo ante, pseudochristus quidam, qui se Christum, venisséque vt errores, qui in Clero & populo grassarentur, emendaret, audebat asserere; & signa quædam quasi Christi crucifixi, manibus, pedibus, laterique impressa, ad maiorem populi circumuentionem ostendebat; vt vanus & perfidus nebulo in crucem, quam meruit, cum hermaphrodito quodam assecla sublatus est. In qua & Diaconus quidam desecratus est, flammisque exustus, quod ad Iudaicam perfidiam nefariè profugisset. Celebratus est & frequens *Benedictinorum*, IOANNE imperante, conuentus, qui confluxerant de rebus ad sui ordinis disciplinam pertinentibus deliberaturi.

Matth. Pa. 1258. & Flor. Matth. Pa. 1212. Vterque Matth. 1221. Nich. Trr. & Chro. Chron. chrjd. eod. an.

Polychr. li. 7. c. 4

CELEBRIORES ex Clero (nam de monachis postea dicemus) qui in hac diœcesi scriptis inclaruere, hi fuere, *Gualterus Mapes Lincolniensis* præcentor, & vt quidam, Oxoniensis Archidiaconus, *Gulielmus Leicestrius Lincolniensis* ecclesiæ Cancellarius. Qui cum alia multa scripsisse dicitur, tum & Concordantias, vt appellant, Bibliorum concinnauit. *Gulielmus Sheruodius* eiusdem etiam ecclesiæ Cancellarius, *Robertus Cursonus*, Oxoniensis, vt creditur, alumnus, & Cardinalis. Sed *Capitonem* nostrum, *Lincolniensem*. Vt diximus, Episcopum, cum *Ioanne Basingo* seu *Basingstochio*, caput & principem constituere non sine causa poterimus. Qui in *Sudouolgia Nordouicensis* diœceseos prouincia humili loco natus, ad maiorem eruditionis cumulum coaceruandum, etiam *Galliam* inuisit. Reuersusque *Legiceſtrienſi* Archidiaconatu, & *Lincolniensi* deinde Episcopatu, propter pietatis & doctrinæ magnitudinem, donatus est. Nulla fuit liberalium disciplinarum, quam non ille exactè cum Latina, atque adeo Græca & Hebræa lingua calluit. Multa scripsit, cum alia, tum de rebus theologicis, & aliquot in sacras literas commentaria. *Suidam* è Græco transtulit, & in eundem, nec non *Hierarchiam Dionysij*, & *Ioannem Damascenum* annotationes contexuit. Transtulit & duodecim prophetarum testamenta è Græco, quæ quod euidentes & illustres de Christo prædictiones complectuntur, creduntur *Iudæi* malitiosè multis sæculis suppressisse, vsus ea in re *Nicolai* hominis Græci, apud diuum ALBANVM diuersantis opera. Quos illi primum libros commemoratus *Ioannes*, (quem *Legiceſtrenſi* Archidiaconatu ROBERTVS donauerat) vir omni eruditione, sacra & liberali institutissimus, qui cum alias multas nationes, tum *Græciam* ipsam augendæ scientiæ ergo peragrauerat, communicauit.

Ioan. Leland.

Matth. Pa. 241

Qui

Qui authori nostro retulit, se in tam longa & loginqua peregrinatione, à nemine plus solidioris & reconditioris doctrinæ in rebus philosophicis hausisse, quam à *Constantina* quadam *Athenien si* puella Archiepiscopi *Athenien sis* filia.

Ex monasticis vero viris, qui ob doctrinam commendantur, nescio an quisquam *Roberto Bacono*, propter exactam Theologiæ, quam summa cum laude Oxonii professus est, & aliarum disciplinarum cognitionem, æquandus, ne dum præferendus sit. Is senex diui *Dominici* (cui ædes Oxonii *Isabella Belebechia* Oxoniæ Comitissa, vbi & humata est, construxerat) disciplinæ se addixit. Cui proximo loco, *Richardum Fitzacrium*, non solum propter eiusdem disciplinæ & vitæ, quam pariter Oxoniæ & Lutetiæ *Parisiorum* traducebant, coniunctionem, & propter idem profitendi sacram theologiam & concionandi munus, propterque singularem *Richardi* doctrinam: sed & propter mortis (eodem enim anno obiere) fere communionem coniungere possumus. Vterque egregijs se libris scribendis ad posteritatem nobilitauit. Inter reliquos præcipuum locum habere debet *Gilbertus Hollandius* (est autem *Hollandia* huius diœceseos prouinciola, quam *Velandi* & *Lindi* magna flumina complectuntur) *Swinshedensis* cœnobij Abbas, *Bernardi* olim discipulus, & vt in vita illi, ita in studiorum similitudine coniunctissimus. Cuius & vitam, & inter alia commentaria in *Cantica Canticorum* contexuit, incipiens ab eo loco vbi *Bernardus* omiserat. Commendatur etiam à doctrina & scriptis *Petroburgensis* præses, & *Hugo Candidus*, & *Helias Trikingamius* eiusdem cœnobij monachus, *Rogerus Friscomensis* præses: *Robertus Dodefordius*, & *Gregorius Huntingtoniensis*, *Ramesienses* monachi, & Hebraicæ linguæ valde callentes. *Henricus de Hanna Carmelita*, qui suæ familiæ octodecim annis præfuit, domumque illis Oxoniæ ædificauit. Et cum esset Prouincialis, vt appellant, illius ordinis; familiam suam valde non solum in ANGLIA, sed & per FRANCIAM, *Germaniam*, *Scotiam* & *Hiberniam* auxit. Atqui non debeo, *Matthæum Parisium Albanensem* monachum, vel ob hoc silentio obruere, quod magno nobis in hac nostra historia concinnanda fuerit vsui: qui nostræ gentis historiam à GVLIELMO *Normanno* ad obitum fere HENRICI *tertii* & cœnobij sui Præsidum, & multorum Diuorum vitam diligenter persequutus est. Abbatum vero hæc erant nomina, *Willegodus*, *Eadricus*, *Wlfinus*, *Alfricus*, *Ældredus*, *Eadmerus*, *Leofricus*, *Alfricus*, *Leofla-* *Vide Math. 1214* *nus*, *Fredericus*, *Paulus*, *Richardus*, *Gaufredus*, *Radulphus*, *Robertus*, *Simon*, *Garinus*, *Ioannes* & *Gulielmus*, qui ad decimum sextum IOANNIS Regis annum Cœnobium administrabat.

Math. Pa. 1248

Idem 1245.

MATTHAEVS vero noster, cum cœnobium quoddam *Norvegiæ*, quod *Helmum* dicitur: à CANVTO Rege constructum (qui & aliud in ANGLIA eiusdem Nominis, & *Benedictinæ* familiæ condidit) Abbate & assecles suis, post Cœnobij patrimonium perfide dissipatum, aufugientibus, reliquisque postea monachis per Archiepiscopum deturbatis, pæne iam ad ruinam & demolitionem peruenisset; ex summi Pontificis mandato eo amandatus est, vt veterem disciplinam & cetera omnia, sua opera & industria in integrum restitueret, quod & feliciter confecit. Aggrediamur iam pauca de ipso *Albanensi* cœnobio dicere; cui post *Gulielmum*, de quo mentionem fecimus, quique obijt ad annum millesimum ducentesimum trigesimum secundum, *Ioannes* Prior *Herfordensis*, summa cum *Albanensis* societatis, Regis, Summique Pontificis consensione & gratia substitutus est. Eligendi vero Abbatem, vt & hoc obiter dicam, hic mos & ratio tenebatur. Selegebantur tres vel quatuor spectatissimæ pietatis & fidei, his potestas dabatur duodecim elegendi, atque is demũ pro iusto Præside habebatur, quem hi duodecim optassent. Ad hanc igitur rationem post *Gulielmum* de quo paulo ante commemorauimus, *Ioannes* Prior *Herfordensis* sufficitur, eiusque optionem per literas ratam habuit summus Pontifex. Conditũ est in hac diœcesi ab EDMVNDO RICHARDI Comitis fratrisque HENRICI Regis filio, cœnobium quod *Asseruggium* dicitur prope *Berchausledium* pagum, distantem à *Londino* circiter viginti quinque millia passuum. Quod & portione sanguinis Dominici ornauit. Dicuntur cœnobitæ, & reuera multi nomini suo respondebant, *boni homines*. Fuit vero puella quædam, quæ se apud *Leicestriam* pietatis, diuinæque meditationis ardore ita incluserat & abdiderat, vt nunquam foras prodiret. Cui illud admirabiliter accidit; vt toto septennio, quod obitum proxime anteuertit, nihil omnino aliud gustaret, nisi dominicis tantum diebus sacrosanctam Eucharistiam. Quod cum primum audisset HVGO Episcopus, vt vanum eo vsque respuebat, donec missis quibusdam eo presbyteris, qui quindecim eam dies accurate obseruarent, rem certo didicisset. Quæ toto eo tempore faciem habebat candentẽ, rubore tamen roseo perfusam. Tristius est quod iam referam.

EST

EST in *Lindesia* superiore, cœnobium quod *Marchbeium* dicitur, opimis pecorum pascuis tam cœnobio olim, quam vicinis communibus abundans. Sed cœnobitæ cupiditate impotenti abrepti, tota sibi pascua vendicare conantur, vicinosque extrudere. Fit res tandem litigiosa *Londini*, & duodecim viri de more patriæ selecti, qui litem finirent, hi pro cœnobio pronunciant. Illi mox partem illorũ agrorum aratro proscindunt. Nec ita multo post duodecim illi viri, quibus gratia & lucrum, veritate sanctiora & antiquiora fuere, sensim è vita subducti sunt, & cum eis *Alanus Hotoftius*, qui pro cœnobio causam hanc procurabat. Id vero ad omnium stuporem accidit, vt in ea parte agri, quam aratrum recens subibat, viderentur defuncti illi medio claroque die, & ea præsertim hora, qua sententiam illam pronunciabant, igneum quoddam aratrum ducere, nequam spiritibus eos ad opes vrgentibus, atque hoc opus facientes multi & videre, & allocuti sunt. Qui nulla alia se ratione hac pœna eximi posse aiebant, nisi vicinis damnum illatum resarciretur. Id Author meus, vt rem bene exploratam narrat. Cœnobium *Godstouum*, prope *Oxoniam*, constituitur hoc sæculo à IOANNE Rege sacrarum virginum, vt *Rosamundæ* animam Deo commendarent, qua vt concubina pater HENRICVS vsus est. IOANNES autem *Pechamus*, cum ecclesias, vt quæ lapsæ erant, ad veterem disciplinam, reformaret, inuiseret, cum alibi in hac diœcesi multam, tum apud cœnobium *Bardeneium* diligentem operam in Abbate & monachis reconciliandis, qui diu dissidebant, posuit. Obijt etiam hoc sęculo *Thomas Wodstochius*, primus *Crochesdenensis* cœnobij ordinis *Præmonstratensis* Abbas, ad annum millesimum ducentesimum vigesimum nonum post vndecim administrationis suæ annos, quam magna cum laude atque integritate obiuit. Qui inter alia maiorem bibliæ partem suam manu perpulchre exscripsit. *Bertramus Verdunus*, *Alueti* Dominus, dederat quasdam possessiones, quæ sitæ erant apud *Chores*, vt ibi cœnobium construeretur. Sed post vnum aut alterum annum, monachi *Crochesdonium* translati sunt. Obijt vero *Bertramus* apud *Prolomaidem* in sacra expeditione, quam cum RICHARDO suscepit. Cuius pater & reliqua soboles, præter *Thomam* & *Robertum* filios, qui in *Hibernia* defuncti sunt, in eodem cœnobio sepulturam sortiuntur.

In dicta vita Edouard. Regis.

Ex chro. quodam breui Chrocheſd. cœnobij per fratrem Guielmum Stiepsheadium eiusdem cœnobii. Author suũ tempus satis demonstrat, cum dicat magistrum suum mil ccentum obiisse ad 1295.

HABET author meus ceterorum, qui *Thomam* exceperunt, nomina, quæ ne forsan aliâs prorsus memoriæ excíderent, subijcere volui. Fuere itaque *Walterus*, *Gulielmus*, *Ioannes Walterus*, *Gulielmus*, *Henricus*, *Ioannes Richardus*, *Gulielmus*, *Thomas*, duo alij *Richardi*, *Alexander*, *Gulielmus*. *Philippus*, *Rogerus*, *Ioannes*, *Gulielmus*, *Radulphus*, *Ioannes*, *Stephanus*, *Ioannes*, qui designatus est anno millesimo ducentesimo quinquagesimo nono. Ex his maxime insignes, & cœnobio commodi fuere, *Walterus Londinensis* qui creatus est ad annum millesimum ducentesimum quadragesimum secundum. *Gulielmus Hentonius* qui designatus est ad millesimum ducentesimum sexagesimum. Qui ad vsum cœnobij emit Bibliam cum glossa, quæ nouem volumina complectebatur viginti quinque libris. Mirum est hic videre prouidentiam Dei, qua per libros excudendi artificium, nos hodie tam tenui pretio præ illis temporibus, huiusmodi & alios libros comparamus. Fuit & alter *Hentonius* postea, qui ad annum millesimum ducentesimum septuagesimum quartum apud *Diuionem* obijt. Cuius sepultura vel ideo celebris est, quod * trecenti Abbates illi interfuerint.

Abbatum vero quidam nomina postea ab alio adiecta.

* *Sic omnia exẽplaria, sed forte error in numero.*

De Episcopis Elienſibus.

CAPVT XXVI.

EVSTACHIVS Episcopus fuit vnus ex ijs, qui ANGLIAE, propter IOANNIS proteruiam, sacris interdixit; licet eum (sed vitiosa sunt, ni fallor, exemplaria) *Matthæus Westmonasteriensis* EDOVARDVM, & ipse *Matthæus Parisius* postea ELIAM nominat. Neque enim ELIAS sed EVSTACHIVS pontifex *Romam*, post execratum IOANNEM, profectionem suscepit. Qui triennio post fato functus est, homo humana & diuina omni literatura apprime instructus. Ad quæ tempora IOANNES insulam, ecclesiamque *Anguillariam* miserrime depopulatus est, *Falcasio* exercitum ductante, qui equo insidens principem ecclesiam, abiecto omni hominis, Deique metu, petulanter ingressus est. EVSTACHIO IOANNES Abbas *Fontanensis*, vir pius, & eo obeunte GALFRIDVS *Nordouicensis* Archidiaconus; & huic HVGO præses prius cœnobij diui EDMVNDI suffectus est. Magnos ille in ecclesia pontificijsque ædibus, de nouo magnifice edificandis, sumptus

Matth Par Nic. Trin. 1201.

Anno. 1208.

Anno 1212.

Matth. Pa. 1215.

Vterque Matth. 1210.

Matth. vterque 1220.

Ad 1225. & 1229 vterque Matth. Nich. Trin. 1219. Idem 1252, & 1254.

ptus posuit. Fuitque ecclesia magna, eo adhuc viuo, solemnitate dedicata. Cuius consecrationi Rex cum proceribus, Episcopis alijsque infinito numero interfuit. Quibus ille omnibus epulas instructissimas exhibuit, biennioque post, feliciter in Domino obdormiuit, non mediocri lętitia perfusus, quod dedicationis solemnia ante obitum consummasset.

Vterque Matth. 1254 & 1255. GVLIELMVS *Ludhamus* Regis Cancellarius locum ad biennium capessit; Defunctus, dum regia negotia procuraturus, in *Hispaniam* tenderet. Cor eius in ANGLIAM relatum in ecclesia sua humatur: sedataque est, eo pontifice, controuersia, quam habuit cum *Hugone* præside *Rameſienſis* cœnobij, de palluſtribus illis locis, quæ mariſcum appellant. Quæ antiquis temporibus cum nulli essent, vel hominibus, vel pecoribus adiumento, sed potius dæmonum habitaculum, vt vita GVTHLACI indicat; his tamen temporibus eò hominum industria prouecta erant, vt fœno & frugibus, * & quæ ab ijs vacua erant, alijs vtilitatibus ad vitã humanam percommodis, affluerent. Consecratus erat apud *Beleſinum* à BONIFACIO extra ANGLIAM. Quod Episcopi & monachi *Cantuarienſes* ægrè tulere, cum id contra morem antiquum fieret.

Guliel. Malmesb. qui vo ant cum Gulielmum de Kilkeni Matth Pa 1256.

* al & alijs vtilitatibus ad *Flor. 1255.*

GVLIELMO, monachi HVGONEM *Balſamum*, vnum ex suis monachis substituunt. Quorum suffragio Rex ægerrimo animo, propter repulsam *Henrici Wengami* Cancellarij sui, pro quo illos accuratè rogarat, tulit; adeo, vt vacante sede possessiones ecclesiæ, siluis vastatis & excisis, viuarijs piscium effusis & exhaustis, alijsque rationibus, magnis detrimentis obiectæ sint. Coactusque est HVGO, vt ius suum, electionémque de se factam tueretur, *Romam* proficiſci. Neque quicquam prætermisit Rex, quo illum de dignitate illa deijceret; causatus inter alia, esse eam insulam instar munitissimæ arcis, & fortissimi asyli in rebus reip. turbulentis atque exacerbatis, & ideo illi homini simpliciori, & rerum humanarum rudi non esse credendum vrgebat. Et *Cantuarienſis* Archiepiscopus causam contra eum, & *Adamum* quendam (virum quidem doctum, & qui sacras literas *Oxoniæ* perlegisset, in quas & commentatus est, *Franciſcanum*, & ROBERTO illi *Lincolnienſi* vnicè charum; vt qui suam cum eo in scripturarum meditatione operam coniunxit, & ob cuius gratiam cœnobio *Franciſcanorum Oxonij* suam bibliothecam legauit) sufficere cogitabat. Sed vicit tandem omnes has HVGO difficultates, aduersarioſque; qui certe, si ob nihil aliud, vel ideo immortali memoria laudéque dignus, quod collegium ad bonas literas prouehendas, quod diuo PETRO consecratur, *Cantabrigiæ* magnificè ædificarit, possessionibusque auxerit. *Henrici* vero modestia non est hic silentio premenda, qui se eo Episcopatu indignum, præillis duobus, clamabat, Regémque rogabat, vt primam electionem quietam, & inconcussam relinqueret. Proximus quem adhuc reperio, apud *Matthæum Weſtmonaſterienſem*, est GVLIELMVS *Luda*. Cuius obitum referunt ad annum milleſimum ducenteſimum nonageſimum quartum. Deprehensus est hoc sęculo *Carthusianus* quidam, qui ecclesiarum ingressum auersabatur, qui GREGORIVM *Romanum* pontificem, cuius vitam dixerat contaminatam, & longe alienam á diui PETRI, ecclesiæ præsidem propterea non fuisse asseuerabat: visusque est ad eam hæresim propensior, quæ affirmat Christum sumpsisse carnem in virgine, sed non ex virgine.

Matth. Pa. 1256. & 1257.

Matth. Pa 1258

Matth. Pa 1257

Flor. eod. anno.

Matth. Pa. 1240

NESCIO vero quę inferni Erynnis *Cantabrigienſes* scholasticos in pugnam inuicem commisit, quæ primum orta est inter duos famulos, alterum ex Austro, alterum ab Aquilone ortum. Mox certatim accurentes scholastici, dum quisque suę patrię hominẽ acriter tuetur, in mutua passim vulnera miserè corruerunt, & interim vacua collegia ciues spoliarunt, qui graues propterea pœnas dederunt. Circiter quæ tempora, fuit quidã eiusdẽ Academiæ iuuenis *Gulielmus Vildius*, qui suo nomini respondens (quod apud nos hominem efferatũ & immodestum significat) dissolutiùs & petulantiùs vixit. Id tamen in more positum habebat, vt singulari quadam quotidie propensione Beatam virginem, matrem Christi veneraretur. Cubauit simul in eodem lecto cum *Iacobo* quodam, qui simul literis operam dabat, & *Londini* postea sacerdotio donatus est. *Gulielmus* vero quadam nocte ita tremebat, tanto tamque inusitato sudore totus maduit, tantumque tumultum ciebat, vt expergiscens socius admiraretur, conaretúrque hominem, sed frustra aliquandiu è somno excitare. Qui tandem ad se rediens, dixit se fuisse ante summi Iudicis tribunal raptum, & exactam ab eo totius vitæ preteritæ rationem: in qua reddenda cum hæreret, neque se expedire posset ab ijs criminibus, quę dæmones illi intentabant, quæ curiosè & accuratè scriptis erant mandata, sententia Iudicis lata, abreptum fuisse ad æternas pœnas. Ibi vero ille circumspiciens, tum Beatam forte Virginem vidisset, illius opem imploraſſe, & eius precibus fuisse dimissum. Nec fuisse hoc vanum aut inane simulachrũ, res ipsa admirabili euentu declarabat. Cum enim vigilaret, reperit in manu chartam, quæ omnia, quæ

Flor. 1260.

vnquam

vnquã in Deum grauiùs deliquerat, crimina complectebatur: Proximáque luce ad sacerdotem pergebat, apud quem accurata exomologesi se expiabat, & tam piè deinde, tamque durè atque austerè vixit, vt repentinam hominis immutationem omnes admirarentur. Hanc historiam, vt author meus habet, *Iacobus* ille pluribus sæpe referre solebat.

AD hæc tempora ne *Oxonienses* quidem scholastici firma pace gaudebant; nám propter grauem dissensionem, inter eos & ciues *Oxonij* subortam, multi scholastici *Oxania Cantabrigiam* migrarunt, quoniam *Cantabrigienses* scholastici, (vt *Matthæus Parisius* refert) libertatibus quibusdam à Rege, contra oppidanos sibi concessis & per chartas regias confirmatis, erant muniti. *Vincentius* quidam *Couentrianus* primus fuit ex familia Diui *Francisci*, qui sacras literas in Academia *Cantabrigiensi* professus est; quem *Ioannes Westonus*, & *Guliemus Pictauensis* postea in eadem functione sequuti sunt: ex *Carmelitis* vero (qui circiter annum millesimum ducentesimum quinquagesimum primum, sedes ibi posuerunt) *Humfridus Nectonius*, de quo prius commemorauimus. Septennio post, qui sunt ex ea disciplina, quos *Bethleemitas* appellant, ibi se collocarunt. Cœnobij vero *Elienſis* inter alios, præses fuit *Richardus*, qui cùm alia, tum sui cœnobij gesta conscripsit. Rarum & insigne hoc sæculo in hac diœcesi, apud pagum *Albodesleium* contra homines nimis sordidos atque auaros, & erga pauperes immites, exemplum accidit. Fame, & ex ea graui etiam peste laboratum est. Cumque fames quotidie ingraueſceret, iamque *Iulius* mensis aduenisset, pauperes, qui vix vitalem spiritum præ famis magnitudine ducebant, fruges, licet adhuc immaturas, in agro illius pagi manibus conuellebant, granumque, quo præsenti necessitati consulerent, excutiebant. Quod rustici & agrorum illorum coloni perspicientes, magnopere ira incendebantur, adeuntque sacerdotem, vrgéntque vt anathema in miseros illos homines intonaret. Ibi vero quidam ex illis vir pius interceſſit, ne id fieret, nullâque ratione consentire se velle affirmauit, vt tam dira sententia ob id factum, quod necessitas extorserat, percellerentur. Sacerdos tamen cum à ceteris premeretur, anathema pronunciauit. Et mox tam * decumana tempestas cum immani tonitru, & horrendo fulminum iactu exorta est, vt omnem prorsus illius pagi segetem penitùs euerterit, & corruperit. Et vetus interim illud inter *Iudæos* & *Ægyptios* quodammodo spectaculum repræsentatum est, cum viri huius *Israelitæ* seges, in tanta vicini vndique fundi calamitate, ab omni damno & detrimento fuit prorsus, ad omnium stuporem. Diuinæque prouidentiæ laudem, integra atque illibata.

Matth. Pa 1234

**al. tremenda*

De *Archiepiscopis* Eboracensibus.

CAPVT XXVII.

GAVFRIDVS Archiepiscopatũ ad WALTERVM *Graium*, *Wicciorum* siue *Wingorniensium* antea Episcopum (reiecto per summum Pontificem *Simone Langtono*, quem priùs Canonici optauerant) transmisit. Quem Rex in *Galliam* decimo post anno misit, vt in dissidio illo, quod ortum ibi est ad prima regni initia *Ludouici* Regis, *Normannos*, *Andegauenſe*, *Britannos* & *Pictones*, adveterẽ Regis ANGLIÆ obseruantiã & fidẽ reuocaret; & decimo sexto deinde anno, cum Rex ipse in *Galliam* proficiscereturſummam rerum illi in absentia credidit. Quod cum illi rursum munus post duodecim annos mandare voluisset, ille illud, quòd propter summã senectutem rebus gerendis parum se accommodum sentiret, recusauit. Proximo deinde anno, desijt esse in rebus humanis, post quadragesimũ, quem pænè expleuerat, administrationis suæ annum. Vir, qui & ecclesiam suam, quam varijs ornamentis & possessionibus luculenter auxit, & regni negotia cum laude procurauit. Decessisse traditur cerebro ex immoderatis ieiuniis vitiato, apud ædes *Londinenſis* Episcopi *Fulhamiæ*. Illud vero famam & existimationem eius præcipuè commaculasse videtur, quod in illa, de qua præcedenti narratione diximus, frumenti inopia, & peste quæ eam excepit, magnos frumenti cumulos apud pagum *Riponenſem*, toto quinquennio nimis sordidè & inhumaniter conseruasset. Quod cum vrgentibus ministris, qui vetustate prorsus alioqui perituram asserebant, agrorum suorum colonis, à quibus proximo autumno nouum acciperet pro eo, frumentum tradi mandasset; accedentibus ministris ad illud aperiendum, horrendi se serpentes ostenderunt, qui illos in fugam præcipites propellebant. Cumque alij postea accederent, fumus inde & odor teterrimus, cuiusmodi nunquam eo-

Matth. Pa 1215. Thomas Stub. de Archiep Eborac ensibus.

Matth. Pa 1226.

Idem 1242.

Idem 1254.

Matth. vterque 1215.

Matth. Pa. 1234.

Matth. Par. ibid. rum priùs naribus afflatus erat, & Diræ quædam contra VVALTERVM voces prodiere: Ita quidem, vt totum illum aceruum *Vulcano* committerent. Ad quæ tempora fuit quidam eiusdem diœceseos sacerdos, qui vt mundi opibus per diabolum augeretur, ante viginti annos pacto conuento, mancipium se illius constituit. Qui tamen pœnitentia se tandem ex Dei benignitate expians, graue illud iugum admirabiliter excussit.

Diffus Author in vita Edouardi regis 1282. POST paucos annos GREGORIVS Pontifex sacerdotium quoddam huius diœceseos apud *Luthunum* positum, extero cuidam donauit. Cuius cum patronus esset miles quidam *Robertus Tuuigius*, *Romam* profectus est cum literis principum, qui grauiter querebantur ius suum in ijs rebus sibi eripi. *Robertus* vero deinde per pontificem (qui asserebat se ignorasse patronatum ad laicum spectasse) in integrum restitutus est. Nobilitarunt hanc diœcesim, & hæc tempora miracula, quæ *Knareburgi* apud tumulum *Roberti* quondam Eremitæ patrata sunt. Inter quæ, oleum ex eodem tumulo manauit. WALTERVS inter alia beneficia, quibus sedem affecit, certa animalia successori reliquit, ita vt ea ille, & alij suis semper successoribus transmitterent. *Walteri* defuncto, SEVALVS *Eboracensis* Decanus non tam eligitur, quam postulatur in pontificem propter natales vitiatos. Quam tamen aduentitiam maculam non solùm summi pontificis gratia, quam dispensationem appellant, sed præclaris multis suis dotibus absterfit. Cuius se optioni Rex HENRICVS vehementi contentione opposuit, *Romam*que misit, qui eam euerterent, diuque vacantis ecclesiæ intermedios fructus sibi intercepit. Vberius, inquit, his fruamur, quia iam primum vacantis huius ecclesiæ beneficio potimur. Euicit tamen has omnes difficultates SEVALLVS, & natalium vitio noua indulgentia repulso, optionem summus pontifex ratam habuit, pallióque transmisso *Eboraci* initiatus est. Sed paulo post, omnis ille pontificius fauor in triste odium, & graues infestationes abijt, cum SEVALLVS *Iordanum* quendam hominem exterum, linguæ nostratis ignarum, & alijs ex causis tanto muneri ineptum, in Decanatum à pontifice successorem designatum, admittere & agnoscere pro Decano detrectaret. Qui SEVALLI constans iudicium veritus, furtim cum duobus alijs exteris, cum Canonici pranderent, templum ingressus est. Cumque socij à quodam, qui ibi orabat, Decani sedem cognouissent, apprehensum *Iordanum* ad eum locum ducunt; &, Nos te, inquiunt, summi pontificis Decanum huius ecclesiæ pronunciamus, & te in sede tua collocamus. Miras deinde *Iordanus* SEVALLO, cuius consensum allicere non potuit, molestias excitauit; cui crucis, quæ coram eo gestari solebat, deinde pontificij muneris vsu interdictum: postremo & anathemate deuotus est. Nec eo expeditus, biennio post susceptum magistratum fato functus est, summis quidem ante obitum votis illo expedire desiderans, in quod se nullo suo merito, sed propter honestam & rectam, pij constantisque animi infractionem incidisse, palam testabatur. Insigne est, quod præter superiora, illius temporis æqualis tradit, * aqua ægrotanti delata, eam repentè in generosum vinum commutatam. Cui multas, grauésque quasdam imminere afflictationes, EDMVNDVS *Cantuarienſis*, cum eum *Oxoniæ* prælegentem SEVALLVS audisset, olim prædixerat. Est *Eboraci* sancti sepulchri sacellum, [a] quod suis magnis pontifex iste beneficijs ornauit. Vir fuit & egregijs moribus, & literis eximiè excultus; reliquitque quædam ingenij & doctrinæ suæ post se monumenta.

Idem 1229. Vterque Matth. 1238 & 1250. 1216. Stub.

Idem 1255. & Chrochejdan.

Idem 1255.

Idem 1256.

*Idem 1257. & 1258. *Vide Math. Pa. 1257 1258. Matth. Pa 1258 aut Canonicos Eboracenses elegisse Decanum suum, magistrum scilicet Godefridum de Kinton, in Archiepiscopum, eumque à domino Papa & vniuersis examinatoribus condignum fuisse cõpertum & Romæ consecratum. Godefrido vero ad annum 1267. obeunti substituit Walterum.*

POST eum in hoc munere, [b] GVLIELMVS *Ludhamus* septennium expleuit, eiusdem ecclesiæ Decanus, & *Romæ* ab VRBANO *quarto* sacro magistratui initiatus. Et Canonici quidem *Gulielmum Langtonum* eiusdem ecclesiæ Decanum surrogant, sed *Romanus* eum pontifex reiecit, quod pluribus beneficijs contra ecclesiæ scita implicaretur, cum tamen præter decanatum, vnico tantũ sacerdotio potiretur. [c] WALTERVS deinde *Giffardius* à sede *Bathoniensi*, huc accersitur. Qui post vndecimum annum GVLIELMVM *Wickwanum* successorem sortitur. Qui *Romæ* à NICOLAO *tertio* consecratus est. Et WALTERVS quidem eleganti & speciosa fuit corpore, affabilis, tractabilis atque perquam liberalis, sed obeso corpore. Hic vero valde tenui & exhausto corpore, aspero & duro ingenio, parciorque; sed tamen, qui nullo dedecore notaretur. Et WALTERVS semel & iterum *Dunelmensem* ecclesiam, vt reliquam diœcesim visitare (vt communi verbo vtar) conatus est; eiusque rei gratia venit, sed Episcopus *Dunelmensis* se subducere solebat. Prior vero *Dunelmensis* cœnobij, arte & blanditijs hominem tractans & demulcens, extra ciuitatem ad cœnobij sui ædes abduxit, & splendidas ei epulas præbens, tempus eximebat. At GVLIELMVS artibus capi non potuit. Sed cum imperium detrectarent, cathedram in medio foro *Dunelmi* posita, illos anathe-

Bathoniensem Episcopum, & Walterum Wiltelmum de Button Archidiaconum Wellensem.

a Stub.

b Idem.

c Addit. ad Math. Pa. 1267. & Stub Flor. 1264. Nich. Trin dicit Walterum succ essisse Gaufredo 1266. Vualterus obiit 1279 Nich Trin dictus author in vita Edouard.

mate

mate deuouit; à quo illi se, prouocatione interiecta, eximere conati sunt. Post quinque annos, vltro se a dignitate abdicauit, & mare transmittens, ibi fato functus, *Pontiniaci* humatus est. Vbi & miracula post obitum patrasse creditus est. Per hunc, GVLIELMI huius sedis Episcopi, qui miraculis enituit, oleo inter alia è tumulo profluente, ossa in speciosam thecam recondita sunt. IOANNES deinde, qui *Romanus* dictus est, ecclesiæ gubernaculis admouetur, philosophicis & sacris literis apprimè excultus, qui in *Romana* curia consecratus est. Patrem habuit *Ioannem* genere *Romanum*, qui eidem ecclesiæ *Eboracensi* à thesauris fuit, qui cum multa alia beneficia in eandem ecclesiam, & ciuitatem posuit; tum insigniter in extruendo, maxima ex parte, pauperum illud hospitium apud diuum PETRVM: Sed superauit patrem filius pontifex, per quem maior pars cathedralis ecclesiæ de nouo ædificata est. Qui *Romam*, vt potestatem & iurisdictionem à *Dunelmensi* imminutam, in integrum restitueret, profectus est.

Ad 1295. Stub. & Fitth. Trim. 1285.

In commemoratione vitæ Edouar. 1285. 1289.

QVO anno initiatus est, insigne in mulierem perfidam, & iurisiurandi contemptricem, exemplum diuinitùs editum est. Cum eum quendam in maritum vendicaret, iamque insiurandum dare parata esset, subito pro tribunali mortua concidit. Paulóque post in pago *Daltonio* prope *Richmondiam*, aliud quiddam obstupescendum contigisse, ab eodem Authore, & eiusdem temporis homine, nec longe remoto proditur. Fuit in eo pago *Ioannes Stanceius*, qui suæ salutis negligens, & diuina beneficia Christi execrabili ingratitudine obruens; cum vicini dominicis diebus templa supplices peterent, pascua & siluas, gregesque suos inuisere solebat. Incidit vero aliquando in dæmonum turbam, qui quasi ecclesiasticum quendam conuentum, sacràque & ceremonias, quæ in ecclesia celebrantur, suis solitis præstigijs simulabant. Fuitque quidam, qui reliquis præstantior videbatur, qui eos quasi lustrali aqua perfundere videbatur. Sed cum ad *Ioannem* ventum esset, quasi lapidea quædam pluuia ita eum totum oppressit, vt toto corpore obriguerit. Cumque videret dæmones iam quasi auolantes, se magna difficultate comprimere potuit, quin simul euolaret. Attamen in his angustijs, Christi, pro se, & humano genere afflictationes, sensim ad memoriam reuocauit. Et cum iam sublimis ferri cœpisset, mox in terram recidit: cumque magis magisque fiduciam suam in Christum passum dirigeret, omnes illæ Dæmonum laruæ euanuere. Domum vero reuersus, lecto affixus, accersitis amicis, quid sibi accidisset, narrauit, adque octo dies postea, Dæmonibus se eius conspectui in aëre repræsentantibus, sæpe è lecto se proripere, & auolare visus est, magnáque famulorum vi vix in lecto continebatur. Administratio ecclesiæ, IOANNE è medio subducto, ad HENRICVM *Newerchium*, qui quadriennio post vitam humanam deseruit, delata est. Exornarunt hanc hoc sæculo inter alios diœcesim, sua doctrina, *Gulielmus Nouoburgensis* monachus, qui & in *Cantica Canticorum* scripsit, & quorundam Regum *Angliæ* gesta: & *Ioannes Blondus* ecclesiæ huius Cancellarius, qui magno cum applausu Oxonii theologiam professus est, & quædam post se reliquit ingenij & doctrinæ suæ monumenta. Designatus est post RICHARDVM *Cantuariensis* Antistes, eiusque rei gratia *Romam* profectus, sed electionem & designationem illam summus pontifex, vel quòd pluribus beneficijs irretitus erat, vel alias forte ob causas infirmauit. Theologiæ operam dedit *Lutetiæ Parisiorum*, à qua discessit cum alijs ANGLIS hominibus accuratè eruditis, *Alano Becolio*, *Nicolao Frenhamo*; quo tempore exitialis illa discordia, inter ciues & Academiam Parisiensem, tam truculenter bacchata est, vt scholastici omnes illam Academiam prorsus deseruerint. Defunctus est *Ioannes* ad annum millesimum ducentesimum quadragesimum octauum.

Ad 1295. Flor.

Idem 1299. & Nic. Trim Io. Lil.

Matt Par. 1233. Iuuen 1210. Vterque Matth. ad annum 1208. Vterque Matth.

De Episcopis Dunelmensibus.

CAPVT XXVIII.

De Philippo vide vtrumque Math. 1208. & 1221. Flor 1220. Math. Pa. 1221.

PHILIPPO defuncto (qui notatur, quasi praua & deprauata consilia IOANNI suggesserit) RICHARDVS suffectus est, ex familia HENRICI Regis, illique acceptissimus. Grauissimæ inter eum & monachos eiusdem ecclesiæ, quorum ille prærogatiuas veteres & priuilegia imminuere, & labefactare conabatur, dimicationes exarserunt: reque *Romam* relata, & atrocibus criminibus RICHARDO intentatis, immodicis vterque sumptibus in lite persequenda alterum exhausit. Cognitio tandem causæ per summum Pontificem, ad *Elienſem* & *Sarisburienſem* Episcopos reiecta. Sed mors *Richardi* repentina, causæ exitum, atque decisionem anteuertit, dum *Londinum* eam ob causam properat. Reliquit ecclesiam suam quadraginta fere librarum millibus obæratam. Commendarat monachis HENRICVS *Lucam* quendam, qui illi erat à sacris. Ipsi responderunt se nullum admissuros, nisi canonico delectu & optione præeunte. Indignatus Rex affirmauit, septennio toto illos Episcopo destituendos nisi *Lucam* designarent. At illi *Gulielmum Scotum Wicciorum* Archidiaconum, suis suffragiis Episcopum declararunt. Sed non desiit Rex, donec eam ille optionem apud summum pontificem euertisset. Asciscunt igitur sibi RICHARDVM *Ciceſtrenſem* olim, tum vero *Sarisburienſem* Episcopum, virum certe ob singularem pietatem & doctrinam, longe præclarissimum. De quo aliquid antea delibauimus. Peruenit ad annum millesimum ducentesimum trigesimum septimum, & immane illud æs alienum, quo ecclesia per illum alterum RICHARDVM obstricta erat, dissoluit. Monachi deinde *Thomam* cœnobii sui, vt vocant, Priorem ad id muneris vocant, *Romamque* quatuor ex suis amandant, quo optionem illam pontifex ratam haberet. Sed cum illi è medio essent sublati, & Rex summa se contentione *Thomæ* opponeret: Prior vt suæ quieti consuleret, illa se dignitate sponte exuit.

Adam. 1226. Vterque Math. & Nich. Trin. Flor. 1226.

Vterque Math. 1228.

Pa. 1237. & Flo. & Nich. Trin.

Vterque Math. 1240.

ADEVNT itaque Regem monachi, rogant vt cum illius gratia, liceat ipsis libera electione defungi. At ille totus incumbit, vt aut *Petrum Egeblanchium Herfordenſem* electum, aut reginæ auunculum *Bonifacium*, ad eam dignitatem proueherent. Illi vero magna animorum conspiratione NICOLAVM *Fernhamum* rei philosophicæ, medicinæ, quas alteram *Lutetiæ* alteram, *Bononiæ* professus erat, & theologiæ apprime callentem, & in magna apud Regem & Reginam propterea gratia positum, eorumque familiaritate fruentem, multæque præterea virum pietatis, ecclesiæ suæ præficiunt. Ille vero optioni huic noluit consensum suum accommodare, veritus inconstantiæ & cupiditatis notam. Quippe qui paulo ante oblatum *Couentrenſem* Episcopatum recusasset. Verebatur itaque, ne quibusdam videretur ad magis opimam se prædam reseruasse. Sed ROBERTVS *Capito Lincolnienſis*, multis & efficacibus rationibus ab hoc illum proposito vix tandem depulit, & ad consentiendum perduxit. Controuersia illi erat cum cœnobio diui ALBANI, propter ecclesiam *Thunimuenſem*, quam arbitri postea certa formula (quæ quoniam alibi in promptu est, inde si quis desideret, peti potest) composuere. Morbis & senio debilitatus & exhaustus, eam functionem sponte deseruit. Septennio & amplius postea, priuata conditione vixit. Cuius obitum, *Thomæ Herfordiæ, Northumbriæ* Archidiaconi mors, quadriennio antea præuenit. Qui EDMVNDI *Cantuarienſis* discipulus fuit, à quo non solum scientia, sed & omni veræ pietatis, quam egregiè æmulabatur, exemplo auctus est. Cui & clara post obitum eius ad tumulum miracula, à *Matthæo Pariſio* id temporis conscripta, præclarum dedere testimonium. Humatus est apud tenuem quandam, & obscurã *Carmelitarum* domũ, quam tamen illa miracula valde postea illustrarunt, & ad longe vberiorem conditionem perduxere. Cum vero iam humo mandandus esset, amicos eius ea res valde solicitos habuit, quod lapideum sarcophagum, nomine illius insignitum nullum haberent. Dum hæc illos cogitatio anxios haberet, sacerdos quidam, Hanc, inquit, curam deponite, habeo enim pulchrum monumentum meo, id est *Thomæ* nomine inscriptum, quod magni animi propensione ad tam sancti viri vsus transferri patiar.

Vterque Math. 1241.

Math. Pa. 1249 & 1248.

Idem 1249. & Flor.

Idem Par. 1257. Math. Par 1253.

CARMELITARVM vero disciplina, in hac primum hoc sęculo diœcesi, & *Cantuarienſi* initium,

ihitium, authore *Radulpho Fresburnio* cœpit. Fuit ille ex non ignobili in Comitatu *Northumbriæ* familia. In sacram ille cum RICHARDO Rege expeditionem profectus, post illius reditionem tranquillæ & sedatæ vitæ appetens, commutata militiæ ratione ad *Carmelum Syriæ* perrexit, eiusque eremi cultoribus se coniunxit. Illustres vero viri *Ioannes Vescius*, & *Richardus Gratus* sacram postea militiam professi; cum ex *Syria* redirent, *Radulphum* secum reducunt, vt *Carmelitas* apud nos locaret. Quod ille in *Holnensi* apud *Northumbriam* solitudine, *Carmeli* illius *Syriacæ* speciem quandam representante, & in silua *Aylesfordensi* apud *Cantios* primum præstitit. Succreuere deinde *Brunhamiæ*, *Neuuendenæ*, & aliæ alibi postea eius disciplinæ societates. Peruenit ad annum milleſimum ducenteſimum ſeptuageſimum quartum. Cuius etiam post obitum pietatem, prodigia per eum edita orbi commendarunt. NICOLAVS, de quo iam commemorauimus, Episcopus, admirabilem quandam historiam de quodam *Simone Churnaio* (quem nostrates quidam ANGLVM & *Cornubiensem*, at author meus *Francum* fuisse asserit) *Matthæo Parisio* aliquando referebat. Sed non ita multum refert, cuias fuerit. Hoc est ergo quod NICOLAVS, qui rem omnem exactè hominémque nouerat, de *Simone* referebat, cum sacras literas publicè, cum ingenti sua laude *Lutetiæ Parisiorum* prælegisse. Cumque incidisset in quasdam difficillimas & impeditissimas (propter rerum obstrusarum, omnémque humanum captum superantium, magnitudinem de sacra Triade quæstiones; eas ille difficultates, tam catholicè, tam apertè & luculenter expediuit, vt maximam omnibus auditoribus admirationem excitarit. E quibus cum illi quidam coniunctissimi, immensas in eum laudes congererent, & hortarentur, vt illa illius disceptatio literis ad æternam perpetuitatem commendaretur: ille tantis Dei beneficijs ingratus, Christianæque omnis modestiæ oblitus, insolenti quodam fastu abreptus, tam arroganti iactatione se venditauit, vt pigeat, nisi ad posteritatis cautionem, referre. O *Iesule Iesule*! inquit, quantum ego tuæ legi robur addidi? Cui ego, si me semel opponere vellem, facilè magis masculà, & Herculea argumenta in medium proferre possem, quibus illam omnem prorsus labefactarem & euerterem. Quæris exitum tam insolentis, & impie venditationis? Mox certe, tam procax lingua muta prorsus facta est, omnisque illi literarum omnium memoria diuinitus erepta: adeo, vt cum illi linguæ vsus, vtcunque postea redderetur, nec orationem dominicam pronuntiare, nec prima literarum elementa legere valuerit, quæ post biennium à puero quodam discere coactus est, quem præeuntem magna cum difficultate balbutiendo sequebatur.

Ioan. Leland.

Matth. Pār. 1201

WALTERVS *Pirchamus* in locum NICOLAI ascitus est, & in eius locum post duodecim annos ROBERTVS *Stichilus* Prior *Finchaliæ*. Is rediens à Concilio *Lugdunensi* in itinere obit, cum rerum humanarum satur, quietisque appetens, vltro abdicasset se, summo Pontifice consentiente, illa sua dignitate: neque quicquam erat quod hominem morituram magis pungebat, animumque lancinabat, quam quod ciues *Dunelmenses*, pascuis quibusdam spoliasset. *Robertus* (cuius *Matthæus Westmonasterienſis* meminisse non videtur) ad septennium, illo post eum munere fungitur. Sequenti anno post obitum ROBERTI, defunctus est quidam apud pagum *Bircelium*, prope *Nouum castrum*, qui non satis honestis rationibus diuitias corrasisse credebatur. Qui cum periculosè, adempta viuendi spe, ægrotaret, admonuit eum sacerdos, vt suprema sua ordinaret. Ille vero nihil se in bonis habere, idque iuramento respondit, vnde testamentum conficeret. Sed cum sacerdos vrgeret, vix tandem eo perductus est, vt voluntatem suam de modicis quibusdam rebus nuncuparet. Quod si, inquit, quicquam præterea supersit, dæmoni lego. Illo deinde defuncto, funus defertur ad ecclesiam, moxque exortus in domo defuncti ignis, & illam & reliquas ex vtroque latere vici; duasque ecclesias parochiales, eamque vbi humatus est, adeo vt vix sacra absolui, corpusque humo mandari potuerint: quin & vehementiori vento vicinum flumen transgressus, duos alios pagos ad dimidiatam leucam inde distantes, misero spectaculo absumsit. Inſequutus est ROBERTVM ANTONIVS *Beacus*, qui erat EDOVARDO à secretis, qui *Eboraci* à GVLIELMO *Eboracensi*, Rege & Regina, cum magna Procerum frequentia præsentibus, consecratus est. Constituitur deinde post nouemdecim annos à CLEMENTE *quinto*, *Lugduni* summo pontificatui initiato, *Hierosolymitanus* Patriarcha. Ad quæ initiationis solemnia, præter *Thomam Cardinalem* ANGLVM confluxerant etiam *Lichfeldenſis* & *Wigornienſis* Episcopi, illuc cum muneribus amplissimis à Rege amandati. Quo loci electos *Eboracenſem* & *Londinenſem* confirmauit.

Vtrque Matth. Pa. 1249

Flor. 1260.

In dicta vita Edouardi primi 1272.

Idem 1277. & 1284.

Idem 1285.

Idem 1286. Flor. 1305.

FVIT, antequam renuntiaretur Episcopus, eiusdem ecclesiæ Archidiaconus. Qui cum

Ex registro.

plura

plura vsurparet sacerdotia, quàm ex decreto concilij, integrum illi esset, IOANNES *Pechamus*
Nic. Triu. 1294. cum ea de re admonuit; à quibus ille se postea abdicauit. Missus est à Rege in *Germaniam*,
Ex registro. qui illius opera fœdus cum ADVLPHO *Augusto* inijt. Incidit vero in BONIFACII Pontificis *Romani* offensam, qui & eum *Romam* euocauit. Sed propter morbum iter ingredi non potuit, eumque per literas ROBERTVS *Cantuariensis* excusauit.

De Episcopis Carliolensibus.

CAPVT XXIX.

Nic. Triu. 1223. Matth. Par. eod anno. WALTERVS cognomine *Mauclerke*, id est malus clericus, ad annum Domini millesimum ducentesimum vigesimum tertium consecratus est. Fuit in flagranti cum HENRICO gratia, & illi à thesauris: quæ ita tamen postea deferbuit, vt ab eo illum Rex munere extruserit. Quam tamen, & auctiorem etiam postea recuperauit, adeo vt EDOVARDVM
Matth. Pa. 1229. Regis primogenitum è sacro fonte leuarit, & Rex, se à regno absente, illum potissimum selegerit, cui regni tutelam credere cogitabat. Atque
Matth Pa. 1245 & Flor. hanc ob causam gratiam illi, & *Westmonasterienſi* Abbati à summo Pontifice impetrauit, ne
Vterque Matth. Par. 1246. *Lugdunum* irent, quo ad concilium vocati erant. Sed proximo illo anno omnes pontificias, humanarúmque rerum (vt creditur) curas excussit; & exuens Episcopum induit *Dominicanum*. Quod quidam eum, conscientiæ aculeis lancinatum, fecisse existimant, quod magis humana regiaque gratia nixus, quam ob aliquam virtutum aut doctrinæ (qua in re infaustum cognomen habuit) præstantiam, pontificium thronum ascenderit. Eodémque anno, ipsiusque, vt credebatur, consilio, impetrarunt *Dominicani* hoc priuilegij, ne liceret cuiquam, qui semel *Dominici* se disciplinæ deuouisset, cuiusquam alterius monasticæ vitæ disciplinam
Vterque Matth. 1247. & Flor. 1256. ordinémque suscipere. Regit deinde hanc ecclesiam SILVESTER, qui post septennium
Matth Pa. 1254. cum equum ferociorem, quàm pro sua ætate, ascendisset; pedem offendens, equóque supinus excussus, animam mox exhalauit. THOMAS vix vno post eum anno, & ROBERTVS
Matth. Pa. 1256 deinde *Chausius* eadem sede potitur, qui Reginę ALIONORAE olim medicus erat, cui etiam
Idem 1258. alius quidam ex clero inseruiebat. Regina sacerdotio vtrumque, sed hunc exili & tenui, THOMAM vero longe vberiori, & magis opimo donauerat.

Commemoratus author in vit. Edouard. THOMAS post aliquot annos, amicum illum suum veterem, quo cum coniunctissimas vitæ rationes habuit, qui aula relicta, pastoritiæ animarum curæ solum vacabat, inuisit. A quo prolixè & lautè exceptus est. Cumque intelligeret eum valde commode & affluenter, ex tam modicis redditibus viuere; se vero, licet ex mensa Dominæ victus suppeditaretur, inopem & egenum cum tantis redditibus permanere, idque apud amicum admirabundus quereretur: Ille subridens, Hanc, inquit, mihi Deus; cui, vt spero, in grege commisso di-
Idem 1278. ligenter, castè, & integrè seruio, mercedem rependit, vt in modico exuberem; te, quia oues negligis, in tantis copijs inopia tamen plectit. Designatur post eum ecclesiæ præses RADVLPHVS, *Gisburnensis* cœnobij Prior, Quem author meus notat quasi immoderatiùs, etiam tenuissimæ conditionis sacerdotes prementem, vt pecuniam ad principis tem-
Qui fuit 1291. Idem. pli exædificationem conferrent: quæ tamen proximo post obitum illius anno, cum omni fere ciuitate reliquisque ecclesijs conflagrauit. Ille vero dum redit à maximis *Londini* comitijs, quæ Parliamentum appellamus, rupta repente noctu vena, ex sanguinis, priusquam sisti posset, profluuio extinctus est. Incendium ortum est à perditissimo quodam ciuis cuiusdam filio, qui paternam domum incendit. Quod postea non solum per omnem vrbem & suburbia, sed etiam per villas duobus passuum millibus distantes, nec in homines solum, sed in animalia bruta, lapides, & arbusta miserabili spectaculo bacchatum est. Id etiam non leuiter à multis obseruatum est, quod cum RADVLPHI mansoleum ignis exediſſet, ROBERTI tamen *Chausii* integrum, & inuiolatum permanserit.

Idem in vita Edouard. 1296. POST paucos annos insigne detrimentum, cum ceteris Aquilonis partibus, tum huic diœcesi per *Scotos* illatum est, & inter cetera misere expilata, atque ferro & flammis vastata sunt, *Lambelei* monialium, *Haguſtaldense* & *Lauercost*, (quo loci author meus vitam tum monasticam ducebat) cœnobia. Qui *Scotorum* in nostros plusquam belluinam feritatem qua nulli sexui, ordini, aut ætati parcebant; qui lactantes pueros lanceis confossos, in aerem iactabant; qui sacras virgines locis Deo dicatis nefaria libidine constupr arunt; lugubri ora-

tione

tione ostendit. Quam calamitatem author meus se præsagisse scribit, cum rediens á nocturnis precibus somnumque capturus, virum quendam vidit exertum gladium gestantem, atque ita omnes cœnobij partes peragrantem. Qui & illud quoque refert, quòd cum sacrilegi isti presbyterum quendam apud moniales illas, ad sacra missæ mysteria celebranda vrgerent, isque metu magis, quam voluntate illis paruisset, iamque ad ipsum sacrificium, immolationémque ventum esset, Eucharistia repente euanuerit. Ille cum aliam sumpsisset, idem etiam rursus accidit. Quod cum sacrilegi illi vidissent, grauiorē aliquam diuinam vindictam formidantes, propere inde se proripuere. Qua tamen postea valde irretiti sunt, immani clade & cæde ab exercitu ANGLORVM conciti. Miraculoque datum est, quod cum decem millia ex illis, ex quibus multi reperti sunt sacerdotes, vnus tantum ex nostratibus miles desideratus sit.

De Principibus & Episcopis WALLIAE.

CAPVT XXX.

HOC demum sęculo WALLIA, post tot tantásque tam multis sæculis in ANGLOS incursiones & infestationes, illorū iugum subire coacta est, quod nunquam postea excutere potuit. Et multum quidem negotij LEOLINVS primum, deinde Reguli alij exhibuere. Ille vero, cum nullam faceret inter sacra & profana discrimen, & in ipsas ecclesias incendijs debaccharetur, vtróque gladio & regio & pontificio per anathema repressus, coactus est pacificationem cum eo inire, seque illius clientē agnoscere, illiusque se, suáque omnia fidei committere. Ad quam pacificationem ineundam HENRICVS ROBERTI *Herfordensis*, & ALEXANDRI CESTRENSIS Episcopi opera potissimùm vsus est. Quo defuncto, filij eius GRIFFINVS & DAVID de principatu digladiantes, omnia intestinis bellis miscent. Cumque GRIFFINVS sub ducatu & fide RICHARDI *Bangorienſis*, fraternæque promissionis fiducia, colloquij gratia ad DAVIDEM venisset, violata tam omni necessitudine quam fide data, à fratre captiuus detentus est, & deinde ad HENRICVM Regem transmissus, ab eoque in turrim *Londinensem* detrusus. A cuius summitate dum per funem se dimittere, fugámque inire tentat: fune rupto, & grauiori propter ingentem corporis molem ruinaobtritus, confractis ceruicibus, animam exhalat. WALLIAM interim HENRICVS, mutuis dissectam, & dilaceratam dissidijs, totam in suam potestatem armis redegit. DAVID vero *Londinum* venit, Regique suam fidem iuramento obstringit. Et quia eum affinitate sua, magnisque alijs ornamentis amplificauerat, per fidiam illius, qua paulo post se commaculauit, minus suspectam habens, remisit eum in WALLIAM. Arripuit ille sibi paulo post WALLIAE principatū, nouisque HENRICVM, ANGLIAMque excursionibus infestat, & ab INNOCENTIO *quarto*, (in quem summam CAMBRIAE potestatem transtulisse, seque ad annuam pensionem sedi *Romanæ* soluendam obstrinxisse dicebatur) vt ex rescripto illius per *Abercomij*, & *Chemerij Cistertienses* in *Bangorienſi* diœcesi Abbates, à iuramento quasi vi, & pendente rerum controuersarum arbitrio expresso, exolueretur, impetrauit.

Matth. Pa. 1217 1231. & 1237.

Matth. Pa. 1240 & 1244.

QVO defuncto nouos LEOLINVS, GRIFFINI filius tumultus ciet, HENRICO *primùm*, sed imperante postea EDOVARDO grauiores; fœdusque sæpe repetitum, eo vsque perstringere non cessauit: donec ille ab ANGLORVM exercitu cæsus, & DAVID frater postea captus, capitales & infames proditorum more pœnas lueret. Quo tempore HENRICVS insignem thesaurum, id est *Caluariana* crucis frustū è CAMBRIA exportauit, quę *Croisneth* siue *Crux Neoti* dicebatur, allata videlicet olim in CAMBRIAM per *Neotum* sacerdotē. Parem vero cum illis pœnā & *Rhesus Amerducus*, nouas seditiones molitus postea subijt. Nouas proximo anno turbas, *Morganus* & *Mordocus* excitant, quæ facilè depressæ sunt. A quo tempore, toti in potestatē solius Regis ANGLIAE transiere, & ad leges, mores, consuetudinésque ANGLORVM traducti, siluestram illam, ignauamque vitā exuere, & miteſcere indies, & agriculturæ ac mercaturæ, aliisque honestioris vitę rationibus, quę apud eos diu iacebant, operam dare cœperunt. Priusquam vero hæc regio ad aliquam stabilem & solidam quietem, pacemque perduci potuit, infinita quædam cum principum, de quibus diximus, tum aliorum, populique promiscua cædes edita est. Quod sinistrum genti illi omen, ingens terræ motus, & pluuia sanguinea de cœlo, ad primum EDOVARDI annum lapsa, portendisse creditur. Episcoporum hoc sæculo CAMBRIAE nec exactam nomenclaturam, neque aliquid fere maioris de eis momenti reperio. Recensetur itaque THOMAS *Wallensis*, Archidiaconus *Lincolnienſis*, qui sedi *Menenensi* ad annum

Flo. 1247 1282. 1293. & 1294.

Matth. Vtrque 1297. millesimum ducentesimum quadragesimum septimum præficitur post obitum decessoris (cuius adhuc nomen non inuenio) hominis quidem pij, & ex secta *Franciscanorum*. Quem doloris magnitudo ob patriam, quam tot calamitatibus obrutam, cædibusque redundantem videbat, è medio abstulit. THOMAE post septennium RICHARDVS ni fallor, (neque enim quid certi pronuntio) surrogatus. Ad annum vero millesimum ducentesimum octuagesimum THOMAS *Deckius* eam administrationem capessit.

In dicta vita Edouard. & in registro.

Math. Pa. 1343 ASSAVENSEM vero ecclesiam administrabat HENRICVS, cum DAVID & alij principes CAMBRIAE, in potestatem se HENRICI transtulerunt. IOANNE *Pechamo* sedem *Cantuariæ* administrante, ANTONIVS hanc sedem gubernauit. Quem in disceptatione de iure patronatus cuiusdam ecclesiæ, *Rogerus de mortuo mari*, & *Isabella* vxor eius ad tribunal regium traxerunt. Qua illos de re valde IOANNES per literas reprehendit; & enixe cum Rege egit, ne lis ea in foro regio perageretur. Neque enim huiusmodi litem contra Episcopum, in foro vnquam profano agitatam, à primis fidei Christianæ in CAMBRIA cunabulis. Huic valde infestus fuit EDOVARDVS, fidémque eius suspectam habuit: Quem IOANNES apud eum solicitè purgat, rogátque vt gregi eum suo restituat; & adiecit, nunquam se populum vidisse, cui pastoris præsentia magis opportuna & necessaria foret. Mandata quædã & præcepta IOANNES in sua ecclesiastica disquisitione, perlustratione, & visitatione, vt appellant, ANTONIO & Clero *Assauensi* dedit, illi populo valde apta & accommoda. In quibus ad *Assauensem* literis, populi clerique illius regionis, mores deprauatos graphicè depingit, adque emendationem populi, serio eum hortatur. Omnia enim tam in Clero, quam populo, valde erant commaculata & deformata. Nec vestes, nec vita Cleri tãto muneri respondebãt. Sacerdotes nonnulli laicorũ instar, propter vestium splendorem, nonnulli nudaus tibijs incedebant, literas & preces statas ecclesiæ, aut ignorabant (nullibi enim se tam indoctos sacerdotes, aut plebem vidisse ait IOANNES) aut perquã negligenter obibant. Sed & ab intemperantia & vitę incontinentia laborabatur. Quod iam malũ quia inueteratum difficulter sanari potuit, imo quia certa pecunia quotannis quasi redimebatur; per prę fectorum sordes & incuriam, liberius & solutiùs infami huic libidini indulgebatur. Quã, licet graui pecuniarũ mulcta afficerentur, deserere tamẽ noluere. Nec placuit IOANNI hęc mulctandi ratio, quę esset quasi peccandi authoramentum & irritamentũ, ecclesiasque atque pauperes detrimento afficeret; cum ita mulctati neque pauperibus, neque hospitibus excipiendis, neque ecclesiæ sartis tectis tuendis iam sufficerent.

HORTATVR ergo (cuiusmodi quoque mandata *Meneuensi*, cuius etiam diœceseos multa vitia notat, quod vsuris vacarent, quod monachi contra disciplinam carnes comederent, bona cœnobiorum temerè dissiparent; dedit) vt, si iuxta canonum & constitutionum prouincialium scita, sacerdotes moniti, intra præscriptum tempus concubinas, & scorta non abijcerent, ab omnibus ecclesiasticis beneficijs abdicarentur. Eam denique pro libidine (in quam intemperantes præ ceteris CAMBRI erant) refrenanda pœnã infligerent, quæ tam Clericos quam laicos maximè ab ea deterreret. Hortatur etiam, vt cum ipsi prę ignorantia & insciti a concionãdi, muneri illi non essent idonei, fratres *Prædicatores* & *Minores*, qui illuc ob eam causam diuerterent, omni fauore & benignitate exciperent. In populo vero prę ter alia, duo insignia vitia animaduertebat; alterum, quod nescio qua vana & inani spe producti, ANGLORVM regno inhiabant, & adeo post sexcenta semper fædera, ad veterem perfidiã, nouaque bella, licet noua semper sua clade ruebant: alterum, quod nescio quos generosos, vt putabant, spiritus gerentes & se à *Bruto* ortos iactantes qui in BRITANNIAM venit, quę tum à *Germanis*, vt ait, incolebatur, & *Albion* dicebatur; ocio & inertia, si non potius latrocinio, vitã traducebãt, nulli se arti aut operi, vnde victum, sibi honestè suppeditarent, dantes. Quę vitia vt in populo, diligenti ANTONII & aliorũ exhortatione, concionibúsque emendarentur, accuratè ANTONIVM admonet. Scripsit verò IOANNES literas & ad GVLIELMVM *Radenorum Landauensem* Episcopum, quibus mandat vt in *Rogerum de mortuo mari*, hominem adulterio commaculatũ animaduertat. Cumque illis temporibus quidam essent militiæ sacræ ascripti, & diem quendam constituissent, quo torneamenta, vt appellant, exercerent; admonuit eum IOANNES, vt se opponeret, ne in id certamen descenderent, & si descenderent anathemate eos percelleret.

Ex registro & Flor. 1295. & Nic. Trim. 1295.

CVM ROBERTVS *Cantuariensis* Romam pro pallio adijsset, significauit CELESTINO summo pontifici, *Landauensem* sedem septennio pastore fuisse orbatam. Quare licet ad CELESTINVM, designandi pastorem potestas, ex œcumenici Concilij decretis deuoluta esset, neminem ille quidem designauit, sed totam eam curam in ROBERTVM transtudit. Qui IOANNEM postea *Monumethensem*, *Lincolniensem* Canonicum, doctum & pium Theologum designauit. Cuius decessor fuit GVLIELMVS *Brewus*. CELESTINO

Ex registro.

tamen

tamen se abdicante, & BONIFACIO successore, concessiones, & gratias, vt appellant, eius reuocante, valde perplexo animo fuit ROBERTVS, an eum consecrare posset: eaque de re BONIFACIVM ipsum consuluit. Cum vero his tumultibus omnia sursum deorsumque in CAMBRIA miscerentur, ad eius fines admirabile prodigium accidit in infante, nondum dimidiatum annum attingente, qui non solum omnes dentes firmos & solidos habuit, sed corporis proceritate, adolescentem septemdecim annorum æquabat. Fertur à dæmone incuba generatus. Mater vero nato puero, paulo post indies contabescens extincta est. Sed vt iste vsitatum ordinem, mensuramque excessit; ita alibi, apud insulam videlicet *Vectam*, repertus est *Ioannes* quidam ad ea tempora Pygmæus planè, quique cum octodecim esset annorum, trium pedum mensuram altitudine sua non attingeret. Quem Regina secum ad magnum intuentium stuporem circumferre solebat. CADVCANVS vero *Bangorienſis*, post ROBERTVM, Episcopus fuit, & ad annum milleſimum ducenteſimum vigesimum quintum obijsse dicitur; sed non Episcopus, at *Cistertienſis* in *Durenſi* cœnobio (in quo se pontificijs insulis relictis adbidit) monachus. RICHARDVS vero incidit in medias illas CAMBRIAE perturbationes & afflictationes, vehementerque indoluit GRIFFINVM, sub illius potissimum ducatu & fide, ad colloquium fratris DAVIDIS venientem, tam insigni perfidia ab eo, vt commemorauimus, circumuentum. Ob quam causam sacro anathemate illum inussit, & accuratè sed frustra, cum HENRICO Rege egit, vt carcere GRIFFINVM liberaret. Vastata autem tam intestinis, quam ANGLORVM armis diœcesi, in ANGLIAM ad cœnobium diui ALBANI venit, vbi ad ipsius & sociorum sumptus, omnia liberaliter & abunde suppeditata sunt. Cuius cœnobij similèm benignitatem, *Herfordenſis* Episcopus per viginti prius annos expertus fuerat. Est in hac diœceſi *Cumerenſe* cœnobium quod ANGLI milites valde spoliarunt. Et vix nec nisi grandi mercede conducti, ab igne ædibus inijciendo manus abstinuere. Quidam enim illius cœnobij monachus in graues eos calamitates coniecit, cum forte obuium interrogarent, An proximum flumen tuto traijcere liceret? Cum ille affirmasset, multi aquarum impetu, multi ex inimicorum telis, qui aduersam ripam tenebant, periere. Reperio AVIANVM quendam hic sedisse ad annum milleſimum ducenteſimum sexageſimum.

Ex registro Matth. Pa. 124.

Matth. Pa. 1240. 1241. & 1249.

Idem 1251.

De Iudæis *hoc sæculo ex* ANGLIA *pulsis, deque illorum, dum in* ANGLIA *degerent, rebus & actionibus.*

CAPVT XXXI.

VIsum est hoc loco omnem Iudæorum historiam in hanc vnam (cum memoriæ lectoris iuuandæ causa, tum ne videar alioqui res implicitas & colligatas importunius distrahere) narrationem includere. *Iudæos* vero quantis & quam exquisitis, quamque diuturnis, Deus etiam in hac vita supplicijs (vt nihil hic dicam de illis grauioribus, quæ illos post obitum alibi excepe-runt & excipient) ob necem Christo illatam obiecerit: pro rei magnitudine & admirabilitate dici non potest. Neque necesse id mihi iam aggredi. In promptu & parato sunt libri *Iosephi Iudæi*, qui eas calamitates, quæ ad vrbis eorum excidium accidere; luculenter & bona fide, vtpote non tam ex auditione, quam ab oculis ipsius haustas, quibusque & ipse cum alijs afflictatus est, descripsit. Nec desunt ex nostris, qui afflictationes eorum, quibus, post euersam vrbem, à *Romanis* principibus iactati & cruciati sunt; scriptis (& inter alia per edictum ADRIANI vetitum, ne quisquã *Iudæus Iudæam* incoleret) prodiderint. Quæ omnia prædictioni Seruatoris nostri Christi, longe ea de repræeunti Prophetarumque oraculis apte & conuenienter respondent. Inter quæ & illud vnũ, quod captiui in omnes gentes ducerentur. & quod *Ierusalem* calcaretur à gentibus, donec impleantur tempora nationum. Cui illud *Oseæ* congruit. *Sedebunt filii Israel sine Rege, sine principe, sine sacrificio, sine altari, sine Ephod & sine Teraphim; & post hæc reuertentur filii* Israel, *& quærent Dominum Deum suum, & pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius in nouissimo dierum.* Dispersos vero longe lateque per omnes nationes, atque ad extremos orbis terminos, vel nostra BRITANNIA, ad extremum occidentis posita, vbi sedem diu, non tamen firmam & stabilem, vt dicemus, fixere, satis testatur.

De bello Iudaico Euseb. lib 4. Hegesippus de excidio lib 4. ca. 6.

Matth. 24. Marc. 13. Luce 13. & 21. Oseæ 3. ver. 4.

QVAM quo primũ tempore incolere cœperint, liquido mihi adhuc non est compertũ. Sunt qui à GVLIELMO illo, qui vi ANGLIAM sibi subegit, à *Rothomago* primum in ANGLIAM accersitos dicant. Sed leges diui EDOVARDI, quæ differte de illis mentionem faciunt, anteuertisse

uertisse illos illius aduentum apertè docent. Imo videtur *Hieronymus* significare *Iudæos* suo tempore, cum in alios orbis partes, tum ad BRITANNIAS vsque dispersos. Has vero omnes, quibus *Iosephus*, nostrique calamitatibus implicitos illos tradunt, hocque tam diuturnum illorum exilium, quo post mille quingentos & amplius annos miserè mulctantur, etsi tam ex Christi quam Prophetarum oraculis, ab illa quam dixi causa manare constet; tantis tamen errorum, inuidiæ & malcuolentiæ tenebris, etiamnum perfida gens perfunditur, vt veram miseriæ suæ causam agnoscere; vnde facilem sibi ex resipiscentia veniæ fenestram, apud immensam Dei misericordiam aperire possent, nullo modo in animum inducere velint: aliasque nescio quas, sed tam insulso & putido commento (inter quas & illam vnam aiunt, quod omnes Christi Apostolos & discipulos internecione non delerint) causas comminiscuntur; vt ad tantam, tamque crassam & supinam ignorantiam, aut potius perfidiam insignem, non possim non vehementer obstupescere. Quam facile, si nihil aliud, vel illud vnum prodit, quod etsi fœdę suæ idolatriæ causa, ad *Babylonios* captiui abducti * sint, post septuaginta tamen annos patriæ redditi * sint. Nunc vero etsi post Christum passum, nullo se huiusmodi crimine commacularint, neque hodie commaculent, iuxta tamen illud Oseæ (quod commemoraui) oraculum, acerrime puniuntur, & in tam atrocibus, tam loginqui exilij pœnis hęrent. Necesse est ergo, vt peccatum pœnę respondeat, immanissimum fuisse, quod in se admiserunt, & huiusmodi, vt cetera omnia, quę dici aut cogitari potuerint, sua grauitate superet. Quod certe nullum aliud esse potest, quàm execrabilis illa illorum in Christum verum Messiam carnificina. Sed de his rebus non est hic differendi locus. Illud potius (quod nostri est muneris) *Iudaicarum* apud nos rerum historiam iam expediamus, & ostendamus simul, quàm varijs iustisque perfidiæ suæ pœnis, etiam in nostra BRITANNIA irretiti sint, & ab eadem tandem ea de causa in perpetuum depulsi.

* al. sunt.

* al. sunt.

QVANDOCVNQVE igitur BRITANNIAM ingressi sunt, à GVLIELMI commemorati temporibus, cum alibi in ANGLIA, tum *Londini* eos resedisse constat. Vbi ad hunc vsque diem vicus, quem maxime incolebant, veteris *Iudaismi* nomen retinet, videturque eorum res maximos habuisse, imperante HENRICO *secundo*, successus. A quo Rege cum per regnum vbique dispersi essent, neque vllum tamen locum haberent, quo defunctos suos humare liceret, nisi *Londini*, impetrarunt vt quocunque loci degerent, agrum haberent condendis suorum corporibus ascriptum. Mortuo HENRICO, res eorum in deterius semper postea prolapsæ sunt, videturque Deus graues in eos pœnas immisisse. RICHARDVS Rex cum *Westmonasterij* regni diademate insigniretur, nescio satis quid sequutus, edixerat ne quisquam *Iudæus* vel in templo illo, vel in aula, vbi splendide conuiuabatur, eo die conspiceretur. Ausi sunt tamen quidam ex illis ad aulam Regis venire, & inter alios duo ex illis viri primarij *Ioceus* & *Benedictus*. Cumque forte à regio ianitore, vnus ex illis, qui irrumpere volebat, cum plagis repelleretur, quod se contra Regis edictum ingerere conaretur: aulici & procerum famuli, aliique in reliquos *Iudæos* irruunt, grauiterque illos cædere. Dumque illi in ciuitatem propere fugiunt, in ipsa fuga nonnulli occubuere. Huius tumultus auditio in ciuitatem delata, promiscuam populi multitudinem, cui illi valde exosi erant, ad arma falso rumore, quasi Rex omnes *Iudæos* è medio tolli mandasset, dispersos, excitauit. *Iudæi* cum ad domos se suas reciperent præsidij causa, vnà cum domibus subiecto igne incensi sunt. Et incendium ad ciuium quorundam ædes serpens, & illas quoque absumpsit. Qui ædes egressi incendium declinabant, in tela ensésque populi incidere. Bona interim *Iudæorum* vastata, & expilata sunt. Et licet Rex misisset quosdam proceres, qui tumultum sedarent, nihil illi tamen apud furentem populum promouere: qui prius non conquieuit, quam rapinis, cædibus, & incendijs, suum in *Iudæos* odium exaturasset. Neque vlla, aut modica certe illa animaduersio, in huius tumultus authores, sequuta est. *Ioceus* fuga suæ saluti consuluit. *Benedictus* vulneribus plagisque afflictus, vt præsentem alioqui mortem declinaret, mox baptismo perfusus est. Sed quam id non ex animo fecerit, postridie satis apparuit, cum palam apud Regem profiteretur, se inuitum sacra aqua lotum, animo autem eundem esse, qui heri fuerat, id est *Iudæum* permanere. Nam *Iudæum*, & non Christianum mori se velle aiebat, cum pro vulnerum magnitudine de vita desperabat.

Neuburg li 5. ca. 26. & li. 4. c. 2.

Matth. Pa. 1189
Nic. Trm. 1189.

ETSI vero Rex edicto cauit, ne quisquam *Iudæos* violaret, negotiumue illis lacesseret, non potuit id tamen offensos semel, & exulceratos erga eos populi animos reprimere, quin varijs eos postea contumelijs, detrimentis, & cædibus apud *Linnam*, *Stanfordium*, & *Eboracum* afficeret. Fuit *Linnæ Iudæus* quidam, qui deserta illorum superstitione, baptismo expiatus

Gul. Neuburg li. 4 ca. 7.

piatus fuerat. Qua ex re, tam atrox aduersus se eorum odium excitauit, vt semper meditati & parati essent illum, si in illorum veniret aspectum, è medio tollere. Quem postea conspicati in platea, telis impetere cœperunt. Cumque ille præsidij, & salutis suæ causa, ad ecclesiam Christianorum confugisset, ausi sunt illi ipsi templo violentas manus inijcere, cœperuntque fores perfringere, vt recens Christo initiatum inde protractum interficerent. Sed Christianis propere ad tantam iniuriam vindicandam concurrentibus, in fugam se dare coacti sunt. In qua fuga alii cæsi mox obiere, alij vna cum domibus postea conflagrarunt, alij alijs rationibus interiere. Similia tentata sunt contra eos apud *Nordouicum*, apud oppidum diui EDMVNDI, apud *Stanfordiam*, *Lincolniæ* & alibi; sed maxima clades eorum *Eboraci* edita est, vbi & bona illorum expilata, & domus incensæ, sine aliquo ætatis, aut sexus discrimine: multique ex ipsis iugulati, residui, vt suæ saluti prospicerent, in arcem illius ciuitatis, cum bonis suis confugere, & inter alios *Ioceus* ille, de quo mentionem fecimus. Qui vero extra arcem reperti sunt, aut iugulabantur, aut baptismum suscipere cogebantur. Qui vero intra arcem admissi erant, videbantur aliquandiu in tuto collocati. Ita vero visu venit post paucos dies, vt præfectus arcis, negotij sui causa, egrederetur. Quem reuertentem *Iudæi* (suspectam forte illius fidem habentes) intromittere noluerunt. Cuius rei querela per eum ad præsidem regionis delata, populus, qui prius priuato tantum odio suo indulgebat, iam publica authoritate armatus, arctè & acriter arcem obsidet.

IVDAEI, cum & ab annona & à telis, alijsque rebus omnibus, quibus obsidionem sustinerent, essent imparati; videntes se in eum locum deductos, vt aut se dedere, aut in hostium manus per vim venire cogerentur; authore quodam, quem illi maxime suspiciebant, qui acri eos oratione ad voluntariam mortem acuebat, manus sibi ipsis inferre potius statuerunt, quam vt hostium ludibrio & libidini exponerentur. Immisso itaque igne, non solum vestes & cetera quæ pretiosa erant, sed & arcem ipsam incendunt: ipsi interim in mutuam (horresco referens) necem irruunt. Inter quos *Ioceus* vxori *Annæ*, liberisque, suis ipse manibus carnifex fuit, cæsus & ipse deinde à viro illo, qui classicum illis ad mutuam cædem cecinerat. Fuere tamen aliquot, qui vix inter incendia illa, & sociorum tragicos furores, suæ vitæ consulentes, populum enixè rogabant, vt Christianorum societati asciberentur. Cuius rei adipiscendæ, clementiæque Christianorum bona spe ductos, noluisse se in voluntarium exitum proruere aiebant: quos multi ex nostris conseruatos cupiebant, alij vero blandis & lenibus eos, eo vsque donec essent egressi, verbis lactabant, sed mox crudeliter illos iugulabant. Populus deinde ad archiua templi, vbi instrumenta, quibus Christianos ob pecuniam mutuo datam irretitos habebant, reposita fuerant, concurrere, omniáque huiusmodi instrumenta palam *Vulcano* tradere. In hac arcis expugnatione vnus tantum ex nostris, isque eremita & sacerdos (qui gratam se Deo, plausibilémque in eo negotio rem facturum existimabat) mortem oppetijt.

EX tota vero hac multitudine, quæ tantum tumultum excierat, ne vnus quidem, licet Cancellarius, Rege absente eo profectus, exacte de authoribus inquireret, supplicium subijt: ciuibus in quosdam milites, qui sacræ expeditioni nomen dederant, & mox arce expugnata abierant, omnem huius tumultus causam à se reijcientibus. Qui certe & hic, & alijs in locis præcipuas partes egerunt. Magna tamen Cancellarius ciues pecunia (ne nihil ea in re videretur actum) mulctauit. Neque ab isto tempore, valde eos populari aliquo huiusmodi motu infestatos reperio; nisi quod *Londini*, HENRICO *tertio* imperante, populari huiusmodi tumultu quingenti ex eis cæsi sint, & multæ illorum domus incendio absumptæ. Ceteri vero ad arcem *Londinensem* se recepere, vt suæ vitæ consulerent. Origo vero illius tumultus hinc orta est, quod *Iudæus* quidam amplius duobus denarijs à ciue extorquere conabatur, ob viginti solidorum pecuniam, ad vnam septimanam mutuo datam: vsura enim ad eam summã conniuentibus principibus permittebatur. Cæsi sunt & *Wintoniæ* sequenti anno, omnes prope, qui eam incolebant, *Iudæi*, sed id factum est per principes, qui bello HENRICVM impetebant. Grauissimis tamen sæpe ob ingentia, quæ quasi illis innata sunt, propter immane & detestabile in Christum odium, scelera, supplicijs principum mandato obiecti sunt: sæpe etiam multa instrumenta, sigilla, pecuniámque publicam nefarijs artibus adulterabant. Et propter huiusmodi commentitia & suppositiua instrumenta, *Abraham* quidam *Iudæus*, qui *Eboraci* habitabat, immensam quandam pecuniæ summam HENRICO Regi IOANNIS filio persoluit, *EDOVARDVS HENRICI filius *Iudæos Londini*, & alios alibi sublimes in crucem egit, ob vitiatam monetam. Biennio

Matth. Pa. 1250. dicit Iudæum hunc apud Berkamsteede & Walingford habuisse mansionem; & aliud etiam flagitium recenset ab eo admissum.

*Floril. 1278. & Fabia. 1275.

ante sustulit illis Rex potestatem, grauioribus vsuris Christianos premendi; præcepitque, vt quoties in publicum prodirent. Signum quoddam vestibus assutum gestarent, quo internoscerentur a Christianis.

IOANNES vero,& maxime HENRICVS IOANNIS filius, ingentes ab eis pecuniarum summas importunè extorquebant. IOANNES vero & tormenta corporibus illorum adhibebat, qui præscriptam summam non repræsentarent. Cumque à *Bristoliensi* quodam *Iudæo* decem millia marcarum argenti postularet, & ille reniteretur, iussit vt singulis diebus vnus ex molaribus illius dentibus,excuteretur,donec eam summam exoluisset.Et ille quidem septem sibi dentes excuti passus est,sed octauo demũ die Regis voluntati succubuit.HENRICVS vero postquam sæpius vehementer eos emunxisset, ad tam grandem pecuniæsummam soluendam eos vrgebat, vt frequentes ad eum confluerent, & ostenderent, se domicilijs & bonis omnibus cedere paratos, modo cum bona illius venia, transmittere, & alio habitatum ire liceret. At ille eos fratri Comiti RICHARDO vendidit, qui tamen clementiùs & benigniùs eos habuit. Paucis ante annis coacti sunt ex Regis præcepto, per quadragesimam & singulis hebdomadis per parasceuen, à carnibus vescendis abstinere. Accidit vero post aliquot annos vt *Iudæus* quidam, apud *Teukesburiam* in latrinam decideret, qui quoniam sabbatum erat, illius reuerentia inde (tanta ipsius erat superstitio) extrahi se non patiebatur. Id autem Comes *Gloceſtriæ* audiens, Et ego tantum, inquit, nostro dominico diei defero, vt si maxime velit, illo educi non patiar. Cum autem lunæ dies adueniſſet, tetri odoris magnitudine iam animam exhalasse repertus est. Eodem HENRICO imperante, nescio qua ratione *Iudæus* ita eum circumuenit, vt ab eo diploma consequeretur, vt nemini *Iudæum* illum in ius vocare liceret, nisi Rex ipse causæ cognitionem susciperet.

Matth.Pa.1210.
Idem 1241 & 1239. 1255.Flor. 1254.1255.
Vterque Matth. 1255 Flor.1251.
Add. ad Matth. Par. 1260. Fab.1259. Thomas Walsingam.1288.

REGE mortuo, cum miles quidam *Iudæo* illi, ob possessiones quasdam iniustè detentas, litem apud Regios Iudices intentasset, ille exceptione illa opposita, actionem elusit. Miles grauiter apud EDOVARDVM Regem ea de re conqueritur. Non possum, inquit ille, patris voluntatem rescindere, sed ecce, edicam ne quis *Iudæus*, nisi me præsente & cognoscente causam, Christianum impetat. Quod edictum cum ex *Vasconia*, vbi tum Rex erat, miles retulisset, *Iudæus* videns suo se quasi laqueo, & fraude irretitum; repudiato priuilegio, apud communes iudices militis actionem excepit. Etsi vero *Iudæos* valde HENRICVS afflixit, pecuniasque eorum exhausit, nouo magnóque ille hæc incommoda beneficio, erga illos pensauit, ob eandem domum, de qua meminimus, quam ad illorum vsus Londini construxit. Cum & haberent, qui eos Christiana doctrina informarent, & victus etiam illis idonee suppeditaretur! ne cogerentur vsuris, & alijs rationibus improbatis, quod antea factitatum est, eundem sibi parare. Qua regis pietate factum est, vt multi, relicta superstitione, Christianis sacris initiarentur. Videtur vero non licitum fuisse eis *Londini*, nisi vnam tantùm habuisse synagogam, nam cum plures construere cœpissent, IOANNES *Pechamus Cantuariensis* Archiepiscopus, per literas significat *Londinensi* Episcopo vt reliquas ille demoliatur, vnicamque eis permittat: neque eam tamen magnificè extructam, aut ornatam: nam & ante mille annos nouas, *Iudæis* synagogas exædificare Imperatorum edicto vetitum erat. Cumque multi ex illis, qui Christo nomen dederant, ad pristinam perfidiam relaberentur, Rexque EDOVARDVS conniuere ad eorum pœnam videretur, accurate ad eum IOANNES scripsit, vt seuerè huiusmodi perfidiam castigaret. Quin & ad *Gaufredum*, qui erat Reginæ à sacris, scripsit, vt eam admoneret ne *Iudæorum* defensionem susciperet, qui patrimonia Christianis immoderatis vsuris extorserant. Vtque, sicut ostendimus, grauiter in eos, ob ea, quæ recensuimus crimina, animaduersum est; ita iam proponemus alias causas, & quæ propiùs cum nostro instituto cohærent, ob quas in iustissimis sæpe execrabilis perfidiæ suæ pœnis hæserunt, non tamen alias, quam quas & aliarum nationum monumenta passim complectuntur. Quæ ostendunt illos, vt ludibrio & contumelia Christum, & Christianam religionem afficerent, veterique suo odio inseruirent, adsimulatam sanctæ Crucis speciem, in contemptum Christianæ fidei sacrilega mente exussisse, aliasque sacras nostras imagines, & sacram eucharistiam horrrendis modis sæpe violasse: Christianos pueros circumcidisse, imo annis fere singulis Christianum aliquem puerum, clam à nostris abductum, ingentibusque tormentis exquisitè cruciatum,in crucem demum, ad Crucis Christi irrisionem & opprobrium, sustulisse.

Flor. 1253. & Matth. Pa.

In regiſtro.

In regiſtro.

IN

IN obuio & parato sunt omnium fere Christianarum gentium monumenta, execrandis huiusmodi à primordijs fere Christianæ fidei tragœdijs plena, à quibus & illud constat, sacras huiusmodi imagines, & sacrosanctam eucharistiam telis perfidorum impetitas (qua in re & retens in *Polonia* exemplum habemus) sanguine ad omnium intuentium stuporem manasse. Et fuit in ANGLIA, imperante HENRICO *tertio*, *Iudæus Abrahamus*, qui imaginem beatæ MARIAE virginis, & Christi matris filium gremio fouentis, ad sacrilegos & detestandos vsus coëmerat, moxque in stercorariam cloacam abiecit. Cuius vxor *Floria* cum eam è fœdo loco extractam, detersis sordibus mundasset, maritus id intelligens, adeo aduersus eam indignatus est, vt clam illam suffocarit. * Nec defuere qui Christianos in ANGLIA pueros, quod crimen ex *Augustorum* scitis iam ante multa sæcula capitale erat, *Mosaico* ritu circumciderent. Neque hic immanis eorum perfidia stetit, sed atrocius progressa (cuiusmodi tragœdias in reliquis fere omnibus Christianis nationibus, in quibus *Iudæi* versabantur, facilè reperies) vt maiore ludibrio Christum, & nostram per sacram eius crucem expiationem haberent, morti cum alios, tum GVLIELMVM *Nordouicensem* puerum, ad STEPHANI Regis tempora, varijs cruciatibus excarnificatum in ea vrbis regione, vbi *Abrahami* aula adhuc visitur, & appellatur) tradidere. [a] Qui propterea in crucem, vt merebantur, acti sunt. GVLIELMVS vero varijs postea miraculis illustrari cœpit. [b] Quæ, & eius vitam *Thomas Monumetensis* paulo post scriptis commendauit.

CIRCVNCIDERVNT & imperante HENRICO *tertio* [c] puerum, furtim a nostris sublatum, quem & in crucem suffixuri dicebantur. Quod immane postea piaculum *Lincolniæ* horribiliter admisere. [d] Puerum enim quendam octennem, Christianæ in ea ciuitate mulieris filium, qui HVGO dicebatur, clam quidam *Copinus Iudæus* abduxerat. Cumque *Iudæi* qui *Lincolniæ* habitabant, diem præstituissent, quo puerum mactarent, ad omnes fere ciuitates ANGLIAE, in quibus *Iudæi* versabantur, nuncios mittunt accersitum aliquot, qui immani illi carnificinæ interessent. Qui cum frequentes conuenissent, puerum, diris verberibus excruciatum, acutisque telis punctim confossum, corona spinea redimitum, sputis deformatum, multis cachinnis irrisum, felléque eum potantes, dentibus in eum frendentes, cúmque IESVM pseudoprophetam, contumeliosè & insultabundè appellantes, cruci tandem illigant, lanceáque latus eius confixere: cuiscratumque (vt extis & visceribus ad damnatas, & magicas quasdam artes abuterentur) humo condunt. Cadauer vero paulo post ab humo eiectum vident, ad quod obstupescentes, in puteum prouoluunt. Sed nec ibi diu latere potuit. Mater enim, quæ omnia clamoribus & vlulatibus compleuit, & apud quam *Copinus* in aliquam suspicionem venerat, subito in domum irrumpens, reperit filij corpus in puteum abiectum. *Copinus* comprehensus à magistratu, rem omnem ita vt narrauimus plane fatsus est, & hoc amplius, huiusmodi puerorum sacrificium singulis fere annis à *Iudæis* celebrari, licet rei notitia rarò erumperet. Grauissimas itaque miser ille, cum primarijs illius ciuitatis *Iudæis*, immanitatis suæ pœnas pependit, multique præterea alij in turrim *Londinensem* coniecti sunt. Multis & alijs perfidi isti se sceleribus contaminarunt, & inter alia, multos principes viros veneno clam sustulisse dicebantur. Quod nec *Elias Iudæus*, eam ob causam apprehensus, diffitebatur, qui tamen baptismo suscepto pœnas effugit, & quinquennio postea omnes fere *Iudæi*, qui *Londinum* incolebant, iugulati sunt, ob perniciem quam ciuibus & Principibus quibusdam viris moliebantur. Quæ & alia id genus illorum facinora, tam execrabiles eos populo *Anglicano* reddebant, vt ab ANGLIA eos prorsus extrudi vehementer optaret, magnámque, si id fieret, Regi EDOVARDVS pecuniæ summam pollicebatur. Paucisque post annis, habito *Westmonasterij* concilio cautum est, vt ad certum diem *Iudæi* omnes nunquam redituri regno excederent, nisi aut fidem Christi profiteri, aut manuum labore viuere vellent. Quod tam gratum & plausibile fuit populo, vt quintamdecimam bonorum suorum Regi partem concesserit. Et discessisse deinde traduntur septemdecim millia, aut vt quidã tradunt triginta millia supra quingentos. Quos paulo ante EDOVARDVS Rex etiam ex *Aquitania* profligauerat. Multi etiam prius IOANNE regnante, bonis eorum publicatis, è regno extrusi sunt.

De imaginibus vide Sigeb. chron. 765 & 2. Nicæn. synodum actione 4.

Vide fortasse fidei 2 consider. 9 quod Iudæi ob eam causam è Gallia pulsi, & intra hominum memoriam è dominio Brandemburgica, vt habet Surius in add. ad Nauclerum 1510. & in chron. cod. anno. & 1250

**Matth. Pa. 1250 Matth. Pa. 1235. 1240 & 1251. Cod. Iuji. li. 1 ti. 10*

Vterque Matth. 1235.

Polich li. 7 c. 84

Vide fortasse plurimum fidei hac citib. 2. consider. 7. puncto 3. & add Nauel. 1510 & Socratem histor. eccl. li. 7. c. 16.

a *Flor. 1145.*

b *Ioan. Leland.*

c *Flor. 1255.*

d *Matth. Pa. 1255 Chron. Chrochesid. Nic. Trim.*

Matth. Pa. 1259 Flor. 1264.

Fab. 1287. & 1301. Flor. 1290. Indict. vit. Edouard 1289. Ni. Tri & 1289 Chron. cœnob. Chrocheid. 1290 Nich. Trim. 1210

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ ANGLICANAE DECIMVM QVARTVM SÆCVLVM.

DE ROMANIS HOC SÆCVLO PONTIFICIbus, de Augustis, ANGLIÆ*que Regibus.*

CAPVT PRIMVM.

Onuphrius.

Sederunt in schismate Clementis 7 quindecim annis & Benedictus 30.

ROMANAE hoc sæculo ecclesiæ administrationem post BONIFACIVM obiere BENEDICTVS *nonus*, aut vt vulgò appellatur, *Vndecimus*; CLEMENS *quintus*, IOANNES *Vigesimus primus*, (a aliis *Vigesimus secundus*, appellatur) BENEDICTVS *decimus*, siue vt alij *duodecimus*, CLEMENS *sextus*, INNOCENTIVS *sextus*, VRBANVS *quintus*, VRBANVS *sextus*, BONIFACIVS *nonus*. Ad Imperij autem gubernacula sederunt *Albertus*, *Henricus septimus*, *Ludouicus Bauarus* (cui se ad tredecim annos in schismate opposuit *Fridericus tertius*) *Carolus quartus*, (cuius luminibus *Guntherus*, ad quatuor annos, ad eam se dignitatem ingerens, obstruere conatus est) & *Venceslaus*. ANGLIAE vero sceptra tenuere EDOVARDVS *secundus*, EDOVARDVS *tertius*, & RICHARDVS *secundus*, de quibus iam fusiorem sigillatim contexemus narrationem.

De Rege EDOVARDO *secundo.*

CAPVT II.

Tho. Morus siue de la More, in vita quam Gallicè de Edouardo scripsit à quodam eius ætatis in latinum conuersa. Idem Thomas.

FELIX & fœcunda, qua pater fruebatur, fortuna, rerumque gestarum gloria, non modò EDOVARDVM hunc destituit, sed & in summas rerum angustias miseriasque, (quibus tandem obrutus & oppressus est,) nec alia magis de causa coniectus est, quam quod malis & improbis consiliarijs totũ se permiserit: & cum primis *Petro Gouestoni* homini quidem *Italo*, magnisque ornamentis ingenij & corporis prædito, si ea ille quidem ad Regis, Reipublicæque salutem & commodum accommodasset. Olfecerat pro sua prudentia pater, illum futurum aliquando, se mortuo, magnam aliquam filij & Reipub. pestem; atque ideo, vt diximus, eum proscripsit, & grauissima moriturus filio mandata dedit, ne vllum vnquam gratiæ, & familiaritatis illi aditum aperiret. Quæ tam leue pondus apud iuuenẽ habuere, vt post patris obitum, nihil sibi ad omnem celeritatem reliqui in illo reuocando fecerit, secumque è *Gallia* (quo profectus erat, vt ISABELLAM *Philippi Pulchri* filiam vxorem sibi asciscceret) in ANGLIAM reducit, neptemque ex sorore *Ioannam Gloceſtriæ* Comitissam in matrimonio illi collocat, hominémque præterea *Cornubiæ* Comitatu, & *Monæ* insulæ Præfectura ornat. EDOVARDVS deinde *Wintoniæ* diademate ab HENRICO *Wintonienſi* Episcopo (ROBERTVS enim *Cantuarienſis* ab exilio adhuc non redierat) redimitur. Quæ solennia etsi *Carolus Valesius*, *Philippi* frater Dux *Britanniæ*, *Henricus* Comes *Lucenburgenſis* (qui postea imperio, vt diximus, præfuit) præter ANGLIAE & alios proceres, sua præsentia, omnique cultus & apparatus splendore honestarent, *Petrus* tamen totius magnificentiæ amplitudine ceteros superauit. Quæ res in maiorem cum apud Proceres inuidiam vocauit. Verum illa uehementius indies aduersus eum ingraueſcebat, quum aut conniuente, aut potius frigidam

Tho. Walſ. in Ypodig & in hiſtor 1308. 1309 Polit li 7. ca. 41. Idem Thom.

gidam illo suffundente, Rex delicijs, voluptatibúsque totus affluceret; & repudiatis aptis, & idoneis hominibus, cum parasitis, mulicis, citharœdis, nepotibus, combibonibus, & epicureis, scurris, vehitibus, aliisque abiectissimis nulloque numero hominibus, totos dies noctesque intemperanter trahegit. *Petrus* interim omnem fere totius regni ad se procurationem trahebat; neque in ea quidem ita versabatur vt Regis, reipub. aut suæ dignitati atque gloriæ seruiret, sed parum castè, atque integrè, & oppidò quam sordidè. *Polit 7 ca.45. Tho. Walsingh. & sequent.*

Hæc eius Proceres impotenti cupiditate fastuque, & tanta rei indignitate exacerbati, instant & vrgent apud Regem, ne veteris & vernaculæ regni administrationis omnis imago, quæ domestica nobilitate reiecta apud exteros resideret, ita exueretur. Quos cum Rex, vt tempus traheret, nunc illum in *Hiberniam*, nunc in exilium amandando, rursus tamen ad pristinam gratiam locúmque postea recipiendo, ludificaretur, promissaque semper rescinderet; aurésque eius in audiendis huiusmodi contra *Petrum* querelis, triæ quasi obsurdescerent, non illi prius quieuere, quàm *Thoma* Comite *Lancastriæ* antesignano, insolentem hominem è medio substulissent. Sed cum duos *Hugones Spenserios* patrem & filium ad intima sibi consilia postea adhibuisset, spretisque & veteribus patriæ institutis, & recentibus cum Proceribus initis pactis, eorum omnia arbitrio atque potestati credidisset, qui nullo fere loco & numero nobilitatem haberent, omnesque suas actiones ad priuata compendia, non ad vllas æqui ac boni, atque iustitiæ rationes referrent; neque nouas indies causas architectari cessarent, quibus Proceres in fortunæ totius & capitis discrimen apud Regem vocarent: in maiores se postea EDOVARDVS angustias & captiones, a quibus nunquam se explicare potuit, vt postea dicetur, induxit. Incipiunt itaque omnia domi foris que, vt in huiusmodi fit discordijs, in deterius labi. *Scotis* hinc auctus animus, ita vt in ANGLIAM violentis impressionibus incurrerint. Quas dum reprimere conatur EDOVARDVS, insignem bis, & memorabilem exercitus sui cladem accepit, & ægrè quidè suripsius saluti præcipiti fuga consuluit. Qui, cum prioris illius infausti prælij difficultate premeretur, MARIAE Virgini religiosa sponsione vouit, se in Christi, & illius honorem ædes constructurum, vbi viginti quatuor *Carmelitis*, qui rei theologicæ operam darent, idoneos sumptus suppeditaret, si ab imminente calamitate eriperetur. A qua, Dei benignitate, ereptus, sponsionem suam repræsentauit, ædesque illas votiuas *Oxonij* construendo votose liberauit. *Tho. Mer. 1313. 1312 Th. Walsi. 1313 1322.*

ANNVM illum, qui priorem Regis fugam excepit, insignis quædam fames & pestis nobilitauit, cuiusmodi nemo, qui vel prolixissimę ætatis fuisset, antea suo tempore contigisse meminisse poterat. Continui & importuni imbres non modo segetem omnem, sed & herbas omnes, quas humus suppeditat, ita corruperant, vt & animalia passim tetram luem pestémque, vnde confertim obiere, contraherent. Quęcunque vero superfuere, humanis corporibus incommoda & noxia terè fuerant. Qui fortè propter maleficia in carceres trudebantur, in eos reliqui inclusi statim irruebant & semiuiuos deuorabant. Multi alienos liberos ad famem pellendam intercepere, nec à proprijs quidem, vt dicebatur, filijs sibi in hac *Saguntina* fame temperabant. Hinc funera hominum adeo cumulabantur, vt viui, mortuorum corporibus terra condendis, vix sufficerent. Lues autè illa animaliũ, quæ boues maximè infestabat, adeo fuit pestifera, vt canes atque corui, qui in huiusmodi forte cadauera inciderant, & ex illis quicquã comedissent, quasi ex veneno aliquo interierint. Cumque contagiones ab animalibus, ex eorum esu profectę in homines manarent, abstentum est passim ab illorum, præsertim a boum esu. *Tho. Mer. 1313. Tho Walsi. 1314 1315. 1316.*

CVM vero fastum, atque insolentem *Spenseriorum* dominatum Proceres, quos illi pro suo arbitrio à congressu & colloquio Regis, publicisque negotijs procurandis arcebant; & cum de rebus aut publicis, aut priuatis Regis responsa expectarent, non quę Rex, sed quæ ipsorum libido dictabat, parúmque grata & plausibilia, aut cum æquitatis ratione, reipublicæque salute cohærentia acciperent: cum priuatim quietisque aliquandiu hortationibus frustra, semperque ab eo nouis diuerticulis & frustrationibus eluſi, de *Hugonibus* abdicandis egissent, ingentem exercitum conflant. Quorum metu, Rege tandem apud amplissima *Londini* concilia consentiente, exilium illis indicitur. Sed EDOVARDVS, discusso paulatim metu, & se aduersus Proceres magis indies confirmante & muniente, *Hugones*, cum quibus tam mire erat colligatus, vt carere illis nullo modo posset, reuocat; nec ita multo post, dissipato & contracto Procerum exercitu, multi ex illis in prælio cæsi, multi, è quibus *Thomas Lancastrius*, capti, & postea ad viginti duos numero, vt *Fabianus* & alij tradunt, cum eodem *Lancastrio* graui laniena iugulati. Fueréque deinde *Hugones* in flagrantiore, quam vnquam hactenus, gratia Regis ad aliquos annos positi, omniáque in eorum *Tho. Walsi. & Tho. Mer. 1320. cum sequent.*

voluntate, ne dicam libidine, posita; adeo vt iam ANGLIA pro vno Regetres habuisse censeretur. Et cum in ceterorum passim, tum & in Reginæ vehemens odium *Spenseri* incurrunt; quod & Regi marito pessima consilia suggererent, & ipsam quoque iniurijs afficerent; quam parcius & durius solito, & minus splendide, quam pro suis natalibus & dignitate viuere compellerent, accidendo quotidie aliquid ex ea pecunia, quæ ad sumptus ipsius contribui solebat. Sed quo illos aluus blandiens fortuna prouexit, eo, cum immoderatius se gererent, grauior paulo post casus perculit, depressit, & euertit. Diem obierat *Ludouicus Hutinus Gallus*. Is regnum ad *Carolum Pulchrum* fratrem transfudit. Mittit deinde ille ad EDOVARDVM nuncios vt veniret in *Galliam*, & fidem, quam pro Ducatu *Aquitaniæ*, & Comitatu *Pontini* debebat, de more clientum præstaret.

The Mor. & The. Wal. 1322

ATQVI cum Rex iter plus iusto distulisset, prauóque consilio circumuentus, moram illam fore sine noxa imprudenter sibi blandiretur, *Gallus* interim totam pænè *Aquitaniam* in suam potestatem, idque optimo, vt putabat, iure, propter desertam clientelæ fidem, redegit. Vt huic tanto malo occurreretur, ISABELLA tandem in *Franciam* amandata est. In qua tamen narratione, video variare tam domesticos nostros, quam exteros scriptores. Sunt qui existimant ISABELLAM, muliebri suo stomacho contra *Hugones*, & partim etiam contra maritum, à quo se durius habitam putabat, indulgentem, clam è *Cantio*, quo voti se causa ad THOMAM martyrem profectam simulabat, mare transmisisse, EDOVARDVMque principem secum duxisse. Nostrates vero tradunt, misisse EDOVARDVM in *Galliam Wintonienſem*, & *Nordouicenſem* Episcopos, & *Ioannem Richmondiæ* Comitem, vt cum *Gallo* de pacificatione agerent; *Wintonienſem* vero, manentibus socijs, redijsse, & quid actum esset renunciasse, & missam deinde Reginam. Alij vero, quod mihi proprius videtur, cum Rex ipse iam transmittere cogitaret, venisse nuncios cum litteris Regis *Galliæ*, ISABELLAE, *Wintonienſis* & aliorum legatorum; quibus significabatur, si Rex EDOVARDVM filium *Aquitaniæ* Ducatu, & *Pontini* Comitatu ornaret, eumque in *Galliam*, vt iusiurandum daret, transmitteret, se illi omnia integrè restituturum. Transmisit itaque EDOVARDVS, fidémque *Gallus* liberauit. Alij autem, quod mihi adhuc non satis constat, ante hæc tempora EDOVARDVM in filium hunc principatum transtulisse. Supplicatio vero deinde mox per totam ANGLIAM pro felici Principis, Reginæque reditu indicta.

Paul. Æmil. li. 8

The Walſ. 1324 in Tpodig. & in hiſtor. 325.

VValt. Cant vt in regiſtro in literis ad epiſcopum Lond The Mor. 1324 & VValſing cit.

Polid li 18. In dicto regiſtro.

The Mor & VValſ 1324.

ILLVD certe minime obscurum est, acerrimam aliquandiu fuisse in regio concilio disceptationem, an Rex ipse iter illud ingredi deberet, multaque & ea magni momenti occurrisse, cur ille iter illud susciperet, & susceperturum sane fuisse, ni *Hugones* ab illa eum sententia depulissent: qui quasi auribus lupum tenebant, cum paratum sibi vndique periculum, siue domi manerent, à Proceribus; siue cum Rege proficiscerentur, à Regina & *Gallo* existimabant. Quibus vt Rex consuleret, illud iter potissimum detractauit. Confecto negotio, cum Regina, licet sæpius à Rege euocata, reditum de die in diem proferret, grauius id tulit Rex. Et hic authores valde variare video. E quibus sunt qui affirmant, illustris viri *Rogeri Mortimeri* amoribus captam (qui nuper ex arce turri *Londonenſi* mirifice euadens in *Galliam* profugerat) in *Gallia* tam diu resedisse. Alij id odio in *Spenseros* concepto tribuunt. Est qui tradat EDOVARDVM clam, in necem tam vxoris quàm filij (quod mirum) machinatum. Illud sanè frequentius traditur, EDOVARDVM tam vxorem quàm filium perduelles, regnique hostes palam pronunciasse. Quod vt forsan verum fuerit, postquam cum exercitu ex *Hannonia* appulissent, ita an ante id factum sit, non sine causa subsisto. Cum enim huiusmodi rumor per ANGLIAM dispergeretur, quo disseminatum erat huiusmodi EDOVARDVM, aduersus vxorem & filium, cogitationes suscepisse; valde ille ob illum rumorem, qui æstimationem & dignitatem suam admodum frangere videbatur, indoluit. Quare omni ratione eam notam eluere conabatur. Curauit itaque vt WALTERVS *Cantuarienſis* ad omnes Episcopos, quos à suffragijs habebat, literas mitteret, quibus significaret hæc omnia vana, falsa & commentitia esse, & à maleuolis, qui Regem cum *Gallo*, & cum populo suo in pugnam, & contentionem mutuam committere conabantur, profecta. Cuius rei illo *Walterus* argumento vtitur, quod Rex passim per omnem ANGLIAM publicè denunciasset, vt ad quemcunque demum portum vxor & filius appulissent, omni officio & honore quam amplissime exciperentur.

The Mor. & VValſ. 1324.

Fabian. 1324. The VVal. 1324 Poli li 7. ca 42. Fab 1324. Polid. li 18.

Literæ illæ adhuc extant in regiſtro ſcriptæ 7. Kal. Maij 1326.

ciperentur. Atque hæ literæ ab Episcopis, per omnes vbique diœceses diuulgatæ sunt.

VTCVNQVE sit, impendens sibi, nec *Hugones*, nec Rex ipse, fatum effugere potuere. ISABELLA C *Gallia* in *Hannoniam* diuertit, iungitque in matrimonio filium PHILIPPAE, *Gulielmi* Comitis filiæ. Qui illam, duce *Ioanne* fratre suo, in nauibus milite instructis, in ANGLIAM transmittit. Populus cum Proceribus præsentis rerum status, vt fit, pertœsus, vndique ad ISABELLAM filiumque confluit, omniaque passim obsequia & auxilia illis defert, eoque proniùs, quòd vanis rumoribus disseminatum erat, incredibiles quasdam *Francorum* copias cum ISABELLA appulisse, *Romanum*que pontificem omnes alide, quam EDOVARDO Regi debebant, exoluisse; omnesque anathemate perculisse, qui contra ISABELLAM & filium arma ferrent: Omniaque regni præsidia sine sudore & puluere, quod dicitur, in suam potestatem redegit. Inter quæ fuit arx *Bristolensis* cum oppidò, quæ Reginæ reddita est. Comprehensus est ibi *Hugo* senior *Wintoniensis* Comes, infami perduellium supplicio atrocissime dilaniatus. Mittuntur deinde expediti milites, qui Regem, iam ab omnibus desertum, & solis aliquandiu latebris tutum, comprehenderent. Tentarat ille quidem, cum ad *Schepstoium* CAMBRIAE oppidum peruenisset, *Londaiam Sabrinæ* insulam, (quæ ad duo miliaria longitudine porrigitur, rebus omnibus ad victum idoneis mirificè affluens, ad quam vnicus tantum patebat aditus, tamque angustus, vt vix bini homines simul incedere valeant, arduis & horrendis rupibus, alias omnes partes munientibus) nauigare, sed aduersa semper tempestate reiectus est. Conuertit itaque iter in *Glamorganiam*, delituitque cum *Hugone* filio Comite *Gloceſtriæ*, *Roberto Baldochio* Cancellario, aliisque paucis in cœnobio *Nethii*, nonnihil in *Cambrorum* fide promissionibusque, qui nullis se vnquam periculis ab illius salute tuenda abduci velle iactabant, fiduciæ reponens.

Tho. Mor. 1325. Walsing. 1326.

Dist. Tho. Mor. 1326. & Walsing. ibid.

ET certe CAMBRIA, quæ omnibus antea sæculis parata semper & intenta fuit, ad leuissimam quamque occasionem Reges ANGLORVM infestare, in his omnibus recentibus contra EDOVARDVM tumultibus, ab officio non deflexit, neque vllos motus ciebat. Sed quid non mortalia pectora cogit, vt Poëta ait, auri sacra fames? Muneribus itaque amplis expugnati, Regem produnt *Henrico Lancastrio* & *Reso*, qui eum perscrutandi causa, omnes fere angulos latebrasque excussere. Rex mox ad arcem *Keneluorthiam* abducitur, *Hugo* filius easdem quas pater pœnas *Herfordiæ* subijt. *Londini* deinde maxima populi Principumque comitia indicuntur, vbi conspirantibus omnium suffragijs, regnum EDOVARDO, qui peruersa consilia secutus, omnémque viam laudis, quam maiores illi tritam in repub. administranda reliquerant, deserens, eandem euerterat, abrogandum, & ad EDOVARDVM filium traducendum decernitur. Quod decretum in aula *Westmonasterij* diuulgatum est, vbi *Cantuariensis* ad populum concionem habuit ex illis verbis, *Vox populi, vox Dei*. ISABELLA cum maritum exauthoratum audisset, ingentes siue vero animo, siue ficto & per simulationem, lamentationes palam edebat, adeo vt his motus iuuenis princeps, negaret se Regni administrationem susceptum, nisi & paternus quoque consensus publicis decretis adiungeretur.

Polic. l. 7. ca. 41

Idem & Tho. Walsing.

MITTVNTVR itaque ad *Kenelworthiam* arcem ex omni ordine quidam selecti, qui comitiorum decreta renuncient, & iuramento simul atque fidei, quam olim illi dederant, renuncient. Ex his fuere *Wintoniensis*, & *Lincolniensis* Episcopi. Qui potissimum cum *Leicestriæ* Comite, in cuius custodia erat, artificiosis persuasionibus, ante reliquorum nunciorum accessum Regem EDOVARDVM aggrediuntur, vt sponte potius se exuat administratione, quò communi paci & quieti ita consulat: quam vt inuitus detrudatur, & alius etiam inuito, exclusis illius adeo filijs, sufficiatur. Adijciunt & ingentia promissa non modo de vitæ securitate, sed de omni illi honore postea deferendo. Egressus deinde cubiculum, nigra toga tectus, ad reliquos nuncios prodit, moxque præ doloris & angoris magnitudine in terram exanimis corruit. Qui cum, *Leicestrio* & *Wintoniensi* cum erigentibus, & bonis verbis consolantibus, animum tandem collegissent; *Herfordiensis* omnium nomine in eam pene, quam recensui, sententiam, legationem renunciat. Quæ * audita lachrymas, & ingentem illi eiulatum excussit. Respondítque maximis se in angoribus versari, quod tantum sibi populi odium conflasset, vt omnem erga se obseruantiam excuteret. Hunc tamen dolorem hac saltem consolatione leniri, quod filium suum omnibus tam popularem & plausibilem intelligeret, ad quem cum ita tempora & necessitas postularent, rerum summam deferri æquo animo patere-

* *al.* auditio?

tur. *Gulielmus* postea *Trussellius* miles obseruantiam omnem, fidémque illi olim datam, comitiorum illorum & totius regni nomine reuocat, & eiurat.

Tho Mor. & Tho Walsi.

CONTRIBVTAE vero sunt ad sumptum *Edouardo* in singulos menses centum marcę, & humaniùs atque benigniùs, atque honorificè eum *Henricus* Comes habebat. At enim postea, siue quod *Edmundus Cantii* Comes & alij proceres, eum è carcere *Kenelworthiæ* liberare conarentur; siue quod ISABELLA vereretur, ne quid id genus aliquando contingeret, & vel graues de ipsa pœnas exigeret, vel ad thorum & communem vitam (quam illa prorsus iam aspernabatur) reuocaret, duriùs & inclementiùs habetur. Cum itaque Comes nimis remissus & clemens erga eum censeretur, mandatur illius custodia *Thomæ Gorneio*, & *Ioanni Mautrauerſio*, mandatis datis omnium artium præfectis, vt illis postulantibus, illarum vsus & custodia ipsis traderetur. Qui valde erant erga eum asperi & acerbi, suáque importunitate atque inhumanitate angores illius valde cumulabant, noctúque & clandestinis itineribus à loco in locum, magna cum illius fatigatione & molestia, transferunt: tandémque apud arcem *Barcheleium*, immisso per nates ignito veru, vt plerique tradunt, è medio sustulerunt. Quibus & meus illius temporis author fere consentit; aliaque, quæ alibi non reperio, quæ huc spectant, adijcit. Qui tradit eos, non modo illos EDOVARDO cibos, quibus maximè afflictiebatur, subduxisse, & velato, ne agnosceretur, capite, infestis secretisque diu noctuque itineribus exagitasse; sed & veneno eum appetisse, licet illud aut naturæ firmitate, aut diuina voluntate sine graui noxa discussérit; &, vt angores illius augerent, coronam ex sœno contextam capiti per ludibrium in itinere imposuisse, & exclamasse, *Set forth syr kinge*, id est, perge ô Rex. Et vt minus forte ab obuijs cognosceretur, cesariem capitis barbámque in itinere, ad monticulum quendam, quem talpæ conficiunt, sedenti rasisse. Cumque tonsor frigidam, cum nulla alia suppeditaret, aquam attulisset, dicerentque debere eum æquo animo pro temporum ratione, id ferre; Imo vero, inquit, velitis nolitis calida aqua vtemur. Moxque ingentes lachrymas pro rei indignitate profudit, quæ confertim per genas promanabant.

Adam Meremuth. & Tho. Walſ. 1326. Pol. li. 18. Tho. Mor.

Tho. Mor. & Wal. Adam Meremuthens Polic. li. 7. c. 44.

Dift. Tho. Mor.

HOC se author meus à *Nicolao Episcopo*, qui interfuit, & maximam postea eius rei pœnitentiam cœpit, didicisse ait. Idemque tradit illos, tetris quibusdam odoribus hominem conficere conatos. Quod cum non succesisset, adhibitis quindecim robustis hominibus, in lecto eum puluinaribus oppressisse, admouisseque natibus tubam ductilem plumbarijque ferrum, quo plumbare & ferruminare solent, valde incensum, atque ita intestina vitalesque spiritus consumpsisse. Proniores vero ad hanc cædem fuisse, quod *Herfordensi* Episcopo Reginæque gratam futuram, ex literis quibusdam Episcopi, de quibus postea dicemus, existimarent. Qua ego de re nihil pronuncio, sed alijs integram & liberiorem diiudicationem relinquo. Vtcunque fuerit, fugam vterque postea arripuit, atque in continentem profugit, neque quenquam ISABELLA & Episcopo, (vt & idem ille author testatur) acriorem in persequenda & vindicanda EDOVARDI nece sensit. *Thomas* apud *Massiliam Galliæ* post triennium captus, in ANGLIAM remissus est. Sed antequam appelleret, in mari (forsan ne aliorum conscrorum fautorúmque nomina proderet) cæsus. *Ioannes* in exilio multis postea annis perdurauit.

Tho. Mor. & VValſ. Adam Meremuth.

NONO regni anno EDOVARDVS in amplissimis comitijs, quæ parliamentum appellamus, multa sanciuit, quæ ad Cleri dignitatem, prærogatiuam & vtilitatem pertinerent, quæ sæpe imminuta & violata erant, quę in sedecim capita distinguuntur. Quæ non erit necesse commemorare, cum ex ijs sint, de quibus superiori sęculo agitatum diximus, & sint alioqui vbique parata & obuia. Fuit hisce & posterioribus temporibus, non leuis passim disceptatio tam de EDOVARDO, quam *Thoma Lancastrio*, ad cuius monumentum feruntur multa miracula patrata, vtrum in sanctorum catalogum referendi essent, alia alijs, vt fit, censentibus. Quarum ego mihi rerum iudicium non arrogo. Reperio tamen THOMAM, vt populari & trito vocabulo vtar, canonizatum. Quod si ita sit, in procliui est, in quod hominum iudicia magis propendeant. Humatus est EDOVARDVS in cœnobio diui Petri apud *Claudiocestriam*. Domum *Carmelitarum Oxonii*, vt diximus, construxit, & domum apud *Langleium* fratribus *Prædicatoribus*, stipendiaque ex ærario multis eorum, vt literis darent operam, suppeditauit, quò precibus animam *Petri* ibidem humati Deo commendarent. Author & conditor fuit collegij regij *Oxonii*, quod *Oriall* dicitur, & aulæ diuę MARIAE in eadem academia.

Vide stat. Parl. anno 9.

Polit li. 7. c 41. Chron. Cirocho. 1321 Fabianus. Froſardus lib. 4. c. 6. Polit li. 18. Tho VValſ 1319 Tho. VValſ. 1390 Polid. li. 18.

Adam Meremut. 1311.

De

De CLEMENTE quinto & IOANNE vigesimo secundo Romanis *pontificibus, & eorum missis in* ANGLIAM *legatis.*

CAPVT III.

EDOVARDO in ANGLIA imperante, sedebant ad puppim & gubernaculum *Romanæ* ecclesiæ CLEMENS *quintus*, qui œcumenicam illam *Viennensem* synodum indixit, in qua ad terræ sanctæ subsidium decima sexennalis decreta est, & *Templariorum* ordo abrogatus; & IOANNES *Vigesimus primus*, qui vulgo dicitur *Vigesimus secundus*. Is inter ceteros purpuratos patres, THOMAM ANGLVM, vnum ex *Dominicanæ* disciplinæ alumnis, rei theologicæ scientia apprimè excultum, retulit. Episcopi aliquot ad hæc tempora, nescio quid prætexentes, Pontificem *Romanum* vrgebant, vt vacantium in suis diœcesibus sacerdotiorum fructus, liceret sibi decerpere. Quorum importunitas illi fenestram aperuit, vt sibi tam Episcopatuum, quam cœnobiorum cathedralium ecclesiârum, sacerdotiorumque omnium, quæ ad triennium vacarent, emolumenta attribueret. Qui & Regi eorundem primitias ad biennium, vt *Hierosolymitanæ* expeditioni inseruirent, indulsit; ad alios tamen, vt fit, vsus deriuabantur. Quum vero grandis illa seditio inter principes & EDOVARDVM ferueret, propter *Petrum*, illas illius delitias, aduenere duo legati à summo Pontifice, Cardinalis videlicet sanctæ *Priscæ*, & *Pictauiensis* Episcopus vt eos cum EDOVARDO reconciliaret. At illi literas à pontifice missas recipere recusarunt; alumnos se aiebant militaris disciplinæ, & in ea educatos, neque sibi quicquam cum literis negotij. Rogati deinde vt saltem cum eis colloquia miscerent; & ea etiam auersati sunt. Habere se domi, aiebant, à quibus consilium peterent, & non ab exteris, quibus res negotiáque regni incognita, & inexplorata essent. Accurate præterea cum Rege egerunt, vt possessiones *Templariorum Rhodijs* militibus addicerentur. Proceres vero restiterunt. Quæ tamen authoritate Parliamenti ad eos postea, vt diximus, translatæ sunt.

Tho. Walsi. 1310. Nic. Trim. 1305. Tho Walsi. 1306.

Tho. walsi. Idem in historia Edouardi 1311.

DEMORTVO CLEMENTE, quo tempore sedes *Romana* destituta erat suo pastore duobus annis & tribus mensibus, & noui pontificis optio nimis, propter Cardinalium dissensiones, extrahebatur; mittunt ad eos literas ANGLIAE & *Franciæ* Reges, vt primo quoque tempore electionem & suffragia sua expediant, ne longior comitiorum mora luculentum aliquod reipub christianæ, in longiore ecclesiæ viduitate damnum irrogaret. Surrogatur itaque CLEMENTI IOANNES *Vigesimus primus* siue *Vigesimus secundus* qui omnes Cleri prouentus ad triennium, vbicunque vacaturos, semotis Archiepiscopatibus, Episcopatibus, & cœnobijs sibi attribuit. Is cum audisset quanta esset principum ANGLIAE à Rege EDOVARDO animorum alienatio, & quàm grauia aduersus eum molimina; duos Cardinales *Cancellinum*, & *Lucam* misit, qui ad pacificationem aliquam ineundam se interponerent. Quæ & consequuta est, licet facilè postea diffluxerit. Accessere & aliæ causæ aduentus illorum, tam propter Comitissam *Lancastriæ*, *Thomæ* Comitis vxorem, quàm propter *Scotos*, quos Pontifex propter infestationem *Roberti* Brusij, & fidem Regi violatam, donec ad officium redirent, anathemate irretierat. Quidam vero ex familia Comitis *Varrenniæ*, cum versaretur apud *Canefordiam* in *Dorsetensi* Comitatu vi Comitis vxorem abduxere ad arcem quandam comitis *Rigatiam*, Rege, vt credebatur, conniuente. Contigit vero ea violentia die lunæ ante *Ascensionem* Christi, quo pro more ecclesiæ, solemnes supplicationes cum crucibus, velis, & vexillis per campos habentur. Quæ cum raptores procul conspexissent, arbitrati fuisse parata ad vim illam & rapinam retundendam, mulieremque eripiendam auxilia, magno metu fracti in fugam præcipites; muliere relicta, ruunt. Sed cum postea inanem suum metum viderent, confestim redeunt, & Comitissam secum abducunt.

Add Mato 1315. & in registro Walteri Episcopi.

Ad. ad Nic. Tri. 1316 Add. Meurem. 1317.

Tho walsi 1316. Addit. ad Nicho Trim. 1317.

ADVENIT deinde *Richardus* quidam de sancto, vt appellant, *Martino*, gibber, claudicate etiam deformis. Is non veritus se palam traducere, aiebat se illam, antequam coiret in matrimonium cum *Lancastrio*, cognouisse, & conceptis deinde verbis sponsam asciuisse.

Tho. Walsing. ibidem.

Nec minus illa famæ suæ prodiga, fatebatur vera esse, quæ à *Richardo* dicta erant Vendicabat ille deinde vxoris nomine, Comitatus *Lincolniæ* & *Sarum*, sed proposito suo excidit. Cardinales vero tum vt cum *Scoto* mandata negotia, tum vt LVDOVICI *Bellimontensis* consecrationem expedirent, qui recens *Dunelmensis* Episcopus designatus erat, iter *Dunelmum* (licet probe antea admoniti, si securi cuperent esse, ne *Eboracum*, nisi regijs copijs muniti, prætergrederentur) intendunt. Fuere enim his temporibus in *Northumbria* multi milites, qui cum aliquando vtilem aduersus *Scotos* operam posuissent, & pecunia deinde atque viatico destituerentur, ex rapina & spolijs ANGLORVM, qui in illa & vicina regione erant, viuebant, adeoque numero animisque aucti sunt, vt impunè iam vbique grassarentur. In quorum etiam manus Cardinales inciderunt, cum LVDOVICO *Dunelmensi*, & fratre *Henrico*. Et Cardinales quidem auro, argento, equis & rebus pretiosioribus nudatos & spoliatos dimiserunt; Episcopum vero cum fratre detinuerunt, nec priùs è manibus elabi passi, quam se grandi pecunia redemissent. Prædonum horum duces fuere *Gilbertus Midletonus*, & *Gualterus Selbius*, qui postea capti atroces pependerunt pœnas. Cardinales nihilominus *Dunelmum* profecti sunt, vt negotia sua cum *Scoto* conficerent, à quo *Scotiæ* aditu repulsi sunt. Redierunt deinde *Eboracum* regio præsidio septi. Quo loci, quasi in tuto iam positi, horrenda execrationum fulmina tam in *Scotos*, quam prædones illos vibrabant,

Th. Walsi. 1318. Add. ad Nich. Trin. 1317. Tho. Mer. 1316 & author dict. de vita Edouard. primi.

LONDINVM reuersi, vt accepta damna resarcirent, octo denarios ex singulis marcis corradere a Clero conati sunt. Renuunt & reijciunt eam Pontifices & Clerus postulationem, & si quid damni incurrissent, aiebant suæ facilitati imputare debere, qui præscriptum locum egredi voluere. Quatuor tamen denarij, quos Clerus ante illam illorum profectionem in itineris sumptus spoponderat, dependi sunt; præter ampla munera, quibus à Rege & aula regia aucti fuerant. *Cancellinus* quidem tot sacerdotia & præbendas illo vno anno sibi cumulauit, vt annui illorum prouentus mille librarum summam superarent. Biennio postea Pontifice IOANNE annuente, decima à Clero Regi contributa est. Indixit IOANNES inducias ad biennium inter ANGLVM & *Scotum*, missoque prius diplomate siue bulla, vt aiunt, anathemate inussit, quicunque pacem & quietem ANGLIAE & CAMBRIAE pertubaret. Quo etiam anno, id est, ex quo init sacrum magistratum, per literas questus est de iniurijs, per regios ministros suis illatis. Misit etiam ad WALTERVM literas, quo accenderet & inflammaret Regis EDOVARDI *secundi* animum ad sacram expeditionem, quo propendere videbatur. Conqueritur etiam quòd Rex, aut eius ministri, pecuniam repositam ad sacri belli vsus abstulerant; quod pensionem mille marcarum, quæ ecclesiæ *Romanæ* debebantur, non exolueret; quod immunitates, libertates & priuilegia Cleri imminueret & labefactaret. Sunt & aliæ literæ, quibus Regem admonet de gregarijs, & abiectis illis suis sodalibus, qui illius iuuentutem & indolem deprauatis, & iuuenilibus consilijs corrumperent, quos opibus & honoribus supra meritum cumularet. Hortatur, vt homines maturioris ætatis & iudicij suo lateri asciscat, & in mentem reuocet quid *Roboam* Regi acciderit.

Ad. Meresm. an. 1316.

Ex archiuis sedis registro. Walteri Archiepiscopi.

De Rege EDOVARDO tertio.

CAPVT IV.

SVMMA omnium propensione, amplissimorum comitiorum promptissimis suffragijs, exauthorato patri EDOVARDVS sufficitur, & per WALTERVM Archiepiscopum, *Westmonasterij* quartodecimo ætatis anno regio diademate insignitur. Pauloque post PHILIPPAM, Comitis *Hannoniæ* filiam, vxorem sibi adiunxit. In eam mox EDOVARDVS incubuit curam, vt decretum Parliamenti, quo patre regnante *Spenseri* in exilium aucti sunt corroboraret; & posterius decretum, quo prius illud rescissum erat, & actiones *Spenseriorum*, & eorum asseclarum à reditu ab exilio confirmat, euerteret, & reuocaret. Etsi vero donec ætate maturuisset, dati sunt EDOVARDO certi Proceres atque Episcopi curatores, & cum primis *Henricus Lancastrius* ex communi Procerum consensu, qui negotia interim publica procurarent; *Rogerus* tamen *Mortimerus*

& ISABELLA

& ISABELLA mater, ceteris fere semotis, omnem administrationem ad se reuocarunt; quibus potissimum authoribus, inaudita & fœda pax cum *Scotis* initur, quæ magnitudinem & maiestatem regni *Anglici* turpiter imminuit. Ob quam & alias causas, inter quas fuit quod ISABELLAM vitiasset, & necis *Edouardianæ* author fuisset; infames, instar grauissimi perduellis, pœnas exoluit. Caputque eius pilo affixum est *Londini*, prope caput *Hugonis Spenseri*. Quod mirum multis videbatur spectaculum. ISABELLA vero in arcem quandam, exeundi licentia adempta, conjecta est. *Rogerus* decreto quidem Parliamenti damnatus est: nullus tamen illi pro se respondendi (quod æquitas postulabat) locus dabatur. Quod vitium rempub. in *Thoma Lancastrio*, & ceteris etiam proceribus damnandis (pessimo exemplo, & in capita authorum redundante) inuasit. De qua re quidam eorum temporum æqualis queritur. *Fabianus. Froſard Tho. Walſ 1330*

SED EDOVARDVS adultior factus, hanc omnem maculam non modo abstersit & deleuit, sed præterea claris victoriarum suarum, non modo contra *Scotos*, sed & *Gallos* atque *Hispanos*, trophæis rerumque gestarum in prælijs celebritate, eo magnitudinis & gloriæ proiectus est; vt omnes certe *Saxones* Reges, qui eius imperium aut præibant, aut postea excipiebant, in eo laudis cursu superasse forte censeatur. Testis est *Scotia*, quæ penitus tribus insignibus prælijs per eum contracta est, cuiusque Regem *Dauidem* multis annis ANGLIA captiuum apud se detinuit. Testis est *Hispania*, & res per nostros præclarè ibidem gestæ; egregiæque præterea nauales victoriæ. Testis est potissimum *Gallia*, cuius vires variis, & ad omnem memoriam memorabilibus prælijs terra, marique fregit. Nauali quidem cum alibi, tum præcipue apud *Clusas*. In qua pugna EDOVARDVS forti manu egregiam præstitit operam, grauique vulnus accepit; cuius facile dolorem cum animi magnitudo, tum celebris illa victoria absterserit. Testis est, inquam, *Gallia*, cuius nobilitatis flos *Creſcentico* prælio ANGLORVM virtute exaruit. Testis est *Ioannes Francorum* Rex, qui exercitu suo cæso & profligato, in potestatem ANGLORVM cum filio suo *Philippo*, & mille septingentis ex proceribus, cum nostri præ *Francis* admodum exiguo atque exili numero essent, captiuus peruenit, & in ANGLIAM adductus est. Quæ persequi, & singula quæ ad hanc narrationem spectant pro dignitate explicare, non est huius loci aut nostri instituti, imo nec in tenuē nostram, vt maxime velimus, facultatem cadit. *Froſ vol. primo ca 71 & 139. Froſ cap 298. Tho Walſ & alij ad an. Ad Mer. 1367 & 370. Fabianus Tho. Walſ & Pol. li. 1340 Vide Annales Franc 1340 Tho Walſ 1346 Froſſardus & Annales Franc. 1348. Ista ſunt maximam eiusdem ſui a Gallis illatam quæ vnq. am ei contigit ab homanum memoria. Froſardus & alij omnes.*

HAEC autem omnis tam diuturna, & tam cruenta inter EDOVARDVM & *Francum* decertatio, hinc profecta est, quod ille iustam hereditatem, & successionem regni *Francici*, quę ad se, vt nepotem *Philippi Pulchri*, cuius filia erat mater ISABELLA; per *Philippum Valesium*, qui non tam propinquo cognationis gradu *Philippum* contingebat; iniustè interueniam, & interceptam quereretur. Contra *Philippus* aiebat explorati & expediti iuris esse, feminas tantæ amplitudinis, ex antiquissima *Francorum* lege *Salica* non fuisse capaces. Nostri regerebant, totum id commentitium & adulterinum esse, & recens in *Gallia* natum, quo EDOVARDVS siue iure, siue iniuria, specioso aliquo & plausibili prætextu arceretur. Et in hunc vsque diem vterque populus in diuersam, contrariamque sententiam scinditur; *Gallo* extraordinariè illi legi *Salicæ*; ANGLO non tam scriptæ quam natæ legi, quæ ad proxime propinquos hereditates deuoluit, constanter hactenus adherescente. Vrgebat itaque omni ratione ius suum EDOVARDVS, *Galliæ* se Regem palam literis ad *Gallum* & alios, & domesticis legibus nunciat; vexillis, parmis, & vbique lilia aspergit & intexit ANGLIAE insignibus; Flandris, quos in belli contra *Gallos* societatem adiungere sibi laborabat, huc cum potissimum instigantibus, quasi ea demum ratione a fide, qua vt clientes iuramento *Gallorum* Regi astringebantur, exoluti. Et quia nonnulli metuebant, ne hac occasione, quia in eundem & ANGLIAE & *Franciæ* regnum concurreret, ANGLIA cogeretur aliquando quasi fasces suos *Galliæ* subinittere, eique parere, maiestatémque Regis *Galliæ*, quasi inferior prouincia, colere; huic formidini Parliamenti decreto occursum est, & cautum vt antiqua iura, priuilegia, dignitates, & prærogatiuæ ANGLIAE, inconcussa & imminuta manerent; neue ANGLIAB ex hoc aduentitio titulo & splendore, luminibus obstrueretur, *Galliæue* aliquando ancillari, & inseruire cogeretur. *Froſ cap 43? Vide ſtatut Edou. anno 14. Vide præter alios de tributis datis Edou VVal. 1117 1144 1155 1360. 1171 1172. 1377. & alibi.*

QVANTOS thesauros, in hęc tanta & tam diuturna cum *Scotis*, *Gallis* & alijs prælia, effuderit & exhauserit, & ad quantam rerum tenuitatem, quasque pecuniarum angustias populus interim *Anglicus* redactus sit, nulla sane oratio explicare potest. Inter ceteras vero illa singularis & excellens populi largitas fuit, quæ in annum millesimum trecentesimum quinquagesimum quintum incidit, cum ex quolibet sacco lanæ qui vænum exportaretur, quinquaginta

quaginta solidos ad sexennium largiretur. Ita vt ex ea largitione, mille sibi Rex quotidie, ad sex annos, marcas decerpserit; & in vniuersum quindecies centum millia librarum, id est, vnum millionem, vt appellant, & dimidiatum ex hoc vectigali redegerit. Hæc vero pecuniæ in populo inopia id boni aduexit, vt cum homines nummis affluentes, solerent præ cupiditate venalium rerum precia immoderatius augere; adeo iam illa remitterentur, vt *Londini* opimus bos vno aureo, ouis opima sex denarijs, porcus vno denario, & ad eandem rationem ceteræ res distraherentur. Qui annus insignis erat immoderato frigore ob gelu, quod à quinto Kalend. Decembris ad quartum Idus Februarij perdurauit. Sed illud multo memorabilius & rarius, quod salices mense Ianuario efflorescentes & gemmantes, fructus ad instar rosarum, & sambuci ad instar cerasorum produxerant. Obstupescendum sane spectaculum & quod multorum torsit ingenia, dum, quid hoc portenderet, inutili labore expiscari conarentur. Quo etiam anno cautum est in Parliamento, ne, quod hactenus obseruatum erat, causæ litigiosæ in *Gallica* lingua, quam neque qui intendit, neque qui excepit actionem, intelligeret; sed in vernacula lingua, per patronos earum expedirentur. Confirmatum etiam est *Cantuariensis* & aliorum Episcoporum decretum, ne quis conductitius & mercenarius sacerdos, qui vicariam curam animarum gereret, supra sex marcas; qui verò conducti erant, vt defunctorum animas Deo commendarent, ne supra quinque marcas in stipendia acciperent. Quibus hodie duplum, imo ne triplum quidem satisfacit, adeo omnium rerum precia aucta sunt.

Tho. Walsingh. 1355. & ab Auctor Polichr. l. 3. c. 44. Fabian. an. 1336 Tho. Walsingh. 1339.

Thom. Walsingham.

In registro Sim. Islepij Statut. ann. 1336 c. 8. & 15.

In his Edouardi præsertim naualibus victorijs, egregiam ciues *Quinque*, vt appellant, *Portuum* operam, nec ingrato Regi præstiterunt; qui amplissimis illos priuilegijs & prærogatiuis (quas aliquando diplomate regio signatas vidi) quibus & hodie fruuntur, honestauit. Inter quæ est, vt ne in ius, nisi coram *Quinque Portuum* Præfecto, ob aliquam causam accersantur, & vt, cum essent homines forensium litium rudes, si forte, dum aduersario in lite respondent, aliquid ipsis inconsulte, & in suam noxam exciderit, id possent matutiore postea consilio reuocare, & rescissa confessione pro indicto habeatur. Etsi vero tam primo regni sui anno, quàm sæpe postea magnam illam, vt appellant, chartam, quæ multa populo Cleróque commoda complectitur, in amplissimis Parliamenti comitijs corroborarit; quotidie tamen per importunos & peruersos homines, aliquid de prærogatiuis, dignitate, & commodis Cleri detrahebatur. Quibus incommodis Edouardus, flagitante Clero, qui prolixam & amplam ad bellorum illius vtis pecuniam contulerat, per Parliamentum consuluit. Quod tamen decretum, quasi non satis maturo consilio, & in dignitatis regiæ detrimentum inconsultius emanasset, eodem anno ex parte reuocauit. Quæ nihilominus priuilegia, aut alia non minus ampla, post paucos annos summorum comitiorum suffragatione restituit. Quæ quoniam ex eo fere genere sunt, quæ superius recensuimus, non est, quod exquisitius ea iam recenseamus. Cum vero eo vsque progressa esset regiorum ministrorum audacia, vt Sacerdotibus & alijs ex Clero, dum diuinis rebus in templo & cœmeterijs operam darent, & sacrosancti Christi in eucharistia corpus ad ægrotos deferrent, per rescripta regia manus injicerent, interpellarent, præciperentque vt se regio tribunali sisterent; & hvic quoque ex parliamenti authoritate occursum est.

Vide statut. anno Edouard. 15.

Anno 18. & 25.

Fvere his temporibus multa cœnobia in Anglia, ex disciplina *Cluniacensium*, *Præmonstratensium*, diui *Augustini* & *Benedicti*, quorum præsides homines exteri, extra Angliam degebant. Hi durius, in hisce cum Gallo decertationibus, ab Anglo tractabantur, (vt & omnes monachi exteri, qui in Anglia commorabantur, ante paucos annos imperante Edouardo *secundo*, cum Gallus *Aquitaniam* occupasset) quibus, vt & omnibus religiosis, præceptum est, ne quid auri aut argenti ex Anglia exportarent. Qua de re decretum Parliamenti, Edouardo *primo* imperante promulgatum, iam restauratum est. Quo etiam decreto cautum est, ne Præsides illi cœnobia, quæ hic posita erant, nouis pecuniarum exactionibus, & id genus alijs oneribus premerent. Data tamen potestas, vt cum res postularet, venirent in Angliam, in mores & vitam monachorum inquisituri, modo ne efferrent quicquam, nisi quod necessarijs itineris sumptibus inseruiret. Imo iam ex edicto Parliamenti, omnes religiosi exteri secedere ex regno ad certum diem iubentur, cautumque vt eorum possessiones transferrentur ad Anglorvm iuuentutem, quæ litteris operam daret, fouendam. Quos, præsertim *Gallos*, instar hostium, Angli habebant, & regni consilia secretiora hostibus per eos prodi putabant. Sed vt ad res bellicas Edouardi reuertamur, in medio tantarum victoriarum *Edouardianarum*, de quibus diximus,

Anno 50 cap. 5. Tho. Walsingh. 1343. An 25 non est in lib. statut sed in magna charta impr. per Tottel. lum 1556. in 8.

Ex statut Ed 3. ann. 20. qui non impressus, sed in archivis regni hodie remanent.

cursu, &

curſu, & in tanta gentis *Anglicanæ*, tamque peruagata gloria, vt nihil vnquam humanæ felicitatis & gloriæ, omni ex parte integrum, inconcuſſum, & ſolidum eſt; peſtis tam immaniter, & tertium repetita ANGLIAE incubuit, vt neſciam an vlla tam infeſta & atrox vel prioribus, vel ſequentibus vnquam ſæculis inter noſtrates ſit graſſata.

POST inſignem illam *Creſſiacum* victoriam, *Caletumque* captum, aufugiente Rege, qui inſtructo exercitu venerat ad obſidionem ſoluendam, nec auſo cum noſtris congredi, induciaſque tandem inter vtrunque Regem pactas, redijt EDOVARDVS in ANGLIAM; ſed tam immani tempeſtate iactatus, vt multis de ſuis amiſſis, egrè ſe ex illo periculo expedierit. In quibus anguſtijs, beatam MARIAM matrem Chriſti interpellauit, &, Quorſum, inquit, ô Domina ſpectat, quod tranſmittendo in *Galliam* placidum & benignum mare ſentiam, redeundóque infeſtum ſemper & oppido quam immite? Hæc EDOVARDVS. Et ego quidem, etſi nolim ad recondita Dei his in rebus iudicia curiosè penetrare, triſte illud forſan fuiſſe præſagium, in tanto rerum foris geſtarum ſplendore, de infelici, qui poſtea varijs ex cauſis in ANGLIA ſequebatur, domeſticarum rerum ſucceſſu dixerim. Sed hæc in medio poſuerim. Illud vero conſtat, cum poſt reditum omnia lætitia & triumphis, propter res tam ſplendidè & amplè geſtas feruerent, & nulla fere illuſtrior domus fuerit, quæ *Gallicis* ſpolijs non exornaretur; immoderata quædam pluuiarum copia, quæ à die natalitio D. *Ioannis Baptiſtæ*, ad Chriſti natalitium diem è cœlo continuè demittebatur, hanc omnem felicitatem & lætitiam contaminauit: quæ comitem deinde habuit peſtem illam, de qua commemoraui, quæ domos, pagos, & prouincias in ſolitudinem pæne redegit, vt nec vetera cœmeteria vllo modo, nec viui ſatisſufficerent humo condendis defunctorum corporibus. In multis cœnobijs, ex viginti vix duo ſupererant. Multorúmque opinio fuit, vix decimum quemque hominem ſuperſtitem relictum. Nec minor lues mox in animalia, quæ humanis vſibus inſeruiunt, incubuit. Cumque antiqua cœmeteria tot cadauerum non eſſent capacia, cum alibi, tum in eo loco, quem *Smithfeldium* appellant, noua & lata cœmeteria *Londini* conſtructa ſunt.

Th. VValſ. 346.

Idem 1347. & Add. ad Ad. Mer. eodem anno

Th. VValſ. 1348

Th. VValſ. 1349

IN illo vero *Smithfeldenſi* ſolo cœmeterio quinquaginta milia cadauerum repoſita ſunt. Vnde vel mediocris quiuis ratiocinator facilè ſupputare poterit, ingentem quandam, & pæne incredibilem fuiſſe ceterorum, qui in ea ciuitate humati ſunt, multitudinem. Sed ſequentibus temporibus, ſopita huiuſmodi peſtis memoria, homines importuna cupiditate producti, ſenſim magnam cœmeterij illius partem ad ædificia transferendo, locum profanarunt. Nec ita multi anni præteriere, cum à multis, dum aut noua conſtruunt, aut vetera ædificia reficiunt & amplificant, multa defunctorum hominum oſſa in fundamentis reperta ſunt. Anni vero maximè peſtiferi & funeſti fuere, præter illum, de quo diximus, milleſimus trecenteſimus ſexageſimus primus, milleſimus trecenteſimus ſexageſimus nonus, & milleſimus trecenteſimus ſeptuageſimus quintus Cum vero propter hanc hominum animaliumque ceterorum peſtilentiam, agri paſſim inculti, vaſti, & deſerti iacerent, & poſſeſſores ſolitis redditibus deſtituerentur; coacti ſunt non modo de ſolita penſione remittere, ſed etiam agros, omni ruſtica facultate inſtructos, colonis locare. Quod etſi à laicis poſſeſſoribus, ad rem attentioribus obſeruari fere deſitum deſitum eſt; in prædijs tamen cœnobiorum, Epiſcoporum, & collegiorum mos ille frequens ad noſtra vſque tempora, maximo colonorum emolumento perdurauit. Poſt triennium vero, aquarum illam abundantiam non minus memorabilis ſiccitas, qua, cum à *Martio* ad *Iulium* perduraret, omnia ſpualebant & exaruerunt, excepit. Ex qua, magna frumenti inopia, grauique fame laboratum eſt.

Fabianus 1350

Tho. VValſ. in dicto anno Addit. ad Ad. Mer. & Fab.

Th. VValſ. 1350

PESTILENTIA vero illa non in ANGLIA modo, ſed in alijs *Europæ* partibus, inter *Saracenos* in oriente primum orta, deſœuiiſſe traditur. Cuius rabies adeo *Saracenorum* animos perculſit, & perculit, vt multi ad Chriſti religionem inde traducerentur. qui tamen cum viderent eam, non minus violenter in Chriſtianos ſerpere, ad veterem ſuperſtitionem rediere. Adeo multi tenuiter & exiliter, animarum ſuarum ſalutem ad calculum reuocant, toti caducis & externis affixi, & his ſolis omnia metientes. Fuit vero vna quædã alia peſtis, ab vno homine ANGLO profecta, ceteris commemoratis longe immanior, & funeſtior; quæ EDOVARDO imperante, & ô vtinam non ſouente, aut certe conniuente, erumpere & manare primũ in ANGLIA,

Tho VValſ dicto an. & 1340. & Rob. Aneſburius.

simorum sirorum Equitum præsidi sacratum. Instituit enim nouum quendam & honoratum militum, qui GARTERIVS (vt tritum & vernaculum verbum vsurpem) dicitur, quod tibiarũ ligaculum significat; quo quidem gemmis auróque splendenti, milites isti inter cetera militiæ suæ ornamenta, & insignia vtuntur, ordininem. Cui quidem templo duodecim maiores, octo minores canonicos sacerdotes, & tredecim quos vicarios vocant sacerdotes, & præsidem quem Decanum appellant, datis collegio luculentis possessionibus, attribuit: qui perennes preces pro equitibus illis, qui vel obierunt, vel inter viuos superessent, funderent.

ARCTISSIMA quadam inter se hi milites necessitudine, & amicitia colligari ex ordinis præcepto, & mutuis se semper in prælio auxilijs munire, neque fugam vnquam capessere iubentur. Multas EDOVARDVS alias præceptiones dedit; quibus variæ etiam posterioribus temporibus accessiones adiunctæ sunt. Inter quas & illæ; Ne quisquã huic albo ascribatur, qui non à tribus suis parentibus, siue maioribus, idque ex vtroque tam materno quam paterno latere nobilitatem ducat. Ne quis ascisca tur, cuius fama & æstimatio apud grauiores homines læsa & imminuta est: Ne quis hæreticus, qui diuinam; ne quis perduellis, qui humanam & regiam maiestatem læsit; qui turpiter & ignauiter è bello se propipuerit; qui patrimonium inconsulte & prodigè effuderit. Tantus autem huic ordini honor accreuit, vt pro magno ornamento, in eum se coaptari etiam exteri Principes, Reges, atque adeo Augusti ducant, & semper duxerint. Cooptantur autem imminuto numero, qui ex viginti sex constat, reliquorum suffragatione. Cumque quisquam ex hac societate obierit, multa per sacerdotes pro defuncti anima ex ordinis decretis, certóque numero suffragia offerri iubentur, certamque quisque, sed pro ratione suæ dignitatis, præscriptáque idonea moderatione ex decreto, pecuniam confert; quæ ad superiorem vsum, & pauperes fouendos impenditur. Quam præclare humilites suæ semper postea functioni, viuo præsertim EDOVARDO responderint, res ipsę tantùm non loquuntur. Ad æmulationem nostræ militię, & *Ioannes* Rex *Franciæ* paulo post, vt nostrates tradunt, apud suos id genus ordinem quendam instituit; cui vt EDOVARDVS nostrę periscelidem, ita illę suę stellam, illustre insigne dedit. Sed *Galli Ioannem* hoc decus. & huius laudis possessionem prius occupasse, eumque ita præeuntem, EDOVARDVM nostrum sequutum aiunt. Ego tamen magis in *Frosardi* sententiam inclino, qui priores partes dat nostro *Edouardo*, qui & maiore fide dignus est quod exterus sit, & non nostras.

Tho Walsi. 1344 & Fros. vol. 1.

Chron. de regib. francia Addit. Paul. Æmil 1350 Polid. li. 19.

HORVM equitum caput & anteſignanus est Rex ipse, qui vt hoc ligaculo, quemadmodum ceteri, ita certis diebus, demissa veste serica cerulei coloris, vt & illi, ornatur. Ad anniuersarium martyris GEORGII diem, illius ordinis, & totius militię *Anglicanæ* Diui tutelaris, *Windesoriam* Equites confluere solent: eumque diem magna celebritate, atque solemnitate, & in splendidis epulis transigere. Quibus eo die sacrum facit *Wintonienſis* Episcopus, quem eiusdem ordinis Prælatum appellant. Qui & ipse periscelidem non in tibia, sed in sinistræ manus pollice gestat. Si quisquam vero ex ijs Equitibus, dum iter facit, intra certa miliaria *Windesoriæ* appropinquet, ad templum illud diui GEORGII accedere ex ordinis instituto debet, vt se, & reliquos equites Deo, atque diui GEORGII precibus commendet. In illa autem periscelide hęc aureis literis verba *Gallicè* visuntur. *Honni soit qui mal y pense*: hoc est: *In Vituperio atque infamia sit, qui prauè & perdatè cogitat.* Et vulgo quidem fertur EDOVARDVM hunc ordinem instituisse, & hoc apophthegma aspersisse, vt Procerum quorundam dicteria, qui illi iocosè exprobrabant, quod matronę cuiusdam decidentem periscelidem e terra sustulisset, vlciscere tur, & sinistras eorum opiniones retunderet, & ideo periscelidem per suos æquites in hanc amplitudinem prouexisse. Quod certe fieri potuit. Neque enim ignoramus multa, ex leuiusculis huiusmodi causis, ampla atque magnifica prodijsse. Sed forsan grauior causa subest, & si mihi in his rebus coniectare liceat, crediderim illustres hos equites hoc apophthegmate admoneri, ne quicquam in omni vitæ actione, vel intra cogitationes admitterent, nisi se & suo splendore dignum, ne in fugæ consilia in bello, neue in res parum honestas extra bellum, & maxime scelerata contra Principem cogitationes suas turpiter abijcerent. Perisceli des autem ista, non dextrę, quod mirum, cum dextra semper sit præstantior & honoratior pars corporis, sed sinistrę tibię apta tur. Quod cur ita sit, expeditam ego certè rationem non possum reddere. Incidi vero in librum cuiusdam exteri, *Mondoni* videlicet *Belualeti*, *Cluniacensis* disciplinę, & eiusdem ordinis Archidiaconi. Qui cum in ANGLIAM forte venisset, & multa ibidem illustria valde, atque insignia, vt scribit, vidisset, quæque magnis laudibus prosequitur, nihil tamen magis suspicit, quam istius ordinis institutum. Curiosè itaque Proceres & alios percunctatus est huius rei causam, & alia, quæ ad periscelidem pertinent, & quid singula significarent

Polid. lib. 19.

Scriptus an 1455 liber incipit exilib mabam vt cognoscerem in proœmio.

carent. A quibus cum nihil expiscari potuisset, domum reuersus; cœpit acertimam curam in huius rei cogitatione, atque commentatione ponere; tandémque & huius rei, de qua quæsiuimus, varias causas, & mirificam quandam philosophiam, magnáque mysteria huic periscelidi, singulisque eius partibus subesse ostendere conatur. Ita vt nihil sit in illa, non color, non figura, non fibula, non nodus, aut quicquam aliud minutius, quod non excutiat; quodque ad moralem aliquam disciplinam, virtutumque meditationem, Proceribus & alijs lectu fortè haud iniucundam, ingeniosè non transferat. Quæ si quis plenius scire desiderat, habet vnde petat.

AMPLVM præterea & magnificum EDOVARDVS apud *Westmonasterium*, templum Canonicis ædificauit, quod diuo STEPHANO sacrauit, & collegium *Cantabrigiæ* ad bonas literas promouendas, quod *Aulam regiam* appellant, magnisque possessionibus auxit. In quo genere officij, liberales videlicet atque sacras literas prouehendi, ornatissima & pia illa matrona, feminarum illius sæculi illustre decus, & mater tot insignium Heroum, PHILIPPA illius vxor magnam laudem promeretur, ob aulam illam, quæ *Reginæ aula* vulgo dicitur, *Oxonij* conditam, & idoneis possessionibus ad discentium sumptus instructam. Quæ & valde prolixè de ecclesijs ANGLIAE, & patriæ suæ pauperibus vtrobique merita est cumque supremum diem obiret, maritum præsentem obnixè rogauit, vt tria sibi mortuæ præstaret; primum, vt æs alienum, quod conflarat, dissolueret; secundum, vt quæ ecclesijs siue ANGLIAE siue patriæ suæ donasset, aut promisisset, rata haberet, & si fortè promissa omnia huiusmodi ad rem non contulisset, præmaturius erepta, vt ipse illa perficeret & impleret; tertium, vt quandocunque ipse vitam humanam exueret, vt hactenus intimo & illibato amore coniungebantur, ita & communi sepulchro coniungerentur. Quibus ille se postulatis, totus lachrymis perfusus, lubentissime consentire profitebatur.

Froiss. ca. 247. vol. 1. an. 1369.

De Pontificibus, *qui imperante* EDOVARDO tertio *clauum, & administrationem* Romanæ *ecclesiæ tenebant, & varijs negotijs, quæ inter eos &* EDOVARDVM *intercesserant.*

CAPVT V.

Ad Mat. 1330.

DVM EDOVARDVS in ANGLIA prolixo tempore imperat (imperium enim eius supra quinquaginta annos extrahebatur (*Romanæ* ecclesiæ præerant IOANNES, BENEDICTVS, CLEMENS, INNOCENTIVS, VRBANVS, & GREGORIVS, quos antea commemorauimus. Decennio iam IOANNES sacro illo magistratu functus erat, cum EDOVARDVS summæ rerum admoueretur. Cui IOANNES concessit vt quatuor annorum decimam à Clero posset corradere; cuius tamen sibi (si vera meus author narrat) dimidiatum reseruatum voluit. Diximus iam antea, in œcumenico *Viennæ* concilio sex annorum decimam sacri belli vsibus attributam. Sed cum *Franciæ* Rex, in cuius potissimùm expeditionem, & aliorum quorundam Principum; omnium expectatio & spes erat erecta, eam expectationem frustraretur, neque vlla rei in *Syria* bene per nostros gerendæ spes eluceret; IOANNES edixit, vt pecunia, quæ ad eum vsum corrasa & recondita erat, ijs, qui eam soluissent, redderetur. Quod quidem in ANGLIA inutile fuit, & parum fructuosum, cum illi omni priùs pecuniæ Rex manus iniecisset, nec postea restituisset. Et indultum quidem fuit EDOVARDO, aut certe patri eius per IOANNEM, vt quasi ex mutuatione ad quinque annos eam pecuniam sumeret, aut summo Pontifici, aut quibus is mandaret, reddendam. Vtcunque sit, redditam certè negat author meus. Septennio post IOANNEM, BENEDICTVS *Romanam* ecclesiam moderatus est. Cuius opera, induciæ aliquot mensium inter ANGLVM & *Scotum* pactæ sunt. Cumque omnia cruentis inter ANGLVM & *Francum* bellis flagratura videret BENEDICTVS, misit duos in ANGLIAM legatos ad controuersias omnes, pactione aliqua & transactione, si fieri posset, tollendas; vel ad tam infestas calamitates, quæ in foribus adesse videbantur, ad tempus auertendas. Et ANGLVS quidem IOANNEM *Cant.* & RICHARDVM *Dunelmensem* in *Galliam* ea gratia amandat. Sed cum concordia nulla iniretur, ad bellum vndique proruitur. Ad cuius subsidium, Clerus *Anglicanus* triplici decima exoluenda mulctatur. Mox-

In archiuis siue registro Walteri Archiepiscopi. Ad. Mat. 1336.

Tho. Walsi. 337

que

que conſequuta eſt inclyta illa EDOVARDI victoria, qua apud *Cluſas* nauali pugna, nomen ſuum EDOVARDVS, reſque ibi geſtas immortalitati mandauit. *Tho Walſ & Polych. 1340*

ANNO, qui hanc victoriam ſequutus eſt, aduenere duo Cardinales à BENEDICTO, quorum opera & diligentia induciæ inter vtrumque Regem, ad triennium conſtitutæ ſunt, vt interim vterque ad *Romanum* Pontificem legatos ſuos tranſmitteret; quo ille tandem, non ille quidem vt huiuſmodi rerum proprius, & peculiaris iudex, ſed ex vtriuſque Regis voluntate, & tanquam honorarius quidam arbiter hanc controuerſiam explicaret tandem, & expediret. Ad hunc BENEDICTVM vſuntur literæ EDOVARDI quibus ſignificat, ſe non praua aliqua animi cupiditate, aut regnum iniuſtè ampliandi libidine, ſed cauſæ ſuæ iuſtitia & æquitate ductum, *Gallo* negotium faceſſere; & aliæ * etiam, cum varijs, ad eundem, BENEDICTI reſponſis. BENEDICTO ſurrogatur CLEMENS *ſextus*. Ad quem EDOVARDVS apud *Auentionem* commorantem, legatos ſuos, *Henricum* Comitem *Lancaſtrium*, cum Comite *Darbiæ*, cum *Exonienſi* Epiſcopo, & alijs mittit, ad pacificationem aliquam inter ſe & *Gallum* finiendam. Sed cum legatio nullum optabilem exitum conſequeretur, ad rem poſtea bellicam animum totum applicat. Venitque eodem anno à CLEMENTE nuncius, qui inter alia ſignificauit, *Ludouicum Bauariæ* Ducem & *Auguſtum*, ſe totum ad Pontificis voluntatem accommodaſſe, Pontificémque imperium, à quo *Bauarum* abdicarat, deinceps Pontifici per omnia parituro, reſtituiſſe. Erat vero *Ludouico* offenſior EDOVARDVS. Conſtituerat enim EDOVARDVM imperij Vicarium, pollicituſque erat ſuâ aduerſum *Gallum* operam. Sed poſtea non modo hoc decretum de amplificando EDOVARDO reſcidit, ſed & omnes ſuos conatus ad *Galli* ſecuritatem, & amplitudinem contulit. Cumque *Caletum* poſtea EDOVARDVS obſideret, miſit ad eum CLEMENS literas, quibus eum ad pacificationē vehementer hortabatur, queriturque quod legati illius *Arnaldus* & *Stephanus*, nihil potuerint apud eum ea in re efficere. Cui EDOVARDVS reſpondit, per ſe non ſtare, ſed per *Gallum*, quo minus diſcordiæ iſtæ componantur. Se enim tam commemoratis, quam alijs eius legatis commodas, honeſtas, & æquas pacis conditiones obtuliſſe, quas aduerſarius reiecerat. In quem, ne plus quam ratio & æquitas propendeat, CLEMENTEM vt ſummum totius eccleſiæ, ſecundum Chriſtum, iudicem vehementer obſecrat; neue iniquam illius cauſam foueat. Prouocare alioqui ſe ab illo ad ſupremum omnium iudicem.

*Tho Walſ Polich Add ad ad Mer. Par. An. 1341 Polido. dicit vnius anni inducias Tho Walſ. 1343 Tho. Walſ 1.36 * al et aut eiuſdem Bened Ii ad Edouardum reſponſoriæ, cum Edouardianis ad eandem epiſtolis Tho. Walſ 1343. Tho. Walſ 1342.*

CLEMENS autem & alij *Romani* hoc ſæculo pontifices, *Anglicanas* eccleſias valde premere credebantur, cum non ſolum primos fructus omnium ſacerdotiorum vacantium ſæpe ſibi decerperent, legatiſque ſuis in ANGLIAM, itineris ſumptus ANGLIAE eccleſias ſuppeditare cogerent, exteris ſacerdotia, præbendas, cœnobiorum Præfecturas, Epiſcopatus & Archiepiſcopatus donarent; ſed & ijs ſæpe donarent, qui non ſolum pietate & doctrina, quæ tantis muneribus reſponderent, deſtituerentur, ſed & à ſuis ſemper functionibus abeſſent. Conceſſeratque CLEMENS *ſextus* duobus Cardinalibus, è quibus alter fuit *Peragorſius*, ſupra decem millia marcarum, annuatim ex redditibus eccleſiaſticis ANGLIAE redigenda. Id Regi & regni Proceribus, populóque oppidò quam diſplicuit. Renouatumque eſt anno decimoſeptimo EDOVARDI, communibus Parliamenti ſuffragijs, decretum Parliamenti, quod trigeſimo quinto anno EDOVARDI *primi* contra huiuſmodi, vt appellant, prouiſiones & reſeruationes editum antea erat. Miſſæque ſunt ab ampliſſimis totius regni comitijs literæ ad CLEMENTEM, in quibus, etſi cum omni verborum honore, animique demiſſione ſummam illius in eccleſiaſtica adminiſtratione amplitudinem agnoſcerent, rogarunt tamen vt deinceps ab huiuſmodi reſeruationibus, prouiſionibus, & collationibus, quibus & ipſe, & alij quidam ante eum *Romani* Pontifices, nuper ſolito immoderatius vſi fuiſſent, pro ſua pietate temperaret. Fuiſſe iam olim à maioribus ſuis eccleſiam *Anglicanam* aiebant, magnificè & ample Epiſcopatibus, Archiepiſcopatibus, cœnobijs, ſacerdotijs, alijſque eccleſiaſticis poſſeſſionibus, dignitatibus annuiſque redditibus, atque priuilegijs, & prærogatiuis inſtructam & ornatam; vt ſacerdotes Dei in nocturnas, diurnaſque perpetuò, accuratéque preces, tam pro ſalute animarum illorum defunctorum, à quibus hæc tanta beneficia in Clerum manarant, quam totius populi *Anglicani*, eorumque præſertim, qui ad peculiarem eorum curam & ſolicitudinem, per ſingulas parochias pertineant, incumberent. vt ad ſacras omnes functiones, ad ſacramenta, ad auguſta ſacrificia populo exhibenda, ad ſacras conciones, ad animas hominum ſacra exomologeſi expiandas, ad omnem denique diuinam laudem liberi, & ſoluti iam à quotidiana victus conquirendi cura & ſolicitudine, parati & expediti forent. Vtque parochianis ſuis tenuioribus, alijſque quos

Polich li 7 c.44. Tho. walſ 1343. Tho. Walſ 1343 Ex archiuis regis & ex ſtatutis impreſſis ann 25. Edouard. 3.

rerum inopia & angustiæ afflictarent, ex ecclesiæ patrimonio, quo sine sudore abundarent, pie & liberaliter succurrerent, vtque templa & alia ecclesiastica ædificia, sarta tecta, atque integra conseruarent. Hæc autem omnia tam præclara, & necessaria christiano populo officia valde imminui, & labefactari, imo sæpius extingui, euerti, & obrui ex his inusitatis & extraordinarijs ecclesiarum donationibus; cum præsertim exteris, idque tam multis conferantur, qui neque resideant in ANGLIA, neque si residerent, cum rudes sint linguę & morum populi *Anglicani*, officio suo, & parochianorum (quorum saluti nulla idonea cura impenderetur) expectationi satisfacere possint.

ACCEDERE ad indignitatis cumulum, quod huiusmodi sacerdotia, ad Regis & regni hostes transferebantur, quodque multi pij & docti viri ex indigenis, propter ita occupatas ab exteris ecclesię possessiones, summa inopia conficerentur, & literarũ studia frigerent, animique ANGLORVM ad ea capessenda valde debilitarentur, & frangerentur, cum viderent iustum suum doctrinæ, & pietati deesse fructum, atque honorem. Hinc fieri, vt & quibus donatio facta est, & patroni, qui sacerdotia contulere, idoneis hominibus iure suo excidant. Hinc etiam cum Pontifex omnia suo arbitrio sacerdotia conferat, eorúmque adeo primitijs fruatur, amplam ex ANGLIA, ad summum reipub. detrimentum, & contra voluntatem eorum à quibus hæc tam opima ecclesię dos olim ad Clerum profecta est, exportari. Hunc denique exitum hanc rem habere posse, vt si ita pergant Pontifices, nullum fere sacerdotium relinquatur, quod exteris non cedat. Rogare itaque se, quanta in ipsos cadere posset animi demissione, qua ad pedũ ipsius oscula prompti & parati erant, vt pro sapientiæ suæ luce, qua pro dignitatis suæ magnitudine totam ecclesiã, velut sol quidam illuminare & illustrare deberet, pro illa amplitudine, qua illum Deus in ecclesia, vt illius principem & caput ornauit, pro sua in Deum & Dei ecclesiam pietate; vt æquis & propitijs auribus hanc ipsorum postulationem excipiat, oportunúmque his tantis malis, quæ vlterius dissimulare non possent, remedium primo quoque tempore adhiberet. Et hæc quidem nos ex illis literis, & ex Parliamenti decreto decerpsimus. Sequenti vero anno, qui fuit duodeuigesimus regni *Edouardiani*, vigesimo deinde & vigesimo quinto annis solicitius in Parliamento actum est de hac re; cautumque vt perpetuis vinculis aut exilio mulctarentur, qui aliquod ecclesiasticum beneficium in ANGLIA, ex Pontificis donatione consequerentur, aut huiusmodi literas in ANGLIAM importarent.

CAVTVM vt nisi Archiepiscopi, Episcopi, cœnobia & reliqui ex Clero, ad quos patronatus sacerdotij, aut dignitatis per Papam collatorũ spectaret, intra quatuor menses designent aliquem, qui curam huiusmodi sacerdotij vacantis capessat; totum illud designandi ius ad Regem deuolueretur: cautúmque quod si quis Episcopatum donatum recusaret amplecti, nisi ex donatione illa pontificia, possessionibus Episcopatui attributis, nisi Regis gratia & venia interueniente, priuaretur. Data est etiam Regi facultas, ea sacerdotia, dignitatesque conferendi, quibus peregrini homines, in ditione inimicorum suorum moram trahentes, fruebantur. Constituti sunt qui ad portas maritimas excubarent, & transmissuros diligenter excuterent. Et si quis forte huiusmodi diploma, aut alias quascunque literas à *Romana* curia deferret, eas Cancellario, aut præfecto portuum, sub omnium bonorum iactura exhiberet. Cautum præterea, vt donatio *Papæ* de *Eboracensi* Decanatu, deque duabus millibus marcarum soluendis duobus Cardinalibus ex prouincia *Cantuariensi*, & *Eboracensi* retinderetur: neue quisquam conduceret quicquam à monacho aliquo exteto, aut bona huiusmodi hominum emeret; neue Cardinalium & aliorum *Papæ* nunciorum, qui pacis conciliandæ gratia in ANGLIAM venirent, sumptus per Clerum reficerentur, Et hæc quidem ita, CLEMENTE adhuc superstite sancita. Debilitato vero, & variis prœlijs perculso, & fracto *Galliæ* Rege *Philippo*, induciæ tandem, CLEMENTE accuratam ad hanc rem operam ponente, ad annum pactæ sunt. Atque hæc in his regni comitijs decreta, quæ tamen, vt postea dicemus, non valde accurate obseruabantur. In CLEMENTIS locum ascitus est INNOCENTIVS *sextus*. Is solicite egit cum EDOVARDO per literas de *Carolo Blesensi Britannię* Duce, qui paulo ante per regios milites captus, in EDOVARDI potestatem venerat, honestis conditionibus dimittendo. Quam rem & SIMON *Islepius* à pontifice per literas admonitus diligenter egit. Qui & postea dimissus est.

Tho. Walsing. Polid. li. 19.

In archiuis sine registro Simonis Islepij

INNOCENTIVS autem cum non mediocri dolore cumularetur, ob istam tam pernitiosam rebus christianis *Galli* & ANGLI discordiam, diligenter cum EDOVARDO egit, vt tandem tam exitiales inimicitiæ, idoneis aliquibus rationibus ponerentur. EDOVARDVS quidem

quidem *Lancastriæ* Ducem HENRICVM (qui primus huius honoris insignibus paulo ante ornatus erat) cum GVLIELMO *Nordouicensi* Episcopo, *Richardo* Comite *Arundelliæ*, & alijs, *Auenionem* ad pontificem eius rei gratia tranmittit. Quo & *Ioannis Galliæ* Regis legati concurrunt. Et iam antea inter se Reges de tota re transegerant, transactionique robur iuramento vtrinque reddiderant (quod quidam tradunt) sed transactionem non consignarant. Quæ eo recidebat, vt EDOVARDVS *Aquitaniæ*, ex summo *Galli* consensu, principatu frueretur; ipse vero rursus nihil sibi deinceps iuris atque potestatis, in *Franciæ* regno attribueret, aut vendicaret. Re ad pontificem relata, etiam ab hac ipsa concordia, nescio qua inferni Erynne tanto bono inuidente, nouasque odiorum faces accendente, recessum est. Nostri culpam in *Gallum* reijciunt, Contrahit itaque postea quantas maximas potuit *Ioannes* copias, quas EDOVARDVS Princeps insigni, vt diximus, ob omni memoria clade, ad quartum lapidem ab vrbe *Pictonum* cæcidit, Regemque ipsum captum in ANGLIAM abduxit. Aduolant postea in ANGLIAM duo Cardinales, *Taliarandus*, & *Nicolaus*, qui INNOCENTII nomine omnem adhibuere diligentiam, vt in aliquam & certam pacem vtrinque coiretur: quique pontificis nomine hortabantur EDOVARDVM, vt humaniter, benigne, & moderatè tanta victoria, & Rege, quem captum habebat, vteretur. Ex ea moderatione non minorem, at maiorem potius, quam ex ipsa victoria, laudis & gloriæ accessionem futuram. Quæ etsi præclarè gesserat, fortunæ tamen & temporibus, magna ex parte forsan á quibusdam tribuerentur. Hanc omnem clementiæ & humanitatis laudem sibi solus decerperet, in qua nullam partem haberet fortuna. Meminisset nihil humani a se alienum, & quantus esset rerum humanarum Euripus. Complecteretur itaque hanc, quam omnium maximam habebat, solidæ laudis & gloriæ facultatem.

Th. VValf. 1353

Th. VValf. 1354 & continuatio ad Ad. Merim.

Th VValf. Fros. & alij 1356. Th. VValf & dicta contin. huc Add. ad Merim.

LEGATI totum biennium in eam causam, in ANGLIA impenderunt. Adfuit & tertius Cardinalis, sed is officij tantum gratia, vt *Ioannem* Regem inuiseret, aduenerat. Hæc autem omnis mora nullam certam & solidam pacem, sed biennij tantum inducias peperit. Imo in apertum, & acerrimum postea res bellum prorupit. Sed post sex demum à capto *Ioanne* annos, stabilis & firma pax, certis conditionibus, quas qui velit, ab alijs haurire poterit, inter Reges coijt, & *Ioannes* domum honorate remissus. IOANNES (quem *Gandauensem* appellant, quod *Gandaui* natus est) filius EDOVARDI, & Comes *Richemundiæ*, *Blanciam* HENRICI Ducis *Lancastriæ* filiam in vxorem sibi gratia INNOCENTII, propter cognationis obstaculum, præeunte, asciuit. HENRICO paulo post animam exhalante, ratione aduentitiæ vxoris dotis, quæ HENRICI heres erat, *Lancastriæ* Ducatum adipiscitur, Quo etiam anno EDOVARDVS CAMBRIAE Princeps, ex eiusdem Pontificis indulgentia, matrimonio IOANNAE, *Thomæ Holandio* militi iam demortuo quondam nuptæ, copulatur. Intercesserat enim inter eos non solùm ex cognatione, qua tertio & secundo gradu coniungebantur, & sed & propter spiritualem, vt appellant, cognationem ecclesiasticum impedimentum. Quod ille omne, quod hæc gratia in bonum publicum cessura videretur, suo diplomate sustulit. Iuncta fuit IOANNA aliquandiu in matrimonio *Gulielmo* Comiti *Sarum*. Sed *Thomas* litem illi in *Romana* curia intendit, & tandem sententia lata, illud cum *Gulielmo* matrimonium rescidit, sibique IOANNAM adiunxit. Comes vero ad alias nuptias conuolauit.

Polid. lib. 19.

Th VValf. 1358

Th. VValf 1360 & 1361 Add Polich. l. 7. c 46 Polid & alij. Th VValf. 13,9, & 1361.

Ex archiuis sine registro Simon. Ispeij

Th VValf. 1361

NIHIL vero INNOCENTIVM decreta illa parliamenti remorata sunt, quo minus & procurationes, quas vocant, sumptusque itineris *Tarliarandi* ac *Nicolai* à Clero *Anglicano* exigeret, quos & ille exoluit; & non modo sacerdotia & minores dignitates, sed & Episcopatus, ex prouisione, & reseruatione, vt vsurpatis vocibus vtar, largiretur: *Elienſem* videlicet, *Lichfeldenſem*, *Cicestrenſem*, *Assauenſem*, *Landauenſem*, & *Meneuenſem*. Qui, cum hostes ipsius magnam partem patrimonij sedis *Romanæ* occupassent, sedisque suæ, partim in illis possessionibus recuperandis, partim in profligandis hostibus, thesaurum exhausisset; rogassetque *Anglicanum* Clerum, vt rei *Romanæ* laboranti subsidio sua liberalitate veniret, decimam Clerus ei largitus est: ex qua, summa ad centum florenorum milia redacta illi transmissa est. Extantque eius ad Episcopos & Clerum literæ, quibus gratias, ob acceptum beneficium, accurate egit. Diximus iam ante de pio Rege EDOVARDO, qui GVLIELMVM illum *Normannum* proximo loco, semoto *Haraldo*, præcessit. Cuius cum hoc tempore miracula in ANGLIA percrebescerent, instituit INNOCENTIVS festum diem, quem eius nomini consecrauit. Et hæc quidem de INNOCENTIO. In cuius locum VRBANVS *quintus* subditur. Exitiales illæ inter ANGLVM & *Francum*, quæ ad multos in futurum annos recenti fœdere oppressæ videbantur, cum ex nouis,

Ex archiuis sine registro Simon. Ispeij.

nouis, vt fit, causis, quas *Angli* historici in *Gallum*, *Gallia* rursus in ANGLVM regerunt, (de qua re non est necesse, neque forsan ita facile nos hic interponere, vt non habitura sit nostra sententiam obtrectationem) dimicationes rursus erupere. Nemo de tanta discordia rursus aut obruenda, aut mitiganda, VRBANO fuit solicitior, sed omnis legatorum illius labor in nihilum, nulla re confecta, recidit. *Auenionem* venit, vt in *Gallia Francum*, & in *Flandrea*, quo cogitabat, ANGLVM conueniret, & præsens omnes rationes stabilis, & solidæ alicuius concordiæ conciliandæ, tentaret. Sed mors, quæ paulo post eum oppressit, pias has hominis cogitationes dissipauit, & frustrata est, Cumque & ipse Pontifex solitis reseruationibus, prouisionibus, & translationibus vteretur, quibus & SIMONI *Langamo, Istepio* defuncto. *Cantuariensem* Archiepiscopatum, & præterea *Londinensem. Elien-* 10
sem, *Wigornien sem*, *Bathonien sem & Wellen sem*, *Nordouicen sem*, *Herforden sem* & *Exonien sem* Episcopatus largiretur; & priora contra huiusmodi donationes Parliamenti decreta renouata sunt, & etiam alia recens addita: sanctioque illa inter alias, quæ vigesimo septimo anno edita est aduersus eos, qui ad *Romanam* sedem causam aliquam referrent, quæ ad Regis domi tribunal spectaret.

Polid. lib. 19.

Tho VValsi. & contin. ad Ad Mer. 1370. Ad. ad Polych. li 7. c. 40

Tho VValsi. & cont. Ad Mer. 1360. 38. & 1366. Polich lib 7. ca 40. & 47 Anno 38. vt ex archiuis patet & statut impr. Vt patet ead. an. in statut. impr.

SED nulla res magis Regem & Proceres solicitos tenuit, quam quod audierant Pontificem decreuisse Regem *Romani* euocare, ob fidem & pensionem non præstitam, ad quam se & successores suos IOANNES Rex maximis, si cessatum esset, pœnis adiectis astrinxerat. De qua re cum *Elien sis* Episcopus Regis Cancellarius, in maximis regni comitijs retulisset, summo omnium consensu responsum est; à sponsione illa IOANNIS, quæ pri- 20
uatim profecta esset, Regem liberum & solutum: & si quid ea in re Pontifex tentaret, omnibus viribus reniti velle, & se opponere. [a] Sunt qui tradunt, mandasse Regem ne *denarii* PETRI, quos vocant, *Romano* Pontifici soluerentur. Quod mihi adhuc liquido non est compertum. [b] GREGORIVS *Vndecimus*, qui VRBANO successit, vt susceptas decessoris suis cogitationes perficeret, diligenter per varias legationes egit, vt concordiam tam misere conuulsam refarciret: sed nihil aliud peperere, quam vnius anni inducias. Multiplices vero reciprocæ, & diuturnæ (quippe quæ totum biennium exhauriebant; & honoratæ legationes nec de Regum solummodo reconciliatione, sed & de veteri illa inter ANGLVM & Pontificem, ob prouisiones controuersia, iam institutæ sunt. Profectus est in *Flandriam*, pa- 30
cis conciliandę gratia, *Brugas* IOANNES *Lancastriæ* Dux, cum SIMONE *Sudburio Londinen-*
si Episcopo, mox *Cantuariam* translato, & alijs Proceribus, magnifico & amplo apparatu, numerosaque familia. Controuersiam vero illam de prouisionibus, *Bangorien sis* Episcopus ordinis prædicatorij, *Vtredus* theologiæ professor ac monachus *Dunelmen sis*, *Ioannes Schepperus* iuris ciuilis professor, cum *Gulielmo Burrono* milite, legati Regis ad Pontificem potissimum vrgebant. Postulabant ne se deinceps Pontifex in huiusmodi designationibus immisceret: vt liceret, de veteri more, collegijs & cathedralibus ecclesijs, cœnobijsque suos præsides sine aliqua interpellatione, nulloque obiecto impedimento, optare: vtque huiusmodi Episcopi à suis Metropolitanis confirmarentur. Distulit Pontifex certum responsum, sed remisit eos in ANGLIAM cum literis, per quas postulabat, vt adcerta capita, quæ his literis complexus erat, Rex & Proceres responsa darent, tum denique & se sententiam suam expediturum. 40

[a] *Fab. 1369. alligat Polic sed author ille non pertingit ad annum & accessio I ali chrony quam mihi hactenus videre contigit, nihil huiusmodi habet, nec Tho. VValsi nec continuatio Addit. Merem.*

[b] *Tho VValsi 1371. 1372. 1373 & 1376 Add ad Polichr li 7 ca 8 & 40 & cont. Ad. Mer. 1375.*

COEVNT interim Rex & Proceres ANGLIAE ad Comitia. Per quæ sancitum, futuras impostetum cathedralibus ecclesijs liberas, & integras suorum pastorum optiones; quibus Rex iuramento promisit adeo se non interces surum. vt omnibus potius viribus eas adiuuaret, & proueheret. Sed ficulneum & fragile fuit istud decretum, & in ipso, vt ita dicam, partu & quasi in herba virenti, vt postea dicemus, suffocatum. Pendente hac deliberatione cum Pontifice, *Eboracen si*, *Elien si*, & *Wigornien si* sedibus vacantibus, Pontifex de pastoribus prouidit & prospexit. Quæ eo tandem post biennium apud *Brugas* exijt, vt Pontifex se deinceps ab huiusmodi prouisionibus abstenturum promitteret. Sumptus vero, quos prolixos & amplissimos, Pontificis in tam varia & diuturna legatione nuncij, siue qui in *Franciam* & *Flandriam*: siue in ANGLIAM tam ob concordiam Regum refarciendum, quàm ob illam 50
EDOVARDI cum Pontifice controuersiam, fecere; *Anglicanus* Clerus suppeditauit. Prouisiones vero illæ sensim ab ANGLIA prorsus exclusæ sunt, propter legum aduersus eos, qui illarum beneficio vterentur, seueritatem & immanitatem. Et pedetentim nihilominus omnem, in huiusmodi Episcoporum optionibus, collegij suffragationem, regia authoritas suo arbitrio gubernabat; vt adumbrata potius electionis species & nomen inane, quàm constans vlla & solida electio deinceps vsurparetur. Nunquam vero

maio-

maioribus in Parliamento disceptationibus & contentionibus, contra commemoratas prouisiones actum est; neque pæne magis ingraueſcebant, quam hoc pontifice ſedente ad *Romanæ* eccleſiæ clauum, & eo anno, quo EDOVARDVS obijt, & qui obitum eius anteceſsit.

IN hoc conſeſſu Procerum & aliorum, cum alia, de quibus diximus, incommoda, quæ ex huiuſmodi prouiſionibus collationibuſque orirentur; tum & multa alia ad maiorem cumulum recenſentur. Corraſiſſe videlicet Pontificem ex vno aliquando Epiſcopatu, partim ex obitu, partim ex tranſlatione Epiſcoporum, non ſolum triplicatos & quadruplicatos, ſed & quintuplices redditus: Reſidere *Romæ* Cardinales & alios exteros, quorum alius *Eboracenſi*, alius *Sarisburienſi*, alius *Lincolnienſi* Decanatu, alius *Cantuarienſi*, alius *Eboracenſi* Archidiaconatu, alius præbenda *Tamenſi*, alius *Bakingamienſi*, alius alia dignitate ornaretur. Ad quos quotannis viginti millia marcarum, nec minus per quæſtorem ipſius ad ipſum Pontificem transferrentur. Et eo ipſo anno (videlicet milleſimo trecentesimo ſeptuageſimo ſexto) Pontificem omnium ſacerdotiorum primitias ſibi vſurpaſſe, creaſſéque eo anno Pontificem duodecim Cardinales, quorum iam numerus ad triginta peruenirent, qui duodecimum ſuperioribus temporibus excedere non ſolebant. Atque hos, duobus aut tribus ſemotis, vniuerſos infeſtos eſſe Regi, & illius hoſtes. Eſſe denique immoderatam & inexhauſtam hanc Pontificis cupiditatem, totius regni *Anglicani* perniciem & peſtem. Obuiam itaque eundum his tantis malis, aqua & igne illi interdicendum, qui prouiſionis deinceps pontificiæ beneficio vteretur; & remittendas ad Pontificem partim à Rege, partim à Proceribus literas, quibus interpelletur vt hanc rem ad ſuam diligenter curam, iuſtamque emendationem reuocet. Obſoleuit deinceps ſenſim pontificia his in rebus, vt dixi, poteſtas, nec tamen in ceteris emendatio iuſta ſequuta eſt; cum Reges ad ſe deſignationes paſtorum traherent, quos poſtea *Romanus* Pontifex confirmaret, comitiaque ſuffragatorum ſuo quaſi nutu, vt diximus, regerent. Cuius rei non mediocris culpa apud eccleſiaſticos homines (veteratores illos quidem, & in Aula detritos, alioſque ambitioſiores homines, qui ex gratia regia faciliorem ſibi ad huiuſmodi honores aditum, quàm ex collegarum ſuffragatione, aut meritis patere exiſtimabant; ideoque Principes ad antiquum illum comitiorũ morem conuellendũ, ſuasque, partes interponendum ſolicitabant) reſidere credebatur.

An. 1376. & 1377. ex Archiuis.

De Rege RICHARDO ſecundo, *deque ingenti concitatione & ſeditione ſeruorum & ruſticorum.*

CAPVT VI.

DEFVNCTO EDOVARDO, rerum gubernaculis admouetur RICHARDVS, ex EDOVARDO, maiore natu filio, nepos, vndecim annorum puer. Quem, poſt obitum patris, auus Principem CAMBRIAE (qui principatus eum ſolum reſpicit, qui proximum ſucceſſionis locum occupat) Comitémque *Ceſtriæ & Cornubiæ* prius deſignarat: ſolemnique, de more, cæremonia à SIMONE *Cantuarienſi Weſtmonaſterij* diademate inſignitur. Per quem vſurpato illo, & à maioribus per manus ducto iuramento aſtringitur, de fide, deque pace, libertatibus & prærogatiuis eccleſiæ illibatis, atque integris conſeruandis. Proxime, quod leges & ſanctiones regni, diui præſertim EDOVARDI accurate tueretur, noxias & reipub. peſtiferas antiquandas curaret. Tertio loco, ne gratia aut odio, ſed ex legum & æquitatis præſcripto ſententias diceret, ad lenitatem & benignitatem, cum res ſeueritatem legum temperandam, & molliendam poſtularet, propenſior. Hinc liquido apparet, ANGLOS ſemper in eorum ſententiam & conſuetudinẽ inclinaſſe, qui potiores ſucceſſionis partes nepoti, quàm patruo deferunt. Quæ controuerſia, apud iuris ciuilis peritos non videtur ſatis expedita; & cum magna ſæpe ſententiarũ & iudiciorũ varietate rem non diſceptatione, ſed decertatione; non ſcriptis, ſed armorum legibus terminatã: & pro nepote ſemper fuiſſe expeditiorem & feliciorem dimicationem. Ad quem præ patruo ornandũ, frequentia etiam ſcribentium iudicia concurrunt. Sed, vt dixi, explorati hæc res apud ANGLOS iuris habebatur, alioqui neque EDOVARDVS tantum feciſſet filijs ſuis præiudiciũ, neque illi, LIONELLVS, inquam, CLARENTIAE, IOANNES *Lancaſtriæ*, EDMVNDVS *Eboraci*, THOMAS *Gloceſtriæ* Duces, homines iuſtę ętatis, ſummiſque opibus, gratia, authoritate amplificati, quietis animis hanc, idque adeo à puero, repulſam; multóque certe poſtea minus *Lancaſtrius, Eboracenſis & Gloceſtrenſis*,

Tho. Walſ. 1376 Quam late deſcribit Vr. alſ. an. 1377.

Vide Barrgo Alard. l.

racenses, à femina, PHILIPPA inquã LEONELLI fratris filia tulissent. Cuius maritus EDOVARDVS *Mortimerus* Comes *Walliæ Marchiæ*, per summa totius regni comitia heres, si absque liberis, quibus tum destituebatur, obiret RICHARDVS, vxoris beneficio designatus est.

Knyght. lib. 2o.

SED iam antea diximus RICHARDVM *primum*, cum & is liberis careret, hoc decus, & omne suum iudicium in ARTHVRVM, GAVFREDI fratris filium, potius quam in IOANNEM fratrem, qui superstes erat, contulisse. Successionem itaque nepotis fixi admodum, & firmi fuisse apud ANGLOS iuris, facilè liquet, cum per hos tot & tantos Heroës, de interuersa & prærepta sibi successione, nullam seditionem, nullos motus (mitto seditionem & motus) sed ne querelam aut murmur interuenisse, vllis ex literis aut veteribus monumentis, vlla vnquam auditione † cognouerim: cum tamen grauissimæ coitiones contra RICHARDVM alias ob causas, vt dicemus, à patruis intercesserint. Qui cum dati fuissent, Procerum consensu, illi tutores, vt eorum potissimum consilio, & prudentia infirma illius ætas regeretur, & grauiora regni negotia procurarentur, paulatim ille post paucos annos, illam omnem tutelam & curationem excutere, & aditum gratiæ suæ alijs aperire, iuuenum, deprauatorumque hominum consilijs, & suasionibus magis & magis locum, vt olim Rex ROBOAM, dare cœpit; donec eosdem, quos ille olim, acerbissimos tantæ leuitatis & temeritatis fructus, & ne tam longe temporibus & locis disiuncta repetam, quos proauus EDOVARDVS eadem etiam ex causa meteret. Et mihi quidem pressius in hanc cogitationem incumbenti, cum ex hac tam tristi & funesta duorum Regum abdicatione, & fato; cum alijs ex causis, ANGLIA valde hoc sæculo depressa & infamata, vt vix vnquam alias pari annorum spacio, videtur. Et preter cetera seruorum illa, atque rusticorum contra Regem, & Principes, & Dominos suos; Principum deinde contra eundem Regem, Principum denique quorundam, & infinitæ populi multitudinis contra fidem catholicam, nefaria coitione nobilitata est. De posterioribus suo postea loco. De illa priore vberiorem narrationem, quia rei magnitudo, cohærentis etiam cum nostro proposito, id desiderare videtur; & quia nullis, aut nimis tenuiter atque exiliter latinis monumentis (typis excusis, in quæ adhuc inciderim) præscripta est, iam contexemus. Sed vt omnia lectori sint apertiora & clariora, vtque certius ipsam tanti mali originem, non satis à quibusdam accuratè traditam, intueatur, res nobis aliquanto altius repetenda est.

† *al. cognouerim.*

SVNT itaque in ANGLIA homines quidam, nec exiguo quidem vel hodie numero (quorum hoc sæculo, multo fuit sane numerosior multitudo) qui serui sunt quidem, qui licet haud proprie inter eos, proxime tamen referuntur. Nec differre quidem videtur seruorum conditio ab ea, quam iure ciuili sortiuntur, hactenus saltem, vt remota cæde & immoderatis plagis, & corpora, & bona, atque possessiones eorum, ex legum præscripto, sint in potestate atque arbitrio Domini, nullamque actionem seruus aduersus Dominum intendere possit, quam non ille mox seruitutis exceptione eluserit, atque eliserit. Alij licet non sint serui, quam proximè tamen vt dixi ad eos accedunt. Hi, inquam, qui astringuntur ad rusticam dominorum operam subeundam, terram eorum aratro subigendo, segetem metendo, colligendo, & in horrea Dominorum deportando. Quam itidem operam in fœno & lignis excidendis, & ad Dominorum domos deferendis, & quidam etiam triturando ponunt. Hoc vero interest inter hos & superiores, quod illi transfundunt suam omnem conditionem & seruitutem in liberos: & illi etiam in infinitum in reliquam sobolem, nisi manumissione interueniente, propagant. Isti etiam hanc operarum seruitutem ad successores transmittunt: cetera ipsi, & liberi ipsorum, sui per omnia iuris. Etsi vero in his, qui propriè serui sunt, in ceteris fere cum ciuili & canonico iure congruant nostræ leges & consuetudines, seruitutem tamen non metimur à matre, sed à patre. Ventrem enim non sequitur partus. Tota res pendet à patre, qui si liber sit, nihil obstat partui conditio matris seruæ: sin alter seruus, licet mater libera, partus apud nos (qua in re & alias olim gentes, ab ecclesiastico & ciuili iure recessisse proditur) in seruitutem redigetur. Ab hoc potissimum hominum genere, hæc tanta & tam periculosa seditio conflata est, dum se in libertatem vindicare & asserere, eamque, vel inuitis regni Proceribus, & Dominis, extorquere conantur. Illi vero prioris generis serui, etsi nullibi fere tam acerbè & asperè præsertim apud ecclesiasticos, qui huiusmodi hominibus abundabant (eoque magis, quod alienare huiusmodi mancipia ex fundatorum, vt appellant, & patronorum scitis, multis in locis prohiberentur) atque legum seueritas patiebatur, tractarentur, excutere tamen iugum quauis occasione, cruentaque ratione moliuntur.

Quales sunt iura Ciuili colonis adscripticij de quibus C. de agricolis & censitis lib. 11.

Glosa. de lectius de seruis ordin.

INCIDIT hæc seditio, ob hanc, quam dixi, causam, in quartum RICHARDI annum. Non ignoro

ignoro hanc causam non satis quibusdam probari, malúntque profectam à tributo, quod paulo ante indictum erat. Indixit ille quidem & hoc, & alia sæpè tributa, ob quæ in maximam populi offensionem incurrebat: sed hoc genus tributi, non hoc certe primum tempore. Anno enim qui præcesserat, habita sunt Procerum & populi *Londini* comitia, vbi sancitum vt quilibet Dux, & Archiepiscopus viginti; Episcopi, Comites, & Abbates sex marcas (nullo discrimine inter opulentiora & tenuiora cœnobia, cum pro singulis monachis singuli solidi soluebantur, adhibito) penderent. Ceteri tam ex Clero quam ex laicis, certam pro facultatibus, & possessionibus summam; & quiuis præterea ex omni populo, ordine, & sexu, qui decimum quartum aut, vt alij, decimum sextum annum excesserant, singulos solidos, remotis fratribus ex quatuor illis *Augustinensium*, *Dominicanorum*, *Franciscanorum*, & *Carmelitarum* familijs, nouo exemplo exoluere. Hoc deinde anno, id est proximo, in *Londinensi* Parliamento, à Clero decima, à laicis quintadecima donata est, hac tamen exceptione, & conditione, ne nouo Parliamento, aut nouis exactionibus intra vnum annum populus premeretur. Sed ab hac conditione recessum est tamen. Nondum enim tempore illo vertente, noua apud *Northamptoniam* comitia coëunt, populus nouum tributum confert, & duodecim illi rursus denarij per capita etiam tenuissimorum, non sine diris passim postea execrationibus exprimuntur. Sed non reperio apud illius sæculi, aut proximos scriptores, seruos (quos hæc res parum tangebat, sed eorum potius dominos) aut rusticos ob hunc prætextum coijsse. Quos & ante hoc, & etiam illud prioris anni tributum, seditiones alicubi, licet non tam atroces vt Dominorum iugum, & illa alia, de quibus diximus, onera excuterent, excitasse; ex certis & expeditis probationibus constat. Peperit certe magnas animorum vbique offensiones hoc tributum, & accessio forsan fuit aliqua; præcipuus tamen scopus, quo seditiosi isti collimabant fuit ille, quem diximus: quod & publica regni monumenta, & amplissimorum postea comitiorum sanctiones, & eius proximique sæculi scriptores palam testantur. Sed sub hoc plausibili, & populari, speciosóque libertatis recuperandæ prætextu, præsentem pestem vniuersæ reip. simul machinabantur.

Tho. Walsingh. 1379 Addit ad Polich. eodem anno, & Fab. sed pro solidis subijcit grossos, id est, quatuor denarios.

Th. Walsingh. 1380. & Addit. Polich. eod an. Continuatio Ad. Meurm. 1379. & 1380.

Anno primo Rich. vt patet in statut. ca. 6. Statut an. 5. Rich. an. 5.

Sive igitur hoc portentum in *Essexia*, vt quidam, siue, vt alij prodidere, in *Cantia* natum est, rempub. certe *Anglicanam* cum Rege & Proceribus, tam ex laicorum quàm ex sacro ordine, alijsque; qui siue in Clero, siue inter laicos eminebant; omnémque simul catholicam religionem, nisi Deus quasi ἀπὸ τῆς μηχανῆς repentè subsidio, pro sua singulari benignitate venisset, & nefanda consilia auertisset, penitus euertisset, oppressisset, & obruisset. Neque enim simplex, sed multorum fuit & exitialium capitum horrenda, vt dicemus, hydra. Quemadmodum itaque seruitia olim *Romæ*, vt libertatem sibi vindicarent, vrbem incendere (quæ seditio in ipso ortu, ex quorundam consciorum indicijs oppressa est) & ita capitolium occupare cogitarunt; & postea in *Sicilia* quadraginta & amplius millium exercitu conflato, luculentius detrimentum insulæ, quam *Punico* cum *Romanis* bello acceptum est, dedere; vtque nostro sæculo, ingens rusticorum contra nobilitatem, in *Germannia* coitio facta est: ita & hæc, eandem ob causam, à seruis & rusticis, nec minus atrocibus & cruentis animis, licet minus insigni clade, concitata est. Primi quidem motus, vt vnus ex authoribus meis tradit, in *Essexia* excitati sunt, in minoribus primum pagis; deinde, vt fit, aliæ maiorésque quotidie, ex libertatis dulcedine, rerumque nouarum importuna cupiditate, accessiones additæ sunt. Mittunt deinde expeditos nuncios in alias regiones, ad *Cantianos* præsertim, adque societatem, plausibili libertatis & status reipub. deprauatæ, in meliorem restituendæ, & tributorum, quibus se nimis premi querebantur, excutiendorum prætextu inuitatos, facile pertrahunt. Quippe qui iam cò toti propendebant, scelerato præsertim quodam sacerdote, *Ioanne Baleo*, nefarijs suis hortationibus, & concionibus frigidam eis suffundente. De quo nos in *Vicelmiana* nostra historia fusius agemus.

Tho. Walsingh. Froissard.

Liuius dec. 1. l. 4

Lu. iun. Florus.

Tho. Walsingh.

Ingens itaque mox huiusmodi hominum in *Cantia* confluxit multitudo, viasque omnes obsidentes, cùm alios forte obuios, tum eos, qui frequentes *Cantuariam* voti causa, ad diui Thomae mausoleum conueniebant, sibi adiungebant; quos iuramento astringebant, ne cui, nisi Richardo Regi, & communitati (hoc enim nomine suam seditionem tegebant) parerent, & ante omnia cauerent, ne quenquam Ioannem vt Regem agnoscerent. Quod totum in inuidiam Ioannis *Lancastrij*, quem vatiniano quodã odio insectabantur, structum est; vel vt cum affectatæ dominationis notarent, vel quod se, ex matrimonio filiæ cum Petro Regis *Castiliæ* herede, Regem se *Castiliæ* diceret. Et si quos ex eis dimisissent, imperant vt cum accersérentur, armis instructi ad communitatem defendendam accurrerent.

Huius motus rumor facile longe latéque, præsertim per *Herfordiæ*, *Cantabrigiæ*, *Norfolciæ*, & *Suthfolciæ* Comitatus manauit, seruos, atque rusticos, alioſque leuioris notæ homines, ab ijs, & alijs regionibus, quæ longius abessent, cito ad hanc colluuiem pertraxit. *Cantiana*
Froſſard. illa colluuio, cuius princeps erat *Walterus Tilerus* (ita dictus quod lateribus conficiendis operam daret, *Tile* enim laterem apud nos significat) venit vnà cum *Ioanne Baleo Cantuariam*, bona spe ducti, quod SIMON *Cantuariensis* Archiepiscopus, & Regis Cancellarius in potestatem ipsorum veniret. Erant enim ega eum, *Baleus* præsertim (quem aliquando ob improbatam doctrinam, improbásque conciones in carcerem coniecerat) valde exacerbati. Qua spe frustrati, irrumpunt in ædes illius, & cubiculum, omniáque vastant, diripiunt, & spoliant. Et in hac direptione, his Archiepiscopo verbis insultabant. Ah! egregiam Cancellarius iste mercaturam fecit, qui tam amplas sibi opes corrasit. At enim inibimus cum eo propediem accuratiorem rationem, & ad viuum excutiemus omnem illius ratiocinationem, cogemusque exquisitam rationem de regni thesauro, qui ad eius manus peruenit, reddere.

POST Archiepiscopi, & templi D. THOMAE direptionem, recta *Londinum* petunt, certatim eiusdem farinæ hominibus ad eos confluentibus. In quo itinere, domus illorum, qui causis aut in ecclesiastico, aut in ciuili, regióque foro procurandis operam dabant, diripiunt, vastant, atque excidunt, multos supplicio afficiunt, *Ioannemque Moronium* Equitem, *Rossensis* castri præfectum, per vim secum abducunt. Eandemque vim & ceteris passim alij seditiosi nobilioribus, per *Essexiam*, *Suthsexiam*, *Staffordiam*, *Bedfordiam*, & *Warwicensem* Comitatum, *Lincolniam* vsque intentarunt, ad sua eos castra abripientes. Cumque iam ad montem *Blackheathium*, vt appellant, peruenissent, quinque circiter millibus passuum à *Londino* dissitum, iamque sexaginta, aut, vt quidam, ducenta ad ea castra, hominum mil-
Tho. Walſ. lia confluxissent, consultant inter se, ecquid sibi potissimum agendum iam foret. cumque putarent se propter multitudinem satis securos, nefaria illorum consilia erumpunt. Decernitur itaque, omnes iustitiæ præfectos; omnes qui in foro regio causas agerent; imo & qui iuri patriæ discendo animum, studiumque applicarent; & duodecim illos viros, à quorum fere sententijs, & iuramentis de more patriæ, causarum omnium tam ciuilium, quam capitalium expeditio iudiciumque penderet, omnes iuris domestici libros, publicaque omnium legum, arbitriorum, iudiciorum, sententiarum, quæ in publicis archiuis conseruabantur, monumenta, vt certa & grauia communis libertatis, ad quam aspirabant, impedimenta, è medio quam ocyssimè tollenda. Neque vero segnius postea hæc scelerata decreta
Froſſardus. exequebantur. Mittunt interim *Moronium* illum (cuius apud se liberos, vt reuersionis obsides retinebant) ad Regem. Flagitant cum eo de rebus, quæ ad summam reipub. (quæ iam per Patruos ipsius, & Clerum, *Cantuariensem* præsertim Archiepiscopum miserè euersa erat, à quo administrationis suæ rationem repetere se dicebant) pertinerent, colloquium.

DIFFICILIS, & anceps fuit apud Regem eius rei deliberatio, cum quidam postulationi illorum, propter temporum importunitatem obtemperandum dicerent, alij (è quibus
Tho. Walſ. *Cantuariensis*, qui erat Regi à thesauris, & *Robertus Halesius* hospitij D. *Ioannis*, siue militum *Rhodiorum* in ANGLIA Magister) Regem ab eo consilio reuocarent. Quæ res forsan
Froſſardus. cognita, seditiosorum aduersus eos odium magis incendit. Velle se tamen cum eis colloqui per *Moronium* significat; decemque illorum millia, ob eam causam, ad littus *Thamesis*, ad quem nauigio Rex venerat, accedunt. Quos Rex benigniùs & molliùs affatus, quid postularent rogauit. Illi vero orant vt in terram ad se descendat, tum demum se velle postulata populi in medium afferre. Quod cum consiliarij Regis tutum satis non putarent, Rex, naui auersa, reuertitur. Quæ eos reuersio in magnam bilem & furorem coniecit. Concurri-
Froſſardus. tur itaque mox *Londinum*, & cœnobia, domosque nobilium atque iurisprudentium, quæ forte occurrebant, euertunt; cumque peruenissent ad ciuitatis suburbana, carceribus effractis, facinorosos quosque emittunt. Oppidani interim portas aduersus eos claudunt. Quibus illi, nisi aperiantur, totius vrbis, & ciuium excidium, & incendium minitantur. Præfectus ciuitatis, cum alijs fere omnibus eiusdem primoribus, etsi Regi & reipub. studerent, his tamen angustijs pressi, neque ignari maximam quandam multitudinem intra ciuitatem inclusam (quorum triginta fuisse millia author meus testatur) summa affectione in seditiosos propendere; cumque audirent passim quorundam voces, aures ipsorum circumsonantes, Ecquid excludimus istos, qui nobis & reipub. optimè consultum cupiunt? aditum illis in ciui-

tatem

tatem aperuere. Intromissi (quia adhuc res suas tuto, & cupito loco constitutas non habebant) à diripiendis ciuibus sibi temperarunt, omne suum odium primo in *Lancastrium*, & Magistrum hospitij commemorati, & *Cantuariensem*, quos perduelles appellabant, effundentes. Ornatissimas *Lancastri* ædes apud *Sauoiam*, custodibus occisis, miserè incendunt.

Et ne rerum opumque illius cupiditate huc producti viderentur, religiosæ scilicet, & puræ mentis homines, edicto vetant ne quicquam ex eius supellectile à quoque interciperetur: eamque (quam instructissimam sanè, amplissimam, & ornatissimam habuit, stragulas vestes, pannosque auro argentóque fulgentes, arte precioque insignes) in frusta dilacerant, & di- *Tho. VValsi.*
uellunt. Aurea, argenteaque vasa, annulos, gemmas, minutatim conscindunt, atque in *Thamesin* & cloacas abijciunt. Celebre illud Hospitium cum templo, & publica in archiuis monumenta, igne immisso nefariè absumunt. *Flandros* & alios exteros, domibus eorum direptis, passim cædunt. Quibus nec templi religio, ad quod tanquam ad asylum fugerant, quicquam profuit, quin abrepti tredecim ab vno templo, & septemdecim ab altero, necidarentur. Fuit vero locuples quidam *Londini* mercator, *Richardus Lyonius*. Huic aliquando inseruierat *Walterus Tilerus*, quem ille, ob culpam aliquam admissam verberibus coërcuerat. Quod tam alte *Walteri* animo fixum manebat, vt caput ei iam nebulo abscideret; quod hastæ affixum ante se per vrbem obambulantem ferri iussit. Dispertierant iam copias suas in tres ciuitatis, & viciniæ regiones. Quarum altera montem propè turrim, vbi Rex cum consiliarijs manebat, altera locum illum prope ciuitatem, qui *Milesendium*, dicitur, occupauit. Illa commeatus regios sibi sæpe intercipiebat, & ingentibus, atque horrendis quibusdam clamoribus multum Regi molestiæ faciebat, colloquiumque Regis postulabat, diram aliqui & certam perniciem Regi, & reliquis omnibus minabatur. Cum ea res in deliberationem caderet, & alij cedendum tempori, ineundamque collocutionem, & molli oratione furorem improborum frangendum dicerent; alij virtute, & dextra rem tentandam, abundare Regem fexcentis viris rei bellicæ peritissimis & fortissimis, qui ipsius lateri in turri adhærerent; abundare ciuitatem ciuibus fidelibus, fortibus, bellicisque armis instructis, qui perduelles istos inermes noctu, cibo, potu, crapula, somnóque obrutos paruo negotio conficerent. Sed rex pronior fuit ad collocutionem cum eis. Ad quam deinde illi in turri, vt *Walsingamius*, apud *Milesendum*, vt *Froissardus* ait (qui etiam adijcit, reliquam partem interim in turrim irrupisse, & *Cantuariensem* atque Hospitij Magistrum inde abductos, capite mulctasse) adhibiti sunt. Nisi forte vtrobique Rex cum eis colloquium habuerit. *Froiss. & Tho. VValsi.* *Froissardus.* *Thom. VValsi.*

Vtcvnqve sit, constat apud omnes de *Cantuariensis* cæde, de qua plura, cum ad *Cantuariensium* Archiepiscoporum recensionem venietur, dicemus, *Walsingamius* tradit, rusticos hos illustres quosdam Regis milites contumeliosè habuisse, barbasque eorum manu sordida contrectasse; miratur quo antiqui illorum animi euanuerant, quorum vel vnus magnum istorum numerum, qui baculis tantum fere erant armati, obruere facilè potuisset. Penetrasse in Regis & Reginæ cubicula, ausósque quosdam etiam ad oscula Regis matrem prouocare. *Froissardus* addit, Regis vxoris caput comminuisse. Ingressi sunt vrbem illo die Iouis, qui Corpori Christi sacer est, post Pentecostes ferias. Quo die & sequenti, istas & alias tragœdias excitarunt. Rex vero veritus, ne omnia propediem in summum discrimen ruerent, nisi ocyus ista pestis ab vrbe depelleretur, cum postulata eorum ex colloquio cum ipsis inito intellexisset, ea, quoniam præsens temporis necessitas extorquere id videbatur, se illis daturum palam edixit. Quorum præcipuum caput fuit, vt Dominorum iugum excuterent. Mandauitque vt multitudo domum se reciperet, relictis ex vnoquoque pago duobus, aut tribus, qui regium diploma secum referrent; Adque maiorem illorum redeundo securitatem, regium suum vexillum, sub cuius tutela & patrocinio tuti pergerent, cuiusque Comitatus hominibus, vt *Essexianis*, *Kantianis*, *Bedfordianis*, *Suthsexianis*, *Staffordianis*, alijsque, vna cum omnium offensionum, & criminum aduersus se & rempub. admissorum, indulgentiam dedit. Hæc *Essexianis* alijsque, ijs præsertim, qui nihil aliud desiderabant, quam seruitutem, & onera illa grauiora excussa, bellè placebant. Ceterum per multa fuere aliorum millia, quorum *Tilerus*, cum *Ioanne Strawio*, & *Ioanne Baleo*, antesignanus fuit, qui atrociora quędam animo recondita habebant, quæ iam suis effuderunt. *Froiss. & VValsi.*

Designarat Rex die veneris triginta, qui expeditissimè scriberent, & promissa de manumissione, & indulgentia diplomata conficerent. Quibus *Essexiani* & alij acceptis, do-

mum reuertuntur. Sed illi, quos modo commemoraui, *Londini* triginta suorum millibus stipati, sequenti sabbato hærent, neque de diplomatibus illis solliciti erant. Cogitationem enim nefariã *Tilerus* & ceteri duces susceperunt, Regem, & ditiores ciuitatis è medio proxima nocte tollendi, vrbémque incendendi & diripiendi. Ad quod facinus suos, *Walterus* sedulo hortatus est. Dicebãtque se, si cessarent, nihil prius timere, quàm ne hoc tam amplum spoliandæ vrbis commodum alij, quos propediem ex omnibus alijs *Angliæ* remotissimis regionibus, à *Lincolnia*, ab *Eboraco*, imo & à *Dunelmo* aduolaturos iactitabat; sibi præriperent. Occuparent itaque, alios anteuertendo, tantæ laudis, decoris, & * præmij possessionem, ne sera eos potius tantæ negligentiæ & vecordiæ pœnitentia caperet. Cum itaque *Walterus* moras consultò necteret, & alius ex alio in diplomatibus illis causaretur, quod esset emendandum; Rex, vt valde sibi suspectum hominem citiùs ex vrbe extruderet, mittit ad eum *Ioannem Neutonium*, qui ad colloquium eum lenibus & blandis verbis inuitaret, diceréteque, Regem illius desiderio cumulatè per omnia satisfacturum. At ille liberum, & integrum sibi & suis, inter alia, ex regio diplomate esse voluit, vt liceret in omnes, qui iuris patriæ disciplinæ, studióque dediti erant, iustitiæque præfectos capitaliter debacchari. Omnes enim prorsus leges obruere cogitabat, vt omnia à suo solius insulso arbitrio penderent. Et pridie quidem, admota labijs manu, magna insolentia iactarat, fore intra quatuor dies, vt omnia ANGLIAE iura, & iudicia ab illis suis labijs proficiscerentur.

* al. imperij.

Tho. Walsi.

SABBATO vero illo, postquam Rex sacris missæ *Westmonasterij* mysterijs interfuisset, & apud sacellum quoddam propinquum ad imaginem quandam B. MARIAE Virginis, quæ multis miraculis edendis celebris erat, Beatæ se Virginis precibus commendasset; ad locum in ciuitatis suburbijs, quem *Smithfeldium* appellant, vbi *Walterus* cum viginti suorum millibus & vexillo regio, quod pridie à Rege accepit, constiterat, perrexit. Quo viso, En, inquit *Walterus*, Rex adest; vos locum ne deseratis; ego ibo collocutum cum Rege. Obteramus vero regios omnes, cum à me signum cædis dabitur; Regi propter ætatem, & vt eum nobiscum vbique circumferendo, illius prçsentia ad res nostras solidius constituendas, magisque amplificandas abutamur, parcentes. Conferet ille certe omnem suam voluntatem ad nostrum arbitrium, & hac ratione omnia leui negotio in nostram potestatem, & administrationem transferentur. Aduenerat tum fortè vestiarius quidam, qui seditiosis istis sexaginta diploides parasset, quarum precium à ducibus postulabat. Cui *Walterus*, Bone vir, inquit, sustine paululum, ne discedas à latere meo; antequam hic dies exeat, abundè tibi satisfiet: cumque altercatio forte quædam incidisset *Waltero* cum *Neutonio* illo, quod vanus & insolens homo indignaretur, *Neutonium* equo insidentem cum ipso colloqui, & perduellem appellaret, eductóque pugione mortem illi minaretur, aliáque intemperantius atque petulantius Rege præsente, diceret & faceret; *Walwortbus* ciuitatis præfectus iusta indignatione percitus, Rege non abnuente, subitò in nebulonem irruit, grauique ictu in caput impacto, ex equo deturbauit, qui mox confossus est. Quod seditiosi conspicati, in magnam rabiem acti expediunt se ad arma. Ibi vero Rex, admirabili pro ea ætate audacia, & tamen Dei benignitate, periculo magis quam vlla clade insigni, solus ad eos equo insidens pergit, eósque mitti oratione aggressus, Quid agis mi populer ecquid regem vestrum è medio auferre vultis? Quid tristitia atque dolore volmer, ob ducem vestrum amissum, conficitis? En ego me vobis ducem offero, sub meis solum auspicijs stipendia facietis. Ego vestris omnibus abundè postulatis, & desiderijs satisfaciam.

Froff Walsingh.

Froff Walf. Fab Pond. & quidam alij recentiores principem seditionis, qui Londini cæsus est à prætore, tradunt fuisse Io Straum Sed ego potius sequor, vt parcit, illorum temporum vetustiores scriptores Froffardum Gowerum & Tho. Walf.

HAC & reliqua Regis oratione, leniti & mitigati multorum animi, multorum tamen adhuc exulcerati erant, necdum plane apud se constituerant, vtrum sibi à Rege occidendo temperarent, necne. Sed cum rumoriam per ciuitatem de duce sublato, deque periculo Regis, & Præfecti ipsorum dispergeretur; selectissima mox subornantur subsidia: quorum accessio regiorum animos valde auxit, seditiorúmque non minus debilitauit; adeo quidem, vt abiectis armis, quisque alius aliò se proriperet. Et regij quidem lubentes eos oppressissent, sed Rex intercessit. Nondum enim maturum tempus existimabat; sed opportuniorem eius rei facultatem, & cum minori periculo coniunctã, post paucos dies datum sibi iri existimabat. Edictum vero mox promulgauit, vt quam ocyssimè domum abirent, habiturum enim se pro reipub. hoste, quicunque postridie oriente sole in ciuitate comprehensus esset. Atque ita exhausta sentina illa, ciuitas à metu liberata est. Atque has quidem turbas *Londini*, rabies istorum dedit. Hunc exitum suis sceleribus respondentem habuit graculus ille; graculum dico, aut quod *Walterum Watt* appellamus, vt & graculum quidam ex nostratibus appellant; aut quòd

quod vita illius cum graculi alijs conditionibus (quæ cum sit parua auis, nec canora, est tamen garrula & obstrepera) congrueret; & in quem vere illud quadraret, Graculo nihil cum fidibus Rex vero postea ciuitatis Præfectum, & quinque alios ex primarijs ciuibus, ob præclara illa tua in rempub. merita, equestris ordinis dignitate amplificauit. Et vt olim *Messanensis Siciliæ*, ob ereptum à periculo ARCHADIVM *Augustum* cruce alba; ita & *Londinensis* ciuitas, in huius beneficij memoriam, pugione pro insignibus vsa est. Sed dimisso *Waltero*, attexamus iam paucis quid alibi hoc ipso tempore, furiosi isti homines designarint, quibusque deinde illos passim supplicijs Rex affecerit. * Etsi vero similia fere facinora plurimis in locis edita sint, persequemur tamen potissimum, quæ ad diui ALBANI, & diui EDMVNDI cœnobia, & apud *Norfolcianos* acta sunt. Ex his enim & reliqua alijs in locis reputare, similémque fere rationem inire quis poterit.

* *Hæc vsque ad finem capitis, in vno exemplari desunt.*

De seditiosis apud Diuum ALBANVM *oppidum, & apud* Norfolciam *&* Suffolciam, *& de reliqua historia Regis* RICHARDI.

CAPVT VII.

COENOBIA huiusmodi, de quibus diximus, seruis valde his temporibus abundabant. Quibus mirifica illi detrimenta inferebant, vt se à seruitute excuterent, & monumenta, quibus ipsorum seruitus detegebatur, vel inuitis eriperent. Ita vero seditiosi se compararunt, vt authore quodam *Guielmo Grindecobio*, literas ipsi Regi ad *Albanensis* cœnobij Præfectum extorserint, quibus præcipiebat, vt diplomata & monumenta quædam Regum, quæ monachos olim intercepisse & interuertisse maioribus suis querebantur (quæ multa ipsis commoda, in pascuis & piscationibus, in aucupijs & venationibus, & alijs rebus complectebantur) restituerent. Attulere præterea *Walteri* factionis principis mandata & literas, quibus imperabat, vt quam citissime ipsorum postulatis annueret; missurum se alioqui magnam suorum multitudinem, quæ cœnobium & cœnobitas internecione deleret. Reuersi itaque (confluentibus ad eos alijs vndique, ex omni vicinia rusticis) aggrediuntur Abbatem, de reddendis non modò illis, de quibus diximus, sed & omnibus alijs chartis & monumentis, quæ seruilem & adscriptitiam illorum conditionem detegebant Quin & manumissionem suam vrgebant, scriptis Præfecti & collegarum, ad æternam perpetuitatem consignatam, Hæc omnia nisi actutum expediret, minabantur omnia submisso igne conflagatura. Monachi itaque eorum desiderio satisfacere cogebantur. *Thom. Walsing.*

AT Rex, rebus suis tutiore loco postea constitutis, publico edicto diplomata illa sua, quibus seruis omnibus libertatem, integrámque in nundinis, foris, Ciuitatibus, & quibuscunque locis emendi, vendendi, & ceterorum contractuum facultatem dederat; quibus concesserat, ne seruitia huiusmodi, & rustici pro iugero terræ, vltra quatuor deinceps denarios soluerent, quasi quæ inconsulta facilitate sibi excidissent, quasi importunis, & violentis flagitationibus sibi expressa, reuocat & rescindit. Et *Grindecobius* ille, cum quibusdam socijs in carcerem coniectus est. At ille iubet ceteros, omnem de se solicitudinem animo excutere, & tam bonæ causæ firmè & constanter adhærere, nullâque ratione aut suasione libertatem suam, quam tantis laboribus, & periculis consequuti essent, prodere, indignámque rursus seruitutem seruire. Quod ad me, inquit, spectat, pro tam expedita causa, lubens mortem obirem, quæ mihi sane speciosi martyrij instar foret. Qui pro tribunali *Verlamij* postea, sedente *Roberto Triuliano* summo iustitiæ præfecto, sententiamque dictante; cum quibusdam alijs pœnas illas, quas perduelles luere solent, subiit. Corpora vero huiusmodi facinorosorum, à furcis, nescio qui noctu abduxerant. Quod cum Regi significatum esset, ægrè tulit: misitque mox literas vt reponerentur, catenisque, ne facile membra dissilirent, constringerentur. Quod *Plebeios Verolamienses* valde cruciauit, quod & clandestina animi affectione, licet eam palam reprimere cogerentur. valde in eos propenderent, quodque, cum nulli alii tam vili officio vlla mercede defungi vellent, suis ipsi manibus cadauera teterrimum odorem efflantia, tabe vermibusque iam manantia contrectare, & furcis restituere cogerentur

cogerentur. Sed præceterorum omnium *Ioannis Vallei*, siue *Balei* presbyteri de quo alibi diffusius agemus, supplicium hoc loco nobilitatum est, quem alicubi comprehensum, *Couentrenses Verolamium* ad Regem adduxerant.

AD ea tempora, quo *Londinum* perditi isti vastarunt, in *Suffolcia* & *Norfolcia* similes motus erupêre. In *Suffolcia*, circiter quinquaginta millia concitata sunt, authoribus *Roberto Westbromio*, qui sibi Regis nomen arrogabat, & *Ioanne Vranio* sacerdote: apud pagum *Buriam*, vbi insigne est cœnobium diuo EDMVNDO Regi & martyri sacrum, *Ioannem Candisium*, & priorem cœnobij cum alio quodam monacho capite truncarunt, & capita hastis præligata, edito loco imponunt. Coguntque monachos monumenta scriptáque omnia, quæ de seruorum & adscriptitiorum suorum conditione restarentur, quæue priuilegia aliqua illius oppidi ciuibus, à CANVTO olim Rege indulta continerent, ciuibus & seruis reddere. Cœnobioque per eos damna, quæ mille librarum precio non retarcirentur, illata sunt. Venio nunc ad superbam, crudelem, & ignominiosam dominationem, quam subiere *Norfolciani*. Hanc sibi hic dominationem *Ioannes Listerus* arripuit, qui nihil eorum scelerum, quæ *Londini* nefariè patrata sunt, prætermisit, & in eam maxime curam incubuit, vt nobiliores, & amplioris authoritatis viros repentè circumuentos, in suam potestatē redigeret. Cuius manus *Guilelmus Vffordius Suffolciæ* Comes ægre, inter cœnandum de aduentu illius præmonitus, relictáque statim cœna, abiectaque veste induta, plebeium se simulans, fugamque per loca minus trita ingressus, effugit. Multi ex reliqua nobilitate, in potestatem eius venerunt. Quibus ille vt famulis abutebatur, & regis sibi nomen insolenter arrogans (Regem autem se communitatis aut plebis appellabat) sua cuique ex his nobilioribus ministeria & munia, vt ipsi essent à poculis, & à cibis gustandis, quasi regio quodam fastu & splendore, distribuit.

FVIT inter eos *Robertus Sallius* Eques, homo tanta & tam procera corporis magnitudine, animi etiam præstantia, & fortitudine corporis viribus respondente, vt non modò in ea regione, sed per totam ANGLIAM fuerit celeberrimus. Et hunc quidem, vt ait *Frossardus*, quod plebeis parentibus ortus esset, ducem sibi voluissent lubenter factiosi constituere, ad quem principatum amplis & magnificis verbis eum inuitabant. Sed cum ille Regis & patriæ esset obseruantissimus, & animo erecto & vere generoso, nec ferret impotentissimorum hominum tantam insaniam, sed intrepidè & libere, actioribus eos verbis castigaret, in eum perimendum irruunt. Quibus ille aliquandiu tam fortiter restitit, vt duodecim ex perditis trucidaret, multos vulneribus afficeret. Sed oppressus tandem multitudine, quæ ad quadraginta millia eo confluxerat, succubuit. Sed hanc omnem colluuiem, *Henricus Spenserius Nordouicensis* Episcopus, iuuenis alto & magno animo, nec minus manu fortis, exiguis quidem copijs supra omnem humanam prope expectationem, non sine suo præsenti periculo; quippe qui inter primos, aut primus potius, se, fossam transiliens, in hostes immisit: primúmque, qui acerrimus esse solet, eorum impetum excepit, cæcidit, oppressit & dissipauit. Pauci vero fuga euasere, multi autem capti, & inter eos factionis princeps, qui mox pœnas, perduellibus præscriptas, exoluit. *Petroburgense* vero cœnobium insigni detrimento per seditiosos istos affectum fuisset, nisi commemoratus Episcopus oportunè illuc cum idoneo præsidio aduolasset. Omitto similia perditorum hominum facinora, in Comitatu *Cantabrigiensi*, inque insula *Elyensi*, & alibi designata, & redeo iam *Londinum*, & ad Regem *Richardum*, & ad reliquas eius actiones, post compressam *Londini* seditionem, vt deinde & reliquam eius historiam prætexam. Rex vero, qui multitudini parcendum putauit, principes tamen & duces factionis diligenter inquiri mandauit, captisque supplicia irrogauit. Et *Londini* quidem *Ioanni Stratio*, cuius postea historiam latius pertractabimus, *Ioanni Kirbeio*, *Alano Thredero*, & *Ioanni Starlingio*, qui caput SIMONIS *Cantuariensis* præcidit.

Vide Henr. Knyghtonum canonic. Leceſt. in chronico.

ETSI vero colluuies ista, quæ *Londino* incubuit, cæso *Walthero*, & propter edictum Regis alij, alio mox diffluxerat, non tamen quieta consilia sequuta est, sed nouos motus tum in *Cantia*, tum in *Essexia* ciebat. *Essexiam* vero, magnis de nouo contractis copijs, miserunt ad Regem, postulatum ne indultam ipsis per diplomata libertatē rescinderet. Nolle enim se hanc indignitatem & contumeliam pati. Sed hæc illorum tanta insolentia, non modo acribus verbis, quibus Rex perduelles istos incesserat, sed verberibus paulo post repressa est. Et misit quidem Rex cum copijs in *Essexiam Thomam Wodstochium* Comitem *Buckingamiæ*, & *Thomam Perceium*, Comitis *Northumbriæ* fratrem. sed ante ipsorum ad castra rebellium aduentum; à tam paucis, quos præmiserant, oppressi sunt, vt pæne sit incredibile. Oppressi & *Cantiani* per-

et perduelles, Rexque ipse tam *Cantiam* quàm *Essexiam* cum copijs adijt, vt perditorum reliquias prorsus extingueret. Quorum duces, & maxime ex illis insignes, capitalia passim supplicia exoluebant. Coactique sunt plebeij tam regia vexilla quam diplomata, quæ temporum iniquitas illi expresserat, de seruis manumittendis; & priuata dominorum scripta, quibus sibi libertatem extorserant; & alia quæcunque vbique restituere, & de damnis illatis satisfacere. Et quoniam in hac populi concitatione, multa monumenta publica & priuata, ad luculentum multorum, ad quos ea pertinebant, detrimentum incendio ablumpta sunt; multique alicubi bono quidem animo seditiosos conciderint, quorum tamen actiones exacte legum præscripto non respondebant, essentque propterea illarum seueritate irretiti; per Parliamentum his omnibus difficultatibus consultum, rescissæque huiusmodi manumissiones, obuiam etiam iam seditiosis concionatoribus. Deinde, ne perpetuo animaduersionis metu populus angeretur, per amplissima comitia omnium omnibus, propter illos motus, criminum gratia & abolitio, ex Regis indulgentia indulta est; nisi quod quidam nominatim excepti, ex quibus fuere qui *Burtense* illud cœnobium vastarunt, & tres *Londinenses* ciues. Quorum vnus intercessit, ne Præfectus ciuitatis aduersus perduelles portas occluderet. Duo alij tua adhortatione, ad ciuitatis ingressum inuitabant, & ingressos omni consilio, ope, & auxilio fouebant.

Anno. 5. ca. 5. Anno 6 ca. 7.

Anno sex.

Extat ad hæc tempora in ANGLIA, vir equestris ordinis *Ioannes Gowerus*, qui hanc omnem seditionem versibus quidem latinis, nec omnino pro illorum temporum ratione ineptis, descripsit; Qui tradit, perditos illos *Baleum* illum instar prophetæ in oculis habuisse: Hanc autem tam tetram, Deo connuente, pestem ANGLIAE incubuisse, propter depranatos, & contaminatos Cleri, & populi mores. Quem populi motum depingit quasi per simulachrum nocturnum, & visum per somnum obiectum, quo sibi videbatur videre populum, stupenda metamorphosi in belluinas omnis generis formas, vt olim *Vlyssis* socios, per *Circem* transformatos. Quæ si quis videre auet, ad ipsum authorem illum reijcio. Et iam mihi videret mea oratio, aut potius RICHARDVS ex difficili & scopuloso hoc loco euasisse. Atque vtinam vitata *Charybdi*, non incidisset, quod Prouerbio dicitur, in *Scyllam*. Sed restat, quibus ex causis in tantam calamitatem inciderit, paucis explicare. Rex paulatim, excussis patruis & alijs, qui constituti erant, vt diximus, vt immaturam & infirmam illius ætatem suo maturo consilio, prudentiáque regerent; totum se illis dedit, eorumque consilia sequebatur, qui nihil aliud quàm indolem ipsius, satis bonam contaminabant, & ad omnia vitia laxas illi dabant habenas. Quos ille omnibus honoribus supra meritum, præ ceteris amplificabat: illos solos præ oculis habebat: illis solis omnes pæne reipub. partes administrandas dabat: patruorum, & reliquæ nobilitatis paruam rationem ducebat. Qui quum auare & sordide administrarent, & regijs thesauris inaniter exhaustis, nouis plebs pecunijs tribuendis supra modum premeretur, & non solum ea, quæ gratuito isti a Rege consequuti essent, care alijs distraherentur; sed & publica iudicia venum & quæstui exponerentur, & tota iam reipub. valdè labefactaretur; patrui Regis & alij Proceres, & cum primis THOMAS *Glocestria* Dux, RICHARDI patruus, duo *Richardi Arundelia* & *Warwici* Comites, cum admonitionibus, adhortationibus, & obsecrationibus nullus daretur locus, quibus postulabant, vt qui Regem similibus consilijs deprauarent, qui Regis & Reipub. thesauros, instar voraginis *Charybdis* absorberent, totámque Rempub. euerterent, à Regis consortio ablegarentur, & ad rationem administrationis suæ reddendam vocarentur; armis & manu tantis malis occurrere tentabant.

In libro qui appellatur Vaticinium

Tho. Walsi. Io. Gower. in chro. trip. Polid. & alij.

QVOS autem Proceres insectabantur, hi fuere potissimùm, ALEXANDER *Neuelus* Archiepiscopus *Eboracensis*, *Robertus Veerus Hiberniæ* Dux, & *Michael Pola Suthfolciæ* Comes Regisque Cancellarius, & *Robertus Treuilianus* summæ iustitiæ Præfectus. Duxerat *Robertus Veerus* in vxorem EDOVARDI *tertij* ex ISABELLA neptem. Qua tamen repudiata, alteram quandam exteram, ex familia Reginæ ANNAE, nec nobilitate, nec forma spectata, in locum eius turpiter subinisit. Quæ indignitas mirum in modum patruorum, THOMAE præsertim, erga Regem, & *Robertum*, odia inflammauit. Cuius pectus ita totum præposterus, & peruersus erga *Robertum* amor occupauit & obsedit, vt & hanc indignitatem cum ceteris dissimularet, *Robertóque* omnibus modis nihilominus fouendo, & amplificando studeret. Accedit, quod dicebatur Rex consilia de vendendo oppido *Caleti*, cum regione circumfusa, Regi *Galliæ*; aliaque, quæ regni ANGLIAE maiestatem imminuerent, agitasse. Atqui cum Rex videret Procerum vires (quos magnis vbique laudibus populus in cœlum euche-

ber, vt oppressæ Reipublicæ vindices, & ad eos frequens confluebat, fumiores, quam vt posset illas dissipare, (cum præsertim THOMAM patruum, cui maxime erat infestus, magnatse religione coram Proceribus astrinxisse audisset, quod nihil sem aut similiter aduersus regiam maiestatem moliretur, aut cogitaret; sed paucorum, qui sua priuata emolumenta, Regi & Reipub. antiquiora haberent, insolentiam reprimeret) respondit se totum in potestate Procerum futurum, & quicquid illi & populus in regni comitijs decernerent, integre & constanter obseruaturum. Exauthoratus itaque est Procerum & populi suffragijs *Michael Pola*, eique in Cancellaria surrogatur *Thomas Arundellius Eliensis* Episcopus. Exauthoratur & IOANNES *Farthamus Dunelmensis* Episcopus, qui Regi erat à Thesauris; & ei substituitur in illo regij thesauri conseruandi munere IOANNES Episcopus *Herfordensis*. Mulctatur præterea *Pola* ad immensam quandam pecuniam, vt damna & detrimenta, in eius administratione data, reficerentur & resarcirentur.

Vide Hoveden. 10. & 11. & Thorn. ad ann. 1386. 1387 1389 Ioan. Gower. in chronic. impart.

SELIGVNTVR præterea tredecim, per quos maiora regni negotia expedirentur, & qui exactam rationem haberent de omnibus datis & expensis; cautúmque ne Regi integrum esset res maioris momenti, nisi illorum consilio gerere. Inter hos fuere, ex Clero quidem, vterque Archiepiscopus *Cantuariensis & Eboracensis*, *Elyensis*, & *Herfordensis*, *Wintoniensis*, & *Exoniensis*, & *Nicolaus* Præses *Waltamensis* cœnobij, priuati sigilli custos: ex laicis, EDMVNDVS *Eboracensis*, THOMAS *Glocestriæ* Dux, *Richardus Arundelli* Comes, cum alijs. Quorum potestatem Rex & diplomate suo, & iuramento confirmauit; qua etiam religione obstrictus est, ne rescinderet aliquid ex his decretis. Cautúmque vt si quis suggereret Regi de his infirmandis, ob primum admissum fortunis omnibus; ob secundum vita, more perduellium, exueretur. Sed Rex mox adeò omnem huius decreti, & suæ promissionis conseruandæ cogitationem curámque abiecit, vt nouas contrariásque paulo post deliberationes, consiliarijs, & sibi tandem exitiales sequutus sit. Adhibens enim sibi *Nottinghamiæ Eboracensem*, *Robertum Veerum*, *Michaelem*, *Trenilianum*, & alios quosdam iustitiæ Præfectos; deliberat cum ijs, an illa ita se obstringeret, vt non liceret ea infirmare, & euertere. *Trenilianus* verò, & alij summi iuris dicendi Præsides, adeo id licere affirmabant, vt in læsæ maiestatis crimen illorum authores incurrerint. Qui cum suam sententiam ad æternitatis memoriam consignassent, Rex, & Proceres illi THOMAM patruum, *Arundelium*, & alios vt patriæ hostes, omnibus viribus opprimendos decernunt. Copiásque mox Dux *Robertus* & *Michael* contrahunt. Quibus se aduersarij opponunt, copias *Roberti* & *Michaelis* cædunt & profligant, ipsósque fugam inire cogunt.

COGITVR deinde in aliud Parliamentum, ad quod Rex, licet ægrè, necessitate tamen vrgente, tandem aduenit. Quod *Eboracensi* Duci *Roberto*, & *Michaeli* qui aufugerant, omnibus fortunis & possessionibus eorum addictis fisco, perpetuum exilium indictum. *Trenilianus*, cum multis alijs, proditoris pœnas subijt. Quicquid *Glocestrenses*, *Warwicenses*, *Arundelius* in eo prælio egissent, à Rege, Proceribus, & populo ratum habetur. Quin & diplomate regio muniti sunt, quod indulgentiam omnium criminum, si quod in Regem vel Rempub. forte admisissent, complectebatur. Non mediocri tamen Rex animi dolore in imo pectoris recessu, quicquid exterius simularit vel dissimularit, vrebatur, ob veteres suos, in quos adeò deperibat, contubernales, *Robertum*, *Michaelem*, & alios ita excussos. Et licet iram suam ad tempus concoqueret, & præmeret; tandem tamen ita effudit, vt non cessaret, donec clandestinis quibusdam fraudibus, & fallacibus promissionibus circumuentos patruum, atque Comitem *Arundelij* morte, *Warwicensem* vero (licet nihil noui criminis in se admisissent) exilio mulctasset. Quæ res in maximam illum apud Principes et populum inuidiam adduxit. Quæ tamen cum ex alijs causis, tum vel eò valdè accumulata est, quod HENRICVM, patrui IOANNIS *Lancastriæ* Ducis filium, quem paulo ante ducem *Herfordiæ* creasset; non solum ad decennium, ex non satis, vt credebatur, iusta causa relegasset, et potestatem ante discessum datam, de rebus suis domesticis pro arbitrio in absentia constituendis, reuocasset: sed & paulò post, cum *Lancastrius* obijsset, bona & possessiones illius omnes sibi arripuisset, magnam illarum partem ad parasitos illos suos transferens, paternáque HENRICVM immeritò hereditate spolians. Sed hanc iniuriam charè post luit. Et iam indies impotentius atque intemperantius se RICHARDVS gerebat, multáque quotidie contra bonos mores, contra maiorum & patriæ instituta legúmque scita, ad summam dignitatis & famæ suæ labem, tam Proceres quam plebem simulatis causis opprimendo, tasiabat: adeò vt vacuas chartas à subditis subsignatas, per quas pro sua libidine licentius in eos grassaretur, exprimeret.

Ioh. Gower. chronic. inspexit Walsingh. 1398 1399.

exprimeret. Quod non solum *Walsingamius*, sed & illorum temporum æqualis *Ioannes Goverus* refert.

HENRICVS vero audita patris morte, vt paternam illam suam hereditatem (id enim potissimùm prætendebat) recuperaret, in ANGLIAM venit. Sed tantis mox copijs, Proceribus & populo certatim ad eius subsidium confluentibus, auctus est; vt propter auersos à se omnium animos Rex desertus, & auxilio destitutus, sine aliquo, quod vix credibile est, prælio, iin Ducis manus & potestatem apud *Flintæ* arcem, quæ decem millibus passuum à *Cestria* distat, veniret; & *Londinum* deinde ductus, regia se potestate abdicare cogeretur. Atque hanc illius destitutionem, flumen profundissimum, prope *Bedfordiam* decurrens, quod media hyeme antecedente repentè ad tria millia passuum exaruit, portendisse quibusdam videbatur. Sed priori anno veteres lauri per totam fere ANGLIAM exaruere; & tamen, contra hominum expectationem, reuiuiscere postea cœperunt. Sed id forte sine aliquo prodigio, ex naturali causa accidit. Quin & illud funestum aliquod ominari videbatur, quod septennio ante THOMAM, & alios Proceres oppressos contigerat. Eo enim anno, in pago quod *Schene* dicitur, vbi regiæ ædes fuere, cyniphes acerrima inter se pugna commissæ sunt, è quibus duæ partes cæsæ, mortuæ in terram concidere. Quarum tanta fuit copia, vt multos modios implere possent. Sed nescio an aliquod magis aduersum RICHARDO omen acciderit, quàm illud quod eo tempore accidit, quo se Duci, vt diximus, dedidit. Habebat canem quendam RICHARDVS, qui nescio, naturæ ductu, an ita vsu doctus, nullum alium agnosceret, in eum solum insiliret, illi soli suo more blandiretur. At iam in primo HENRICI cum RICHARDO colloquio, priori consuetudine relicta, illam omnem in Ducem, deserto RICHARDO, transtulit, & tum, & toto postea itinere. Quod & RICHARDVS ipse, instar tristis præsagij habuit, & regnum ad Ducem transferendum arbitratus est; & hunc futurum rei exitum Duci, non mediocriter miranti cur ita canis ipsi ablandiretur, fassus est.

Th. VVals. 1. 89

Froiss. vol. 2. ca. 141.

VTCVNQVE sit, RICHARDVS, cum *Londinum* venisset, per summa regni comitia, vt tanto muneri impar & ineptus, est abrogatus; & ipse se, ne quid sibi forte durius contingeret, abdicauit: Et regnum sibi, omnium ordinum conspirante suffragatione, *Henricus* vendicauit. Decretúmque est postea per comitia, HENRICO iam diademate regio insignito, RICHARDVM ob tam malè obitam regni administrationem, carcere, quo loci Regi visum esset, per omnem vitam includendum, quam exiguo deinde tempore duxit. Cum enim sub specie equestris certaminis, cui Rex illorum rogatu, ab omni sinistra fraudis suspicione remotus, interesse pollicitus erat, Regem incautum multi Proceres per insidias obtruncare repente cogitassent: eorum maturè proditis consilijs, & suæ saluti prospexit, & illos, cum se proditos viderent, arma palam corripientes, & *Magdalenum* quendã, qui forma & liniamentis corporis RICHARDVM valde referebat, circumferentes, & quasi RICHARDVM è carcere ereptum ostentantes, oppressit, maximisque supplicijs affecit. Et vt ab omni huiusmodi postea metu liberaretur, RICHARDVM in carcere perimendum curauit, quod à recensioribus scriptoribus frequentius traditur. Sed *Ioannes Goverus*, qui eo tempore superstes erat, & *Thomas Walsingamius* asserunt, RICHARDVM, cum Procerum cladem audisset, magnitudine doloris, voluntaria inedia fatum sibi acceleraſſe. Principes illius factionis fuere *Ioannes Holandius Essexiæ* Dux; Comites, *Cantianus*, *Essexiæ*, *Gloceſtriæ* & *Sarisburienſis* cum alijs.

Th. VVals.

Fab. Polid. & alij. Io Goverus in chron. scripsit. VVals. 1340.

De VRBANO & BONIFACIO, qui ecclesiæ Romanæ, totiusque Catholicæ ecclesiæ clauum, regnante RICHARDO tenuere; deque exitiali eiusdem Ecclesiæ Romanæ schismate.

CAPVT VIII.

VT ANGLIAE grauissimi illi plebeiorum aduersus Regem & Proceres, Procerúmque (de quibus vtrisque iam diximus) aduersus Regem motus, ita & ecclesiæ *Romanæ* schisma omnium diuturnitate (grassatum est enim quinquaginta annis) & atrocitate sua (vniuersos enim fere *Europæ* Principes bello inter se commisit) maximum incubuit. Quod, præter cetera, quæ secum trahebat, incommoda, miram quandam hæresibus per ANGLIAM, & postea per *Bohemiam*, vt dicemus, longe, latéque propagandis facultatem præbuit. Hoc solum inter nostras miserias, vndique exaggeratas, commodi & consolationis inerat; quod ANGLIA non ascititij & adulterini illius *Clementis*, sed veri atque germani Pontificis partes tuebatur. Quod schisma, proximo, post initum à RICHARDO regnum, anno occœpit. Quod vt omnes partes *Europæ*, per factiones occupauit, ita & intestinis illis populorum, aduersus Principes, motibus, ad eadem ferè tempora, & ob eandem fere causam, periculose apud *Flandros*, tum apud *Gallos*, & alibi laborauit; vt nescio quæ ex inferis furia, ad omnia vbique perturbanda, vexanda, & laceranda, erupisse videretur. In *Clementinianam* factionem abiit *Gallia*, *Hispania*, *Scotia*, Regina *Neopolitana*, & alij quidem Principes. VRBANO ANGLIA, omnisque pæne *Italia*, & *Germania* adhæresebat. Quædam nationes noluerunt se in alterutram partem interponere, sed suffragia sua suspendebant, & in rerum euentum sustinebant. Nostri summis regni comitijs VRBANVM complectendum edixere, cautúmque vt Cardinalium, & aliorum quorumcunque ANGLORVM sacerdotia & dignitates, qui ad *Clementem* desciscerent, ad Regis vsum deuoluerentur, vtque ij, qui diploma aliquod pontificium ab alio Romano Pontifice, quam VRBANO impetrarent, instar Regis & regni hostium haberentur.

Vide Froiss. vol. 1. ca. 382 398. cum sequentib. Tho. Walsi. 382

Anno 2. Rub. ex archivis regni.

RES vero inter *Clementem* & VRBANVM adeo exasperatæ sunt, vt *Clemens* omnibus qui in sua verba & obseruantiam iurarunt, & *Vrbanianos* opprimerent, eam criminum abolitionem & veniam indulgeret, quæ dari solet ijs, qui sacram aduersus *Saracenos*, & alios à fide alienos expeditionē capessebant; & aduersus ANGLOS, *Gallum* & *Scotū Clemens* excitat. Nec defuit sibi ea in re VRBANVS, apud eos qui à se stabant. Et quoniam ANGLVM bene peculiatum sciret, eius sibi potissimum, ad vberius subsidium præstandum, beneuolentiam, adiungendā curauit. Miserant & *Clementinani* prius suos nuncios & literas, quibus VRBANI quasi metu sibi expressam per *Romanos*, optionem criminabantur. Quæ in publico Parliamenti nostri consessu recitatæ, sed vt inanes, vanæ, & commentitiæ reiectæ sunt. Mittit itaque literas VRBANVS ad ANGLIAE Episcopos, vt duæ decimæ à Clero ad huius belli vsum expedirentur. Quarum altera *Lancastrio*, vt *Castiliæ* regnum (quod suum ille vxoris titulo dictitabat) in potestatem suam redigeret: altera HENRICO *Spenserio Nordouicensi* Episcopo, quem in eo quasi sacro quodam bello legatum suum constituerat, & ad quem summam rerum omnium referri voluit, attribueretur. Multisque eum priuilegijs, & prærogatiuis, quæ in eos, qui vel præsentia, & opera sua, vel pecunia illud iter proueherent, conferret, amplificauit. Pecunia vero liberaliter & amplè postea collata est. Cum iam *Spenserius* à rebus omnibus paratus esset, iamque quamprimum bona & certa tempestate traijcere cogitaret, deferuntur ad eum Regis literæ, vt collocutionis cum eo gratia reuerteretur. Ille vero, ne commutata forte Regis voluntate, tantus apparatus in nihilum recideret, per literas se excusans, mox naues conscendit, & *Calecum* appulit. Ibi verò, cum magna dubitatio injiceretur, in quas se demum partes conferrent, bellumque occiperent, *Spenserio Flandriam* ante omnia infestandam, quòd esset in clientelari fide *Galli*, & quod Comes *Ludouicus* ANGLOS contumeliosè recens è sua ditione eiecisset, affirmante; multis verò, qui ordines ducebant, ab hac sententia alienis & auersis, quod arma illa crucique insignia, nullos

Froiss. vol. 1. ca 228 cum sequ.

Tho. Walsi. late 1378.

Vide peroratione illi in apud Tho. Walsi. 1302.

Froissardus lib. 2. ca. 20.

alios

alios nisi *Clementinianos*, ecclesiæque hostes peterent; idque Regē mandatum, quod integrum non esset prævaricati, dedisse.

SPENSERIO tamen a sua sententia non recedente, in *Flandriam*, non expectato *Gulielmo Bellocampensi*, quem Rex exercitui præfecerat, quemque *Spenserius* Caleti se expectaturum promiserat, itum est *Graueningiam*; *Flandris*que prælio superatis, *Dammum*, *Burburgum*, & alia postea oppida in suam potestatem redigunt. Sed cum ingentem postea exercitum *Gallus*, vt *Ludouico* opem ferret, in *Flandriam* duceret, quibus nostri nullo modo pares erant, qui iam se *Burburgo* incluserant, pactione oppido dedito, *Caletum* reuertuntur. Atque ita bellum alio quam debuerat auertum, & nostris & VRBANO, cuius gratia susceptum erat, infructuosum fuit. Habuisse nostros traditur quadraginta naues prædæ, & spolijs onustas; easque, ne venirent in hostium potestatem, cum spolijs omnibus incensas. Magna hic *Spenserio*, & ducibus quibusdam exercitus culpa ascribitur, qui oblatam vberius, quo tempore Hypras obsiderent, subsidium, nimia sui fiducia respuerant. Cuius suæ eos postea incontultæ ostentationis magna, licet sera, cepit pœnitentia. Stupendum est, quod quasi rem certam & expeditam narrat *Frosardus*, *Burburgi* hoc tempore accidisse. Militem enim quendam in aram insiliisse, vt preciosum lapidem capiti imaginis Beatæ MARIAE Virginis detraheret, eandem vero imaginem se auertisse, & sacrilegum illum graui lapsu contritum miserè periisse. Quod cum alius quidam miles postea tentasset, omnes ecclesiæ campanas per se, sine humana manu sonuisse. Quod prodigium tam celebre fuit, vt eodem die Rex *Galliæ* & Proceres, maximi precij donaria illi imagini obtulerint.

Froissardus. *Fab. 1382.* *Froiss. vol. 1.*

GREGORIVS Pontifex inter purpuratos patres retulit *Adamum Esconium*, monachum olim *Benedictinum* apud *Nordouicum*, *Oxoniensis* academiæ alumnum, & theologiæ professorem. Virum qui, præterquam quod omnium disciplinarum orbem illum absoluerat, non modo *Latinam* sed & *Græcam*, atque adeo *Hebraicam* linguā (rara quidem eo sæculo dos) exactè didicerat, & cum de alijs, tum & multa de ijs, quæ ad *Hebraicam* linguā spectabant; conscripserat. Nominis itaque eius celebritas excitit GREGORIVM, vt *Romam* eum euocaret, & Cardinalitia eū dignitate amplificaret. Incidit vero sub VRBANO in maximas perturbationes, & in magnum vitæ discrimen; qui dicebat eum, & alios quosdam Cardinales nefariè aduersus se cōspirasse, & multa clam molitos ad se exauthorandum. Et quinque ille quidem alios Cardinales quasi in liquido crimine, & sua ipsorum confessione, sed tormentis, vt credebatur, extorta, implicatos diu detinuit; ab *Adamo* nihil expiscari atque extundere potuit, nisi quod voces quasdam iactasset, quibus dicebat, VRBANVM nimis impotenter, & insolenter se gessisse. Et erat quidem VRBANVS homo præcipitis sæpe consilij, durus, præfractus, & immitis. Mortuo vero VRBANO (qui eum ad preces RICHARDI Regis e carcere dimiserat) nec tamen dignitati suæ reddidit; BONIFACIVS *Adamum* in integrum veteriique splendori restituit. Traditur VRBANVM cum obiret, palam de *Adami* innocentia testatum, & vehementer, ob illum ita habitum, indoluisse. Multa, VRBANO & BONIFACIO pontificatum administrantibus, in regni nostri comitijs, & vetera renouata, & noua decreta sancita aduersus eos, qui sacerdotia per diplomata Pontificis consequerentur, & aduersus quæstores Pontificios: iussique ne primitias sacerdotiorum amplius colligerent, cautūmque ne quis deinceps huiusmodi quæstoris munere fungeretur nisi ANGLVS, vtque is iuramento obligaretur, quo decreta Parliamenti integra, & incorrupta fide conseruaret.

Ioan. Leland. *Tho. Walsing. 1383. & 1390.* *An. 1. 2. & 11. vt ex archiuis regni & Tho. Walsingham 11. & 1388.*

GVLIELMVS *Brianus* equestris ordinis homo, cum in ædes illius maleuoli quidam per vim irrupissent, & priuilegia quædam atque alia monumenta intercepissent; diploma, quo anathemate inusti sunt, qui illud crimen admiserant, impetrarat. Quo in regni comitijs recitato, adiudicatum est, illud illius factum cedere in regiæ & municipalis legis præiudicium; & ob illud ille molimen in Turrim *Londinensem* detrusus est. Cumque multi sacerdotiorum & ecclesiasticarum dignitatum patroni, orta de patronatu lite, coram *Romano* Pontifice de causa sua disceptarent (quam, ex ecclesiæ scitis expediti iuris est, ad ecclesiæ cognitionem pertinere) quam tamen ad suum regij in ANGLIA iudices tribunal traherent, Episcoposque Pontifex non modo domi ab vna sede in aliam, sed nonnunquam foris, Rege & ceteris Episcopis inscijs transferret, quorum præsentia Regi & regno valde vtilis censebatur, qua etiam ex occasione magna, & reipub. necessaria pecunia exportabatur; cautum est, vt qui huiusmodi diplomatibus vterentur, grauissimis legum pœnis subijcerentur, quæ vulgo *præmunire* dicuntur. Et ante biennium, cum multi *Romanam* curiam adijssent, sacerdotia per diplomata adipiscendi gratia, Rex antiqua Parliamenti contra huiusmodi prouisiones decreta renouat,

An. Rich. 13. vt ex dictis archiuis.

Alexander tertius ad Henricū secundum, Regem Angliæ. Causa vero inter patronatus ita consuluit eil & connexa spiritualibus cauſit, quod non nisi ecclesiastici iudicis valeat diffiniri. De iudicijs. 2. c. 3.

renouat, edictóque suo postea reuocat à *Romana* curia omnes ANGLOS, qui sacerdotia obtinerent, certumque redeundi diem præscribit. Offensus ex ea re BONIFACIVS nuncium mittit, qui cum RICHARDO accuratè agat, ne ius pontificium, aut eam prærogatiuam, qua decessores sui vtebantur, interciperet, eáque regni decreta antiquaret, quæ libertatem ecclesiæ imminuerent. Si quid esset quod Rex emendatum cuperet, mitteret legatum cum postulatis; se omnia ex æquo & bono temperaturum, effecturumque ne qua iusta offensionis causa Regi daretur. Conqueritur deinde aduersus *Gallum*, qui *Clementem* ementitum, & falsum pontificem ita complecteretur, *Italiæque* atque *Romani* imperij principatum ad se trahere conaretur. Qua in re nisi diligentem cautionem haberet, & maturè prouideret atque occurreret; fore, vt si *Gallus* pro voto & expeditione cresceret, in eam potentiæ magnitudinem veniret, vt veteri merito debeat rebus suis RICHARDVS. Opem interim ipsius aduersus *Clementis* factionem implorat. Reiectus vero est legatus ad proximum Parliamentum, vt responsum acciperet. Quod quale fuit nondum reperio. Prouisiones vero illæ magis & magis exolescebant.

Platina in Bonifac.

CLEMENTE verò post paucos deinde annos defuncto; *Benedictus* à *Clementinianis* surrogatur, qui BONIFACIO negotium faceſſeret. BONIFACIVS, vel, vt ea ratione magis se aduersus hostes, quos in *Italia* & alibi habebat, firmaret; vel sedis suæ amplificandæ gratia edixit, ne quisquam ad sacerdotium proueheretur, nisi qui dimidiatum primi anni censum (quem *Annatas* appellant) *Romanæ* sedi penderet. Quod tamen, quidam ad IOANNEM *vigesimum secundum* referunt. Vtcunque sit, constat ceteras fere omnes nationes hoc onus agnouisse. Sola ANGLIA restitit, & à minoribus illud beneficijs excussit, ita tamen vt Episcopatibus aliquandiu adhæresceret, sed & illi tandē illud excussere. Non ignoro à quibusdā tradi ANGLOS, imperante RICHARDO, omnē prorsus Apostolicæ sedis obedientiā & obseruantiā ex Parliamenti scitis reiecisse. Sed hæc tam commentitia & liquido falsa sunt, vt putidū sit refutare. Nec hæc cantilena ab *Vrbanianis* & *Clementinianis* illis temporibus, sed à recentioribus, obscurisque scriptoribus profecta est, & ex hoc tota pendet, vt execrabilis anarchia (quam tam *Vrbaniani* quam *Clementiniani* detestabantur) ecclesiam prorsus deformet, omniaque instar nauis ventis iactatæ, gubernatoréque destitutæ, sursum & deorsum miserando (quod te passim hodie, proh dolor! offert) spectaculo ferantur, & fœde misceantur.

Io Bale & Annius.

De WALTERO Rainaldo & *alijs* Cantuariæ *hoc sæculo* Archiepiscopis.

CAPVT IX.

PRINCIPEM ANGLIAE ecclesiam gubernarunt hoc sæculo ROBERTVS, cuius præcedens oratio historiam expediuit, WALTERVS *Rainaldus*, THOMAS *Mephamius*, IOANNES *Stradfordius*, IOANNES *Offordius*. THOMAS *Bradwardenius*, SIMON *Isiepius*, SIMON *Langhamus*, GVLIELMVS *Wittelsleius*, SIMON *Sudburius*, GVLIELMVS *Courtneius*, & THOMAS *Arundellius*. Defuncto itaque ROBERTO, monachi *Cantuarienses* communibus suffragijs *Thomam Cobhamium* sibi optarunt Archiepiscopum. Qui eo tempore in *Gallia*, in regiorum negotiorum procuratione versabatur. Sed cum *Auenionem* ad CLEMENTEM summum pontificem venisset, repulsam ab eo tulit, non ille quidem quod vel à doctrina, vel ab integerrimis moribus inops esset, quibus ille vtriusque mirificè affluebat; sed quod Pontifex viuo adeo ROBERTO, futuri Archiepiscopi reseruationem, pro ampla potestatis suæ magnitudine, sibi soli integram fore prius decreuisset: bonisque & honoratis verbis *Thomam* deliniuit, seque illius propediem prouehendi, & ornandi diligentem habiturum curam aiebat. Accersitur itaque authoritate CLEMENTIS à sede *vigornien si*, cui præerat, ad id munus VVALTERVS, qui fuit Regis Cancellarius; aut, vt *Ranulphus* ait, qui fuit Regi à thesauris. Constat certe post Archiepiscopatum susceptum, Cancellarij eum munus obijsse, extantque CLEMENTIS ad eum literæ, quibus vt præclarè & strenuè tanto suo munere defungeretur, accurate hortatur. Receptóque postea (ad quod petendum miserat ad CLEMENTEM *Adamum Meremuthium* & alios) pallio, ad XVII. Kalend. Martij, solenni de more ceremonia, & ampliſsimo apparatu *Cantuariæ* consecratus est.

An. 1312 VValſ. Polych. l. 7. c. 41. Adam Mer. 1312

Ex regi. VValt.

Ex regi. Ioan. XXII. & VValſ. 1313

Quo die

Quo die splendidum Regi & Reginæ, omnibúsque regni Proceribus & Episcopis epulum præbuit, cœnobiórúmque præsidibus. Regi vero ob vacantis ecclesiæ redditus, soluit mille octingentas sexdecim libras, decem solidos, & quatuor denarios & obolum. *Ex regist.*

DIXIMVS iam antea Comites *Glocestriæ, Cantuariensis* sedis esse clientes, qui in huiusmodi pompa, certa Pontificibus munia, effectaque præstabant. Cuiusmodi iam *Gilbertus Clarus* *Ex codem regist.*
Glocestriæ & Herefordiæ Comes præstitit, donatusque est ducentis marcis. Quæ summa & ceteris Comitibus, qui huiusmodi munia obibant, dependi solebat. *Scoti* ad hæc tempora *Ex regist. 1314*
ANGLIAM valde infestabant, & in omnia sæua depopulatione debacchabantur, ne à templis quidem incendendis abstinentes, quos propterea WALTERVS anathemate palam confixit. Et vt Deum populo placatiorem redderet, præsentiaque & imminentia mala auerteret, supplicationes quartâ & sexta feriâ indixit, concionesque ad populum haberi mandauit, quibus ecclesiastes populum ad vitæ emendationem, & ad preces pro rerum perturbatarum pacificatione fundendas, hortarentur. Magnum WALTERO & reliquis Episcopis cum *Ioanne Warrenio Surreiæ* & *Sutisexiæ* Comite negotium intercessit. Coniuncta illi fuit matrimonio ISABELLA Regis neptis. Sed illa neque Regis, neque tanti sacramenti, neque dignitatis & æstimationis suæ idoneam rationem habens, *Matrimonium Ne[illegible]*, quæ etiam maritum *Simonem Dunum* superstitem habebat, vxorem sibi de nouo turpiter asciuit. Et ROBERTVS quidem decessor WALTERI, vt eam abjiceret, Comiti non sua solum, sed ex synodi, quam coëgerat, authoritate mandarat. Quod si ille faceret, iuramento etiam accedente, promiserat. Sed ita totum hominem turpis in *Mathildem* propensio occupauit, tamque ei penitus insedit, vt nulla eam ratione à se iam dimittere vellet: iamque WALTERVM interpellat, vt liceat sibi aduersus vxorem litem ad matrimonium, propter necessitudinem sanguinis, & alias causas commentitias, rescindendum intendere. *Ex regist. 1314. Pro executione literarum Regis missarum ad Walterum, pro W. Walteri & procerum aliorum ad Regem.*

INTERCESSIT sane ea necessitudo, quæ ex decretis ecclesiæ impedimentum matrimonio iniecit. Sed illud omne impedimentum, iam olim pontificia authoritate, & *Romanæ* sedis indulgentia sublatum, & abolitum fuerat. Hortatur itaque eum per literas, non WALTERVS modo, sed & synodus Episcoporum, quæ recens coierat, ne à maiorum splendore & laude, neue à seipso & prioris suæ vitæ ornamentis degeneret; vtque tantam maculam nomini suo inustam, ob quam apud Proceres & populum pessime audiebat, quam primum *Mathildem* abdicando deleat; vtque, si forte minus de hominum iudicio laboret, summum illud Dei Opt. Max. tribunal, & perpetuas pœnas corporis & animæ (ni matura pœnitentia eas auertat) sibi repositas in memoriam reuocet. Denunciat denique synodus, nisi benignæ admonitioni det locum, se suo muneri, vt ad officium cum reducat, non defuturam. Circiter triennium post eius consecrationem, fame insigniter, & miserabiliter laboratum est, adeo vt multi ex tenuioribus, ea confecti, obirent. Quorum mors ex impotenti quadam, quorundam locupletum cupiditate proficiscebatur, qui cum frumenti plurimum in horreis reconditum haberent, noluerunt tamen illud venundare, sed distractionem ad longius tempus, quo precium magis augeretur, producebant. Quam importunam auaritiam WALTERVS & alij Episcopi, in sua quisque diœcesi, per concionatores acrius perstringi curabant. Qua de re extant Regis ad WALTERVM literæ. Proximo anno renouauit EDOVARDVS patris sui, & aliorum decessorum suorum priuilegium, quo indultum erat ne regij frumentarij, aut qui commeatus curam gererent, viris ecclesiasticis necessitatem imponerent, animalia sua venundandi, neue illis propter publicas transuectiones negotium inuitis facesserent. *Ex regist. Walteri vbi de executione literarum Regis ad Walterum ante 9.* *Excerpta regist.* *Ex eodem 1313.*

ABVNDABAT his temporibus ANGLIA notarijs *Augustali* authorita creatis, quique etiam sæpe operam suam interponebant in instrumentis de his rebus conficiendis, quarum cognitio ad tribunal regium spectabat. Quod quoniam videbatur Regum ANGLIÆ maiestatem imminuere, denunciauit WALTERVS ex Regis mandato, ne quisquam huiusmodi notarijs vteretur, omnéque fidei & authoritatis huiusmodi scriptis pondus detraxit. In maxima semper fuit WALTERVS apud EDOVARDVM *secundum* gratia. Qui cum iusiurandum de more suscepisset, se singulis lustris *Romanam* sedem inuisurum, Rex per literas egit apud IOANNEM Pontificem, vt ille illius WALTERO itineris necessitatem remitteret. In illis EDOVARDVS literis significauit, se flagrare desiderio sacræ expeditionis: quas suas cogitationes si perficeret, WALTERO, se absente, regni procurationem relicturum affirmabat. Cumque posteà, quo tempore *Gallus Aquitaniam* *Ex regist.*

quæ minus occupatæ, in animo EDOVARDVS aliquandiu haberet in *Gallia* præsentia
Tho. Mer. de vita Edouard 1312 præcipuam regni, filiique EDOVARDI curam WALTERO mandare cogitabat. Eth vero videretur cum reliquis Regis consiliarijs, de reuocandis ab exilio *Spensarijs*, suam sententiam commaxasse, quo etiam tempore regio consilio præfediſſe traditur: poſtquam tamen
Walſ. 1326. EDOVARDO patrem custodiam contecto, & à totius regni comitijs exauthorato, EDOVARDVS filius successor Procerum populique suffragijs renunciatus est: et WALTERVS non modo calculum suum reliquis adiecit, sed & arreptis illis verbis, *Vox populi, vox Dei* concionem habuit, qua populum hortatus est ad omnia puero Regi fausta precandum, adque eum omni fide & obsequio colendum, & obseruandum. Cui & postea regium diadema imposuit. Fuit his temporibus depravatus quidam apud Laicos mos, qui sacra die, 10
poſt sacrosanctam Eucharistiam sumptum, mox oblationes non consecratas, & vinum, quod
Vt patet in archiuis Cantuar. superabat; quasi in caupona intemperantius sumebant. Quod ne deinceps fieret, seuere VVALTERVS prohibuit, Quod quidem decretum, non est, quod scio, typis excusum.
In consist. prou. de celeb. miss. e. lateranen. Sunt autem quædam alia, ad quæ lectorem, qui ea scire desiderat, remitto. Dum VVALTERVS *Cantuariæ*, CLEMENS *quintus* & IOANNES *vigesimus secundus Romæ* sederunt,
et multis quidem CLEMENS VVALTERVM priuilegijs, & prærogatiuis notarios designandi, & extraordinaria potestate multos ab anathemate liberandi, & id genus alijs ornauit,
Ex regiſtro. Inter quæ & illa, quod in qualibet cathedrali, alijsque ecclesijs, vnam præbendam, vt aiunt, cui velit donare posset. Quam ille facultatem amplexus est. Collocauit etiam in cœnobijs sacrarum virginum, vnam aliquam suo arbitrio: sed non illud quidem ex pontificia 20
indulgentia, sed ex more per manus à maioribus ad se ducto. Ornatus est & ipse præbenda
quadam *Lyddingensi*, quæ solis Archiepiscopis *Cantuariensibus* desponsa erat. Ad cuius redditus accessio per VVALTERVM, adiecto quodam prædio, quod sua pecunia compararat,
Ibid. An. 1313. facta est. Constituit eum CLEMENS quæstorem sacræ pecuniæ, quam Clerus ex decreto GREGORII *decimi*, NICOLAI *quarti*, & BONIFACII *octaui*, ad *Hierosolymitanæ* expeditionis vsus debebat, & vt reliquatores ad solutionem cogat. Et quoniam *Philippus Franciæ*, EDOVARDVS ANGLIÆ, *Ludouicus Nauarræ* Reges spem dederant sacræ expeditionis suscipiendæ, & torneamenta, vt appellant, in *Gallia*, ANGLIA, *Germania* & alibi
Quod extat in regiſtro Walteri anno Clemen. 8 exercerentur, quæ sacri canones damnant, & veteretur CLEMENS ne inde Deo offenso, sacra expeditio impeditior & infelicior futura esset, seuerissimo decreto, & grauium anathematum minis huiusmodi certamina prohibuit. Quod decretum per VVALTERVM in ANGLIA diuulgatum est.

Ex veſtibus literis tam Clem. quam Io. ad Walt. CVM mortuo CLEMENTE, Cardinales apud *Carpentoratum*, vt nouum Pontificem sufficerent, in consilium conssent, magnus illis à *Vasconibus* terror iniectus est, ita vt effractis alicubi ædibus clam effugerint; quam omnem rem per literas WALTERO significant. Sufficitóque deinde *Lugduni* IOANNE, literas ille ad WALTERVM & Episcopos, qui illi erant à consilijs, mittit. quibus de sua illos optione certiores facit: precesque illorum pro se apud Deum postulat, vt tanto muneri respondere possit. Diximus iam antea *Templariorum* ordinem CLEMENTIS, & *Viennensis* Concilij authoritate fractum & euersum; illorumque, quæ fuerunt luculentissimæ & amplissimæ, possessiones *Hospitalarijs*, siue
Ibidem 1314. *Rhodijs* tributas. Decretúmque est per WALTERVM & synodum, vt isti illos fouerent & complecterentur, & ne rebus ad victum necessarijs destituerentur, prouiderent. *Templariorum* vero instituto labefactato & rescisso, misit CLEMENS in ANGLIAM legatos, postu-
Ad Mem. extat Tho. de la more in vita Edw. 2 latum vt possessiones illæ *Rhodijs* addicerentur. Sed Rex & Proceres, à quibus illæ possessiones primum manarant, tam opimam à se prædam, in quam inuolarant, facilè excuti non sunt
Diploma extat extat in regiſtro passi. Cumque *Templarij* postea aliquot ad matrimonium, contra professionem semel editam, connolassent; edixit IOANNES, vt nisi huiusmodi matrimonia rescinderent, & probatum aliquod religiosorum institutum complecterentur, nihil illis ad vitæ subsidium præstare cogerentur *Hospitalarij*. Qua de re mandata dedit WALTERO. Egit vero deinde per
Vt in regiſtro legatos cum Rege, & per literas cum WALTERO, vt Proceres & Episcopi, qui *Templariorum* possessiones occupassent, cogerentur ab eis discedere, grauesque pœnas WALTERO, et alijs Episcopis interminatur, nisi mandato accurate satisfacerent. Quod mandatum dum alicubi WALTERVS exequitur, nuncij eius nihil aliud, quàm graues minas auferunt.

ET licet, cum pontificias literas Regi, Proceribus, & Episcopis in Parlamento ostendisset, placere sibi omnes significassent, vt mandato Pontificis pareretur, & possessio-

nes

nes ab ijs, qui illis incubuerant, auocarentur, contumacésque pœnis ecclesiasticis mulctarentur; tamen cum id WALTERVS moliretur, superueniunt regiæ literæ, quæ seuerissimè præcipiunt, ne se ea in re interponeret. Quæ res WALTERVM in maximam solicitudinem & angorem coniecit, in difficilem & ancipitem cogitationem distractum, grauique vndique periculo vel à Pontifice, vel à Rege instante. Sed potius & antiquius habuit Pontifici parere: quam suam voluntatem *Lincolniensi* Episcopo per literas significauit. Sed post biennium authoritate Parliamenti res, vt diximus, firmata est, cautúmque ne quisquam bona aut possessiones *Templariorum* apud se retineret, sed ad *Hospitalarios* transfunderet. In quibus ad *Lincolniensem* literis & aliud visitur, quod forsan non erit alienum subijcere. In more positum est apud nos, vt omnes ferè litigantium causæ duodecim virorum arbitrio, & iudicio expediantur. Qui, atque alij etiam, quorum iuramenta in iudicijs interueniebant, cum sæpe vel precio, vel affectione deprauati, vel metu fracti falsum, scientes & prudentes iurarent, eamque ob rem in grauissimam Dei, piorumque hominum offensionem incurrerent, & nescio, quas periurio suo latebras quærerent, consuetudine diuturna quasi callum quoddam iam obducente: WALTERVS edixit, vt huiusmodi homines dominicis diebus, palam in missarum celebratione, anathemate notarentur, à quo explicari, nisi ipsius authoritate præeunte, non possent. Quæ res arguit, licet in corruptissimis alioqui hominum moribus, inesse tamen aliquam illorum animis anathematis religionem. Quod remedium apud nostros fere hodie homines, & nostra tempora (licet periuria non minus, sed multo magis iam regnent) quibus & anathematis, & reliqua propè omnis ecclesiastica disciplina perculta, & prostrata iacet, haud ita multum proficeret.

Quæ extant in regist. 1310 Tho. Walf. 1313. & in statut. Parlamenti Gallicè.

MISIT deinde IOANNES Pontifex ad WALTERVM literas, quibus significauit abdicationem *Ludouici Augusti*, quæ per *Anglicanas* ecclesias diuulgata est. Sequenti anno habita sunt Procerum, Episcoporum, & populi apud *Leicestriam* comitia, quibus, quia morbus prohibebat, quo minus interesset, alios constituit qui absentiam suam supplerent. [a] Qui illi morbus fatalis fuit, rebúsque cum humanis eripuit. Post [b] quem eandem ecclesiam regit SIMON *Mephamus* ex *Cantia* oriundus, *Cicestrensis* Canonicus, & sacræ Theologiæ Professor. Proximo anno, quo magistratum iniit, [c] habuit synodum *Londini*. In qua anathemate percussi, qui WALTERVM *Exoniensem*, de quo meminimus, Episcopum trucidarunt. Habuit & [d] aliud postea *Londini*, in quo nihil decretum ob controuersias quotidiè inter SIMONEM & suffraganeos. Quædam ille alias ædidit decreta, quæ hodie vsitantur. [e] Inter quæ & illud ANSELMI renouauit, vt dies conceptionis matris Christi festus celebretur. Multùm fuit ære alieno, sed ex quibus causis non satis scio, obæratus. Ad quod dissoluendum, accepit mutuò à Clero, vt & antea decessor eius, in singulas libras annui eleri reditus, quatuor denarios. Id satis constat, [f] soluisse eum annuatim centum marcarum pensionem Cardinali *Arnoldo*, & alijs alias. Obijt [g] *Simon* ad annum millesimum trecentesimum trigesimum tertium: sufficiunt deinde illi, supplici postulatione apud summum Pontificem *Cantuarienses* monachi IOANNEM *Stradfordium Wintonienſem*, & eò quidem promiùs, quod in magna gratia apud illum & Regem positum, Regémque non ignorarent Pontificem litteris suis, ad eum illa dignitate amplificandum, solicitasse. Pontifex verò volens totum hoc beneficium suum esse & proprium, non ex illorũ postulatione, sed ex authoritatis suæ exorti amplitudine, illum SIMONI surrogat. Fuit certe vir egregijs dotibus, & accurata quadam iuris ciuilis cognitione ornatus.

Ex regist. 1326.

Ex regist. a Tho. Walf. & Ad. Mer. 1327. Polid. habet 1328
b Adam Mere. & Tho. Walf. 1327 quo Polid. prætermittit.
c Ind. Lindwodus dies fuisse ait 13. 33 quod non videtur posse consistere, & forte error est librarij vitio. cum quanta de tempore in consilijs prouinc. & synod. diuersis.
Lindwodi adde, adhuc de penit. vsu quo ordine Constitutiones prouinciales erãt condita enarrat, omnino cohæret Walsingham dicenti Walterum obijsse anno 1327. cui Simonem successisse, & an. 1328 suas constitutiones edidisse
d Adam Mere. 1331.
e In prouinc.
f Ex regist.
g Ad. Mer. cod. anno.

* PROXIMO, quo initiatus est, anno legauit eum in *Gallium* cum ceteris Proceribus EDOVARDVS, non modò vt certa & firma solidioris pacis, sed & expeditione sacra suscipienda, ratio iniretur. Et de pace quidem transactum videbatur, adeo sanè vt postridie publico edicto diuulganda decerneretur. At IOANNES cum ceteris vix ad hospitia redierat, cum ad Regem reuocatur, à quo audiunt, necesse esse vt *Dauid* Rex *Scotiæ* illius fœderis particeps foret, regnóque restitueretur: cúmque illi respondissent, non posse se in illam pacificationem interponere, quod ea res mandati sui fines egrederetur; omnis illa præclara pacis spes in tenues auras euanuit. Cum verò res essent inter nos & *Scotos* tumultuosæ & turbulentæ, & ad fines *Scotiæ* ad colloquium de pacificatione Rex progrederetur, IOANNEM a latere suo nullo modo discedere permisit. Accidit verò ad hæc tempora quiddam, quod silentio non est obruendum. Habuit quidam Dominica illa, quam palmarum appellamus, concionem; interfuit illi mulier quædam, quæ *Ioanna* dicebatur: quæ admirabiles quosdam, vt videtur, pœnitentiæ aculeos huius mulieris pectori infixit. Hinc enim illa, aut diuino aliquo aliunde motu excita-

Ann. Mer. 1329.
** Tab. 1334 & Ad. Mer. & 1333*

ta, palam spurcissimas suas libidines & stupra, quibus se à prima iuuentute nefariè contaminarat, aliaque insignia scelera, lachrymis abunde ex oculis manantibus, recitat: rogatque sacerdotem & ecclesiasten illum, vt idoneam & iustam aliquam pœnitentiam, ad tanta piacula delenda & abstergenda, indicat. Ille verò, ne mulier doloris & desperationis magnitudine prorsus obrueretur, accommodatis quibusdam, ad pusillanimitatem animi excutiendam, scripturis arreptis, ad diuinæ misericordiæ, quæ infinita & inexhausta est, fiduciam, bonamque omnem spem, debilitatum ac confractum illius animum erigere conatur. Mandat deinde, vt ad sex dies ab omnibus esculentis & poculentis, præterquam aqua & pane, abstineat. Clamabat illa, nimis esse illam mollem & remissam, ad tanta & tam diuturna peccata expianda pœnitentiam, acriorémque flagitat. Prosternit se deinde cum magno fletu & eiulatu coram imaginibus, quæ in eo templo visebantur, Deum supplicet ir pro expiatione precatur, & interram prono corpore prostrata, quo tempore in sacrificio sacra Eucharistia populo ostenditur, mox animam, vultu admodum albescente, efflauit. Sed redeamus ad IOANNEM.

CVM EDOVARDVS *Francum* sibi, vt iam diximus, vendicasset, & atrocia ob eam causam seruerent bella; veniunt duo in ANGLIAM à Pontifice Cardinales, ad pacem, si fieri posset, reparandam. Cumque, vt fit, de controuersia illa disceptatio oborta esset, & Cardinales magis in *Francum* propenderent, alterque ex his, in concione ad Clerum, studium suum erga *Franci* causam ostendisset; surrexit mox IOANNES, multáque disseruit ad EDOVARDI causam fouendam, & quæ a Cardinale proposita erant refutauit. Meminimus verò iam antea de clara & illustri illa nauali victoria, qua EDOVARDVS apud *Cluſas* cohonestatus est. Quia ille non solum, vt credibile est, excidisset, sed & in se præsens vitæ periculum coniecisset, nisi huic tanto malo IOANNES, sua prudentia & consilio mature occurrisset. Decreuerat EDOVARDVS, cum quadraginta tantum nauibus, in *Flandriam*, vt vxorem & liberos, quos ibi reliquerat, inuiseret, trajicere. Intellexerat verò IOANNES instructissimam *Gallorum* classem in insidijs, ad eum excipiendum, positam. Rem refert ad Regem, dicit copias suas valde extenuatas præ *Gallorum*, rogat vt maiorem nauium numerum instruat, alioqui se & suos in præsens discrimen vocaret. At Rex, quia iam animum ad illud iter prorsus obfirmauerat, consilium illius reijcit. IOANNES dolens Regem tam præcipitem ad suam perniciem, abijt; & Cancellariæ (quo munere fungebatur) sigillum ei remittit. Accersit deinde ad se Rex *Robertum Morlenum* maris præfectum, & nautam quendam, qui *Crabbius* dicebatur, rei maritimæ peritissimum. Quærit quid illi consilij darent? Illorum verò oratio prorsus cum IOANNIS congruebat. Rex inde efferatior; Conspiratis, inquit, cum *Cantuariensi*, vt hoc meum iter interpelletis. Sed ego illud vrgebo: vos, quos inanis iste timor incessit, domi si velitis desidete. Tum illi; Nullum, inquiunt, laborem vel periculum denegamus, aut deprecamur. Primi capita, præsenti, quod scimus impendere, nisi sis à nauibus & militibus paratior, discrimini obijciemus.

Tho. Walsing. 338.

Rob. Auesbur. in Histor. Edw. 3. quæ incepit Martium 1340

HAC eorum constanti oratione fractus EDOVARDVS, IOANNEM accersit, & blandis sermonibus delinito, sigillum ei rursus tradit. Móxque emittit, qui cum omni celeritate copiosiorem nauium, & militum numerum cogant. Naues deinde contendens, in hostes fertur (in naues verò aduersariorum, quod in portu se continerent, & propter illarum catenationes irrumpere non potuit) & quasi fugam meditatus, retrocedit. Illi verò veram illam fugam, & non simulationem arbitrati, aduersus nostros persequendos se expediunt. Qui illos in altum elatos, & se secundo vento adiutos conspicati, in eos classe conuersa, magnis animis feruntur, & omnium ore & literis decantatam illam victoriam adipiscuntur. Obsidet deinde *Tornacum*, & alia quædam oppida EDOVARDVS. Sed pactis postea induciis, nulla re terresti memorabiliter, & illustrius gesta, domum reuertitur; tantáque celeritate, vt nec opinantes eos, quibus Reipub. administrationem crediderat, *Londini* opprimeret. Valde verò exulceratum animum aduersus eos gerebat, cautatus, per eos, quod pecuniam opportunè non suppeditassent, à medio rerum & laudum suarum curiu, a propinqua & quasi certa *Tornaci* adipiscendi spe, reuocatum; induciasque illas ob eam causam sibi quasi expressas.

IOANNEM *Stonhervium*, & alios quosdam laicos in turrim conijcit. *Cicestrensem* Episcopum & alios ex Clero, ab illis, quas illis mandarat, reipub. functionibus abdicat: sed in neminem, quàm in IOANNEM, quo illius merito non satis ferò, stomachosior aut rabiosior. Adeoque ille omnem illam gratiam, quam ob *Cluſinam* victoriam expectare non sine causa potuisset, amiserat, vt varia, nec leuia in eum crimina Rex post reditum. ADAMO *Winteniensi* Episcopo, vt credebatur, & alijs quibusdam æmulis instigantibus, cumularit. De quibus inter æ

Regis

Regis ad Decanum,& Canonicos templi D. PAVLI apud *Londinum* extant. Criminatur enim eum quasi illius potissimum consilio, quo vnicè nitebatur, thesaurus regius, nimis in eum & alios, his beneficijs parum dignos, largitionibus exhaustus esset; quod sua & consiliariorum æstimatio valdè per eum esset læsa, quos, quasi ecclesiasticæ & popularis libertatis in pecunijs emungendis oppressores, publicè notasset. Fuisse verò illum *Gallici* belli præcipuum incensorem, solitúmque dicere, Sit tibi, ô Rex, idoneorum militum acer delectus; meę partes erunt prouidere de amplo, & expedito, idoneóque pecuniæ subsidio; & tamen per eum potissimùm stetisse, quod *Tornacensem* obsidionem turpiter pecuniæ inopia soluere cogebatur. Accersitum verò recusasse sui præsentiam facere, causatum, nescio quibus insidijs, vitam suam appeti; & licet, missis à se ad eum literis, quæ omnem illi securitatem pollicebantur, metúmque demerent, in eadem tamen contumacia perstitisse. Visuntur & IOANNIS ad Regem literæ *Gallicè* scriptæ, quibus quantùm splendoris & amplitudinis *Salomoni*, quod prudentibus & ætate prouectis: contra, quantùm detrimenti *Ieroboam* filio, qui consiliarijs nec prudentia, nec ætate maturis vtebatur, accesserat, admonuit. Et ne tam longinqua repeteret, istud vnicam fuisse patris sui pestem ostendit. *In histor. Rob. Ancibur. & apud Thom. VValsi.*

NEQVE reticet quam omnia ipsi EDOVARDO, ad prima regni initia dura & aduersa, eandem ob causam acciderant. Quam maculam, etsi præclaris suis actionibus, magis idoneos sibi adhibendo consiliarios, ita deleuisset, vt nominis sui & rerum præclarè gestarum gloria orbem implerit; cauere tamen debere, ne in priores se imprudens conijciat plagas, si, vt nuper occœpit, peruersis consiliarijs, qui omnia suis potius, quam Reipub. commodis, aut Regis dignitate atque salute metirentur, aures præberet; si contra legum instituta, & regni priuilegia, quæ suo firmasset iuramento, Clerum, Proceres, & populum vexaret. Occinere illos quidem populo grata & plausibilia quæ ageret, sed fore vt ipso rerum exitu, interpellatis, quę præclare cogitarat & incœperat, consilijs, nec sine suo periculo, rem se aliter habere intelligat. Rogat itaque vt acrem, in consiliarijs adhibendis, delectum habeat. Et se quidem quosdam, qui magna apud eum gratia florebant, qui læsæ maiestatis, & aliis iniustis ipsum onerassent criminationibus, anathemate iam perculisse. Quod verò ad res *Tornacenses* spectaret, se obnixè rogare, vt commodo aliquo loco Procerum, populique comitia indicat, quibus securè interesse possit; omnibúsque ibi rationibus atque diligentia inquirat, quinam sint pecuniæ publicæ reliquatores, nec deprecari se, quin in huiusmodi ex legum præscripto vindicetur. Rogare, vt si quæ aduersus se instituatur accusatio, ea Procerum, vt moris est, iudicio, & salua ecclesiæ dignitate atque libertate expediatur. Rogare, ne pernicioso exemplo, causa non idoneè cognita, homines damnentur. Rogare, vt Procerum, populique erga se beneuolentiam omni diligentia foueat. Rogare, vt ęqui bonique hanc illius in dicendo libertatem (quæ ab eo qui erat, & semper fuerat maiestatis illius obseruantissimus, & à patre illius spirituali proficisceretur) acciperet.

ET intentata quidem est aduersus eum eodem anno actio, cognitióque *Gulielmo Childisbeo* mandata, sed videtur postea Regi reconciliatus. Cui quadriennio post, Clerus decimas ad triennium largiebatur. Rex verò, vt aliquo tantam liberalitatem beneficio pensaret, edixit, ne quisquam Episcopus vocetur ad causam dicendam in regio tribunali, nisi disertè & expressè id mandaret. Et si quæstio oriatur, an quisquam ex Clero duas vxores, aut viduam duxisset, cognitionem ad forum ecclesiæ, non regium trahendam; & alia quædam. Visuntur circiter quindecim IOANNIS in synodo decreta, quæ vbique obuia sunt. Erga fratres *Prædicatores* magna propensione, studio, & obseruantia ferebatur. Quorum in capitulo, vt appellant, prouinciali, confluentium precibus, summa se animi demissione officiosissimè commendare solebat, vt illarũ subsidio feliciùs suscepto munere defungi posset. Defuncto IOANNI, substituitur IOANNES *Offordius* Regis Cancellarius, qui intra annum, & ante initiationem rebus humanis ereptus, munus ad THOMAM *Braduerdenum*, quod vno tantùm anno administrauit, transmisit. Heredes verò *Offordy* ex sententia damnati sunt, dare *Islepio* THOMAE successori mille & centum libras ob ecclesiæ ædificia, quæ non erant tecta, obque eam pecuniam, quam *Romæ* soluere debuerat. Philosophiam & Theologiam THOMAS exactè calluit. Quod libri eius abundè testantur.

Ex archiuis. Th VValsi. 1144 Vide statut. An. Edon. 18.

In const. prouin.

Extant literæ in regitro. An. 1148 Polid. vide statut anno Edo. 18. Ad. Ad. Morem. Ib 1140 & 1150 & Tho VValsi. 1150. Ex registro.

De SIMONE Islepio, & alijs Cantuariæ Archiepiscopis.

CAPVT X.

Ex registro anno 1349. & 1362.

SIMONEM monachi suffragatione sua cooptarant. Sed CLEMENS pontifex, qui, viuo adhuc THOMA, ex cautione & prouisione, sibi soli futuri Pontificis designationem illibatam, & integram esse voluit; non ex illorum suffragatione, sed ex sua illa prouisione SIMONI munus illud mandauit: homini ius humanum & sacrum pulchrè callenti, ecclesiæ D. PAVLI *Londinensis* Canonico, in qua pontificia authoritate consecratus est. Moxque misit procuratorem, qui præbendæ illius, de qua diximus,

Rob. Autisbur. Anno 1349.

Lugdunensis possessionem adipisceretur, Eodem anno venerunt *Londinum* ex *Holandia*, *Zelandia*, & aliis locis, eo anno qui iubilæum præcesserat, viginti quinque homines, qui inferiores corporis partes linteis pannis tegebant, cetera nudi, capillos vero capitis habebant ante & retro, cruce rubea insignitos. Singuli manibus gerebant singula flagella, ex tribus cordulis contexta, quas singulas nodus exasperabat, cui & aculei infixi erant. Hi alias in D. PAVLI templo, alias alibi, quasi supplicationes obeuntes, totum corpus flagris, nunc flendo, nunc canendo, cruentabant. Quatuor vero in cantione præeuntes, reliqui eandem repetentes subsequebantur. In illis vero supplicationibus humi se, manibus ad crucis figuram conformatis, prosternebant. Quilibet vero socium ita iacentem canentémque transiliens, vnico flagelli ictu cæcidit. Induebant postea vestes, & hospitia repetebant. Sed nec cruces de capillis, nec flagella de manibus interim demittebant. Sed hæc disciplinæ ratio, quam sua priuatim authoritate, inconsulto *Romano* Pontifice ingressi sunt, CLEMENTI Pontifici displicuit, id quod per literas significauit.

AD quæ tempora sæuissima ANGLIAE pestis incubuit, ad quam depellendam, & vt Regis regnique negotia in illa sua, præsertim contra *Hispanos*, instituta nauali pugna felicius expedirentur, publicas & iam, & postea sæpe preces supplicationesque indixit. Libertatum atque prærogatiuarum, tum suæ *Cantuariensis*, tum totius *Anglicanæ* ecclesiæ, pro quibus conseruandis dicit diuum THOMAM capite luisse, diligens & acer fuit assertor. Quas qui scientes & prudentes violarent, ijs ille anathema infixit, Regémque admonuit, ne clericorum bona, qui per ipsius ministros alicuius criminis damnati essent, seque deinde in ecclesiastica cognitione de illo idonèe purgassent, ab illis ad se auerteret. Sanciuit vero vt huiusmodi reorum, ecclesiæ carceribus addictorum, quorum admissa certa & explorata essent, neque vlla probabili prætextu aut excusatione tegi poterant, nulla ratione satisfactio aut purgatio admitteretur. Vtque quarta, & sexta feria, atque sabbatis sola aqua & pane, ceteris diebus pane & tenui cerusia vterentur, nisi quod dominico legumen accederet. Eaque cautio adhiberetur, vt decretum non relaxaretur, etiamsi amicorum, aut eorum, qui simul conuiuerent, liberalitate aliquid aliud ad potum, aut ad cibum daretur. Sed nec ceteros ad purgationem recipi mandauit, nisi exactissima in ijs locis, vbi crimen admissum dicebatur, præeunte inquisitione. Nec minus seuerè & aliorum cuiusque ordinis hominum crimina vindicauit.

Ibid. 1351.

TRIENNIO post hoc munus, *Caletum* profectus est cum Duce *Lancastriæ* & alijs, ad pacis & concordiæ rationem aliquam ineundam, reliquitque *Roberto, Cantuariensis* cœnobij Præfecto, totius ecclesiasticæ suæ iurisdictionis, dum abesset, procurationem. Vt populum, ita & maximam sacerdotum partem pestis exhauserat. Quare multi sacerdotes, qui huic soli rei vacabant, vt defunctorum animas Deo sacrificijs commendarent; coacti iam sunt, ex SIMONIS mandato, parochijs orbis inseruire: moderatumque est presbyterorum, quod in immensum, vt diximus, creuerat, salarium & stipendium. Illa vero eius diligentia laude sua carere non debet, qua solicite prospexit, vt sacerdotes parochianis suis accuratè decalogum, & septem illa mortalia, & capitalia crimina cum suis appendicibus, & id genus alia in suis concionibus explicarent. Quam ille rem omnem, ad rudiores sacerdotes melius informandos, peculiari quodam libro complexus est: in quem tamen adhuc non incidi. Extant vero quædam eius in synodo decreta. Reperi vero in *Cantuariensis* ecclesiæ archiuis, sanctionem eius quandam de decimis soluendis, quæ graphicè describit commoda, quæ ex integra & fideli decimarum: & rursus incommoda, quæ ex peruersa & infideli earundem exolutione proueniunt.

Ex eodem regili

Hoc ante eum decreuerat Ioannes Peckamus, vt patet ex titulo de officio Archipresbyteri, in Prouinciali Lyndwodi. c. 1.

DIVTVR-

DIVTVRNA autem & turbulenta illa, de Cruce ante *Eboracensem* deferenda, quæ toties vtrosque Archiepiscopos cruciauit & torsit, controuersia iam sedata est: ita quidem vt integrum deinceps foret *Cantuariensi* in *Eboracensi*, & huic in *Cantuariensi* prouincia Crucem deferre. Sed tamen, ob potioris sedis prærogatiuam, conuenit, vt *Eboracenses*, post duos menses quam sunt Archiepiscopatui solenniter initiati, mittant Cancellarium, aut alium aliquem insigniori loco virum, qui Crucem secum aurea imagine insignitam, cuius precium quadraginta libras conficiat, Archiepiscopum manu crucem portantem referentem, deferat, ad sepulchrum THOMAE martyris offerendam. In regnicomitijs & alijs publicis consessibus, dextrum à *Cantuariensi*, sinistrum ab *Eboracensi* occupandum; vtque, si viæ amplitudo pateretur, crucigeri simul incedant: sin loci angustiæ non ferant, prior locus *Cantuariensi* Cruci daretur. Hæc pacta conuenta communi vtriusque suffragio, Rege suam operam ad concordiam ineundam ponente, constabilita sunt: Cui & INNOCENTIVS Pontifex suum etiam honorarium calculum adiecit. Multum habuit SIMON & Clerus cum EDOVARDO Rege negotij, qui quod continuis bellis distineretur, nouam semper pecuniam extorquebat: Cui & Clerus, vt de reliquis taceam, proximo, quo SIMON magistratum iniit, anno, duplicem decimam donauit. Hac tamen cautione, vt posterior prius non solueretur, quàm Clero prospectum esset de priuilegijs & immunitatibus suis, quæ quotidie magis ac magis labefactabantur. *Ex eodem regist.* 1353. *E registro* 1356

POST aliquot deinde annos indixit SIMON synodum *Londini*. Postulat vero Rex à Clero decimas sexennes; SIMON per literas Regem submisse rogat, ne vllam iam pecuniam conferre cogatur. Donasse enim Clerum prius decimam, restituendarum immunitatum conditione ascripta: promissúmque proximo Parliamento rem in integrum restituendam, sed nullam opem hactenus allatam. Ad hæc premi Clerum solutionibus procurationum, quas propediem *Simon Sudburius* Pontificis nuncius exigeret: essèque in expectatione duorum Cardinalium aduentum, quibus itineris sumptus reficiendi forent. Accedere sacerdotiorum reditus ita mutilatos & imminutos, vt vix dimidiato valeant. Adiungit & hoc, Regē superiore Parliamento laicos ab omni quintadecima, aliáue solutione ad sex postea annos, promisso suo securos & immunes reddidisse. Rogat ne Clerus, qui semper in hoc genere primas ferre solebat, iam deteriore loco constituatur. Res ita tandem exijt, vt vnicam Clerus decimam soluere, & vnam quidem illius dimidiatam simpliciter, alteram verò, priore moderatione, atque conditione implicitam promitteret. Qui postea annus nobilitatus est, ob illustrem illam EDOVARDI Principis victoriam, Ioannemque *Galliæ* Regem in ANGLIAM captiuum adductum: Omniáque gaudio, lętitia, & triumphis in ANGLIA affluebant & feruebant. Supplicationésque eam ob rem passim in ecclesijs, per SIMONEM decretæ. *E registro* 1356.

INCIDIT administratio SIMONIS in CLEMENTIS *sexti*, INNOCENTII *sexti*, & VRBANI *quinti* Pontificatum. Multis illum CLEMENS prærogatiuis, in notarijs videlicet designandis; in ecclesijs & cœmeterijs semine, vel sanguine contaminatis expiandis; in conferendis duodecim beneficijs, quorum fuerat patronus, etiam ijs qui alterum possiderent, licet cura animarū implicitum; in eorum ordinatione, qui vitiatos natales haberent; diplomatēque suo, omnique sua quam maxima authoritate munit aduersus omnes, qui *Cantuariensis* ecclesiæ possessiones inuaderent, aut priuilegia conquassarent. Et quoniam querebatur SIMON ecclesiam *Cantuariensem*, cum omnis sua ea in re culpa abesset, ingenti ære alieno, téque variis & immensis sumptibus obrui; indulsit ei CLEMENS, vt liceret illi moderatum, ex donatione Cleri prouinciæ suæ ad huiusmodi onera extenuanda, subsidium accipere. Quod & adeptus est, quatuor videlicet denarios in singulas marcas. INNOCENTIVS verò per literas SIMONI, & Clero, sui in *Romana* sede ordinationem significat, precéque Cleri pro se implorat, quò tanto suscepto muneri felicius respondeat: quibusdamque SIMONEM priuilegijs honestat, inter quæ, vt diœcesim suam *Cantuariensem*. Apostolica authoritate, vt communi voce vtar, visitet. Sanciuit præterea INNOCENTIVS, vt Apostoli nostri AVGVSTINI dies natalis, instar duplicis, quod appellant, festi celebretur. Vt multa in multos, viuus in viuos, & inter alios in *Roffensem* Episcopum (cui sexaginta quinque libras, ex illa sede vacante sibi debitas, propter Episcopatus exilitatem donauit) ita quædam SIMON, in omnem postea posteritatem permansura, post obitum beneficia posuit. Inter quæ, splendida illius, apud *Maydestonium*, Archiepiscopalis palatij ædificatio. Sed multo longius & antiquius illud est, quod ad bonas literas *Oxonij* promouendas contulit, & in illud collegium,

quod *Cantuariense* hodie dicitur; vbi quosdam qui literis operam darent, cum præside & sacerdote, qui sacra quotidie obirent, collocauit. Docti enim viri ex violenta, & immani illa peste, valde erant passim exhausti atque absumpti; & alios, qui eis sufficerentur, studiáque persequerentur, rerum angustiæ remorabantur. Quibus de rebus SIMON conquestus est. Leges & præscripta illis suis alumnis dedit, quibus vitam suam informarent. Inter quæ & illud, vt in mensa accumbentibus sacræ scripturæ recitarentur, quas silenter & attentè audirent.

Polyd. li. 7. c. 46 INSTITVIT ille hoc collegium partim vt monachi, partim vt alij, qui à voto & religionis obseruantia soluti & liberi erant, ibi versarentur, ita tamen, vt monachi priores tenerent. Sed mortuo SIMONE, monachi ab illis alijs, vt soli sui generis & sortis homines ibi regnarent, exturbati sunt. At importunitatis huius pœnas mox dederunt; opera enim SIMONIS *Langhami*, qui ei successit, monachi restituti, illi vero extrusi. Fuere vero pontificiæ quædam ædes *Wrothamiæ*, sed quæ nimias ruinas passæ iam collapsæ erant. Ex illis igitur ruinis materiem *Maydestonium* conuexit. Qua in re ita religiosus erat, vt nihil illiuc, nisi Prioris & cœnobij *Cantuariensis* præeunte consensu, auertere voluerit. Incidit vero in impostorem quendam, qui cum maritus esset, deserta vxore, impudenter sacris & sacrificijs obeundis se ingerabat. Aufugerat ille ex *Lincolniensi* agro, & apud *Feuershamium Cantuariensis* diœceseos oppidum, sacerdotium sibi arrogabat. Sed tandem *Catherina* eius vxor, quæ anxiè eum inquisierat, profugum inuenit. Qui, vt meritas suæ temeritatis pœnas daret, ad *Iohn. Leland.* *Lincolniensem* Episcopum remissus est. Quædam etiam perrennibus scriptis à se mandata, posteris reliquit. De quibus alij.

Ex registro.

De SIMONE Langhamio, *& alijs Archiepiscopis.*

CAPVT XI.

DOST obitum *Islepii*, *Langhamius*, vt dixi, succedit,[a] per VRBANVM ab *Eliensi* sede *Cantuariam* translatus,[b] præfectus aliquando, post obitum *Simonis Birchistonii*, cœnobij *Westmonasteriensis* & Regi à thesauris, mox *Eliensi* Episcopatu, & Cancellarij munere, *Cantuariensi* deinde sede ornatus,[c] & post biennium inter purpuratos patres relatus, & *Prænestino* Episcopatu donatus. Quare Archiepiscopatum dimisit. *Auenione* deinde post octo, aut nouem annos fato functus est ex paralysi. Sepultus est in templo quodam *Carthusianorum* prope *Auenionem*, quod ipse construxerat. Ossa vero eius postea *Westmonasterium* relata, in quod ille magna beneficia contulerat. Extat vnum[d] eius in synodo decretum. Cui VRBANVS GVLIELMVM *Witteleseium Wigornieusem* Episcopum substituit. Qui illò ex *Roffa* migrauit.[e] Ante susceptum Episcopatum fuit *Huntingtoniensis* Archidiaconus, cuius opera in causarum in Curia (vt appellant) *de arcubus*, & aliarum cognitione, multum vtebatur *Islepius*; cum quod sanguinis necessitudine illi iungeretur, tum ob ciuilis & ecclesiastici iuris, qua pollebat, peritiam.[f] Triennio post, indictum est tributum Clero, ad quod cogendum, & sacerdotes qui stipendia faciebant in parochijs, & tenuia beneficia, quod antea non fiebat, onerabantur. Episcopi, qui erant à priuato sigillo, à thesauris, & cancellaria, ijs muneribus deturbati sunt, illáque laicis mandata. Sequenti[g] vero anno Parliamenti comitia Rex habuit *Wintoniæ*, ad quæ quatuor tantum Episcopos, & totidem cœnobiorum præsides accersiuit. Biennio post, aliud, vt *Polidorus* tradit, tributum à populo depensum est. De qua re nihil adhuc alibi reperio. Redactáque sunt singula sacerdotia ad certum & definitum censum, secundum quem, decima tam Regi quam summo Pontifici attribuebatur. Quod Clero luculento postea fuit damno, cum multa sacerdotia ita extenuarentur, vt decima quartam, vel quintam aliquando partem exhauriret. Sed vtrumque horum ad tertium annum antecedentem forte deferendum est.

[a] *Anno 1366. Tho. Walsi.*
[b] *Th. Walsi. 1349 & continuatio Ad. Mer 1340 Polych li 7 c 46*
[c] *Th Walsi. 1367 & 1376. Cant. Ad. Mer. dicto anno 1350 Polych li 7. c 50.*
[d] *In conuit prouinc. de consuet ca. 1. c 1368. Th. Walsi. & dict continuatio 1376. ex registro Islepij.*
[e] *Tho Walsi & dict cont. 1371. Polych. li. 7 c. 48.*
[f] *Polych. lib. 7 c. 48. 49. Thom. Walsi. & cont Ad. Mer 1372. Polidor li 19.*
[g] *Anno 1374 Th. Walsi & cont. Ad. Mer.*

Idem 1377. GVLIELMO rebus humanis exempto, Monachi *Cantuarienses* Cardinalem *Langhamium* sibi rursus asciscunt. Qua ex re, in Papæ, Cardinalium, & Regis offensionem incurrebant. Et Rex certe tam vehementer in eos est exacerbatus, vt vererentur ne quid grauius erga se statueret. Proximo deinde anno, SIMON *Sudburius* à *Londino Cantuariam* auocatur. Qui eodem anno in *Galliam*, cum Duce *Lancastrio* & alijs profectus est, ad pacis aliquod fœdus sanciendum. Quæ quidem licet diuturna, magnifica, & sumptuosa legatio, nihil profecit.

cit. RICHARDVS Rex à SIMONE regia corona ornatus est, qui eum postea Cancellarium *Th. Walsi. 1377*
suũ designauit. Quod illius munus fecit cum apud seditiosos illos rusticos magis inuidiosum, mortemque illi acceleraut. Etsi enim gladiatorium sicarij isti animum gerebant, aduersus non modo eos, qui publicum aliquod in rebus ciuilibus, aut sacris munus obibant, sed & aduersus eos, qui *Anglicanis* aut ecclesiasticis legibus discendis, aut promouendis, aut etiam latinæ *Th. Walsi. 1384*
linguæ discendæ operam dabant, (ludi enim magistros iureiurando constringebant, ne huiusmodi scholas amplius aperirent, omnesque antiquas iudiciorum contractuumque tabulas, publicáque regni, vt diximus monumenta, ædesque quæ illa continebant *Vulcano* mandabant, neque quisquam fere manus illorum euasit, qui atramentarium lateri appensum haberet) nemo tamen omnium vel propter prudentiam, vel propter doctrinæ & authoritatis magnitudinem, SIMONE illis fuit, *Ioanni Baleo* præsertim totius huius seditionis tubæ, inuidiosior. Et iam diximus quo modo *Walterus Tilerus*, & *Ioannes Baleus*, cum illis alijs tumultuosis *Cantianis*, grassati sunt in omnem eius *Cantuariæ* supellectilem, grassaturi etiam haud dubiè in caput eius, si illic in illorum manus incidisset. Qui se nihil præclarè gessisse existimabant, quamdiu SIMON, à quo præ alijs, nefarijs illis suis furoribus impedimentum obijciendum, & *Catilinarios* illos suos conatus illius potissimum consilio & prudentia retundendos timebant, superstes esset. Quare non conquieuerunt, donec ille in eorum potestatem venisset.

QVEM tandem in arce *Londinensi*, siue eam (quod *Frosardus* tradit) effregerint; siue quod (vt *Walsingamius* ait) metu, & ad maiora summæ rei pericula auertenda, intromissi sint post varias huc illucque concursationes, & turbulentos clamores, *Vbi est ille proditor*, *Vbi est reipub. expilator*, cum repererunt. Imo vltro ille se obuiam illis tulit in sacello, vbi ille, immanentis mali præsagitione, in orationibus pernigilauerat, & sacra mysteria, quo se magis ad exitum muniret, obierat. Et antequam aduenissent, quasi parato iam & expedito ad mortem animo, optabat aduentum illorum accelerari, & his vocibus quasi lacessebat, & prouocabat. Cur tantas moras nectunt? Cur tantum mihi & tam solidum bonum inuident? Quin ista tarda impedimenta celerrimè expediunt? Commodum iam mihi est, si Deo ita visum sit, mori. Quos cum iam irruisse in turrim audisset, celio & erecto animo, magnaque constantia; Eamus, inquit ad suos, secum, mors iam omni vita, longe apud me præponderat. Multo mihi antiquior & longior est abitio, quam mortalibus huius corporis vinculis, vitæque humanæ curis distineri. Neque sane vnquam, aut per totam antea vitam, tam soluto, libero, & expedito animo, tam secura & tranquilla conscientia mortem oppetissem. Cumque iam ingressi suo barbaro, & incondito more succlamarent, nihil ille animo fractus: Aduentus vester, ô filij, ait, oppido mihi est gratus. En vestrum Archiepiscopum; en vestrum apud Deum patrem, qui longe ab omni ista vestra criminatione, omnique proditionis & expilationis culpa abest. Hæc dicentem vi è sacello rapiunt, & ad monticulum arci adiacentem abripiunt. Cumque iam violentam mortem impendere videret, admonuit, vt cogitarent quam graue ea in re piaculum admitterent. Illi vero ingentes quosdam clamores edentes, qui nullam vocem, sed, nescio quos, insanos & horrendos strepitus (quibus illis, quoties aliquem vita spoliarent, vsitati erant) referrent, accersunt carnificem, qui caput eius resecaret. Ille interim, postquam varia & salutaria animabus ipsorum mandata, veniamque suæ necis carnifici dedisset, in genua demissus, ceruicem gladio constanter obiecit: octoque illi carnifex, eius forte aut artificij insolens, aut vt magis viri dolorem exacerbaret, ictus impegit antequam obiret. Cadauer & eo die, qui fuit veneris, & proximo, nemine ausо illud humare, sub dio iacuit.

COESVS est eodem die *Robertus Halisius Rhodiorum*, siue *Ioannitarum* militum præses, & *Th. Walsi. 1384*
Ioannes Leg. vnus è regijs lictoribus, tum *Franciscano* quodam, aut, vt quidam, Carmelita. Author meus, à quo hæc narratio petita est, narrat quædam miracula postea patrata, sanitatúmque beneficia ad sepulchrum SIMONIS præstita: dictumque carnificem *Ioannem Starlimum*, hominem *Essexianum*, eumque mox à dæmone afflictatum; eumque domum redisse, nudo gladio ante pectus pendente, & pugione a tergo, ita per vicos & plateas obambulasse, passim vociferantem se illis telis SIMONEM obtruncasse, séque *Londini* mercedem facti in accepturum. Et ille quidem verus vates, licet à dæmone ludificatus, aliorsum accepisset quam res erat, fuit. Nam cum post aliquot dies *Londinum* redisset, compressa mox seditione, meritas sceleris luit pœnas, capitalique supplicio affectus est. Sunt qui narrent SIMONEM non vi ex arce, abreptũ, sed nullum cum suis duobus à Rege, quo benignis & lenibus *Polid. lib. 20.*

verbis

verbis turbulentam multitudinem leniret, & ad officium inflecteret. In quos propter vitæ, ordinis, & pietatis præstantiam, illam haud æquiturum putabat. Sed ego ea in re sequor, non solum recentioris, sed & illius sæculi authores. Vtcunque sit, omnes ijsdem sententijs in re summam conspirant, & de nece illius omnes ad vnum consentiunt. Conspiciuntur hodie quædam SIMONIS ecclesiasticæ sanctiones.

Fabianum & alios Froissard. Io. Gower.

SIMONI subditur GVLIELMVS *Courtenetus, Hugonis* Comitis *Deuoniæ* filius, ab *Herefordensi Londinum*; deinde à *Londinensi* traductus: quem sibi monachi *Cantuarienses* Archiepiscopum optarunt, miseruntque ad VRBANVM summum Pontificem nuncios, qui postularent, vt ille suam, ipsorumque suffragijs authoritatem adiungeret. Sed ipse iam ante illorem postulationem, *Cantuariam* illum transferendum decreuerat, palliumque postea transmisit. Quod illius humeris *Roffensis* Episcopus (cui id, & iurisiurandi de more ab eo accipiendi, munus Pontifex deleg rat) imposuit. In quo præter vsitatas & consuetas formulas, dissertè *Clementis* pseudopapæ authoritatem repudiauit; quam summa Regni comitia, vt antea diximus, reiecerant. Fuit tamen ANGLVS quidam *Gulielmus Brixtonius* disciplinæ *Dominicanæ*, qui *Clementi* præfractè adhæsit, eiusque authoritatem solidam & iustam contendebat: idque se in publicis disputationibus idonee probaturum asserebat. Sed huiusmodi disputatio repudiata est, ne ea forte summorum comitiorum authoritatem diminueret. Cumque Rex, *Courteneius*, & alij Episcopi, & multi ex Proceribus enixè cum eo egissent, vt pertinaciam illam suam deponeret; cessit tandem, certósque sibi Episcopos selegit, quorum se iudicio & sententiæ staturum dixit. Cum iam GVLIELMVS *Cantuariensis* Archiepiscopus delignatus esset, nec pallium adhuc transmissum, variæ dubitationes exortæ sunt; & inter ceteras, An crux ante illum de more deferri, & an ipse regni diademate, ANNAM vxorem RICHARDI Regis insignire interim posset? Responsumque est post magnam deliberationem, nihil iusti impedimenti interuenire, quo minus vtrumque posset. Ad primordia suscepti muneris, cœpit diligentem cogitationem de *wicleſiana* hæresi opprimenda. Qua de re suo vberius loco postea agemus. Incidit vero post aliquot annos in grauem Regis offensionem, quem liberius de mala, & peruerta Regni administratione admonuerat: Adeo, vt possessionibus eum spoliare cogitaret, coactusque est clam & propere secedere. Eodémque anno in regni comitijs *Londini*, laici quintam decimam, & alteram dimidiatam Regi largiti sunt; ita tamen, vt Clerus decimam & dimidiatam conferret. Visa est hæc conditio GVLIELMO nimis iniqua, postulationique vehementer restitit, eaque ex causa laicos mirum in modum lacessiit, & incendit, non modo aduersus se, sed & omnem Clerum; adeo vt voces ab illis palam iactarentur, Clerum ex possessionum amplitudine præfractiorem, & intemperantiorem, & insolentiorem redditum. Quin & postulationes in medium ex scriptis propositæ sunt, de illis possessionibus comitiorum authoritate à Clero auertendis,

Ex registro Cantuar.

Vt alij 1382. Idem 1383.

Idem.

ET iam blandiebantur sibi multi, quasi in spe certa & explorata, & nescio quos montes aureos ex illis sibi possessionibus somniabant, adeo vt author meus *Walsingamius* audiret, qui vana vendicatione & ostentatione accedente etiam iuramento, mille sibi annuas libras ex possessionibus *Albanensis* cœnobij propediem accessuras iactitaret. Sed de omni ista sua præclara spe deturbati sunt. Nam vt ab huiusmodi postulatis supersederent, vtque aboleretur huiusmodi conditio, Rex mandauit; magna contentione contestatus, nolle se Cleri conditionem imminuere, sed velle illibatam atque integram ab omni huiusmodi iniuria conseruare. Cumque GVLIELMVS ex Cleri voluntate officiosissimè, & cumulatissimè gratias Regi egisset, & ne esset sterilis debitor, vnam decimam, quam lubentissimè Clerus tributisset, ei obtulisset, gratissimo & propenso animo eam donationem Rex amplexus est, palam professus, illam, quæ à spontanea voluntate proficiscebatur, magis sibi adlubescere, quam vel quadruplicatam, quæ ab inuitis manaret. Postulatum etiam est, sed inaniter, vt sacerdotiorum, quorum patronus erat, primitijs Rex augeretur. In illis vero comitijs, quæ habita sunt anno millesimo trecentesimo octuagesimo nono, & millesimo trecentesimo nonagesimo sexto, tam GVLIELMVS quam *Eboracensis*, suo totiúsque Cleri nomine contestabantur, si quid ibi tentaretur, quod *Romanæ* sedis dignitatem imminueret, se sua suffragia decretis huiusmodi non adiunecturos. Illi autem Parliamenti nihilominus antea decreto consensere, quo cautum, ne quis Pontificis *Romani* rescriptum aduersus eos, quibus ius patronatus in regio tribunali adiudicatum erat, aut de Episcopis & alijs, qui Regi & regno necessarij erant, extra regnum alio transferendis, impetrarent. Patronatus huiusmodi cogni-

Vt in x chimis.

Ex ijsdem archiuis.

De quæ in Statutis inter Ioan. Reb. 16 & 1392.

tio, etsi

tio, etsi ad ecclesiæ tribunal, vt diximus, spectet, tamen contraria consuetudo tam penitus insedit & inueterauit in ANGLIA, vt ad eam Episcopi conuitiere iam olim cogerentur. *In const. prouinc. cap. si aliquo de iure patronat.*

PRAETER commemoratas, multas alias COVRTENEIVS synodos habuit, in quibus ipse sæpè eleganter & facundè concionatus est: alias illud pro themate, *Maior vestrum erit minister*: alias, *Super muros Ierusalem constitui custodes*; alias, *Viri pastores sumus serui tui*; alias & illud, *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum*; alias, *Sacerdotes præcedent aream*; alias alia scripturæ loca vtrupans. Concionatus est etiam sæpe, cùm prouinciam suam lustraret & visitaret, & nonnunquam Latinè. Amplissimum autem illi VRBANVS Pontifex diploma indulsit, quo liceret ei prouinciam suam intra biennium visitare, neque tamen accurata legum rescripta ea in re ad vnguem semper obseruare, aut à cathedrali ecclesia, sed pro loci & temporis oportunitate initium ducere. Multis etiam illum priuilegijs, Notarios videlicet designandi; Beneficia ad sedem Apostolicam deuoluta conferendi; Doctores creandi; duodecim personis facultatem tribuendi, vt plura beneficia possiderent; in qualibet cathedrali ecclesia vnam præbendam largiendi, alijsque id genus ornauit. Commemoratas ante synodos, partim Regis rogatu & mandato, partim sine vllis Regijs literis, suo arbitrio indixit. Nulla autem fere fuit ex ijs synodis, quibus Regi Clerus pecuniam, aduersus *Gallorum & Scotorum* insultum, non contribuit. Quæ nonnunquam simpliciter, nonnunquam cum hac conditione, si Rex ipse in expeditionem proficisceretur, aut nisi intra certum diem pax iniretur, concessa est. Ægrè autem nonnunquam pecunia huiusmodi impetrata est à Clero, quòd quererentur grauius se & sæpius solito, & nonnunquam, cùm non ita graues & necessariæ causæ vrgerent, solutionibus huiusmodi premi; eamque aliquando pecuniam ad alias, quam præscriptos vsus auersam. Commemorauimus antè ex *Walsinghamio*, Regem *Courtenero* valde infensum & infestum redditum: Sed quoniam causam iræ Regiæ non explicat, non erit alienum, si paucis eam attingam. Quæ, ni fallor, ex hac occasione aduertus eum exorta est. *Ex regist. Courtenei. De quibus in dicto Regist. apparet 1383. 1384. 1385. 1386 1387 1388. 1391.*

COIERAT anno millesimo trecentesimo octuagesimo duplex synodus, altera apud *Sarisburiam*, vbi dimidiata decima Regi data est, principio Nouembris pensitanda. Altera verò *Londini* mense Decembri. In qua integra decima regijs vsibus attributa est. Cuius prima pensitatio persoluenda, reiecta est ad decimumquintum diem post Pascha: secunda ad decimumquintum post natalem diem diui *Ioannis Baptistæ*. Sed de secunda portione disertè cautum est, vt nisi Rex ipse cum exercitu suo præsens, profectionem capesseret, inanis & irrita esset illa donatio. Aduolant interim à Rege ineunte Februario, nouæ ad *Cantuariam* literæ, quibus mandat, vt Clerum *Londinum*, ad medium quadragesimæ sequentis Dominicum, propere accersat, cumque illo sollicitè de nouo pecuniario subsidio agat. *Courtenetus* Regem per literas, quanta potuit animi demissione admonet, quanta nuper à Clero pecunia exacta esset, nec dum diem prioris pecuniæ datæ repræsentari; primam pensionem propediem fideliter persoluendam, nec minus & secundam suo tempore, si Rex conditioni pareat. Rogat ne diem anteuertat, neue Clerum nimis emungat, aliasque adijcit rationes, quibus Regem ab ea cogitatione traducat. Agit etiam per literas cum Regni Cancellario, cúmque eo qui a thesauris Regi fuit, ne cogatur tam properè atque importunè Clerum rursus accersere, nouisque exactionibus premere. Rem per literas cum Episcopis communicat, videbatúrque animum prorsus obfirmasse, ne Clerum acciret, & aduersus omnem Regis iram, periculaque impendentia. Accersitus est nihilominus *Londinum* Clerus, sed *Courtenetus* non interfuit. Vices autem suas *Londonienſi* & *Wintonienſi* Episcopis, in absentia crediderat. Res autem in eum exitum abijt, vt nihil pecuniæ à Clero potuerit impetrari. Superueniunt deinde aliæ literæ ad *Cantuarienſem* à Rege, die vigesima quarta Iunij, quibus mandat, vt posterior summa mox repræsentetur. *Ex reg. Courtenei Fol 79. cum seq.* *Extant hæ literæ Italicè in registro ad Regem & Cancell. & aliæ Latinè ad Episcopos.*

QVA ex re *Courtenetus*, cùm Rex conditionem commemoratam non obseruasset, nec intra præscriptum diem obseruare iam posse crederetur, in magnas difficultates, angustiásque animi coniectus est, & quid optimum factu, cum *Londinenſi* & alijs Episcopis per literas deliberat. Nec ea pecunia (quantum adhuc perspicio) Regi persoluta est. Atque ex his (vt puto) causis, animus Regis à *Cantuarienſi* alienatus est. Qui tamen non ita multo post, veterem eius gratiam & beneuolentiam recuperauit. Proximo autem anno, mense Nouembri, coacta est *Londini* synodus, quæ integram Regi decimam liberaliter concessit. Magno autem atque excelso fuit *Courtenetus* animo, in suis, *Cantuarienſis* totúsque *Anglicanæ* ecclesiæ, libertate atque priuilegijs tuendis, vt partim ex commemoratis, partim aliunde satis perspici potest. Cum itaque iusiurandum aliquando ab eo, in summis regni comitijs

In registro fol. 70.

exigeretur, recusauit aliquamdiu suscipere, palam contestatus, hanc esse *Cantuariensis* sedis veterem prærogatiuam, ne Archiepiscopi vel cum parliamento, vel cum generalibus aut secretis Regis Consilijs interfuerint, iuramentum aliquod præstare cogantur; immunesque prorsus sint ab omni huiusmodi iuramento, quod soli summo Pontifici deberent. In honorem tamen Regis, Procerum, & amplissimorum totius Regni comitiorum, se, salua tamen

Anno 1387. vt in registro 174.

sedis suæ dignitate & prærogatiua, & ne ad exemplum ea res trahatur, iusiurandum illud subiturum. Protestatus est etiam, & alias in parliamento, pro se, Episcopis, Abbatibus, & alijs prælatis, quòd essent Regni Pares (vt appellant) & amplis Regni Comitijs vt Pares interesse deberent. Ceterum, cum illo tempore quædam agerentur, quibus ex Canonum præscripto Clerum interesse fas non esset, ideoque ipsi abessent; nihil propter illam absentiam, dignitati Cleri detractum censeri debere. Nec quæ in ipsorum absentia in parliamento agerentur, ideò esse minus rata atque firma. Insolentiam autem *Exoniensis* atque *Sarisburiensis* Episcoporum, qui ipsius authoritatem detrectabant, ita depressit, vt eos ad officium redire cogeret. De quibus nos suo posteà loco dicemus.

COMMEMORAVIMVS iam anteà de prælio illo, quo THOMAS *Gloecestrensis*, Regis patruus, ac alij Proceres exercitum, quem ROBERTVS *Verus* Marchio *Dublinensis*, *Michael Pola* & alij coegerant, dissiparunt ac profligarunt: Et aliquot captos, qui in magna apud Regem gratia collocati erant, capite mulctarunt. Qui GVLIELMVM deinde *Cantuariensem* rogant, vt iter ad Regem *Bristolium* suscipiat, & accuratè agat cum eo, suo, Procerum, & populi nomine, vt *Londinum* reuertatur, ad ægras & malè affectas reipublicæ partes constituendas & seruandas; quæ liberata quidem esset à perditorum latrocinio, sed nondum omninò explicata: vtque suscepta hæc ab ipsis, contra *Robertum*, & alios perditos & pernitiosos Reipublicæ ciues, arma; irrogataque eiusdem farinæ hominibus supplicia doceat, nulla commodi priuati spe, aut improba aliqua cupiditate; ipsosque ad nihil aliud omnes has actiones, quam ad Regis Regnique dignitatem, publicamque salutem retulisse. Veniret quamprimum, quippe cuius aduentus in maxima esset expectatione, & quo nihil ipsis & plebi gratius; à quibus summa officia, singularem fidem & obseruantiam expectaret: Multaque alia mandata dederunt, quibus & ipsos purgare de ijs, quæ recens accidissent, & Regem ad perfectionem elicere facilius posset. Atenim duri illi, de *Roberto* & socijs, in quos ille vnicè propendebat, partim profligatis, partim cæsis, rumores ita ægrum inuenis animum perculerant, & in iram incenderant, vt vix post vnum diem & duas noctes, Archiepiscopum ad collocutionem admitteret. Qui cum suam legationem renunciasset, eamque vérbis, vt erat dicendi artifex, ornasset; in magnas cogitationum difficultates, varietatesque Regem coniecit. Sed tandem temporum necessitatisque ratio, ad iter illud suscipiendum illum pertraxit. *Londinum* itaque vnà cum Archiepiscopo venit, & à patruis ac Proceribus, populòque cum omni honoris, ac obseruantiæ significatione exceptus est.

Froiſſ. vol. 2. ca. xcvi. cum ſeq. Perdiſſimulat hoc ſuper Thoma Auund quod tempora ratio nullo modo patitur, quin & ipſe anno 1383. aſſignat.

ETSI verò RICHARDO Proceres omnes fidem, & obseruantiam de more cum regnum iniret religiosè præstitissent; quia tamen hactenus fuit sub tutela, & regni procuratio apud alios, iamque ad eam ætatem venisset, vt suo in rebus gerendis consilio niti posset; author fuit GVILIELMVS, vt iterato omnes iuramento, ad regiam maiestatem colendam obligarentur. Quod & præstitum est. Quod dum præstaretur, motum animi regij vultus detegebat, qui erga alios manifestam beneuolentiæ significationem daret, in alios, contra. Eo autem anno, qui obitum GVLIELMI antecedebat, à *Romano* Pontifice impetrarat, cum nulla, vt credebatur, iusta subesset causa, quò liceret sibi à Clero tributum quoddam, videlicet quatuor denarios in singulas libras sumere. Quod quidam pendebant, ne se grauioribus litibus & contentionibus implicarent. Alij verò appellationibus, & alijs rationibus solutionem, & multo magis ex obitu illius, qui breui secutus est, subterfugiebant.

De Cœnobijs quibusdam, & Archidiaconis Cantuarienſis *diœceſeos.*

CAPVT XII.

VT in ceterarum, ita in principis ſuæ eccleſiæ deprauatis moribus emendandis, diligens & ſolicitus fuit WALTERVS. In qua fuit monachus quidam *Alexander Stannichius*, tam turbulentus & tumultuoſus, vt ad eius improbitatem retundendam, Rex ad WALTERVM literas ſcripſerit; manuaritque vt bonorum cœnobij, quæ ille perditè diſſiparat, per illum alienatio reſcinderetur, illéque ad aliud monaſteriũ ablegaretur. Inter alia præcepta, quæ huic cœnobio WALTERVS dedit, fuit & illud, vt ſacerdotes quater ſingulis hebdomadis vt minimum, ſacroſancta ſacrificia obirent. Cui ille cœnobio decem annuas libras in perpetuum donauit. Eſt in eadem diœceſi cœnobium *Langdony*, in memoriam & honorem THOMAE *Cantuarienſis* & martyris conſtructum. Cuius poſſeſſiones cum eſſent valdè ex bellicis cladibus, & immoderatis tributis, aliſque temporum iniurijs extenuatæ, eſſentque in eo duodeuiginti Canonici ſacerdotio initiati, locúſque propter viæ communis vicinitatem ab hoſpitibus, in quos illi perliberales erant, frequentaretur: conceſſit WALTERVS vt *Walwarſtariæ* eccleſia, cuius monachi erant patroni, ad cœnobij vſus transferretur. Cui etiam Rex EDOVARDVS *primus*, ob ſingularem eius in eundem martyrem affectum, *Tongenſem* eccleſiam attribuit. Extat *Maideſtonij* hoſpitium, cuius author BONIFACIVS Archiepiſcopus *Cantuarienſis*: in cuius vſus *Farleia* & *Suttonia* eccleſia, beneficio conſenſúque WALTERI transferuntur. *Ex regiſtro 1315.*

IN *Douerienſi* etiam cœnobio, cuius erat patronus, in quo *Cantuarienſes* Archiepiſcopi Priorem, vt appellant, legebant, & pro arbitrio, cum viſum fuerat, loco mouebant; quædam in meliorem conditionem reuocauit. Cumque *Ioannes Orfreſerius Feuershamienſis* Abbas, propter contaminatam vitam coactus eſſet ſe abdicare, conueniſſétque inter WALTERVM & cœnobitas, vt *Ioannes* cum alio monacho, qui ei inſeruiret, apud *Douerienſe* cœnobium, ſed alterius cœnobij ſumptibus, deinceps maneret, perque literas egiſſet WALTERVS vt *Douarienſes* eum admitterent; illius deſiderio illi valde repugnabant, ne quid ille ſuis mali afflaret, & conſortij contagione contaminaret. Cœnobio verò *Daningtonenſi*, quod ſacræ virgines incolebant, vt rectiùs intelligerentur, vitæ præſcripta dedit *Gallica* lingua conſcripta. Credo quod ex feminis *Gallicis* ea ſocietas potiſsimùm conſtaret. Inter alia verò, quæ *Cumbuellano* cœnobio præſcripſit, erat & illud (quod vtinam hodie pleriſque in locis religioſis obſeruaretur) ne quiſquam ex cœnobitis aut reciperet à profanis hominibus, aut aliquas ad eos literas, niſi præſidis conſenſu præeunte, conſignaret. Præſidem cœnobij diui BERTINI pœnitentia mulctauit, quod *Chilhamienſis* eccleſiæ fructus ad quinquennium, ſe inſcio, locaſſet. Et ne cetera id genus perſequar, *Oſſringij* hoſpitium, non vi & poteſtate ſui Archiepiſcopatus, ſed vt Regis Cancellarius viſitauit. Huiuſmodi etiam, vt ceteri, ita & SIMON *Iſlepius*, curis, vt par erat, diſtentus eſt. Cœnobio itaque ille *Cantuarienſi* varia mandata, cum alias, tum præſertim ad annum milleſimum trecenteſimum quinquageſimum ſextum dedit. Quo tempore fuerant ſexaginta duo inibi monachi. Cauit inter alia diligenter de pueris, qui parentes tenuiores haberent, in cœnobio alendis & fouendis; neue is, qui cœnobij negotia foris procurabat, amplius quam tribus equis vteretur. *Ex regiſtro Sim. Iſlepij.*

INOLEVERAT cùm ibi, tum alibi barbarus, peruerſus, & damnatus mos; vt cum inquiſitio eccleſiaſtica exerceretur, iuramenta mutua præſtare ſolerent, ne quiſquam quid, quod ſibi aut ſocijs damno eſſe poſſet, denunciaret: quaſi priuata & præpoſtera illa religione obſtricti, ſecurius iuſiurandum à magiſtratu deferendum præuaricari poſſent. Quos tam præpoſterè religioſos, ab omni illa ſuperſtitione potius, quàm maturo iuramento exoluit *Iſlepius*; ſeueriſsiméque mandauit, vt de his rebus, quæ in quæſtionem vocarentur, & de quibus poſtularentur, nihil contra veritatem, nihil contra fidem facerent aut dicerent. Poſt ſex verò annos, omnis ille, quem commemorauimus, numerus, immani illa, quæ tum paſsim debacchabatur, peſte exhauſtus fere eſt; & cum moris eſſet, ne quiſquam in eam ſocietatem aſciberetur, qui non prius ab Archiepiſcopo eſſet probatus & excuſſus; dat eis facultatem *Iſlepius* duodecim in defunctorum locum, relaxata hac, propter peſtem graſſantem, accuratiore inquiſitione, ſufficiendi. Diximus iam antea, fuiſſe controuerſiam inter monachos *Cantuarienſes* & Archiepiſcopos, cum vtrique ad ſe præfecturam & iuriſdictionem in monachos *Douerienſes* attraherent,

rent. Quæ iam transactione & vtriusque cœnobij consensu consopita est, omnémque iurisdictionem tam in temporalibus, quod dicitur, quam spiritualibus Archiepiscopo tributam agnoscunt, SIMON que cœnobio *Thomam Denssium*; & deinde *Gulielmum* præficit. Quem, quod frugi pater familias esset, rémque cœnobij belle prouexisset, hoc priuilegio extra ordinem donauit, ne quamdiu viueret ab eo munere abdicaretur.

HABEBAT vero nisi exiles hoc tempore cœnobium *Douerense* possessiones, adeo vt, cum in decimis regi pendendis tenuia sacerdotia & cœnobia, ex certa cautione & prouisione, redderentur immunia, hoc beneficium ad illud monasterium redundaret. Cumque sit celeberrimus totius ANGLIAE ibi portus, vnde in *Galliam & Flandriam* transmittitur, & frequenti hospitum aduentu cœnobium oneraretur; & quia possessiones cœnobij aquarum iniuria, atque impressione valde erant imminutæ, vt sacrarum ædium facta tecta, vt solitam hospitalitatem tueri non possent: ecclesia *Buclandiæ*, cuius patronatus ad cœnobium spectabat, ad quotidiana illa cœnobij onera, quæ alioqui sustinere non poterant, leuanda, ex voluntate consensuque *Islepii*, cœnobij viribus attributa est; & ob eandem fere causam *Bilsingtonensis* ecclesia cœnobio *Bilsingtoniensi*. Fuit autem in cœnobio *Feuershamiensi* quidam, qui lites inter socios serere solebat, & eos inter se ad pugnam committere, Cui SIMON inter alia mandauit, ne singulis, ad vnum dimidiatum annum, sextis ferijs alio potu quam aqua, aut alio cibo quam pane vteretur: aliaque quæ erant ibi deprauata correxit & emendauit. Sunt *Cantuariæ* duo hospitia inter alia, apud *Herbaldonium* videlicet, & *Northgatum*, quæ, ex Archiepiscoporum *Cantuariensium* liberalitate, solebant centum & quadraginta libras annuas accipere. Sed cum nulla scripta ab Archiepiscopis consignata haberent, quibus aduersus repugnantes & refractarios niterentur, molestiásque nonnunquam eam ob causam subirent; eorum hac in re securitati *Islepius* pié prospexit.

EST in hac diœcesi cœnobium *Wilsingtoniæ*, cui hoc tempore *Edmundus* quidam, sed parum mundus & castus, præfuit. Constuprarat is *Richardi* cuiusdam * vxorem; cumque res *Richardo* innotesceret, subornat ille alios quatuor, qui reuertentem postea ad veterem turpitudinem, laicique veste contectum, comprehendunt, comprehensum exectum reddunt. Qua ex re cum in anathematis sententiam incurrissent, à qua non nisi à *Romano* Pontifice exolui possent; mittunt procuratorem, qui negotium illud procuraret. Datáque est certis conditionibus (ex quibus vna fuit, vt verberibus publicè, cum maxima esset populi frequentia in eodem vico, cæderentur: altera, vt cessante, quæ tum sæuiebat, peste, ipsi iter ad *Romanum* Pontificem, ad absolutam veniam consequendam instituerent) SIMONI, eos ab anathemate interim liberandi, potestas. Ecclesia *Willesburgiæ*, *Stoniæ*, *Buclandiæ* (quarum patroni erant *Cantuarienses* monachi) & ecclesia *Strobberiæ*, cuius patroni cœnobitæ apud *Ledesium*, authoritate CLEMENTIS pontificis, dictis cœnobijs sunt attributæ, & quod dicitur, appropriatæ. Inter eruditiores huius sæculi & diœcesis monachos, recenletur *Thomas Pontius*, præfectus cœnobij D. AVGVSTINI *Cantuariensis*, qui scripsit aduersus quorundam illo sæculo errorem, qui asserebant beatas animas Dei visione ante supremum iudicium non fruituras. *Thomas Sportus* eiusdem sodalitij, de cœnobij sui præfectis, exorsus ab AVGVSTINO, historiam contexuit, & post eum cum luculenta accessione *Gulielmus Thorneus* siue *Spina*, *Gulielmus Gillingamus Cantuariensis* monachus, qui librorum omnium nomin acollegit, quos suæ sectæ homines elucubrassent.

Ex regist. Walteri.
** alia vxorem. Cum res.*

SEDENTE WALTERO, *Cantuariensi* archidiaconatu potiebantur *Gutterdus Labredus*, *Simon Conuenius*, *Ioannes* deinde *Brutonus*. Triennio post cum * vacasset hoc munus, *Cantuariensis* Archiepiscopus omni illa iurisdictione, & [a] commodis ex ea manantibus, ijs præsertim quæ Archidiacono ab Episcopis initiatis, vt diximus, debentur, potiebatur. Quo munere SIMONE *Islepio*, sedem illam administrante, [b] *Petrus Rogerius* Cardinalis inter alios fungebatur. Cuius vicarius fuit, ipso absente, *Hugo Pelegrinus*. Fuit etiam hoc sæculo *Cantuariensis* Archidiaconus *Hugo de Engolisma* [c], cui *Nicolaus Triuetus* historiam suam ab orbe condito dedicauit. Est, vt diximus, *Cantuariæ* pauperum sacerdotum, ex Archidiaconi patronatu, hospitium: quos cum peruersi quidam, & auari homines bonis, possessionibusque spoliare conarentur; *Ioanne* Bagworthio eorum præfecto querelam depromente, *Islepius* quam diligentissimè eam rem ad curam suam reuocauit.

Ex regist. Walteri ibidem 1223.
** al. absunt hæc verba, hoc munus.*
a Vtin regist. & qua illa sint, apparet ibid. 1516.
b Ex reg. Sim. 1316.
c Ioan. Lelan.
Ex regist. Cant.

De

De *Episcopis* Roffensibus.

CAPVT XIII.

HANC sedem, sedente WALTERO, THOMAS, & HAMO qui se sponte postea abdicauit, administrarunt. HAMONI succedit ex prouisione INNOCENTII *sexti Ioannes Shepeius*, *Roffensis* cœnobij præfectus, qui Regi EDOVARDO *tertio* à thesauris fuit. Qui in suprema voluntatis suæ tabulis quàm accuratissimè Deum rogat, vt si quid sit adhuc peccati idonea pœnitentia non expiati, quod illi cœli aditum præcluderet; vt ex abundantissima, & affluentissima sua gratia id aperiret, vt pœnitentia, dum adhuc viueret, illud posset eluere: aliaque ibi visuntur, quæ ostendunt, illum exquisitam quandam animæ suæ salutis curam habuisse. Non admodum de apparatu & pompa funebri laborauit; imo diserte cauit, ne quid fieret ambitiosius, neue nobiliores & ditiores regionis illius homines, ad funebre suum epulum inuitarentur; sed cœnobiorum *Boxlei* & *Ledesij* præfecti, qui sacra funebria conficerent, corpusque suum humo mandarent. Postulant deinde à SIMONE *Isleipo* Prior & societas monachorum *Roffensium*, facultatem sibi dari nouum pontificem legendi. Quam & ille, vt ecclesiæ illius patronus, & ad quem omnes intermedij vacantis ecclesiæ fructus, ex antiquo more, & ex ecclesiæ suę *Cantuariensis* prærogatiua, recidierent, illis indulsit. Sed successit GVLIELMVS *Witteleſius*, INNOCENTII pontificis designatione, qui, viuo adhuc IOANNE, omnem designandi noui præsulis potestatem, post obitum *IOANNIS*, ad se decreto interposito transtulerat. *Wigornienſi* ille Episcopatu & deinde *Cantuariensi* Archiepiscopatu, vt alio loco diximus, cohonestatus est; vnde, quæ hic de illo desunt, peti poterunt. GVLIELMI locum *Wigorniam* traducti, supplet [a] THOMAS *Trellochus*, sufficiente eum GREGORIO *Vndecimo*. Hunc excepit [b] THOMAS *Brandonius* monachus *Nordouicensis*, iuris pontificij professor, & qui erat *Romæ* Pontificis authoritate à peccatorum expiatione, quem pœnitentiarium appellant.

Vt in reg. Walt. Tho. Walſ. & contin. Ad Mer. 1352 & in regiſtro Ibidem. Walſ. 1358. Quæ extant in dicto regiſtro.

a Tho. Walſ. & cont. Ad Merem. 1363 b Polic li. 7 ca 46 & 49. Contin. Ad Mer. 1372. Walſ. 1377.

PROXIMO die, qui eum diem, quo RICHARDVS regni diademate amplificabatur, sequutus est, frequentissima & ornatissima supplicatio facta est, cui Rex, Proceres & Episcopi interfuere. Ad quos THOMAS elegantem salutarémque concionem habuit, multusque fuit in eo, vt discordiæ, quę inter plebem & Proceres incensæ iam olim erant, quæ certissimam & exitialem pestem afferre solerent, extirparentur; neue populus immoderatis tributis afflictaretur, aliaque illi loco, & tempori apta, & accommodata disseruit. In cuius demortui locum, summus Pontifex, reiecto *Ioanne Barnet*, quem monachi elegerant, subdit IOANNEM *Boltreshamium* ex disciplina fratrum *Prædicatorum*, & *Landauensem* Episcopum. In quem pontifex propensior fuerat, quod obsidionem secum apud *Lucernam* sustinuisset. Illustris fuit eo sæculo concionator, multáque insignes conciones habuit coram RICHARDO Rege, quas literis in posteritatis gratiam mandauit. Hanc, hoc sæculo, sua pietate, & doctrina, & suis etiam libris diœcesim exornauit *Richardus Maidestonus Carmelita Aileſſordenſis*, qui erat à confessionibus Duci *Lancastrio*.

1389. Th. Walſ. Ioan. Leland.

De *Episcopis* Londinensibus.

CAPVT XIV.

SECVNDVM RICHARDVM *Gravesendium*, qui ineunte fere hoc sæculo, vt alibi diximus, è vita abijt, accersitur in eius locum Canonicorum frequenti suffragatione RADVLPHVS *Baldochius*; duo tantum, quos *Cantuariensis* paulo ante è dignitate, certas ob causas, mouerat, optionem illam interpellabant, & ob interceptum sibi suffragium, optionem illam, prouocatione ad summum pontificem interposita, labefactare conabantur. Quam tamen, causa cognita, pontifex ratam habuit. In flagranti fuit apud EDOVARDVM *primum*, & filium gratia, & historiam quandam de rebus *Anglicanis* conscripsit. Quem sequuti sunt GILBERTVS *Neuportius*, STE-

Ioan. Leland. Ex regiſtro.

PHANVS, RADVLPHVS, & MICHAEL *Northeburgius*. Orta est inter Regem EDOVARDVM *tertium* & MICHAELEM controuersia, ob præbendam quandam *Londinensis* ecclesiæ, quam summus Pontifex *Nicolao* cuidam donauerat: quam postea, ecclesia *Londinensi* pastore orba ex obitu RADVLPHI, Rex quasi vacantem alteri concesserat. *Nicolao* autem id crimini datum est, quod esset vitiosis & contaminatis natalibus, & ideo illius dignitatis haud capax. Regerit Episcopus, qui pontificiam donationem tuebatur, vacantis ecclesiæ cognitionem ad forum ecclesiasticum reijciendam, nec pertinere ad regios iudices; à qua & eos Rex postea supersedere mandauit. Obijt, MICHAELE hanc sedem regente, *Elizabetha* Comitissa *Northumbriæ*, &, vt in supremis, quas ordinauit, tabulis mandauit, condita est apud templum fratrum instituti *Prædicatorij Londini*. Quibus, & alijs fratribus prolixam pecuniam legauit, & fratribus, apud quos humata est, crucem quandam, quam circumferre solebat, quæ inclusam habebat vnam ex spinis, quæ capiti Christi Seruatoris infixæ fuerant.

Ex registro Sim. Isepy.

INTER ceteros instituit vnum ex heredibus *Dauidem Seuingtonium* sectæ *Prædicatoriæ*. Sed quoniam id genus homines nec ipsi testamenta condere, nec aliorum, ex scitis ecclesiæ, exequi possunt, speciali indulgentia illi ea in re prospectum est; vt post quatuor annos *Gulielmo Monkelato* ex secta *Augustinianorum*, vni ex heredibus *Humfredi Bohunni* Comitis *Herfordiæ* & *Essexiæ*. Qui voluit, vt apud ædes fratrum *Augustinianorum*, quas ædificauerat, *Londini* tepeliretur. In quos & alios, quos *Mendicantes* fratres appellamus, munificus & perliberalis fuit, vt & in quædam cœnobia quorum erat patronus, *Valdenense*, *Lanthonense*, & *Brechenense*. *Valdenensi* ecclesiæ multa ornamenta donauit, & inter alia argenteum diadema, capiti imaginis Virginis MARIAE matris Christi inferendum. De amplo aliquo funebri apparatu in exequijs, non fuit valde solicitus aut ambitiosus. Nec voluit nobilioribus vitis epulum eo die præberi. In MICHAELIS locum SIMON *Sudburius*, de quo inter Archiepiscopos *Cantuarienses* diximus, subditur. *Londinum* deinde, SIMONE *Cantuariam* migrante, GVLIELMVS *Courtenetus* ab *Herefordia* auocatur. Accidit vero vt Dux *Lancastriæ* palam, in maxima populi *Londinensis* multitudine, GVLIELMVM verbis contumelijs proscinderet. Qua ex re tanta in Ducem populus (à quo animus illius priùs valde abhorrebat) iracundia exarsit, vt nisi illius impetum Episcopus coercuisset, nobiles *Sauoianas* Ducis ædes flammis absumpsissent; Ducémque in magnum vitæ periculum vocasset. *Gulielmo*, post cædem SIMONIS, *Cantuariensi* sede amplificato, ROBERTVS *Brabrochius* *Londinensem* sedem adipiscitur. Quem, *Richardo Scropo* (cui communi Procerum & populi consensu munus illud delatum erat) propterea quod recusasset immoderatas atque immodicas donationes, quas in homines parum merentes præcipitanter effuderat, sigillo illo consignare, exauthorato; cancellariæ Rex præfecit.

An. 1361. Thom. Walsi. Cont. Ad Mat. Polych li. 7. c. 40.

Idem 1375.

Th. Walsi. 1381

ACCVRATE ROBERTVS egit cum RICHARDO Rege, vt pacem inter eum, & Comitem *Gloceſtriæ* aliosque Proceres, omni animorum offensione vtrinque deposita, resarciret. Cui cum se *Michael Pola* opponeret, constanter ille. Non est, inquit, quod tu te hic interponas. Qui, quod viuis, Regi debes: quippe qui summa regni comitia turpem, & infamem imminutæ reipublicæ proditionis notam inusserc. Quæ verba ita Regem exulcerarunt, vt è conspectu Episcopum propere abire iusserit. Illo, quo ROBERTVS *Londinensis* Episcopus designatus est, anno, multi & à ieiunio, quod ad sacram Ascensionis Christi vigiliam ecclesia obseruat, & à sacris eo die audiendis, ab insigni quodam impostore illusi, abstinuere. Qui postea nimiæ suæ facilitatis, ac credulitatis magna verecundia; & veterator ille meritis impostura suæ pœnis affecti sunt. Ementiebatur ille egregium, & singularem quendam medicum, atque astrologum: Magnáque fiducia palam & publice denuntiauit, ne quisquam pro die Pentecostes ieiunus ædes egrederetur. Exoriturum enim nebulam, quæ tetros odores exhalaret, quæque præsentem pestem ijs, qui ieiuni in publicum prodirent, afflaret. Mira erat eo die hominum in publico ante meridiem raritas. Sed cum nulla huiusmodi nebula, neque quicquam eo die insolens contingeret; postridie equo impositus, facie ad caudam equi conuersa, illáque pro freno arrepta, matulis hinc inde à latere dependentibus, per ciuitatem, vt merebatur, traductus est. Post ROBERTVM, alter *Grauesendius* sedit, qui ad occidentem D. PAVLI partem humatur, vbi imago eius ex ære fusa conspicitur; quę quasi diploma libertatum ciuitatis *Londinensis*, regio sigillo obsignatum, manu præse fert. Illas enim Rex Ciuitati libertates & prærogatiuas, veteraque priuilegia, ob turbulentæ & tumultuosæ plebis in ædes *Sarisburiensis* Episcopi, qui erat à thesauris, insultum eripuerat; & præfecto ciuitatis

Idem 1387.

tatis, qui à ciuibus legi solet, præfectura, aliisque magistratibus suo loco motis; ipse exteros, qui publica ciuitatis munia obirent, suo arbitrio constituit. *Walsingamius* vt hanc causam reticet, ita multas alias, ob quas tantam Regis indignationem incurrerint, ostendit.

TRADVNT vero tandem Regem, *Grauesendio* potissimum operam suam quam accuratissimè ad illum placandum interponente, molliorem & mitiorem erga illos factum, vetera illis priuilegia, veterem Prætoris & præfecti electionem restituisse. Solent Prætor & Senator, vt memores & officiosi homines, cum ornatioribus ciuibus, magna frequentia, nouies singulis annis, certis & statis diebus templum diui PAVLI inuisere, & *Grauesendii* animam precibus Deo commendare. Quod tamen quidam ad GVLIELMVM Episcopum, de quo in *primo* GVLIELMO Rege diximus, & ad cuius sepulchrum Prætor preces fundit, referunt. Sed vna forsan opera, cum coniuncta fere sepulchra habeant, vtrique inseruitur. Diximus iam antea de præclara æde sacra, quam EDOVARDVS *tertius* Londini posuit, STEPHANO protomartyri consecratam, insigni sacerdotum collegio ornatam; cuius filius IOANNES Dux *Lancastriæ*; *Londini* in templo diui PAVLI humatus est; qui & sacellum prope summum altare posuit, vbi pro ipsius, & totius *Lancastriana* familiæ animabus, duo sacerdotes sacrificia offerrent. *Polid ibi, 1398.*

De Carthusianorum *cœnobio* Londini *hoc sæculo exædificato, & illustribus propter doctrinam huius diœceseos cùm monachis, tum & alijs; deque rebus alijs, ad cœnobia & cœnobitas spectantibus.*

CAPVT XV.

INTER cetera donaria, Rex EDOVARDVS *tertius* *Westmonasterienſi* cœnobio caput diui *Benedicti*; imo si authori meo fides sit adhibenda, & vestes sacras, quibus indutus summus Apostolorum PETRVS sacra conficere solebat, donauit. Proximo anno, quo RICHARDVS regni administrationem suscepit, indignum, luctuosum, & insolens quiddam in eodem cœnobio, idque ex hac occasione accidit. In eo bello, quod EDOVARDVS princeps, EDOVARDI *tertii* filius in *Hispania* ante decennium gesserat, *Robertus Hauleus* & *Ioannes Shakerleus* milites, virum quendam illustrem, Comitem videlicet *Denium* ceperant. Princeps & *Ioannes Scandosius*, ex cuius cohorte erant, vt vberiorem laboris & fortitudinis suæ fructum caperent, literas consignarunt, quibus significabant, Comitem illorum virtute captum, de quo dimittendo & redimendo, suo arbitrio, suóque maximo commodo, nemine interpellante constituere possent. Comes quidem, relicto in ANGLIA filio obside, certis conditionibus dimissus est. Qui cum obijsset, & Dux *Lancastrius* valde eos vrgeret, vt in ipsius potestatem Comitis filium transferrent (id enim ille putabat ad negotia sua, quæ in *Hispania* habebat, felicius expedienda & explicanda valde accommodum) neque tam præclaram illi prædam, vllis persuasionibus, aut tenui & exili aliqua mercede, quæ ipsorum votis non respondaret, extorqueri sibi paterentur, in arcem *Londinensem* Regis iussu detrusi sunt. Ex qua tamen se tandem furtim prorupientes, *Westmonasterium*, sanctissimum totius ANGLIAE asylum petiere. *Th VValſ. 378 Add. ad Polichr. li. 8. ca. 1.* *Comitem de Donnant fallet intelligit.*

VENIVNT eo deinde *Alanus Boxulius* arcis præfectus, & *Radulphus Ferrariensis* multis militibus stipati: qui *Schakerleum* seu metu fractum, seu blanditijs emollitum se dedentem, in arcem rursus abducendum curant. Alterum, cum de summa sibi irrogata iniuria, quod sine causa in arcem clausus fuerat, quereretur, iamque quod hactenus semper sartum tectum & sacrosanctum fuit asyli beneficium imploraret, & expediendæ salutis causa, vi contra vim se defenderet: in choro monachis præsentibus, & frustra, ne immunitates sacræ, ne templum, ne sanctum altare, (cui tum sacerdos augusta Dei sacrificia conficiens astabat) violarentur & contaminarentur, licet solicitè precantibus, imminanti sacrilegio iugulant. Cæsus est & vnus ex cœnobitarum famulis, qui acrioribus eos verbis a tanto piaculo abducere, & absterrere conabatur. *Cantuariensis* vero Archiepiscopus, & *Londinensis* Episcopus,

Episcopus, *Alanum* & *Radulphum*, aliosque sceleris ministros, diris ecclesiasticis palam & sæpe execrati sunt. Sed *Schakerlerus* proximo anno, non modo vinculis laxatus est, sed & liberaliter atque ample a Rege tractatus. cui dedit in numerato quingentas libras, cum possessionibus, quæ centum annuis marcis æstimabantur. Cauit præterea Rex daturum se annuos sumptus in perpetuum quinque sacerdotibus, qui animas illorum, qui in templo cæsi erant, Deo commendarent. Ex qua transactione traditus est Regi adolescens ille *Denius* Comes; qui antiquæ fidei illustre quoddam exemplum dedit,

INSERVIVIT ille *Hauleo* & *Schakerlero*, & erat in famulatu eorum, adque omnia vilissima, & abiectissima obsequia atque opera, se prompte & fideliter demittebat, semperque illis, & cum essent in carcere, & antea adhærebat; nec quis esset, prodere vnquam voluit, ne in illis quidem durissimis militum temporibus, etsi non ignoraret se laute & ample, si se prodidisset, à Rege habendum. Quæ res à Rege & proceribus audita, miram illis admirationem incussit. Agitatum deinde est à multis proceribus, qui in cœnobitas & Clerum exulceratos animos gerebant, qua potissimū ratione Clero negotium facesserent, illisque partim veteres possessiones, partim prærogatiuas antiquas atque priuilegia, quibus cohonestabantur, detraherent, indictóque apud *Glocestriam* parliamento, putabant se voto potituros. Sed *Cantuariensis* & alij Episcopi constanter intercedebant, neque quid contra ecclesiæ dignitatē fieri patiebantur; quare & Regem satis propensum habebant: qui & vetera *Westmonasterij* priuilegia, (ad quę multi tum publica auctoritate prorsus labefactanda, multam operam ponebant) qua potuit, amplissima sua auctoritate de nouo confirmat. Ad annum vero millesimum trecentesimum quinquagesimum septimum obijt ISABELLA EDOVARDI *tertij* mater, cuius corpus humatum est in templo *Franciscanorum Londini*. In qua ciuitate antecedenti anno ob quædam maleficia, & damnatos quosdam errores, igne conflagrarunt duo exilla secta, nisi forte error sit authoris, aut amanuensis potius, & pro *Auenione Londinum* temere adiectum. Reperio enim apud nostrates scriptores, id ad hæc tempora *Auenioni* contigisse. Sed de *Londino*, nil mihi adhuc, quod memini, occurrit.

Th. Walsingh. 1357

Polyd. in 10. Cant. Polyd. in 11. Cant. Hist. aug. Polyd. in 12. Cant. Ad Mart. 1354.

INTER ceteros illustres milites quorum forti opera EDOVARDVS *tertius* in suis aduersus *Gallos* & *Scotos*, atque alios bellis vsus fuerat, *Walterus Mannius* in pago *Cameracensis* diœceseos, cuius erat Dominus ita dictus, celebrem habet memoriam. Is, cum sæua illa, de qua commemorauimus, pestis, cum ceteras ANGLIAE partes, tum *Londinum* immani clade depopularetur, neque loca sacrata iam condendis cadaueribus vllo modo satisfacerent: tredecim, vt appellant, acras, in suburbijs loco, qui *Fabrilis campus* dicitur, coëmit, locòque per RADVLPHVM Episcopum ritu ecclesiastico expiato & consecrato, & in cœmiterium conuerso, quinquaginta cadauerum millia ibidem paruo tempore condita sunt. Sacellum præterea ibidem, & ædes constituit, in quibus duodecim sacerdotes, cum vno præfecto collocare cogitabat, & idoneis possessionibus ornare. Cuius pium propositum CLEMENS *septimus* ratum habuit. & auctoritate sua benigne indulsit, vt liceret WALTERO tria sacerdotia, quæ non annuum censum centum librarum excederent, illi collegio cum patronorum consensu attribuere. Ille vero, quia propensissimo quodam affectu, & singulari obseruantia *Carthusianos* colebat, illos potissimum ædes illas incolere voluit: *Ioannem*que *Lascotum* ex consensu Prioris *Carthusiæ Sabaudiensis*, quæ reliquorum fons & caput erat, *Londinensium Carthusianorum* Priorem constituit. Cauitque vt se & familiam suam, Regem EDOVARDVM *tertium* & alios quosdam, eósque quibus ipse mortis occasio fuerat, accuratè Deo post obitum precibus cómmendarent.

Vt Walterus fatetur in literis fundationis cœnobij, quæ in magno quodam codice membranaceo, quod vidi extant, quod ad illud cœnobium spectabat, cum reliquis quæ iam effecimus. In quo continentur omnia priuilegia, quæ Romani Pontifices toto Carthusianorum ordini, vel ante hoc cœnobium condatum vel postea dederc.

ÆDEM autem illam sacram MARIAE virgini matri Christi, inque *Angelicæ Annunciationis* memoriam (quam ecclesia quotannis statо & celebri festo recolit) dedicari voluit. Cœnobium illud EDOVARDVS *tertius*, neposque illius RICHARDVS, & alij postea Principes amplissimis priuilegijs, & immunitatibus complexi sunt. Per quæ ab omnibus publicis vectigalibus, & tributis quibuscumque Regi pendendis, cœnobitæ liberi & immunes redditi sunt. Amplissima etiam *Romani* Pontifices, cum ante hanc ædem ædificatam, tum postea, partim toti communiter *Carthusianorum*, partim huic specialiter *Londinensi* familiæ priuilegia irrogarunt. Quæ non erit necesse persequi. Ex doctis huius hoc sæculo diœceseos viris, qui scripti suam posteritati memoriam commendarunt, inter sæculares, vt appellant, sacerdotes, fuere *Richardus Chilingtonus* apud diuum PAVLVM *Londini* Decanus, & *Adamus Merremuthus* eiusdem templi Canonicus, cuius opera SIMON *Isleppus* tam foris, legando cum ad negotiorum suorum *Romæ* procurationem, quam alijs in rebus domi multum vsus

est.

est. Accessionem ille quandam historiæ *Nicolai Trineti* dedit, ex qua nos aliquando in hoc nostro opere aliqua depromimus. Inter instituti monastici authores, fuere *Hugo & Ioannes Stokius Carmelitæ*, & *Huchinensis* cœnobij monachi, *Thomas Bronius*, *Robertus Iuorius Richardus Northaltus Londinenses Carmelitæ*. Fuit vero *Robertus* totius familiæ supremus præses, *Richardus* vero *Dublinensi* Archiepiscopatu insignitus est. Inter *Dominicanos* vero *Nicolaus Trinetus*, de quo antea commemorauimus, & *Gulielmus* Ruthuelius; inter *Augustinianos*, *Bankinus*. Ex monachis vero *Westmonasterienſibus* *Richardus Cicestrius*, & *Matthæus* qui historijs concinnandis operam dedere. *Matthæus* vero sæpe in hac nostra historia commodo & vsui nobis fuit. *Ioan. Lelandi.*

De Episcopis Nordouicensibus.

CAPVT XVI.

IOANNES principis ecclesiæ Prior, per BONIFACIVM *Romanum* Pontificem huic sedi præfectus est. Hunc cum *Elienſi* & Comite *Pembrochio*, & *Gulielmo Bustonio* Archidiacono *Gloceſtriæ*, misit RICHARDVS Rex ad IOANNEM *vigesimum secundum Auenionem*; qui rara, & magni pretij munera secum detulerunt. Comes vero redeundo, parum secunda fortuna vsus est. Habuit aliquando exterum quendam qui sub ipso stipendia militaria in ANGLIA fecerat. Is interceptum sibi stipendium querebatur, iamque iniuriæ memor, arrepta hac occasione, Comitem per insidias circumuentum, in *Germaniam* abduxit, & eo vsque captiuum detinuit dum grandem ab eo pecuniam extorsisset. Postquam è vita IOANNES decessisset, sufficitur in eius locum *Robertus Baldochius*, frequenti omnium ad quos huiusmodi delectus pertinebat, suffragatione Sed omnis iste de illo delectus mox labefactatus & rescissus est, propterea quod superstite adhuc IOANNE, summus Pontifex decreto suo, futuri Pontificis designationem ad se aduocasset. Quod cum certo fuisset *Roberto* significatum, abdicauit se, & spiritualia, vt appellant, Archiepiscopo, temporalia vero Regi reddidit, atque ita Episcopatu ille repentè excidit. Sed in grauiorem paulo post casum atque calamitatem, & in omnium fortunarum vitæque totius discrimen incidit. Fuit *Robertus* sacerdotio initiatus, & secundum *Spenserios* in flagrantissima Regis gratia positus. Qui, Regina maritum persequente, in *Walliam* cum eo confugerat, ibique cum Rege, cumque *Hugone Spenserio* filio, captus est, adductúsque est cum *Hugone Herefordiam* ad Reginam. Et Hugo quidem capitis mox pœnas atrocissimas luit. *Robertus* multis contumelijs conuitiisque impetitus, in *Herefordensis* Episcopi carcerem detrusus est. *Londinum* deinde ad *Londinensis* Episcopi carcerem reiectus. Tam acerbo vero & immiti *Londinenses* ciues erga eum odio laborabant, vt carcerem effringentes ad *Neugatum* ciuitatis carcerem violenter abduxerint. Vbi inhumaniter & crudelissime habitus, in vinculis postea obijt. *Ad ann. 1315. ex registro Wals.* *Tho. Morus in vita regis Edou. Th. VVal. 1325. Ad. Mur. 1326*

POST abdicationem itaque *Roberti*, GVLIELMVS *Romani* Pontificis beneficio, in ea sede collocatus est. Qui successorem sortitus est ANTONIVM *Bekium*. Post ANTONIVM GVLIELMVS *Batmanus* sedi & throno *Nordouicensi* insedit. Missus est ab EDOVARDO Rege, cum Duce *Lancastriæ*, Comite *Arundelii*, & *Elienſi* Episcopo, GVLIELMVS *Auenionem* ad summum pontificem, vt is pacem quam ipse cum *Ioanne* Galliæ Rege inierat, confirmaret. Cuius (vt nostri frequentes confirmant, de qua tamen re nihil apud exteros reperio) caput erat, vt *Gallus Aquitania*, ANGLVS *Galliæ* regni titulo, & vendicatione cederet. Atque huic quidem conuentioni, nihil nisi Regum obsignationes deerant. *Galli* vero oratores negabant apud Pontificem, aliquod id genus pacti & conuenti, à suo Rege cum *Anglo* initum atque ita omni concordiæ spe abrupta, in arma vtrinque postea immaniter proruitur. Et ceteri quidem reuersi, legationem suam Regi EDOVARDO renunciant: sed GVLIELMVS *Auenioni* mortem oppetijt. Hunc THOMAS excepit. Quem cum maleuoli quidam infamia aspersissent, quod Clericos quosdam verberibus pulsasset, anathema hominibus illis, ita ad calumniandum proiectis, *Islepius* intorsit. THOMAS alter THOMAS, post sex annos sequutus est. Ad quæ tempora apparet fuisse quosdam *Prædicatorum* ordinis fratres, qui temerè quædam in concionibus, contra consuetas parochianorum oblationes, vt appellant, efflutuere. Quorum temeritati per *Islepium* & THOMAM obuiam itum est. *Ex registro Wals.* *Ex eodem regist.* *Ex reg. Islep & VVal. qui obyt Antonius. Th. VVal. 1354* *Rob. Auesb. & cont. Ad. Mur.* *Vt in dictis auctoribus & in registro Islep* *Ex eod. registro. ibid. 1360. & 1362.*

THOMÆ HENRICVS *Percus*. & *Percio* defuncto, alter HENRICVS, videlicet *Spenserus* summi pontificis designatione surrogoratur: In cuius exercitu *Spenseri* frater ordines ducebat. Quomodo HENRICVS rusticorum illum in *Nordouolgia* tumultum compressit, & de expeditione illa sua in *Flandriam*, ex mandato VRBANI *sexti*, contra *Clementis* Pseudopapæ fautores, susceptâ; & de illius infausto exitu, iam antea, vt non sit necesse repetere, commemorauimus. Ob quam propter eas, quas dixi superius, causas, in grauem Regi offensionem, reuersus incurrebat, adeo, vt omnium possessionum Episcopatui attributarum fructus, ad aliquot annos ab eo auerterit: quas tamen, deposita tandem offensione, restituit. HENRICVS, vt fuit, aduersus humanæ maiestatis læsæ reos, fortis, vehemens, & acer: ita aduersus eos, qui diuinam maiestatem parum obseruanter, ecclesiamque Christi sponsam colerent, id est hæreticos, non minori constantia fortitudinéque animi dimicauit. Cumque hæreses magis & magis alibi ingraescerent, & cum Procerum quorumdam studio atque propenso fauore, tum incuria atque pusillanimitate quorumdam Episcoporum, longè latéque radices altas in illorum diœcesibus agerent; nullibi minus quam in *Nordouicensi* prouincia, propter HENRICI vigilantiam, & constantiam grassatæ sunt.

Cont. Polich li. 7 ca. 42. Th. Walsi. & cont. Ada Mur. 1369.

An. 1383 & 1384 Thom. Walsi.

Idem 1389.

De Burienſi, *& alijs in hac diœceſi Cœnobijs, & doctis hoc ſæculo Cœnobitis.*

CAPVT XVII.

VEMADMODVM rustici, qui graues illos tumultus in hac diœcesi, vt & alibi, ciebant, *Burienſe* cœnobium expilarint, iam antea diximus. Cuius facti atrocitas, Regi & Proceribus tantam offensionem peperit, vt cum Rex in supremis illis regni comitus, omnium criminum, quæ in illa seditione per ANGLIAM admissa fuerant, abolitionem fecerit, reisque veniam dederit; restrictior fuerit erga ciues *Burienſes*, qui in cœnobium insultum fecerant, & maiores damni dati pensationes, deque ipsorum in futurum erga Regem, rempublicam, & cœnobitas tranquillitate & quiete, satisdationes exegerit. Sed orta est tamen, vt fit, alia ex alia perturbatio, & repressis, vicinorum & popularium, intestinis domi tumultibus laboratum est: qui omnem illis tranquillitatem excussere, & infinitis sumptibus cœnobium exhausere. Ad quorum tamen cumulum, noua per Regis & Reginæ, aulæque regiæ aduentum, accessio facta est. Qui decem illic dies transegit. Similibus ferè sumptibus *Thetfordienſe*, *Nordouicenſe*, & alia cœnobia exposita fuerant. Sed dicamus iam quis has omnes domesticas turbas dederit. Is certe fuit *Edmundus Bromfeldius*, paulò doctior quam probior. Qui dum *Romæ* versaretur, nunciumque de Abbatis *Burienſis* obitu accepisset, per surreptionem ementitus, se à cœnobitis optatam, cœnobij præfecturam à *Romano* pontifice impetrauit. A qua tamen posteà deiectus est, & *Ioannes* quidam in præfecturam illam ascitus. An quicquam *Edmundus* literis, ad posteritatis memoriam consignarit, non satis scio. Quod tamenà *Ioanne Euereſdenio*, *Galfrido Vacertonio*, *Rogero* & alijs quibusdam, huius hoc sæculo *Burienſis*, & alijs alibi *Benedictinæ* societatis factitatum est. Inter quos sunt *Adamus Eſtonius* qui Cardinalitio galero donatus est, de quo alibi diximus, & *Caſtertonus Nordouicenſis*. Scripsit *Ioannes Euereſdenus* inter alia, de Regibus & Episcopis ANGLIAE: in quem ego adhuc librum non incidi, qui mihi, ni fallor, oppido fuisset commodus.

Vt apparet in Parl. an. 6.

Th. Walsi. 1383.

Ioan. Leland.

EX *Augustinianis* vero, qui ob scripta claruere, fuere inter ceteros *Henricus Bedericus* & *Thomas Euerſtonius* in *Clarenſi Sudouolgorum* cœnobio, & *Benedictus Nordouolgius*. Ex *Franciscanis* Gualterus Cattonius apud *Nordouicum*, & *Bartholomæus Glanuillus* qui claritate & amplitudine generis, quod ex *Sudouolgiorum* Comitibus ducebat, contempta, in vitam se monasticam abdidit. Hic ille *Bartholomæus* est, qui præter alia multa, ingens illud volumen, quod de *proprietatibus rerum* inscribitur, conscripsit. Ex Dominicanis vero *Ioannes Lekius* cœnobita *Sudburienſis*. Sed hos omnes, & ceteros hoc sæculo, & in hac diœcesi, non modo singulos, sed vniuersos, non tantum exæquant, sed longè ni fallor, in hac scriptionum palæstra & laude, librorum, laborumque magnitudine superant *Carmelitæ*, apud celebre quidem illud *Linnæ* emporiũ *Ioannes Goodmchius*, *Nicolaus*, qui ab eo oppido nomen sortitur,

Ioannes

Ioannes Elinus, *Gulielmus Cockfordius*, *Thomas Lombius*, *Ioannes Saashamus*, *Richardus Depradius*. Apud *Gippouicum* vero *Richardus Lauinghamius*, *Ioannes Kinninghamus*, & *Ioannes Polesteadius*. *Nordouici* autem *Robertus* & *Ioannes Walsinghami*, *Ioannes Titleshaleus*, *Simon Wichingamius*, *Gulielmus de sancta fide*. Fuit & *Robertus de sancta fide* Carmelita *Nordouicensis*. Cuius opera VRBANVS *sextus* in legationibus, multum vsus est, non modo in ANGLIA, sed & in *Hispania*. Sed an aliquid scripserit, mihi non adhuc constat.

AD *Nigerienses* iam venio. Est autem *Nigeria* (quam vulgo *Blakneiam* appellant) oppidum, quod à *Walsinghamio* circiter millibus passuum quinque abest, illustri *Carmelitarum* societate nobilitatum. In qua fuit *Ioannes Tomsonius*, qui multa scriptis in posteritatis gratiam mandauit. Hic *Ioanni* illi *Bakonthorpio* (quod nomen traxit a vico *Nordouolgiæ Bakonthorpia* vbi natus est) quem exteri fere *Baconem* appellant, prima pietatis & doctrinæ rudimenta, & incunabula fuere. Qui non modo inter huius diœceseos & sæculi, sed & reliquos huius sæculi nostros aliosque scriptores, pietatis, ingenij, & omnis generis liberalioris doctrinæ magnitudine regnat: & ita regnat, vt egressus has quasi nostri Oceani latebras, ægrè reperias, in vastissimis alibi christianorum regionibus, multos, qui non dicam, superent, sed vel æquent hunc nostrum *Baconthorpium*. Sed me tempora. Neque enim iam encomia, sed historiam cudimus. Sunt in hac diœcesi collegia duo, hoc sæculo, imperante EDOVARDO *tertio*, orta, alterum beneficio *Ioannis Norwichi* Equitis, & vxoris *Margaretæ*, apud *Rauenningam*, alterum apud *Ruisworthiam*, opera & sumptu *Edmundi Gunvili* presbyteri, & rectoris ecclesiæ *Ruisworthianæ*. Huic *Ruisworthiano*, THOMAS *Nordouicensis* Episcopus multa præscripta viuendi dedit: quæ & SIMON *Islepius Cantuariensis* confirmauit. Etsi vero illius collegij sacerdotes à dominio & propietate, vt appellant, rerum suarum non abdicantur, cautum tamen est, vt cum mortem obeunt cum testamento, ære alieno deducto, semis bonorum; sin intestato obeant, omnia in assem collegio cedant. Cœnobium etiam sacrarum virginum apud *Brusiaraum*, eodem Rege gubernaculum tenente, occœpit. *Mathildis* Comitissa *Vltoniæ* & soror *Henrici* Comitis *Lancastrii*, collegium quoddam quinque sacerdotum instituit apud *Compassium* in hac diœcesi. Qui cum parum sobrie & temperanter viuerent, nec instituto suo satisfacerent, possessiones illas, ad sacras, de quibus diximus, virgines transtulit.

Vt in regist. Simonis Ex monumentis eiusd. cœnobij.

De Episcopis Ciceſtrenſibus.

CAPVT XVIII.

IOANNES *Clipingius* hanc sedem post obitum, ad IOANNEM *Langtonium Cantuariense* prius Archidiaconũ transfudit, Ad cuius ecclesiæ gubernacula, *Richardus*, quo tempore EDOVARDVS *tertius* illustri illa *Clusensi* victoria honestatus est, sedebat, qui Regi erat à thesauris. Quem ille reuersus, ab eo, vt & IOANNEM *Stratfordium* à Cancellariæ munere, & quosdam ex laicis deturbat; causatus, vt diximus, commodissimam rerum præclarè gerendarum occasionem, ex pecuniæ, ob incuriam ipsorum, inopia, turpiter ereptam. Et laicos ille quidem in *Londinensem* præterea turrim coniecit. Sed ordinis reuerentia, & *Bonifacianæ* sanctionis, quæ anathemate percellit Principes, qui in Episcopos huiusmodi audent, metus eum prolubuere, quo minus *Ciceſtrenſem* in carcerem compingeret. ROBERTVS *Stratfordius* deinde hoc munus obijt. Cui defuncto substituitur per INNOCENTIVM GVLIELMVS *Linnus* eiusdem ecclesiæ Decanus, causarum in pontificia curia cognitor, & arbiter. Disseminarunt maleuoli quidam, ad imminuendam nominis illius æstimationem, rumores, quod *Gulielmum* SIMON *Cantuariensis* anathemate inuoluisset. Quorum SIMON calumniam, literis suis, quas palam diuulgauit, repressit. *Linno* deinde *Wigorniam* traducto, GVLIELMVS *Readus* theologiæ professor, huic sedi admouetur. Ad ea vero tempora, quibus Proceres *Robertum Veerum Hiberniæ* Ducem, *Michaelem Polam* Comitem *Sudouolgiæ*, & alios qui Regem & rempublicam parum sanis consilijs pessumdederant, prælio dissiparunt; THOMAS *Rushokius* ordinis *Prædicatorum* hanc sedem administrauit. Qui Regi erat a sacra, & secreta peccatorum expiatione. Hunc, vt & alijs, quos commemorauimus, Procerum opera, in summis regni comitijs proditionis nota insita, & possessiones illius omnes, fisco adiudicatæ.

Rob. Auesb. & Th. VValsi. 1340

1362 Vt in regist. Islepij Addit. Polich. li. 7. c. 40.

In regist. 1303. Addit. Polic. li. 7. c. 47. VValsi. ibidem.

Th. VValsi. 1382. Vt in parla. anno 11. Richardi. VValsi. 1393.

SEDIT deinde IOANNES *Mutfordius*. Quo *Sarisburiam* translato, ROBERTVS *Waldenus Dublinensis* Archiepiscopus, qui maluit censu, quam honore præstare, ex *Hiberniæ Cicestrium* accersitur. In cuius locum *Dublinæ* RICHARDVS *Northallius Londinensis* Carmelita, qui fuit RICHARDO Regi à concionibus, sufficitur. Fuit ROBERTVS institutus *Augustinianæ*, profectusque est in *Aquitaniam* cum EDOVARDO, quem NIGELLVM appellant; EDOVARDI *tertij* filio: homo omni humana, & sacra doctrina apprime ornatus, cuius egregium in libris suis specimen dedit. Theologiam *Tolosæ* professus est, *Aduren-* *Ioan. Leland. Idem 1399.*
sis in *Vasconia* Episcopus designatur, ac deinde *Dublinensis* Archiepiscopus. Quem *Cicestrensi*, vt diximus, Episcopatu, vt & ipsum nouo postea, id est, *Eboracensi* Archiepiscopatu commutauit. *Cicestrensem* deinde EDMVNDVS *Stafforaius* Regis Cancellarius gubernauit, ab *Exoniensi* illuc sede aduocatus. Atque ita quidem *Walsingamius*. Atqui in archiepiscopis *Cantuariensibus* & THOMAE *Arundelli*, apparet ROBERTVM *Read Waldebio* suffectum ad annum millesimum trecentesimum nonagesimum sextum. ROBERTO vero *Stretfordio* hoc munere fungente, ita visu venit, vt cœnobij, quod *Bellum* appellari diximus, præfectus, dum *Londinum* petit, incideret forte in quendam, qui ad suspendium, propter scelus aliquod admissum, ducebatur. Quem ille mox à lictoribus liberat, & abduxit. Qua de re cum Rex illi negotium exhiberet, ille ostendit, nihil à se factum, quod non sibi integrum & fas esset factu, ex diplomate GVLIELMI *primi*, (cuius suo loco mentionem fecimus) & secundum eum pronunciatum est. Audiui & nostris, regnante HENRICO *octauo*, temporibus aliquid id genus, à quodam eiusdem cœnobij præside facilitatum. Post decimum ter- *Walsi. 1377.*
tium deinde annum, egregiam, illius cœnobij præfectus cum suis aduersus *Gallos*, qui in *Winchelseum* pagum irruperant, operam posuit, illosque ad naues abegit. Cuius successus felicitas præfectum *Leuisi* cœnobij, quod *Lewis* appellamus, qui *Gallos* eodem anno pagum *Rottingedeanum* ingressos, aggressus est, destituit. Occisis enim ex nostris circiter centum, ille ab eis ad naues illorum abductus est.

De Episcopis Wintonienſibus.

CAPVT XIX.

IOANNES de *Pontissara* post vnum & viginti pontificatus annos exemptus est rebus humanis. Successorem habuit HENRICVM *Wodlokum* cœnobij *Wintonienſis* præfectum. HENRICVS vero IOANNEM *Sandalium*, qui fuit Regis Cancellarius, & à thesauro, aliaque munera regia, in illis præsertim in *Scotiam* expeditionibus sustinuit. Ob quæ regi obæratus dicebatur, defunctique bona à fisco occupata sunt, mendatumque RIGANDO successori, ne heredibus illius negotium faceſſeret, ob ædes Episcopatus parum sartas tectas, quod bona vniuersa defuncti, æs alienum, quod Regi deberetur dissoluere non potuissent. Ad quæ tempora *Witenium* sacrarum virginum cœnobium, ad tantas rerum angustias, & tenuitatem redactum est; vt aliquot virgines deserto cœnobio, abiectaque monastica disciplina, alibi contra institutum vixerint. Qua de re *Wintonienſem* Episcopum WALTERVS Archipræsul admonet, mandatque vt omni cura & diligentia res cœnobij, virgineſque priori conditioni restituat. Vacantem deinde Episcopatum Pontifex summus RIGANDO *Assero*, qui pontificia legatione in ANGLIA fungebatur, donauit. Legerant quidem *Wintonienſes* monachi virum quendã apprime doctum, sed extraordinaria illa Pontificis prouisio & cautio, eum excluſit. Rex aliquandiu contra contendit & repugnauit, tandem tamen RIGANDO cessit. Qui triennio post *Auenioni* decessit. Pontificatu deinde IOANNES *Vigesimus secundus* IOANNEM *Stretfordium*, *Auenioni* tum commorantem donauit. Qui & ibi initiatus est. Cumque ad illa tempora Rex *Galliæ* valde infestaret *Aquitaniam*, maximamque partem ANGLO eripuisset, missus est IOANNES cum *Nordouicensi* Episcopo, & *Ioanne* Comite *Richemundiæ* in *Gallias*, ad collocutionem de rerum pacificatione.

a *Ita eum cetus quidam erectum ecclesia Wint. monumẽtum appellat.*
b *Idem.*
c *Idem ex Cont. Ad Mar. 1305. & ex regist. Walt Ior. 15 & Ad Mar. Thor. 1316. & 1316 & in reg. Walt*

Ex dicto antiquo monumento 1320. Th. Wal. 1319. Ad Mar.

Ex dicto monumento 1313. Th. Wal. 1313. & 1314. & 1315. Ex regist. Walt.

Tho. Mors. in vita Ed. 2. 1320.

ISABELLA vero Regina, cum reuersa è *Gallia*, *Spensero* & maritum impeteret, IOANNEM à regni thesauris constituit; eique deinde cum *Lincolniensi* & *Herefordensi* Episcopis, & alijs negotium delegatum est, vt ad EDOVARDVM patrem profectus, aptis & accommodatis

modatis persuasionibus eo pertraheret, vt vltrò se abdicaret. Post quadriennium iuuenis Rex EDOVARDVS clam cum IOANNE & paucis, voti causa in *Gallium* transmisit. Nec triennium effluxerat, cum idem IOANNES *vigesimus secundus* summo totius ANGLIAE Archiepiscopatu eum decorauit, vt alibi diximus. Ex qua narratione, reliqua, quæ de eo dicenda superſunt, haurienda relinquo. ADAMVS deinde per eundem summum pontificem à *Vigornia* (ad quam ab *Herefordensi* prius sede vocatus) *Wintoniam* transfertur. Circiter quæ tempora, apud pagum *Kingestauum* huius diœceseos, quiddam stupore, commiseratione & lachrymis dignum reperio accidisse. Morabatur ibi quædam mulier, quam *Ioannam* appellabant, perditis *Gulielmi* cuiusdam amoribus miserè irretita. Admonita est per somnium à quodam, vt *Gulielmum*, quem ita damnata cupiditate & libidine deperibat, inuiseret. Postridie dum illusa mulier ad eum pergeret, in silua quadam, quam *Wolmeriam* dicunt, à quodam, qui *Gulielmi* amatoris speciem referebat, oppressa est: quem postea dæmonem, quem incubum appellant, fuisse constabat. Reuersa domum, in exitialem & lethalem morbum incidit, qui eam post triduum absumpsit. Domus autem illa fœdis, & non ferendis odoribus oppleta est, corpúsque mulieris in tetram nigredinem conuersum: tantúmque fuit cadaueris pondus, vt vix ab octo hominibus, ad tumulum efferri potuerit.

Ad. Mur. 1130. Ex eodem mon.

Ex eod. monumento.

Ex cod. monumento Wint. quod in nomenclatura huius Adami desunt 1333.

Ad. Murem. Tho. Walsing.

Th. Walsi. 1345

ADAMO (cum ante obitum oculorum lumine caruisset) defuncto, *Gulielmus Edindonius*, à pago, vbi natus est, in diœcesi *Saresburiensi* ita dictus, substituitur. Quem Rex EDOVARDVS *tertius* sibi à thesauris præfecit. Qui apud eundem pagum cœnobium illustre, illorum, qui *boni homines* dicuntur (cuiusmodi priùs positum fuisse apud *Asherugium* diximus) exædificauit. Posuerat ibi prius sacerdotes, quos appellamus sæculares, nullisque seuerioris disciplinæ votis implicitos. Ceterum cum melius rationes secum subduxisset, etsi non ignoraret (quod fatetur) in hoc vitæ genere, posse sacerdotes plurimum apud Deum & homines mereri, vitámque traducere sanctam atque illibatam, quæque superis oppidò quam placeat; illos se tamen homines, qui se penitus precibus, rerumque cœlestium considerationi atque meditationi totos affixissent, quam nullæ mundi curæ & solicitudines, nullæ deliciarum illecebræ, nulla honorum ambitio interpellarent; quique non tam mundum à se, quam seipsos suámque voluntatem, (quam in alienam & superioris transfuderant) prorsus abdicassent, in oculis se cum primis habere, & supra reliquos suspicere, omnique obseruantia colere profitetur. Quæ illum ratio mouit, vt illam societatem, & quasi *Martham* in, *Mariam* conuerterit, & transformarit. Egregium certe & ipse modesti, & minimè ambitiosi hominis specimen, atque exemplum dedit, cum sua forte contentus, oblatam, post *Islepii* mortem, *Cantuariæ* metropolim (ad quam omnium, ad quos ea res spectat, suffragijs vocatus est) reiecit. A quibusdam tamen illa nota aspergitur, quasi eius consilio, pecuniæ bonitas, ex nouis, vt appellant, grossis, quorum æstimatio quatuor denarijs constat, & dimidiatis grossis, de nouo signatis, adulterata & imminuta fuisset. Omnia certe cariùs postea distrahebantur, & omnes operæ, cariùs opus faciebant. Cui malo vt occurreretur, etsi multa sunt in comitijs regni sancita, non potuere tamen, aut res venales, aut hominum operæ, more solito, & antiquo pretio, comparari. Sed hanc imminutionem, bellorum, quæ EDOVARDVS cum *Gallis*, *Scotis* & alijs gessit, longitudo & magnitudo, quasi expressisse videtur.

Circiter 1358. ex monumentis eiusdem domus ex latere fundationis, vt appellant, apparet.

Cont. Polich. li. 7 cap. 40. Walsi. 1351.

De GVLIELMO Wichamo Wintoniensi *Episcopo, deque duobus illis collegijs, quæ* Wintoniæ & Oxonij *construxit.*

CAPVT XX.

Anno 1366. Th. Wal. Addit ad Polichr. Cont. Ad. Mur.

CVM GVLIELMVS *Edingtonius* viuere desijsset, *Wintonienses* monachi, Rege causam illius accurate solicitante, GVLIELMVM *Wichamum* in Episcopum sibi legunt, Natus fuit ad annum Domini millesimum trecentesimum vigesimum quartũ in diœcesi *Wintoniensi*, *Ioanne Longo* vt quidam, vt alij, *Ioanne Perotto* & *Sybilla* parentibus, pago *Wichamia*, vnde quidam GVLIELMVM de *Wicham* eum appellant. Sed mihi multa occurrunt, cur non eam in eorum sententiam, vtque genuinum atque Gentile fuisse illi *Wichami* nomen existimem: Ita enim se in testamento suo, ita in ijs statutis, quæ collegijs suis præscriptit, & alibi passim appellat, id est, GVLIELMVM *Wichamum*, non de *Wikam*. Ita eum diplomata regia, quibus collegia ædificandi potestas tributa est, ita & publica regni statuta eum nominant. Primus præterea *Oxoniensis* collegij præfectus fuit *Nicolaus Wicamus* eius consanguineus. Optati præterea sunt in id collegium, *Ioannes*, *Richardus*, & *Thomas Wicami*, vt eius necessarij. Quibus ex statutorum præscriptione potior quędam, quam alijs qui in collegium optantur, conditio & prærogatiua defertur. Imperante vero IOANNE, fuit *Radulphus Wicamus*, & HENRICO, *Robertus Wicamus* equestris ordinis homo. Ex quorum stirpe, familia & gente prodijt noster *Wicamus*; etsi, vt sunt rerum vicissitudines, parentes ipsius exiguis fuerant rerum copijs prædicti. Atque hæc ideo mihi dicuntur, vt illam ab illis maculam abstergam, qua quidam illos aspergunt, quasi seruilis fuissent conditionis. Primam autem adolescentiam, vsque ad vigesimum ætatis annum, literarum imbibendarum, & morum efformandorum causa, partim *Wichamiæ*, partim *Wintoniæ* in aula *Edingtoniana* transegit.

Vt patet archiuis collegij.

An. Ed. 3 50.

Genealogia illa hodie extat.

In addit Polichr. Io Capgraue in vita ipsius.

ASCRIPTVS est deinde in aulam EDOVARDI *tertij* Regis: vbi post aliquot annos, propter summam prudentiam & fidem, magnamque in rebus gerendis dexteritatem, & singularem in rebus mathematicis peritiam, in magno apud Regem pretio fuit. Cumque arcem quandam in *Schepeia* apud *Cantiam* insulam ædificaret, & celebertimam illam *Windesorien-sem*, magnifice & apparatissime, splendidissimis illis ædibus EDOVARDVS ornaret & amplificaret, GVLIELMI potissimum, vt exquisiti geometræ, nouique cuiusdam *Euclidis* consilio vtus est. operisque eum præfecit. Cumque prudentiæ fideique illius, maiora quotidie experimenta exploratè caperet, multis eum ecclesiæ præfecturis, & tandem *Wintoniensi* Episcopatu, & summa cancellariæ dignitate honestandum curat. Sed vt omnia humana caduca sunt & vieta, & parum firma, constantia & solida, nihilque ipsa hominis voluntate inconstantius & flexibilius; maleuolis hominibus Regem aduersus eum instigantibus, in summam & grauissimam illius offentionem incurrit. Quæ adeo aduersus illum ingraueschebat, vt, possessionibus sacerdotij nudatus, proscriptus sit; adeo, inquam, vt cum quinquagesimo regni sui anno EDOVARDVS omnium aduersus se, & rempublicam admissorum criminum, instar iubilei cuiusdam, abolitionem, pecuniæque, ex illis & alijs culpis debitæ, condonationem profixe indulsisset; solum GVLIELMVM ab hac gratia diserte remouerit & excluserit. Vt verum & sit hic quoque, nullas esse infestiores inimicitias, quàm quæ inter arctissimè olim coniunctos exoriuntur. Vtrum autem GVLIELMVS è regno abierit, sed nec certam huius perturbationis causam liquido reperi. Illud mihi sane probabilius videtur, inde profectam, quod maleuoli suggesserint Regi, valde illi GVLIELMVM, ob ædificatorias illas rationes, & ob ea, quæ accepit in cancellariæ munera obæratum, & reliquatorem fuisse.

Idem & Thom Wals. Addit Polich à 7 c. 49. Cont Ad. Mur.

Io Cand. & Ad Polich. Vita Amat Ed. 3. anno 50.

EST quidam obscurus & anonymus author, qui creditur fuisse cœnobij diui *Albani* monachus, & polychronico accessionem dedisse, qui tradit, hanc omnem illi *Lancastrium* molestiam struxisse, a quo honorem & dignitatem suam læsam querebatur. Tradit enim reginam, cum iam supremum fatum immineret, Episcopum ad se accersisse, & arcanum quoddam, quasi in sacra illa exomologesi illi aperuisse. Quod eo tendebat, vt affirmaret, IOANNEM *Lancastrium*

Quem Foxus citat in Anglico plenam historiolam primo vol. fo. 272. quæ ex cœnobio Albanensi.

Lancastrium

trastrium non esse iustam & legitimam EDOVARDI, aut suam prolem, sed ignobilis cuiusdam mulieris à se *Gandaui* suppositam, cum infantem suam filiam recens natam, casu in lecto forte oppressisset. Quare si videret IOANNEM regno aliquando cupide inhiare, aut regni successionem ad eum, quasi iustum heredem delatam: tum demum, ne regni successio indignè contaminaretur, hanc suam supremam contestationem in publicum efferret. Addit præterea, proximo anno, id est millesimo trecentesimo septuagesimo septimo, suis GVLIELMVM possessionibus, opera *Alisiæ Perisiæ* (quam ingentibus muneribus GVLIELMVS placarat) restitutum. Sed hæc non videntur satis cum aliorum narratione, aut temporis ratione cohærere. Neque enim hoc anno & parliamento, quo GVLIELMVS proscriptus est, tanta IOANNES *Lancastrius* gratia pollebat. Quippe, qui eiusdem authoritate, cum domino *Latimero* & alijs, qui regios thesauros exhausisse dicebantur, rémque publicam male administrasse, ab omni huiusmodi administratione abdicatus est, alijque eorundem comitiorum decreto substituti: qui, quod Rex, propter corporis & mentis infirmitatem, rebus gerendis esset ineptus, omnia regni publica munera obirent. *Th. Walsingh. 1376. an. 50 Edw. 3.*

AT NIGELLO vt appellant, EDOVARDO, & primogenito EDOVARDI *tertij* filio, durantibus adhuc comitijs mortuo, omnia illa decreta, post paucos menses, ceciderunt & euersa sunt: maiorémque quàm vnquam antea authoritatem *Lancastrius*, & solus propemodum sibi omnem arrogabat. Quare, anno commemorato, & ante Regis obitum restitutum, non est verisimile. Et per RICHARDVM restitutum *Ioannes Candelarius Vellensis* Decanus, qui res illius exactissimè tenuit, vitamque conscripsit, aperte fatetur. Vt & alius, sed innominatus, author qui vitam illius, vigesimo quarto post obitum illius anno, paucis complexus est. Quod autem ad illam causam, de suppositio reginæ partu spectat; id solum in commemorato monacho, & *Polychronici* accessione reperio. *Thomas Walsingamius* in historia maiore, & Candelarius nihil huiusmodi asserunt, nec alij quidam manuscripti codices, qui res gestas eiusdem pontificis describunt, nec quisquam alius, in quem hactenus incidi. Iam quis vnquam crederet GVLIELMVM, hominem tam multi vsus, tantæ prudentiæ, & Episcopum, (quique non ignoraret, quantis opibus, clientelis, & authoritate *Lancastrius* & fratres eius niterentur, quantumque hoc esset, ex scitis ecclesiæ, piaculum alieno tempore, & contra præscriptas a Regina conditiones, quas transgredi non liceret, tot fortunæ, capitis & animæ periculis, vndique ex tam importuna voce impendentibus) se continere non potuisse, quin plenus rimarum efflueret, & magna futilitate & leuitate arcana effutiret? Aut quis in animum induceret, ANNAM spectatissimam & laudatissimam, vt diximus, illius sæculi heroinam, voluisse tanto se scelere implicare. & tam perdite marito Regi, regnóque illudere? Arreptam itaque forte a trimo & circulo, author iste, quicumque fuerit, fabulam scriptis suis inconsultè inseruisse videtur. *Idem 1377.*

NEQVE longe hæc mihi fabula ab illa abhorrere videtur, quam puer, frequens inter pueros *Wintoniæ* iactari audiebam, quod *Wintoniensi* sede vacante, primo quoque tempore *Estemeniam* rectoriam (quæ semper Episcopatui attributa est) quasi orbam à pastore, à Rege GVLIELMVS postulasset: Regemque postulatis annuisse, atque eo fuco Rege circumuento, eum ad Episcopatum obrepsisse. Sed huic authori vtcumque parcere possumus, si præcipiti credulitate illusus, quæ ab alijs tamen acceperit, scriptis suis temere infarcierit: sed non tam facile vulpi illi nostrati, qui nihil aliud quam veteratorijs artibus, vineam Domini demoliri & vastare conatur. Nam etsi obscurus ille author huiusmodi aliquid scripserit, cur ille, vt istud suum pseudomartyrologium magis ornet, de suo affingit? Cur perfidâ & proiectam calumniam, quam ab authore suo non accepit, sed quam ex visceribus suis, quasi venenum, more aranex, ad pertexendam præclaram hanc suæ malitiæ erga GVLIELMVM telam fundit, commentus est? Quæ eius tandem calumnia, omni aranex tela magis caduca, & fragilis est. Quid enim ostendit, cur pium Episcopum, & de Academia *Oxoniensi*, bonisque literis tam insigniter meritum, impium appellaret? Cur fingit hanc in *Lancastrium* contumeliam, ab ipso GVLIELMO profectam & fabricatam, & ideo contra eum intortam, quòd *Wicleffo* faueret, & catholicæ religionis hostis esset? Cur contra authoris sui sententiam, iustam Duci aduersus Episcopum excandescendi causam tribuit? Quippe qui diserte affirmet, Ducem nodum in scirpo, in hoc suo contra Episcopum motu quæsisse; & eum de reliquis, contra iuris & rationis præscripta damnari, in dicta causa curasse. Cum ille paratus esset testibus, idoneisque alijs rationibus abunde docere, se nulla in re Regi debitore fuisse. Nam quod ad commentitium & ementitum Reginæ partum pertinet, verbaque Episcopi ea de re, vnde potissimùm

sumum bilem Duci excitatam scribit, eam rem non videtur solidè & constanter author asserere. Occasio, inquit, totius mali fuit, vt fertur, quod Episcopus dixisset. &c. Quod si aliquod huiusmodi ab Episcopi ore aliquando profectum fuerat (quod pro certo non affirmatum, vt nec de reliqua authoris, quam mox subijciam, narratione, quam inuitus refero, quamque mihi proiecta istius insolentis maledici proteruia extorquet) nihil tamen in Episcopo criminis aut reprehensionis hæret. Quippe qui probi Episcopi, optimique ciuis officio hac in re defunctus est.

Si enim huic authori credimus, post obitum EDOVARDI Principis, maximi natu ex filijs EDOVARDI Regis, Dux *Lancastrius* post mortem Regis, quæ non longé abesse videbatur, regni successionem, tam a puero RICHARDO, quem veneno è medio tollere nitebatur; quam à filia fratris LEONELLI, quæ proxima heres erat, in se auertere cogitabat. Quæ res adeò obscura non erat, vt ad tollendum illud impedimentum, quod fratris filia obiecit, multos in sumini regni comitijs solicitarit, vt sanctio ibidem ederetur, qua feminæ à regni successione submouerentur. Iustissimam itaque & necessariam causam *Wicamus* habuit vt Reginæ postulationi, suoque in rempublicam officio satisfaceret, hoc omne arcanum aperiendi. Neque maledici huius author, quicquam hac in re Episcopo culpæ ascribit, neque cum vnquam tam insignis calumniæ & mendacij parentem, vt iste facit, notauit. Sed non videt, astuta alioqui, ista vulpes, quantum se imprudens irretiat atque implicet: dum longè atrocem crimen clarissimo huic Principi (quem maximè amplificatum cupit) hæreseos inquam impingit, quam in *Wichamo* hæreat, etiam si in culpa aliqua fuisset. Non videt præterea ex isto ipso suo authore, illam alteram, quam recensui, summam & turpissimam labem, Duci, quem tantopere ad *Wichamum* deprimendum & hæresis causam prouehendam ornare voluit, fœdissime aspersam. At video me, nescio quomodo, longius quam cogitaram prouectum. Tu tamen, vt spero, dabis facilem mihi, optime lector veniam; quod præter meum quidem morem, & quasi extra ordinem ad hanc apologiam delatus, auribus oculisue tuis paululum abusus fuerim. Non potui sane æquo animo, & silenter ferre, tam illustris heroinæ famam atque honorem, tamque illustres tanti Ducis natales, à quo tot principes viri, tot Reges & Reginæ longa quadam & honoratissima serie profluxerint, tam leui, tam incerti & obscuri authoris narratione, quasi infici & contaminari.

SED hanc mihi cum primis digressionem (in quam inuitus diuerti, & quæ nescio quibus fecibus, puritatem sacræ historiæ quasi contaminare videtur) extorsit; tum summum & singulare, quod parentis mei defuncti, omni verborum honore mihi semper nominandi, & omni semper pietate colendi sacrosanctæ memoriæ, sartæ quod aiunt, & tectæ, integræ atque illibatæ (quoad veritas, & rerum gestarum incorrupta integritas patietur) conseruandæ studium atque officium debeo. GVLIELMVM enim *Wichamum* vt optimum parentem agnosco, suspicio, colo. Cui, si quid sit in me doctrinæ, virtutis, pietatis, & catholicæ religionis, maxime acceptum refero. Quippe qui ab incunte ætate in *Wintoniensi* primum, deinde & *Oxoniensi* eius collegio ad omnem ingenij, doctrinæ & pietatis cultum capessendum institutus, imbutus & informatus sim; vt male certe tantum in me beneficium tam benignus pater posuisse videri merito posset, si cum hanc eius historiam attingerem, nullam grati animi significationem darem, & memoriam eius ab iniuria & contumelia, pro viribus non vindicarem. Reuertamur itaque eo vnde digressi sumus. GVLIELMVS etsi his tempestatibus immerito iactatus sit (quas quod placidè & tranquillè ferret, author meus, magnam illi laudem tribuit) paulo tamen post Deus omnia tranquillauit; conuertitque modicam hanc GVLIELMI iactationem, non modò in tranquillitatem, sed ad maximam illius amplificationem, & ad pulcherrimam occasionem summi, & singularis boni, erga totam *Anglicanam* rempublicam, Christique religionem. Per RICHARDVM itaque GVLIELMVS ad pontificium munus obeundum reuocatur, & intermedij, qui intercepti erant, ad triennium plus minus, fructus illi restituuntur. Quin & summo cancellariæ munere, licet renitentem post aliquot annos amplificauit.

In Chronico, quod incipit pro explosis.

Ab. Wal. 1389.

TANTIS præter spem opibus, & copijs auctus GVLIELMVS, non illas ille quidem in necessarios & affines, non in insanas, inanes & vanas, vt multi Proceres solent, structuras, quæ sæpe nulla alia re, quam sua paulo post ruina (quod heredes ad facta tecta tuenda vix sufficiant) aut populari execratione (cum in tam amplis & vastis ædibus rari homines præsertim ex tenuioribus pascantur, & in tot caminis pauci ignes luceant) nobilitantur, multòque minus in lauta conuiuia corporisque voluptates temere profudit. Sed re apud se, aliosque

prudentissimos, quos in consilium adhibebat, consulta, & exquisitè deliberata, pueros, adolescentésque egenos, parentibus, amicis, præsidióque destitutos, immo, ipsam, vt ita dicam, beatam MARIAM virginem Christi matrem, tantarum opum heredem esse voluit. Duo enim celeberrima, ad omnem posteritatis memoriam, collegia, quæ beatæ MARIAE Christi matris nomini consecrauit & dedicauit, alterum *Oxony*, alterum prope *Wintoniam* * *alias* alterum VVintoniæ. postea posuit. Cum enim pro sua prudentia & pietate, exactius apud se cogitasset, quantum bonæ literę res prosperas ornent, quanto in rebus aduersis solatio & præsidio sint; quam manca, quam mutilata, & præcipitio proxima sit ea respublica, quæ doctis viris orbata sit, quam christianæ reipublicæ, iuris ciuilis & ecclesiastici, & cum primis accurata sacræ theologiæ cognitio necessaria esset; quam necessarij, qui sacra & sacrificia conficerent, sacerdotes; rursus, quantas recens Doctorum virorum & sacerdotum, partim immanis illa, de qua diximus, pestis, partim *Wiclefiana* nuper exorta heresis (quę cum omnium bonarum & liberalium artium atque philosophiæ cognitione, cumque luculenta totius catholicæ fidei parte ipsum etiam ecclesię sacrificium tollerę nitebatur) ruinas edidisset, & quam multa bona, & felicia literisque imbibendis apta, & accommodata ingenia, parentũ tenuitate atque paupertate, ad mercimonia exercenda, ad sedentarias & manuarias artes, imo & ad stiuam & aratrum detruderentur: omnibus his ille difficultatibus, & malis, mirum in modum prospexit & consuluit. Et ita ex illis, de quibus diximus, copijs, & quibus postea cumulatus est prospexit, vt neminem ferè (absit inuidia verbo) pro suæ sortis & conditionis ratione, qui superarit, paucos per orbem vnquam habuerit aut antecedentibus aut sequentibus sæculis, qui æquarint illius hoc in genere laudem.

QVOD ne quis vana iactatione, aut nimio & præiudicato à me affectu dici putet, is non mea verba, sed rem ipsam penitius introspiciat; & tum forté nostræ sententiæ & ipse accedet. Sunt enim *supra quam ducenti, in vniuersum, qui ab illo tempore, in illis duobus * *alias* supra ducentos. collegijs, *Wichami* prouisione, liberalitate, & sumptibus hactenus aluntur, & Deo propitio in perpetuum alentur. E quibus tam *Wintoniæ* quàm *Oxonij* ille numerus conspicitur, qui sacrum septuaginta discipulorum numerum conficit, & ipsorum discipulorum, qui à Christo salutaris verbi diuulgandi causa, in varia *Iudeæ* loca, amandati sunt, officium & munus magna ex parte refert, & repræsentat. Et *Wintoniæ* quidem prima rudimenta Grammaticæ, & Rhetorices, pueris exquisita quadam ratione & diligentia traduntur. *Oxonienses* vero in matheſi, in omni illa philosophia, quæ in naturæ cognitionem, in ratiocinationem, in morum efformandorum disciplinam distribuitur, & in sacratiore illa christiana theologia accuratè versantur. Sunt tamen viginti ex illis, qui ciuilis & sacri iuris, quod scita patrum ecclesiæ, pontificiasque sanctiones complectitur, studio addicuntur. Quos GVILIELMVS mirifica quadam moderatione & prudentia ceteris ita asperſit; vt in singulis cubiculis, sit vnus iuris consultus. Sic fit, vt mutuò præstent operas, & quæ sibi desunt, à philosophis & theologis iurisconsulti; & hi rursus à iurisconsultis, quoties res postulat, consilia petant. Sic fit, vt ad omnem christianæ reipublicæ partem regendam, iuuandam, & instruendam, magna semper idoneorum virorum copia in eo collegio affluat; quique septuaginta illorum discipulorum, de quibus diximus, munus benè & nauiter obeant. His omnibus, post aliquot annos in studijs tritos, sacerdotij ineundi necessitas imponitur.

SVNT tamen nihilominus decem, extra hunc septuagesimum numerum, qui sacra & sacrificia quotidie obeunt, sedecim præterea pueri, qui scite canunt, qui cum alijs laicis ministris choro quotidie inseruiunt. Qui omnes suum præsidem habent, vt & *Wintonienses* alterum. In quo collegio inter pueros, qui grammaticæ dant operam, sunt tredecim sacerdotes, sedecim item pueri, choro cum alijs ministris operam quotidianam præbentes. Ita, vt dixi, vniuersus numerus ducentesimum superat. Quibus vtrobique GVLIELMVS nobiles & magnificas ædes, vt hodie visuntur, ædificauit. Quæ conspicientibus ingenij hominis, & liberalitatis peritiæque in re architectonica, magnitudinem abunde produnt. Sed si quis solidius & expressius, ingenij, prudentiæ, pietatisque *Wichamicæ* simulacrum conspicere velit, cum ego accuratius introspicere velim leges & præcepta, quæ suis vtrobique alumnis, vt sequerentur, dedit. In quibus nec *Solonis*, nec *Lycurgi*, nec *Platonis*, mitto *Solonem* & istos, imo nec eximiam sapientissimi, & christianissimi legislatoris prudentiam desiderabis. Qui & illud Apostoli suis merito dicere poterit, Superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide IESV Christo. Omnis certe parentis nostri conatus ad nihil aliud collimat, quam vt in alumnorum suorum pectoribus omni doctrinæ &

pietati, imo Christo ipsi domicilium construat. Septennium vero datum est *Oxoniensibus* ædibus ponendis, tumque præfes & reliqui, ibidem ab eo locati sunt.

At vir prudens, cum sciret, non satis felices in humana & cælesti philosophia progressus ijs contingere, qui grammaticæ cognitione priùs accuratiùs non poliuntur (quod illis temporibus rara erat alijs) videretque præterea, si promiscuè ex omni loco, in deficientium *Oxony* locum ignoti coopterentur, quorum doctrina, vita & mores collegij sui alumnis non esset exquisitè explorata; suum institutum non tam feliciter, atque optaret, successurum: pro sua prudentia, optima cautione, vna eademque opera vtrique incommodo, ex illa sua *Wintoniensi* exædificatione (quam post alterum annum ab ædibus *Oxoniensibus* consummatis occœpit, & post sex deinde annos absoluit) commodè occurrit. Curauit enim vt alumni sui *Wintoniæ*, grammaticam (quæ exactè cognita, faciliorem ad omnes alias sublimiores disciplinas aditum patefacit & munit) exquisita quadam diligentia addiscerent. In qua, schola illa ab eo semper tempore, tantas fecit progressiones, vt, sit sine offensione alicuius dictum, alijs scholis hanc omnem laudem præripuerit, &, ni fallor hodie præripiat. Cumque à *Wintoniensi* quasi colonia, *Oxonium*, nec aliunde in illud collegium migretur, & à sola *Wintonia* sumantur, qui deficientium locum occupent; fit, vt nemo illuc adeuat, nisi cuius in literis pietatéque omnes progressiones exploratè sint cognitæ. Singulis enim annis vtriusque custodis, & aliorum ad id munus selectorum (qui consulto ob hanc causam *Wintoniam* aduentant) iudicio, & accurata inquisitione seliguntur, qui *Oxonium* eo anno ad vacantem numerum suppliendum, proficiscuntur. Cumque eò venerint, biennio quasi tyrones ibi versantur, nec in societatis perpetuitatem, vt ita dicam, ascribuntur, nisi totius societatis post diligentem in doctrinam & mores inquisitionem, explorata suffragatione.

Societas autem illa *Oxoniensis*, ædes illas *Wicamienses* ingressa est decimaquarta die Aprilis. anno millesimo trecentesimo octuagesimo sexto; *Wintoniensis* verò, vigesima octaua Martij, anno millesimo trecentesimo nonagesimo tertio, Solemni vtrobique cum supplicatione, crucéque ingrediente, felicibus auspicijs præeunte. Reperio autem inter alia, in quibusdam veterum monumentis, toto septennio ante illum *Oxonij* ingressum, Episcopum decem studijs deditos, suis in eadem academia sumptibus liberaliter aluisse. Tanti vero *Wichamiana* ista instituta, & præcepta habita sunt, vt Gvilielmvs *Wainfletus*, *Wintoniensis* & ipse Episcopus. qui nobile illud *Magdalenense* apud *Oxonium*, vt Rex Henricvs *sextus*, qui duo illa illustria, alterum apud *Etonam*, alterum apud *Cantabrigiam* collegia posuére, vt alij, qui benignè postea discentibus fecerint, collegiáque constituerint; ad *Wichamiense*, quasi archetypum respexerint, & inde fere viuendi præcepta suo instituto commoda sumpserint, quę suis alumnis darent. Adeo verò in hanc *Wainfletus Wichamiensem* familiam propendebat, vt cum vetuerit, aliquem collegij sui præsidem, nisi ex collegij sui grege legi; cauerit tamen, vt integrum illis esset *Wichamiensem* sumere in præsidem. Magna etiam Reges, vtrumque *Wichamiense* collegium indulgentia, & gratia semper postea complexi sunt ita, vt cum in tributis Regi pendendis, academiarum collegia excipiantur, *Wintoniense* quoque & postea *Etoniense*, pari priuilegio ornarentur. Sed me iam reprimo. Ingressus enim in eam narrationem, cuius finem haud facile licet reperire, & eius hominis, in cuius memoria iucundissimè acquiesco, longius quàm putaram, nescio qua ratione, non tamen, vt spero, extra causam susceptam delatus sum. Reliqua igitur huic nostro instituto accomodata persequamur. Donatum itaque est diuinitus *Wichamo*, vt vtrumque collegium diu ante obitum consummaret, possessionibusque idoneis augeret. Vixit autē in episcopatu triginta octo annis, & octogenarius obijt. Et licet perampla sit illius in hæc duo collegia munificentia, non tamen intra hos solum limites constitit. Aliud enim *Wintonia*, & plane regium illius opus extat. Insignem enim illam principis ecclesiæ partem, quæ à choro occidentem spectat (in qua sacellum hodie visitur, in quo corpus eius conditum est) suis sumptibus ædificauit. Et inter tot, tamque inexhaustos sumptus, paupertum etiam aliorum in sua diœcesi alendorum, magnam curam habuit, vt epitaphium illius testatur.

1404. *Thom. Walsi. & Ioan. Cand.*

Hæc omnia in testamento eius apparent, quod visitur in archiuis ecclesiæ Cant Ioan. Candalosius.

Si recenserem iam quot, & quanta in supremis suis tabulis, in ecclesias & cœnobia suæ diœcesis, in cognatos & affines, in pauperes, in eos, qui *Londini* & alibi carcere detinebantur, & alios distribuerit; omnem fidem mea oratio, etsi vera, superare videretur. Robertvm *Londinensem*, & quinque alios testamenti sui exequutores constituit, quibus mille libras legauit: Cœnobio verò *Wintoniensi* inter alia, crucem auream, in qua portio dominicæ crucis includebatur. Executores vero voluntati illius supremæ, summa fide satisfecerunt. Sed magnas & amplas quasdam summas, quas testamento complexus est, ipse ante obitum ijs, quibus eas legaue-

rat,

iat, repræsentauit. Diximus iam antea, feruentibus inter nos & *Gallos* bellis, monachos exteros regno pulsos, possessionésque illorum ad fiscum auersas. Ex quibus aliquot *Wichamus* comparauit, & ad collegium suum transtulit. Monachis vero illis ad hoc damnum resarciendum, ædes fundosque in *Gallia* parasse sua pecunia dicitur. Qua tamen in re nihil explorate dicere possum. Est tritum quoddam prouerbium, quod suam cuique mores fortunã fingant. Quod vt à GVLIELMO Episcopo frequens vsurpari solebat, quemadmodũ vulgo apud nos hodie iactatur, ita verissimum illud esse in se ipso potissimũ comperit. Qui etsi tam excellenti fortè, atque alij quidam Episcopi, doctrina non fuerat excultus, ob morũ tamen, totiusque vitæ insignem probitatem, ad summas dignitates prouectus est. Et si quid forsan in magnitudine doctrinę in eo desideratũ est, id illustribus alijs dotibus, & amplissimo atque immortali studiosorum fouendorum subsidio, abundè pensauit. Quantis & quàm magnificis, principẽ diœceseos suæ ecclesiam, ædificationibus, quantis, & quam amplis donarijs ornarit, paulo ante diximus. Sed longè his prolixiora, & præstantiora beneficia in ea posuit. Magna enim atque singulari quadam diligentia, ac vigilantia vsus est, vt cum alij ex Clero viri monastici, tum eiusdem potissimum ecclesiæ monachi, suo accuratè officio fungerentur, vitamque se, suaque ptofessione dignam transigerent. Multa igitur viuendi licentiore quodam genere (quod sensim irrepserat) in peius dilapsa atque corrupta, veteri seueriorique disciplina constrinxit & emendauit; certáque ac salutaria, adque *Benedictini* instituti rationem, viuendi accommoda præcepta illis dedit, quæ & extant, inque meas aliquando manus inciderunt. Hæc itaque mihi de *Wichamo*, optimo & colendissimo patrono ac parente, dicta sunto. Inter huius diœceseos, qui scriptis se posteritatis memoriæ commendarunt, reperio inter alios *Guilielmum Altonium*, & *Guilielmum Suthamptonium Dominicanos*, ad Regis EDOVARDI *tertij* tempora.

Maners marketh man, quoth VV. V.: kam.

Sunt distincta in 40 capita incipiunt. Assertem ecclesiæ vigilare, &c Ioan. Leland.

De *Episcopis* Sarisburiensibus.

CAPVT XXI.

POst NICOLAVM *Longospathium* hanc ecclesiam gubernauit SIMON, qui *Gandauus* dicitur, licet *Londini* natus, quod à *Gandauo* oriundus esset, ex matre *Angla*. Scripsit inter alia de vita solitaria ad *Terentinas* suæ diœcesi virgines. Ad quæ tempora, magna pleriſque locis, præsertim in hac diœcesi mense Septembri damna, & detrimenta immane fulgur dedit; adeo, vt arbores exustæ exaruerint, & monachis in *Middeltonio* cœnobio *Dorsetensis* Comitatus, matutinis laudibus noctu vacantibus, ecclesia conflagrarit. Quo incendio, campanile, vt appellant cum campanis, libri, ornamenta, & alia ecclesiæ supellex intercidere. Eodem etiam mense ventorum magnitudo, quo aliquot ecclesiarum turres concussæ & euersæ sunt, luculentum damnum intulit, nec minus proximo Februario, mira aquarum, post maximum gelu, inundatio & copia. Quæ ita principem *Sarisburiæ* ecclesiam obruit, vt biduo à missarum sacrificio cessatum sit. SIMONIS, cum è vita migrasset, locum ROGERVS *Morteuauseus Lincolniensis* decanus, & eius post quatuordecim annos ROBERTVS *Wiselatus* occupat. Qui doctas & eruditas epistolas, in quas ego non adhuc incidi, scripsisse traditur. ROGERVS impedimento videtur fuisse *Ioannitis* siue *Hospitalarijs*, ad quos diximus possessiones *Templariorum* deuiatas, ne iure ipsis delato frui possent. qua de re admonetur, & reprehenditur ab WALTERO *Cantuariensi*. Grauis, nescio qua ex causa, inter ROBERTVM, & quosdam illi infestos, discordia exorta est, adeo, vt pæne in apertam pugnam exierit. Obsidebatur enim ab eis ROBERTVS, nec quemquam eum adire, ne eos quidem, qui sacris initiandi erant, nec commeatum aliquem illi inferri, aut vendi patiebantur. Quod si qui suum ad illum iter contentiosius vrgerent; eos & minis territabant & nonnunquam verbera accumulabant. Quos vt anathemate notarent, *Islepius* tam RADVLPHO *Bathoniensi*, quam alijs Episcopis mandatum dedit. Eo sedente, *Edingdonium* illud, de quo antea mentionem fecimus, cœnobium in hac diœcesi structum est. Prolixum habuit, in Episcopatu, ROBERTVS tempus, quod supra quadraginta quinque annos producebatur. Cuius locum RADVLPHVS *Arguinus* iuris ciuilis professor, & *Lancastriæ* Cancellarius suscepit.

Interegist. VValt. Add. ad Nicb. Trinet. 1309. VValf. 1310.

Anno 1315. Ex cod. registro Ad. Mur. 1319.

Interegistr. 1321.

HORRENDA in hac diœcesi, in sacrosanctam eucharistiam, his temporibus contumelia, à quodam equestris ordinis homine, intorta est. Quam nos narrationẽ in *Wiclefianam* historiã reiecimus. RADVLPHVS inter alios RICHARDO regnum ineunte, in penitius Regis, regni-

1377. VValsing. Addit. ad Ada. Mur. & ad Polich li 7. ca 49. VValf. 1381. Th. VValf. 1377

que consilium admotus est, cum CVLIELMO *Courtenero* Episcopo *Londinensi*, *Comite Mortemero* Comite *Marchiæ*, de quibus populus optime sentiebat, sed non de RADVLPHO; & ægre ferebat, rerum publicarum procurationem illi delatum. Quod vtrum fecerit constanti aliquo iudicio & grauitate (quod raro visitur) an pro solita sua leuitate, non habeo pronunciare. Illud exploratius dicere possum, illũ cum in alijs, tũ in superstitione recens exorta reprimenda (si modo sit eius, in quã alicubi incidi, epistola) egregium se Episcopũ præstitisse: quæ à RADVLPHO *Sarisburiensi*, ad IOANNEM *Lincolniensem* conscripta est. Quam ego ex multis coniecturis, abisto RADVLPHO ad IOANNEM *Bochingamium* missam existimo: quamuis nihil de personis explorate affirmarim. Res vero ita se habet. Erat in parochia *Bishopshumæ Sarisburiensis* diœceseos fons quidam, quem vicini superstitiose & aniliter, tanquam sacrosanctum quiddam obseruabant, & venerabantur. Quam superstitionem ex eo potissimum concepere, quod propter eum fontem auis quædam, quæ in propinqua arbore nidum fingere, & construere solebat, manibus se hominum attrectari patiebatur. Quam istorum superstitionem auxit, quod lippus quidam, quique autumnali æstu feruente, caput nimio potu oneraſſet, postquam fontana illa aqua oculos aspersisset, lippitudinem depulisse visus est. Donaria itaque frequentes ad eam arborem deferebant, & in nido collocabant, fontemque impio cultu adorantes, preces quasi ad augustum & sacrum locum fundebant. RADVLPHVS cum pro sua prudentia, hæc a naturæ causis proficisci posse non ignoraret, nec pro sua pietate pateretur tuos tanta superstitione contaminari; ex eorum voluntate, qui fontis erant Domini & fundi, os fontis obstruebat, arbore cum nido funditus reuulsa. Quin & suos a sacro christianorum cœtu eiecit, si se rursus hac impietate obligari paterentur. Cumque illius diœcesani, aut metu, aut melius imbuti, omnem illam superstitionem abiecissent, ecce vicini *Lincolniensis diœceseos*, quæ cum *Sarisburiensi* continens est, impij quidam homines, illo rursus fonte aperto, magna quotidie frequentia, precandi & adorandi causa, illuc aduentabant. Rogat itaque RADVLPHVS IOANNEM, magnaque ab eo contentione postulat, vt ne patiatur suorum animos, in sua hac superstitione occupari, sed anathemate & alijs omnibus eos rationibus ab ea deterreat.

Walsi. 1382. VRBANVS deinde RADVLPHVM *Bathoniam* traducit, & in eius sede IOANNEM *Walthamum*, qui Regi erat à priuato sigillo, collocat. Fuit IOANNES Regi à thesauris. Habuit autem *Londini* prope *Thamesin* ædes ornatissimas, quæ ad sedem pertinebant. Quæ *Fabianus* 1391. erant in magno periculo ne effringerentur, aut euerterentur per popularem tumultum. Orta enim rixa inter famulum cuiusdam ciuis & pistoris, & Episcopi famulum, qui alterius famuli pugione caput imminuerat, famulo Episcopi, ne à ciuibus manus illi injiceretur, & in carcerem abduceretur, in ædes Domini se proripiente, foresque omnes & aditus claudente; immensa multitudo, vndique ad eam iniuriam vindicandam confluxit, parumque aberat, quin vi in ædes irrupissent, ægréque tandem à Prætore & Senatoribus tumultus ille repressus est. Quamobrem tradunt Regem, ab Episcopo rem magis & atrocius exaggerante, incensum; ciuitatem suis priuilegijs, & immunitatibus mulctasse. Sed *Walsingamius*, qui de hac *Anno* 1392. mulcta narrat, nullam de ista rixa mentionem facit, sed de alijs multis, magnique momenti causis, ob quas tantam Regis offensionem ciues contraxerant; & hanc mulctam non ad annum millesimum trecentesimum nonagesimum primum, sed ad sequentem refert. Fuit sane IOANNES in maxima & mirifica quadam gratia apud Regem, adeo, vt post obitum curauerit eum *Westmonasterij*, multis murmurantibus, inter regia mausolea humari. Sede deinde *Anno* 1395. *Walsi. Ioan. Leland.* potitur IOANNES *Mitfordus*, à *Cicestrensi* ad hanc adductus. Dedit hæc nobis hoc sæculo diœceseos *Gulielmum Butlerum*, *Gulielmum Somerum* Dominicanos, *Walterum Winteburnium* Cardinalem; quorum & scripta extant.

De

De Episcopis Exonienſibu.

CAPVT XXII.

THOMA *Brutonio* res humanas[a] deferente, WALTERVS *Stapletonius* hoc munus obijt.[b] Qui, cum poſt abitionem ISABELLAE Reginæ in *Franciam*, EDOVARDVS etiam Regis filius, ex ſenatus ſui conſilio, ad maiorem rerum cum *Gallo* pacificationem, vtque Ducatu *Aquitaniæ* ornaretur, miſſus eſſet, VVALTERVS ſocius illius in eo itinere, cum alijs adiunctus eſt. Qui cum Reginam videret à reditione abhorrere, & clandeſtina illius contra Regem conſilia ſubodoratus, & expiſcatus eſſet, actutum clanculum ſe à Regina ſubducens, in ANGLIAM redit, rémque omnem Regi aperit. Qua ex re, ſingularem ſibi Regis gratiam, ſed quę mox ad certam ſuam perniciem vergebat, adiunxit. Cum enim ſibi Rex à Regina, quę cum exercitu ANGLIAM iam erat ingreſſa, valde timeret, ipſe in *Cambriam* ob metum ſe propriperet; principem regni ciuitatem *Londinum*. WALTERI potiſsimum fidei, & tutelæ commiſit. Cumque pro poteſtatis ſibi creditæ magnitudine, in perturbatione illa regni, obeundis rebus ad ſummam reipublicę ſpectantibus ſe interponeret; Prętorem & ciues qui iam totos ſe Reginę, & EDOVARDI principis obſequio & voluntati, ob inueteratum illud ſuum in *Spenſerios* odium deuouerant non modo contumaces, & repugnantes mandatis ſuis inuenit, ſed cum credita negotia ſolicitius vrgeret, & aſperioribus plebem in ſe verbis concitaſſet, ab ipſa furore iam immodico concita, ad inſignem illam, in totius ciuitatis celeberrimo vico, crucem poſitam, cum quibuſdam ex ſuis obtruncatus eſt; caputque ad ludibrium, haſtæ ſublimi affixum, circum latum, & deinde ad Reginam tranſmiſſum. Offenderat valde WALTERVS, præter hoc *Spenſerianum* odium, ciuium animos, quod ſuas ab illo, cum Regi eſſet à theſauris, prærogatiuas violatas & imminutas putauerint, & quod turrim quandam in ædibus illis ſuis, quas propter *Thameſim* habebat, in quadam ciuitatis area, contra illius voluntatem, ædificaſſet.

Ob quod ciues magis aduerſus eum exacerbati, inter arenam & rudera, quæ prope illam turrim coaceruata erant, cadauer eius & famulorum ignominioſè proiecerunt; *Walſingamius* tamen in loco ſacro, & cœmeterio quodam fratrum, qui à cœnobio exacti erant, quodque iam obſoluerat, humatum tradit. *Exonium* tamen poſtea delatum eſt, & congruo honore humatum. Habita eſt poſt biennium frequens *Londini* ſynodus. In qua WALTERVS Archiepiſcopus, & alij Epiſcopi, diris omnes execrati eos ſunt, qui necem WALTERO intuliſſent, Qui, quod de literis, & diſcendi ſtudioſis prę clare meritus eſt, ſummis encomijs ornari dignus eſt: quippe qui *Oxonii* collegium illud, quod *Exonienſe* dicitur, erexerit, & diuentibus idoneè, de annuis ſtudiorum ſubſidijs proſpexerit. Accedit ad beneficij cumulum *Aula* etiam *Cerauna* ibidem. Cuius ille fuit author. Epiſcopatum deinde, ad vnum plus minus annum tenuit IACOBVS *Berchelenus Exonienſis* prius Canonicus, & theologiæ profeſſor. In vacatione deinde poſt obitum IACOBI, WALTERVS *Cantuarienſis*, eccleſiaſticarum cauſarum omnium in ea diœceſi cognitionem, *Adamo Muremutheo*, de quo commemorauimus, delegauit. Qua authoritate fretus, quædam, per eccleſiaſticam de more inquiſitionem, apud cœnobium *Goucſtri* & diui *Nicolai*; *Exonii* apud collegium *Crediton*, & inter ſacras virgines apud *Pulſum*, & alibi emendauit. Quamquam vero frequenti Canonicorum ſuffragio *Ioannes Godoleius*, *Exonienſis* Canonicus & *Wellenſis* Decanus, ad id muneris aduocatus fuerat, eamque lectionem Rex ratam habuerat, IOANNIS tamen *Vigeſimi ſecundi* cautio & prouiſio, hanc omnem eluſit & euertit. Qui hanc dignitatem IOANNI à *Granſono* ſeu *Grandiſono* largitus eſt, Qui à ſummo Pontifice in Curia *Romana* menſe Octobri conſecratus, Auguſti ſequentis mente diœceſim ſuam inuiſit.

DENVNCIAVIT illi IOANNES *Stratfordius Cantuarienſis*, ſe *Exoniam* venturum, ob exercendam eccleſiaſticam inquiſitionem, & viſitationem, vt appellamus. IOANNES ne accederet, prouocationem interpoſuit. Qua reiecta, cum *Cantuarienſis* nihilominus, locum & diem præſcriptum obiret, non granditate modo verborum, vt ſuo nomini reſponderet, ſed & grandibus factis vſus eſt IOANNES, viqueilli reſtitit, quo minus templum aut clauſtrum ingrederetur. Admit deinde *Romanam* curiam cum *Lancaſtrio* Comite *Derbeio*

a *Anno 1320. ex addit. ad Nich. Trim.*

b *Ad Mur. 1314. & 315. & Ib. ver. in vita Edouard. 2. & Tho. Waſ.*

Fab. Th. VValſ. Ad Mur. Croniс. Mer. Non Anon. & alij 1325. & 1326.

Tho. Walſ. 1325.

Fabianus.

Exregiſt. Walt. 1327. & ſeqq. Mer. 1326.

Ad Mur. 1326. & 1327.

Ad. Mur. 1331.

Walſ. 1342.

in regist. Sim. Islep.

Thom. Walsi & Addit. Ad Alur. 1369. Cont. Polichr. li 7 c 47. Ex regist. Islepij 1369.

Walsi. 1381.

Ex antiquo illo de quo diximus Carthus. monumento 1383.

Walsi. in Ricar. 2. 1391. & in Cat. Teuchr.

berio, & alijs, ob veterem illam inter ANGLVM & *Gallum* digladiationem. Opposuit se etiam postea *Islepio*, & nescio qua tergiuersatione, regiaque authoritate, aduersus eum se munire conatus est, ne iurisdictionem in eum & diœcesim exerceret. Ante Episcopatum fuit Archidiaconus *Notingamiensis*, & nuncius sedis Apostolicæ in ANGLIAM missus. Ad cuius itineris expensas, Clerus *Anglicanus* pecuniam tribuere coactus est. Longissimum administrationis suæ cursum fecit, quem triginta octo annis tenuit. Quam deinde sedem THOMAS *Brantingamius* adeptus est. Fuit ad hæc tempora, *Otto Grandisonus* vir equestris ordinis, & necessarius, ni fallor, IOANNIS Episcopi. Is, cum supremas vltimæ voluntatis tabulas conficeret, solicite in illis cauit, & magna contentione id ab heredibus amicisque postulauit, ne pompa illa hominis armis instructi, & phalerati equi funus præeuntium, in suo funere vsurparetur; neue capulum auratis & magnificis stragulis ornaretur, sed candido solum panno, rubea cruce insignito tegeretur. In pauperes vero cum alios, tum in eos, qui sunt ex *Mendicantium* fratrum secta, perliberalis & peramplus fuit, legauitque pecuniam ad lumina, quæ in templo *Chellesfeldiensi*, ad sacrosanctæ in missæ sacrificio eucharistiæ ostensionem, & ante imaginem Christi in eodem templo accenderentur. Fuit autem *Thomas* à thesauro Regis. Cui in eo munere *Robertus Halesius*, *Rhodiorum* militum præfectus successit: is, qui in populari illo postea motu, *Londini*, vt diximus, cæsus est.

CIRCITER hæc tempora, *Carthusiani* apud *Totenesium*, in hac diœcesi ponuntur. Extiterat ibi quidem prius *Benedictinorum* cœnobium, quod ab illustribus viris *Suchijs* iam olim conditum, & idoneis possessionibus dotatum erat. Fuit vero cœnobium sub tutela & potestate monasterii diuorum *Sergij* & *Bacchi*, in suburbijs *Andegauiæ*. Atque ob hanc causam monachi ipsi fuere *Galli*. Atqui, cum inter *Gallum* & ANGLVM diuturna, & immania illa, præsertim regnante EDOVARDO *tertio*, bella feruerent, monachi partim exacti partim vltro alio se protripuere, resque & possessiones monasterij miserum in modum pessum iere. Verlati tamen sunt ibi tres aut quatuor *Cluniacenses* monachi, sed & ipsi frigidi in suis institutis seruandis, & bona cœnobij parum accurate administrantes. Quare Dominus *Gulielmus Suchius*, volens & maiorum beneficium, & suæ pietatis aliquod vestigium manere; supplex egit apud VRBANVM *sextum*, vt ipsius authoritate, cœnobium *Carthusianis* addiceretur. Cuius ille desiderio prolixè & cumulatè satisfecit, *Exoniensique* Episcopo mandatum dedit, vt videret rem confici, & omnia bene & nauiter expediri, monachis illis, ad alia sui instituti cœnobia, remissis. Successit deinde in ea sede GVLIELMVS, eique sufficitur EDMVNDVS *Stratfordius*.

IN illis vero *Londini* apud *Westmonasterium* comitijs, in quibus Dux *Gloecestriæ*, Comites *Arundely* & *Warwicensis*, lætæ maiestatis damnati sunt, EDMVNDVS, vt qui erat à cancellariæ munere, accuratiorem quandam orationem instar concionis ad omnes ordines habuit, quæ in explicandis & proposito suo accommodandis his verbis, *Rex vnus erit omnibus*, tota consumebatur. In qua multa de magnitudine regiæ maiestatis, & quanta cura, obsequio, fide, obseruantia, vniuersi eam sartam, quod aiunt, & tectam, integram atque imminutam conseruare debeant, exquisitè disseruit. Cuius singulæ narrationis partes huc reuoluebantur, & in hanc sententiam exierunt, *Rex vnus erit omnibus*. Ostendit deinde quo comitia tunc indicta respiciebant, nimirum, vt accurate inquireretur, qui demum illi essent, qui maiestatem regiam labefactassent & imminuissent; proximo loco, quibus pœnis essent mulctandi; postremo, vt idonea aliqua cautione & prouisione, consitiorum authoritate, eorum conatibus occurreretur, qui rempublicam in futurum perturbarent, vexarent, lacerarent. Atque hæc mihi hactenus de *Exoniensibus* Episcopis dicta sunto. Inter alios qui scriptis, suas hoc sæculo, in hac diœcesi, cogitationes & studia complexi sunt, fuere *Gulielmus* Canonicus *Exoniensis*, & *Ioannes Rufus Dominicanus*.

De

De Episcopis Bathonienſibus & Wellenſibus.

CAPVT XXIII.

IOANNEM *Marchium*, de quo ſuperiore ſæculo, excepit VVALTERVS *Haſelhauius*, & eum poſt ſeptem annos IOANNES *Drokisfordius*. Quinquennio poſt EDOVARDVS *ſecundus* & Regina in *Galliam* profecti ſunt, vt ſua præſentia honeſtarent & ornarent inunctionem *Philippi*, *Galliæ* Regis filij, in Regem *Nauarræ*. IOANNI ille interim regnum tuendi & adminiſtrandi, ampliſſimam ſuam authoritatem delegauit. Sedem ſuam IOANNES inſignibus ædificijs, priuilegijſque à Rege profectis ornauit. Multus etiam fuit in neceſſarijs & affinibus ornandis. Cui defuncto RADVLPHVS *Salopius* ſummo tam Decani & Canonicorum *Wellenſium*, quam Prioris & monachorum conſenſu ſuffícitur, & deinde à *Cantuarienſi* initiatur. Quamquam IOANNES *Vigeſimus ſecundus*, Epiſcopatus illius donationem ſibi, decreto interpoſito, retinuerat. Sed ratam tamen poſtea habuit dictam electionem. Valde & ille ædificijs, quæ vicarijs ſacerdotibus & pueris, qui choro quotidie dant operam, & muro inſigni, quo palatium circumuallauit, multiſque alijs beneficijs traditur ſedem ſuam exornaſſe. Fuit præterea & pauperum valde ſtudioſus, & in eos perliberalis. Fuere quædam ſiluæ in hac diœceſi damis inſtructæ, quas dum aliquando, vt fit, venando diœceſani perſequerentur, delati à regijs miniſtris, qui ſiluarum curam habebant, graues pœnas exoluebant. Et quoniam quædam Epiſcopi poſſeſſiones intra has conſiſterent, vt ſuos ab hoc deinceps incommodo liberaret, à Rege impetrauit RADVLPHVS, vt ſibi integrum foret, damas illas è medio tollere. In ſupremis RADVLPHVS tabulis facultates omnes ære alieno primum ſepoſito, trifariam diſtribuit. Vnde vnam partem ad pauperes & colonos ſuos, alteram ad fratres *Menaicantes*, tertiam ad tenuiores neceſſarios, & familiam ſuam recidere voluit.

Ex catal. commemor. Bath. Epiſc. Anno 1308 Contin. ad Ad. Mur. ibidem. Ex catal.

An. 1319. ex catal. Cont. Polyb. lib. 7. c. 46.

Ex catalogo.

Ex regiſtro Iſo.

CVI poſt triginta quatuor annos INNOCENTIVS *ſextus*, IOANNEM *Barnetum* Archidiaconum *Londinenſem* à *Wigornia* traductum ſubſtituit. Qui fuit Regi à theſauris. Delectus erat ab ijs, ad quos ſuffragia ſpectabant, *Glaſcotienſis* Abbas, ſed ad *Romanum* curiam profecturo, æmuli impedimenta obiecere. IOANNES vero triennio poſt per VRBANVM *quintum* ad *Elienſem* ſedem tranſlatus eſt. Throno vero *Bathonienſi* IOANNES *Haruellius Aquitaniæ* Cancellarius, per eundem præfectus eſt. Qui thronum illum circiter viginti annos occupauit. Et præclare de ſede illa meritus eſt, quam ædificijs & magni pretij ornamentis honeſtauit. Donauit inter alia librum, qui ſacrificij chriſtiani conficiendi ritus continebat, quem *Miſſale* appellamus, cuius pretium viginti libras æquabat. IOANNEM ſequutus eſt WALTERVS *Skerlaius* vtriuſque iuris profeſſor, huc ex *Ceſtria*, & poſt triennium *Dunelmum* hinc accerſitus. Eius deinde locum capeſſit RADVLPHVS *Ergûinus*, qui *Sarisburienſem* prius eccleſiam duodecim annis gubernarat, eundémque etiam numerum, in *Bathonienſi* functione impleuit. Qui multa in ſedem illam beneficia contulit, & duodecim Sacerdotibus, qui ſacra in templo quotidie conficerent, ædes ibidem conſtruxit, & inter alia donaria largitus eſt calicem, qui quinquaginta quatuor libris, & librum ritualem, ſiue, vt appellant *Miſſale*, qui viginti duabus libris æſtimabatur.

Ex cod. regiſtro VVall. & Cont. Ad Mur. 1363. & in catal. vbi appellatur Ioan. Burnelius. Ex cod. regiſtro. Tho. VVall. & cont Ad Mur. & ex catal

Ex catalogo.

Ex catal. & VVall. 1388.

Ex cat. & VVal. 1388.

De Episcopis Herefordenſibus.

CAPVT XXIV.

CIRCITER vndecimum imperij EDOVARDI *ſecundi* annum, ADAMVS *Orbetonius* hoc munere fungitur. Qui in ampliſſimis regni comitijs *Weſtmonaſterij*, cauſam dicere coactus eſt, proditionis delatus, quod *Mortemarris* & alijs, qui aduerſus Regem ſeditioſè coierant, conſilium, arma, homines, & pecuniam ſuppeditaſſet. Cumque multis contumelijs & conuitijs impeteretur, poſt longam patientiam, & ſilentium, iuſſus vt intentatæ criminationi reſponderet, in hanc ſententiam locutus eſt, vt diceret, ſe eſſe Clero & Epiſcoporum numero aſcriptum, vnumque ex *Cantuarienſis* eccleſiæ ſuffraganeis. Nec poſſe ſe ſine *Cantuarienſis* Archiepiſcopi, & aliorum Epiſcoporum authorita-

Ad. Mur. 1319.

te &

te & consensu, in tam graui causa aliquod responsum expedire. Cumque Archiepiscopus & alij e sedibus suis surgerent, & Regis pro ADAMO clementiam frustra implorarent, ADAMVM secum abducunt. Fuit itaque aliquot dies apud *Cantuariensem*. Post quos, cum ad regni tribunal, vt obiecta crimina dilueret, accerseretur, aduolant propere *Cantuariensis*, *Eboracensis* & *Dublinensis* Archiepiscopi, cum alijs decem Episcopis, & ADAMVM reducunt, grauissimum anathema interminati omnibus, quicumque manus ei violentas injicerent. Eo nihilominus absente, perduellionis illi crimen intenditur. Accersuntur duodecim de more patriæ, qui diligenter in causam inquirerent. Qui post inquisitionem, imminutæ maiestatis ADAMVM reum pronunciant. EDOVARDVS mox in omnes illius possessiones, & bona inuolat. Ille interim apud *Cantuariensem* mansit. Et hac, vt putabat, iniuria lacessitus, nihil postea prætermittebat, quo *Hugonibus*, & propter eos Regi incommodaret. Et si *Thomæ Moro*, ad ea tempora scribenti credendum, Procerum in *Hugones* odium iam pæne obliteratum & sopitum, rursus incendit; nec prius quieuit, Reginam etiam, quæ varias ob causas *Hugonibus* erat infestissima, in illos, & in maritum tandem concitando, quàm non modo *Hugones*, sed & multi alij Proceres, & Rex eo tandem incendio conflagrarint.

Th. Walsi. 1312. & 1325 & Ad. Mur. 1324. Tho. Mer in hist. Edw. 2.

REGINAM itaque ille omni, quo potuit, consilio, ope, armis, pecunia & hominibus, postquam appulisset, prolixe per se & suos adiuuit. Ad quam cum magna populus Procerésque *Oxonij* commorantem, frequentia, armorúmque apparatu confluxissent, verba ad illos accurate fecit ADAMVS quibus significabat, quo omnia reginæ consilia, id est, ad reipublicæ capitales hostes obterendos, & rempublicam recte collocandam, spectarent, fortiter modo & constanter, vt cœperant, pergerent, rem enim prope omnem iam confectam: instaréque tempus, quo respublica meritas, de sceleratis ciuibus, pœnas caperet. Cumque postea EDOVARDVS in *Kenelworthia* arce captiuus detineretur, ad eum ille potissimum, vt diximus, missus est, vt omni, quo valebat, orationis artificio persuaderet, vt imperium sponte, filio EDOVARDO cessurum, deponeret. Ille etiam, de quo modo commemorauimus, author, qui certe in EDOVARDVM valde propendet, magna commiseratione commouetur, & ex EDOVARDI inuidia, quantum potest, deonerat, & in hunc potissimum, & ISABELLAM, & alios traijcit. EDOVARDI, indignam illam sane, necem, ad ISABELLAE & ADAMI callida, & artificiosa consilia transfert. Missíséque ait literas latine scriptas, ad *Thomam Thornetum*, & *Ioannem Maltrauersium*, in quorum custodia EDOVARDVS erat, his inter alia verbis. EDOVARDVM *Occidere nolite timere bonum est*. Quæ verba tam artificiosé structa sunt, vt alia atque alia illorum cæsura & distinctio; illos tam ad cædem allectare & allicere, quam inde deterrere videatur. Voluit igitur (si aliquid tale ab ADAMO profectum est) sub his verborum inuolucris, consilium suum & tegere, & tamen promouere; Promouere apud custodes, qui quo ille collimaret, non ignorabant: tegere apud alios, ad facti inuidiam declinandam. Quod & ita contigit. Totam enim in custodes deriuauit, eosque, vt & ISABELLA, grauissime exagitauit, & verba ipsa ad suam purgationem & defensionem, commoda interpretatione deflexit.

Ad Mur. 1327.

EXAVTHORATO & abdicato deinde EDOVARDO, sequenti anno, cum missus esset legatus ob negotia Regis ad summum Pontificem IOANNEM *Vigesimum secundum*, per eundem ad *Wigornensem* sedem, quæ vacabat, traducitur: & pro ADAMO, THOMAS *Charltonius* per eundem constituitur, & post THOMAM, IOANNES *Trillechius* successit. Circiter hæc tempora, ossa diui THOMAE *Herefordensis* Episcopi, de quo superius diximus, cum miracula illius quotidie increbrescerent, ab antiquo tumulo in thecam pretiosissimam transferuntur. Cui cæremoniæ Rex, cum multis Episcopis & Proceribus interfuit. Etsi vero variis & præclaris dotibus IOANNES esset insignitus, tantis tamen & tam longis morbis afflictabatur, vt recte suo munere defungi haud posset. Quare, coadiutor illi, qui grauiora ecclesiæ negotia expediret, datus est ab *Islepio Thomas Trillechius* Decanus *Exoniensis*. Cum IOANNES ab intestato paulo post obijsset, in nouo per Canonicos delectu, nemo vnus omnia suffragiorum puncta tulit, sed alia in *Ludouicum Charltonium* Canonicum eiusdem ecclesiæ, alia in *Ioannem Barnetum Londinensem* Archidiaconum scindebantur. Sed INNOCENTIVS, qui per præuiam decreti sui cautionem, voluit omne designandi futuri pontificis ius, sibi sartum, tectum, & integrum; vtriusque electionem conturbauit & euertit. LVDOVICVM tamen præfecit, non electionis, sed suo iure. Qui nouem tantum annis in Episcopatu mansit. Defuncto LVDOVICO vacationis commoda quinquaginta tres libras *Islepio* peperere. LVDOVICVS vero fortitus est successorem GVLIELMVM *Courtenecum*, &

Tho. Walsin & cont. Ad. Mur. 1330. Cont. Polychr. lib. 7. ca. 43.

Ex regist. 1309. Ex regist. Islep. 1360. Ex regist. Walf. & con. & Mur. 1360. Cont. Polychr. li. 7. ca. 47.

& GVILIELMVS *Londinum* inde auocatus, *Bangorienſem* Epiſcopum, cuius tamen nomen, authores mei non produnt. Qui forte IOANNES GILBERTVS dicebatur, qui poſtea theſauris præfectus eſt, pro IOANNE *Forthamio Dunelmenſi* Epiſcopo, ab ea functione abdicato. Qui videtur ad ea tempora perſeuerasſe, quo RICHARDVS *ſecundus* abdicatus eſt.

Vvalſ. & cont. Ad Mur 1375. Cont Polich li. 7. ca 49 ſui nomen non apponunt. Walſing 1386. Walſing 1399.

De Epiſcopis Merciorum, Couentrenſibus, Lichfeldenſibus *ſeu* Ceſtrenſibus, *& alijs*.

CAPVT XXV.

WALTERVS *Langtonius*, huius ſedis Epiſcopus ſuperiore ſæculo deſignatus, magna quadam tam apud Pontificem ſummum, quàm Regem EDOVARDVM gratia floruit. Accerſitus vero erat ad *Romanam* curiam, ante deſignationem, ad negotia quædam cum Cardinalibus expedienda. Literas itaque dat *Albanenſis* cum alijs Cardinalibus ad ROBERTVM *Cantuarienſem*, vt WALTERVS, bona ipſius venia, poſſet ab alio quàm ipſo extra ANGLIAM initiari & conſecrari. Qua in re ROBERTVS valde ſe difficilem præbuit, multáque per literas collegit, quibus oſtenderet, ſe non poſſe commodè ipſorum deſiderio ſatisfacere. Ceterum, initiatus eſt tandem extra ANGLIAM ex ſummi Pontificis diplomate, cum hac tamen cautione diſertè adiecta, ne id *Cantuarienſis* eccleſiæ ius, & prærogatiuam in poſterum imminueret. WALTERVS, cum in maxima eſſet apud pontificem, Regémque, cui erat à theſauris, gratia; & Epiſcopatui, citra *Cantuarienſis* authoritatem, eſſet initiatus; multo maiora molitus, & neſcio an metropolim rurſus, vt olim erat OFFAE Regis temporibus, in animo habens *Lichfeldiam* reuocare: enixè atque accuratè apud *Romanum* Pontificem egit, vt ſe à iuriſdictione & poteſtate *Cantuarienſis* ſedis eximeret. Sed fortiter & conſtanter ſe illi ROBERTVS oppoſuit. At enim qui alienam, & inueteratam *Cantuarienſis* ſedis dignitatem, tam ſolicitè detrahere conatus eſt, vt ſuam augeret; eò paulo poſt redactus eſt, vt magis ſolicitus eſſet de ſua tuenda, quam, vt cum alterius iniuria creſceret; magis ſolicitus, quo modo ſe à luculento, quod imminebat, damno ac detrimento ſincerum & incolumem præſtaret, quam, quo modo alienum honorē læderet & imminueret. Atroces enim aduerſus eum, apud ſummum Pontificem BONIFACIVM criminationes delatæ ſunt. Qui datis ad *Cantuarienſem* literis, mandauit, vt WALTERVM *Romam* ad ea crimina diluenda extruderet, *Romámque* inter tres menſes adire iuberet: qui niſi diem præſcriptum *Romæ* obiret, denunciat fore, vt dignitate pontificia exueretur.

Flor. 1104. Ex regiſtro Roberti.

Flor diſt. anno 1295.

Vide ſtatut. impreſſ. 29. Edou.

Ex regiſt. Roberti.

Quæ extant in dicto authore innominato in vita Eden. primo.

OBIIT præſcriptum diem WALTERVS. Nec tamen cauſa explicata, atque expedita Illóque domum remiſſo, nouæ ad *Cantuarienſem* ſuperueniunt literæ, vt ille, accurata inquiſitione de intentatis criminibus excutiat, ex teſtimonijs hominum integrorum, omnique exceptione maiorum, exquiſitè de vita, moribus, & exiſtimatione WALTERI exploret. Quæ cum *Romam* tranſmiſſa eſſent, WALTERVS *Romanum* iter repetit, réque tota diligenter per BONIFACIVM cognita, ſecundum eum, & pro innocentia illius pronunciatum eſt; famæque priſtinæ, abſterſa omni macula, quæ per maleuolos nomini illius inſederat, reſtitutus eſt. Huius totius accuſationis concinnator, calumniæque architectus fuit IOANNES quidam homo equeſtris ordinis. Qui, cum inter alia Epiſcopum homicidij falsò inſimulaſſet, ipſe non ita multo poſt veri homicidij, & aliorum piaculorum idoneis & iuſtis probationibus coniunctus, vt ſe præſenti periculo exolueret, coactus eſt eo confugere, vt beneficium Cleri (cui ſe olim aſſcriptum dicebat) imploraret. Etſi enim vxorem haberet, fuiſſe ſe tamen ante matrimonium ſacro Diaconatus gradu ornatum, aſſerebat. Cum de criminibus liqueret, regij tribunalis Iudices, *Ioannem* damnarunt. Ordinis tamen reuerentia & Antiſtitibus id poſtulantibus, à Regio ad Pontificium carcerem, quo vitæ illius ex Canonum ſcitis parceretur, traductus eſt. Vbi non amplius, quàm quinque dies ſuperuixit. Sed non in his ſolum fluctibus & tempeſtatibus, WALTERI iactatio conſtitit. Qui vt erat apud EDOVARDVM patrem gratioſiſſimus, ita certè fuit apud filium EDOVARDVM, cum poſteà regni gubernacula teneret, aliquandiu inuidioſiſſimus.

CONTAMINAVERAT, vt diximus, hunc adolescentem *Petrus Gauestonius*, deprauatis suis consilijs, & ad omnem vitæ licentiam & corruptelam allectarat. Infregerat adolescens princeps cum *Petro* viuarium quoddam WALTERI; & damas insigni quadam, & insolenti vastatione & occisione confecerat. Cuius rei querela per Episcopum ad Regem delata, Principem in carcerem adduci mandauit. Odiosus præterea fuit iuueni, quod eum liberiùs ob vitæ insolentiam verbis castigare, viuo patre soleret: nec, cum esset à thesauris, tam immoderatas, atque effusa & intemperans inuenis libido flagitabat, impensas suppeditaret, & quod *Petrum* exilio, eius potissimum consilio mulctatum existimaret. Hæc tam altè Principis pectori insederant, vt patre nondum humato, in WALTERVM, cui pater præcipuam testamenti sui exequendi curam impositam erat, grassari cœperit; possessionibus & bonis despoliarit, arcemque arcem *Londinensem*, cum nullum in eo crimen hæreret, quòd idoneè ille non diluisset, ad exquisitissimam administrationis suæ rationem reddendam vocatus, coniecerit, vbi diu inhumanissimè & durissimè habitus est. Ab arce *Londinensi Eboracum*, vt quidam tradit, vt ibi custodiretur abductus est. Qui & hoc tradit, BONIFACIVM constitutionem illam, ne quis Episcopis manus per vim inferret, ex hac occasione edidisse. In cuius ego sententiam abire non possum, cum BONIFACII mors, hunc WALTERI casum triennio anteuerterit. Adeo autem ROBERTI *Cantuariensis* hæc WALTERI calamitas, contumeliaque contra canonum scita impacta, animum vrebat, vt à parliamento, & alijs publicis consilijs abstineret.

Ada Mur. 1306.

Vt patet ex Platina, Onuphrio & alijs. Ad. Mur. 1309.

SED ille gratiam postea Regis possessiones, & bona, summi præsertim Pontificis ope interueniente, recuperauit; tantaque illi, in graui istorum temporum perturbatione, constantia postea adhæsit, vt, cum decreta quædam, in exilium extruso *Petro*, Proceres de rectiori regni administratione, quod per *Petrum* & alios pessum ire videbatur, sanciuissent; quibus WATLERVS suum quoque suffragium, iuramento etiam ad maiorem firmitatem constabilitum adhibuerat: decreta illa & ipse rescideret, & alijs rescindendi, *Petri*que in integrum restituendi: Regi author fuerit: Ob quam illi causam ROBERTVS anathema impegit. A quo ille *Romam* & prouocauit, & protectus est. ROBERTVS verò *Adamum Murimuthum* eò delegauit, qui causam aduersus WALTERVM prosequeretur. Vbi iam WALTERVS supremum diem oppetisset, ROGERO *Northburgio*, qui erat *Richmondiæ* Archidiaconus, Regi à sacris, munus hoc per IOANNEM *Vigesimum secundum*, Rege pro illo preces suas interponente, defertur. Qui perlongum Episcopatus sui curriculum confecit. Quem ex solita pontificia prouisione, ROBERTVS *Strettonus* in illius muneris functione sequutus est, reuocata & labefactata electione, quam Canonici fecerant. Dedit verò INNOCENTIVS *sextus* literas ad *Lincolnium* & *Roffensem* Episcopum, quibus significauit se illud munus IOANNI mandasse, conseruata sibi decreto suo, viuo adhuc ROGERIO, designandi futurum pontificem potestate: detrectet tamen totius rei arbitrium ad ipsos, vt ROGERIVM admitterent, si vita & mores illius tanto muneri responderent; sin minus, reijcerent, & alium ex Apostolicæ sedis authoritate idoneum substituerent. Videtur vero ROGERVS præstanti & virtute, & doctrina honestatus

Vt. Walsing. 1309. Th. Wal. 1311. Wals. 1320.

Ann. 1322. Ada Mur. & ex reg. Walt. Conf. Ada Mur. 1309. ex regist. Roff. fol. 13 vo.

HVNC excepit WALTERVS *Schirlicius*, qui Westmonasterij, Rege cum Regina, Proceribus & Episcopis, *Armeniæque* Rege, magno splendore & apparatu præsentibus, initiatus est. De quo paulò ante inter *Bathonienses* Episcopos mentionem fecimus. Ascenditur deinde RICHARDVS *Scrupus*, & eo, vt proximo sæculo latius dicemus, *Eboracensi* deinde Archiepiscopatu ornato: ad hanc sedem *Landauensis* Episcopus, qui erat Regi à secreta peccatorum expiatione, vocatur. Dum *Scrupus* hoc munere defungitur, *Hugo Caluerleius* equestris dignitatis homo, collegium *Burberiæ*, in eo tex sacerdotes cum vno præfecto collocans, constituit. Cauitque ne quisquam in eam societatem alliegeretur, qui alio quouis sacerdotio potiretur. Quibus, *Hugone* postulante, RICARDVS Episcopus vitæ ducendæ leges, & præscripta quàm optima dedit. Illustriores huius diœceseos hoc sæculo scriptores fuere *Guilielmus Malesbyriensis Dominicanus*: Qui cum reuerteretur à *Bisuntina* suæ societatis synodo, Cardinalis designatus est. Sed obijt antequam Galerus cardinalicius perlatus esset. *Ioannes Bloxhamius Carmelita*, & sui ordinis magister: Cuius opera EDOVARDVS *secundus* & *tertius* in *Hibernia* & *Scotia* sæpe vsi sunt, *Hiberniæ* cœnobia lustrauit, multáque ibi emendauit. *Rogerius*, & *Ranulphus Hardenus Benedictini* apud templum diuæ *Werburgæ*; *Cestriæ*, *Ranulphus* non omnino ignobilis annalium, pro sui temporis ratione, scriptor fuit. In cuius magna laude hoc pono, quòd ingenuè per quos profecerit, ostendit, cuius nobis opera sæpe

Conf. Tabell. per Th. Wals. Wals. 1328.

Ex monumentis eius dem colligy.

fructuosa

fructuosa fuit. Versatus est, paulò ante eum, in eadem palestra *Rogerius*. A quo verisimile est *Ranulphum* multa mutuatum. Quibus accedat & *Thomas Asheburnius Augustinianus*, apud oppidum & cœnobium *Staffordiense*.

Ioan. Lel.

De Wicciorum *sive* Wigornensibus *Episcopis*.

CAPVT XXVI.

INEVNTE hoc sæculo, iniuit GVLIELMVS *Gainesburgius Franciscanus* hunc sacrum magistratum. Qui non *Oxonij* modò, sed & *Romæ* sacras literas prælegit, & quædam etiam scripta posterorum memoriæ reliquit. Eum EDOVARDVS *primus*, cum res *Aquitaniæ* perturbatæ essent, ad pacem aliquam ineundam, ad *Philippum* Regem *Francorum* ablegauit, cum *Hugone Manceſtrio Dominicano*. Quem huic sedi postea BONIFACIVS *octauus* præfecit. WALTERVS hanc sedem post eum conscendit, postea *Cantuariensem*. De quo, inter Archiepiscopos, ibidem abundè diximus. WALTERO THOMAS *Maidestonius* subrogatur. Qui à curia *Romana* WALTERI pallium secum retulit, Vir propter doctrinam & virtutem celebris, qui triennium in Episcopatu non confecit. Quo defuncto, *Romanus* ei Pontifex THOMAM *Cobhamium* surrogat. Qui cunctis prius monachorum suffragijs *Cantuariensis* Archiepiscopus renunciatus est; quibus tamen *Romanus* Pontifex non detulit, sed WALTERVM illi muneri præfecit. Nec quidem vllam suam ob culpam repulsam illam tulit, quem Pontifex benigna oratione iussit bono esse animo, nec eam repulsam ægriùs ferre. Curaturum enim propediem vt in ea esset fortuna ac loco, quem virtus & doctrina eius postularet. Quódque CLEMENS *quintus* verbis promisit, IOANNES *Vigesimus secundus* benignè, & rebusipsis præstitit. Doctrinam THOMAE, libri, quos elucubratus est; pietatem illud maximè commendat, quòd propter illius magnitudinem, pro agnomine & cognomine nullum aliud ferè, quàm *Probi Clerici* vulgò de illo vsurparetur.

Cont. Nic. Triu. 1313. & Adam. Mur. 1312 1317. Ex regiſtro Walt. Cont. Nic. Trim. 1317. Ad. Mur. 1316 Th. VValſ 1312. Polichr. 1342.

VLSTANVS cœnobij *Wigornienſis* Præses per monachos illi substituitur. Sed eorum *Romanus* Pontifex suffragia, propter præeuntem suam cautionem, irrita & inania reddidit, & [a] ADAMVM *Orletonium Herefordensem*, vt diximus Episcopum, huc aduocauit. Quem cum IOANNES *Vigesimus secundus* ad *Wintonienſem* sedem traduxisset, [b] VLSTANO tandem *Wigornienſis* cedit. Quo è vita decedente, [c] IOANNES *Thoresbeius Meneuensis*, huic muneri per CLEMENTEM *sextum* præponitur. [d] Huic REGINALDVS; REGINALDO IOANNES *Barnetus Londinensis* Archidiaconus. *Iſlepius* verò, ex vacantis ecclesiæ emolumentis sexaginta libris auctus est. [e] Contentiones quædam inter Præfectos *Horſleij* & *Brutonenſis* cœnobiorum interceſſere: quas vt compescat, REGINALDVM *Iſlepius* admonet, aut, ad se *Brutony* Præfectum remittat. Auocatur [f] deinde IOANNES ad *Bathonienſem*, & huc, è *Roſſa*, pro illo GVLIELMVS *Witteleius*. [g] Quo, post quadriennium, ad *Cantuariensem* Metropolim accersito, GVLIELMVS *Lunius Cicestrenſem* suam pro hac sede commutat. Post GVLIELMI obitum, [h] HENRICO *Wacheſelio* hoc munus per summum Pontificem creditur. Qui post triennium Regi fuit à thesauris. [i] Quo è vita sublato, monachorum suffragatione *Ioannes Greneus* legitur. Sed electionem illam summus Pontifex infregit, & TIDEMANVM monachum *Ciſtercienſem*, Regisque medicum, qui causam illius diligenter apud Pontificem solicitauerat, præfecit. * Post quem (ni fallor) sedit GVLIELMVS *Badlius Carmelita*, vir doctus, & qui de re Theologica quædam literis tradidit. Fuit prius IOANNI Duci *Lancaſtrio* à sacra exomologesi, seu secreta peccatorum confessione. Qui haud diu postea in vita superstes fuisse traditur. [k] Sedente autem HENRICO, eoque anno, quo *Edouardus tertius* obijt, exitialis quædam discordia inter famulos Comitis *Warwicenſis*, & monachos cœnobij *Eueshamienſis*, eorúmque famulos, nescio quibus ex causis excitata est. Quæ plurimum detrimenti cœnobio intulit, adeo vt pascuorum sepes, & siluarum septa reuellerentur, damæque occiderentur, piscinæ exhaurirentur, & monachorum famuli plagis, & nonnulli morte afficerentur. Quæ vix tandem, post acres Regis ad Comitem literas, sedata est.

Io. Lel. 1327. ex regiſtro VValt.
a Ad Mur 1327
b Idem 1333.
c 1349. ex regiſt. Iſlep.
d Tho VValſ & cont. Ada. Mur. 1361. Polich lib. 7. ca 46. & ex regiſt. Iſlep.
e Ex regiſt. 1355.
f Tho VValſ. & cont. Ada Mur. 1363. & ex regi. Iſlepij
g VValſ & cont. Ad Mur. 1308. cont Pol l 7c 47
h An 1373. idem eod. an & Cont. Polich li 7 c 49 & 50.
i Ann 1395. Th. VValſ
** Io Leland qui dicit eum claruiſſe ad 1380. ſed certum tempus quo ſidus non ponit.*
k Th. VVal. 1376 cot Pol. li. 7. c. 50

ta est. Sed damna data, tenuiter & exiliter resarcita sunt, neque grauior aliqua pœna de Comitis famulis sumpta.

De Episcopis Lincolnienſibus *deque Collegio* Leceſtrenſi, *& quibuſdam huius diœceſeos cœnobijs.*

CAPVT XXVII.

Anno 1109. ex regiſtro Roberti.

IOANNES *Dalderbius*, post obitum OLIVARII, Canonicorum suffragijs ad hanc sedem vocatur: vnus tamen fuit *Ioannes Louellius*, qui restitit, & vt ceterorum suffragia euerteret, *Romam* prouocauit. A qua tamen prouocatione, paulo post sponte resiluit. Qui deinde à ROBERTO *Cantuariensi* consecratur; Inter quem & ROBERTVM magna mox lis, & contentio excitata est, quem IOANNES, à probandi atque insinuandi in diœcesi *Lincolnienſi* testamenta iure, submouere atque excludere conatus est. Qui appellationem contra ROBERTVM ad *Romanum* Pontificem interposuit, & ad *Romanam* ROBERTVS curiam ob eam causam accersitus est. Ille verò nitebatur inueterata, ea in re, ecclesiæ suæ prærogatiua & consuetudine. Quam sibi à IOANNE intercipi non debere affirmabat, multis allatis exemplis Rectorum, quorum probata essent post obitum per decessores suos, tam in *Lincolnienſi* diœcesi, quam alijs testamenta. Quorum ego dum nomina perlegerem, incidi in *Adamum Stratfonium*, qui viginti (quod me legentem obstupefecit) sacerdotia, cum obiret, possidebat. Cumque IOANNES, inter cetera *Oxonienſia* collegia, *Mertonenſe* quoque lustrare cogitaret, literas ad eum dedit WALTERVS *Cantuarienſis*, ne se immisceret. Omnem enim iurisdictionem huiusmodi in commemoratum collegium ad se, vt patronum, & suam sedem respicere. Quinquennio post WALTERVS, cum alias suæ prouinciæ, tum *Lincolnienſem* cum primis ecclesiam, lustrationis ergo peragrauit. Non ille quidem suo iure & tempore, sed extraordinario, specialique *Romanæ* sedis beneficio. Quam tamen prouinciam, extra suum & legitimum tempus decessores quosdam WALTERI suo arbitrio, sine maiore aliqua authoritate exercuisse, ortámque inde non mediocrem inter ipsos, & suffragantes Episcopos contentionem constat. In hac VVALTERVS peragratione cœnobia & collegia, quæ parochiales aliquas ecclesias sibi tributas, siue vt vulgare verbum vsurpem, appropriatas habebant, aut pensiones siue decimas in illis vendicarent, eosque qui beneficia ecclesiastica occuparent; illos quidem ad accuratiorem rationem reddendam iuris titulique sui; istos, cur intra annum sacerdotio non essent initiati, vocauit. IOANNES vero etsi clerum suum omnem admonuit, præscriptum lustrationis diem & locum obire, ipse tamen per literas se excusauit, impedimentáque causatus est, cur diem præscriptum obire non posset.

Ex regiſt. Walt. 1314. vsq. 1319.

Anno 1319. Ad Mur. & ex regiſtris Walteri.

VBI IOANNES fato functus fuisset, Canonici *Henricum* eiusdem ecclesiæ Decanum, & eo illud munus suscipere detrectante, *Antonium Beckum*, ecclesiæ eiusdem cancellarium sibi optant. Sed illa omnis optio per IOANNEM *Vigesimum secundum* infirmata est, qui viuo IOANNE, sibi & sedi *Romanæ*, successorem designandi facultatem omnem reseruasset. Fuit autem HENRICVS *Borwashius*, nepos illustris viri *Bartholomæi Badelesmerij*: qui fuit Regis ad *Romanum* Pontificem legatus, & in ea legatione, vt author meus refert, supra quindecim millia librarum regiæ pecuniæ frustra effuderat. Mittit deinde summus Pontifex literas ad VVALTERVM, quibus significat se *Lincolnienſem* ecclesiam HENRICO despondisse, (is autem HENRICVS est, quem prius hanc functionem recusasse diximus,) Decano *Lincolnienſi*, Canonico *Eboracenſi*, & sacris initiato. Quem non solum laude sua ob generis splendorem, sed & ob morum præstantiam, vitæque integritatem, aliásque ob dotes ornat. Iustam solum illi ad capessendum illud munus ætatem (quippe qui vigesimum nonum ætatis annum ageret) deesse. Quem ille se, ob præclaras HENRICI dotes, ex authoritatis suæ magnitudine defectum supplere dicit, mandatque WALTERO, vt hoc suum de HENRICO iudicium, ipsumque HENRICVM, omni, qua potest, diligentia & potestate tueatur & defendat. Inuoluitur mox HENRICVS maximis perturbationibus, adeo, vt biennio & amplius, omnes Episcopatus illius possessiones Rex occuparit. Quam vt author meus indicat, ita, qua in re Regem offenderit, non ostendit, nec alius quisquam (quod memini) in quem hactenus incidi.

Ad Mur. dict. anno 1319.

CETERVM

CETERVM, cum constet *Bartholomæum* illum, de quo dixi, coniunxisse se cum Proceribus, qui *Spensericos* infestabant, & capite ideo luisse, credibile est, EDOVARDVM fuisse suspicionosum, & credidisse se ab HENRICO violatum, necessariosque HENRICVM aut re, aut consilio iuuisse. Id satis constat, illum callidis & secretis consilijs enixe laborasse, vt ISABELLAM in *Galliam* protruderet, vt per illam *Galliæ* Rex aduersus *Spensericos* incenderetur, quo facilius illi euerterentur. Egitque postea, missus à Proceribus, cum Rege capto, vt cura regni se exoneraret, eámque in filium EDOVARDVM transfunderet. Apud quem in summa fuit gratia constitutus, multúmque domi forisque illius EDOVARDVS opera, tum in legationibus, tum in bello vsus est. Obijtque inde apud *Gandauum* in *Flandria*, triennio, postquam per eum & alios EDOVARDI legatos, inducix pactæ sunt cum *Gallo* apud *Tornacum*. De quo admirabilem, quæ post illius obitum contigit, historiam illorum temporum æqualis refert. Tradit itaque HENRICVM rei suæ familiari cum aliorum iniuria augendæ, ac cumulandæ plus iusto fuisse addictum, & damas septo apud *Tingehurstium* inclusisse, continentes colonorum suorum, contra ipsorum voluntatem, terras adiecisse, saltum illum sepibus & fossa munijsse. Quæ res effecit, vt in diras multorum execrationes incurreret.

Tho Mor in vita Edou 2. 1320. & 1321. & VValsing Tho Mor. 1323. & 1325.

Fross. vol 1 c. 18. 38. & 48. Fab. 1340 VValsing. 1339. Tho Val. 1343. VVals. ibid.

POST obitum vero cuidam ex familia sua visendum se dedisse, instar saltuarij breui & viridi tunica indutum, cornúque à collo, & sagittarum pharetra à latere dependente, arcumque manu tenentem. Noueris inquit, magna cum Dei pauperumque offensione, hunc à me saltum obseptum, & hanc mihi iusto Dei iudicio pœnam irrogatam, vt hoc hic habitu oberrem, donec damnum datum pauperibus resarciatur. Abi itaque actutum ad fratres meos *Lincolnienses* ecclesiæ Canonicos, & roga, vt misericordiam mei capiant, pristinisque possessoribus restituendas has terras curent. Hæc vbi Canonicis relata sunt, nec ignorarent tenuiores illos homines iniuria per HENRICVM affectos, misere *Guhelmum Bachelerium* vnum ex suorum numero, qui septa illa reuelleret, latam fossam, quam saltui circundedit, oppleret, & omnia in priorem conditionem reponeret. *Gulielmus* cum mandatum negotium bona fide expedijsset, in reditione inuisit *Michaelem Albanensis* cœnobij præsidem, totámque hanc historiam illi aperuit. THOMAS *Beckius*, post HENRICVM, hunc sacrum honorem & sedem administrat. Qui post paucos annos obijt. Videtur THOMAS valde alieno ære obstrictus, aut alioqui exiguis & modicis facultatibus. Cum enim quædam legata dedisset *Lincolnienſi* ecclesiæ, *Islepius Cantuarienſis* Decanum & Canonicos ad suum tribunal euocauit, causam dicturos, cur, propterea quod facultates defuncti oneribus non responderent, legatum illud extenuari & imminui non deberet.

VValſ. 1343. Sim Islep. in regiſtro.

Ex regiſtro Simonis.

IOANNI *Ginwellio* eius successori, vehemens & acris fuit cum SIMONE *Islepio Cantuarienſi* concertatio. Impetrarat ille quoddam à summo Pontifice CLEMENTE *sexto* diploma, quo se ab omni *Cantuarienſis* ecclesiæ, quamdiu viueret, iurisdictione & potestate exolutum & liberatum asserebat. Et valde eum *Islepius* arguebat, quod mandatis & præceptis suis, quæ vel totam prouinciam, vel propter querelas & appellationes diœcesanorum, *Lincolnienſem* diœcesim respiciebant, cum dicto audientem non haberet. Hanc autem discordiam maxime inflammabat electio *Gulielmi Palmerini Oxonienſis* academiæ Cancellarij. Cui etsi ij, ad quos delectus ille pertinebat, iustis & plenis calculis suffragati essent, IOANNES tamen, cui id munus incumbebat, propterea quod Academia in illius diœcesi sita est, eam confirmare recusauit. Implorat itaque Academia, ne suo præside plus iusto orbaretur, *Islepii* opem. Ille IOANNEM per literas admonet, ne officio suo & muneri, cum nulla esset cessandi causa, deesset. Quod nisi intra præscriptum diem præstaret, denunciat, se ipsius negligentiam suppleturum. Quare cum non modo ille cessaret, sed plane omnem potestatem atque iurisdictionem SIMONIS illuderet, dicerétque se ab omni illa solutum, liberum & immunem, per *Ioannem Carltonium* Academiæ optionem confirmat, & euocat IOANNEM ad suum tribunal, causam dicturum, cur non seuerius in eum, ob tantum suæ potestatis contemptum, animaduertere deberet. Sed cum ille mandata huiusmodi omnia floccifaceret, diceretque irrita & inania esse, quæcunque *Islepius* aduersum se egisset, *Islepius* ecclesiastico interdicto, possessiones illius apud vicos *Banburiam & Bugdenum*, qui tam in profanis quam sacris rebus *Lincolnienſibus* Episcopis parent, mulctat, & ne ibi sacra celebrentur seuere mandat.

Ex regiſtro Islep. 1350. 1354. & 1355.

SED cum IOANNES nihilo magis à sacris abstineret, grauius aduersus eum *Islepius* exardescit, & grauiora minatur. IOANNES ad INNOCENTIVM *sextum*, contra *Islepium* prouocat. Qui sua interpretatione decessoris sui diploma temperat, & moderationem quan-

1362. ex regist. Tho. Walf & cont. Ada. Mur. Ex eod. regist.

dam adhibet. Postquam deinde è vita IOANNES cesserat, vacantem *Lincolniensem* diœcesim, pro sua iurisdictione & potestate, lustrat *Islepius* multaque emendatione digna, præsertim, apud *Augustinianos* in templo diuæ *Frideswidæ Oxonij* corrigit. Cuius præfectus *Nicolaus Hungerfordius* accusabatur, cum ob alia crimina, tum quod effusis sumptibus, bona & possessiones cœnobij disperderet & dissiparet. Corrasit vero *Islepius* ex vacationis commodis,

Tho. Walf cont. Ad Mur. & regist Islep. 1362. Cont. Polych lib. 7. c. 46.

circiter centum quinquaginta tres libras. In IOANNIS locum IOANNES *Buckingamius*, *Northamptoniæ* Archidiaconus, & Regi à priuato sigillo, per VRBANVM *quintum*, sed ex INNOCENTII *sexti* cautione, atque solita prouisione suffectus est. Sed ægre & post multas vehementésque preces Regis, id ab VRBANO obtentum est, propter nimis aridam & ieiunam IOANNIS doctrinam, parúmque tanto muneri, vt VRBANVS existimauit, respondentem. Qui & quibusdam in *Flandria* Episcopis negotiũ dedit, vt de illa re diligenter inquirererent. Videtur ad annum Domini millesimum trecentesimum nonagesimum nonum in ea ad ministratione perduraſſe. Qua tamen in re nihil liquido adhuc pronuncio, nisi quod eo anno BONIFACIVS *nonus* IOANNEM hunc (aut certe alium quemcunque IOANNEM)

VValsing. 1398.

hinc ad *Cestrensem* Episcopatum transtulit. Ceterum ille siue rerum humanarum, & pontificiarium cutarum satur, siue indignatione quadam animi, ab vtroque se Episcopatu abdicans, inter *Cantuarienses* monachos, quod reliquum erat vitæ, quiete & tranquille traduxit.

Ex regist. Islep. Polid. li. 20.

COLLEGIVM & hospitium pauperum, in hac apud *Leicestriam* diœcesi hoc sæculo constructa sunt. Istud quidem à Comite *Lancastriæ Henrico*. Illud posterius à *Ioanne Richemondiæ* Comite, & *Lancastriæ* Duce. *Henricus* Comes obijt, ad annum millesimum trecensimum quadragesimum quintum. *Leicestriæ* maxima pompa, Rege, Regina, Episcopis & Proceribus fere omnibus præsentibus, humatus est in cœnobio Canonicorum. Ad quorum ecclesiam ædificandam maximam *Henricus* pecuniam legauit. *Henricus* eius filius ab-

Walsing. 1345.

Ex regist. Islep. Walsing. 1356.

fuit eo tempore in *Gallia*, vbi præclara & illustria fortitudinis suæ specimina dedit. Qui primus Ducatum *Lancastriæ* in familiam *Darbeianam* intulit. Et quadriennio post decessit è vita relicta filia & herede, quæ nupta erat (impetrata prius pontificia, propter necessitudinem interuenientem, indulgentia) IOANNI *Gandauo Richmondiæ* Comiti, qui vxoris dote Du-

Th VValf. 1350 Fabian 1161. & Tho VValf. VValsing. 1319.

catu *Lancastriæ* amplificatus est. Is ille est, qui collegium illud *Leicestrense* condidit, possessionibusque amplis auxit. Ipse tamen *Londini*, vt diximus, apud diuum PAVLVM conditus est. Chorum vero apud diuum ALBANVM EDOVARDVS Rex *secundus* ædificauit, qui & crucem auream gemmis fulgentem, & in qua Diuorum multæ reliquiæ reconditæ erant, cœnobio illi donauit. Apud quod hoc sæculo cœnobium, quædam per diuum ALBANVM miracula patrata traduntur.

Id. 1320. 1344. & 1389 Ex regist. Islep.

COENOBIVM hoc sæculo *Croxtonium*, *Præmonstratensis* ordinis, igne absumptum est. Ob quam causam, & propterea quòd possessiones, quas in finibus *Scotiæ* habebat, valde erant, ex tam incommodo, propter continua bella, loco, imminutæ & deteriores redditæ, CLEMENS *sextus* rectoriam *Thingdeniam* (quæ erat ex cœnobij patronatu) cœnobij vsibus adiudicauit, & *Sibseiam* rectoriam cœnobio *Benedictinorum Spaldingij*, quod possessiones eorum erant alluuionibus valde exhaustæ, quod in hospitibus excipiendis valde erant monachi officiosi, & quod sumptuosam ecclesiæ exædificationem occœpissent. *Augustinianis* vero *Torkesiensis* cœnobij monachis, cum in noui præfecti delectu, legitimum optionis tempus, mutuis suffragantium dissidijs extractum esset, *Islepius* suo iure *Robertum Wilingamium* præficit. Bis hoc sæculo, *Benedictinorum* monachorum frequentissima synodus apud *Northampronium* coijt. Primum ad annum millesimum trecentesimum quadragesimum secundum. Cuius præsides fuere *Michael* diui ALBANI, *Thomas Henleius Westmonasterij* Abbates, & Prior cœnobij diuæ MARIÆ *Eboraci*. Altera vero ad annum millesimum trecentesimum sexagesimum tertium præside *Thoma Albanensis* cœnobij Abbate. In qua inter cetera cautum, vt deinceps in omnibus precationum, quas appellamus, horis, tam viui quam defuncti, per omnia disciplinæ suæ cœnobia, Deo commendarentur. Illud autem obseruaui, *Romanos* pontifices, non solum Episcoporum, Abbatum, & collegiorum præsidum, qui in curia *Romana* obijssent, præfecturas, munia que, sed & rectorias illas, vt vocant minores, parochialésque ecclesias donasse. Atque ex hac occasione *Thomas Iolepius* rectoria *Kirbiensi* in hac diœcesi potitus est, quod *Gulielmus* decessor eius in curia mortem oppetijssset, & INNOCENTIVS *sextus* omnium, in cura obeuntium, rectorum successores sibi designandi potestatem reseruasset.

Cont. Ad Mur. 1342. Walf. 1363.

Ex eodem.

De

De doctis huius diœceseos hoc sæculo viris, deque Academia Oxonienſi *& ijs, quæ ibi hoc sæculo accidere.*

CAPVT XXVIII.

ADVENERAT *Oxonium*, regnante EDOVARDO *Aruonio*, *Ioannes Pordraſius* coriarij cuiuſdam *Exonienſis* filius: Is, neſcio à qua inſana cupiditate, aut infando potius dæmone temere & effrenate concitatus, coram Academiæ oppidique præfecto, & frequentiſſima aliorum concione, magna contentione aſſeruit, ſe verum & germanum EDOVARDI Regis filium & heredem: EDOVARDVM vero *Aruonium*, qui regnum ſibi vſurparet, adulterinum & ſuppoſititium. Hæc cum vltro palam & conſtanter diceret, nec vlla ſe perſuaſione, vllis blanditijs aut terroribus, ab illa ſententia mentéque abduci pateretur, miſſus eſt ad Regem, qui tum *Northamptoniæ* verſabatur. Vbi cum eandem ſemper cantionem repetereret, neque à tam inſulſa perſuaſione deduci poterat, atrociſſimum perduellionum ſupplicium expendit. Quo tempore ingenue faſſus eſt, ſe habuiſſe domi ſuæ dæmonem, ſub felis figura, à quo tam inſigniter eſſet illuſus, vt ex eius promiſsione certo ſibi expectaret, & polliceretur ANGLIAE regnum. Atque ob hanc cauſam ſe ante triennium, omne corporis animæque ſuæ obſequium, dæmoni addixiſſe atque deuouiſſe. Ad quæ tempora, *Hebraica* lingua, in Academia *Oxonienſi* (nec iam memini an vnquam huiuſmodi ibidem antea lectio vſurpata ſit) per quendam, qui *Iudaicæ* ſuperſtitioni nuncium miſerat, & Chriſti fidem profitebatur, prælegi cœpta eſt. Cuius ſalario atque ſtipendio, & aliorum quorundam Cleri negotiorum procurationi ex pecunia, qua quiſque ex Clero ſui ſacerdotij ratione vnum videlicet denarium in ſingulas marcas contribuebat, ſatisfactum eſt.

Th. Wal. ſ. 1319. Ada Mur. 1318. Fab. vero 1319.

Walt. in regiſtro 1320.

IN concilio enim œcumenico, ante paucos annos *Viennæ* habito (cui præter magnam Epiſcoporum frequentiam *Philippus Francorum* Rex, & *Alexandrinus* atque *Antiochenus* Patriarchæ interfuere) CLEMENS *quintus* ſancierat, quo expeditior hac ratione, ad eos, qui à Chriſti fide abhorrebant, à perfidia ad Chriſti fidem abducendos, via aperiretur atque muniretur; vt in *Romana* curia vbicumque conſiſteret, in *Gallia* apud *Lutetiam* Pariſiorum, in *Italia Bononiæ*, in *Hiſpania* apud *Salamancam*, in ANGLIA, *Oxonii* pro ANGLIS, *Scotis*, *Hibernis* atque *Wallis* deligerentur, qui in ſingulis his Academijs *Hebraicam*, *Arabicam*, & *Chaldaicam* linguam profiterentur. De *Græca* lingua, nulla fit in libris impreſſis mentio, de qua tamen ſimili cautione prouiſum fuiſſe teſtatur *Ioannes Andreas*. Quæ vox ideo forte poſtea antiquata, quia *Græci* Chriſtum agnoſcerent, etſi ſchiſmate his temporibus contaminarentur. Et nullum quidem aliud, aut antecedentium, aut inſequentium ſæculorum, tam fuit fœcundum ac nobilitatum, in collegijs *Oxonii* conſtruendis, atque fuit, illud in quo nunc verſamur. Cuius rei illuſtri argumento ſunt, *Mertonenſe*, *Regale*, & illud aliud, ſi ita loqui liceat *Reginale*, *Exonienſe*, *Cantuarienſe*, cum *Aula Coruina*, & in primis cum *Wichamienſi* collegio, de quibus diximus, & *Dunelmenſi* (ni fallor) de quo paulo poſt, cum ad *Dunelmenſes* Epiſcopos ventum erit, dicemus.

In Clement. lib. 5 ca. 1.

In gloſ. diſt. ca 1.

SVPEREST iam, vt quoſdam huius diœceſeos doctos viros, illos præſertim, qui ſcriptis, teſtatam & illuſtrem ſui memoriam reliquere, nec illos quidem omnes, qui huius academiæ alumni fuere, id enim eſſet immenſum quoddam opus ingredi (cum ex hoc, quaſi vberrimo fonte, præclari in omnem vbique ANGLIAM riuuli deriuati ſint) & actam rem agere; ſed alios aliunde ex hac diœceſi, aut eos certe *Oxonienſes*, de quibus adhuc non meminimus, recenſeamus. Inter quos *Ioannes* ille *Dunſius*, ingenij & doctrinæ ſuæ vbertate (licet quibuſdam plus iuſto ſubtilior & ſpinoſior videatur) principem locum obtinere poteſt: quem *Scotum* appellant, & multi quidem natione *Scotum* fuiſſe exiſtimant. Qui tamen non *Scotus*, ſed ANGLVS fuit, at in continente *Northumbriæ* prouincia, in pago *Emilcunto*, tribus plus minus ab *Alneuuico* mille paſſibus diſtante, vt antiqui *Martenenſis* collegij, cuius ille aliquandiu fuit alumnus, codices teſtantur, natus. Qui *Franciſcanorum* ſe inſtituto, apud *nouum Burgum Dunelmenſis* diœceſeos aſcripſit: nec *Oxonium* modo, ſed & *Lutetiam Pariſiorum*, ſua doctrina & prælectionibus ornauit. Defunctus eſt *Coloniæ*. Ex quo inſtituto

Ioan. Leland.

Oxonii

Oxonij hoc sæculo claruere. *Robertus Comptonius*, qui *Armachanus* Archiepiscopus factus est, *Richardus de media Villa*, *Ioannes Golsionius*, Ioannes Winchelseius, *Nicolaus Ockamus*, *Richardus Conningtonius*, *Henricus Cossetius*, *Ioannes Barnichus*, *Thomas Eklestonius*, *Robertus Leicestrensis*, *Radulphus Radixtorius*, *Adamus* Wodhamius, *Rogerius Conueius*, *Ranulphus Rockesleius*, & cum primis, vt ceteros omittam, *Nicolaus Lyranus*; vir pro illorum temporum ratione sumpta laude, propter accuratam Bibliorum sacrorum interpretationem, dignus.

Gvlielmvs *Notinghamius*, præbenda illa sua *Eboracensi* abdicata, huic se disciplinæ deuouit: qui rem theologicam docte sane *Oxonij* prælegit, multáque accuratè scripsit. Habuit & fratrem *Augustinum* eiusdem instituti, qui postea *Laodicensis* Episcopus factus est. His accedit & *Gulielmus Ockamus*. Sed is omnem fere doctrinæ, fideique suæ laudem, ob illas suas contra summum pontificem, eiusque authoritatem (à quo anathemate propterea confossus est) pro schismatico Imperatore *Ludouico*, insectationes contaminauit. Ad cuius aulam, vt à periculo solutior esset, confugere coactus est, eiusque his verbis opem implorare: *Accommoda mihi*, inquit, *Auguste, tui gladij potentiam ad meam defensionem, & ego ad tuam, omnem orationis meæ vim accommodabo.* Ex *Benedictinis* fuere clari *Simon Sothranus*, *Nicolaus Racklissius*, & alij. Ex *Carmelitis* vero *Ioannes Gatesdenius*, Hugo *Virleius*, *Ioannes Lutterellius*. Ex *Augustinianis*, *Thomas Ashburnius*, *Galfridus Grandefelanus*, *Galfridus Hardebius*, *Ioannes Wittonius*. Ex *Dominicanis*, *Thomas Walleius*, Robertus Holcotus, *Thomas* Ioiceus, quem alij *Iorsium* appellant, Cardinalis, *Oxonij* apud *Dominicanos* suos, humatus. Fratrem habuit *Walterum Ioiceum*, imo alios quinque, præter *Walterum*, fratres habuit *Dominici* instituto addictos. Sed *Thomas* & *Walterus* ob rei theologicæ peritiam, & ob ipsorum scripta celebres sunt. Ex *Cistertiensibus*, *Rogerius Swinsethius*. Inter *Martonenses* collegij alumnos *Ioannes Dubletonius*, *Gulielmus Burleius*, non modo *Oxonij*, sed & *Lutetiæ Parisiorum* perquam celebris cum Ioanne *Mandeuilthio*. Apud *Stanfordiam Gulielmus Lidlingtonius*, *Ioannes Ripingalius* Carmelitæ, & alij alibi in hac diœcesi: quos, ne longa & inanis nomenclatura generet tædium, non est necesse commemorare.

Atqve hactenus de Academiæ nostrę ornamentis. In quibus commemorandis etsi libentius acquiesco, cetera tamen, vt sinceræ historiæ lex postulat, etsi minus iucunda, id est, varias & graues concertationes, & digladiationes iam attexemus. Ab ea vero incipiam, quæ ciues cum Academia commisit, ad alias deinceps gradatim progressurus. Exorta itaque rixa in taberna vinaria, inter quendam ex scholasticis & vinarium, in cuius ille caput vinum effuderat, eiusque deinde caput poculo in illud illiso comminuerat; cum laici, qui oppidum incolebant, ciuis sui vindicandi causa, iram suam in reliquos omnes scolasticos, nimis effrenato impetu effunderent; biduo quasi instructa, & hostili acie inter eos dimicatum est, multique vtrinque vulneribus affecti, aliquot etiam perempti. Cumque postridie viri monastici ad placandum Deum, atque leniendas & molliendas tantas animorum offensiones, supplicationem habuissent, in qua sacrosancta eucharistia deferebatur; ne hæc quidem sacra terrorem, aut religionem ciuium animis injicere potuerunt, aut à pugna deterrere. Imo scholasticum quendam, vt vitæ consuleret, ad sacerdotem, qui venerandam eucharistiam deferebat, subsidij causa confugientem, qui nihil eos læserat, insequuti, grauissimis & lethalibus vulneribus confecere. Sedatus tamen est eodem postea die tumultus ille, videbaturque vtraque pars ad pacem inclinata, quæ & publico edicto diuulgata est. Tertio nihilominus die veteres pugnæ recruduerunt, ciuésque, accita sibi ad subsidium ingenti ex vicinis pagis multitudine, in scholasticos irruunt, domos illorum effringunt, libros cultellis & securibus discindunt & discerpunt, supellectilem diripiunt, & aliquot è medio tollunt. Qui casus vacuam & desolatam fere ad multos menses, scholasticis alio se subducentibus, Academiam reddidit, solitis omnibus scholarum exercitationibus interruptis. Diuque postea, ecclesiastico *Oxoniense* oppidum interdicto, per *Lincolniensem* Episcopum à sacris abstentum est.

Rob Austr. in histor. Edw. 3. Tho Walt. & cont Ada. Mur. 1154 Cont. Polich. ità 7. ca 45.

Stratford in regist. f. 78.

Magnam Edovardi Regis animo offensionem hoc infortunium peperit, missisque ad Simonem *Islepium* literis, significauit, quantum ex hac digladiatione animi dolorem cepisset, quod præclarum Cleri (per quem & catholicam religionem constabiliri, & magnam reipublicæ partem illius potissimum consilio prudenter administrari dicit) seminarium ita esset dissipatum. Mandat itaque, vt omnes nerues *Islepius* intendat, vt dispalatos ad Academiam reuocet, quos in suam se fidem & tutelam, vt eos ab omni iniuria & contumelia, deinceps integros & incolumes præstet, recipere profitetur. Redeunt itaque tandem & perturbata

bata atque intermissa studia repetunt. Ciues *ducentis quinquaginta* libris Academiæ pendendis (salua nihilominus & integra, cuique sua de damnis priuatim accepti actione) multantur. Academia nouis priuilegijs munitur, & primæ rerum administrandarum in eo oppido, pretiumque panis & vini, aliarumque rerum in foro venalium, quæ ad commeatum & victum pertinerent, constituendi potestas Academiæ præfidi defertur. Ciues præterea academiæ satisdare coguntur, se illius deinceps quietem & tranquillitatem haud perturbaturos. Et post triennium exoluuntur ciues ab interdicto. Accessere & aliæ quædam velitationes, & duæ quidem leuiores, quæ iurisdictionis ecclesiasticæ prærogatiuam respiciebant; altera quidem, qua GVILELMVS *Courtenceius Cantuariensis* Aachiepiscopus, iurisdictionem suam ecclesiasticam, qua Academiam lustrabat & visitabat, in *Benedictinos* prorogare conabatur. Cui ibi se opponebant, authoritatisque illum suæ modum & fines egredi dicebant. Se enim ex *Romani* pontificis priuilegijs exolutos, & liberos esse ab omni Archiepiscopi potestate. Post multa hinc inde agitata, *Courtenceius* rem omnem integram reliquit. *Th. Walsingh. Tho. Walsingham in hist. sua 1189. & in cont. Polychr.*

ILLA altera concertatio inter *Folhardum* Cardinalem, eundemque *Oxoniensem Archidiaconum* & academiam, cum *Cantuariensem* sedem WALTERVS teneret, versata est. Cum enim officialis Cardinalis per academiam prohiberetur, quo minus in Clericos & scholasticos, qui fornicatione, adulterio, aut alijs criminibus irretiti essent, animaduerteret; omnesque illi, huiusmodi clericorum & scolasticorum defunctorum, supremas tabulas probandi, & insinuandi, vt appellant, potestatem atque iurisdictionem (qua suos decessores Archidiaconos vsos, Cardinalis asserebat) Academia adimeret; valdè ille apud IOANNEM *Vigesimum secundum* de ecclesiastea sua potestate imminuta, questus est. Euocati itaque sunt ad *Romanam* curiam, vt intentatæ illius actioni responderent, *Henricus Goverus* Cancellarius, & qui procuratores Academiæ dicuntur, cum alijs quibusdam. Hac cautione specialiter adiecta, ne vlla excusatione, priuilegióue, ne eo quidem, quod ANGLIS olim indultum erat, ne ad alia extra ANGLIAM tribunalia protruderentur, huius itineris necessitatem à se excuterent. Sed cùm Abbas cœnobij *loci regalis Lincolniensis* diœceseos *Oxonium* venisset, vt commemoratos ad iudicium accerseret, nec eos, nec alias quos accerseret (cum enim rem subolfecissent, clam se alió maturé proripuerant) inuenire potuit. *Ex registro sine archiuis Walt.*

SVPERSVNT iam aliæ, sed maioris momenti decertationes. Ex quibus est illa *Nominalium* à *Realibus* vt appellant dissentio, cuius architectus & artifex fuit *Gulielmus Ockamus*, qui Ioanni *Dunsio* præceptori suo acriter ea in re aduersatur; vnde, plurima in rebus, vt à multis creditur, superuacaneis, aut non ita multi ponderis, litigia alia super alia accumulata sunt. His adduntur *Ioanni Dunsi* & sequacium de merito congrui & condigni, de peccato originis in beata MARIA virgine, de voto solemni & simplici, & alijs aduersus diuum *Thomam*, & eius assecias dimicationes. Quanquam iam ferè *Dunsi* dogmata, in quibus *Thomam* oppugnat, exolescere, & theologorum frequentiora suffragia in vniuersa *Thomeiana* doctrina, vt magis accomodata, magisque exculta atque solida, acquiescere incipiunt. Aliam concertationum ardentem facem *Oxonij* hoc seculo, præ ceteris incendit *Richardus Fitzraffius* seu *filius Radulphi* homo *Hibernus*, *Lichefeldiensis* Archidiaconus, & Academiæ *Oxoniensis* Cancellarius, & *Armachanus* tandem in patria sua Archiepiscopus. Hæc vero contentio fratres, solùm qui mendicato viuunt, impetebat. Quæ neque *Oxonio* propriè, aut ANGLIÆ, neque hoc primum sęculo, sed superiori, & Academiæ *Parisiensi* potissimum attribuenda est; à *Richardo* iam interpolata & renouata. *Gulielmus* itaque *de sancto amore*, cum *Sigerio*, & alijs ex *Parisiensi* Academia, fratrum horum, qui ex mendicitate viuunt, vniuersum institutum vt improbatum, & Deo planè exotum reijciebat, atque acerbè explodebat. Corraderanteque ex sacris scripturis multa argumenta, quibus suam assertionem munichant. Quæ in eo potissimum ponebantur; non licere illis inter scholasticos in Academijs versari; non licere docendi munus sibi arrogare; non licere populo concionari, aut facta cum exomologesi expiare; non licere eis per prouincias circumcursare; non licere item coram iudicibus alicui intendere; non licere principum curias frequentare: & præ ceteris, haud licere mendicato, cum valido & sano essent corpore, & ex solis populi eleemosynis viuere. Nobilitant denique illos luporum, furum, latronum, & id genus nominibus, totamque sectam nihil aliud esse aiunt, nisi prælusionem ad Antichristi aduentantis tempora.

HVNC illi librum CLEMENTI *quarto* obtulêre. Quem accomodatè, doctè, & solidè mox *Thomas Aquinas* confutauit, & putidas atque proiectas illorum calumnias, vt aranea- *Liber Thomæ extat inter opuscula eius Thomæ opusc. 19.*

rum tlaes dissipauit. Quem omnibus suis calculis CLEMENS ita probauit, vt *Guilielmum* cum suis assecl̃s Academia *Parisiensi* extruserit, librúmque illius reiecerit ac damnarit. Cuius postea dogmata, *Thomas* in *Parisiorum* scholis neruose, publica disputatione infirmauit & euertit. Atque ista ferè sunt, quæ *Richardus* post alterum iam sęculum retexit. Ob quæ vocatus est *Auenionem* ad INNOCENTIVM *sextum*, coram quo illa tuebatur. Quo loci, inter medias has suas dimicationes, è vita abijt. Vetera verò fratrum priuilegia adeò non sunt per INNOCENTIVM abolita, vt luculentiùs iam sint confirmata, controuersiáque illa deinde cessarit. Atque hæ quidem controuersiæ per RICHARDVM alioſque motæ, non illæ quidem huiusmodi fuerè, quæ fidem christianam & catholicam labefactarent & euerterent, neque *Richardus*, tam omne fratrum institutum, atque disciplinam sublatum iri, quam ea è medio tollit, quæ disdiplinæ illius sinceritatem contaminare, vt ille putabat, videbantur, neque quicquam in his ille, tam pertinaci & obfirmato studio defendere se dicebat, vt vel catholicæ ecclesiæ, vel summorum pontificum authoritati, nihil in ea re deferret. Vt non sit omnino forsan alienum á fide, fuisse eum præter singularem doctrinam, sincerissimæ hominem & candidissimæ vitæ, quam & Deus post obitum eius miraculis, ad tumulum eius in *Hibernia* (quo ossa illius relata erant) patratis, vt à quibusdam traditur, valde illustrarit. Semper enim inter probatissimos, doctissimos & sanctissimos olim, & recentiores hoc sęculo patres fuerunt, & hodiè sunt inter doctos, & in posterum semper erunt (salua atque integra charitate, remotaque fixis, & firmatis semel totius ecclesiæ decretis, obstinatè repugnandi pertinacia) vel poterint esse, animorum iudiciorumque in rebus controuersis, nec publica ecclesiæ authoritate expeditis atque definitis, varietates, discrepantesque sententiæ. Assertiones verò *Armachani* impugnarunt inter alios *Rogerus Conuetus Franciscanus*, *Ioannes Heildelhamius Carmelita*, *Galfridus Hardebeius Augustinianus*, & *Engelbertus Dominicanus* ANGLI.

Th. Vvals. 1150. cont. Ada. Mur. 1100. cont. Polic. l. 7. c. 45.

Vt apparet in professione fidei coram Innocentio facta.

NEC tamen omnis inter Academiam & fratres controuersia sublata est. Nam septennio post, vtraque Academia contra illos, & illi contra Academias, coram amplissimis totius regni comitijs mutuas querelas deprompsêre. Sed vtraque pars compromisit, & Regis arbitratu lites componi voluit. Qui decreuit vt in exercitijs scholasticis, alijsque in rebus, mutuam pacem amplecterentur, & ne minores ætate octodecim annorum in societatem suam reciperent. Sed illæ iam sequuntur dimicationes, quæ in alio & grauiore magisque detestando genere versantur, quæque catholicam fidem non tam imminuunt atque labefactant, quàm penitus conuellunt; dissipant & delent, quæ à nostræ, inquam, charissimæ nutricis *Oxonien sis* Academiæ, quodam, sed ingratissimo & pestifero, proh dolor, alumno, *Wicleffo* inquam illo, hoc sæculo excitatę sunt. Cuius mali & pestis, quam ille afflauit, tanta est magnitudo, tanta diuturnitas, vt nulla eem oratio satis aut exprimere, aut satis detestari poterit. Cuius nos hæresiarchæ, & pestilentium dogmatum, & sectatorum historiam (quę ingentibus voluminibus ægrè explicari potest) certo nostro consilio ad historiæ nostræ finem, & in proprium, pecularéque volumen reijcimus. Quam, Deo propitio, vberius, iustáque opera prosequemur. Numerus verò scholasticorum, qui *Oxonij* versabantur, hoc sæculo, superat pæne fidem. Quos *Armachanus*, de quo diximus, ad triginta millia recenset. Imminutum adeò postea, vt lex millia non conficeret. Quam ille imminutionem fratribus potissimum mendicantibus ascribit. Tradit enim fraudulentis illorum illecebris, ita ad monasticam vitam allectatos adolescentes, vt parentes recusarint, propterea liberos ad Academiam legare. Sed an hæc causa, si esset vera (author enim grauis cum fratribus inimicitia, fidem fortè ea in re detrahit) tantos scholasticorum cumulos detraxerit, alijs relinquendum iudico. Id autem satis credibile, cum ad monasticam illam vitam frequentes vndique sponteque decurrerent, rariores multò fuisse, qui Academias adirent; Sed nec hæc causa, tantas scholasticorum ruinas edere potuisse videtur. Et nescio an immanis illa, quæ hoc sæculo grassabatur pestis, & hominum continuatis bellis exhaustorum, tenues facultates, hanc omnem potius causam non sustineant.

In archiuis parl. 1366.

In defensione curatorum.

De

De Episcopis Elienſibus, *deque Academia* Cantabrigienſi, *doctiſque eius Academiæ, & huius hoc ſæculo diœceſeos viris.*

CAPVT XXIX.

CVm è vita GVLIELMVS *Luda* migrasset, IOANNES *Hothunus* Canonicus *Eboracenſis* eius locum occupat, qui EDOVARDO *Aruonio* Regi à theſauris fuit. Qui princeps eius Legationis, à quibuſdam ponitur, quæ à Proceribus regni ad EDOVARDVM commemoratum, iam carcere clauſum, miſſa eſt, vt regni ille ſe adminiſtratione ſponte exolueret atque exueret. Meus illius temporis author, *Wintonienſem*, *Lincolnienſem* & *Hereforden-ſem* nominat, de *Elienſi* nulla apud eum mentio. Quo hanc eccleſiam moderante, veſtis diui ALBANI protomartyris noſtri, quam, cùm cæſus eſſet, indutus erat, in antiquo quodam, vt diximus, apud *Elienſe* cœnobium tumulo, ſanguine quaſi recenti reſperſa, inuenta eſt. Magna verò quædam, ad eadem ferè tempora, in *Cantabrigienſi* Academia rerum perturbatio, animorúmque offenſio orta eſt. Cùm enim WALTERVS *Cantuarienſis*, vacantem ſedem eccleſiaſtica per ſuos luſtratione inuiſens, Academiam quoque inuiſere ſtatuiſſet; adeò ea res ſcholaſticos offendit, quaſi priuilegia ipſorum inde imminuerentur, & euerterentur, vt omnes ſtudiorum, prælectionúmque publicas exercitationes omiſerint & interruperint. Qua ex auditione, magnum animi dolorem percepit WALTERVS, literáſque ad Cancellarium & reliquos ſcripſit, quibus ſignificauit, etſi pro ſuo iure, iuriſdictionem illam ſuam in Academiam exercere poſſet, quæ ad nullius detrimentum, aut ad aliquod priuilegiorum Academiæ damnum, ſed ad ſalutem animarum ſpectabat; nolle ſe tamen ſummum ſuum ius vrgere, & tantæ illorum leuitati ignoſcere, & ne inſignior aliqua doctrinæ ex ſtudiorum, & hac illorum offenſione iactura accideret, remittere ſe illam ſuam luſtrationem. Quare reditur mox ad vetera ſcholæ exercitia.

1294 *Flor & in regiſtro Walt. Pelid li. 18. quem appellat Berthonum.*

Tho Mer in vita Edouard. 2.

Th. Walſ. 1319. Extant litera Walteri in archiuis Cant. eccleſia.

Tho. Walſ. appellat Ioannem 1358. ſed credo in curiam eſſe lapſum.

IOANNEM ſequutus eſt THOMAS *Lileus Dominicanus*, qui in *Cantabrigienſi* Academia Theologiæ ex doctrina, quam partim ſcriptis libris complexus eſt, lauream conſequutus, magnáque in concionibus & diſputationibus gratia pollens. Qui *Elienſi* poſteà Epiſcopatu inſignitus eſt. Sed grauiſſimis ac turbulentiſſimis poſteà (ſuone merito, an aduerſariorum calumnia, non ſatis ſcio) tempeſtatum fluctibus iactatus eſt. Videtur origo totius illius calamitatis ab illuſtri femina *Blanchia*, qua cum illi erat, propter eccleſiæ ſuæ cauſas, lis & contentio, profecta. Et magna quidem aduerſus illum crimina congeſta ſunt, domuum vi effractarum, nocturni incendij, & quod eſſet furum & latronum receptator. Atque ad cauſam dicendam coram regio tribunali vocatus eſt. Et captus eſt ille quidem à regijs miniſtris, cum quibuſdam è clericis ipſius; quibuſdámque eorum in terram graui impreſſione deturbatis, ipſe cum illis in carcerem abreptus. Sed interceſſit & oppoſuit ſe SIMON *Iſlepius*, negabátque huius capitalis cauſæ contra Epiſcopum, cognitionem ad regios iudices pertinere, & THOMAS ipſe clamabat ex ſcitis canonum, ad eccleſiæ iudicium reijciendam, paratúmque ſe, coram SIMONE *Iſlepio* criminationi illi reſpondere, obiectáque crimina diluere. Pergebant tamen nihilominus, cauſámque regij miniſtri cognoſcebant, & contra THOMAM ſententiam tulerunt, per quam mille trecentis quinquaginta libris mulctatus eſt. THOMAS ad ſummum Pontificem prouocat. Qui literas ad *Iſlepium* dat, vt is curet, omnia quæ coram regijs iudicibus in illa cauſa acta erant, ad ſe tranſmitti. Quibus alioqui niſi pareant, graue anathema denunciat.

Ex regiſtro Sim. Iſlep.

Ioan. Leland.

ILLI cùm eſſent appellati, vnus dicit, ſe nunquam iudicis officio in ea cauſa functum; alius reſpondet, omnia huiuſmodi acta, iam pridem in archiuis regijs recondita, è quibus illa eruere non poſſet. Imo ſi apud ſe eſſent, non poſſe ſe, niſi cum ſumma Regis offenſa, citra illius voluntatem huiuſmodi inſtrumentorum copiam tradere. Alius autem, nuncium ad ſe miſſum in carcerem coniecit. Quæ cùm *Iſlepius* Pontifici ſignificaſſet, eos, qui hæc negotia THOMAE ſtruxerant, pontificia ille ſua execratione deuouet, mandatúmque *Lincolnienſi* Epiſcopo, vt ſi qui ex his, qui ita deuoti eſſent, obijſſent, corpora defunctorũ è ſacro cœmeterio in locum profanum proijcerentur. Atque ita de quibuſdam cadaueribus factitatũ. Contigit autem poſteà, quoſdã cum Pontificis literis in ANGLIAM à THOMA (qui è carceribus dimiſſus, ad *Romanam* curiam contra Regis voluntatẽ, de iniurijs acceptis queſturus, ſe contulerat) mitti; quas

Walſing 1358.

illi armati *Rossensi* Episcopo, qui erat Regi à thesauris, tradidere & mox se proripuere. Quos quidã expedito itinere propere insequuti, comprehenderunt: è quibus aliquot in crucem sublati sunt. THOMAM autem, posti paucos deinde annos in *Romana* Curia adhuc commorantem, mors oppressit. Ad quæ tempora cœnobium sacrarum virginum à *Walsingeshamo* ad pagum *Deuium* duobus mille passibus distantem, cum defunctorum quorundam corporibus, ex summi pontificis diplomate translatum est.

Polych. lib. 7. c. 46 1361 Cont. Ada. Mur. & Thom VValsi. eod ann. Ex regist. Elien.

REGIT deinde hanc ecclesiam SIMON *Langhamus*, ab INNOCENTIO summo pontifice præfectus. Qui prius *Reginaldum Wigornensem* præfecerat, sed eius mors impedimento fuit, quo minus transferretur. SIMON quinquennio post *Cantuariam*, vt diximus, tum IOANNES *Barnetus* à *Bathoniensi* huc traductus est, qui magni Cancellarij munere fungebatur. Hoc deinde, post obitum IOANNIS, munere THOMAS *Arundelius* defungitur. De quo inter *Cantuarienses* Archiepiscopos proximo sæculo dicemus, & post eum IOANNES *Fordanus* à *Dunelmo* huc accersitus. Proximo anno insignia quædam miracula apud *Elienses* insulam, ad beatæ virginis MILDREDÆ tumulum edita sunt. Quæ nos suo alibi loco recensuimus. Quo etiam anno, cum in solemni supplicatione sacrosancta eucharistia, in arca leuissima à duobus sacerdotibus, qui humeros supposuerant, portaretur, & ventum esset ad eum locum vbi *Augustinianorum* cœnobium situm est, tam immani arcæ se pondere oppressos sentiere, vt nulla ratione se inde promouere, aut gressum expedire potuerint. Accersuntur alij, qui rem ex illis difficultatibus explicarent. Per quos, nullam omnino arcæ molem aut onus sentientes, deportata est. Et mox vbi cœnobij situm supplicatio prætergressa, sacerdotes rursus humeros subijciunt, & inoffenso cursu reliquum viæ conficiunt. Sed cum paulo post, quidam indecoro quodam, & parum reuerenti corporis motu & agitatione, saltatoriaque iactatione coram sacra eucharistia vteretur, repente supremam egit horam. Harum rerum casus multos solicitos tenuit, & interpretatio multorum ingenia torsit. Qui nihil tamen inde expedite & solidè pronunciare potuerunt. Id solum liquido constabat, grauem quendam mox pestem *Cantabrigiam* inuasisse, & vastas atque repentinas strages miserabiliter edidisse.

Th. VValsi 1361 Ex regist. Iflep. 1361 Cont. Polych. li. 7 cap 46. Thо VValsi. Cont. Ada Mur. 1366. Vt apparet ex archiuis Edo. 3. & ex parl 1366. Cont. Polych. li. 7 cap 49 cont Ada Mur. & VValsi 1373. Th VValsi 1388 Th VValsi 1389

Polid. li. 19. ca 18

MVLTA hoc sæculo *Cantabrigiæ* literarum domicilia, atque collegia ponuntur. E quibus *Aula regia*, EDOVARDI Regis *tertii*; *Penbruchensis Ioannis* Comitis *Penbruchii*; aliud *Michaelis* collegium *Henrici Stantoni* viri equestris opera, & sumptu collocata. His addatur & *Trinitatis* collegium. Cuius societas cum haberet *Driscotium*, *Chinburleum*, & alias quasdam rectorias in suo patronatu, ad scholasticorum illius societatis onera sustentanda, GVLIELMI *Nordouicensis* Episcopi consensu attributæ sunt. Cui & suam authoritatem SIMON *Islepius* adiecit. Fuerat ibidem iam antea vniuersitatis aula, sed cum incendio conflagrasset, *Elizabetha Gloccstriæ* Comitis filia, de integro eam exædificauit, & aulam CLARIAM appellauit. Ex hac vero Academia in omnem vndique ANGLIAM, vt alias, ita & hoc sæculo magna doctorum virorum copia affluentissime manauit. Quorum aliquot, eorum præsertim, qui memoriam suam per scripta posteritati contecerarunt, iam mentionem fecimus, & de quibusdam postea faciemus. Quibus & hos iam adiungere poterimus, THOMAM Episcopum, de quo paulo ante actum est; *Richardum Scropum Eboracensem* Archiepiscopum, *Rogerium Glasconium Augustinianum*, *Ioannem Hornebium Carmelitam*, *Ioannem Bromiardum Dominicanum*, *Gulielmum Foulerum*, *Edmundum Albionem*, *Richardum Wetherseruum*, *Ioannem Boroueum*, *Ioannem Chuistonum*.

Islep. in regist. 1350.

Io Grafton in chro. Angl. 1500

De

De Archiepiscopis Eboracensibus

CAPVT XXX.

HOMAM *Corbrigium*, qui priore sæculo iam declinante & vertente HENRICO successerat, post triennium GVLIELMVS *Grenfeldius* excepit. THOMAE, non solum ea laus tribuitur, quod theologiam exacte calleret, sed quod præterea orbem illum liberalium artium absoluisset. In *Romana* curia ab ipso BONIFACIO *quarto* consecratus est. BONIFACIVS vero, præfecturam nobilis illius apud *Eboracum* sacelli (quod *sancti sepulchri* dicitur) qua THOMAS ornatus erat, necessario cuidam suo donauit. Qui cum postea mortem obiret, magnam pœnitentiam, animique dolorem cepit, quod sacelli illius prouentus temere, ac inconsulte profudisset, diuinamque inde sibi iram impendentem, valde se vereri dicebat. Id quod apud BONIFACIVM præsentem, ipsumque in ægritudine inuisentem, plane confirmabat, eumque enixe rogabat, curaret, eam dignitatem in hominem idoneum, quique in ea resideret, transferri. Missis mox post obitum alterius, BONIFACIVS ad THOMAM literis, negotium illi dat, vt insignem aliquem Theologum ea præfectura honestaret. Ille vero *Gilbertum Segrauium* eruditum theologum. & *Lincolnienſis* ecclesiæ Canonicum illuc accersit. At Rex EDOVARDVS indignatus. quod repulsam tulisset, qui ad alium eam præfecturam auertere studiosè conabatur, tanta erga THOMAM ira efferbuit, vt multis illum molestijs afflixerit, & luculenta quadam possessionum suarum parte mutilarit. Quas ad obitum vsque THOMAE, suis vsibus intercepit. Quæ res tantum terrorem Canonicis, post defunctum THOMAM, & *Eboraci* sepultum iniecit, vt deturbato *Gilberto*, *Ioannem Baſſhium*, cui tam cupide Rex studebat, præfectum sacelli designarint. *Rog. Cest. Nic. Trin. Tho. Stob. de Ebor. Archiepiscop.*

GVLIELMVS, Regi EDOVARDO à Cancellariæ munere, vir eloquentia, prudentia, & morum vrbanitate singulari, designatus Archiepiscopus, ad *Romanam* curiam profectus est, vbi biennio commoratus, à CLEMENTE *quinto Lugduni* initiatus est. Cui, & RADOLPHO *Baldochio*, *Londinenſi* Episcopo, CLEMENS mandauit, vt accuratè de criminibus, quę *Templariis* obiecta erant, inquirerent. Quod tam *Londini*, quam *Eboraci* factitatum est; cum tamen nihil interim (vt meus author affirmat) in lucem prodijsset, cur totus ille ordo euerteretur: qui œcumenico, vt diximus, concilio, per eundem CLEMENTEM prorsus dissipatus est. Cui concilio GVLIELMVS interfuit, honoratámque in eo, post Cardinales & *Treuerenſem* Archiepiscopũ, sedem tenuit. *Templariis* possessionibus suis exutis, benignè per cœnobia suæ diœcesis prospici curauit. Post decennium, remoto vno mense, e vita decessit, *Eboraci* humatus, dignitatemque ad GVLIELMVM *Meltonium* transfudit. Qui ob consecrationem ad *Romanam* curiam profectus, post biennij moras, à IOANNE *vigesimo secundo*, mortuo iam CLEMENTE, consecrationis munus accepit. Qui Regi EDOVARDO *secundo* à thesauris, & à cancellaria fuit, magnisque ob hospitalitatem, & in omnes, egeniores præsertim & monasticos viros liberalitatem, ob singulare castitatis studium, ob magnam ieiunandi & orandi assiduitatem, totiúsque Episcopalis functionis vigilantem curam, laudibus vehitur. Primus ex omnibus Archiepiscopis, suam in Decanum & Canonicos, lustrando & visitando eos, post longam Decani & Canonicorum, ea de re aduersus ipsum decertationem, iurisdictionem exercuit. Qua de re formula quædam, communi tam Archiepiscopi, quam Decani atque Canonicorum consensu, (ad quam lustratio illa moderanda erat) edita est, cui & suam IOANNES *vigesimus secundus* authoritatem adiunxit. *Tho. Stob. de Eborac.* *1315 Tho. Stob. & Ada Mur.*

SI qui ad eum venissent, ita ob crimina irretiti, vt non nisi per eum ab illis absolui possent, si forte cum in via esset, in eum incidissent, non, ne tenuissimos quidem & infimos homines, ad longiorem expectationem, morasque reijciebat; sed ab equo vel curru descendens, acceptóque libro cum stola, quod sui muneris erat, benigne præstabat. In proteruos & contumaces, erat alto atque erecto animo; in modestos vero & moderatiores, demississimo & lenissimo. Ad princeps templum diui PETRI *Eboracensis* ornandum & renouandum, multos sumptus potuit. Vbi, post viginti duos administrationis suæ annos, humatus est. Cui Canonici suis maiori certe ex parte suffragijs, *Gulielmum Suchtum* Decanum suum surro-

Tho Stob. 1341. gant. Sed cum EDOVARDVS *tertius* GVLIELMVM *Chillesbeium* ad eam functionem promouere cupide conaretur, scinduntur suffragia. Cumque *Gulielmus Auenionem*, vta CLEMENTE *sexto* ipsius optio confirmaretur, adijsset, res propter competitorem, ad biennium extracta est, tandémque *Chillesbeius* à CLEMENTE est consecratus. Quarto vero administrationis suæ anno, cum *Dauid Brusius* Rex *Scotorum*, EDOVARDO *tertio* extra ANGLIAM in belli expeditione commorante, nostris negotium faceſſeret, GVLIELMVS, in cuius potissimum fide & tutela aquilonis illæ regiones relictæ erant, illius regionis Proceribus accitis manuque militari collecta, *Dauidem* aggressus & exercitum eius, graui occisione cecidit, & ipsum *Dauidem* cum multis proceribus, in suam captiuum potestatem redegit. Vndecim
Tho Vitalis 1342 ille annos pontificatu functus est. Proximo, quo ad functionem hanc designatus est, anno, illustre miraculum apud tumulum diui IOANNIS *Beuerlacensis* editum est. Quod si quis scire desideret, nouit vnde petat.

1332. Tho Stob & ex regi. Ipsp. POSTQVAM GVLIELMVS è vita abijsset, *Ioannes Thoresbius Meneuensis*, & deinde *Victorum* siue *Vigornensis* Episcopus, & Regis EDOVARDI cancellarius, ad Archiepiscopatum *Eboracensem* prouectus est. Inter eum & *Istepium Cantuariensem*, certa ex formula, vt diximus, pax inita est, post longam illam de cruce in *Cantuariensi* prouincia deferenda, controuersiam. Qui certè, & alijs omnibus in rebus litium, & concertationum osor & hostis, pacis concordiæque amicus videbatur. Cuius diligentia magna illa lis, quæ *Eboracenses* ciues, & monachos cœnobij beatæ MARIAE in ea ciuitate, vehementer vexabat, sopita est. Qui & accuratam, in omni pontificia sua functione, operam curamque, posuisse traditur. Eiusque potissimum instigatione sumptuque, principis ecclesiæ chorus EBORACI, de integro magnifice est exædificatus. Ad quod opus promouendum, cum primus fundamenti lapis poneretur, ducentas ille libras donauit, eandémque ad singulos, quibus vixit, annos, liberalitatem prosequutus est. In quo choro post vigesimum primum functionis suæ annum, post obitum humatus est. Dum IOANNES hanc ecclesiam regeret, monachus quidam *Carthusiæ bellæ Vallis*, *Eboracensis* diœceseos, in tabula quadam, maximam partem miraculorum, quæ diuus PETRVS Apostolorum princeps designasset, tam affabre, tam scite, tantóque artificio pinxit, vt magno illa tabula his temporibus in pretio fuerit. Per quæ tempora ex immodica aquarum irruptione, *Draxium* in hac diœcesi cœnobium, luculentum damnum, pos-
Ex regist. Ipsp. sessionibus extenuatis, accepit. Quod vt reficeretur, rectoria *Roxbeiæ Lincolniensis* diœceseos, ex cœnobij patronatu huic cœnobio per CLEMENTEM *septimum* est attributa. *Ioannes Lelandus*, antiquitatum nostrarum vigilans perscrutator, tradit IOANNEM fuisse sub VRBANO *quinto*. Cardinalem. Quod miror à *Thoma Stobeo* prætermissum. Qui & id tradit, fraterculos quosdam ex *Mendicantium* ordinibus, multos sua prædicatione, à soluendis vt appellant mortuarijs auertisse, quæ rectoribus parochiarum non deberi affirmabant. Quas & scriptis, & authoritate sua IOANNES repressit.

Vt apparet ex antiquo illo de quo meminimus monumento Carthusiæ Londinensis Adam 1374. Tho Stob & Cont. Ad Mur. IOANNI ALEXANDER *Neuillus*, *Eboracensis* ecclesiæ Canonicus, successor datus est, homo illustri plane genere, cui tamen cetera non omnino respondere visus est; nec suis in diœcesi, nec reliquis in republica, in qua ille magnam habuit potestatem, gratus aut acceptus, Decano & Canonicis, alijsque in ecclesia sua, magnas præter ius & fas molestias exhibuit. Inueterata illorum priuilegia, antiquásque libertates tollere nitebatur. Sola libidine ductus, quos voluit, ab ecclesia *Eboracensi* extrusit. Qui tamen, parliamenti postea authoritate in integrum sunt restituti. Causarum cognitionem, synodos, & alias Cleri coitiones, ab *Eboraco*, contra maiorum morem, *Beuerlacum* transtulit. Anathematibus suos, præter iuris rationem, grauiter irretire solitus est. Quæ iniuriæ illos ad prouocationem ab eo, ad *Romanum* pontificem compulere. A quo multa, quę egit, rescissa sunt. Quin & alijs diœcesani eum ex cauſis, eósque
Ex archiuis Regis 1376. qui ecclesiastica sub eo iurisdictione fungebantur, maxime quod pro ordinandis sacerdotibus pecuniam nimis cupidè, & auarè extorquerent, criminabantur. Fuit verò Proceribus, & toti fere reipublicæ valde odiosus. Atque in eum potissimum reipublicæ male, atque perperam per RICHARDVM Regem administratæ, regijque thesauri temere atque inconsulte
Frois. vol. 2. ca 55. & 59. dissipati, culpam referebant. Immensa certe à populo, cùm alias, tum eo potissimum tempore pecuniæ vis coacta est, quo magnus è *Gallia* metus impendebat, ne *Galliæ* Rex cum exercitu in ANGLIAM appelleret; quem ille instructissimum & mille quingentas naues, vt in ANGLIAM solueret, tam collegerat. Qui omnis apparatus (qui *Galliæ* trecentis francorum vt appellant, myriadibus constabat: quæ summa, vt quidam supputant, trecentarum triginta sex librarum millia trecentas triginta tres libras cum sex solidis, & octo denarijs nostræ

pecuniæ

pecuniæ conficit) cum conſilio *Biturigum* Ducis, ventis, cum mari ſe commiſiſſent, aduerſantibus, & potiſſimum, quod nauigatio illa in hyemem nimis producta eſſet, in nihilum recidit.

AD *Gallum* repellendum (cuius iam aduentus fama, & terror per omnem ANGLIAM peruaſerat) non minor, ſed paulo vberior pecunia (quam *Froſſardus* ad duas florenorum myriades, ſiue, vt vulgo loquuntur, ad duos miliones ſupputat) conflata eſt, Trecenta videlicet librarum millia, & quinquaginta præterea aureorum millia. Hæc autem omnis pecunia apud *Eboracenſem*, Comitem *Exonienſem*, *Michaelem Polam*, & ſummæ iuſtitiæ præfectum *Robertum Triuilianum*, & quoſdam alios apud Regem gratioſiſſimos reſederat. Cumque omnis poſtea *Gallicæ* impreſſionis metus eſſet excuſſus, nec ita multo poſt, comitia *Londini* indicta eſſent, in quibus populus ad nouum tributum vocabatur, exacerbati ſunt omnium animi, cœpitque vociferari populus, aut immenſos, ex præterito tributo pecuniarum cumulos in regio theſauro recondi, vt nouo auxilio non eſſet opus; aut ex reipublicæ ſpolijs, quæſtores illos regios rem ſuam improbe atque perfide amplificaſſe. Vocandum itaque *Eboracenſem* cum alijs ad accuratam dati & expenſi reddendam rationem.

QVORVM vociferatio cum multis ex Proceribus ſatis grata eſſet, vel reipublicæ amore, vel eorum odio, quibus infeſti erant, quoſque à publica adminiſtratione, in qua ſoli regnabant, deturbari valde cuperent; omnis illa Regis petitio, qua nouum tributum implorabat, reiecta eſt. Cumque hoc anno in ampliſſimis regni comitijs, Rege conſentiente, iuramentóque ſe obligante, nolle ſe decreta concilij infringere, cautum eſſet, vt certi ampliſſimi viri, tam ex Epiſcopis quam laicis deligerentur, qui ſummam poteſtatem publicæ omnis adminiſtrationis, ad vnum annum duraturam haberent; quique accuratiſſime inquirerent aduerſus eos, qui vel RICHARDO, vel EDOVARDO regnante, repetundarum crimen admiſiſſent, deque omnibus regiarum poſſeſsionum perperam & vitioſe factis alienationibus, ijſdémque comitijs, *Michael Pola* Cancellarius & Comes *Suffolciæ*, læſæ maieſtatis reus factus eſſet, ſeueriſsima cautione adiecta, vt qui animum Regis ad decreta illa violanda tentaret, ob primam culpam poſſeſsionum & bonorum, ob iteratam vitæ iacturam faceret: non ſunt tamen hæc ita munita. quin eodem nondum vertente anno, *Roberto Triuilliano*, & alijs iuſtitiæ præfectis reſpondentibus, licere, ſummo iure, Regi decreta illa reſcindere, imo non alio loco, quam proditorum habendos. qui Regi talem neceſsitatem impoſuiſſent: Rex palam omnia huiuſmodi decreta; vt antea diximus, euertent. *Eboracenſis* regij conſilij princeps, cum *Roberto Veero Hiberniæ* Duce, & *Michaele Pola* quem Rex rurſus ſibi adiunxerat, vt decreta illa reuocarentur, Procereſque bello proſequeretur, eique *Robertum* præficeret, author fuit.

Vide ſtatut. impr. anno. 10 & 11. Rich 2.

Th. Walſ. 1386. 1387 1389. Froſſ. vol. 2. ca. 97. cum ſeqq.

QVAE cum ad THOMAM ducem *Gloceſtriæ*, *Richardum Arundelly*, *Thomam Warwici* Comites aliôsque Proceres, perlata fuiſſent, magna indignatione perciti ſunt, quòd Rex à conditionibus illis fugiſſet, comitiorúmque decretis. Resque poſtea in apertum bellum erupit, victoria ad Proceres inclinauit, *Roberto* & *Michaele* fugatis, Indicuntur deinde regni comitia, quibus & RICHARDVS Rex interfuit. In quibus læſæ regiæ, & reipublicæ maieſtatis crimen ALEXANDRO *Eboracenſi*, *Roberto*, *& Michaeli*, & multis alijs intenditur. Qui cum non compararent, bona & poſſeſsiones eorum fiſco addicuntur; decretumque vt ſi aliquando comprehenderentur, capite luerent. ALEXANDER interim mare transmittens, in *Brabantiam* ſe ſubduxit. Cuius miſeriam vt aliqua honoris ſpecie ſubleuaret, VRBANVS *ſextus* ad Archiepiſcopatum diui ANDREAE in *Scotia* eum tranſtulit, quo nunquam tamen potitus eſt: imo *Louany*, cum parochialis cuiuſdam, vt fertur, eccleſiæ curæ inſeruiſſet, poſt triennij ibidem moram, fato functus eſt. ALEXANDRO ſedente, celebre illud, quod alibi retulimus, de diuo OSVVINO Rege miraculum accidit.

Anno 11. Rich. vi in ſtatut. impr.

Thom. Stobeus Walſ. 1388. Fabianus.

50

De

De THOMA Arundellio *&* ROBERTO Eboracensibus *Archiepiscopis, de doctis huius diœceseos viris, & de sancto viro* IOANNE *Priore* Bridlingtonienſi.

CAPVT XXXI.

Th. Walſ. 1188. Add. ad Th. Stob.

IN locum ALEXANDRI, THOMAS *Arundellius* ab *Elienſi* ſede, per ſummum Pontificem VRBANVM traducitur. Cuius hiſtoriam inter *Cantuarienſes* proximi ſeculi Archiepiſcopos contexemus. Eo igitur nono poſt anno *Cantuarienſem* ſedem adepto, ROBERTVS *Waldebius Auguſtinianus*, apud *Tikullum* in hac diœceſi, vir vndequaque eruditus, in re præſertim theologica, ad hanc ſedem à *Ciceſtria*, vt diximus, aſciſcitur.

Tho. Stob. & Io.

In *Aquitaniam* ille, cum EDOVARDO, vt appellamus, *Nigello*, ſingulari illo heroe profectus eſt. In concionibus, mouendiſque hominum ad pietatem animis, inſignis fuit artifex. Ob quas dotes *Aduenſis* primum in *Vaſconia* Epiſcopus, *Dublinenſi*, deinde Archiepiſcopus, & *Ciceſtrenſis* poſtea Epiſcopus, & *Eboracenſis* demũ Archiepiſcopus

Ita Stob. Io Leland. miſſo quem ſequutus tribuit quadrantium & ſepultum Lib. varia Tho. Stob. Ioan. Leland.

deſignatus eſt. In quo tamen munere integrũ annum non abſoluit, *Londinique* obijt, vbi apud *Weſtmonaſterium* ſepultus eſt. Quædam illius literaria monumenta extant, vt & fratris Ioannis, qui eiuſdem cum eo inſtituti fuit. Inter alios huius diœceſis, qui propter ſua ſcripta celebriores ſunt, recenſentur *Ioannes Chelmeſtonius*, *Robertus Baſtonius Carmelitæ*; & eiuſdem etiam inſtituti apud *Aluerodum* ſiue *Aluertonenſe* cœnobium, quod Rex EDOVARDVS *tertius* exædificauit, *Walterus Kellawius*, *Gualterus Hemmingfordius* apud *Gisburniam*, & *Robertus Warſopius* apud pagum *Ticulienſem*, & *Stephanus Eronius* in *Waltrocenſi* cœnobio *Auguſtiniani*. Ex *Dominicanis Thomas Stobeus*, cuius nobis opera in *Eboracenſium Archiepiſcoporum* vitis deſcribendis, nonnullo vſui fuit. Ex *Franciſcanis* vero *Ioannes Marcheletus*, *Ioannes etiam Halifaxius*, ſiue *de ſacrobuſco*, apud *Brigantes*, vt traditur, natus, ex modicis, illis præſertim de ſphæra, & de computo, vt appellant, eccleſiaſtico, voluminibus, non modicam laudem, apud omnem poſteritatem conſequutus eſt.

SED ceteros omnes, non ſcriptorum ſuorum (quanquam & in hac arena cum laude verſati ſunt) ſed pietatis magnitudine ſuperant *Richardus Rolleius*, ſiue *Hampolius*, & *Ioannes Bridlingtonienſis*. *Richardus* theologici doctoratus ſplendori nuncio miſſo, ſolitariam quandam, procul ab omni mundi ſtrepitu, & eremiticam vitam exercuiſſe, & poſt obitum in *Hampolenſi* prope *Duncaſtrium* virginum cœnobio ſepultus, traditur. *Ioannes* vero, non procul a cœnobio Canonicarum *Bridlingtonienſium* natus eſt. Quem cum prima literarum rudimenta, & rei grammaticæ diſciplinam feliciter percepiſſet, parentes ad maiores in literis acceſſiones *Oxonium* miſere. Quæ breui ſane, non in rebus modo dialecticis, ſed & multo magis in omni pietatis genere, mirifice & longe ſupra ætatem fuere. Mirari omnes coæquales, atque alij tantam in adoleſcente erga Deum & res diuinas propenſionem, tantam animi lenitatem & mantuetudinem erga eos, a quibus offendebatur, a quibus iniurijs, contumelijs, & conuitijs impeteretur. Mirari modeſtiam & animi demiſſionem, mirari cautam & piam temporis collocationem, & diſtributionem. Cuius nullam partem, res friuolæ & vanæ etipiebant. Quippe, quod omne, ſancta ſtudia atque exercitia occupabant.

Extat carmen apud Ioan. Capgraium ſcripta huius temporibus. De cuius pietate & miraculis Tho. Walſ. etiam fauit mentionem an. 1389. Ad quæ dicit totam ferè Angliam obſtupeſe.

POST biennium, cum patriam inuiſiſſet, vir quidam illuſtri conditione, & re lauta atque ampla ſolicite cum illo egit, vt liberorum ipſius educandorum, atque ad ſtudia & virtutem efformandorum curam ſuſciperet. In qua ille vitæ ratione, cum multa perfectioris, atque integrioris vitæ impedimenta obiecta, locumque videret ad offenſionem, prolapſionéſque lubricum, cœpit cogitare, quo modo ſe ab illo, ad accuratius aliquod viuendi inſtitutum expediret, reque diu & bene ſecum meditata, in *Bridlingtonenſi* ſe *Regularium*, vt appellant, *Canonicorum* cœnobio, in vigeſimo ætatis ſuæ anno poſitus abdidit. Et ita abdidit, vt intus vere præſtaret, quod exterius, quod fronte, quod veſte polliceretur, id eſt, verum & germanum monachum, egregiumque earum rerum, quas mundus ſuſpicit, & quibus miſere irretitur, honoris, diuitiarum, voluptatum, & aliarum rerum caducarum contemptorem. Mentemque ille ſuam & pectus, non vna aut altera, ſed omnium virtutum orbe quodam,

ſepiebat &

sepiebat & muniebat. Nihil illo iustius, nihil modestius, nihil temperantius, nihil in omni actione magis prudens & prouidum, nihil quod flagrantiorē Dei, & proximi amorem spiraret. Ille verò monastica omnia exercitia, non remissè & frigidè, nec communi, vt ceteri, more, sed multo accuratius & exquisitius in orationū pernigilijs, in durissimo & asperrimo victus instituto, & ceteris id generis peragebat. Ne minimas quidem aut leuissimas ordinis, & instituti sui obseruationes vnquam prætergressus. Cumque quædam ei cœnobij munia obeunda mandarentur, vt præcentoris, vt eleemosynarij, vt supprioris, quemadmodum appellant, hoc illi ad votum, & quasi ad felicitatis cumulum cecidit, quod huiusmodi & non alia, quæ rebus cælestibus mentis illius affixæ meditationem, contemplationemque magis interrumperent, ei mandarentur. Cumque Prior, cœnobijque præfectus posteà obijsset, fratres maximis omnium suffragijs ad illam *Ioannem* functionem vocabant.

Ille, cùm vnus omnium esset dignissimus, mirum, quibus tamen deprecationibus, quibus recusationibus, hoc à se quasi minimè apto, & idoneo ad tanti muneris suscipiendi magnitudinem, excutiebat; contestatus inter alia, antiquius sibi fore, vt ingentibus plagis, toto corpore laceraretur, quàm vt præfecturam illam obiret. Cuius cum illi animum, ita in aduersam partem firmum & fixum viderent, illius ad tempus importunæ flagitationi cessere. Ad tempus dico: Cùm enim nouus præfectus posteà rebus fuisset humanis ereptus, nullam illi *Ioannis* excusationem accipere amplius voluerunt. Nec ille ita erat, vt fuit præfractus, non quin lubens & iam excussisset; sed ne videretur plus iusto morosus, & alienæ salutis curam omnem abiecisse. Consolabatur & hæc hominem pium sancta cogitatio, quod in summa huiusmodi præfecturæ difficultate, onere, magnitudine, in summis laboribus, quos hoc munus postularet, non ignoraret, & Deum huiusmodi hominum pios conatus sua ope cælitus promouere; & sudorum in huiusmodi præfecturis magnitudini, cælestis remunerationis amplitudinem respondere. Quare hæc illi præfectura, tam pijs cogitationibus munito, non langorem, & animi aliquam (vt fit) remissionem attulit, sed priorem solicitudinem & curam auxit, acuit, propagauit & diffudit. Auxit in ipso *Ioanne*, sed propagauit atque diffudit, idque quadam quasi immensitate in alios. Nam præter domesticos, quibus exortem & principem quandam, pro officij suscepti ratione curam debebat, quibusque paterna solicitudine, omni consolatione, consilio, ope, vt res postulabat, semper affuit; ceteris etiam, quique longè latèque spargebantur, qui consilio, consolatione, ope & auxilio destituebantur, prout cuiusque inopia postulabat, præstò fuit, mirificèque tanquam communis quidam pater prospexit. A quibus animi langorem & tristitiam salutari consilio, famem cibis, frigus vestibus suppeditatis depulit.

Quot ille à carceribus, quot à potentioribus oppressos liberauit? Quanta, & quàm capitalia ille multorum odia, & dissidia repressit, in mutuamque, infestissimo anteà inuicem animo homines, gratiam reuocauit? Quot ille sua liberalitate, è seruitute in libertatem vindicauit? Et licet, ad cęlestia totus ferretur cum *Maria*, solicitam tamen & *Martham* egit, cum erga alios, tum potissimum erga cœnobitas suos; & in rebus cœnobij, non modò tuendis ab iniuria potentiorum, sed & amplificandis, cum non modo sarta tecta tueretur, sed & nouis ędificijs cœnobio accommodatis cœnobium ornaret. Cumque vt fit, vtque officij ratio flagitabat, nonnunquam externis negotijs distringeretur, cum tamen statum precandi in templo tempus aduenisset, mirum in modum lætitia affluebat; statimque abruptis alijs omnibus, properè in templum, quasi à vinculis quibusdam molestis expeditus, contendebat. Neque vlla ratione committere voluit, vt à statis illis orationibus diurnis, nocturnisue abesset. Quibus, & sacrosancto præsertim missæ sacrificio, ita animum totum deuouebat atque affixit, vt sæpè in missæ mysterijs à se obeundis, à copiosa lacrymarum profusione, suspirijs & singultu se cohibere, pro pietatis feruore & magnitudine non potuerit. Cumque tenui admodum vestitu, summa hyeme, & in asperrimo gelu, in missæ mysterijs celebrandis vti soleret; vapor tamen quidam & exhalatio è summo capitis vertice, quasi ab aqua tepefacta & bullienti emittebatur. Qui à cælesti illo feruore, quo pectus hominis velut aqua feruenti perfundebatur, vt credibile est, excitabatur. Qui non potuit contineri, quin in corpus ipsum irrumperet, & ab eo foras etiam erumperet.

Coelestibvs certè meditationibus ita sæpè erat affixus, vt hominem planè exuisse videretur. Nec somnum ille nec cibum seorsum, sed communiter cum ceteris fratribus, nisi superuenientes fortè hospites, eum aliquando ab eo instituto auocarent, capiebat. Hospites verò cum ille lautius exciperet, solita tamen ille sua frugalitate (simulans se quidem vesci, sed

sumptum cibum in vasculum quoddam clam auertens) vtebatur. In sacræ scripturæ, atque patrum monumentis legendis multus erat. Cui se studio, & cælestium meditationi, per reliquam post nocturnas preces noctem, tempus vsque ad illud, quo missarum sacra conficienda erant, dedicare solebat. Fuit verò natura feruentior & ad iram concitatior. Quam ille tamen mira tolerantia, & patientia repressit. Ita quidem, vt cum aliquando quidam ex fratribus, valde se intemperanter aduersus eum gessisset, conuitijsque palam laceraſſet, nihilque ille moueretur, & ne verbum quidem vllum regereret; fratresque admonerent, ne tantam petulantiam inultam pateretur, sed seuerè mox in eam animaduerteret: Intempestiua est, inquit, adhuc omnis animaduersio, neque ignis nouam materiam subijciendo extinguitur, sed multo magis excitatur. Inflammatur iam, inquit, iste, quasi impotentis cuiusdam iracundiæ suæ æstu, quem nos, contraeundo magis accenderemus. Sinite paulisper hominem, & mox ardor iste refrigescet. Qui cum refrixerit, tum commodam nos adhibebimus, & opportunam medicinam.

VT in reliqua vita ita & in vestitu, moderatum se & frugalem ostendit. Suggerebatur illi, vt more aliorum præfectorum sui loci & ordinis, maioris pretij pellibus vteretur, at ille perduci non potuit, vt alijs quam ouinis vnquam vteretur, suosque ad vestium frugalitatem hortabatur. Fuit quidam ex illius cœnobij sacellanis *Gulielmus Sleightholmus*, qui singularis pietatis laudem habebat, quique etiam post obitum, miracula patrasse in eodem cœnobio traditur. Is *Ioannem* interrogabat, cur diabolus, qui se visendum sæpè patribus obijciebat, mognósque illis terrores inijciebat, huiusmodi hominibus, qui tum viuerent, negotium non faceſſeret? Cui ille, Hoc ideo, inquit, contingit, quod patres omni se virtutum genere atque constantia armabant, & muniebant contra illius impetus & temptamenta. Quare, vt grauius eos concuteret, faciliúsque si fieri posset, ad casum & peccatum propelleret, seipsum monstruosissimè ad maiores terrores ingerebat. At cum virtutum iam studium apud nostros homines iaceat, facilé que ad casum & prolapsionem incitentur, non necesse habet diabolus ad illa terriculamenta confugere. Præ ceteris diuinæ scripturæ partibus, mirificè *Ioannis* Euangelium amplexabatur & suspiciebat. Iam quàm ille modestè atque demisse de se sentiebat, quàm inter præclaras dotes nulla humanæ, & fluxæ huius mundi gloriæ, sensus illius titillatio mouerit, quantáque solicitudine & cautione præuiderit, ne illa in animum illius affluereț & illaberetur; non erit alienum vno, aut altero exemplo ostendere.

CVM itaquè alia quædam essent vitæ monasticæ instituta, quæ seueriorem & absolutiorem vitæ rationem, quàm ille sequebatur, complecti viderentur; roganti, Ecquid ille, ad summa illa non contenderet, ad quæ tam præclaras iam fecisset progressiones? Certé, inquit in omni monasticæ vitæ genere possumus vitam sinceram, & illibatam, Deoque gratam traducere. At ego, inquit, quę mea est incuria, ne in eo quidem, quod iam profiteor, viuendi instituto, eò adhuc profeci, vt vel illius præscripta ac regulas accuratè obseruarim. Insignis itaque arrogantiæ in me meritò culpa caderet, si cúm nec mollioris, nec leuioris huius vitæ adhuc præceptis satisfecerim, ad duriorem & seueriorem disciplinam, minus præcipiti consilio immaturiùs me transferrem. Inuiserat verò aliquando, dum pro officij ratione cœnobij possessiones lustraret, mulierem quandam, virtute & forma præstantem, quæ se, in Comitatu *Richmondiæ*, ad solitariam vitam incluserat, vt animum, profanis in illo itinere negotijs iam quasi languentem & ægrum, sacris & cælestibus cum illa sermonibus, erigeret, reficeret & recrearet, & quasi ad illam rutam, pulegio eius colloquutionis vteretur. Mulieri verò huic nocte, quæ aduentum illius ad eam antecesserat, visio quædam obiecta erat, qua aquila quædam domum illius circumuolitare videbatur, quæ rostro portaret scripturam quandam in hæc verba conceptam, IESVS *est amor meus*. Cum *Ioannes* postridiè aduenisset, illa quid vidisset, ostendit, totumque mysterium ad eum, quasi ipse fuisset aquila illa, accommodauit. Ipsum, ipsum enim fuisse, in cuius medullis IESVS hæreret, à cuius intimo & indiuulso amore, nulla illum res mundi auertere potuerat. Tum ille, Hic meus, inquit, aduentus, eò solùm spectabat, vt eos inter nos sermones haberemus, qui Deo grati & plausibiles essent, nobisque salutares. Sed iam ipsum collocutionis principium vana, & inania occupant. Moxque, nulla alia miscens cum muliere colloquia, properè abijt.

CVM iam doctrinæ, virtutisque *Ioannis* fama longè latéque disseminaretur, è longinquis etiam ANGLIAE regionibus, pij & prudentes viri, vt eius colloquio consilióque fruerentur, vndique aduentabant. Multi etiam, vt eius precibus, morbos, quibus opprimebantur, depellerent (nam & hac eum Deus dote & gratia donauerat) confluebant.

fluebant. Quid? quod qui longè ab eo seiuncti essent, & nunquam eius faciem viderant, eius tamen opem implorantes, miseriarum remedium senserint? è quibus fuere quinque viri, qui deplorata salute, nihil aliud nisi præsentem ex naufragio mortem expectabant. Atenim cum *Ioannis* in his angustiis auxilium supplices postulassent, en, vident, quendam mare pedibus, non secus ac aridam, calcantem, adque nauim properantem. Cuius cùm malum manu fuisset complexus, remisit se tempestas, & feliciter illi deinde ad portum appulerunt. Qui non omninò ingrati homines, recta ad *Ioannis* cœnobium festinant, cúmque in eum incidissent, quem priùs nunquam viderant, perspiciunt in illa omnino specie & forma, vestitúque repræsentatum, per quem à periculo illo sunt expediti. Rem itaque *Ioanni* referant, & gratias, quam possunt cumulatissimè, & officiosissimè referunt. At vos, inquit, Deo grati sitis, illique, qui vos ab hoc discrimine explicauit, & cuius totum est, quicquid est huius beneficij, & non mihi gratias agite.

IOANNES verò, vt in tenues ac egentes, liberalis & munificus fuit, vtque in Deo spem suam omnem, cum rerum angustijs distringeretur, reposuit, ac ab eo solo, cum omni humana ope destitueretur pendebat; ita & Deus mirificè tam grato & officioso homini, suis beneficijs, cùm res postulabat, respondit, & ita supra communem sortem respondit, vt propter pietatis illius in pauperes, & fidei in Deum magnitudinem, in summa rei frumentariæ inopia & caritate, aliàs modicum frumenti, aliàs modicum hordei, ad magnos in horreo aceruos, admirabili & cælesti accessione, diuinitùs sine humana ope augeretur. Atenim, cùm iam tempus aduenisset, quo seruum suum Deus è caduca & mortali hac, ad immorralem vitam voluit accersere (quo quidem tempore, accitis fratribus, multa præclara monita, vt mutuam inter se charitatem anxiè colerent, vt superioribus dicto parentes essent, aliáque id genus dedit) cùm hoc, inquam, tempus aduenisset, quo labores, pietatem, ac merita serui, in cælo ampla illa, & inexplebili mercede remunerari statuit; noluit, ne in terris quidem ignorari, quanti eum in cælis faceret. Huiusmodi enim signa & miracula ad tumulum eius, & alibi sæpe repræsentauit, vt infinitos homines summis ac salutaribus beneficijs, ceteros incredibili admiratione ac stupore afficerent. Claudi, cæci, mutilati, leprosi, à dæmonibus obsessi, imo, & qui iam humanam vitam exuerant, vitæ redditi; & alij in suis angustijs & miserijs, hæc beneficia ope & auxilio *Ioannis*, quem suis precibus interpellabant, admirabiliter & cumulatè sentiebant. Quæ accuratè illis temporibus notata & descripta erant, libérque de illis ad Dei seruique sui *Ioannis* laudem, posteritatisque memoriam in cœnobio repositus. Obijt vir pius post decimum septimum functionis annum, sexto Idus Octobris, anno millesimo trecentesimo septuagesimo nono.

De Dunelmensibus, & Lugubaliæ, *siue* Carliolensibus *Episcopis.*

CAPVT XXXII.

Anno 1110 vt in authore illo in notitiato de vita primi Ibidem.

VBI ANTONIVS, de quo superiore sæculo meminimus, morte sublatus ab huius ecclesiæ gubernaculis recessisset, monachorum suffragijs RICHARDVS *Kellowius*, & ipse monachus eiusdem cœnobij, admotus est. Quo, post septennium, res humanas deserente, in *Henricum* quidem *Stanfordium*, vltata suffragia, concurrebant, sed non itidem Regis voluntas & beneuolentia. Quare diligentet egit apud *Romanum* Pontificem, vt ille, reiecto *Henrico* LVDOVICVM *Bellocampum* ad eam dignitatem authoritatis suæ prærogatiua promoueret. Reiecto itaque *Henrico*, designatus est LVDOVICVS, vir quidem genere illustri, sed vtróque pede claudicabat, fuitque doctrina tenui; fuit tamen benè moratus, liberali & magnifico animo, proniorémque habuit summum Pontificem, quod suggerebatur ei, fuisse illum hominem, ad tuendas illas regiones contra *Scotos*, valde idoneum & accommodatum. Datur itaque negotium duobus Cardinalibus, quos Pontifex in ANGLIAM, vt inde ad *Scotiam* proficiscerentur, miserat, vt curarent *Dunelmi* eum initiari. Ducebat illis temporibus in *Northumbria* *Gilbertus Middeltonius* magnam latronum manum, magnásque in ea regione aliquandiu prædas fecit. Cui *Henrici*, in quem ille propendebat, eaque illum dignitate ornatum valde cupiebat, ista repulsa magnam bilem excitauit. Quare cum latronibus illis suis, Cardinales illos repentè, dum essent in via adortus; & illos spoliauit, & LVDOVICVM cum fratre *Henrico*, ad *Mirfordiæ*, vt ante diximus, arcem, à qua non antea sunt dimissi, quàm magni se redemissent, abduxit.

Ibidem & Tho Walsi. 1. 6 Polid li. 18. & Ad. Mur.

Th Walsi. 1317.

Hardingus.

AD quæ tempora, erat & alia prædonum cohors, qui duce *Goscelino* homine equestri cum fratre *Roberto*, instar *Mendicantium* fratrum vestiti, omnia diripiebant, & cum primis *Dunelmensis* Episcopi domos: Miseráque sanè erat & luctuosa *Northumbriæ*, & vicinarum regionum facies, quas non modò *Scoti* insignibus cladibus, sed & isti *Angli* prædones infestarunt. Quæ mala, truculenta fames mirabiliter & miserabiliter, vt diximus, auxit; vt populus equorum, & canum carnibus vesci cogeretur. Sed fames ista & reliquam quoque ANGLIAM ita oppressit, vt modius frumenti *Londini* viginti solidis, si illius temporis pecuniæ æstimationem, ad rationem nostri temporis, referamus, venderetur. LVDOVICO morte intercepto, ij quorum erant suffragia, monachum quendam eiusdem ecclesiæ *Venerium* legunt sibi Episcopum. Qui & per *Eboracensem* confirmatus fuit. Cui se Rex lectioni valdè opposuit. Et RICHARDVS *Angervillius*, alias *Buriensis*, ab oppido vbi natus est, qui erat Regi à sacris, deturbato *Venerio*, pontificia prouisione atque cautione sedem illam adipiscitur, cui mox possessiones Episcopatus tradi Rex iubet, quas alteri priùs designato tradi non est passus.

Fabianus.

Ad. Mur. 1122.

Polich li. 18. Ioan. Leland.

RICHARDI opera EDOVARDVS *tertius*, & in Cancellariæ munere, & in legationibus vsus est. Missus est ad *Gallum* cum IOANNE *Cantuariensi*, ad pacem si fieri posset, conciliandam. De qua legatione, & quod, quibúsque de causis, in irritum recidit, iam anteà commemorauimus. Sed magis ille fructuosam, magnificámque operam aliis in rebus vberrimè posuit. Qui vt erat singularis, & absolutæ cuiusdam in omni liberali arte & philosophia, atque sacrosancta præsertim theologia cognitionis; ita bonarum literarum promouendarum & propagandarum, incredibili quodam studio incendebatur: summáque beneuolentia, omnibúsque auxilijs & officijs, doctos viros prosequebatur. In librorum optimorum lectione, totum ferè tempus triuisse videtur, & fuisse, vt olim de *Catone* dictum est, helluo, vt ita dicam, librorum. Cúmque prudenter intelligeret sine librorum instrumento & subsidio, neminem ad illustriorem aliquam doctrinam accedere posse, viderétque multos per rerum tenuitatem, minimè ab opportunis ad studia libris paratos esse posse, aut alia studiorum onera, præ sumptu, quem illa desiderant, tueri; vtrique incommodo, ad multorum luculentum commodum prospexit. Vt gratissimus enim alumnus, non modò lautam librorum supellectilem, scholasticis *Oxonienſibus* suppeditauit: sed & *Aulam* quandam (quæ iam hodie, vt arbitror, *Dunelmense* collegium dicitur, de qua tamen re nihil absolutè pronuncio) *Oxonij*, in quibus scholastici versarentur, constituit.

ET VT

Et vt illi scirent non solum quo consilio, & in quem vsum bibliothecam illam instructissimam comparasset, & quàm necessaria studiosis esset librorum copia, sed & qua ratione se compararent, vt desideratos ex librorum lectione, studiorum fructus vberrime caperent; librum & ipse concinnauit, quem *Philobiblon* appellat. In quo quænam fuerat consilij sui, ea in re ratio, ostendit, simul de multis ad suum institutum accommodatis disserit. Quem librum in viginti capita distraxit. Decimo autem octauo, mentionem facit de *Aula* illa à se constructa, in qua & libros illos reponi voluit. Qui liber nuper in *Lincolniensis* collegij bibliotheca extitit, & adhuc, *in fallor*, extat. Incidi etiam & ego, in aliud eiusdem libri exemplar. Scripsit præter alia, & epistolas ad multos eo sæculo doctos, *Franciscum* præsertim *Petrarcham*. Qui & ipsi simile scribendi ad eum officium expleuere.

Vbi Richardvs mortem obijt, egit Rex Edovardvs solicite cum summo Pontifice, vt Thomam *Hatefeldium*, quem à secretis habuit, illi sufficeret. Qua in re recessit ille à decreto illo suo, & Procerum totiusque parliamenti, quo cautum erat antea, vt Episcoporum lectiones solutæ, & liberæ essent. De cuius administratione, etsi prolixa, & quæ ad triginta quinque annos producebatur, nihil tamen, quod recenseamus, habemus, nisi quod illi memorabili prælio interfuit, quo, Edovardo in *Gallia* cum exercitu absente, *Dauid Brutius*, qui Angliam interim cum magnis copijs inuaserat, captus est. Illo deinde munere fungitur Ioannes *Fordanus*, qui Richardo Regi contra Proceres firme adhæsit; quemque illi Regis indolē deprauasse, & reipublicę dignitatem labefactasse dicebant: cumque Regis esset à thesauris, illum ab eo munere, quod non sine magna largitione dicitur adeptus, remoueri curabant, quod delatum est ad Ioannem *Gilbertum* Episcopum *Herefordensem*. Sed cum Rex nihilo minus consilio illius multum vteretur, & inter intimos haberet, post triennium per eosdem Proceres à curia, & consuetudine Regis omnino abdicatus est. Quo ille anno, per Vrbanvm *sextum*, ad sedem *Elyensem*, & Walterus *Sckirlous Bathoniensis* Episcopus, ad *Dunelmensem* accersitus est. Proximo Walterum anno Rex ablegauit, cum alijs in *Franciam*, vt vel pacem aliquam firmiorem, vel inducias saltem conficeret. Sed *Galli* nullum assensum, nisi *Hispani* & *Scoti* simul in conuentionis & pacis formula comprehenderentur, postulatis nostratium dare voluere.

Thom. Walsi. in Neustria a. 1345.

Obijt ann. 1380. Cont. Ad. Mur. & Polych.

Tho. Walsi. 1385. & 1388 & 1389

De *Scotis* nostrates erant difficiliores. Neque enim regni nostri & Regis maiestati conuenire dicebant, vt cum *Scotis*, qui ex inueterato tempore clientes Angliae, fidem datam tam sæpe, & tam immaniter violassent, pax aliqua, aut induciæ inirentur; in quos Rex suo iure, suoque arbitrio animaduertere statuebat. Nihil itaque actum est, & *Scoti* interim nostras minas floccifacientes, *Northumbriam* hostiliter diripiebant. Sed post biennium multo atrocius, neque maiores fere vnquam prædas egere, neque vnquam à nostris & *Scotis* fortius dimicatum. *Henricus Northumbriæ* Comes cum aliis multis illustribus viris captus, centum aureorum millibus se redemit, *Iacobus Douglossatium* Comes, ex vulnere periit. Cumque in hac pugna, quæ prope *Otterborniam* commissa erat, victoria ad *Scotos* inclinasset, superuenit cum exercitu ad decem hominum millia *Dunelmensis* Episcopus. *Scoti* etsi aduentare Episcopum non ignorarent, loco se continuere, parati, bellum si inferretur, excipere. At cum moris illorum erat, vt nemo esset in exercitu, qui non cornu collo appensum gestaret, ter ante Episcopi aduentum, sono, quiin tam longinquum ferebatur, vt ad quatuor millepassus, si *Frossardo* credimus, exaudiretur, tam horrendo cornua inflarunt, vt crederes omnes inferorum cacadæmones perstrepuisse, terribilésque sonos fudisse. Hac illi se ratione metum & horrorem hostium animis iniecturos existimabant. At Episcopus, cum non haberet nisi collectitium raptim exercitum, videretque aduersarios à militibus armisque paratiores, recentique victoria insolentiores, & loci opportunitate valde adiutos, re cum suis deliberata, sine pugna recessit. Tam ieiuna & infœcunda est *Carliolensium* hoc sæculo Episcoporum historia, vt non reperiam, ne nomina quidem quæ recenseam. Reperio in depopulatione quadam illarum regionum per *Scotos*, *Carliolensem* cum alijs Episcopum ad eos reprimendos obuiam iuisse, eoque ab eis prostratum, magna se cum difficultate, ab eorum manibus eripuisse. Nomen tamen Episcopi author meus non apponit.

Polid. li. 20. Froff. vol 2. c. 141 cum seq. sed Polid refert ad an. 1391. Froff ad 1388 vt & alij fere nostri scriptores.

De Episcopis Cambriæ *siue* Walliæ.

CAPVT XXXIII.

In registro Roberti. Ex regist. Walteri 1340. Ex regist. Istepij.

APVD *Meneuiam* hos hoc sæculo reperio Episcopos, GVLIELMVM, DAVIDEM, IOANNEM *Thoresbium*, cui *Wigorniam* translato, CLEMENS *sextus* REGINALDVM *Brianum* suffecit. IOANNE autem, post paucos annos, *Eboracensi* Archiepiscopatu amplificato, REGINALDVS per eundem CLEMENTEM in *Wigornienſem*, & in *Meneuiensem* THOMAS *Fastolfius* surrogatur. Eius è vita decedentis locum, quo tempore ex vacanti ecclesia centum libræ *Istepio* accessere, ADAMVS *Houghtonius* INNOCENTII Pontificis prouisione capessit, eiusdem ecclesiæ Canonicus. Et ille quidem Canonicorum suffragijs lectus est: sed quia INNOCENTIVS, THOMA adhuc viuo, designationem sibi soli liberam & integram esse voluit, non suffragiorum, sed pontificiæ authoritatis vi & prærogatiua, sede potitur. Cum vero anno, qui EDOVARDI *tertii* obitum anteceſſit, quidam, qui publicis muneribus, quorum administratio suspecta, & parum fidelis credebatur, abdicati essent, ADAMO Cancellariæ munus delatum est, HENRICVS *Wakefeldius Wigornienſis* à thesauris constitutus est. In regni comitijs proximo anno habitis, prolixam concionem in illa verba Pauli, *libenter ſuffertis inſipientes* &c. ADAMVS habuit. Primùm itaque ostendit, quantam omnibus effusi gaudij materiam Deus suppeditasset, quòd Rex ex periculosa illa sua ægritudine, firmior & valentior esse incœpisset. Deinde non diuinæ iræ atque offensionis, sed potius immensi erga Regem & regnum amoris sui, atque diuinæ benignitatis argumentum, ex hac, quam Regi immisit, ægritudine arripiendum. Proximo loco ostendit, quanta Deus Regem felicitate cumulasset, quod præter cetera ampla & immensa, quæ in Regem hactenus contulisset beneficia atque ornamenta, liberorum suorum liberos cerneret. Ducta, post hæc, atque accersita ab humano corpore similitudine, à capite atque à membris, hortatus est præsentes, vt instar membrorum capiti fideliter inseruirent, & capitis probitatem nauiter æmularentur. Postremo, quæ esset quasi prora, & puppis regij instituti & consilij, & ob quam potissimum causam comitia illa indixisset; ob eam videlicet, vt propterea quod *Gallus* se intimo fœdere cum *Hiſpanis* & *Scotis* colligasset, qui magnis copijs septi atque muniti, totos se ad ANGLIAE quasi internecionem parabant; cum illis maturè atque exquisitè deliberaret, quid optimum factu, & quibus potissimum rationibus hostium furorem reprimeret.

1361. Ex regiſtro Isep.

Cent. Polich. lib. 7. c. 50. 1376. Ex archiuis reg. 2 Cor. 11.

IN *Assauensi* diœceſi hi, præter alios, sedisse traduntur, DAVID *Applechinus* IOANNES *Trenaurius*, & post eum LEVLINVS. Quibus temporibus apparet *Istepium*, vacantia in diœcesi ex patronatu Episcopi sacerdotia, ex sedis suæ prærogatiua donasse; Rex tamen ad se id munus reuocare conabatur, vt pote ad quem intermedij possessionum Episcopalium fructus recidirent. Redibant autem ad *Cantuarienſem* Archiepiscopum ex hac diœcesi sede vacante, ex ecclesiç suç priuilegio & consuetudine per manus ducta, multa alia commoda, dimidiata videlicet pars omnium sacerdotiorum pastoribus orbatorum, tertia pars minutarum, vt appellant, vt lanę, agnorum, vitulorum, lactis, & ceterarum id genus decimarum; imo & quorumcunque animalium, quæ ij possiderent, qui in illa vacatione matrimonia inibant. Ita tamen, vt pro illa decima, si in boue, in vacca, in equo consisteret, sex denarij; si in vitulo, aut oue, vnus denarius præstaretur. Capiebat præterea ad festum diem omnium sanctorum, hac vacatione durante, omnium sacerdotiorum reliquorum decimam, ad eum valorem, quo singula sacerdotia, de more in decimis soluendis, æstimabantur. Præterea qui diœcesim *Cantuarienſis* authoritate lustrabant & visitabant, ex qualibet marca quatuor denarios decerpebant. Sed hæc pecunia ad itineris, & lustrationis illius sumptus attribuebatur. Quid? quod rectore quouis, supremum diem in hac vacatione obeunte, vestem decedentis cum equo illius instructo, *Cantuarienſis* ex eadem consuetudine capiebat. Atque hęc ego ob antiquitatis memoriam in hunc ita locum congesi quippe quę longe ante patrum nostrorum memoriam exoleuere.

Qui designatus ad 1117. vt in regiſt. Walte. Qui obijt 1156. ex regiſt. Istepij.

FVIT

FVIT hoc sæculo monachus quidam LAVRENTIVS, cœnobij quod *de bello* dicitur, qui apud summum Pontificem pœnitentiarij, vt appellamus, munere fungebatur, qui huius diœceseos postea Episcopus designatus est. Et eo anno obiit, quo in amplissimis regni comitiis rursus agitatum est, & seuere cautum contra eos, qui Episcopatus ex summi Pontificis cautione, aut prouisione adipiscerentur. LAVRENTII itaque successor, quem tamen author meus non nominat, à *Cantuariensi* postulat, vt secundum parliamenti decreta, mox ab ipso confirmetur. Lectus fuit sedente *Istepio* in præfectum cœnobij *Stratamarcellij Asſauensis* diœcesis, *Cistertiensis* disciplinæ, quidam *Ioannes Wadius*. Ceterum præfecti cœnobiorum *Stratafordani*, *Cumerij*, & *Vallis sanctæ crucis*, eum vi exturbarunt, monachósque ad nouum delectum compulere, & eos qui *Ioanni* dicto audientes erant, in carcerem coniecere. Dati sunt deinde per *Istepium*, ad hanc controuersiam cognoscendam, & sedandam arbitri, *Vnhalij*, & *Stratfordij* Abbates, qui etsi *Ioannem* in integrum sua sententia restituerint, eorumque sententiam capitulum, vt appellant, ordinis confirmarit: non desinebant tamen illi alij nouas *Ioanni* turbas excitare. Quos vt anathemate percellat, *Istepius* literas dat IOANNI *Asſauensi* Episcopo. *Bangorienſem* autem Episcopatum, ROBERTO *Cantuariensi* sedente, regebat DINANVS, MATTHAEVS deinde. Cui THOMAS *Ringestedius* INNOCENTII Pontificis prouisione successit. Ex vacantis ecclesiæ emolumentis, centum & tredecim libræ ad *Istepium* redundarunt. Fuit autem THOMAS ex *Dominici* instituto. Qui postquam insigniter in philosophia atque theologia domi profecisset, ad maiorem cognitionis accessionem, *Galliam* & *Italiam* peragrauit, munusque illud pœnitentiarij apud summum Pontificem gessit. Magna in colloquijs & concionibus gratia pollebat. Conciones frequenter apud Regem EDOVARDVM habuit. Ob quas illius dotes Regi charus fuit, qui & illum *Bangorienſi* hoc Episcopatu donauit. Centum ille libras in testamento legauit, vt ex ea summa quinque tenuioribus adolescentibus *Bangorienſis* diœceseos, quatuor ad singulos annos marcæ, ad studiorum sumptus suppeditarentur. Viginti præterea libras, quę *Cantabrigiæ* in cista reponerentur, vnde egeni scholastici, dato pignore, mutuam sumerent pecuniam.

Th. VValſ. 1390.

VValſ. ibidem.

Iſtep in reg. 1352.

Conſecratus 1309 vt ex regiſtr. Wals.

Obijt 1357. vt in regiſtro Iſtep. Ioan. Leland.

Ex regiſt. Iſtep.

IOANNES, post eius obitum, hanc ecclesiam regit. Qui post decennium *Herefordiam*, vt commemoratum fuit, traductus est. Missus is est, quemadmodum supra diximus, ad summum Pontificem cum alijs, quo ab eo impetraret, ne se in Episcoporum designationibus immiscerет, sed solutam & liberam electionem ad eos, quorum erant suffragia, reijceret, vtque à suis domi metropolitanis, more antiquo confirmarentur. *Landauenſi* vero ecclesiæ, præter alios præfuere IOANNES, sedente WALTERO *Cantuariensi*. Extant vero WALTERI ad *Landauenſem* Episcopum literæ, contra illos, qui in illa diœcesi pacem perturbabant, atque violabant. IOANNI defuncto, IOANNES *Vigesimus secundus* alium IOANNEM *Comerenſem* Episcopum sufficit, qui, aut alius aliquis IOANNES, ad annum Christi millesimum trecentesimum quinquagesimum sextum in eo munere perseuerauit. IOANNES is est (ni fallor) qui post quinquennium obiit, IOANNES inquam, *Paschalius Carmelita Gippesuicensis*, præclarus concionator, qui & conciones suas, quas patria lingua habuit, cum Regi, Proceribus, populóque plausibiles, gratásque videret, eas, ex *Anglicana* in *Latinam* linguam transfudit. Qui & alia quædam conscripsit. Cui defuncto, INNOCENTIVS ROGERIVM substituit. Administrarunt hanc post eum sedem IOANNES *Boleshamius*, & EDMVNDVS *Brumfeldius*: IOANNES ex *Dominici* instituto, & *Cantabrigiensis* doctor, multum à concionibus valuit. Quæ illum valde RICHARDO Regi commendarunt, vt primum ad *Landauenſem*, ad *Roſſenſem* deinde Episcopatum prouexerit. In cuius locum EDMVNDVS surrogatus est. De quo quandoquidem alibi abunde diximus, non est quod noua hic lectorem recensione oneremus. Quo defuncto *Dominicanus*, quidam qui Regi erat à sacra exomologesi (cuius nomen author meus non recenset) successisse videtur, auctus postea *Cestrensi* Episcopatu. Inter alios, doctrina hoc sæculo præstantes *Cambriæ* viros, qui scribendo celebriores erant, fuere *Ioannes Guentius*, & *Gulielmus Bretonius*, & *Sertorius* ex *Francisci* sodalitio. *Sertorius* maximis extra patriam dignitatibus est amplificatus, *Rauennensi* videlicet Archiepiscopatu, *Gradensi* deinde patriarchatu, purpureo postremum Cardinalium galero.

Adam. 1365. ibi.

Cent. Polich. li 7 ca. 49. an. 1373.

In regiſtro. ibidem 1325.

Ioan. Leland.

An 1361 Extra gistro Iſtep.

VValſing. 1389. vbi de Epiſcopis Nordouicenſibus Anno 1361.

VValſing 1398. Ioan. Leland.

HISTORIÆ

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ ANGLICANÆ DECIMVM QVINTVM SÆCVLVM.

DE ROMANIS PONTIFICIBVS, IMPERATORIBVS, & ANGLIÆ hoc ſæculo Regibus.

CAPVT PRIMVM.

Onuphrius.

POST BONIFACIVM *nonum*, ad *Romanæ* eccleſiæ clauum ſederunt INNOCENTIVS *ſeptimus*, GREGORIVS *duodecimus*, ALEXANDER *quintus*, IOANNES *vigeſimus ſecundus*, vel *vigeſimus tertius*; GREGORIO vero & BENEDICTO *decimotertio* ſchiſmaticis, Pontificatus abrogatus eſt. Quin & IOANNE ſe abdicare coacto, MARTINVS *quintus*, per Conſtantienſe concilium ſubiectus eſt. Hunc EVGENIVS *quartus*, & NICOLAVS *quintus*, ſequuti. Quo tempore FELIX *quintus*, qui vitio, pérque ſchiſma creatus erat, poſt nonum annum Pontificatum depoſuit. Sequuti ſunt NICOLAVM, CALIXTVS *tertius*, PIVS *ſecundus*, PAVLVS *ſecundus*, XYSTVS *quartus*, INNOCENTIVS *octauus*, atque ALEXANDER *ſextus*. Imperium autem interim gubernarunt *Robertus*, *Iodocus*, *Sigiſmundus*, *Albertus*, *Fridericus tertius*, & *Maximilianus*. *Sigiſmundus* æternis ſanè præconijs decorandus eſt, ob propenſum & ſingulare ſtudium, quod in eccleſiæ, quibus miſerè id temporis iactabatur, ſchiſmatibus; Regúmque ANGLIAE præſertim, & *Franciæ* diſſidijs pacificandis, inſigniter poſuit. Quos Reges vt in concordiam reduceret, & ſchiſma legitimo Pontifice ſubſtituto ſedaret, longiſsimis itineribus *Italiam*, *Galliam*, *Hiſpaniam* & ANGLIAM adiuit. Et pium ſuum fortaſſe deſiderium in Regum pacificatione perfeciſſet, ni importuna *Harfleti* per *Gallos*, dum pacis conſilia tractabantur, obſidio, HENRICI Regis animum ab omni pacis colloquio prorſus alienaſſet. *Sigiſmundus*, cum fruſtra ſe pro *Gallo* laborare videret, rebus ſaltem ſuis proſpicere voluit. Fœdus itaque arctiſſimum cum HENRICO inijt, vt communes omnes amicos & inimicos (*Romana* ſola eccleſia, vt *Walſingamius* ait excepta) & ipſi & ſucceſſores ſui haberent. Cooptatus vero eſt in auguſtum illum *Gartery* militum ordinem, cum *Holandiæ* duce. Quod ille deinde magni ornamenti loco habuit. Singulari HENRICVS *quintus*, hunc *Sigiſmundum*, cùm ob aliàs illius dotes, tum ob eximiam ipſius in tuenda, atque fouenda catholica fide propenſionem, obſeruantia coluit. Cui & in teſtamento ſuo, magni pretij enſem, quaſi præcipuo eccleſiæ vindici atque aſſertori, ad eandem defendendam legauit. ANGLIAE autem hoc ſæculo regnum adminiſtrarunt HENRICI tres, *quartus*, *quintus*, & *ſextus*, EDOVARDVS *quartus*, EDOVARDVS *quintus*, RICHARDVS *tertius*, HENRICVS *ſeptimus*, de quibus iam ſeorſim agemus.

Vide Conſtant. concilium Walſ. 1416

Titus Liuius apud quem eſt exemplar ictus fœderis in vita Henrici quinti. Teſtamenti verba hæc ſunt Item legamus excellentiſſimo Principi fratri noſtro præcariſſimo Sigiſmundo Rom. regi, qui nunc eſt, enſem ornatum de lapidibus preciosis ad valorem 500 marcarum Et quia recepimus enſem ab Ictari ad fidem & eccleſias defenſandas, eidem Romano regi, & in manus ſuas, enſem eccleſiæ & Chriſtianitatis, tanquam illi commendamus, quieſt, iudicio noſtro, & eccleſiæ, & fidei, fidiſſimus defenſator.

De Rege HENRICO quarto.

CAPVT II.

INFAME & luctuosum fuit antecedens, duorum, vt diximus nostrorum Regum à domesticis illata cæde. At hoc quod iam ingredimur sęculum, maiorem secum infamiæ, atque miseriæ, eadem ex causa cumulum trahit. Quarum ego lubens rerum atrocem recensionem supprimerem, nisi vera historiæ lex vel inuito exprimeret, vel frustra ego mihi in rebus, per omnes historias & ora passim iactatissimis, intempestiuum silentium indicerem. ANGLIA itaque intra vnius sæculi terminum, quatuor, proh dolor! suos principes violenta morte, etsi in postremo meritissima, sublatas vidit. Quamuis RICHARDVS non tam aliena cecidisse manu, quam voluntaria, vt diximus, inedia vim sibipsi intulisse à quibusdam dicatur, qua ego de re me arbitrum non interpono. Quo verò modo singula acciderint, deque reliqua historia iam dicere aggrediamur. RICHARDO in ordinem redacto, HENRICVS (etsi *Rogerius* Comes *Marchiæ* supereſſet, cui si exactam iuris rationem, proximamque sanguinis prærogatiuam sequamur, succesio debebatur) regni sibi administrationem vendicabat; perque summa amplissimorum totius regni comitiorum suffragia, imperium illi, liberisque eius post illum firmatum est: cautúmque vt RICHARDVS, propterea quòd regnum sua improuida, & vitiosa administratione pæne pessundidisset, perpetuo in carcere vitam, inidulgentius tamen & honoratius traduceret. Hac ramen tristi & luctuosa conditione addita, vt si ad eum eripiendum, seditio forte cieretur, capite ille eam expiaret. Et ille quidem ante annum vertentem, siue indignanti & obstinato animo per inediam, siue vi aduentitia viuere desijt. Sed vtro pericrit non satis certum. Post, & ob excitatam illam per *Ioannem Holandium Exonienſem* Ducem, & alios (de qua meminimus) seditionem perijsse constat. Corpus in cœnobio monachorum *Prædicatorum* apud *Langleium* in *Bukinganiæ* Comitatu, sepultum. At postea HENRICVS *quintus*, *Westmonasterium* illud deferri, maiorúmque sepulchro inferri curauit.

Pol. li. 22. Vt apparet ex statuto cuius verba habentur in chronico Edouardi Halli. Th Walſ 1400. vbi de hac seditione meminit, dicit Ioannem Hollandum Comitem Huntingtonia.

AGITATA sunt seditionis huius consilia in domo *Westmonasterienſis* Abbatis, per *Ioannem* & alios prius commemoratos, qui eo sub conuiuij specie confluxerant, ac in scripta congesta, reciprocis conspirantium chirographis & sigillis consignata & munita. Sed ante diem facinori destinatum eruperunt. Quare Rex præmonitus, facile illa discussit atque dissipauit, coniurationisque principes supplicio affecti; & inter eos *Ioannes Magdalenus*, quem cum oris & corporis liniamentis RICHRDO persimilis foret, RICHARDVM è carcere liberatum ementiebantur. Et alij quidem alibi, *Ioannes* verò *Holandius* apud *Plasbeium Thomæ Glocestrenſis* ducis villam, & in qua manus illi iniectę, neci datus est: Manibus, credo, illius pœnas ab eo ibi repetentibus, qui mortis Duci conflandæ, vnus ex primarijs fuisset authoribus.

Th Walſ 1418. Th Walſ. 1400 Edouar Hallani 1. Hen. 4.

SED nec RICHARDI mors, etsi manifestissimis atque certissimis argumentis palam testata, nec istorum supplicia, nouas seditiones, quæ aliæ ex alijs reuulsis pullulabant, nec noua de commentitio & redituo RICHARDO commenta, remorari aut comprimere potuerunt. Quæ tamen in authorum semper capita redundarunt, *Thomæ* videlicet *Wingornienſis* Comitis fratris, & *Henrici Percij* filij Comitis *Northumbriæ*, & aliorum, qui se illis adiunxerunt. RICHARDI deinde *Eboracenſis* Archiepiscopi, & *Thomæ Mombrai* ANGLIAE, vt appellant, Marescalli, *Henrici* postremo (post filij & fratris cædem) Comitis *Northumbriæ*, & aliorum illi adiunctorum. Hæc igitur HENRICVS, & multa alia singulari quodam Dei beneficio, pericula depulit. Et aliàs quidem teli ictu cuspidis in lecto reconditi; aliàs, lanceæ, quæ, tentorio immani aquarum pluuiarum tempestate in *Cambria* deiecto, in corpus eius ex tentorij ruina, sed innoxie inpacta est, quod armatus ea nocte cubuerat; aliàs, cum ex *Cantia* in *Esexiam* traijceret, à *Gallis* tantum non interceptus. Multa HENRICVS & ciuili reipublicæ, & ecclesiæ Dei commoda atque salutaria sanciuit, callidæque Hæreticorum malitiæ, quę ecclesiæ, fideique catholicę internecionem, veteratorijs fraudibus moliebatur, oportunis legibus (de quibus alias proxdius agemus) obuiam iuit. Inter alia, extat perutile decretum, ne qua ecclesia approprietur (sittrito vocabulo, quo magis intelligatur, vti liceat) nisi idonea quędam portione fructuum ad Vicarij, qua

Th Walſ. 1403 1404. Pol li 21 1401. Ed-uard Hawl. Th Walſ 1405 Tho. 1408. Ed. Hall an. 9. Hen. 4. Th Walſ 1401 Idem 1402. Edon. Hall.

Anno 4. ca. 3.

ille commodè alatur, & alia etiam, ad pauperum parochianorum vsus, quotannis eroganda prius detracta. Sed istud decretum non iam primum editum, sed ex *Richardianis* statutis reparatum. Cautum est etiam de custodia clericorum, qui legum ciuilium seueritatem & aculeos, ob crimina admissa, ordinis beneficio effugiunt, ad eam fermè rationem, quam alibi recensuimus. Prouisum etiam est in eisdem comitijs, ne vlla *fratrum mendicantium* secta puerum aliquem, ni decimum quartum ætatis annum esset ingressus, suæ societati, citra parentum, aut eorum in quorum tutela & cura est, consensum ascriberet.

In Simone Isepo Cant. an. 4. ca. 17.

IMPERAVERAT iam HENRICVS *tredecim annos*, cumque omnia tam domi quam foris, quieta & placida videret, vt laudatiori & præstantiori militiæ operam deinceps daret, suscipit profectionis sacræ, armáque à christianis, in christianæ fidei hostes auertendi cogitationes; indictisque regni comitijs, & voluntatem suam aperuit, & omnibus se rebus, tanto itineri necessarijs instruere diligenter occœpit. Sed superis aliter visum, præproperus enim obitus illi paulo post superueniens, & cogitationes illas, cum vita simul abrupit. Obijsse verò traditur in ædibus Abbatis *Westmonasterij*. & cubiculo, quod *Ierusalem* appellabant. Cuius ille cubiculi nomen, cum ægritudine pressus forte audisset, cœpit omnem morbi depellendi spem deponere, palam professus, se ibi vitam humanam depositurum, & se aliquando, quasi ex vaticinio audijsse, *Ierusalem* locum sibi fatalem fore; quod illum ad hoc iter, & ad *Ierosolymæ* recuperandæ spem accendisse videtur. Collegium Rex iste *windesorienſe* magnificis ædificijs, magnis possessionibus atque priuilegijs, & cum primis, delato illuc Diui GEORGII martyris, ordinis *Garterij*, & militiæ ANGLICANAE summi patroni capite, ornauit.

Pab. in chronic.

Ex chronic. Iohannis.

De Rege HENRICO quinto.

CAPVT III.

Vitam Henrici propter aliorum præ se Titus Liuius homo exstatus, sed instructus pulcherrimum ab Humfredo Gloceſtria Duce Latine, Engueranius Gallice, quos quidam ex nostratibus in patriam linguam transtulit. Conscripsit & Tho. Lintonij in Anglia prior vir sib. Quos nos potissimum sequimur, dicere adijcientes à quibus singula sumpsimus. Nolim eorum authorum præ me animo (quod sciam) impressus. Translator commemoratus de suo quodam addit, sed sumpta videtur a Comite Eymonio, qui res belle cognitas habebat.

HENRICVM patrem, HENRICVS filius, viginti sex annorum iuuenis excepit. Qui *Oxonij* in Collegio *Reginali* sub tutore *Henrico Bewfordio* patruo, academiæ Cancellario, literis operam dedit. De qua si prolixior illi vita supeditasset, insigniter mereri, collegiumque ibidem, vbi nunc castri ruinæ versantur, ponere cogitabat; Vbi septem liberales artes accurate docerentur. HENRICVS autem regnum adeptus, paucis annis, id est, quinquennio, tam amplas res confecit, tot præclaris terra marique victorijs, trophæisque nobilitatus est, vt nesciam an vllum ille vnquam ANGLORVM Regem in hoc laudis cursu pares, nedum superiorem habuerit. Atque vt ille inter præstantissimos belli gerendi duces, ita ad ipsum potissimum, celebris illa *Cambrorum* (si quid forte sit in huiusmodi obseruationibus solidi) prædictio, qua ferebatur, singularem quandam ANGLIAE monarcham apud eos nasciturum (nam & HENRICVS *Monemuthi* in *Cambria* natus est) referri poterit. Certe RICHARDVS *secundus*, eius nominis Rex, cum HENRICVS puer in regia eius aliquando versaretur, solitus est palam contestari apud Proceres, nasciturum aliquando ex illustri familia HENRICVM, qui ob rerum gerendarum magnitudinem, celeberrimus per orbem futurus esset. Et sperare quidem se HENRICVM illum puerum esse, qui in magna apud eum & reliquos principes, ob singularem indolem gratia, & summa expectatione erat, qui in eam celebritatem euaderet. Et sane viuo adhuc patre, fortis, generosi atque erecti animi varia documenta dedit, in illa præsertim *Sulopiensi* graui & acerrima pugna, in qua *Wigornienſis* Comes & *Henricus Percius Northumbriæ* Comitis filius, sunt, vt diximus, cæsi. Interfuit enim pugnæ HENRICVS cum patre, & faucibus sagitta traiectis tam acerbum vulnus accepit, vt in magno vitæ periculo versari crederetur. Quare qui proximè consistebant, vt eum propere prælio subducerent valde soliciti erant. Quibus ille nullo modo acquieuit. Et quanam, inquit, ceteri animorum alacritate, deinceps decertarint, si me Regis filium & cui proxima successio debetur, præ metu, ab acie prorupere viderint? In confertissimos me potius, vulnera hæc parum morantem, hostes inferte, vt mea præsentia, dimicatione, verbisque, ceterorum alacritatem excitem & acuam. Quo illatus, fortissimè dimicauit, & insignis mox victoria sequuta est.

ATQVE vt in ceteris, postquam Rex designatus est, cum hostibus prælijs, nullus maiore fortitudine, maioreque cum hostium clade dimicauit; ita certe cum primis in omnium fere post hominũ memoriã celeberrimo *Dagincurtenſi* prælio: vbi inter cetera sua decora & præclara strata-

ta stratagemata, insigne suæ fraternæ pietatis specimen dedit. Perculsus, prostratus, & euersus erat in eo prælio HVMFREDVS Dux *Gloecestriæ* Regis frater, & quasi semimortuus inter cadauera iacebat. Cuius casum Rex miseratus, accurrit & suo fratrem corpore oppositio obtegens, hostium impetum strenuissimè, nec sine ingenti periculo eo vsque sustinet, donec HVMFREDVS ab acie subductus esset. Cum itaque totius *Galliæ* nobilitatis flos in acie illa *Dagincurtensi* partim cecidisset, partim in manus eius venisset, & reliquus numerosissimus, & omnibus rebus instructissimus hostium exercitus, ab illius extenuatissimis copiolis, vt ita dicam, itineris lassitudine, morbis, fame, omniumque rerum inopia pessimè acceptis, dissipatus fuisset; non ita multo post, tota *Normannia* in illius imperium concessit. Tantus *Gallis* terror iniectus est, adeoque eorum animi meliorum rerum desperatione fracti sunt, vt non modo *Catharina Caroli* filia HENRICO desponsa sit, sed & *Caroli*, Procerumque, aliorumque ordinum consensu cautum, vt HENRICVS, quamdiu *Carolus* viueret, *Galliæ* regni procurationem, & post obitum *Caroli*, regium omne ius atque authoritatem susciperet, ad liberos etiam postea ipsius transferenda. Hæc & alia id genus fortunæ, corporisque dona (quod tanta agilitate præditum habuit, vt saltu ceteros omnes sui temporis superaret, damosque cursus sui, & duorum sociorum pernicitate non modo fatigaret, sed & absque telo aut canibus caperet) vt sunt magnifica & perampla, & quæ ceteri mortales summis laudibus efferunt, atque mirificè suspiciunt, neque id ego inficior; ita sane mihi exquisitius rationem mecum subducenti, videntur alia quædam HENRICI nostri illustriora his ornamenta, & ampliori laude euehenda.

Titus Liuius & Enguerrant.

Exercitus Anglorum constitit ex 2000. equitum 1300 sagittariorum & quibusdam aliis. Walsinganius dicit Gallum habuisse exercitum centum quadraginta millium. Tit. Liuius.

ET in rebus quidem bellicis gloriæ, laudisque partem milites, casus, fortuna, & intestina *Gallorum* dissidia, & alia quædam decerpunt & imminuunt. Alia, alia est itaque HENRICI gloria, cuius nulla ad alios pars effluit, quamque sibi solus propriè vindicat. Alius, alius, inquam, triumphus, vt non tam id mihi mirum sit, quod hostes tam claris victorijs fregerit quam quòd seipsum priùs glorioſius vicerit, præclariorémque quendam de seipso triumphum tulerit. Etsi enim præclara illius indoles, magnam sui omnibus expectationem fecerat, & ab insignioribus flagitijs sibi satis temperarit; in illo tamen adolescentiæ suæ feruore, summaque liberius & solutius viuendi licentia, in nonnullas vita illius nonnunquam, vt fit, offensiones, culpásque incurrebat. Quas tamen ipsas, postquam regnum semel capessebat, summa diligentia, vigilantia, & cautione declinare moliebatur; & eo tempore, quo alij laxare solent, maiora ille omni veteris vitæ licentiæ fræna iniecit. Et quoniam non ignorabat, cùm quantum in vtranquam vitæ partem, vel ad virtutem vel ad vitium, eorum quibuscum viuimus, consuetudo, momentum habeat; tum ceterorum fere omnium vitam moresque, à principis exemplo atque æmulatione pendere: post exquisitam veterum admissorum apud sanctum quendam monachum exomologesin, cœpit animum vigilanter intendere, ad omnia probi & laudati principis munia, acrem & accuratum cum primis eorum delectum habens, qui iudicijs publicis præessent, aut alia publica munera obirent. Quos aut sordidæ auaritiæ, aut partium prępostero, & præiudicato studio deprauatos intelligebat, à publicis functionibus remouebat; alios integros, atque vndequaque sinceros, in eorum locum sublegens: Illos vero, quos prioris suę vitę, & lubricæ adolescentiæ prolapsionum socios, atque administros habebat, ad accuratam vitæ emendationem serio adhortatus est. Quam in quibus conspiceret, eos in veteri, & maiori etiam gratia apud se ponebat. Ceteros quos ad sana consilia duriores, & difficiliores inuenit, procul à regia, amplis tamen donarijs honestatos, ablegabat; grauiter interminatus capitale illis futurum, si aliquando ad se accederent.

Tit. Liuius.

VT vero Deum magis sibi propitium reddetet, multa præclara aggressus est, & inter alia insignes illas domus *Carthusianæ*, & alterius *Brigittanæ* sacrarum virginum, prope *Londinum* exædificationes. Prope quem etiam locum apud *Scheue*, *Richemondiam* iam appellamus, magnificas & amplissimas regias ædes construxit: Has ad reipublicæ ornamentum, illas vero ad Dei honorem. RICHARDI Regis corpus *Westmonasterium* deportari, & prope ANNAE vxoris suæ recondi, singulisque septimanis iusta & sacrificia ad animæ illius salutem fieri, eleemosynásque erogari curauit. Adque sepulchrum eius, quatuor funales cereos perpetuò ardere voluit. Valde his temporibus à pristina seueritate, & sinceritate vitæ monasticæ recessum erat, ab eius vitæ in ANGLIA cultoribus. Ad quam iacturam resarciendam, diligentem HENRICVS eo anno, qui obitum eius antecessit, vt postea dicemus, operam adhibuit. Primam autem victoriam Deo, & catholicæ fidei auspicatissimè

Th. Walsi. 1421

consecrauit & dedicauit in eo prelio, quod in ipsis regni auspicijs contra hæreticos, qui aduersus Dei, fidei Christianæ, Regis & regni maiestatem nefarie coierant, gessit. Qua de re, alibi latius agemus. Quæ illi fælix bonorum omnium, aduersus ceteros quoscunque domi forisue hostes, successuum, ingressio. Quorum, licet oppido quam admirabilium, minor me tamen admiratio capit, cum subit animum, illum non tam aduersus hostes, quàm aduersus se, suaque vitia egregiè decertasse, vt dicere occœperam; cum subit animum quanta ille animi moderatione, quanta pietate, quanta in Deum solum fiducia & bellum gesserit, & quanta, post tam claras victorias, animi demissione vsus sit, quámque officiosè Deo gratias egerit, & illi omnia, nec sibi quicquam accepta retulerit.

*Engerrantius. * alias instructis.*

ANTEQVAM ex ANGLIA solueret apud *Anronæ* Portum, dum exercitum recognoscereret. *Landinus* quidam cum viginti militibus belle *instructis, cum ceteris transmissuris cum Rege, præsto fuit. Is aliquando *Carthusianorum* se societati addixerat, & durioris illius vitæ pertęsus, & nescio quid causatus, ita apud summum Pontificem egit, vt per eum à religionis illius vinculo sit exolutus. Sed HENRICVS multum *Landino* religiosior repertus fuit, cui magna religio fuit, exercitum suum, résque suas gestas tali consortio quasi contaminare; facessere itaque eum iubet. Qui indignationis, & iræ ex ea re aculeis valde exagitatus, profugit, vt prius à claustro leuissimus perfuga, ad *Gallorum* castra, vbi in prælio apud *Dagincurtium* à nostris cæsus est. Cum primum HENRICVS in *Normanniam* appulisset, terrámque è naui egressus attigisset, in genua se mox supplex demisit, Dei auxilium implorando; nec in exercitus sui robore, sed in diuino solo præsidio spem suam figebat. Edixit vero ne quisquam in pueros, in mulieres, neue in sacris initiatos, nisi forte armatos, sæuiret: neue quisquam templa, aut quicquam in templi vsus consecratum violaret: militemque postea quendam edicto parum audientem, qui pyxidem quandam argenteam è templo intercepérat; summo ad terrorem aliorum supplicio mulctauit, pyxidémque restituit, Cum *Harfleum* deinde oppidum expugnasset, adeo ille maiores inde spiritus non sumpsit, aut vana ostentatione se non extulit, vt nudatis pedibus & tibiis, oppidum sit ingressus. Quo quidem tempore humani sanguinis, qui misere exhauriebatur, & multo magis, ni pax aliqua coagmentaretur, exhauriendus videbatur, misertus: nuncium ad *Francia* Delphinum misit, qui ad singulare illum certamen, quo multitudini parceretur, prouocaret, ita vt ab illa victoria tota causa staret. Nunciauitque octo se dies ad *Harfleum*, in Delphini expectatione mansurum, & hoc amplius, quod si ad se victoria inclinaret, possessionē tamen regni, cui pater incubuerat, quamdiu ille viueret, non turbaturum. Sed huic Delphinus conditioni parere noluit, nec ausus est certamen cum illo inire: etsi ad primum *Henricianæ* in *Galliam* expeditionis nuncium, dolium palmariarum pilarum plenum, quasi insultabundus miserit; dictitans magis conuenire, vt his se exerceret, quam *Gallici* tam spacioli & florentis regni expugnationem, vano & irrito ausu aggrederetur.*

Titus Liuius.

Quidam Aristoteum aly Aristotelem appellant.

Prior Centonia in vita Henrici.

Idem & add. ad Polydor.

IAM in memorabilissima illa *Dagincurtensi* pugna, cum *Galli*, quasi in manibus esset victoria, insolenter se efferrent, ANGLOSque omnes propter illorum paucitatem, ad internecionem vsque deleturos se confiderent; ANGLI totam eam noctem, quæ pugnam illam antecessit, in peruigilijs, in orationibus & sacra peccatorum exomologesi traduxere. Cum primis vero memoria dignum est, HENRICI Regis ad vnum ex proceribus responsum. Cum enim ille maiorem, & apparatiorem militum ex ANGLIA manum, præsto adesse ad Regis subsidium optasset: Ne vnius quidem, respondit Rex, militis accessione exercitum meum auctiorem cuperem. Non ignoro quam tenui, atque exili præ hostibus numero simus. Ceterum si Deus pro summa sua benignitate, & causæ nostræ iustitia, victoriam (quod speramus) ad nos transtulerit; non est quod viribus illam nostris ascribamus, sed totam diuinæ in nos benignitati acceptam referamus, estque cur illi gratias, quantas mens nostra capere potest maximas, officiosè agamus: Quod si ob peccata forte nostra, hostili (quod omen Deus auertat) gladio obruemur, quo magis exiles, & extenuatæ sint nostræ copiæ, eo inustum dedecus, damnumque omne acceptum, tolerabilius ANGLIAE futurum est. Sin iusto & copioso exercitu victoriam contra hostes nobis pararemus, ea res ad insolentiam animos nostros efferret, & nostris forsan illam viribus, magis quàm Dei præsidio tribueremus. Qua ex re in grauem Dei indignationem prolaberemur. HENRICVM igitur, qui in eo solo totam suam spem figebat, Dei illustre auxilium non destituit, decantatissima illa apud omnes victoria mox nobilitatum.

Thom. Walf.

Tit. Liuius.

NEC fuit ille in periculo officij memor & gratus, illóque defunctus, immemor & ingra-

tus.

tus. Hac enim luculenta, insignique victoria auctus, mox accitis sacerdotibus, psalmum illum *In exitu Israel de Ægypto &c.* cani, & cum ille versiculus caneretur, *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam*: toti exercitui præcepit, vt in genua se supplex demitteret. Et quoniam victoria hæc in diem martyribus *Crispino* & *Crispiniano* sacrum inciderat, eorum memoriam, in singulis, quibus postea interfuit missis, quotidie quamdiu viuebat, aspergi curabat. Simili erga Deum postea gratitudine vsus est, propter insignem quandam nauale victoriam, quam *Ioannes* Dux *Bedfordiæ* contra *Gallos* reportarat. Quæ, quoniam cum vigilia assumptæ beatæ MARIAE virginis concurrebat, antiphonam quandam festo illi accommodatam, per totam postea vitam, in sacello regio quotidie cani præcepit. *Hallus in histo: ria Anglica scripto. Tit. Liuius.*

Quanta iam, & quam rara fuit illa HENRICI erga Deum & sacra pietas, qui in obsidione & expugnatione *Cadomi*, oblato loco, vbi commodius quam vsquam alibi, murum milites perrumpere potuere; abstinere tamen iussit, quia murus ruere non poterat, vt non eodem motu & casu, ecclesiæ cuiusdam adiacentis stragem & ruinam ederet? Quid? quod cum vicinæ vndique ecclesiæ & monasteria, res sacras maioris pretij in *Rothomagensium* ecclesijs, turribusque reposuissent, manus ab hac omni præda abstinere milites, in vrbis postea direptione iusserit, suisque singula ecclesijs illibata, atque integra restituenda præceperit. In his, & in magno multarum aliarum virtutum concursu, valde in eo accurata quędam iustitiæ, ad totius reipublicæ singulare commodum, & pudicitiæ, quam tam exquisite tenuit, vt à patris obitu ante matrimonium initum, ab omni se feminæ, & post matrimonium etiam præterquam vxoris, se consuetudine abstinuit, obseruatio enituit. *Tit. Liuius. Translator.*

ET multos quidem ob res præclarè gestas, & ob virtutem celebres principes reperire licebit, at qui populi applausum, gloriam, & laudem inde, quasi mercedem debitam non expetierint, paucos. Inter quos certe HENRICVS noster merito recensendus est. Qui cum à *Dagincurtensi* prælio in ANGLIAM reuertisset, effusa est vndique in occursum eius apud *Douerium* maxima hominum multitudo, è quibus magnus numerus in ipsum se æquor pedibus immisit, paratus præ amoris magnitudine, humeris Regem in continentem efferre. Cum vero *Londini* magnificentissimo, & amplissimo apparatu exciperetur; puerique instar angelorum ornati, concinnatas in eius laudem cantiones concinerent; non passus est pius princeps eas sibi laudes, sed Deo soli ascribi. Neque ille quidem in illa pompa (cuiusmodi sane ab ijs, qui laudis & gloriæ sunt appetentiores solet fieri) aut cassidem illam suam, qua in *Dagincurtensi* prælio vtebatur, in cuius fastigio diadema erat auro & gemmis fulgens, quod hostiũ telis compressum & collisũ erat, aut alia ipsius arma, in quibus vestigia crebra manebant acerrimorum, & immanium ictuum ab hostibus alte impressorũ, vana ostentatione suis ostendebat. Immo & eorum tam immodicos applausus, & scripturientes postea, eosque qui in circulis & conuiuijs solebant laudes eius decantare, repressit, ne aut illi scriberent, aut hi quicquam huiusmodi occinerent. Adeo omnis humanæ laudis & gloriæ, inanis titillatio & pruritus, qui solet laudatissimis alioqui hominibus insidianter obrepere, apud eum prorsus iacuit. A quo non magis ille affici potuit, quam *Xenophontius* ille *Hercules* ab ipsa voluptate. Minus itaque mirum, si tantam animi modestiam & moderationem, tanta de hostibus trophæa exceperint. Sed vt omnia mortalia sunt caduca & fugacissima, post nuptias illas cum CATHARINA, resque *Franciæ*, ita vt diximus constitutas, biennium non superuixit: eumque in ipsos ætatis flore, cuius trigesimum sextum annum non excesserat, mors oppressit. Annorum vero paucitatem, virtutum & rerum gestarum magnitudo, nominisque sui apud omnem posteritatem immortalitate pensauit. Et si non satis diu patriæ, suæ tamen gloriæ, quam ad summam prouexit, quamque nec vlla vitæ dedecora, nec vllæ res aduersæ interpellarunt, satis vixisse videri potest. Et quod cetera omnia superat, reliquæ vitæ pius, & christianus exitus respondit, quem ille sacra admissorum exomologesi, omnibusque ecclesiæ sacramentis, ad Deum proficiscenti opportunis, sanctè munierat. Quo tempore, accitis sacerdotibus, cum eis orauit, & mente, memoria, omnibúsque sensibus, valens & integer, septem quos appellamus pœnitentiæ Psalmos, cum litanijs recitauit. Cumque ad eum psalmorum locum peruentum esset, qui illa verba complectitur: *Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Ierusalem*: indixit silentium, & deinde palam subiecit. Tu nosti, o Domine, me iam olim firmo apud me proposito decreuisse, stabili & solida in *Gallia* pace semel stabilita, si vita postea protractior, ex tua voluntate suppeteret, sacram illam tuam *Hierosolymitanam* ciuitatem, cum exercitu adire, vt illam ciuitatem & prouinciam, fidei tuæ capitalibus hostibus ademptam, sinceris tui nominis cultoribus, ad fidei & *Tit. Liuius. Hanc pompam describit Thom. Elinhamus commemoratus. Tho Elinhamus prior Lentoniæ in vita Henrici. Tit. Liuius.*

nominis tui amplificationem tradereth. Post quæ verba incœptas preces vrgebat, moxque obijt, cum non totum decennium in imperio explesset.

VIDETVR illi insidiosus, & sceleratus dæmon, veteratorijs illis suis artibus molestias facessere, & solidam illius in Christum fiducia labefactare, atque frangere conatus. Auditeque sunt, quasi in præsenti luctæ, pij huius athletæ huiusmodi voces. Mentiris, mentiris, portio mea est cum domino IESV Christo. In ipsis vero vitæ extremis angustijs, cum magnis suspirijs, Christi in cruce suffixi imaginem complexus est; cúmque versiculum illum, *in manus tuas Domine* &c. ita vt vox eius exaudiretur, pronunciasset, transmisit animam ad eum, cui illam totam credidérat. Ita cum pio reliquo vitæ proposito, & mortis ratio consensit. Obijt vero apud *Vicennarum* saltum prope *Lutetiam* in *Gallia*, vbi iusta ei tum *Lutetiæ Parisiorum*, tum alibi ampliſſime facta; vt & delato illinc postea corpore, in ANGLIA, *Westmonasterij* præsertim, vbi & sepulchrum illatum est. Diximus iam antea quam strenue *wicleuianorum* seditionem armis represserat. Cum autem tertio regni sui postea anno, suprema sua ordinaret, solicite Deum precabatur, vt regnum ab hæresibus assereret atque vindicaret. Inter cetera autem quę in parliamento sanciuit, adiecta est cautio contra exteros, præsertim *Gallos*, qui cœnobijs præessent, aut sacerdotijs in *Anglia* fruerentur: per quos & pecunia ingens ex ANGLIA, & consilia etiam Regis ad hostes efferebantur. Quod impunius & minus suspiciosè fiebat, cum se *Anglicanæ* nationi inserüissent, & quasi vt ita dicam incorporassent, velut in ciuium numerum relati, fidéque Regi obstricta. Cautum igitur, ne qui id genus admitterentur ad ecclesiæ præfecturas, nisi idonee satisdarent se Regis, & regni consilia arcana non prodituros, aut foras euulgaturos, contra quos & RICHARDI *secundi* prius extitit edictum.

Conditum est testamentum hoc 1418. in quo hæc inter alia verba continentur. Ita legamus summi Saluatoris clementiæ summæ, fidem, spem & charitatem, virtutem, prosperitatem & pacem successorum nostrorum regum, & regni nostri Angliæ, vt Deus pro sua pietate eam à diuisionibus & dissensionibus, & ab omni inspectione hæreticorum fallacia protegat, erigat & defendat. Amen.

De Rege HENRICO sexto.

CAPVT IIII.

ETATIS concessit HENRICVS, nullis liberis nisi HENRICO nondum annali, relictis. Quo mortuo, hebetatæ sunt, paulóque post prorsus interiere omnes ANGLORVM vires, & recens gloria; & quæ pater in *Gallia* aut re, aut spe possedit vniuersa, & suum etiam postea regnum intestinis dissidijs, importunáque suorum ambitione, cum ipsa vita filius perdidit. Tantæ sunt rerum humanarum vicissitudines: quas HENRICVS pater, nescio vnde, & præsensisse & prædixisse traditur. Quo enim tempore *Galliæ* illum Delphinum *Carolum* bello grauiter impetebat, de HENRICO nato nuncius allatus est, ob quod mira ille lætitia exilijt. Quæ mox tamen deferbuit. Nam cum natum *Windesorij* audiisset, conuersus ad virum illustrem *Hugonem*, qui illi erat à cubiculo, Hic, inquit, HENRICVS *Windesorienſis*, illa omnia infeliciter amittet, quæcumque ego HENRICVS *Monumethensis* feliciter acquisiui. Sed ista Deus pro sua, inquit, voluntate moderetur HENRICVS obiturus, *Gallici*, *Ioanni Bedefordensi*; ANGLICI vero regni tutelam, *Humfredo*; HENRICI vero infantis tutelam atque educationem, *Thomæ Exoniæ* Duci, & HENRICO *Wintonienſi* Episcopo, credidit atque commisit. Tertio decimo post HENRICI obitum die, *Carolus Gallorum* Rex, rebus humanis ereptus est. Cuius mors *Carolum* Delphinum ad magnam meliorum successuum spem erexit. Quæ nec eum fefellit. Desciscente enim primum *Ioanne Britanniæ*, deinde *Philippo Burgundiæ* Duce, ab ANGLORVM amicitia atque fœdere ad *Carolum septimum Rhemis* inunctum, ciuitates partim vi expugnatæ, partim vltrò passim cum *Lutetia* (vbi ante quadriennium, puer HENRICVS ex *Anglia* traductus, in primario templo *Francorum* diademate insignitus erat) deficiunt. Sed certissimam & grauissimam omnium cladem nostrorum domi, pernicioſa desidia, & importuna *Humfredi* ANGLIAE rectoris cędes inflixerunt,

Ed Hallus 9. Henr. 5.

Polid Paul. Æmilius.

PERMANSIT adhuc in fide & officio vetus, & hereditaria ANGLIAE possessio, *Aquitania* & *Normannia*, illa ab *HENRICO secundo*, ista à GVLIELMO *primo Normanno* ANGLIAE regno adiecta. Sed & ista, & reliqua omnia, funestæ nostrorum discordiæ, mira & repentina quadam rerum conuersione ita eripuerunt; vt præcipiti, & spontaneo quodam, facilique cursu, exiguo illa quidem tempore ab ANGLORVM imperio defluxerint. *Humfredo* atrocia quædam crimina, per æmulos obiecta sunt, in summis regni apud *Buriam* comitijs.

mitijs. Quæ ille à se idonea defensione, ac purgatione depulisse traditur. At ille, siue quia, etsi sontem, palam tamen ob populi, apud quem gratiosus erat, metum, contrariæ factionis homines necare non sunt ausi; siue quia, iam quo iure, qua iniuria, ad victimam destinatus ab eis erat, noctu clam interceptus est. Cum tamen magna cum integritate & laude, per viginti quinque annos, procurationem regni obijsset; vir præter belli & reipublicæ gerendæ, etiam oratorijs artibus, bonisque omnibus literis clarus. De qua re & alijs, quæ ad eum spectant, nos postea aliquid attingemus. Post cuius cædem cum intentior cura esset, domestica dissidia prouehendi, quam recens partam in *Gallia* Spartam (quod dicitur) ornandi, laudémque tuendi; intra quinquennium *Normannia* tota, & *Aquitania* excidimus. Ante quinquennium quam vita *Humfredi* ab æmulis appetita est, *Aleonora Cobbama* eius vxor, magicæ & incantationum insimulata est, quibus regiæ vitæ insidias struere dicebatur. Cuius sceleris administer, & socius erat quidam *Rogerius Bolinbrochius*, & *Margareta Iordemana*, quam *Atensem* magam historici appellant. Ille perduellionis suspendio, ista incendio pœnas pependit. *Aleonora* publicam *Londini*, cereum de more funalem manibus portando, pœnitentiam egit: Deinde *Monam* insulam perpetui exilij causa incolere iussa. Sed nec affinem eius criminis *Humfredum*, nec de eo insimulatum reperio.

MAXIMA autem postea inuidiæ & odij fax aduersus eum incensa est, per MARGARETAM Reginā HENRICI vxorem, *Renati Andegauensium* Ducis filiam, & *Gulielmum Polum*, *Sudouolgiorum Marchionem*, illarum nuptiarum præcipuum concinnatorem, *Humfredo* resistente. Quod diceret eas & infra Regis dignitatem, & cum luculento regni detrimento, quod Rex & sine dote eam acciperet, & possessionibus etiam quibusdam in *Gallia* *Renato* cederet, nec cum modica regij nominis macula coniunctas, propter nuptialia prius pacta cum *Armeniaci* Ducis filia constituta. Propter quam fidem violatam, sunt qui existimant Deum partim cladem illam, qua HENRICVS misere postea implicabatur, immisisse. Quin & in *Humfredum* ob non dissimilem causam. Quippe qui possessionum suarum amplificandarum causa, præter fas & ius *Iacobinam* Ducis *Hollandiæ* filiam, *Brabantino* Duci desponsam, in vxorem sibi asciuit. Sed & possessionibus quibus, inhiabat, & quarum cupiditas animum eius deprauauit, ob quas armis *Brabantinos* inuasit, & vxore ipsa, quæ rescissis secundis nuptijs, *Brabantino* per MARTINVM *quintum* adiudicata est, excidit. *Aleonoram* deinde ille sibi asciuit. Cæsus est autem illustris ille princeps ad annum millesimum quadringentesimum quadragesimum quartum. Quo anno, missa est Regi à *Romano* Pontifice EVGENIO aurea, vt appellant rosa, & solemni cæremonia illi tradita. De qua rosa pauca hic lubet aspergere. Inter alias itaque & magnas ecclesiæ *Romanæ* cæremonias, est & illa, qua quarta dominica quadragesimæ, qua sacra missa ab illis scripturæ verbis inchoatur, *Lætare Ierusalem*, rosam illam solet *Romanus* Pontifex, solemnibus precibus quotannis consecrare, eámque cum eundo, tum redeundo à sacris, manu portare; atque eam postea vel ad illustrem aliquem principem absentem, vel in curia ipsius præsentem transmittere. Atque is princeps, quem præsentem adesse contingit, celebri atque splendido Cardinalium, atque aliorum illustrium virorum comitatu stipatus, populo vndique confluente, magnásque ingentis lætitiæ testificationes dante, per *Romanam* vrbem rosam illam circumfert.

Idem.

Addi. ad Polich. li. 25.

HANC, commemorato anno, *Ludouicus Cardonius*, mandante EVGENIO, in ANGLIAM ad HENRICVM Regem cum ipsius literis defert. In quibus occultiora quædam, illius dominicæ mysteria aperit, quod nimirum septima sit à septuagesima, & lætitiam populi *Israelitici* post septuaginta annos à iugo seruitutis asserti, tum, & potissimum quod Christiani populi à diaboli seruitute, per Christum assertionem, (cuius illa altera fuit typus tantum atque vmbra) septima iam mundi ætate amplissime partam significet. Atque, ideo dominicæ illius sacra mysteria, à verbis, quæ gaudij & letitiæ nostræ magnitudinem testentur, exordium ducere. Complecti autem rosam in se, quod & visu, & spiranti odoratu, atque afflatu sit iucundissima, mysticas multas, ex quibus aliquot attingit, rationes. Nec alio die solitos *Romanorum* Reges, ex antiquis Pontificum scitis, nec nisi post rosam illo illis die datam, imperij solemnia atque diadema capere. Immensas HENRICVS EVGENIO, ob sacrum illud munus, per literas gratias agit, ostenditque illud, cum ob Pontificis beneuolentiam, à quo erat profectum, & quo præ alijs principibus, ab eodem erat honestatus, & propter mysteria, quæ per eam significabantur, valde sibi plausibile atque gratum fuisse. Idque se abundantissime, non verbis modo, sed & rebus ostensurum, si liceret aliquando à grauibus illis, quibus tum implicabatur, bellis explicari. Et quoniam de gaudio, quo ecclesia

clesia illo die affluit, diximus, adiungemus & illud, solere varijs in ANGLIA locis, & ob commemoratam ni fallor causam, qui sanguine atque necessitudine coniuncti sunt, præsertim in ea regione, quæ aquilonem spectat, eo die ex distantibus locis confluere, magnáque gaudij testatione, & splendidiore solito conuiuiorum apparatu transigere.

SED vt cœptam de rebus domesticis historiam pertexamus, MARGARETA cum masculum magis quam femineum animum gereret, videretque virum rebus gerendis parum idoneum, & ægre ferret rerum summam procurationem apud *Gloceſtrium* residere, inflammante præterim eam ad eam, sibi arripiendam, *Sudouolgiorum* Marchione, & ijs qui factioni illius adhærescebant; per *Humfredi* cædem, viam ad rerum omnium administrationem, sibi & factioni suæ muniuit. *Normannia* interim & *Aquitania* ANGLIS interceptæ, exortæque nouæ *Richardi Eboracensium* Ducis & aliorum factiones, non prius quieuere, quam Marchionem & alios, qui ab ipso stabant, & ipsum denique Regem cum filio herede è medio, varijs & funestis prælijs sustulissent: & miseram Reginam in *Galliam* propulissent. Bis enim HENRICVM prælio tusum captúmque, in suam potestatem *Richardus, Warwicensis* potissimum Comitis gratia, opibus, & viribus fultus redegit. Dimisit tamen innoxium. Sed post secundum prælium, regnum sibi *Richardus*, exauthorato HENRICO, arrogare conatus est. Sed cum multi ex Proceribus se opponerent, ne HENRICVS deijceretur, quoad viueret, res hæc multis, & longis consultationibus extracta est, quæ huc tandem recidere, vt per totius regni comitia regnum, post obitum HENRICI, illi & liberis illius addiceretur, ipse interim regnum, quod non satis accommodatus ad tantum munus HENRICVS censeretur, procuraret. In quibus consultationibus dum versarentur, ecce tibi in ea domo, in qua hæc consilia capiebantur, diadema regium ex domus fastigio, vbi ad eam ornandam inter cælaturam locatum erat (aut vt *Polidorus* tradit) ex ipso regio capite decidit, non sine tristi, vt credebatur, aduersus HENRICVM, rebus iam eius pessum euntibus, omine. At cum mox nouum in Reginam (quam sciret decreto huiusmodi non parituram) exercitu prælium reparasset, in eo prælio cæsus est.

CETERVM paulo post, nouis copijs per *Edouardum Richardi* filiũ & *Warwicensem*, conscriptis; Rex rursus impetitur, & adeo vrgetur, suo vt exercitu cæso & dissipato, in *Scotiam*, & MARGARETA cum EDOVARDO, in *Galliam* ad *Renatum* patrem recipere se cogeretur. Quæ victoria in annum nostræ expiationis per Christum, millesimũ quadringentesimũ sexagesimum primum incidebat EDOVARDVS vero regnum sibi, populi, Procerumque suffragijs concurrentibus, vindicat, & regio deinde diademate de more redimitur. Quo tamen, prælio victus ab HENRICO & MARGARETA, post decem annos exuitur, coactusque est *Edouardus* se in *Flandriam* ad *Burgundionem* sororis virum proripere. Et hic mirum est videre, quantæ, quam faciles, & admirabiles sint animi humani alienationes, & conuersiones. *Richardi* enim *Warwicensis* Comitis potissimum opera atque armis, deturbatus & profligatus est *Edouardus*, quibus fepti & pater & ipse, ad eam magnitudinem creuere. Sed cum ille à *Burgundione* noua contraxisset auxilia, postque sextum mensem, ANGLIAM ingressus, nouum tentasset prælium, & *Warwicensis* (vir tanto hactenus successu, vt vnde ille iteterat, victoria se transferret) cum alijs cæsus, & exercitus post ingentem cladem dissipatus, & HENRICVS captus est. MARGARITA præterea cum EDOVARDO filio, in EDOVARDI potestatem, cum nouum prælium reparasset, venit. Qui, paulo post, cæsus est. Quin & pater HENRICVS, qui in turrim coniectus erat, violenta paulo post morte sublatus est. Hic forsan aliquis philosophari, & causas inquisitius inuestigare occiperet, cur tot miserijs & ærumnis, HENRICVM virum alioqui pium & innocentem, obrui Deus sit passus? Et alius forsan partim ad rescissi coniugalis pacti fidem, & indignam *Gloceſtrenſis* Ducis cædem, alius ad alias causas, & potissimum ad immeritam, vt quibusdam visum est, RICHARDI Regis exauthorationem, adque fidei, vitæ illi conseruandæ, sacrosancte datæ, per auum violationem referret. Quæ disquirentibus, illa rursus hæsitatio occurreret, cur alienis iste peccatis oneraretur; imo cur ille, cum præsertim non mediocris pietatis laude decoretur tam ærumnosus, cum pater, qui in eadem, (quod dicitur) naui, naufragabat, quasi albæ gallinæ, vt aiunt, filius, non modo ab omni humana huiusmodi infelicitate solutus, & liber fuerit; sed rebus omnibus ad voluntatem, admirabili successu fluentibus, totius regni *Gallici* accessione, se & ANGLIAE regnum nobilitarit?

Fab. & Pol.d

SED

SED ego non valde deſidero, ad abditas & reconditas diuinæ prouidentiæ rationes excutiendas curioſius penetrare. Id vero * conſtanter affirmo, temporarias has pœnas (licet non æternas, quæ in peccantes ſolos cadunt, neque perſonam egrediuntur) ob parentum admiſſa, etiam in liberos & nepotes diuinitùs propagari. Quo hæc HENRICI forſan infortunia referenda. Nam ſi quid alterius in eo grauioris quidē culpę hærebat, in eo quidem ille, non tam animi ſui, quam alienum ductum (qui ob morum candorem & miram ſimplicitatem, huiuſmodi captionibus facile expoſitus erat) ſequutus videtur. Et ego quidem multum ab illorum ſententia abhorreo, qui in externis iſtis, vaniſque mundi ornamentis & honoribus, animum cogitationéſque defigentes, HENRICVM hunc quaſi miſerum, & abiectum quendam hominem, præ patris ſplendore contemnunt, & infelicem exiſtimant. Magnus quidem, & amplus, & propter rerum geſtarum, & propter virtutum adeò magnitudinem, fuit pater. At ego magnum & amplum, imo maiorem & ampliorem hunc puto, qui opes, qui honores, qui externa iſta omnia, præ immenso cœleſtis vitæ, quam totus meditabatur, deſiderio floccifecit. Magnus & amplus pater, qui ſine vlla aduerſantis fortunæ offenſione, tot preclaras res geſſerit, ſed in eo potiſſimum, quòd tantarum rerum amplitudo ad inſolentiam & faſtum, animum illius non extulerit. Sed maior meo iudicio, & amplior filius, quem tot ærumnæ ad murmur, ad impatientiam, non depreſſerint, aut infregerint. Quo animo iam olim præditum ſanctum illum virum *Iobum*, magis ſuſpicio in ſterquilinio quàm in principatu ſedentem. Ad cumulum itaque æternæ gloriæ, has ærumnas tam toleranter, & æquanimiter acceptas, HENRICO acceſſiſſe, cum præſertim vita omnis, ſanctiſſimè & integerrimè per eum traducta, concurrat, facilè crediderim.

* *aliat* conſtantius.

VIR fuit modeſti, aperti, ſimplicis, & manſuetiſſimi ingenij, quique à bellis totus abhorrebat, vt per otium & quietem, diuinis ſe cogitationibus & ſtudijs magis defigeret. Nec quomodo depelleret, valde prouidens aut ſolicitus fuit; vt qui, quid de ſe fieret, non multum laboraret. Non ille populum immodicis vectigalibus & tributis exhauriebat. Non alienum ille thorum, nec Procerum, per calumniam, fortunas inuadebat. Si quid hac in parte peccatum erat, aliorum id fraude & circumuentione accidit. Et quicquid ijs in rebus culpæ, ex nimia credulitate, aut ſimplicitate præter ſuum ipſius ingenium, & inſitam benignitatem peccarat: ærumnarum magnitudo, & ſingularis, qua illas deuorabat, aut potius contemnebat, ne dicam appetebat, patientia, non ſolum ad peccati abolitionem, ſed ad magnam ſempiternæ gloriæ acceſſionem cumulandam, expiaſſe videtur. Eminebat enim in eo hæc dos, qui adeo ob illatas iniurias, vindictam & vltionem non meditaretur, vt gratias potius Deo officiosè ea de re ageret; ſibi ad peccatorum apud Deum veniam, valde proficere, ærumnáſque illas omnes, ex ſuis & maiorum ſuorum peccatis profectas, exiſtimaret. Summæ certè innocentiæ, nec inimici teſtimonium denegare illi potuere. Quem adeo apud homines ſuperi, inſignibus miraculis, quæ proximo capita perſequemur, ornarunt. Bonarum autem literarum prouehendarum, valde fuit HENRICVS ſtudioſus. Quare duo eximia collegia condidit, alterum, *Ætoniæ*, pueris qui grammaticæ; alterum *Cantabrigiæ*, adultioribus, qui ſolidioribus & ſublimioribus diſciplinis operam darent.

MVLTA HENRICVS in regni, cum ad ciuilis, tum ad eccleſiaſticæ rei commodum ſanciuit. Inter quæ & illud decretum, ne nundinæ Dominicis diebus, aut maioribus Chriſti & Diuorum feſtis, aut in ſacra Paraſceue celebrentur. Quos dies non modo corporum opera & labore, ſed & multo magis mendacijs, periurijs, fraudibus, & circumuentionibus, quibus ad vendendas, ornandas, & facilius extrudendas ſuas merces vtebantur, miſerè profanabant. Hę igitur nundinæ, in alios dies reiectæ. Solet autem, quibus temporibus parliamenta indicuntur, & Clerus ex reſcripto Principis, ad ſynodum, quam conuocationem appellant, euocari. Cautum autem iam olim erat, ne quiſquam creditor, ad parliamenta accerſitis, ob æs alienum litis negotium faceſſeret. Sed cum Clero ſimiliter non eſſet cautum, HENRICO regnante & Clero etiam ſimili prærogatiua conſultum eſt. Corpus HENRICI primum ad cœnobium *Chertſeium*, humatum eſt. Sed poſtea ad *Windeſorium* caſtrum transfertur, & in templo D. GEORGII reconditur. Quo multi poſtea, voti & religionis ergò, ob miraculorum ab eo editorum celebritatem, & vt gratias, ob accepta illius ope beneficia, officiosè agerent, confluere ſolebant. Qua de re commodus iam mihi dicendi locus offertur.

An. 27. cap. 7.

Anno 8. c. 1.

De miraculis Regis HENRICI *sexti post eius obitum, magnáque eorum frequentia, nec minore eorum fide atque certitudine.*

CAPVT V.

EX his, quæ iam recensuimus, facilè constat, quantum discriminis interet rat, inter huius HENRICI, patrisque eius in hac mortali vita conditionem. Ille enim, rebus omnibus ad voluntatem prosperè fluentibus, magnam ex rebus præclare & fortiter, vt dixi, gestis, apud omnes nominis sibi laudem, gloriámque peperit; pauciſque annis ANGLICANO suo imperio, nobilissimum etiam illud *Gallicanum* regnum adiecit. Cuius, post illius obitum, diademate, *Lutetiæ Parisiorum*, filius ipsius, vt commemoratum est, insignitus est. Sed vt patri omnia fausté atque feliciter, ita & huic, ab ipsis propè incunabulis, omnia infausté & infeliciter, in rebus quidem humanis cecidere; adeo sane, vt non solum de *Gallico*, sed & de domestico ANGLORVM imperio tandem, post multas iactationes, fugas & carceres, deiectus sit, ipsáque adeo vita indignè spoliatus. Quæ illi tamen omnes aduersitates, ad æternæ gloriæ maiorem cumulum, cecidere. In qua, eum excelso quodam in gradu locatum, insignia, quæ post eius obitum Deus, in eo & per eum miracula, patrauit, manifesto sunt documento. Quanquam & remotis illis, id ego facilè crediderim, propter singulares illas virtutes, quæ insigniter illum, vt dictum est, ornarunt. Magnus itaque & celebris est apud omnem posteritatem, propter rerum à se gestarum in vita humana magnitudinem, HENRICVS pater, sed maior & celebrior longè filius; si non ob alia, ob ea certe tamen, quæ deposita hac humana vita, maximè illa quidem illustria inter homines gesserit, quæque maiore laude cumulanda sunt, quàm quæ pater, licet illa, vt dixi, valde sunt clara & ampla, aliquando gessit. Sed dimissa contentione, ad rem ipsam potius veniamus, & vel per transennam videamus, quæ sint, quæ noster iste post Christum ἀλεξίκακος, tam præclare apud nos post obitum præstiterit.

Id est malorum auersor ac depulsor.

POSTQVAM itaque, post indignam ipsius cædem, in *Benedictinorum* illo apud *Charteſiam*, quod ERKONWALDVS, pius ille *Londinensis*, vt diximus, Episcopus condidit, cœnobio humatus esset; cœpit post paucos annos magnis inclarescere in ANGLIA miraculis. Et siue ea, siue conscientia ipsius (cuius potissimùm consilio atque manu cæsus est, vt iam dictum est) RICHARDVM Regem, siue aliæ causę, huc eum perpulere, siue diuino quodam, quod facile credo, consilio, totum hoc structum est; beati Regis corpus à *Charteſia Windesoriam* transferri, RICHARDVS curauit. Et licet iam antea, propter varia magnáque miracula, celebris foret, postquam tamen eo loci illatus est, vbi & mundo primùm natus: mirum in modum celebritas ista creuit, ita vt nullus ferè dies laberetur, quo non vel eo illi confluerent, gratias acturi, à quibus ille mala, omnem humanam opem superantia, arcuit & amolitus est; vel qui eo ipso in loco, huiusmodi mala admirabiliter non depellerent, atque excuterent. Et nonnunquam in eundem diem, multi id genus homines illuc concurrebant. Atque hæc quidem miracula tam certa, támque celebria etant, vt HENRICVS Rex eius nominis *septimus*, apud IVLIVM *secundum* summum Pontificem, diligenter egisse tradatur, vt Diuorum catalogo (quod decus vt multis *Saxonum*, ita *Normannorum* Regum nulli adhuc contigit) ex ecclesiæ decreto ascriberetur. Et cogitationes istas suas perfecturus credebatur, ni mors Regem hæc meditantem interim occupasset. Quanquam non id hoc primùm tempore tentauit HENRICVS. Constat enim eum rem hanc apud ALEXANDRVM pontificem, magna cura priùs solicitasse, extántque literæ ipsius ALEXANDRI ad HENRICVM ea de re.

Polid. lib. 24.

In regist. Ioan. Mor Cant. anno 1494.

QVID autem moras interim obiecerit, ne res per eum conficeretur, non satis teneo. Obiecit forte; tanti negotij magnitudo, quod *Romani* Pontifices, non solent hanc rem nisi accurata, & exquisita quadam cura & non aliter, quàm vbi certissimè tam de virtutibus huiusmodi hominum, dum viuerent, quam post mortem claris atque expeditis ipsorum miraculis constat, quam rem & ALEXANDER in suis literis attingit aggredi. Obiecit forsan; similis ipsius

ALEXAN-

ALEXANDRI, de ANSELMO *Cantuariensi* olim Archiepiscopo cura, quem interim cœlitibus ascripsit. Horum autem, de quibus agimus, HENRICI miraculorum, tanta fuit fides, tanta certitudo, vt facilè crediderim, si vel HENRICVS *septimus*, præmaturè non obijsset, aut si alij in eam postea curam incubuissent, ecclesiæ hac de re decretum, fuisse interponendum. Conscripta enim sunt illa, magna sane & accurata cura, primum quidem *Anglicè* opera & diligentia potissimum IOANNIS *Morgani* collegij *windesorienſis* Decani, qui postea *Monenensis* Episcopus, & OLIVARII *Kinge* eiusdem ecclesiæ Canonici, qui postea *Exoniensis* Episcopus designatus est, aliorumque eiusdem ecclesiæ Canonicorũ. In *Latinam* deinde linguam, maxima ex parte, traducta per monachum virum sane pium & doctum, Decani commemorati rogatu. Sed monachi mihi adhuc nomen, liquidò non constat. In illius quidem, post longam demum de his miraculis inquisitionem, ego translationem incidi. Qui non omnia, sed ducenta plus minus HENRICI Regis miracula, quæ non mediocre volumen conficiunt, collegit, & vere atque eleganter sane descripsit. Videturque ea translatio, in eum potissimum finem concinnata fuisse, vt summo Pontifici, purpuratisque patribus porrigeretur, vt illi inde maturius & solidius, de ascriptione commemorata HENRICI in Diuos, statuerent. Quæ an transmissa fuerit, non adhuc certo compert. Quam qui legerit, non est certe quod aliquis in eius deinceps animo scrupulus, de miraculorum istorum veritate, hæreat. Omnia tam exquisitè author persequitur, vt nec nomen hominis, à quo beatus Rex aliquod malum auertit, nec habitationis locum, nec tempus, nec alias circonstantias ad rem accommodatas prætermittat.

Anno 1409. ex cod. regiſtro.

SED quis dubitandi locus relictus est, cum præter commemorata, multi ex ijs ipsis, ad quos huiusmodi beneficium redundauit, sua palam voce; * multi etiam scriptis suis, quæ Decano & Canonicis sua ipsi manu tradiderunt; multi suis, & multorum testium, qui rei gestæ interfuerunt testimonijs, rerum gestarum in se veritatem luculenter confirmarunt. Multi mali sui, liberationisque suæ formam & rationem, in cera ad viuum impressam, aut secum detulere *windesoriam*, aut per suos transmisere. Alij itaque oculorum, alij pedum, alij manuum, alij aliarum partium & rerum simulachra, ad grati animi & liberationis huiç testationem (cuiusmodi & in antiqua, ante mille annos, ecclesia factitatum lego) alij ipsos baculos, quibus ante liberationem claudi & debiles innitebantur, imo nonnulli eos ipsos, quibus innixi, vix tandem eo perreptarunt, apud sepulchrum beati viri sanitatem repentè adepti, alij laqueos, à suspendio sancti Regis beneficio liberati, in rei memoriam atque monumentum, in templo *Windesoriano* suspenderunt. Id etiam in hoc volumine obtinuo, fuisse delectos quosdam, qui post ista omnia, quæ commemorauimus, exactiorem quandam de nouo inquisitionem facerent, & tam eorum, qui beneficium aliquod huiusmodi sensere, quam honeorum testium iuramentis, qui rebus gerendis interfuere, rem omnem exquisitissimè excuterent. Quod in multis præstari non potuit, qui aut interim obiere, aut commode reperiri non potuere. Nulla autem fuit in ANGLIA diœcesis, quid diœcesim dico? nulla regio aut prouincia, quid prouinciam nomino? nulla vrbs, quid vrbem nomino? nullum fere oppidum, nullus fere vicus aut pagus, quo non redundarit aliquod, quasi ex nouo quodam sanitatum & bonorum oceano, HENRICI in calamitatibus varijs irretitos beneficium. Ab extremo Occidente, ab extremo ANGLIAE nostræ Aquilone, vt viciniora loca omittam, venere subsidium beati Regis expetituri. Et quod mirum, cum nemo crederet, tanti itineris in tanta corporis infirmitate, atque debilitate molestiam deuorare, atque sustinere eos posse, sed prorsus in ipso itinere potius perituros; vires & sanitatem in itinere collegerunt, & non precatores pro reddenda facti sunt, sed pro reddita sanitate gratias officiosè agebant.

**De scriptis quibusdam Windesoriæ quæ miracula Henrici Regis continent meminit non semel Ioannes Rossus in eiusdem Vide Theodoretum de Græcarum affect. li. 8.*

MALORVM autem genera, quæ paucis annis ab innumeris hominibus ἀλεξίκακος noster mirabiliter auertit, tanta sunt & tam varia, vt vel ea ipsa enumerare longum & difficile sit, omnia autem huiusmodi, vt humanam prorsus opem atque industriã superarint. Quid igitur cæcos, claudos, mutos, surdos, insanos, dæmoniacos, arenæ, curruum & aliarũ rerum irruentium mole repentè oppressos? quid vulneribus, ad medicorum & chirurgorum omniũ desperationẽ horribiliter confectos? quid ab ossibus, & alijs rebus gutturi ita inhærentibus, vt nulla humana ratione euelli potuerint, suffocatos; quid naufragio periclitantes, imo iam plane varijs casibus in molendinis, in mari, aut alibi dimersos; quid peste, quid vlceribus, quid capitis & dentium dolore, quid cholica vt appellant passione, & varijs morborum generibus, quæ paucis recensèri non possunt, medicorum & amicorum omnium spe deplorata misere afflictatos

ctatos? quid mulieres parturientes, è quibus vna supra biennium semper erat parturiens (quod nunquam fere alias auditum est) quid lapsos à summis arboribus, aut domuum vertice, totóque penitus corpore contritos & confractos? quid fulmine ictos, quid sanguinis profluuio tabescentes, quid eos qui sæuo illo diui *Antonii*, vt appellant, igne vrebantur, quid denique id genus ceteros varijs miserijs & calamitatibus, sine vlla humanæ opis spe, grauiter implicatos commemorem, Dei, & beati Regis subsidio omnia hæc mala, sine vllo humano præsidio à se admirabiliter, Deum & beatum Regem tantummodo interpellando, depulisse? Auget vero beneficij gratiam & magnitudinem, quod nonnulli statim post promissionem de sepulchro illius inuisendo, mala, quibus premebantur, discussere, quodque nonnullis etiam non interpellatus opem tamen tulerit, admonitis vt sepulchrum ipsius inuiserent; cui admonitioni cum paruissent, miserias, quæ ipsos vrgebant, cito excussere.

QVID? quod non solum hæc & id genus mala, ab illis, qui plane ab ijs alioqui conficiendi essent, auerterit, sed & vitam ipsam non vni aut alteri, sed pluribus ademptam & ablatam prorsus, sua tamen apud Deum ope restituerit? Cuius rei varia & certa apud authorem nostrum exempla visuntur, & inter alios, de duobus, licet innocentibus, suspendij tamen supplicio *Sarisberiæ* & *Cantabrigiæ* affectis. Quorum nos historiam latius posteà prosequemur; vt & illã de sacerdote, cui visum atque linguæ vsum restituit; atque illam etiam alteram qua hæretico, iustas irrogauit pœnas, quas tamen resipiscenti remisit. Quę cum cogito, videor mihi videre eum quasi in regni solio rursus collocatum, non minorem quam olim, aut maiorem certe tam curam iustitiæ, quam rerum administrandarum regiam potestatem rursus habentem. Nam & innocentes quosdam è carcere, quosdam etiam à suspendio, vt dixi, liberauit, quosdam peruerse in sua malitia obstinatos, iusta, vt dictum est, animaduersione perculit. Iamque antea diximus solenne esse, & quasi hereditariam nostris Regibus, suo contactu, regio, quem vocant, morbo implicatos liberare. Quo morbo cum puella quædam *Agnes Freman*, in *Cantia* apud *Churchehoniburne*, fuisset grauiter infestata, nec aliud superesse curandæ illius remedium putaretur, quam vt ad Regem RICHARDVM, qui regnum tyrannide vsuparat, deduceretur; parentes puellæ meliore consilio vsi, ad beati HENRICI opem implorandam confugere, & de sepulchro beati Regis inuisendo voto se obstrinxere. Mox vero vt hoc votum apud se conceperant, maxima quædam puris & saniei copia è gutture puellæ erupit, illáque post tres aut quator dies pristinæ sanitati est penitus restituta. Ita pristina illa hunc morbum curandi potestate, adeo ille post obitum non excidit; vt tam in illo, quam in reliquis de quibus diximus, curandis & amoliendis, præstantiorem longe, quam cum viueret potestatem, vt diximus, obtineret.

Titulo de Episcopis Sarisb. & Elienſ.
Tit. de Epiſcopis Ceceſtrenſibus.
Infra in ſpeciali tractatu de Wiclemianis.

INTER tot itaque & tam præstantia beneficia, minutiora illa iam recensere, licet & illa quoque ad magnam multorum vtilitatem cesserint, non erit valde necesse, quibus equos, porcos, vaccas, & alia animalia à dominis illorum interpellatus, à morbis, quibus ad internecionem prorsus afflictabãtur, sanarit; quod res furto aut alio casu amissas & interceptas restituerit, quod ignem sęue grassantem restinxerit; quod vini, magna ex parte rupto vase effusi, iustam nihilominus mensuram admirabiliter suffecerit; & alia id genus, quæ non est necesse commemorare. Atque hæc mihi iam de beati viri miraculis, quasi digito breuiter indicasse satis erit. Hoc tantum adiecero, sæpe illum post obitum ijs, quibus suppetias tulit, apparuisse ea plane forma corporis, quam cum viueret, præ se ferebat, & eodem regio vestitu; solitosque agrotorum amicos, aut parentes, aut corpora ægrotorum metiri, aut ceream imaginem ad corporis mensuram, beati Regis sepulchro vouere, aut minutum aliquem, quem inflectebant numinum, mirabilésque mox sanitatum effectus consequutos.

De

De EDOVARDO quarto, & quinto, & RICHARDO tertio.

CAPVT VI.

HENRICO profligato, omnium ordinum consensu EDOVARDVS regno inauthoratur, abdicato HENRICO, quod pactis, cum EDOVARDI patre RICHARDO de regni successione initis, non stetisset: quæ nouis comitijs confirmata, & noua decreta edita, quibus tres HENRICI facto, sed nullo iure, regno incubuisse memorantur Et sane frequentius traditur, iustæ legitimæque successionis prærogatiuam, apud *Eboracensem* & non *Lancastriam* familiam, apud *rosam rubeam* & non *albam* (quæ illarum familiarum erant insignia) resedisse. Et HENRICVM *quartum* IOANNIS *Gandauensis* filium, tam viuo quam mortuo RICHARDO Rege, regnum occupasse, excluso *Rogero Mortimero*, vt diximus, qui patrem habuit EDMVNDVM filium PHILIPPÆ, filiæ EONELLI Ducis, qui frater erat maior natu IOANNIS, ex patre EDOVARDO *tertio*. Ex qua PHILIPPA RICHARDVS EDOVARDI pater genus proximũ ducebat. Hęc paucis dicta sunto vt lector intelligat, huius tam longę & funestæ dimicationis seminarium. EDOVARDVS vero, etsi in arce *Londonensi* captiuum teneret HENRICVM, decimo tamen imperij anno, illo deturbato, HENRICVS rursus Remp. capessit. Decretáque omnia, quæ ille in summis regni comitijs pro regni possessione, sibi suisque EDOVARDVS fixerat, refigit & rescindit. Euersus est potissimum *Warwicensis*, vt diximus (à cuius ope & gratia, omnes pęne illius rationes pendebant) imo & fratris sui GEORGII *Clarentiæ* Ducis potentia & armis; à quibus ille in bello, exercitu ipsius cæso & fuso, captus carcerique mancipatus, custodes suos ita blanditijs, ingentibusque promissis deliniuit, vt elapsus in *Flandriam* ad Ducem *Burgundiæ*, sororis virum, se, tantum non à piratis, qui mare obsidebant, captus, receperit. In ANGLIA deinde cum exigua manu, quæ duo milia hominum non superabat, post sex menses reuersus, CLARENTIO sibi iam reconciliato, *Warwicensi* ingenti prælio perempto, HENRICOque Rege capto, rursus se regni gubernaculis, sed insigni periurio ingessit.

An. 1 Edo 4 ex sibala mundi.

Fab. & Polid.

CVM enim, postquam appulisset, ducatum suum *Eboracensem* ingressus esset, & ab *Eboracensibus* in vrbem recipi, enixe sed frustra diu contenderet; hac destitutione, & raro vicinæ regionis hominum, ad suam opem, aduentu perculsus, propositum suum tegit, & dissimulat, nec se regnum, sed auitas *Eboracensis* familię possessiones aucupari, postularéque asserit. Dato igitur apud ciues eius rei iuramento, & quod nihil in HENRICVM moliretur, quódque ciues benigne haberet, in vrbem admissus est. Quam ille præsidio mox firmauit, iustisque deinde militum copiis auctus, imperium palam tentabat, &, vt diximus, adeptus est, indig ıáque EDOVARDI, HENRICI Regis filii, & ipsius postea HENRICI cęde, egregiam illam suę moderationis & lenitatis erga HENRICVM, vitæ eius hactenus parcendo, laudem valde contaminauit. Quam infamiam, domestico eius fratris CLARENTII funere postea accumulato, magis auxit. Quid sequutus, tantum in se admiserit aduersus fratrem facinus, expedite pronunciare non possum, imo nec *Polidorus Virgilius* potuit; etsi, cum su im historiã contexeret, eos consuluerit, qui à consiliis EDOVARDI erant, magnáque apud eum floruerunt gratia. Nihil tamen certi, vt diximus, expiscari valuit. Crebrior in vulgus hęc opinio exiuit, terrorem illi ex nescio quo vaticinio iniectum, quod præsagiebat, successurum illi quendam, cuius nominis principium à .G. litera duceretur. Suspectum itaque fuisse ipsi fratrem GEORGIVM, eamque suspicionem tam alte pectori eius insedisse, vt ea GEORGIO mortem accelerarit. Quæ res, si ita acciderit, videtur illi per veteratorem dæmonem, vt olim *Valenti* Imperatori, qui simili de causa, metu obiecto, multos illustres viros, quorum nomina prima elementa habebant, Th. iugulauit, illusum. Et huic tamen *Theodosius*, & EDOVARDO *Glocestriæ* Dux sed dissimiliter successerunt, cum illi Th. nominis, huic. G. dignitatis tantum primum esset elementum, sed multo magis in vita dissimiliter se gessere. In illo enim egregiè omnes virtutes, cum huius nefarijs sceleribus, & execranda tyrannide certarunt.

EDOVARDVS vero, vt natura erat comparatus ad comitatem, & popularem facilitatem familiaritatẽmque, quam ita amplexabatur, vt regię sępe maiestatis videretur oblitus; ita certe

Tho. Morus in vita Richardi.

atur se supra omnes, non ANGLIAE modo, sed aliarum fere vbique gentium tyrannos nobilitasse, et si in vllo alio vnquam, in eo certe cum primis facile constat quam immanis sit bellua, impotens dominandi libido. Et viuo quidem EDOVARDO fratre, creditur tacitas apud se improbæ huius dominationis cogitationes suscepisse, qui & carnifex fuit sanctissimi regis HENRICI, & post nefarias manus sanguine illius imbutas, fratris sui CLARENTII è medio intercipiendi, à multis prudentibus viris author existimatus sit, licet, vt *Thomas Morus* scribit, de CLARENTII cæde, non ita liquidò constabat, vtrum ab eo structa sit. Illud expeditius est, eadem hora, qua EDOVARDVS obijt, cum *Bottero* cuidam, magna RICHARDO familiaritate coniuncto, mors Regis nunciata esset, eum quasi præ gaudio exilientem respondisse: Citra dubium dominum suum *Glocestriæ* Ducem regno potiturum. Quæ res non leue documentum dat, importunas & ambitiosas istas cogitationes in animo RICHARDI, non tam obscure versatas, quin aut eas ille alijs prodiderit, aut alij non inefficaces illarum coniecturas ceperint. Quas vt tandem perficeret, tot se sceleribus obruit, vt pæne fidem, & veteres tragœdias superent. Vtrosque enim ille, id est, tam *Graianæ* illius & aduersæ, quam suæ factionis homines pari clade inuoluit, & vt immani tyrannidi suæ, aliquem in specie plausibiliorem prætextum induceret, non solum filios fratris ex ELIZABETH *Graia*, sed & ipsum fratrem EDOVARDVM nothum, matrémque (quæ tum supererat) velut adulteram traduci, seque, solum purum illud, germanum, & sincerum RICHARDI *Eboracensis* Ducis germen, & sobolem genuinam, palam denunciari curauit. Et tum demum, quasi egregiè obiecta omnia impedimenta amolitus, non iam puerorum tutorem, sed Regem plane agit.

Ioan. Rossus in chronic. Polido.

Tho. Morus.

ET vt proximum quodque noui, (vt fit, in deploratis huiusmodi hominibus) sceleris instrumentum fieri solet, innocentiam puerorum sceleratam carnificinam exercuit, & vt nuptias ELIZABETHAE, maioris natu EDOVARDI filiæ, HENRICO destinatas auerteret, & ad se transferret, sublatæ primum vxoris parricidium veteribus sceleribus adijcit: cui & impuri deinde incestus nefarias cogitationes, ELIZABETH fratris filiam HENRICO præripere, sibique matrimonio adsciscere conatus, misere accumulauit. Et perfecisset, si vel virginis animum ad suam incestam voluntatem inflectere potuisset, vel digno interim exitio occupatus, meritas tantorum piaculorum, in prælio ab HENRICO cæsus, pœnas impio sanguine non luisset. Et vide hic tyranni constantiam. Paulo enim ante ELIZABETHA cum ceteris sororibus, à regni successione alienas, & mortuo, quem vnicum habuit, filio; *Ioannem* Comitem *Lincolniæ*, ANNAE sororis suæ filium, suum successorem regnique heredem publico edicto denunciauit. Iam vero propter HENRICI æmuli metum, illius potissimum nuptias, suæ tyrannidi firmandæ maxime opportunas censuit; ELIZABETHAM *Graiam* reginam, EDOVARDI vxorem insigni iniuria affecit, non ob id modo, quod infamia, vt dixi, nuptias illius cum Rege aspergere conatus sit, quasi à priore sponsa occupato (quæ erat proiecta, & viuo rege diligenti inquisitione facta, ipsiusque prætensæ iponsæ confessione ex ploxa calumnia) initas, sed quod & possessiones omnes, quas Rex & maritus per diploma suum donauerat, miseræ viduæ intercepit: idque comitiorum regni authoritate. Sed quædam ex his, quæ iam breuius & inuolutius à nobis dicta sunt, explicatiùs aliquantulum, fusiorique oratione differere, non erit forsan alienum.

Tho. Morus

CVM itaque iam importuna illa dominandi libido, totum RICHARDI pectus obsedisset, illam, de qua commemorauimus, Regis & Reginæ cognatorum discordiam, in primarium quoddam nefarij sui propositi prouehendi instrumentum conuertit. Erat in *Wallia* princeps EDOVARDVS, sub tutela & cura ANTONII *Vodiuili* siue *Riuerij* Reginę fratris, RICHARDI *Grai* ELIZABETHAE Reginæ filij, *Thomæ Vaughani* Reginæ cognati, & aliorum illius necessariorum. Qui cum non satis recens, moriente EDOVARDO, reconciliatæ gratiæ fiderent, & sibi, Regique in omnem euentum securius prospicerent; Regem *Londinum*, ad regni initiationem idoneo militum præsidio septum, deducere statuerant. Hoc itaque consilium suis cogitationibus aduersum, omni ratione disturbandum fore *Richardus* existimauit. Contrariâ itaque factionem præsens, & per literas aggreditur, & veteris discordię accurata oratione, atque persuasione, in qua magnum tenebat artificium, quasi carbones cineribus tenuiter tectos, rursus accendit. Nec difficile fuit gratiam illam mutuam, magis Regis reuerentia extortam, quam ex animo initam; cum præsertim timerent, ne nimium apud nouum Regem, aduersariorũ potentia in ipsorum tandem perniciem cresceret, rescindere. Adiungit itaque sibi RICHARDVS inter alios, EDOVARDVM Ducem *Buckingamiæ*, & *Richardum*

Tho. Morus in vita Richardi 3.

dum Hastingum. Qui vt suo vel odio indulgerent, vel saluti prospicerent, aduersariorum potentiam omnino extenuandam, eòsque à Rege quauis ratione mouendos decernunt, nihil tamen minus cogitantes, quam de his, quæ Regi & fratri accidebant, neque quicquam illis à RICHARDO metuentes. Artificiosa igitur ante omnia oratione Reginæ persuadere conantur, ne Rex satellitio militum stipatus, *Londinum* veniret, ne cum omnia essent tranquilla & quieta nihil aliud quam de Regis initiatione, quæ imminebat, cogitaretur, recentis reconciliationis gratiam quasi diffidendo corrumperet; neue ea res contrariæ factioni metum aliquem iniiceret, eamque etiam ad arma corripienda protruderet.

EXPVGNATA Regina, mediocri Rex comitatu *Northamptoniam* vsque deductus, paulo vltra, ad *Stratfordiam* inde venerat. RICHARDVS, deinde cum *Buckingamiensi* Duce *Northamptoniam* aduentat, vbi cum interdiu magnam erga *Vodiuilum* beneuolentiam simulasset, noctu ab eo est comprehensus. Insequutus deinde Regem, atroces *Graio* & Marchioni *Dorsetto*, quod vitæ ipsius insidiati essent, calumnias struens, in eum & *Vaughanum* manus iniicit. Qui postea ad *Pontifractensem* arcem custodiendi abducti sunt. Quæ cum ad Reginam delata essent, illa salutis suæ & liberorum causa, in asylum *Westmonasterienſe* cum altero filio RICHARDO Duce *Eboracensi*, & filiabus confugit. Venit deinde EDOVARDVS Rex *Londinum*. Erga quem RICHARDVS summam fidem, officium & obsequium palam ostendit, & sic per se & suos rem tractauit, vt ficta illa illius aduersus Reginæ cognatos criminatio, apud omnem fere populum & Proceres, vera & iusta, & egregie ille se de inimicorum insidijs vindicasse, eásque in illos merita vindicta regessisse crederetur: tantámque iam gratiam & fidem collegerat, vt Regis regnique protector decerneretur. Hæc etsi pro voto sibi RICHARDVS hactenus processisse, non se tamen eo, quo execrabilis illius ambitio eum protrudebat, peruenire posse intelligebat, nisi & fratrem quoque Regis, in suam potestatẽ redegisset. Qua de re in regio senatu acriter est disceptatũ, tandémque hæc sententia omniũ calculis obtinuit, vt accuratæ cum Regina per honoratos viros, præsertim THOMAM *Cantuariensem* Archiepiscopum eundémque Cardinalem ageretur, vt sponte & vltro *Eboracensem* ad fratrem remitteret. Quæ si in pertinacia obstinate persisteret, vi abducendum. Quod cum illa intelligeret. & frustra resisti, illum tandem licet inuitum dimisit. RICHARDVS in sinu non parum secum gaudens quod vtraque præda in suos casses incidisset, ad arcem *Londinensem* magna pompa Regem cum fratre deducit, vt inde de more *Westmonasterium* ingendus veniret. Et nihil iam ita in omnium ore perstrepebat, nihil ita in multorum artificum manibus terebatur, atque apparatus eorum, quæ instruendæ atque ornandæ regiæ inunctioni vndique concinnabantur.

AT totæ RICHARDI in eo abiectæ erant cogitationes, quomodo quod destinauerat, tandem conficeret, & totum illum apparatum à Rege, cum ipso regno ad se, vt paulo post contigit, deriuare & transferre posset. Communicat itaque sua consilia Duci *Buckingamiensi*, quem vt sibi firmius, maioréque obsequij autoramento obstringeret, vnicum filium Ducis filiæ despondet, *Hertfordiæ* Comitatum, quem quasi hereditarium frustra ab EDOVARDO Rege repetierat, & amplissimas regij thesauri atque supellectilis copias, vltro ei offert. Dux, qui iam propter Reginæ cognatos eo se demiserat, vnde facile se explicare non poterat, & partim futuræ suæ, suorumque amplitudinis valde blandientibus illecebris delinitus; partim veritus ne frustra, nec sine periculo, cum iam RICHARDVS Regem in sua potestate haberet, aduersaretur; nefariam cum *Gloceſtrensi* societatem iniuit. Nihil itaque iam restabat RICHARDO, nisi vt illustriores aliquot viros, & maxima apud populum gratia flagrantes, quos desperaret ad suæ tyrannidis obsequium perduci posse, quacunque ratione amoliretur. Ex his cum primis fuit *Hastingus*, & *Stanleus Darbeiæ* postea Comes. Etsi enim *Hastingus* Reginæ cognatos opprimi valde cuperet, cum quibus veteres inimicitias exercebat, nihil tamen ille erga Regem EDOVARDVM fidelius fuit. Sed mirum est videre, quanta vafricie perniciem *Hastingo* struxerit, quamque ad scelera patranda ingeniosus fuerit. Cum nihil iam per ora hominum magis quam de Regis, vt dixi, initiatione personaret, senatum RICHARDVS, vt de ea potissimum deliberaretur, ad arcem *Londinensem* accersit. Accersiti inter alios THOMAS *Cantuariensis* Cardinalis, *Eboracensis* Archiepiscopus, *Mortonus Elienſis* Episcopus, *Stanleus* atque *Hastingus*; ad quos RICHARDVS ingressus, cum solito se iucundiorem ostendisset, repentè egressus, paulo post in alium plane transformatus redijt, vultúque truculento quærit, Quas demum pœnas pendere deberent, qui vitæ ipsius insidiarentur? Deplorat deinde magicis se artibus, à Regina & vxore *Shori*, de

qua

qua commemorauimus, appetitum; moxque subducta veste brachium macrum, extenuatum, & exhaustum quidem, sed cuiusmodi semper eum habuisse omnes recte nouerant, ad criminationis fidem ostendit. Neque vero Reginam, vel leuissima vnquam damnatarum huiusmodi artium suspicio hactenus tetigerat, & si quid id genus meditaretur, vxorem *Shori* mariti pellicem, odiosissimam sibi mulierem nunquam huiusmodi consilijs adhibuisset.

IBI cum *Hastingus* respondisset, si res ita esset, dignas in quas exempla ederentur. Quid mihi, inquit, ô proditor, conditione rem implicas, ego absolute & præcisè aio ita esse, manúque mensam ingenti sonitu pulsat. Ad quem sonum, ad ostium Proditio, Proditio ingemi-
10 natur, moxque armati milites (sic enim res antea ex composito structa erat) irrumpunt. *Stanleus* graue vulnus in capite accepit, quod sine dubio dissectum fuisset; nisi sub mensam se proripiendo mortiferum ictum vtcumque declinasset; Cardinalis, *Eboracensis*, & *Elyensis* in separatas custodias conijciuntur. Adeo vero *Hastingi* cædem RICHARDVS maturabat, vt vix breui & tumultuaria exomologesi apud sacerdotem conscientiam purgare permitteretur. Has *Hastingus*, innoxius quidem quoad hanc criminationem, sed nefariæ huius contra Reginæ cognatos coitionis, & EDOVARDI filij HENRICI *sexti* (quem, vt Polidorus testatur, sua manu peremit) indigne perempti, pœnas exoluisse creditur. Post duas horas, in frequentioribus & celebrioribus vrbis locis, causæ oppressi *Hastingi* ex scriptis renuntiantur. Quæ tam meditata & elaborata oratione, tamque concinna & polita manu, tamque affa-
20 bre exarata erant, vt nemo fere esset tam obesæ naris, qui egregia ista commenta non odoraretur. Animaduersione vero dignum est, quod eo ipso die, quo *Hastingus Londini*, cognati Reginæ apud *Pontefractum*, indicta causa periere. De eorum cæde, quam eo die futuram *Hastingus* nouit, nec mediocriter ea de re gaudebat, paruam gaudij sui vsuram, cum in eadem & ipse naui imprudens nauigaret, eodémque præter expectationem naufragio obrueretur, habiturus Adeo humanam nostram felicitatem, cum res nostras optime & tutissime constitutas nobis blandimur, obrepens repente inexpectatum infortunium commaculat, conturbat & euertit. Cuiusmodi & *Buckingamiensi* mox Duci, & ipsi maxime paulo post, vt dicemus, RICHARDO *accidit*. Sed *Buckingamiensis* nostram ad se prius orationem reuocat.

Tho. Morus, qui & multa credita digna refert, quæ Stanleo in somnis nocte antecedente, quæque Hastingo ipsi ea aurora contigerant.

MIRA est itaque ex diuinæ prouidentiæ rationibus, iusti & honesti vis, atque efficacia, valde gratum & plausibile semper nomen. Cum & qui ceteros insigniter improbitate superant, obtendere tamen ad abolendam, vel leniendam scelerum suorum inuidiam, rectitudinis & honestatis speciem aliquam anxie conentur. Quos & RICHARDVS æmulatus, cum iam fixum & firmum apud se habuisset, fratris liberos à regno extrudere, illudque ad se transferre, maluit videri quam esse bonus: totusque in eo est, quo modo cum non haberet expressam aut solidam aliquam iustæ causæ imaginem, adumbratam saltem speciem aliquam, qua populi ad tempus oculos quasi præstringeret, obtendere posset. Cumque sursum deorsumque omnes suas sceleratas cogitationes in animo versasset, hunc quasi maxime speciosum prætextum, prætendere placuit, vt fratris filios spurios, & non germanos, & ita regni haud capaces; non sine simili fratris, & matris etiam nota & macula, palam denunciari curaret:
40 suos vero solum, ex omni RICHARDI *Eboracensis* Ducis liberis, illibatos atque integros natales. Et vt maiorem apud populum gratiam & fidem colligeret, execrabile hoc commentum, propter loci maiestatem, & summam viri ob doctrinam & facundiam in concionando celebritatem, delegit *Shaium* quendam theologum, Prætoris vrbis *Londinensis* fratrem, qui hæc, quasi diuinum oracullum, ex suggestu *Paulino Londini*, in frequentissima concione effunderet. Datúmque est ei negotium, vt ita temperaret ac moderaretur concionem, vt in ipso RICHARDI aduentu, quasi ἐκ μηχανῆς, conceptis verbis velut ex formula, magnis lateribus intonaret: Hic, hic est certus, & exploratus RICHARDI *Eboracensis* Ducis filius: Hic est in quo vera & expressa vultus paterni lineamenta, & genuina forma, relucent, Hic, hic est, qui charissimum vobis Ducem vere refert. Hoc artificium eò spectabat, vt repentina rei
50 euentu concio obstupefacta, crederet diuinitùs hanc concionatori orationem infusam, & faustis mox acclamationibus RICHARDVM vt Regem salutaret.

SED hanc omnem expectationem, aut nimia Ducis in veniendo tarditas, aut nimia concionatoris festinatio frustrata est, & elusit. Nam cum Dux aduenisset, ille iam in aliam se materiam, nihil cohærentem demiserat. Etenim vbi personatus histrio Ducem aduentare conspexit, dictatam iam pridem cantilenam (dignior qui explodatur & exhibiletur, quam qui in tragœdijs aut comœdijs extra numerum se mouet histrio) impor-

tuno alienóque loco, magna vocis contentione repetit, adeo sine omni expectato plausu & salutatione, vt perculsi omnes & attoniti, tam detestandum concionatorem in sinu execrarentur, Qui, cum ob proiectam istam suam impudentiam, tacitis hominum conuitiis se verberari, maledictisque conscindi intelligeret; doloris & pudoris magnitudine obrutus, è vita paulo post abijt. RICHARDVS in eum iam se locum demisit, vt nec relinquere cœpta vellet, nec, si vellet, commode se expedire posset. Quare perurgenda omnino existimat. Quam ob rem postridie à concione *Shai*, Dux *Buckingamiæ* cum magna nobilium & equitum caterua, venit in amplissimum quendam, & spacioſissimum ciuitatis locum, quem *Guildhallam* appellant, quo Prætor admonitus cum Senatu & ciuibus confluxerat. Ad quos ille bene meditatam & prolixam orationem habuit, quæ partim in conuellenda & deprimenda EDOVARDI Regis administratione, quem vt grauem populi ob tributa depilatorem; vt in exorbendo populi ob leues causas, & verba, quæ in conuiuijs & bene potis temerè exciderant, sanguine, crudelem & immitem, cum præsertim nec fratri CLARENTIO parceret, & ob tantum *Anglici* sanguinis in ciuilibus bellis per eum exhaustum; quem vt sacramenti nuptialis propter stupra, in quibus cum vxore *Shori* & alijs fœde volutabatur, violatorem odioſé insectabatur, partim in renouandis his, quæ *Shaus* in concione effutierat, consumpta est. Ob quas causas renunciat, decreuisse prorsus Proceres & populum, regium decus ad RICHARDVM (ad quem solum verè spectabat) in quo ornando multus erat, transferre, & supplices RICHARDVM (quem sciret pro sua modestia valde tantum onus defugiturum) rogare tamen, vt ne importuna sua repulsa periclitantem, & perditam patriam deserat. Quòd si princeps ceterarum omnium ciuitas, in quam RICHARDVS magno semper propendebat affectu, suas quoque reliquis preces apud RICHARDVM coniungeret, spem fore obstinatum illius animum peruincendum & frangendum.

HAEC & alia cum nimis eleganter, & facundè pro tam mala causa peroraſſet, & speraſſet plausum aliquem à populo, & faustam acclamationem, qua RICHARDVM Regem agnosceret, plausumque illum omnem frigere, summumque, quasi omnibus somno concubia nocte depressis, silentium perspiceret; eandem cantilenam, alijs eam tamen verbis, cum summa vultus, gestus, & vocis, & politæ elegantiæ gratia vestiens, repetit. Sed nec sic quicquam profecit. Et quoniam Prætor existimauit hoc silentium inde profectum, quòd moris sit non agi de rebus grauibus cum ciuibus, nisi per Assessorem Prætoris, quem *Recordatorem* appellant; *Wilmansono*, qui id tum munus obibat, prouincia hæc imponitur. Qui, quæ præeunte Duce audierant, rursus renouat. Sed nec eius ciues oratione prorsus mouentur, non magis certe quam *Marpesia* cautes. Hoc tantum silentium, cum Ducis animum valde vreret, ad multitudinem conuersus, multis ambitioſe eam verbis, vt tam pertinax silentium, aut agnoscendo RICHARDVM vt Regem, aut saltem recusando rumperet; at ne sic quidem vnum ex honestioribus ciuibus ad voluntatem suam inflexit. Constiterant vero in postrema curiæ parte *Nasheſeldi* cuiusdam consiliorum RICHARDI administri, & alij quidam aliorum famuli, quibus & pueri quidam, vt fit, permixti. Ab ijs tandem clamor quidam sublatus, RICHARDE Rex intonantium. Quem ille, quasi diuturnam sitim expleturus, & quasi iusta totius concionis suffragia auide arripiens, gaudiumque simulans; & dolorem, quem ex honestiorum silentio capiebat, dissimulans, rogat Prætorem & ciues, vt in ea tam laudata voluntate stabiles & firmi maneant, & crastino die secum Protectorem, cum ceteris Proceribus adire non grauarentur, quo communibus precibus apud eum accurate agerent, quo perculsam, afflictam, & iacentem remp. respiceret, & delatum à Proceribus & populo imperium non recusaret. Atque ita discessum est, multis palam inhærentibus, multis ficta & simulata lætitia vtcunque gestientibus, multis non audentibus apertum mœrorem testari, sed eo altius in pectus demittentibus, quo minus profiteri liceret; & ne apertæ lacrymæ in crimen ipsis verterentur, vultu ad parietem reiecto, clam eas emittentibus.

POSTRIDIE cum ad ædes Protectoris venitum esset, misso ad eum nuncio, qui significaret Proceres, & populum colloquium cum eo expetere, ille vt hîc, & in ceteris, quæ sequuntur, scenæ inseruiret, valde se difficilem ad collocutionem ostendebat, quasi veritum quorsum tanta multitudo confluxisset; nec post iteratas preces voluit, nisi ex ambulacro miscere cum eis sermonem. Ibi cum Dux ex equo sublimis demisse ab eo, omnium nomine postulasset, vt liceret quæ ad summam reipublicæ pertinerent, citra illius offensam in medium proponere, & post veniã indulgenter datam, ea de quibus hesterna die conuenerat, renunciasset; RICHARDVS valde se alienum & abhorrentem ab illorum desiderio, & magnam in fratrem

fratris-

fratriſque liberos beneuolentiam, & in Regem EDOVARDVM obſeruantiam, præ ſe ferebat. Ceterum cum ad labefactandam tantam animi obſtinatiam, Dux terribilem illam machinam adhibuiſſet, vt aperte omnium nomine conteſtaretur, ſi pertinaciter reſiſteret, nihilo tamen magis, regium decus apud EDOVARDI ſpurios liberos, cum tanta regni infamia, manſuram; nec defuturum qui deſertæ, & orbæ reip. miſertus curam illius ſuſciperet: ibi demum modeſtus, & ab omni ambitione remotus RICHARDI animus ſuccubuit, & palam in ſe ANGLIAE & *Galliæ* imperiũ, in tanta regni deſtitutione & rerum difficultate ſuſcipere profeſſus eſt; atque ea mox die & deinceps, omnia ſua ſolius quaſi regia authoritate adminiſtrauit, & paulo poſt regio diademate cinctus eſt. Etſi vero ſatis iam omnibus conſtabat, execrabili iſta omnia, quæ recenſuimus, ſimulatione & ſcelere ex induſtria conficta, & ſubornata; & RICHARDVM iam multo ante animũ obfirmaſſe, ad regnum EDOVARDO puero eripiendum; paulo tamen poſt multo manifeſtius in lucem erupit, cum nefaria laniena, innocentes pueros vita etiam priuarit. Sed vide vigilantem diuinæ iuſtitiæ ad ſcelerum vindictam oculum, non in RICHARDVM modo, ſed & ipſum *Buckingamienſem*. Proximo enim, quo RICHARDVS regnum vſurpabat, anno, offenſionibus animorũ inter ducem & RICHARDVM, vt fit, ortis, ciuilique conflato contra RICHARDVM per eum bello; Dux captus, capite meritas nefariæ, contra *Haſtingum* & EDOVARDI liberos, cottionis pœnas luit. Quin & EDOVARDVS ipſe, licet mortuus, in liberis ſaltem propter fratris, & HENRICI *ſexti*, filijque eius cædem, cæleſtem vltionem incurriſſe traditur. Habebat autem Dux captiuum apud ſe IOANNEM Epiſcopum *Elienſem*. In cuius nos hiſtoria plura, quæ ad Ducem ſpectant, poſtea attexemus.

SEQVENTI vero anno, tyranno ipſi RICHARDO, dignum per HENRICVM *ſeptimum* ſupplicium imminebat. Nam commiſſo prælio cæſus eſt, corpus eius nudum prorſus, ita vt nec pudenda tegerentur, aduerſariorum telis mutilatum & conciſum, luto, ſanguineque fœdè oblitum, in equum coniectum, capite, brachijs, ac cruribus miſerabili ſpectaculo hinc inde dependentibus, delatum eſt *Leceſtriam*, vnde ille ad bellum tanto apparatu & faſtu pridie proceſſerat, ad *Franciſcanorum* cœnobium, & ibi ignobiliter humatum. Hunc RICHARDVS exitum habuit. Cuius crudelitatem adeo deteſtatus eſt *Ludouicus Gallorum* Rex, vt miſſos ab ipſo ad ſe legatos, ne colloquio quidem dignaretur. Cuius quaſi monſtroſam naturam, & naſcendi ratio, & totius corporis habitus, velut præſagiſſe videtur. Fertur enim *Cæſar* & *Agrippa* fuiſſe; quippe qui ex matris vtero cæſus ſit, & naſcendo, non de more caput extulerit, ſed in pedes proceſſerit, cuiuſmodi *Agrippas* appellant. Eſt eiuſdem temporis æqualis, qui tradit eum poſt biennium ex matris vtero dentatum, capilliſque ad humeros prominentibus prodiſſe. Corpore erat puſillo, dorſo extanti, & altero humero prominentiori, vultu ſæuo & truculento, & poſt nepotum cædem, animo nunquam fuit compoſito & quieto; cum prodiret in publicum parum ſe ſecurum exiſtimauit; corpus eius ſpontanea laſſitudine fatiſcebat; oculos hucillucque rotabat, capulum ſemper manu premens, quaſi repercuſſurus. Paruam noctu quietem exiguumque ſomnum, grauibus videlicet curis & cogitationibus interruptum, capiebat. Horribilibus ſomnijs exagitabatur, vt repentè nonnunquam lecto exiliret, ſinguloſque cubiculi angulos luſtraret & excuteret. Adeo velut torrens quoddam fretum nefariæ ſuæ erga nepotes lanienæ, tyrannidiſque conſcientia intra ſe collidabatur, & æſtuabat. Sed ne tota noſtra oratio in ſceleribus illius recenſendis verſetur, & quoniam nemo tam perditè malus eſt, à quo non aliquid nonnunquam boni proficiſcatur, quædam etiam illius benefacta recenſebimus. Inter quæ illud eſt, quod *Eboraci* ampliſſimum centum ſacerdotum, aliud apud *Midlam* vltra *Eboracum*, tertium autem collegium poſuerit apud diuam MARIAM de *Barking* prope turrim *Londinenſem*. Collegium autem *Reginale Cantabrigiæ* annuis quingentis marcis ornauit. Cùm autem Comites aliquando *Londinenſis*, *Gloceſtriæ*, & *Wigorniæ* pecunias ad eum attuliſſent, gratias ille quidem illis accurate egit, ſed pecunias reiecit, dictitans, magis ſe in illorum beneuolentia, quam pecunijs acquieſcere,

Polidor.

Thom. Moruſ.

Plinius li 7. c. 8.
Io Roſſus in Chronico.

De HENRICO septimo.

CAPVT VII.

TANDEM, imo breuissimo interposito spacio nec dum triennio decurso, Deus Opt. Max. tot ANGLIAE tam diuturnarum & funestarum cladium misertus, & tyrannum merito mulctauit, vt diximus, supplicio, & eum ad regni successionem ex summa benignitate sua vocauit, in quo omnes tam luctuosorum dissidiorum causæ prorsus exscinderentur. HENRICVM, inquam *septimum*, qui & ipse *Lancastrianæ familiæ* princeps erat, qui ELIZABETHAM EDOVARDI filiam, proximamque heredem, in matrimonio sibi collocauit, prorsus, vt non tam in extraneam regnum translatum, quam in *Eboracensem* familiam reuersum, præcisis & sublatis veterum omnium dissensionum ansis, videretur. IOANNES, quem *Gandauum* appellamus, EDOVARDI *tertij* filius Dux *Lancastriæ*, ex BLANCHIA vxore HENRICVM genuit *quartum* eius nominis, postea Regem. Cuius omnis soboles, post HENRICI *sexti*, & Principis EDOVARDI cædem, extincta est. Ex altera verò vxore CATHERINA natus illi est IOANNES *Somersetti* Comes, cuius filius erat IOANNES Dux *Somersetti*. Huius Ducis filia MARGARETA fuit HENRICI *septimi* mater. Patrem vero habuit EDMVNDVM Comitem RICHEMVNDIAE vterinum fratrem HENRICI *sexti*. CATHERINA enim eius mater HENRICI *quinti* VXOR, *Owino Tyderio* viro inter *Cambros* illustri, & qui se ex stirpe CADOVALLADRI vltimi BRITANNORVM Regis prognatum existimabat, post HENRICI *quinti* obitū nupsit. MARGARITA vnica commemorati Ducis filia, mortuo EDMVNDO, etsi postea *Henrico, Humfredi Buckingamiæ* Ducis filio, & *Thomæ* deinde *Darbeij* Comiti, in matrimonio collocata fuerat, effœta tamen & sterilis permansit, postquam ad quartum decimum ætatis annum HENRICVM semel in lucem edidisset. Prorsus, quasi decreuisset Deus illum defectum abunde, in vnico HENRICO, quasi Phœnice orbis pensare. In quem certe Deus sua amplissima, non solum corporis & animi munera & beneficia, sed & alia cumulatissime contulit. Atque vt in ceteris omnibus, quæcumque diuina prouidentia ad effectum perduci apud se decreuit, ea omnibus, quæ interim obijciuntur, impedimentis, quæque omnem humanam opem, & spem superare videntur, admirabiliter amotis, suas tandem cogitationes perficit, & consummat: ita certe & in hoc nostro HENRICO perfecit, qui tot ab ipsa pueritia, antequam ad regnum perduceretur, periculis, malisque intentatis, & nonnullis etiam post regnum adeptum, feliciter & mirabiliter defunctus est, vt, nisi quasi diuina manu sustentatus fuisset, ab illis obruendus prorsus videretur.

Polid. li. 24. CVM decem tantum annorum fuisset, in custodiam datus est per EDOVARDVM *quartum*. Quo, per HENRICVM quasi postliminio regno restitutum, profligato, ab illa custodia ereptus est. Sed cum alternante fortuna, HENRICVS per EDOVARDVM in ordinem redactus esset, coactus est HENRICVS. vt suæ saluti consuleret, in *Britanniam* profugere. Sed nec ibi ab insidiis tutus esse potuit. *Britanniæ* enim Dux cum amplissimis muneribus deprauatus, tum EDOVARDI fraude circumuentus, qui simulabat se HENRIGVM velle in generum sibi adoptare, traditus est legatis EDOVARDI; ac tantum non nauem ingressus. per Ducem, qui fraudem interim per illustrem inter *Britannos* virum, *Ioannem Chenlettum* subolfecerat, misso *Petro* quæstore, qui citatissimo & expeditissimo cursu legatos persequeretur, retrotrahitur & ab illis insidijs vindicatur. Sed vt Poeta recte ait, *Quid non mortalia pectora cogis, Auri sacra fames?* Cum RICHARDVS regno per tyrannidem incumberet, & intelligeret HENRICVM copias, ad se in ANGLIA opprimendum parare, ingentium munerum, quæ partim per legatos repræsentauit, partim in annos singulos promiserat, magnitudine, illum ipsum *Petrum* (qui Duce ægrotante, & mentis non satis compote, omnia suo arbitrio in *Britannia* obibat) eo perduxit, vt *Henricum* prodere in se receperit. Et prodidisset, nisi ille opportune admonitus, vix vna hora *Britanniæ* fines egressus esset, cum aduentassent equites à *Petro* missi, qui eum comprehenderent. Nec ab hominum solum insidijs, sed & ab immani paulo ante maris tempestate, cum in ANGLIAM cum socijs appellere cogitasset, nauibus sociorum huc illucque dissipatis, magno periculo obnoxius fuit. Iam cum in ANGLIAM postea soluisset, prælio cum RICHARDO dimicaturus, quis vnquam crederet

ret illum cum tam exiguis copijs, rem aduersus RICHARDVM, qui tam numerosum, & bene instructum exercitum ductabat, feliciter gesturum? HENRICVS vbi terram primum attigisset, mox cum illis suis copijs, in terram supplex procidens, psalmum illum, *Iudica me Deus & discerne causam meam*, magno mentis, pietatis, fiduciæque erga Deum ardore recitauit. Mox terram ipsam osculatus, signóque crucis pectus muniens, iussit socios bono & forti esse animo, & alacriter procedere. Nec eum sua in Deum fiducia fefellit. A quo solo, & non à numero, vel militum robore victoria pendet.

VICTORIA parta *Londinum* venit, faustis omnium vbique acclamationibus, ob remp. à tyranno vindicatam, exceptus. Ille vero recta ad diui PAVLI templum pergens, Deo ob victoriam gratias officiosè agit, ibique in grati erga Deum animi, victoriæque testationem, militiæ suę vexillum suffigit. ELIZABETHAM deinde in vxorem sibi asciscens, & amplissima venia omnibus, qui contra se arma tulissent, indulgens, mitificæ concordiæ, & totius reip. optimo loco collocandæ, atque constituendæ, præclara fundamenta iecit. Quam inexpectatam reip. felicitatem, summámque qua omnes vbique gestiebant lætitiam, pestilens ille, quem *Britannicum* appellant, mox sudor, & illo tamen pestilentiora & tetriora, seditiosorum quorundam ingenia nonnihil interruperunt, & commacularunt. Et mirum certe est videre quam factiosi homines, & diuinis beneficijs, suæque saluti ingratissimi, ad ferenda impudentissima, & manifestissima mendacia, ad remp. quæ iam indies cœpit vndequaque bellissime florere, pertui bandam, & ad suam ipsorum simul cladem & perniciem, solertes erant & ingenioſi. Primum commentum natum est à *Richardo Simondo* presbyteto, qui puerum quendam *Lambertum Simenellum*, pro EDOVARDO *Warwici* Comite, & DUCIS *Clarentii* filio (quem in arce *Londonensi* HENRICVS captiuum detinebat) falso rumore, qui de obitu Comitis dispergebatur, circumuentus, subornauerat. Ex quo ille commento, puero suo regnum, & sibi amplissimum aliquem Episcopatum somniabat. Hunc commentitium EDOVARDVM *Hiberni*, ad quos eum *Richardus* deduxerat, vt germanum *Clarentij* filium suspiciunt, magnisque honoribus, vt iustum regni *Anglicani* heredem afficiunt. MARGARETA prętera sorore Regis EDOVARDI, quæ *Carolo Burgundiæ* Duci in matrimonio collocata erat, factionem grauiter promouente, per IOANNEM Comitem *Lincolniæ*, ELIZABETHAE EDOVARDI Regis sororis filium (etsi ad vanum illum rumorem infringendum EDOVARDVS ex arce eductus, palam se in frequentissima *Londini* supplicatione visendum ostendisset) magno exercitu conflato, puerόque ex *Hibernia*, cum copijs *Hybernensium* accersito, ingenti & dubio prælio HENRICVS cum aduersarijs confligere coactus, victoria contra eos potitus est. Abstinuit HENRICVS à cæde sacerdotis, ordinis reuerentia, custodię ęternę tradere eum contentus; multόque magis à pueri, propter ętatis tyrocinium. *Lambertus* postea pro sceptro, veru in regia coquina vertebat, alijsque sordidis muneribus fungebatur. *Pol.*

POSTQVAM iam hic de EDOVARDO *Warwicensi* rumor vbique raucus factus est, biennio post, MARGARITAE maxime opera alius rumor, de nouo & rediuiuo RICHARDO *Eboracensi* duce, EDOVARDI Regis filio (qui nihil aliud fuit, quam ignobilis quidam inuenis *Tornacensis*, linguam *Anglicam* callens) excitatus est. Quem aliquandiu *Carolus* Rex *Galliæ*, aliquandiu *Iacobus* Rex *Scotiæ*, cui ille, vt eum magis ornaret, & contra HENRICVM armaret, *Huntelei* Comitis filiam ipsi propinquam, in matrimonio collocauit, *Hiberni* etiam, præter multos in ANGLIAM factiosos, vt germanum & genuinum EDOVARDI Regis filium suis studijs auxilijsque fouerunt. At & ille tandem, & multi, qui se illi in ANGLIA adiunxerant, capite luerunt. Sed nec intra eos fines & ausus, perditorum huiusmodi stultitia, & temeritas se continuit. Exortus est enim *Patricius Augustinianus* monachus, qui discipulum quendam suum in EDOVARDVM *Clarentij* filium de integro, aliorum periculo nihil deterritus, tranformauit & traduxit. Sed hæc seditio statim vbi nata est, & in ip.o primo conatu oppressa est. Discipulo perempto, monachus æternis carceris tenebris traditus. Ordinis honori datum, ne vita priuaretur. Quin & hoc his temporibus in ANGLIA obtinuit, vt si quis legere potuisset, etsi nulli sacro ordini foret initiatus, pari potiretur priuilegio. Quæ res cum multis peccandi illecebra esset, cum præsertim post eadem, aut similia scelera repetita, capitis supplicio eximerentur; HENRICVS parliamenti authoritate sanciuit, vt secundo huiusmodi hominum crimini, omne huiusmodi priuilegium intercluderetur: atque quo facilius postea dignoscerentur, vt huiusmodi stigmatici fierent, carne, quæ sinistro pollici subiacet, litera .M. quæ *Murdre*, id est homicidium significat, ijs, qui homicidij rei *Anno 4. ca. 13.*

postulabantur; ijs vero, qui furti, litera. T. quæ theft id est furtum significat, compuncta, notata & inusta. Imo postea cautum, vt si quis dominum, aut qui fidem & clientelam deberet, è medio tolleret, omni prorsus Cleri prærogatiua spoliatus communes ceterorum more pœnas lueret.

VT vero HENRICI saluti Deus, contra ascititios & personatos istos, EDOVARDI Regis, & *Warwicensis* Comitis filios, ita & contra duas grauissimas, ob tributa indicta, *Eboracensium*, inquam, illam, atque *Dunelmensium*, ac alio deinde tempore *Cornubiensium* seditiones, mira sua bonitate consuluit: summámque tandem & singularem, ab omnibus tam domesticis quam externis bellis quietem, & pacem illi benigne indulsit. Ad cuius boni cumulum & accessionem, & illa felicitas adiecta est, vt accuratior illa atque exquisitior, *Latinæ Græcæ* & *Hebraicæ* linguæ, multarúmque artium cognitio (quæ multis sæculis in ANGLIA iacuerat) & viri vndequaque doctissimi passim florescere inciperent. Decedensque tandem HENRICVS post annum vicesimum tertium, regnum omnibus rebus vndique beatum, præstans & florens reliquit. Ex multis legibus quas ad ecclesiæ & reip. commodum sanciuit; fuere aliquot quibus fœneratoribus obuiam itum est, & ijs qui rapiunt mulieres & matrimonia deinde cum illis ineunt. Cautum etiam est ne fraudi Episcopis alijsque ecclesiasticis præfectis esset, si eos, qui ex Clero incontinentiores essent, etiam carceri traderent. Fuit & illud sanctissime constitutum (quod vtinam hodie accuratius obseruaretur) vt tenuiores & inopes haberent, qui gratis causas ipsorum in foro disceptarent, neque quicquam litium causa quouis modo ab eis abraderetur. Vir erat insigni prudentia, modestia, temperantia, benignitate, ab omni fastu & arrogantia alienissimus. Iustitiæ diligens obseruator & cultor, quam tamen, prout res & tempus postulauit, misericordia & lenitate temperauit. Magna fuit erga Deum & Diuina, Deique sacerdotes pietate. Sacris quotidie audiendis valde intentus, vsque ad ternas binásque quotidie missas consummatas. Erga pauperes etiam admodum liberalis & benignus. Pecuniæ colligendæ populo videbatur plus iusto studiosus, ab ijs præsertim qui leges patriæ, quarum præuaricatoribus pecuniariæ mulctæ indicuntur, violarunt; quam tamen adhuc viuens meliore consilio restituit. Iussit etiam in supremis tabulis & omnem aliam, quę à iudicibus suis fiscalibus, præter æquum & bonum corraserat, ad ipsius vsus restitui. Sed ea in re, varijs obiectis impedimentis, nihil præstitum est. Quare optima cautio in ijs genus rebus est, vt suis quisque oculis & manibus, & non alienis post mortem vtatur.

An 3 e 5 & 6.
An 11. ca. 8.
Anno 3 ca. 2.
Anno 1. cap. 4.
Anno 11 ca. 12.

ET quoniam supremarum illius tabularum mentionem fecimus, non abhorrebit, credo, vel à nostro scopo, vel a lectoris vtilitate, si pauca ex eisdem aspergamus, quæ eximiam illius in Deum & Diuina pietatem, summámque erga pauperes & rempublicam iuuandam, illius propensionem demonstrare poterint. Hac igitur ille, in illis suis vltimis tabulis Deum oratione compellat. Domine IESV Christe, qui me ex nihilo creasti, redemisti, & prærordinasti ad hoc quod sum, tu scis quid de me facere vis, fac de me secundùm voluntatem tuam cum misericordia. Quam illum à pueritia orationem vsurpasse, ex ijsdem tabulis constat. Nobile ille illud *Londini* apud *Sauoiam* hospitium, pro centum pauperibus recipiendis atque fouendis construxit, cauitque in dictis tabulis, vt duo alia, alterum *Eboraci*, alterum *Couentriæ*, in quorum singulis idem pauperum numerus hospitio quotidie excipe-retur, construerentur. Ædificauit & prochotrophium *Westmonasterij*, inquo tredecim viri inopes, & tres fœminæ perpetuo suis sumptibus alerentur. Sex ille *Franciscanorum*, quos *Obseruantes* appellamus, cœnobia *Cantuariæ*, apud *Grinuichium*, & *Richmundiam* prope *Londinum*, apud *Suthamptoniam*, *Newarchi*, & apud *nouum castrum* exædificauit. Quibus, in dictis tabulis, magnas pecuniarum summas legauit. Templum collegij, quod HENRICVS Rex eius nominis *sextus Cantabrigiæ* posuerat, ab eodem inceptum, magnificè absoluit. Splendidum etiam illud saccellum *Westmonasterij*, magno sumptu atque magnificentia ab eodem est conditum. In quod cœnobium valde fuit liberalis & munificus. Nullúmque ferè fuit in tota ANGLIA monachorum, aut fratrum cœnobium, nullum collegium, cuius preces, ad animam ipsius Deo post obitum commendandam, sedulò non * expetierat. Legauit autem singulorum præfectis sex solidos & octo denarios, singulis autem eorundem presbyteris, tres solidos & quatuor denarios: ceteris non presbyteris viginti denarios. Et quoniam intellexerat, pyxides, in quibus sacrosancta Eucharistia conseruabatur, in varijs ANGLIAE ecclesijs ex cupro, aut ligno confectas; cauit vt in singulis eiusdem ecclesijs, in quibus argentea pyxis deerat, huiusmodi, cáque etiam aurata suo sumptu poneretur, cuius pretium quatuor libras conficeret. In commemorato *Westmonasterij* sacello, splendidè humatus est. Cui inter alia

* alias expetierit.

legauit

legauit partem ligni dominici, ex *Chio* ad se allati, & vnam ex tibijs diui *Georgij* Martyris; voluitque, vt in præcipuis dierum festorum solemnitatibus, super altari ibidem ad illud ornandum ponerentur. Ecclesiæ autem *Windesorienſi*, imaginem auream diui *Georgij* martyris, ingentis pretij & magnitudinis donauit. Publicam autem illam viam, quæ ducit à *Windesorio Londinum*, & inde *Cantuariam*, suis sumptibus refici præcepit. Cetera autem id genus non erit necesse accuratius persequi.

De grauissimo illo schismate Romanæ *ecclesiæ, in* Constantiensi *concilio sublato, & de* ANGLORVM *Pontificibus, qui illic interfuerant. De concilio* Basileensi *& nouo schismate ibidem orto, deque rebus hoc sæculo inter* Romanorum *Pontifices, &* ANGLORVM *Reges gestis.*

CAPVT VIII.

COMMEMORARE iam antea occœpimus de schismate, quod sedente *Romæ* VRBANO *sexto* ortum, diutissime ac atrocissime, quinquaginta circiter annis, ecclesiam vexauit & dilacerauit. Quod malum, quomodo & quibus rationibus sit vel propagatum, vel tandem * Dei benignitate eradicatum, quamue inter ceteros ad illud exscindendum, Reges Pontificésve nostri operam adhibuerint, quanto possumus compendio disseremus. Ingessit itaque primum pseudopontificem, *Gallicorum* Cardinalium (quod licentiosam eorum vitam VRBANVS castigare, & frenare occiperet) factio; huic *Clementi septimo* nomen indidere. Quo post quindecim annos mortuo, *Petrus de Luna* simili vitio creatus est. Qui triginta annis se pro vero & germano papa perperam gessit, & *Benedictum* se (actibus eius huic nomini parum respondentibus) dici voluit. Sed cum pernitiosi huius schismatis pestis viginti octo annis grassaretur, Cardinales INNOCENTIO *septimo* iam defuncto, ad noui pontificis optionem coëuntes, commodum & opportunum, tanto malo tollendo, remedium pie excogitarunt. Iuramenta enim inuicem *Romæ* in *Vaticano* dederunt, quæ & proprijs chirographis firmarunt, vt si (quo maturius in certam & optatam ecclesia pacem coalesceret) vitiosus Papa *Benedictus*, aut qui in eius locum eadem vitiositate subderetur, cederet; is quoque, quemcunque ex ipsis optari contingeret, similiter, cum id ab eo postularetur, cederet: vt, cum nemo esset qui se opponeret, tertius aliquis iustis omnium suffragijs assumeretur, cuius electio nulla ex parte esset controuersa. Qua lege & etiam eos constrinxerunt, qui forte absentes ad *Romanæ* ecclesiæ gubernacula vocarentur. Eligitur itaque Cardinalis *Angelus*, qui *Gregorii duodecimi* postea nomen induit. Qui pactionem antea initam, Pontifex designatus, & religione sua, & chirographo ratam habuit. Quin & *Benedictus* simile iuramentum, quo primum tempore per factionem creatus est, interposuit.

* al. Superum.

Platina.

Anno 1378. Onuphrius. Onuphrius.

Th. Walsi. 1408 Plat. in Greg. 12

POST triennium indictum est *Pisanum* concilium, maxima illuc Episcoporum & aliorum ecclesiasticorum Procerum, cum Cardinalibus, qui tam *Benedicto* quam *Gregorio* deuoti erant, frequentia confluente. Sed cum neuter à promissione & iuramento suo staret, miriſque vterque collusionibus, & præuaricationibus pium concilij desiderium frustraretur, neutérque se abdicari pateretur; concilij vterque authoritate exauthoratus est, & post vicesimum diem ALEXANDER *quintus* maximis concilij suffragationibus delectus est. Absolutæ cuiusdam in ALEXANDRO pietatis atque doctrinæ magnitudo, valde hominum animos erexit in summam spem, qua confidebant, solidam per eum pacem, & vetera sua ecclesiæ valde deformatæ ornamenta restituenda. Sed vt optima quæque præcipiti cursu è medio fere auolant, ita hanc omnem spem præmatura ALEXANDRI mors eluſit & elisit. Eo itaque, anno nondum emenso, fatis concedente, *Ioannes Vigesimus tertius Romanæ* ecclesiæ gubernaculis admouetur. Cumque *Benedictus* & *Gregorius* pristinæ pertinaciæ adhærescerent, summique Pontificis munera nihilominus obirent, & ita tres pro vno, summam illam ad se administrationem raperent, miris ecclesia vndique dissidijs & altercationibus, quasi in monstrum transformata, quæ, instar Hydræ, vno in corpore multa capita, vnum

Thom. Walsin. Plat.

Bononiæ

Bononiæ in *Ioanne Vigesimo tertio*, alterum *Arimini* in *Gregorio*, tertium in *Benedicto* in *Hispania* gestaret, iactata & dilacerata est. Quibus rebus, vt succurreretur, frequentissimum illud apud *Constantiam* in *Germania* conciliũ confluxit. Cui patriarchæ quatuor, Cardinales viginti nouem, Archiepiscopi quadraginta septem, Episcopi centum sexaginta, Abbates & Doctores quingenti quatuor interfuisse, & inter pascha & pentecosten sexaginta millia & quingenti externorum hominum in ea ciuitate recensiti traduntur. Multi itaque Pontifices, multi Reges, & cum primis *Sigismundus* Imperator, de quo commemorauimus, nihil diligentiæ, ad tetrum hoc schisma obruendum, prætermisere.

Arnoldus Pontanus in chronicu.

INTER quos & HENRICVS Rex ANGLIAE eius nominis *quartus*, ad quem Cardinalis *Biturien sis*, ab alijs Cardinalibus contra *Gregorium* missus est, diligenter elaborauit, literasque tam ad *Gregorium duodecimum* quàm Cardinales scripsit. In literis ad *Gregorium* recitat quam immanis cædes edita sit, in his factionibus tuendis, & summam cæsorum dicit, vt ferebatur, fuisse ducenta hominum millia, præter triginta millia recentiori strage absumpta, in concertatione duorum ob *Leodiensem* Episcopatum: quorum alter veri, alter pseudopontificis se authoritate muniebat. Rogat denique diuturnam pertinaciam deponat, neue apud eum plus sui honoris amplitudo, quam promissio, fides, religio ecclesiæque concordia præponderet; & germanam verę illius ac laudatę matris pietatem, in illa sua cum adulterina & commentitia matre apud *Salomonem* concertatione, æmuletur, quæ maluit filio cedere, quam illum gladio cædi. Cardinales hortatur vt omnem industriam operámque adhibeant ad schisma profligandum, vt honori & dignitati *Gregorii*, si se abdicet, quam amplissime consulant. Extant & THOMAE *Arundelli Cantuariensis* Archiepiscopi ad ipsum *Gregorium*, extant Cardinalium ad Regem HENRICVM, ad THOMAM *Cantuariensem*, adque Episcopos suffraganeos contra *Gregorium* literę, Et valde quidem nostratium hominum ingenia, hęc quæstio & deliberatio torsit, multáque quo modo huic schismati occurreretur, & diligenter excogitata, & prudenter prouisa. Quibus nos de rebus per summa compendia iam aliquid perstringemus. THOMAS itaque *Cantuariensis* luculenta sane, & accurata oratione apud *Gregorium* per literas deplorat exitialia illa mala, quæ omni Christiano orbi, pestiferum illud tot pontificij competitorum schisma inuexerat; in optimam se tamen appropinquantis alicuius tranquillitatis spem erigi aiebat, propter summum, quod *Gregorius* præ se ferebat, ad illud pacificandum studium. Quas sanctas cogitationes vt gnauiter perficiat, atque absoluat, illum etiam atque etiam hortatur. Sed *Gregorius* impotenti quadam dominationis retinendæ cupiditate abreptus, & sua promissa varijs frustrationibus eludebat, multaque meditabatur, quæ conceptam reconciliationis, atque pacificationis spem omnem prorsus abrumpebant. Quæ omnia Cardinales per literas ad Regem, ad *Cantuariensem*, & alios ANGLIAE Episcopos missas, perque BVRDEGALENSEM Episcopum atque Cardinalem, quem hanc ipsam ob causam in ANGLIAM ablegarunt, abunde significabant.

Quæ extant apud Iho. Walsi.

In Archivis Tho. Arund.

BVRDEGALENSIS in renuncianda legatione, biduo in summis totius regni comitijs, à Rege, Episcopis, & Proceribus, alijsque ordinibus auditus est. Apud quos prolixè de hac tota re disseruit, ab his sacræ scripturæ verbis, *Verbum mihi est ad te ô Princeps*, exorsus. Cúmque ostendisset munus esse cuiusuis Christiani principis ecclesiam tueri, explicat summam difficultatem, quæ in tollendo illo schismate versabatur, neque potuisse commodiorem atque expeditiorem illius opprimendi rationem iniri, quam quæ iam inita erat; id est, vt non modo competitores, qui alienam sedem inuadebant, sed & ipse Pontifex, qui sine vitio, & legitimè creatus erat, vt schisma radicitùs extirparetur, pontificatu cederent.* Multa, inquit, libris, ad singulas factiones tuendas conscriptis, sed frustrà, & ad maioris contentionis seminarium; quin & bello multa tentata, sed quam illa infeliciter ceciderint, ANGLIA præ ceteris nationibus rebus ipsis experta est. Sed nec œcumenicum concilium satis firmas, & solidas vires ad hoc malum obruendum habere videbatur, cum quęlibet factio ad se potissimùm, illud indicendi potestatem raperet; & suarum partium viribus, ad id conficiendum abuteretur. Periculum præterea erat in tanta Principum & populorum distractione, atque dissensione, cum singuli suo, cui deuoti erant, Pontifici mordicus & præfractè adhærescerent; ne synodi authoritas vilesceret, neúe res fortè in cruentum aliquod bellum erumperet. Eam itaque potissimum rationem dominari, & reliquarum principem fuisse, quam Cardinales post obitum *Benedicti* diuinitùs amplexi sunt, vt competitores omnes ad spontaneam cessionem deducerentur. Cuius rei cum præ-

Oratio eius extat in archiuis Cant.

4. Reg. 4.

** alias* Multi inq. libri *a. f. f. s.* conscripti.

clara

clata iam fundamenta posita essent, & non modo *Petrus de Luna*, qui se *Benedictum* appellabat, sed & verus atque germanus Pontifex *Gregorius* sacrosancta religionis contestatione, abdicationem cum res postularet, tam ante, quam post suam consecrationem, promisisset, eamque literis tam ad Regem ANGLIAE, quam alios principes missis renouasset, iamque dies & locus vtriusque consensu, apud *Senas* dictus esset colloquij de cessione ineundi: reiecta *Gregorius* pacificationis ecclesiæ, iuramentique sui memoria, multa cepit apud *Lucam* ciuitatem consilia, tum in novis Cardinalibus contra promssum designandis, tum mandato dato, ne quisquam cum nunciis *Petri*, nisi ex sua scientia & voluntate colloqueretur, tum etiam de ipsis Cardinalibus carcere claudendis, pernicioſe agitare, multaque frustra tergiuersando prætexere, cur diem & locum colloquii præscriptum non obiisset.

CARDINALES itaque, tum salutis suæ causa, tum quòd viderent *Gregorium*, nihil minus quam de fide liberanda ecclesiaque pacificanda cogitare, à *Luca Pisas* discessere, cum præsertim non obscuris indicijs deprehenderent, *Gregorium* & *Petrum* pernitiose inuicem colludere, orbique scelerate illudere; alterumque eorum dixisse, Pontificatum *Romanum* tam esse amplum, vt posset duobus idoneè satisfacere, & tam *Gregorium* apud *Petrum*, quam *Petrum* apud *Gregorium* clandestinis nuncijs occulta consilia inisse. Quare Cardinales tam illos, qui à *Petro* quam qui a *Gregorio* stabant, *Pisas* iam confluxisse, & animum prorsus ad pacem ecclesiæ resarciendam, omnesque rationes tentandas, quibus vtrumque ad cessionem cogerent, obfirmasse. Ad quod conficiendum œcumenicum se concilium, sine præiudicio tamen *Romanæ* sedis, propter summam illam ecclesiæ perturbationem, rerumque necessitatem *Pisis* indixisse. Orare itaque se Cardinalium nomine, à quibus esset missus Regem, vt in tam sancta & salutari re, suam quoque omnem operam, studium & auxilium coniungeret: quo tandem post tot & tam longas, tamque luctuosas iactationes & tempestates pernitiosi schismatis, ecclesia posset in solida aliqua quiete atque pace, quasi in securo portu consistere. Atque huc potissimum *Burdegalensis* oratio spectabat. Scripserat vero & *Gregorius* ad *Cantuariensem* & alios Episcopos literas, quibus eos, ne à se deficerent hortabatur, causasque se iustas & idoneas habere affirmabat, quod locum colloquio dictum, quasi iustæ suspicioni obnoxium, recusasset. In quibus & contra Cardinales inuehitur, qui à *Luca Senas* discesserant. At illi cum *Pisas* peruenissent, quasi in securo & tuto iam loco constituti, à *Gregorio* ad œcumenicum concilium prouocant. Cui prouocationi interfuere inter ceteros, THOMAS *Carliolensis* Episcopus, & *Guilielmus Westmonasterienſis* Abbas.

DVPLICEM his temporibus, eodémque in anno synodum, THOMAS *Londini* indixerat, alteram mense Iulio, alteram post aduentum *Burdegalensis* in Februario: in quibus magnis & longis consultationibus deliberatũ est, quomodo tam execrabili schismatio viam iretur: vtque Deus facilius ad misericordiam prouocaretur, cœptaque consilia suo propitio numine feliciter gubernaret & regeret, preces & supplicationes accuratius solito, singulis quarta & sexta ferijs vbique per ANGLIAM, ex Archiepiscopi mandato adhibitæ sunt. In literis vero, quibus synodum THOMAS indixit, calamitates, quæ ex nefario illo schismate in ecclesiam inundarant, graphicè sane depingit. Conuenerat etiam, ad eadem tempora & ob eandem causam, frequentissima in *Gallia* apud *Parisios* synodus, quæ literas ad *Cantuariensem* & alios ANGLIAE Episcopos misit, ad communes operas communicandas, ad schismatis extirpationem. Venere & aliæ eadem de re literæ à *Parisiensi* Academia, consulitúrque nostris, vt neutri se Pontifici addicerent. At nostri cum attentissimas suas ad aliquot dies, in harum rerum consideratione atque deliberatione, cogitationes posuissent, huc frequentibus sententijs decurrunt, non vt omnem quidem obseruantiam *Gregorio*, iusto videlicet Pontifici & sine vitio creato, abrogarent; sed vt omnes honestas rationes inirent, quibus eum ad fidem & promissa liberandum inducerent. Atque vt id efficatius conficerent, amplissima ad eum ex ANGLIA legatio mittenda decernitur. Et cum intelligerent pecunias, quæ copiose ex ANGLIA illi affluebant, magnam illi pertinaciæ tuendæ occasionem præstare, cautum est in synodo, ne quicquam ecclesiæ *Romanæ* suppeditetur. donec certa pacificatio inita esset. Collecta interim pecunia, rebus pacatis, bona fide Pontifici redderetur. Ornauit & Rex hanc synodum sua præsentia, decretáque magno consensu probauit, quantumque ex illis ecclesiæ perturbationibus, & dissentionibus caperet dolorem, nobili & Christiana illa voce testatus est; qua palam professus est, vel corporis sui interitu, & pernicie, omniumque membrorum laniena & discerptione, ecclesiæ se pacem libenter redimere velle. *Anno 1408.*

DECRETVM vero est, vt hanc legationem obirent HENRICVS *Wintonienſis* Episcopus. Abbas *Salopienſis*, *Henricus Scropus* Baro, & vtriusque Academiæ Cancellarij. Ad *Pisanum* autem concilium delegati sunt ROBERTVS *Sarisburienſis*, & HENRICVS *Meneuenſis* Episcopi, cum Priore cœnobij *Seruatoris Cantuariæ*. At longe illustrior numerus ad *Constantienſe*, vt postea dicemus, concilium missus est. Ratióque inita est in synodo de sumptibus, à Clero omnibus his profecturis suppeditandis. *Cantabrigienſis* autem eo tempore Cancellarius fuit *Henricus Derhamus*, cuius & antea opera HENRICVS *quartus* vius est, eumque suum Oratorem ad *Gregorium* misit. Qui cum liberiùs ageret cum illo, & eum ad ecclesiæ pacificationem, pontificatu deposito permoueret, iniquo id *Gregorius* animo tulit, omnibusque eum ecclesiasticis beneficijs spoliauit. Qua de re Cardinales apud Regem conqueruntur, rogántque ne tantam innocenti homini iniuriam irrogari patiatur. *Gregorius* vero tandem, post longas tergiverſationes, per procuratorem spontanea & absoluta cessione pontificatui renunciauit. Ob quam animi ad ecclesiam pacificandam promptitudinem, agri mox *Piceni* legatione à synodo amplificatus est. Sed *Ioannes* quidem, cum ante istam cessionis à *Gregorio* promissionem, concilio aliquandiu præsedisset, & bonam patribus spem, se in concilij potestate futurum iniecisset; & cessionis, sed conditione implicatæ, promissione, si videlicet *Gregorius* & *Benedictus* renunciarent, astrinxisset; repentè turpitet se inde clam proripuit. Quæ illius fuga, omnem illam spem, Patrumque pia consilia valde conturbauit. Mittuntur itaque legati, inter quos fuit *Thomas Poltonius* Decanus *Eboracenſis*, Apostolicus pro natione *Anglicana* potographeus, qui eum ad concilium euocent. Decerniturque quod si redire, vel pontificatui, vt pax ecclesiæ inde maturius coiret, cedere recusaret; concilij totius suffragijs, Pontificatu vel inuitus detruderetur.

QVARE cum multa, grauissimáque contra eum crimina (quibus audiendis & discutiendis LICHFELDENSIS Episcopus, & *Thomas* cœnobij diuæ MARIAE in suburbio *Eboraci*, inter alios præfecti sunt) cumulata essent; neque interpellatus causæ suæ disceptationi defensionique interesse voluisset; synodi decreto pontificatu est exutus, quod se & ante promulgationem ratum habiturum, & grauissimam suæ fugæ culpam agnoscere, pœnitentiamque maximam ideo capere dixit. Intercluſus fuerat in fuga *Ioannes* ante hanc sententiam, & in carcerem non procul à *Constantia* coniectus, missus postea ad *Ludouicum Bauarum*, apud quem triennio fuit in custodia. Restabat iam maioris prioribus mali moles depellenda, quod grauius per *Benedicti* pertinaciam grassabatur: cui *Hispani* & alij aliquot populi deuoti, & addicti erant. Ad quam vel deprecationibus flectendam, vel authoritate frangendam, missi sunt à synodo oratores, cum denunciatione imminentis abdicationis & diræ execrationis, ni sponte præfecturam ad præscriptum diem deponat. Quin & *Sigismundus* ipse *Augustus*, pro insita pietate, & flagrante pacis ecclesiæ conciliandæ studio, ad *Ferdinandum Aragoniæ* Regem per ANGLIAM & *Franciam*, vt & illarum Reges ad tam pium obsequium communes operas consociarent, profectus est. Nec destituit tantam pietatem felix successus. *Ferdinandus* & alij principes *Benedictinæ* factionis, cum *Benedictum* frustra hortati fuissent, vt se in concilij potestate totum poneret, nec ab indurata eum pertinacia dimouere possent; ab eo ad Patres synodi desciscunt, professi, se illius authoritatem sacrosanctam habituros. *Benedictus*, multis nomini ipsius, sicut & prius *Ioannis*, ignominijs & notis ad summam eius infamiam inustis, decreto synodi in ordinem, priuatámque conditionem redigitur; graui interminatione addita, ne quisquam ei deinceps tanquam *Romano* Pontifici pareat: & religione fidéque, quam illi dederant, *Ferdinandus* cum alijs Principibus exolutus est.

Platina.

Conc. const. sess. 14 pa. 833. sess. 16 p. 849.

Sess. 30. & 37.

CVM itaque omnia impedimenta synodus esset amolita, in summa iam omnium expectatione noui Pontificis cooptatio erat. Nam & id inter alia prius in synodo cautum, ne comitia prius dimitterentur, quam nouus aliquis Pontifex in abdicatorum locum immigrasset. Cuius licet, more à patribus ducto, optio penes solos Cardinales foret, vt tamen maiore niteretur authoritate, & ipsas quasi fibras futuræ aliquando contentionis euelleret, quasi extra ordinem decretum est, tum, ne quisquam ex his competitoribus quouis modo reoptaretur; tum, vt Cardinalium suffragijs hactenus insolens, sed hoc solum tempore visa necessaria, accessio adderetur. Accumulantur itaque ex quinque nationibus, sex alij in quauis natione, vt eorum quaque suffragia simul concurrerent, vtque in eodem cum Cardinalibus conclaui includerentur. Nationes vero, per quas noua cooptatio expediebatur, fuere, *Italia*, *Germania*, ANGLIA, *Gallia*, & *Hispania*. Ex ANGLIS vero conclaue ingressi sunt, RICHARDVS *Gilford Londinenſis*, NICOLAVS *Bathonienſis*, IOANNES *Licheſeldenſis*, & IOANNES *Norwicenſis*

Sess. 14. pa. 828.

Sessio. 12.

Sessio. 40.

Sess. 41. & Th. Walsin an. 1417

Norwicensis Episcopi, cum *Thoma* Abbate, & *Thoma Eboracensi* Decano prius commemoratis. Interfuere vero huic concilio, & alij ex ANGLIA Episcopi, vt ROBERTVS *Habanius Sarisburiensis* (cui synodus, & alijs quibusdã adiunctis, causarum ad ipsam delatarum cognitionem mandauit) HENRICVS *Beuforduus Wintoniensis*, & ROBERTVS *Herefordensis*. Ex inferioris vero classis hominibus, *Westmonastery* & *Burtensis* Abbates, Prior *Wigorniæ*, & *Fontis Clericorum* siue *Clerkenwalli*, apud *Londinum*, & *Ioannes Fitton* Canonicus *Sarisburiensis*, cum vtriusque Academiæ, *Oxoniensis* & *Cantabrigiæ*, Cancellarijs. Quin & Comes *Warwicensis* eodem tempore cum *Bathoniensi*, *Sarisburiensi* & alijs ad synodum profectus est. Interfuit & singulare illud ANGLIAE nostræ ornamentum *Thomas Waldenus*.

Sess. 9 pa. 796. Th. Walsi. 1414 & 1417 & cont. Polid. chron. Sessio. 11. Dominica octauarum. Walsing. 1414. Ioan. Leland.

INCIDI vero in librum quendam, manu, ijsdem vt apparet temporibus, synodóque adhuc nondum dimissa scriptum; qui recitat interfuisse ex *Anglicana* natione decem Episcopos, & duos alios, sed nondum consecratos, protographeos siue protonotarios apostolicos duos, Abbates septem, qui in Theologia, quindecim, qui vero in iure ciuili & canonico doctoratus laureâ, & insignia consequuti essent vndecim, & ex his qui inferioris gradus viginti quinque: supra alios centum, qui absentium prælatorum, cathedraliúmque ecclesiarum procuratores fuerant. Sed non satis mihi exploratum ex lectione est, vtrum hunc numerum ad eos solos referat, qui ANGLIAM & *Walliam* incolunt; an diffundat ad *Hiberniam* etiam. *Scoros* autem à concilio abfuisse traditur, vt qui toti *Benedicto* proterúe addicti fuerant; nec in delectu nationum, nec in suffragijs dandis eorum habita est ratio. Decretúmque vt iusta, atque consummata omnium nationum puncta retulisse censeretur, qui commemoratarum quinque nationum puncta, suffragiáque retulisset. *Hiberniæ* vero Episcopos, sua contulisse suffragia in hac synodo, constat. Antequam vero conclaue ingressi essent, *Augustus* ipse cum suis principibus omnes domus illius angulos excussit, ne quid ibi esset commeatus, neue locus aliquis clancularius, per quem aliquid ad inclusos surreptitiè introferri posset. Egressus duabus seris ostium clausit. In eo autem ostio fenestella, siue foramen quoddam ad vnius pedis longitudinem & latitudinem inerat, per quod immittebantur cibi, quibus illatis, duabus illud seris obstruebatur. *Edmundus Burtensis* Abbas, & *Ioannes Fontis Clericorum Londini* Prior, erant genti *Anglicanæ* à cibis præguſtandis. Nec inferebatur nisi vnum & simplex cibi, pro ratione temporis, genus, cum iure. Quæ obseruatio à CLEMENTIS *sexti* decreto, iam antea manauit.

Plati. in Io. 24.

Th. Walsi. 1417

Ibid. & cons. Const sess. 41.

PRIMO atque secundo die, propter variatas suffragantium sententias, nihil firmi & certi decerni potuit. Tertio autem die, qui in feriam quintã incidit, & D. *Martino* sacer fuit, *Londinensis* in eum suffragatione præeunte; *Columna* Cardinalis iustis suffragijs cooptatus, & dominica sequenti solenni pompa initiatus, & triplici illa tyara redimitus. In qua *Fridericus Augustus* à dextro, *Fridericus* Marchio *Brandeburgensis* à sinistro latere, per equi frænum Pontificem deduxit. Incredibili omnibus lætitia gestientibus, ob exitiale illud schisma tandem extinctum, & quòd vir vnus omnium illo munere dignissimus, ad illud fastigium euectus esset. In hac vero pompa Clericus quidam, canabo & stuppa repentè accensis, flammáque mox euanescente, succlamauit, *Ecce Pater sancte, sic transit gloria mundi*. Quod & in alijs similibus summorum Pontificum cooptionibus, obseruari solet. Inter multa huius synodi decreta, (quæ si quis scire desiderat, habet fontes quos adeat, & vnde petat) fuit & illud, quo consuetudo ecclesiæ, quæ laicos ad vnicam tantum speciem in sacramento Eucharistiæ admittit, à synodo confirmatur & corroboratur; cum venerandum Christi corpus, totum & integrum, tam sub specie panis, quàm sub specie vini contineatur. Inita vero sunt inter MARTINVM & ANGLICANAM ecclesiam, sedente *Chicheleo*, quædã pacta atque conuentiones. Promisit itaque MARTINVS, se inter alia curaturum, vt numerus Cardinalium deinceps moderatior foret, ne ob multitudinem in contemptum venirent; talésque seligerentur, qui quam minimis posset fieri sumptibus, ecclesias onerarent, seligerentur autem ex omnibus promiscuè Gentibus, idque ex Cardinalium reliquorum voluntate atque consensu. Cumque ob indulgentias pontificias, ijs datas qui certa quædam templa inuiserent, ibique offerrent, quæstores indulgentiarij plus iusto in ANGLIA scaturirent, plebsque ea occasione loca illa, magna frequentia, adirent, & in fraudem presbyterorum Parochianorum decimas, atque oblationes suas illuc auerterent; facultas data est Episcopis vt idonee illi rei prospicerent, reiectis etiam, vbi scandalum ministrarent, indulgentijs illis.

Th. Walsi. 1417 Cons. Const sess. 41 & Th. Wal.

Thom. Walsin.

Sess. 13.

Ex registro Henrici Chichesti.

CAVTVM etiam est de moderandis, imo & rescindendis, si opus esset, ecclesiarũ, vicariarum præsertim, appropriationibus; imo vt, vbi res postulabat, vicariæ ita recens tempore schismatis alijs ecclesijs appropriatę atque attributę, certis rationibus reuocarentur. Infirmata etiam sunt

priuilegia quædã, quibus inferiores aliquot prælati, mitra & pedo, cum aliis pontificiis insignibus vtebantur. Conuentum ne ex pontificio diplomate, plura sacerdotia ad vnum & eundem hominẽ deferrentur; nisi forte aut generis claritas, aut doctrinę in aliquo magnitudo, exortem aliquam gratiam flagitaret. Conuenit ne deinceps, qui beneficijs ecclesiasticis ornarentur, ex pontificia gratia aliquod diploma obtinerent ne ad multos annos (imo ne vnquam, quod antea factum est) sacerdotio initiarentur; imo vt & in irritum reuocaretur, quod pontificio prius concessu atque beneficio ita indultum erat. Præterea ne quisquam, nisi ex vrgenti causa, quamque pontificium diploma aperte contineret, á residendo in beneficio excusaretur, neue quisquam Archidiaconus ecclesias per vicarios suos, sed ipsi per se lustrarent atque visitarent. Ad hæc, ne monasticæ vitę homines beneficia ecclesiastica, siue curam animarum implicitam haberent, siue non haberent, possidere permitterentur. Atque vt aliquot ex ANGLICANA natione, officijs atque muneribus in *Romana* curia, non minus atque aliarum nationum homines fruerentur. Indixerat vero eo, quo obijt anno, nouam MARTINVS *Basileæ* synodum: cui *Iulianum* Cardinalem pro se præfecit, vt & post eius mortem successor eius EVGENIVS. Cum enim crebritatem & frequentiam œcumenicorum conciliorum, valde ecclesiæ commodam & opportunam viderent, multásque ecclesiæ perturbationes ob earum raritatem inuectas: decreuere *Constantienses* patres, vt *Constantiense* illud, aliud nouum concilium, post quinquennium (cui MARTINVS *quintus Papiensem* ciuitatem assignauit) & illud, aliud post septennium, & nouum singulis decennijs exciperet. Atque hoc est *Basilienſe* istud, quod iam in manibus versatur.

Plat. in Mart 5. Const. concil. fol. 140

Basil. concil. sess. 2. pag 5.

CVM vero cœpisset numerosa, & frequens esse ex omnibus nationibus, (cui & RICHARDVS *Eboracensis* Archiepiscopus electus, inter alios ex ANGLIA interfuit) synodus ista: EVGENIVS, varijs illius animum causis huc solicitantibus, *Bononiam* transferre illam, post annum & dimidiatum illic inchoandam conatus est: eiusque rei gratia *Petrum Mellam* ad HENRICVM *sextum* Regem ANGLIAE delegauit, qui vrgeret cum ad synodum *Bononiensem* amplectendam, fouendam, & ornandam. Respondet HENRICVS; cum magna quædam non tolum innocentiæ & puræ putæ illius Christianæ viræ, sed & ipsius castæ fidei, quæ miſere schismatibus & hæresibus conscinderetur & constupraretur, in clero & populo labes atque ruina passim cerneretur, quibus malis maturè amoliendis, œcumenici concilij authoritas, primo tempore interponi, quasi præsentissimum quoddam remedium deberet: mirari se, aut longiores augendis malis moras innecti, aut aliam iam importune sedem concilij expeti, cum & maturum & iustum suum tempus, à *Constantiensi* concilio olim destinatum adesset (quod tamen ipse per legatos ad MARTINVM, propter temporum iniquitatem, malorúmque imminentium magnitudinem, anteuerti postulasset) & tam MARTINI quam EVGENII ipsius etiam iudicio, *Basilęæ* iam esset occœptum. Rogat ergo vt velit sibi constare, nec rem tam pręclare incœptam, aut tam opportunum, propter vicinitatem *Bohemis* reconciliandis locum, alieno tempore, alióve minus commodo loco disturbare. Absolueret itaque *Basilienſem*, quæ iam frequentissima erat. *Bononiæ* deinde, si quid aliud agendum temporum ratio flagitaret, aut quocunque loco videretur, de noua suo tempore synodo disceptaret, ad quam & ipse suos legatos lubens transmitteret.

In appendice conc Basil pa 217

Vide append. conc. Basil tom. 4 pag. 217.

VENERANT circa ea tempora in ANGLIAM & *Basileensis* concilij oratores, quorum princeps erat *Geraldus Landrianus Laudensis* Episcopus. Is apud Regem, Episcopos & regni Proceres, luculentam habuit orationem. Cuius summa bipartita erat. Altera pars in eo ponebatur, vt Regem & Proceres ad *Basileensis* synodi defensionem, patrocinium, & obsequium; altera, vt eos ab intestinis illis contra alios Christianos bellis traduceret. Multas magnásque causas subesse aiebat, cur synodum illam omni studio obseruantiáque complecterentur, quæ celeberrimi recentisque *Constantiensis* illius concilij, & quasi totius orbis Christiani authoritate, iam suo tempore coijsset; in quo doctissima ANGLORVM cum ceteris natio, sua honoratissima suffragia & symbola contulisset. Sua itaque constanter decreta tuerentur. Huc accedere quod & *Senensis* etiam concilii iudicio niteretur. Quid: quod cum summa indicendi authoritate, par etiam (quanta potest in humanum genus cadere) necessitas concurreret? Iacere iam passim priscá illam Christianorum in viuendo seueritatẽ & disciplinã perditos esse & contaminatos Cleri populique mores, & quod mali magnitudine ceteris præponderaret, factiones, schisma & hereses in *Bohemia* longè lateque, cum præsenti tetráque pierum & catholicorum hominum, totiusque tam Christianæ, quam ciuilis reipublicæ pernicie & clade diffundi. Fœde per factiosos illos homines, in diuina & humana omnia sæuitum; Augusta Dei templa

templa, venerandas aras, martyrúmque reliquias nefarie diſsipata; funeſte in catholicorum quos conſtantiores repererunt, quam vt ab auita religione deſciſcerent, corpora, funeſtius in ceterorum animas, quas erroribus ſuis circumuenerant, graſſatum. Atque vt omnem Pontificum Clerique obſeruantiam excuſſere, ita anarchiam illos meditari, velléque omnibus prorſus legibus ſolui. Dictitare enim omnes pari authoritate fungi, nec vectigalia, aut tributa Principibus pendenda. Iam feruere inter Chriſtianos Principes acerba bella, indéque populos, qui rebus omnibus abundare ſolebant, iam ad ſummam inopiam miſere detrutos.

His alijſque omnibus malis, quæ Chriſtianam remp. vexarent, quaſi præſentiſſimum remedium ab œcumenicis concilijs peti ſolere: nec aliunde magis illata, quam ex eorum inſolentia & raritate. Rogare itaque Patres *Baſileenſes* Regem, ab illuſtriſſimis parentibus, catholicæque fidei deuotiſſimis ortum, rogare Epiſcopos, Proceres & alios ANGLOS, quorum natio eloquentiſſimis, & prudentiſsimis hominibus mirum in modum abundaret, ita prorſus, vt totius humanæ & diuinæ ſapientiæ primæ iam olim huic deferrentur; quo ſelectiſsimos & primarios ex ſuis aliquot viros *Baſileam* mitterent, qui ſynodum ſua præſentia honeſtarent, conſilióque ad felicem exitum proueherent. Mitteret præterea & Rex ſuos etiam legatos, qui eam ornarent, & regia ipſius authoritate tuerentur. Rogare poſtremo aiebat, Patres, vt bellorum aliquando cum hoſtibus finem faciant, vt Chriſtiano tandem ſanguini, qui miſere vtrinque exturberetur, parcerent, vt pace ſtabili & ſolida aliquando inita, reſp. Chriſtiana perculſa, proſtrata, & euerſa, refici & recreari poſsit, & in ſpem bonam rerum omnium recte conſtituendarum, veteriſque dignitatis & felicitatis poſtliminio recuperandę erigi. Hæc & alia cauſæ ſuæ commoda, cum Epiſcopus peroraſſet, quæ non iacentibus, ſed erectiſsimis proniſque omnium auribus excepta ſunt: Regis nomine reſponſum eſt, ſe omnia ſua ſtudia, gratiam, & opem ad *Baſileenſem* ſynodum tuendam & amplificandam collaturum, Epiſcopósque ac alios ex Clero homines, cum legatis etiam ſuis, *Baſileeam* quam primum miſſurum. De pace autem cum aduerſarijs ſuis, in regno præſertim ſuo *Franciæ* coëunda, iam ante concilij literas acceptas, hortatione & opera Cardinalis ſanctæ crucis cœptum agitari, ſperaréque rem feliciter exituram. Quod ſi res aliter caderet, nec euentus ſuæ expectationi reſponderet, curaturum ſe, vt Patres per legatos ſuos intelligant, nihil à ſe iam, aut antea prætermiſſum, quod ad pacem conciliandam ipſe præſtare debeat.

EVGENIVS, vbi vidiſſet ſe in infirmánda *Baſileenſi* ſynodo, fruſtra nitendo, nihil aliud quam odium apud Epiſcopos & Principes, qui illius conatibus acriter intercedebant, quærere, & bello præterea graui premeretur; diplomate ſuo illam ratam habuit, liberámque omnibus illuc confluendi poteſtatem dedit. Verum bellis defunctus priores cogitationes capeſſit; nec vlla eas ratione, perſuaſione, aut terrore, deponere voluit, donec perfeciſſet: omnémque ſynodi œcumenicæ authoritatem, à *Baſileenſi* ad *Ferrarienſem*, & *Florentinam* deinde deriuaſſet. Hinc noui & graues tumultus in eccleſia emerſere. Pius ille & pacis amiciſsimus *Auguſtus Sigiſmundus*, vt longum anteà in ANGLIAM *Franciam* & *Hiſpaniam*, ad prius illud ſchiſma abolendum: ita ad has difficultates explicandas, & *Italicum* quoque iter confecit. Resque tandem, cum ſuum nihilominus propoſitum EVGENIVS conſtanter vrgeret, eo deuoluta eſt; vt *Baſileenſes*, eo exauthorato, *Amadeum Sabaudiæ* olim Ducem, qui *Felix quintus* dictus eſt, ſufficerint. Et omnia iam odioſis altercationibus paſsim perſtrepebant, ijs præſertim, quibus diſceptabatur, vtra eminentior eſſet, *Romani* Pontificis, an vero œcumenicæ ſynodi authoritas? valde hominum hac in re ſententijs diſtractis, dum alii Pontificis exortem & abſolutam, alij eam deprimendo, concilij ſupra omnem aliam authoritatem amplificarent. Feruent & hominum noſtratium in his contentionibus ſtudia, & frequentiſſima *Londini* Synodo, his de rebus exquiſite diſceptatum eſt, de quatuor potiſsimum quæ in controuerſiam vocata ſunt.

Platina in Eugenio.

Seſſ. 13 pag. 39.
Seſſ. 34.
Seſſ. 39.

Anno 1412 ex Archiuis Henr. Chicheleæ.

QVAEREBATVR itaque primo, Vtrum fas eſſet EVGENIO concilium, contra priora MARTINI *quinti* & *Conſtantienſis* Concilij decreta, ad alium à *Baſilea* locum transferre? Et maximis tandem Cleri ſuffragijs huc itum eſt, vt tranſlationem illam idoneam & legitimam fuiſſe decreuerint. In diſceptationem proximo loco venit, Vtrum, ſi forte concilij *Baſileenſis* fautores, pontificiam EVGENIO dignitatem abdicarent (quam & poſtea, quoad in ſe fuit, abdicarunt) & alium pro illo fufficerent, EVGENIO amplius parendum foret? Reſponſum eſt ſummo omnium conſenſu, EVGENIO nihilominus, & non illi alteri

ascititio Pontifici parendum; nisi forte aliæ causæ adhuc abditę atque reconditę emergerent, ob quas, secundum canonum scita, ab illius obseruantia fas esset recedere. Et quoniam in *Basileensi* synodo de *Bohemis*, ad fidem catholicam, *Romanæque* sedis obseruantiam vehementer laborabatur, & vt expeditius hoc negotium conficeretur, nonnulli dissimulandum atque conniuendum in quibusdam existimabant; atque *Bohemorum* postulationi cedendum, in eucharistia videlicet sub vtraque specie dispensanda, in concionibus ad populum tam per Diaconos quam per Sacerdotes habendis, in temporalibus, vt appellant, possessionibus Clero adimendis, in grauissimis criminibus publica animaduersione castigandis: ANGLICANVS Clerus in his & alijs id genus, nullo modo *Bohemorum* desiderio indulgenter cedendum arbitratus est, neque vel in minima re à veteribus *Romanæ* ecclesiæ scitis recedendum. Nunquam enim futurum, vt ad solidam & stabilem aliquam *Bohemi* pacem redirent, apud quos vniuersæ ecclesiæ authoritas, eiusque instituta ab antiquissimis temporibus ducta, adeo vilescerent. Imo hinc omnem hæreseon seminarium manare.

IDEM etiam propositum est in deliberationem, quid ANGLI, si concilium non per nationes, vt olim consueuit fieri, sed per deputatos procederet, resque agitaret (vt recens factum est) sequerentur? Responsum est omnia illos, qui ad concilium mitterentur, tentare debere. vt res non per deputatos, sed per nationes in concilio expedirentur. EVGENIVS autem licet propositum illud suum de *Basileensi* concilio transferendo, aliquandiu (vt dixi remisisset; acriter illud tamen postea vrgebat, & ad id omnino perficiendum prorsus se obfirmarat. Literas itaque cum ad alios aliarum regionum, tum ad HENRICVM *Chicheleum Cantuarien-sem* Archiepiscopum mittit, cui & alijs ANGLIAE Episcopis, cœnobiorúmque præfectis atque alijs mandat, vt *Ferrariam* concilij celebrandi causa se conferrent, simúlque significat, Imperatorem *Constantinopolitanum*, cum Patriarcha & alijs *Græciæ* Episcopis eò, vt pax aliqua tandem stabilis, & firma inter *Romanam*, & *Græcam* ecclesiam iniretur, propediem aduenturum. HENRICVS, indicta apud suos synodo, summi Pontificis voluntatem renunciat, mittitque deinde HENRICVS Rex ad *Cantuarien-sem* & alios Episcopos in synodo assidentes, Comites *Strasfordiæ* & *Suffolciæ*, & alios ab intimis concilijs, qui eos ipsius nomine admonerent, vt illustres aliquot ex Clero, & illi muneri maximè accommodatos atque idoneos seligant, qui *Ferrariam* peterent. Qua adhuc synodo durante, aduenium nouæ summi Pontificis literæ, quibus significatum est, appulisse *Venetias* Imperatorem *Constantinopolitanum* cum suis Episcopis, *Ferrariam* mox petituros.

EVGENIVS vero celeberrimam hanc synodum *Ferrariæ* incœptam, tam alijs principibus & Episcopis, quam ijs ipsis, qui *Basileen-sem* antea tuebantur, desciscentibus, feliciter & fructuosè *Florentiæ*, quo propter pestem inolescentem translata est, absoluit. Eóque, vt diximus, loci, Patriarcha *Constantinopolitano*, cum ipsis totius *Græciæ* Episcoporum luminibus, ipsóque adeo *Constantinopolitano Augusto* confluentibus; *Græca* ecclesia, tam diu & toties dissecta, in vnam fidei & dogmatum cum *latina* ecclesia sententiam, maxima & optatissima animorum conspiratiane conuenit. Agnouere itaque Spiritus sancti tam à patre quam à filio (quod hactenus noluerunt) processionem. Agnouere singularem & primam *Romanæ* ecclesiæ, in omnem Christianum orbem, prærogatiuam. Agnouere expiatorium illum animarum defunctarum, quod purgatorium appellamus, locum. Quin & *Armenij*, in vnam cum *Romana* & *latina* ecclesia, diuturnis erroribus iactati, eodem loco & tempore fidem coiere. Ad hanc *Ferrariæ* synodum, totius regni consensu missus est *Gualterus Hunt*, siue *Venantius*, ex *Carmelitano* instituto, vbi & luculentum ingenij, doctrinæque suæ testimonium dedisse traditur. Qui cum multa alia oppido quam docte, tum & acta *Ferrarien-sis* huius & *Florentinæ* synodi, scriptis complexus est, & post reditum, accuratum & exquisitum egit theologiæ apud *Oxonien-ses* professorem. Sed hanc *Ferrarien-sem* siue *Florentinam* synodum, *Basileen-ses* pro spuria & adulterina, nec œcumenica haberi volebant; & suam quadriennio postea continuarunt. Nec vlla pax, viuo EVGENIO, reddita est. Quo defuncto, & NICOLAO *quinto* suffecto, *Friderici Augusti* solicitatione, & *Amadeus* sponte malè partum depositit imperium, & extinctum est. XXVIII. schisma, quo *Romana* ecclesia diutissimè ac sæuissimè vexata & dilacerata fuit.

Vide literas vnionis to. 4 Con. pag. 405.

Vide dict. 4 to. pag. 492.

Ioan Leland.

Plat. in Nico V. & Onuph. in fastis pontif. & imper.

APVD *Felicem*, vt se vsurpato dominatu ad ecclesiæ pacificationem exueret, *Ioannes Bo-tellus Hierosolymitanæ* in ANGLIA domus Prior, & *Clemens* Theologiæ professor (quos suos, ad NICOLAVM recens designatum summum Pontificem, legatos HENRICVS miserat) ipsius NICOLAI rogatu, magnam & fructuosam operam posuisse traduntur. Et vt

reliqui

reliqui, ita *Basileenses* tandem pertinaciam exuere, & se ad NICOLAI authoritatem adiungere, omnésque sensim tum Academiæ, tum alij, qui concilia supra pontificem extulere, ad contrariam sententiam, & cum primis vir ille insigniter doctus, *Æneas Siluius*, qui summus Pontifex postea designatus, PII *secundi* nomen sibi asciuit, defluere cœperunt. Quam iam passim ecclesia complectitur. Atqui, vt *Basileenses*, *Bohemis* suas hæreses excutere non potuere (quam tamen maximam causam illius synodi non remouendæ prætendebant) ita *Græci* qui in *Italia* hæreses suas excussere, paulo post ad easdem, quasi canis ad vomitum rediere. Sed ô vigilantem, vt propheta ait, virgam! ô Dei oculum vigilantem! hæsere enim mox in luctuosissimis toties repetitæ suæ perfidiæ (fuit enim hæc duodecima, aut tertiadecima cum latina ecclesia reconciliatio) pœnis. Et vt illustrius esset vnde hoc sibi malum accersere, ipso Pentecostes & Spiritus sancti sacrosancto die (quem ipsi detestando suo, contra Spiritus sancti processionem, errore profanabant) aut certe sequenti mane, *Constantinopolis* à perfido *Mahomete* capta est, & *Græcorum* deinde imperium abolitum, atque ad *Agarenos* transfusum. Sed de his hactenus. Nos iam ad domestica reuertamur.

Vide to. Con. 4. pag. 192.

Vide retractationem eorum quæ scripsit contra Eugenium pro Conc. Bas. ibid. pag. 393.

Mercator in chronolo anno 1452

HENRICVS itaque *quartus*, & filius eius, vetera quædam contra prouisiones decreta renouarunt. EVGENIVS multum laborauit vt pacem, & amicitiam inter ANGLVM & *Francum* faceret, sed cum ille pacem non admitteret, nisi iste clientem se regni *Anglici* profiteretur, iste vero non precario, sed absoluto imperio vti vellet; amplissima ANGLORVM & *Francorum*, apud *Nicolaum* Cardinalem EVGENII in *Gallia* legatum, in nihilum recidit legatio. Inter alios vero summorum Pontificum apud HENRICVM *septimum* legatos, fuit *Leonellus*, *Concordiensis* Episcopus, missus ab INNOCENTIO vt pacem inter eum & *Gallum* reficeret, sed nihil profecit. Cum vero alterum sæculum nasceretur, essétque annus, quem *Iubileum* appellamus, omnium criminum obolitionem fecit ALEXANDER Pontifex. A qua ne excluderentur, qui *Romam* obiectis impedimentis inuisere non poterant, eandem etiam in ANGLIA per nuncium suum *Gasparum Poum* domi manentibus, & ad *Turcicam* expeditionem pecuniam conferentibus, indulsit. Et cum multis seditionibus HENRICVS versaretur, quibus asyla, quo se seditiosi recipere solebant, nouam sæpe materiam ministrabant, ab hoc eos deinceps beneficio, ad preces *Henrici*, excluſit ALEXANDER, exulesque nouis semper motibus inhiantes, ecclesiasticis diris execratus est. ALEXANDRO successit PIVS, cui Rex procurationem, & protectionem sui regni prius apud Pontificem delegarat. Ad quem mox legatos de more misit. Quorum aduentum repentina eius mors anteuertit

Vide stat. Henr. an. 4 ca. 1. an. 6. cap. 1. Henr. 5. an. 4. cap. 4. Polid. 23.

Polid. lib. 18.

De THOMA Arundellio Cantuariensi *Archiepiscopo.*

CAPVT VIIII.

COVRTENEIVM *Arundellius* excepit, illustris, vt & ille, non solum magnis alijs dotibus, sed & generis splendore; sed non parem cum illo temporum tranquillitatem sortitus, quod mox ostendemus. Fuit autem filius Comitis *Arundellij*, & ex Archidiacono *Cantuariæ* designatus est *Eliensis* Episcopus. *Eboracum* postea, & inde *Cantuariam*, BONIFACII prouisione, translatus. Cui *Westmonasterij*, Rege & Proceribus præsentibus, crux solenni verborum cæremonia, de qua ante meminimus, per *Thomam Chillendenium* decretorum Doctorem, & *Cantuariensis* ecclesiæ Priorem tradita est. Decessor eius GVLIELMVS *Courteneius* cum obiret, *Romanæ* ecclesiæ, erat obæratus. Quam pecuniam THOMAS, ad summam bis mille sexcentorum sexaginta nouem florenorum dependit; quam THOMAS ex bonis GVLIELMI recuperauit. In eo vero iuramento, quod de obseruantia *Romano* Pontifici exhibenda, cum hoc munus susciperet, præstabat; cautum est inter alia, ne ecclesiæ *Cantuariensis* possessiones alienaret, néue venderet, nec pignori daret. Vt singulis triennijs *Romam* inuiseret. Ne denique *Roberto* Pseudopontifici, aut eius assecłis opem aliquam aut auxilium præstaret. Versabatur hoc tempore in minore ætate *Staffordius*, possessionum *Tunebrigy* in *Cantia* hæres. Quarum tamen interim, dum ad ætatem iustam matureſceret, emolumentum ex antiqua consuetudine, & prærogatiua *Cantuariensis* ecclesiæ, de qua antea meminimus, THOMAS percepit. Quam ille, & alias *Cantuariensis* ecclesiæ consuetudines atque prærogatiuas, ecclesiæ suæ præripi non est passus. Inter quas, pro more maiorum,

Ex archiuis.

Ad annum 1396 Thom. Walsin.

Ex archiuis.

de quo

de quo supra commemorauimus, in diuersis cœnobijs quasdam virgines locauit. Cúmque in suffraganeorum sorte diœcesi sacra celebraret, oblationes, quæ eo die ad altare, in quo celebrabat, conferebantur; suis, & ecclesiæ suæ vsibus vendicauit. Etsi nonnunquam ecclesijs, vbi sacra faciebat, illas pro sua liberalitate donaret.

Anno 1386. Thom. Walsi.

QVAMprimum vero THOMAS huic muneri præfectus erat, mox Cancellariæ munere, quod decennio iam gesserat, quod delatum ad eum erat, quo tempore *Michael Pola* exauthoratus est, vltrò se abdicat. Atque ea quidem ratione, quasi graui onere & impedimento leuatus, ad ecclesiasticarum rerum procurationem, multo factus est expeditior. Sed mox in

Idem 1397.

turbulentissimã rerum omnium perturbationem incidit. RICHARDVS enim Rex, res suas iam in tuto loco constitutas arbitratus, propter recentes illas suas cum ISABELLA Galli Regis filia nuptias, pactasque triginta annorum inducias, magnósque gerens spiritus, quòd vana à quibusdam spe lactaretur, fore vt in *Augustum*, in *Germania* cooptaretur; veterique odio, quod alte animo inclusum, contra *Gloecestrensem*, & alios Principes gerebat, ad vindictam cum indies stimulante; iam se ad eam quauis ratione, quo iure quaue iniuria expetendam, prorsus obfirmarat, præposteræque huic suæ cupiditati, licet ad summam sui ipsius, vt diximus, perniciem, tandem satisfecit. In eadem igitur cum illis naui, quod dicitur, & THOMAS nauigauit, nisi quòd mortis acerbitatem subterfugerit, & è vitæ naufragio, quo illi cum fratre ipsius THOMAE obruti sunt, bonis, possessionibus, & dignitate exutus, inque exilium abactus, enatarit. Inque eo parlamento, quod vltimum habuit RICHARDVS, quo

Ex statutis impress. & aliis quæ in archivis remanent, & in Walsi. 1397 & in addit. ad Polichron.

rescissæ sunt criminum abolitiones *Gloecestrensi* & alijs Proceribus datæ, & refixa omnia, quæ anno vndecimo parlamenti authoritate sancita fuerant, de quibus alibi diximus, imo & læsæ maiestatis reiam denunciati sunt, qui decretorum authores fuerant; præcipua decretorum illorum culpa THOMAE ascripta est, & accusatus est palam in summis comitijs, quòd princeps fuisset omnium consiliorum *Gloecestrensis*, & fratris *Arundelij*, & aliorum, qui seditiones illas aduersus Regem & rempublicam conflarant, quique *Ioannem Baruersum*, *Simonem Burleum*, & alios citra, & contra Regis voluntatem capite mulctarunt. Cumque ea crimina THOMAS paratus esset repellere seque purgare, Rex callidè persuasit, vt tum illam defensionem omitteret, vtque postea ad aliquot dies à comitijs abesset, se enim curaturum ne absentia illa fraudi ipsi esset. At ille interim comitiorum authoritate, in exilium, indicta causa, protruditur, iussusque, vt sub capitis periculo intra sex hebdomadas è regno secederet.

IN istis comitijs Comites *Gloecestriæ Arundelij*, *Warwichij*, læsæ maiestatis sunt damnati. Et quoniam sacerdotibus huiusmodi capitali cognitioni, sententiæque interesse, ex canonum scitis religio est, Episcopi (sicut prius cum sederet *Courteneus*) abfuere, procuratorem & vicarium suum ob ea, quæ interim in parliamento expedienda fuerant, *Thomam Percium* Equitem constituentes. Ista vero comitia, vt quàm maxima authoritate niterentur, impetrauit RICHARDVS à summo Pontifice confirmari, curauitque vt Episcopi solenni cæremonia anathemate omnes implicarent, qui ea conuellerent & violarent. Quæ tamen post paucos annos, per *Lancastrium* penitus euersa sunt. Curat deinde vt ROGERIVS *Waldenus Londinensis* Episcopus, qui erat a thesauris, in Archiepiscopum eligatur, scribitque ad summum Pontificem, vt & is suam authoritatẽ electioni adiungat. Qui per literas diligenter cum Rege egit, vt gratiam suam THOMAE, illúmque priori dignitati redderet. Sed RICHARDVM in nulla ratione mitigare, aut flectere potuit. Imo asperiùs atque acerbiùs in THOMAM per literas inuectus est, mitiúsque cum eo (quippe quem mortem, vt perduellionis reum commeruisse aiebat) actum scribit, quàm pro culpæ ratione. Et ægrè ferre se præ se

Thom Walsi.

ferebat, tanta apud ipsum THOMAS *Romæ* (eo enim profugerat) gratia & familiaritate vteretur, quodque pontifex magnis & amplissimis, tam in *Scotia* quam *Anglia* dignitatibus eum amplificare cogitaret. Prouiderat enim illi inter alia, de *diui* ANDREAE in *Scotia*, qui vacabat, Archiepiscopatu. Nec valde, se; aiebat Rex, molesto animo laturum quantumuis eum alibi ornet: sed vicinis locis, & quasi sub oculis suis, æmulum & hostem suum nullo se modo amplificari passurum. Et prouidere prudenter debere Pontificem, ne si, vt occœpit, pergat; grauiores motus inter regnum & sacerdotium concitet, quam qui facile possint componi, intimos & reconditos THOMAE sensus belle sibi perspectos dictitabat, quem sciret, si reuerteretur, nouos & periculosos motus ciere velle.

Froiard.

CONTVLIT se deinde in *Galliam* THOMAS ad *Lancastrium*; cuius potissimum consilio & instigatione, *Lancastrius* in ANGLIAM biennio postea, vna cum Archiepiscopo, cum *Thoma* Archiepiscopi nepote, Comitisque *Arundelij* filio, alijsque exulibus, venit,

regnoque

regnóque tandem RICHARDVM, vt diximus, deturbauit. Sunt tamen qui tradunt THOMAM non subijsse exilium, sed à Proceribus ex ANGLIA ad *Lancastrium* missum, vt eum accurata persuasione in *Angliam* proliceret, docerétque ipsos, si veniret, omnia ipsorum studia, opes, vires, cum *Lancastrio* ad eum ornandum, atque amplificandum, RICHARDVMque ex regia administratione mouendum, singulari propensione delaturos. Quem huiusmodi fere, apud HENRICVM, oratione vsum aiunt. Postquam Clarissime Princeps; tui necessarii atque consanguinei, & reliqui conterranei pressius atque attentius ad mentem nuper reuocarunt, præsentem eamque diutinam afflictissimæ, atque abiectissimæ reip. nostræ insignem calamitatem, quæ ita nos vndique inuoluit, vt nemo de bonis, de possessionibus, aut de vita denique tutum, aut secundum quicquam sibi statuere possit; nostramque olim florentissimam, rebusque omnibus affluentissimam patriam, nunc omni penuriæ genere atque miseriæ, tantum non obrutam & extinctam: ad hæc tanta mala auertenda & amolienda, id solum, post longam & accuratam deliberationem, remedij superesse existimant, si deturbato isto, qui omnium imperitissimus, & indignissimus reip. clauum tenet, alius aliquis remp. capessat, qui ceteris omnibus prudentia & iustitia, atque accurata quadam reip. moderandæ peritia, longè præstet. Post longas vero atque exquisitas, de huiusmodi heroë seligendo cogitationes, tu solus occurristi, cui nobilitas, cui populus, cui omnium ordinum homines lubenter parere velint. *Vide chronic. Edouardi Hall Anglicè scriptum*

TV solus es qui nos, qui afflictam & perditam remp. à seruitute, qua à RICHARDO Rege, homine minus prudenti, vitæque dissolutæ, & ab hominibus impotentis, & insaturabilis auaritiæ, qui eum in sua totum potestate habent, asserere & vindicare poteris. Quæ tam indigna seruitus adeo nos depressit, adeo debilitauit & exhausit, vt ad oneris magnitudinem, post tam longam patientiam, plane succumbere cogamur. Quare tuam, Illustrissime Princeps, opem & auxilium in hac totius reip. destitutione, atque infelici miseroque statu, non inconstanti aliqua animorum leuitate, sed propter summas rerum nostrarum difficultates, summamque patriæ necessitatem implorare cogimur. Quam nobiles, quam populus pænè vniuersus præsentium rerum tædio, & calamitatibus miserè affecti, per nos implorant. Cui tam iustæ postulationi, si (quod speramus te facturum) satisfeceris, nihil certè speciosius & honestius, nihil bonorum omnium votis optatius, nihil ad miseram patriam recreandam & erigendam aptius & accommodatius, nihil ad summum tuum honorem illustrius, nihil ad immortalem tui nominis famam & laudem amplius, moliri vnquam poteris. Neque animum propter vllam rei conficiendæ difficultatem dejcias. Senties, senties, si rem semel tentare & experiri volueris, paratissima & promptissima omnium bonorum ad tuam amplificationem vota, suffragia atque auxilia. Qui non bona modo & fortunas, sed & vitam, ad tuos tam salutares reip. conatus promouendos, in summũ periculum conijcere nihil detrectabunt. Reliqui, si qui sint, qui intercedent, pauci illi quidem sunt, quique prædã de rep. faciunt, quos sceleru suorum meritæ, per te, pœnæ manent. Quare cum omnia sint tibi adeo parata atque expedita, ad tantam rem conficiendam, & tantum decus capessendum, tu tibi & reip. expectationi deesse noli. Quę aut nunquam, aut per te potissimum releuanda, & recreanda est.

HAEC & id genus alia, vt non negarim *Arundellium* verba apud HENRICVM fecisse; ita eum non fuisse mulctatum exilio, sed à Proceribus ex ANGLIA ad eum missum, sponteque hanc legationem obisse, id vero pernegarim: cum & probati illius temporis historici, & publica regni monumenta de exilio palam testentur. Et videntur, qui id prodiderunt, à *Frossardo*, eam narrationem, quam ipse magis ex incerta auditione, & disseminatis atque dispersis vulgi sermonibus, quàm certis testibus hauserat, sumpsisse. Cui non solum alij illorum temporum æquales scriptores, sed & publica comitiorum, quæ hodie supersunt, monumenta repugnant. Abdicato itaque iam, per regni comitia, RICHARDO, delatáque omnium ordinum suffragijs ad *Lancastrium*, regni successione & administratione, THOMAS *Cantuariensis* concionem ad Proceres, & populum habuit ex illis scripturæ sacræ verbis, *Vir dominabitur in populo*. Qua ostendit remp. ANGLIAE nuper maximè florentem, per RICHARDVM non minus iudicio sensuque, quàm ætate immaturum, labefactatã pæneque euersam. Idque vitij, quod pueris & adolescentibus proprium fere est, vt prudentia destituantur, vt veritati & sanis consilijs aures clausas, vt blanditijs & assentationi apertas habeant, vt præcipites ferantur ad suas cupiditates explendas, vt nullam teneant in promissis soluendis, fideque præstanda, constantiam, vt iustitiæ æquitatisque apud eos ratio iaceat, & cetera id genus in eo, qui proximè sceptra tenuisset, regnasse. Nunc singulari Dei benignitate suffe- *Fabianus. Vol. 2. ca. 188. 1. Reg. 9.*

ctum virum ætate, iudicio, prudentiáque maturum, à quo omnia, quę ab optimo Principe præstari debeant, expectare possint. Quique omnia, non ad suam immoderatam & intemperantem voluntatem & voluptatem, sed ad reip. decus, dignitatem & amplificationem, referre velit. Regio deinde HENRICVS diademate per THOMAM insignitus est. Quo die in amplissimo illo epulo, quod tum Rex de more præbuit, THOMAS ad dexteram Regis cum tribus alijs Episcopis assedit, sinistram *Eboracensis* cum alijs quibusdam Episcopis occupauit.

ROMANVS Pontifex, cum nullo modo potuisset RICHARDVM Regem inflectere, vt *Arundellium* in suam gratiam reciperet, sinerétque eum *Cantuariensi* sua sede potiri, ad vacantem, vt dixi, diui ANDREAE in *Scotia* Episcopatum eum transtulit. A qua tamen eum postea functione, per literas absoluit atque liberauit, quibus testabatur nolle se THOMAM inuitum ad illud munus suscipiendum obstringere, & decretum, quod de ROGERIO *Waldeno Cantuariensi* dignitate ornando ediderat, rescindit; atque ita pontificatu rursus, regnante HENRICO, potitur. Munus autem cancellariæ, quod RICHARDO regnante deposuerat, vrgente HENRICO, rursus repetit, suáque apud eum flagranti gratia, Cleri dignitatem & commoda, quæ valde his temporibus impetebantur, magna constantia defendebat & tuebatur. In comitijs enim regni, quæ ad annum M. CCCCIV. indicebantur, palam Regi suggestum est, vt comitiorum illorum authoritate possessiones omnes Clero adimerentur.

Thom. Walsin. Causabantur laici, se non modo bona sua conferre, sed & corpora sua bellicis discriminibus obijcere, cum Monachi & Clerici domi interim inertes, & otiosi desiderent. Qui hanc causam maximé in comitijs promouebat, dicebatur *Ioannes Cheyne*, homo equestris ordinis. Qui tamen aliquando fuerat, vt dicebatur, ex Clero, qui ordinem deseruerat. Hunc *Arundellius* grauiter & constanter adortus est, ostenditque Clerum non modo multo abundantius pecuniam in vsus belli conferre, quam soleant laici, sed & maximam per clientes suos, quos in bellum emitterent, manum militum suppeditare. Pugnare etiam & ipsum Clerum, multumque suis apud Deum precibus ad victoriam promerendam proficere.

QVAS cum videret *Ioannem* floccifacere; Video, inquit, quo regni fortuna vergat, si preces quibus Deus placatur, contemptui habeantur. Rogauitque Regem in genua submissus, ne pateretur tantam regno & sibi ignominiam inuri, vtque reminisceretur, quid & alias sæpe, & quid conceptis verbis in regni sui initiatione, sanctissimo iureiurando promisisset. Docuit etiam, si homines illi desiderio suo potirentur, Regem nihil quidem locupletiorem futurum. Reuocauit in memoriam, quomodo specioso isto inuandæ reip. prætextu, cœnobia, quæ *Galli* & *Normanni* in *Anglia* occupabant, euersa essent; sed possessionum earum fructum, non ad reip. sed ambitiosorum hominum, qui suis solum lucris prospiciebant, vsus & vtilitatem traductum. Eluſa vero est omnis harpyarum istarum, quæ in ecclesiæ possessiones inuolare, & vngues rapaces defigere cogitabant, expectatio. Synodi, *Arundellio* sedente, frequentissimæ habitæ sunt, de multis & varijs, magnisque rebus, sed nulla fere fuit, quæ non pecuniam aliquam à Clero abstulit. Et prima quidem coit eo ipso anno, quo electus est in Archiepiscopum. In qua *Thomas Chillendem*, de quo meminimus, sacram concionem habuit super illa verba, *Sacerdotes tui induantur iustitiam.* Propositæ sunt ibidem quædam Academiarum querelæ, de quibus alibi dicemus. In proxima concionatus est *Guilelmus Roffensis* ex illis verbis: *Cor meum diligit principes Israel.* Quam synodum Prior & Capitulum, vt appellant, *Cantuariense*, absente in exilio *Thoma*, indixerat. Ad quam HENRICVS Rex Comites *Northumbriæ* & *Westmerlandiæ* misit, non vt pecuniam aliquam à Clero, sed vt preces pro ipsius, & regni salute postularet: qui profitebantur, nolle Regem in pecunijs tribuendis eos premere, nisi summa reip. necessitas eas extorqueret; à quibus tamen postea soluendis nunquam cessatum est, siue id propter causam commemoratam, siue propter Regis auaritiam acciderit.

Ex archiuis.

1389.

CONTESTABANTVR vero commemorati Comites, nolle Regem Cleri priuilegia atque immunitates imminuere, & diligentem posiurum operam, quo hæreses, quæ iam in immensum succreuerant, excinderentur. Eadem & in comitijs regni, quæ tum habebantur, promisit. In quibus Regem *Arundellius* obtestatus est, vt prouisiones abrogaret, per quas fiebat, vt docti & pij viri in Academijs, rerum victusque inopia premerentur, studiáque deserere cogerentur; cum opima interim beneficia indoctis, & ambitiosis accrescerent. Pollicitus est Rex se eam rem ad curam suam reuocaturum. Questus est in hac synodo Clerus quòd valde premeretur, tum à ministris regijs, tum à *Romano* pontifice. Et Quæstor quidem Pontificius venit ad synodum eam ob causam, voluitque vt Clerus ea de re literas ad

summum

summum pontificem mitteret. Postulatum est inter alia, vt dies diuo GEORGIO martyri sacer, celebris & festus per totam ANGLIAM ageretur, vtque cautio diligentior haberetur, ne bona pauperum hospitiorum temerè atque inconsultè, in pauperum fraudem profunderentur; ne Episcopi causas, quæ sacerdotium & matrimonium respicerent, cuiquam, nisi doctis & iuris peritis, crederent; ne ijs, qui in adulterium recidissent, quiue grauius aliquod peccatum, quodque publicè notum esset, pecuniaria aliqua, sed corporea solum pœna coerceretur. Synodus, quæ sequenti anno conuenit, decimam cum dimidiata Regi concessit. 1400.
Confluxit biennio post alia synodus *Londini*, & post alterum deinde biennium* & alia. 1402.
In vtraque, pecunia ob graues Regis sumptus, in seditiosis bello reprimendis contributa 1404.
est. Ad quam priore synodo postulandam, venere ad patres Regis nomine, Comes *Somerseti* & Dominus *Rosse* qui erat à thesauris. Vetus hoc tempore Cleri prærogatiua ad eius postulationem per Regem renouata est, ne Clerus apud regni tribunal raperetur, neue pro comeatu regiæ familiæ, res suas vendere, cogeretur. In posteriore, mandato THOMAE de indicenda synodo perfunctus est HENRICVS *Lincolniensis* Episcopus, quasi *Cantuariensis* ecclesiæ Cancellarius, quòd *Londinensis* sedes, cuius Episcopus eiusdem ecclesiæ est Decanus, & *Wintoniensis*, cuius Episcopus in eadem ecclesia Subdecanus censetur, vacarent. In qua synodo cautum est, vt defuncto aliquo Episcopo, exequiæ eius, per omnes cathedrales ecclesias celebrentur: quæ paulo post mortuo ROGERIO *Londinensi*, pro eo celebratæ sunt.

SEQVENS annus suam etiam synodum habuit, quæ pecuniarum etiam contributionem secum trahebat, vt & biennium quod insequutum est. Atque in ista posteriore synodo, *Anno 1405.*
THOMAS *Carliolensis* Episcopus ex illis verbis; *Magister adest & vocat te*, ecclesiasten egit. 1406.
Hanc synodum HENRICVS *Bewforde Wintoniensis* Episcopus, cui, se absente, rerum 1408.
summã *Arundellius* crediderat, *Arundellio* in Regis legatione occupato, indixerat. Post biennium duplex in eundem annum synodus incurrebat, vt diximus. In priore *Ioannes* cœnobij D. AVGVSTINI *Cantuariæ* monachus, in illud thema: *Faciat Vnusquisque opus suum*: In posteriore *Ioannes Borelius Franciscanorũ* Generalis in illud, *Vos Vocati estis in Vno corpore*, scite perorauit. Atque hæ synodi, in deliberatione de schismate opprimendo potissimum consumptæ: qua de re antea diximus. Atque hæc quidem synodus, vt ceteræ fere omnes, per solius Archiepiscopi literas & mandatum congregata est. Nonnunquã vero rogatus à Rege, & propter illius literas, & publica regni negotia, Clerum ad synodum euocauit, vt triennio post, in qua *Ioannes Langdon Cantuariensis* monachus, ex illo themate; *Stellæ dederunt lumen*, concionem 1411.
habuit, vt & alius proxima proximi anni synodo, eiusdem cœnobij monachus *Ioannes Godmershanus*, super illa verba, *Diligite lumen sapientiæ omnes qui præestis*. In priore tributum à 1412.
Clero postulatum est, sed nihil præstitum, quòd Clerus nimis se emunctum, & continuis contributionibus exhaustum quereretur. Sed in posteriore, decima à Clero ad Regis vsus abrasa est, qui varias in hac synodo quęremonias proposuit ob ecclesiæ libertates, atque prærogatiuas indies labefactatas.

POSTVLATVM est, ne, cum quisquam ex Clero proscribatur aliquam ob causam, decimæ, oblationes, & bona ecclesiæ, ideo Regis vsibus cederent. Petitum ne, cum vicarij propter vicariæ tenuitatem atque exilitatem, accessionem & incrementum, vbi Rex ecclesiarum aliquarum esset patronus, apud ecclesiasticum tribunal postularent, cognitio illa rescripto, vt fiebat, regio interpellaretur. Postulatum ne, cum fructus ecclesiarum, quarum patronus erat Rex, sequestrarentur, quod curæ parochiali idoneè non prospiceretur; Regis rescriptum ad ecclesiasticorum cognitionem perturbandam, decerneretur. Postulatum, ne cœnobia, è quibus exteri quasi regni hostes ejecti essent, laici vsurparent, sed alij monachi ex ANGLIS sufficerentur. Pecuniam interim dependit Clerus, sed eorum postulationi satisfactum non reperio, siue id mors Regis, quæ hoc anno insequuta est, siue alia aliunde obiecta impedierint. Post reuersionem vero ab exilio, *Arundellius* diligenter curauit, ne qui in ipsius diœcesi, beneficijs ecclesiasticis aucti essent, pro libidine temere abessent, sed in pastoricea cura vigilanter residerent. Illud vero pium institutum, quo mane, meridie, & vesperi ad nostra vsque tempora, solebant ANGLI vbique se ad sonitũ campanæ, Deo & B. virgini MARIAE per orationẽ dominicam & angelicam salutationem commendare, ex *Arundelly* suasu promanauit. Quod vt populus faceret, literas per omnem vndique ANGLIAM Regis HENRICI *quarti* rogatu emiserat. Multum THOMAE negotij *Wicleuiana* hæresis facessebat, ad quam ille opprimendam, *Qua visuntur in consti. provinciali.*
summa vigilantia incubuit, nouémque ecclesiastica decreta sanciuit, quæ contra illam potissimum hæresim tendunt. Sed nos ista, si Superis visum fuerit in *Wicleuiana* historia, quam

seorsim contexere cogitamus, accuratiùs perstringemus. Fato functus est THOMAS decimo nono, quam *Cantuariæ* sedit anno.

De HENRICO Chicheleio Cantuariensi *Archiepiscopo.*

CAPVT X.

Anno 1413.

**al. LXXIX.*

HENRICVS *Arundellij* defuncti locum & dignitatem sortitus est. Monachi post eius obitum vndecimo Kalend. Martij, Regis ad nouum Archiepiscopum optandum licentia postulata, atque concessa, vniuersis suffragijs * LXXVI. numero HENRICVM Archiepiscopum renuntiarunt. Natus est in prouincia *Northamptonensi*, in eo oppido, quod *Heighan Ferris* appellant. Prima literarum stipendia *Wintoniæ* fecit, inter reliquam *Wichamiensem* pubem. *Oxonium* deinde migrauit ad illud alterum *Wichamiense* collegium. In quo postea iuris ciuilis atque ecclesiastici, & Doctoratus, vt appellant, insignia suscepit, atque *Sarisburiensi* Archidiaconatu insignitus est; multisque pro Rege & rep. atque religione Christiana legationibus perfunctus est. *Menenensi* primum Episcopatu donatus est. Selectus deinde à monachis *Cantuariensibus* in totius ANGLIAE Primatem; qui duos mox ex suorum societate ad eum delegant, vt ipse optioni, quam de illo fecerant, suam quoque voluntatem atque consensum adiungeret. Quibus respondit, se, cum iam *Menenensi* sedi ascriptus esset consensum suũ illorũ postulatis adhibere non posse. Et proinde vt non consentire, ita nec dissentire, sed summã rei ad summũ Pontificem reijcere, vt ipse suo ea de re arbitrio statueret. Et licet eum solita sua prouisione *Romanus* Pontifex Archiepiscopum designasset, non ille tamen ex ea prouisione (propter imminens ex patrijs legibus periculum,) sed ex monachorum illa renunciatione munus illud capessit, disertéque renunciat omnibus cautionibus in pontificijs literis comprehensis, quæ Regis aut regni dignitati præiudicio viderentur. Intermedios deinde illi Rex vacantis sedis fructus (qui de more ad Regis commodum redundabant) ob sexcentarum marcarum summam remisit atque relaxauit. Ad quæ tempora & *Constantiensis* œcumenica synodus occœpit, & HENRICVS Rex *quintus* eius nominis, totus erat in expeditione paranda contra *Gallos*, à quibus *Galliæ* regnum, quasi hereditarium sibi, armis extorquere conabatur.

Ex registro Cant.

RES in amplissimis regni comitijs diu & acriter disceptata est, & post longam demum deliberationem, bellum ab omnibus ordinibus *Gallo* inferendum decernitur. Ad quam expeditionem suscipiendam, HENRICVS Regem in illis comitijs acuratiore quadam oratione hortatus est. *Carolus* autem *Gallorum* Rex, vt HENRICI exercitum auerteret; amplam in ANGLIAM legationem misit: legationis princeps, *Bituriensis* Archiepiscopus, eleganter & facunde de præstantibus pacis commodis, deque oceano illo malorum, quæ cum bellis in christianam simul Remp. influunt, disserens; omni ratione Regem ad pacifica & quieta consilia traducere conatus est. Vtque pax firmius conglutinaretur, *Gallus Catherinam* filiam HENRICO, cum ampla pecuniarum vi, & ditionibus quibusdam per legatos detulit. Cui *Cantuariensis* Regis iussu, docte atque eleganter respondit. Cuius in eo potissimum oratio versabatur, vt diceret, oblata *Caroli* nimis arida, ieiuna atque tenuia, præ Regis iustis postulatis. Qui optimo iure, humano & diuino totum, quantum erat *Franciæ* Regnum sibi, & heredibus suis postularet. Nolle illum tamen nimium emungere, ac summo iure agere: animum autem prorsus obfirmasse, vt nisi *Carolus* ab *Aquitania*, *Andegauia* *Normannia* & ceteris quibus ANGLI non minus longo tempore, quam certo atque expedito iure possessionibus insederant, decederet, omnem pacis cum *Carolo* constabiliendæ, spem prorsus præcidere vellet. Quæ cum *Francus* iacenti aure reciperet, grauissimis paulo post *bellis*, de quibus meminimus, omnia exarserunt.* Septemdecim HENRICVS Synodos administrationis suæ tempore coegit. In prima inter cetera cautum est, vt D. GEORGII martyris, & tutelaris ANGLIAE numinis, dies festus, instar maioris, vt appellant, duplicis ageretur; vtque dies diui DAVIDIS *Menenensis* Episcopi, diui CEDDAE Episcopi, WINEFRIDAE virginis & martyris, celebrius solito à sacerdotibus colerentur.

** Quid singulis his synodis actũ sit, archiua Can. ecclesiæ Chicheleo sedente conscripta late prosequuntur. Habita autem sunt annis 1415 1417. 1419. 1421. 1424. 1425. 1426 1428. 1430. 1432. 1433 1434. 1437. 1438. 1439. In quarum nonnullos bina synodus incurrebat.*

EA vero synodo quæ habita est ad annum CIↃ. CCCC. XIX. *Richardus* quidam *Walcherus* ex Clero *Wigorniensi* delatus est, quod vetitis, atque damnatis Magiæ libris, qui nefarijs atque execrandis figuris, atque imaginibus aspersi erant, vteretur. Nec ille quidem crimen diffitebatur, & simul profitebatur, se parum iam fiduciæ in illa damnata arte ponere, per

quam,

quam, quod cogitabat, conficere sœpe non potuit, Publica deinde illi, ad crucem diui PAVLI *Londini*, pœnitentia iniuncta est; quo tempore concionem habuit IOANNES *Landauensis*, & solennis habita est supplicatio: in qua & Impostor ille vetitis illis libris, à fronte & tergo, ita vt aperti essent, dependentibus, processit, moxque libri illi palam combusti sunt. Quo vero tempore postrema, illo sedente, synodus coijt, exequiæ quàm potuit fieri accuratissimè atque honorificentissimè, pro *Sigismundo Augusto* defuncto, apud diuum PAVLVM *Londini*, Rege cum tota synodo præsente, celebratæ sunt. Post viginti nouem tandem muneris sui annos, HENRICVS fato functus est, Cardinalitia etiam ante obitum, & legati Pontificij dignitate auctus. Qua tamen se sine Regis consensu, non vsurum professus est. Qui præter cetera, quæ egregie & nobiliter patrauit, immortali laude decorandus est, ob duo illa collegia, quæ ad bonas literas prouehendas *Oxonii* posuit. Quorum alterũ defunctorum animarum; alterum D. *Bernardi* memoriæ consecrauit. Quod nostris, ante paucos annos, temporibus *Ioannes Whitus Londinensis* ciuitatis Præfectus, amplissimis possessionibus auxit, & valde illustre reddidit. Atque hic se HENRICVS dignam patre, id est nobili illo *Wichamo*, prolem ostendit, liberalitatem suam ad alendos studiosos, tam copiosè effundens.

NEC ille modo ex illo sodalitio, sed & alij multi, qui ex grege *Wichamiensi* manantes, *Anglicanam* ecclesiam tamquam sidera quædam hoc sæculo illustrabant, huiusmodi magnificentiam exercuere; atque inter alios THOMAS *Bekingtonius Bathonienſis* Episcopus, *Schirburnus Ciceſtrenſis*, *Waramus Cantuarienſis* Archiepiscopus, de quo iam diximus, & cum primis WILLIELMVS *Wanſtetus Wintonienſis* Episcopus, qui diuæ *Magdalenæ Oxonii* Collegium hoc sæculo construxit. De quo & reliquis commemoratis, suo postea loco dicemus. Sed non hic stetit HENRICI liberalitas, nam & apud oppidum vbi natus est, de quo prius commemorauimus, sacerdotum quoque Collegium collocauit. Quod dedicauit beatæ MARIAE virgini Christi matri, diuo THOMAE *Cantuarienſi* martyri, & diuo EDMVNDO Archiepiscopo. Vberrime etiam pauperibus, hospitio pro eis ibidem constructo, & annuis sumptibus attributis prospexit, vt vere illud ei ἀνταπεδοτῆν tribui poterit. Illud autem ptochotrophion fratres ipsius, illiusque ex testamento heredes, post illius obitum luculentis possessionibus auxere. In monachos etiam *Cantuarienſes*, eorúmque ecclesiam perliberalis fuit HENRICVS, quam varijs structuris atque ornamentis decorauit. Bibliothecam etiam ibidem restaurauit, & optimis libris instructissimam reliquit. In eadem ecclesia & humatus est, in tumulo, quem sibi ante ex monachorum voluntate constituerat. Cum multa alia alibi, tum & in curia illa sua *de Arcubus*, vt appellant, prudenter & sapienter, commodéque instituit: Mosque ille, quo Curiæ procuratores illis vestibus vtuntur, quibus Bacchalaurei in Academijs vti solent, ab illius primum instituto manauit.

De IOANNE Staffordio, IOANNE Kempio, & THOMA Bursherio *Archiepiscopis*.

CAPVT XI.

CHICHELEI defuncti sedem, è *Bathonienſi* per EVGENIVM summum Pontificem traductus, suscepit IOANNES *Staffordius*. In quo summa generis nobilitas, cum pari morum, virtutum, atque doctrinæ præstantia certabat. Et certè hoc ANGLIAE magnum semper fuit ornamentum, lausque illustris, vt non sola nobilitas summas Cleri dignitates (quod tamen in alijs plerúmque regionibus accidisse videmus) occupasse fere videatur. Raros quidem vidimus in ANGLIA Episcopos, aut Archiepiscopos gente & stirpe valde illustres: at qui eum vsurparint locum solo generis lenocinio commendatos, qui virtuti & doctrinæ maximè debetur (quod meminimus) vix vnum aut alterum. Nonnullos tamen accepimus illustri generis splendore decoratos, ad hoc fastigium ascendisse, sed eos, qui remoto omni illo ornamento, propter omnes dotes laudatis Pontificibus dignas, ad eam dignitatem magnis & claris suis meritis peruenere. E quibus inter ceteros fuere priore sæculo *Courteneius*, & hoc, *Arundellius*, &, qui in manibus est, *Staffordius*. Fuit autem Clarissimi *Staffordy* Comitis filius apud *Abbatis curiam* in *Dorce-*

Strensi prouincia natus. Iuris ciuilis atque Pontificij studio, inter alias disciplinas, animum ab adolescentia diligenter adiecit, in quo tam insigniter profecit, vt & illius professionis atque studij summa illa (doctoratu decoratus) insignia susceperit, & causas in summa illa *Cantuariensi* Curia, quæ *de Arcu* nomen sortitur, magna diligentia, doctrina, prudentiaque dextre tractarit. Qua laude paratam sibi viam, primum ad *Chichelei*, qui eum omnium sui ecclesiastici fori causarum, summum iudicem designauit; & deinde ad maximam Regis etiam gratiam muniuit. Multis ille deinde, tum *Londini*, tum in *Sarisburiensi*, *Lincolniensi*, & *Wellensi*, (vbi Decanum egit) ecclesijs, dignitatibus, & summo illo à Rege munere, cui fuit à thesauris, ornatus est. A MARTINO postea *quinto Bathoniensi* etiam Episcopatu donatus; & per EVGENIVM deinde *Cantuariam*, vt dixi translatus. Cuius pallium à *Roma* per *Richardum Bride* allatum, per *Roffensem* Episcopum humeris eius, visitatis verborum cæremonijs in *Bathoniensibus* ædibus impositum. Allata est eodem tempore ad eum, à *Cantuaria* crux per *Ioannem Salisburium* cœnobij præsidem, consuetisque ritibus ei tradita.

Ed. Hanlus. FVIT autem secretioribus Regis HENRICI *quinti* consilijs, ante susceptum *Bathoniensem* Episcopatum adhibitus, & priuati sigilli custos designatus. Fungebatur etiam summi Cancellarij munere, quod eo tempore obibat, quo *Cantiani*, Duce *Ioanne Caddo*, seditiose arma corripientes, grauem *Londino* terrorem iniecere. Sed post aliquod tempus, multis illorum tumultuario nocte prælio, à regijs militibus in suburbio ciuitatis cæsis, cum ad eos postridie IOANNES veniisset, cum *Wintoniensi* Episcopo, & regio nomine veniam, atque criminum abolitionem, si quietem deinceps amplecterentur, pollicetetur, illi nocturna illa clade mollio-
In parl. an. 16. & Hen. 4 anno 2. res, & sedatiores facti, repente ab armis, suam quisque domum abiere. Ostendimus superiori sæculo RICHARDVM Regem, acerbissimas pœnas aduersus eos, qui in ijs cognitionibus, quas iurisconsulti illius ad regium tribunal spectare dicebant, ad *Romanum* pontificem prouocarent statuisse, cuiusmodi & HENRICVS hoc sæculo indixit aduersus eos, qui à *Romano* Pontifice diploma impetrassent, vt ab obseruantia, quam monachi Præfectis suis, aut alij ex Clero suis Episcopis deberent, eximerentur, aut vt perpetuo aliquo munere in cœnobijs fungerentur. Hisce vero temporibus quibus IOANNES *Cant.* ecclesiam gubernabat, Clerus non modo ob illa rescripta, quæ prædictæ leges prohibebant, promiscue cum grauissimo bonorum & salutis periculo impetebatur & seueriſſimis legum pœnis implicabatur, verum & ob alias causas, verbi gratia, si licentiam, ne in beneficio, iusta causa suppetente re-
Ex regist. Ioan. Stafford. sideret, si confessoris legendi, à quo sacra exomologesi expiaretur potestatem quisquam impetrasset, & in ceteris id genus commemoratam legum acerbitatem sentiebat. Qua de re IOANNES & Clerus suppliciter apud HENRICVM *quartum* egerunt, ne cum illa statuta acres, atque immanes pœnas complecterentur, atque ad commodum & beneficium Cleri constituta essent, duriore atque inhumaniore interpretatione, ad alia, de quibus ne cogitatum quidem erat, cum illæ leges condebantur, producerentur.

CVM autem *Turcarum* potentia indies magis magisque his temporibus ingraueſceret, Christianósque ille grauissimè infestaret, EVGENIVS Pontifex quanta potuit, diligentia cohortationeque Christianos ad eum reprimendum Principes excitauit, magnamque aduersus eos & ipse classem parare cœperat. Ad quos sumptus Clero singularum nationum, vnam decimam exorti illa sua authoritate indixit. Per literas vero hanc suam voluntatem IOANNI significat, mandatque, vt in ANGLIA quam citissimè pecuniam ex indicta decima conflatam, nuncio suo *Ludouico de Cordona*, quem ob illud negotium amandarat, expediat. Quod Pontificis factum, cum Regi & Episcopis videretur in graue regni præiudicium atque incommodum cessurum, & insolentioris esse exempli, voluntati Pontificis ea in re non satisfecerunt. Ne tamen in tam pio conatu, qui totius Christiani orbis commodum & quietem respiciebat, Pontificem præter officium penitus destituerent, etsi decimam ita præscriptam pensitare detrectarent, sex tamen ducatorum millia, in eos sumptus donarunt. IOANNES autem quanto potuit orationis artificio, se apud Pontificem, quod voluntati illius per omnia non paruisset, per literas excusauit, legumque patriarum atrocitatem, in quarum alioqui pœnas incurreret, obstetisse, ne illius desiderio morem gereret; nuncijsque mandatum dedit, certàsque rationes præscripsit, quibus si forte Pontifex exulceratiore animo rem acciperet, eum placarent atque lenirent. Quin & Rex literas misit, quibus significauit, non per IOANNEM stetisse quod voluntati ipsius non obtemperatum esset, se enim ne id faceret, ex consiliariorum & Procerum voluntate interceſſisse, missurúmque se propediem legatos ad eum dicit, per quos voluntatem suam ea de re, vberius explicaret. Indixerat IOANNES *Lon-*

dinæ

dini synodum, in qua Rex duplicatas à Clero decimas accepit. Egit accurate cum patribus & Pontificis nuncius, vt vnius decimæ subsidium impetraret, sed repulsam tulit.

ANTE hanc synodum dimissam, in febrim IOANNES incidit, quę eum è mortali hac vita obripuit, postquam octo annos & decem menses in illius sedis administratione implesset. Eius sedem IOANNES *Kempius* capessit, natus in *Veia Cantiana* villula. Et hic quoque in iuris ciuilis, atque sacri studio, egregiam operam posuit, studijque sui fructus amplissimos consequutus est, ex Archidiacono *Dunelmensi* Curiæ *de arcubus* & summæ omnium rerum ecclesiasticarum per *Chicheleium*, omnium deinde ciuilium causarum in *Normanniæ* Ducatu recens recuperato, per Regem cognitioni præfectus; *Roffensi* deinde primum, tum *Cicestrensi* & *Londinensi* Episcopatu, & quadriennio post *Eboracensi*, postremo & *Cantuariensi* Archiepiscopatu auctus. Antequam *Cantuariam* migrauit summo totius ANGLIAE magistratu, cancellarijque munere à Rege, & à *Romano* Pontifice galero Cardinalitio ornatus, & sanctæ *Sabinæ* ab eodem Episcopus designatus. Fuerat autem ecclesia diuæ *Sabinæ Portuensi* hactenus Episcopo attributa, & vt appellant incorporata: sed NICOLAVS Pontifex diuulsit iam eam à *Portuensi*, & proprium in ea Episcopũ ordinauit, id est, commemoratum *Kempium*; liberatum prius, & absolutum à functione *Eboracensi*, *Cantuariam* mox eum transfert, ita vt dignitatem illam cum priore episcopatu retineat. Qui annus & propter res nostras, quę præcipiti cursu in *Gallia* ruebant, & propter grauissimum nuncium de *Constantinopoli* per *Turcam* occupata, valde luctuosus fuit. Quo anno habuit IOANNES *Londini* synodum, post preces ad diui ERKENVALDI tumulum fusas, & sacra deinde mysteria rite ab eo procurata. Ecclesiastæ officio functus est *Walterus Hunt Carmelita*, theologiæ professor, concionem ab illis verbis ducens, *Vt non vituperetur ministerium vestrum*. Quo tempore res nostræ valde in *Aquitania* laborabant, ad quas releuandas, Comes *Salopiæ* profectus erat. Cuius profectionem *Ioannes Wigorniæ* Comes eleganti oratione Regis nomine, Cleri precibus commendauit, & subsidium aliquod pecuniarium postulabat. Duæ autem decimæ à Clero donatæ sunt. Mandatum autem per ANGLIAM dedit IOANNES, vt singulis quarta & sexta ferijs, supplicationes instituerentur; & quanta sit precum apud Deum efficacia, exemplis è scripturis petitis luculenter ostendit.

INDICTAE sunt & proximo mense nouę rursus supplicationes, propter res per *Turcam* vt dixi, exulceratas. Quibus & alia domestica mala, morbus Regis, fames præterea & pestis accedebant. Quibus discutiendis, maximum remedium IOANNES existimauit sinceras ad Deum preces. Antequam synodus hæc dimitteretur, interfuit illi *Vincentius Clemens*, qui erat summo Pontifici à cubiculo, narrauitque quam ægre Pontifex & Cardinales ab insidijs, quas *Stephanus* de *Porcarijs* intenderat, euasissent; euasisse tamen, & *Stephanum* meritas sceleris sui pœnas exoluisse. IOANNEM autem istius sæculi scriptores miris laudibus efferunt. E quibus vnus tradit eum, si vitam *Romæ* traduxisset, propter ingenij, virtutis, prudentiæ & doctrinæ magnitudinem, summo pontificatu amplificandum fuisse; alius arbitratur, paucos aut nullos *Cantuariæ* sedisse, qui cum eo conferendi essent. Immodicum tamen illius, in consanguineis prouehendis atque locupletandis, studium fuisse censetur. Supersunt adhuc gentiles eius in *Cantio* homines illustri loco, qui hunc ômnem suum splendorem illi debent, ad quem, illorum parentes per ipsum potissimum prouecti sunt. Videtur magnum aliquod in *Oxonienſem* Academiã beneficium collocasse. Certe quicunque ex ea Academia, apud Crucem diui PAVLI *Londini* ante paucos annos concionabantur, animam illius, & THOMAE ipsius fratris *Londinensis* Episcopi, Deo ex eiusdem Academiæ præscripto commendare solebant. Vix autem *Cantuariæ* triennium impleuit, cum è vita excessit, cum iam diœcesim suam lustrare cogitasset, quam cogitationem vna cum vita mors oppressit. Inter alia autem eius beneficia, ortus sui locum, Sacerdotum collegio ibidem posito, nobilitauit. IOANNES autem THOMAM *Bursherium* successorem suum habuit, quem non magis generis splendor, quam doctrina, probi mores, atque pietas, nobilitauit. Frater fuit *Henrici*, qui postea *Essexiæ* Comes ab HENRICO *quarto* creatus est. *Oxonienſis* Academiæ alumnus fuit, eiusque postea Cancellarius, ac ædis diui *Martini Londini* Decanus, *Elienſis* deinde Episcopus ac *Cantuarienſis* postea liberrima monachorum postulatione (cum nec Pontificis summi prouisio, nec Regis literæ, quod quidem raro visebatur, intercederent) designatus, quem mox summus Pontifex in Cardinalium numerum cooptauit. Functus est præterea Cancellarij in ANGLIA munere.

In vitis pontif. Ebo.

Cont. Polich.

CVM funestæ illæ factiones inter *Eboracenſem* & *Lancastrianam* familiam, regnante HE-

RICO

RICO *sexto* arderent, & intestinis ANGLIA bellis in sua viscera sæuiret, & feralia ista odia nullum sibi finem aut modum statuerent; Episcopi, THOMAS præsertim, seriam operam ad pacem, inter vtriusque factionis principes constituendam, adhibuere, quam chirographis & iuramentis tandem firmarunt: insignisque *Londini* supplicatio, in qua Rex ipse diademate redimitus procedebat, habita est, ob effusæ lætitiæ, propter initam concordiam, testationem. In qua etiam vnius factionis principes, cum alterius factionis principibus simul, cum magna beneuolentiæ simulatione procedebant. Simulatione dico, nam nihil ex animo gestum, euentus rerum qui paulo post sequutus est, & vetera odia in mutuas mox clades irrumpentia, satis videntur monstrasse. *Richardus* demum *Eboracensis*, cum sibi regnum in magno procerum & Episcoporum *Londini* concilio, cui THOMAS interfuit, palam vendicasset, in quod se HENRICVM cum patre & auo, post veri Regis RICHARDI abdicationem iniuste ingessisse clamabat; precibus Procerum delinitus, qui nimis dirum existimabant deturbari HENRICVM à regno, cui tam diu insederat, ab huiusmodi postulatis recessit: sed omnium sententia proximus heres renuntiatus, definitúmque vt mortuo HENRICO, successio ad ipsum & liberos ipsius deuolueretur. Quod HENRICVS Rex, qui tum cum ipsis, qui illi adhærescebant, *Couentriæ* fuerat, postea confirmauit; cautúmque vt si Rex hæc pacta vlla ratione rescindere conaretur, regno mox excideret. Cumque Regina, quæ dolebat huiusmodi pacta inita, mox nouo *Eboracensem* bello lacesseret, eóque cæso, *Edouardus* filius paternam cædem, & conuenta infracta vindicare conaretur, principésque multi, populusque, *Londinensis* præsertim, postularet, vt ipse sibi nomen titulúmque Regis assumeret; cunctabundum, & se tanto fastigio parum idoneum dicentem, THOMAS, vel quod causam ipsius iustiorem crederet, vel res HENRICI pro perditis & desperatis haberet, sua oratione animauit. Quare ille mox palam se pro Rege gessit, & HENRICO paulo post in SCOTIAM profligato, solenniter de more regio diademate ornatus est.

Ed. Hallus 1413.

Eden Hallus 1460.

CVM autem postea mortuo EDOVARDO Rege, RICHARDVS viam sibi, callidis & veteratorijs artibus ad regnum occupandum præstrueret, ita vt multis, prudentibus alioqui & bonis viris, oculos mira vafricie præstringeret, & TOMAM quoque in eandem fraudem impulit. Qui cum multa in specie splendida, & plausibilia apud Senatum regium dixisset contra Reginam, quæ in *Westmonasterienſi* asylo se cum filiabus, & Regis EDOVARDI fratre RICHARDO *Eboracensi* Duce continuerat, mittendúmque aliquem ex honoratis principibus (quem laborem ipsum cum primis Cardinalem sumere velle, optare se dicebat) ad Reginam, qui illi suaderet, vt sponte Ducem ex asylo ad Regem fratrem remitteret, vt cum eo in aula regia vitam traduceret; quod si illa in veteri pertinacia maneret, regia authoritate eximendum, & vel ab inuita extorquendum, in eandémque sententiam ceteri fere Proceres abirent: ibi Cardinalis & reliqui Episcopi, etsi cetera probarent, contra tamen matris voluntatem nihil tentandum, neque tam augustum & sacrosanctum ab omni vetustatis memoria, & apud omnes Reges asylum, temerandum & violandum existimarunt. Operam autem suam vltro defert, quæ, si non expectato forte euentui responderet, effecturum se aiebat vt omnes intelligerent, non per se, aut negligentem suam actionem, sed ob indulgentem matris affectum, & muliebrem metum stetisse. Quæ verba Dux *Buckingamiæ* arripiens, Ne metum dixeris, sed obstinatam potius, & induratam mulieris pertinaciam. Multàque ille deinde contra Reginæ, vt existimari voluit, non ferendam proteruiam, deque asylis dixit, & cur Dux *Eboracensis* beneficio illo frui nec possit, nec debeat. Qui cum peroraſſet, Cardinalis actutum cum ipso Duce *Buckingamiæ*, multisque alijs Proceribus ad Reginam perrexit, neque quicquam ille artificiosæ persuasionis, qua Reginæ animum expugnare posset, prætermisit. Quæ illa satis idoneè refutasse atque discussisse, & responsi sui ad singula momento atque pondere, & tragico suo res ipsa postea euentu, visa est. Et licet ille se, apta & consentanea ad causam susceptam afferens, bonum oratorem; meliorem illa se tamen matrem præstitit, quæ vel naturali prudentia, vel ex materni metus magnitudine, quæ postea consequebantur præsagiens, noluit, nisi necessario coacta, filium à se dimittere.

Thomas Morus in vita Richardi.

SED prudens mulier cum facile intelligeret, si filium retineret, vi mox abducendum, nec propter temporis ipsius angustias, viasque vndique obsessas, alio illum abducendi spem vllam habere potuisset; necessitati ita parere statuit, vt tamen magis sponte, quàm prorsus inuita dimisisse eum censeri vellet; cum præsertim (licet à Protectore sibi, suisque timeret) Cardinalis tamen, & aliorum quorundam Procerum, qui aderant, fidem

&

& in liberos ipsius obseruantiam exploratissimam haberet. Quamuis aliqua prudentia,& cauta prouisio, quod & mater verebatur, & euentus docuit, in illis desiderata videatur. quos veterator ille RICHARDVS, minus suspicioſos nefariè circumuenit. Quod & suo paulo post periculo Cardinalis expertus est, cum tragœdia illa aduersus *Hastingum* in arce, vt commemorauimus, *Londini* ageretur; nam & eum cum reliquis Episcopis in carcerem compegit; quo tamen postea liberatus est, & peruenit ad tertium Regis HENRICI annum. Ante obitum vero impetrauerat à XYSTO Pontifice, suprema sua per testamentum ordinandi facultatem, bonáque suo arbitrio dispensandi; hac tamen cautione, vt prius quæ debebat creditoribus, & pro ecclesiarum sartis tectis deduceret. Et quoniam sæpe propter morbos, sæpe propter regiorum negotiorum, regnique occupationes impedimentum illi obijciebatur, quo minus sacra mysteria procuraret, aut illis suo & idoneo tempore, id est, ante meridiem interesset, in ea quoque illi re Pontifex prospexit, vt huiusmodi sacris interesset; aut ea post meridiem, modo id fieret ante tempus vespertinum conficeret.

De IOANNE Mortono Cantuariæ *Archiepiscopo.*

CAPVT XII.

THOMAS vero, vir moribus & doctrina spectatissimus, non minus præstantem successorem, IOANNEM videlicet *Mortonum Elienſem* Episcopum, & regni Cancellarium, sortitus est. Vir fuit, cui nescio an memoriæ, ingenij, prudentiæque præstantia, quenquam illis temporibus ANGLIA parem ne dum superiorem, nisi forte *Thomam Morum*, viderit. Sed *Morus* admodum puer tum erat, primáque pueritiæ suæ, vt ipse ait, rudimenta, in ipsius potissimum *Mortoni* aula deposuit. Cuius ingenio (ingeniorũ ipse optimus spectator) mirificè delectabatur, cumque mensę Cardinalis ministraret, assidentibus Proceribus sępe, vt intelligo ab his, qui abeis audierant, qui recte rem nouerant, dicere solitus est. Hic puer, si ad iustam ętatem maturuerit, in eximium & singularem virum euadet. Egitque mox accurate cum patre *Mori* vt *Oxonium* ad maiorem literarum cultum capessendum mitteretur. Nec fefellit *Mortoni* expectationem, vt totus orbis nouit, *Morus*. Sed hæc obiter. *Mortonus* vero, etsi à prima fere iuuentute à schola in aulam traductus fuit, magnas tamen, in iuris præsertim doctrina, progressiones fecit, & longo rerum vsu, ipsíque vtriusque fortunæ, tam prosperæ quàm aduersæ, diuturnis experimentis, non ascititiam illam, & vmbratilem, sed germanam, expressam, & solidam rerum prudentiam collegit. Vir fuit inter ceteros optime moratus, valde culto ornatóque sermone, quique aculeos quosdam in audientium animis relinqueret, vtebatur. Delectabatur eruditis, & literatijs doctorum in mensa sua disputationibus, quibus, si quis forte iusto verbosior esset, qui finem orationi statuere nesciret, dicere solebat: Cras te, inquit, rursus audiemus, nisi quid interueniat, quod aut te, aut tuum antagonistam remorabitur. Et licet esset rusticior, & durior adeuntibus, solebat tamen ex industria sæpe asperius respondere, vt quo quisque ingenio patientiáque esset, & quàm ad res gerendas accommodatus, vel ineptus, ita expisceretur. Cui non tam dignitatis, quam virtutis, prudentiæque magnitudo authoritatem, & reuerentiam apud omnes conciliabat: ob quas dotes, & apud HENRICVM *sextum*, & apud EDOVARDVM etiam *quartum* in magna fuit gratia. Et cum HENRICVS reciprocis illis nouercantis fortunæ æstibus iactaretur, *Mortonus* eisdem simul tempestates subijt, deserta patria, cum Regina & principe EDOVARDO HENRICI filio solum vertit: nec reuersus est, nisi quo tempore *Barnetense* illud prælium commissum est.

Lib. primo Vtopiæ.

Ibidem.

Morus in Vtopia lib. 4.

Thomas Morus in vita Rich. Angliæ.

POST quod, cum EDOVARDVS tuto loco res suas constituisset, extinctíque factionum capitibus, securè sine interpellatore regnaret; adeo se contra *Mortonum* durum & difficilem non præbuit, neque negotium illi aliquod exhibere studuit, vt vltrò & sedulò hominem sibi elaborarit adiungere, eiusque potissimũ consilio, propter singularem illius fidem & prudentiã in rebus arcanioribus & maioris momenti niti voluerit. Cuius ille expectationem nequaquam frustratus est, sed cumulatissimè cum alias semper, tum post obitum EDOVARDI respondit, propter integrã & illibatam obseruantiam in liberos ipsius; tum illis immani laniena à patruo sublatis, optatissimam, & maxime luctuosæ ANGLIAE necessariam, *Eboracensis & Lancastrianæ* familiæ coniunctionem & conglutinationem, & acutè excogitando, & grauiter procurando. Adeo autem in *Mortonum* Rex EDOVARDVS propendebat, vt eum summũ regni Cancellarium designarit. Quem secũ in *Galliam*, quo tempore aduersus *Ludouicum* cum instructo

exercitu illuc profectus est, abduxit. Cumque nullam sibi, etsi duram pacis conditionem recusandam *Ludouicus* statueret, cum non solum ab EDOVARDO & *Burgundionum* Duce *Carolo*, sed & à suo etiam domi magistro equitum, *Ludouico Lucenburgensi*, aliisque *Gallorum* principibus valde infestaretur, antequam milites in vllam pugnam commissi essent, certis conditionibus (quibus tamen, præsertim de *Carolo Dolphino* ELIZABETHAE EDOVARDI filię pacto, *Ludouicus* non stetit) transactum est. In qua transactione ineunda, *Mortoni* inter alios opera Rex vsus est. Cumque apud *Pinquiniacum* Reges ipsi in collocutionem venissent, post disertam & facundam *Mortoni* apud eos orationem, quam in quietis & mutuæ pacis laudem habuit, pacta conuenta per legatos antea facta, iuramentis ipsi suis Reges constabiliere.

Edouard Hallus in Chronico.

SED nos iam quo modo se apud Ducem *Buckingamiensem Brechonoti* habuerit, & quo modo se ab eo (apud quem erat mandato RICHARDI, vt diximus, in custodia) & patriam à RICHARDI tyrannide suo consilio expedierit, fusius aliquanto, cum nullis latinis literis satis ample sint exarata, differamus. *Buckingamiæ* itaque Dux, nunquam tantum ab initio studium, operamque ad RICHARDVM in Regem prouehendum, quantum postea ad eum é rerum gubernaculis deturbandum, posuit. Seu quod iam inuidere illius amplitudini cœperit (homo & ipse magno fastu, & valde ambitiosus) qui traditur eo ipso die, quo diadema capiti RICHARDI impositum erat, oculos indignabundè & inuidiose auertisse: seu quod RICHARDVM longe grauiorem, quam expectabat, in patriam tyrannum, & sibi infra expectationem, mutua gratitudine, vt postea dicemus, respondentem senserit. Cum itaque postea, cum bona Regis venia, & in ampla, vt videbatur, Regis gratia positus, à curia discedens, ad arcem suam *Brechonotum* venisset, valde quàm familiariter vsus est *Mortono*. Qui, cum ingenium Ducis non ignoraret, & quàm cupidè suas laudes audiret, viderétque eum nonnunquam voces aliquas in collocutione aspergere, quibus vir prudens non frustra colligeret, inuisum iam Duci RICHARDVM: ita rem tractauit, vt motus animi sui ab initio Duci non proderet, illius tamen, quos aduersus RICHARDVM conceperat, orationis artificio tacite aleret, & magis accenderet. Atque vbi aliquando Dux multa, in colloquio, in laudem RICHARDI dixisset, & quanta regnum ex illius administratione commoda caperet, tum *Mortonus* subiecit; Si vana apud Amplitudinem tuam, Clarissime Dux, proferrem, summæ mestultitiæ arguerem. Certe, inquit, si res ex voto meo cecidissent, vt HENRICI potius filio, quam EDOVARDO summa rerum delata fuisset, omnem meam in illum obseruantiam & summa studia contulissem. Atenim cum diuina prouidentia aliter statuerit, & EDOVARDVM ad rerum fastigia prouexerit summæ dementiæ putabam, contra stimulos, (quod dicitur,) calcitrare. EDOVARDVM itaque quanta potui fide & obseruantia complexus sum. Quam lubens & filio detulissem. Sed cum Dei voluntas aliò regnum transfuderit, non conor illi frustra, vanoque atque irrito ausu obniti. Ceterum quod ad Protectorem, quique iam regno potitur, spectat. Et hoc dicto sermonem abrupit, nisi quod hoc adiecerit, se nimium hactenus rebus mundi fuisse implicitum: sed mundo se iam prorsus nuncium misisse, mentémque inde auocatã, velle sanctis studijs, & precibus totã deinceps affigere.

Tho. Mor in vita Rich. Angliæ.

DVX admiratus illum, cum de Rege dicere esset exorsus, sermonem repentè præcidisse, eoque ad audiendum quidnam attexere voluisset, intentior & inflammatior, familiari valde sermone hortatur, vt quicquid animo meditaretur, proferre apud se audeat; nunquam enim ipsi, quæ diceret, fraudi aut noxę fore, & maioris forte inde boni segetem nascituram, quam possit cogitare. Neque alia vnquam de causa custodiam ipsius à Rege (quæ si mandata fuisset alijs, multo incommodiùs habitus fuisset) impetrasse, quàm vt in arcanis, & maioris momenti rebus, fido & prudenti ipsius consilio vteretur. *Mortonus* postquam submisse gratias, ob hanc illius benignitatem egisset; Non cupide, inquit, de Regum negotijs sermonem misceo: qui authoribus, licet innocuus & innoxius, noxæ & damno sępe esse solet; cum verba duriore interpretatione aliò, quam qui loquebatur spectabat, rapiantur. Atque hic sermonem suum fabula illa *Æsopi* de leone & vulpe, & edicto leonis, ne bestia quæcunque cornuta ad regiam venire auderet, lepidè condiuit. Quo lepore delectatus, & in risum Dux effusus, Securo sis, inquit, animo, nihil tibi periculi vel à rugiente leone, vel à frendente apro imminet. Neque enim hoc nostrum colloquium, ad eorum vnquã aures effluet. Nihil, inquit *Mortonus*, moror si efflueret, si non aliorsum, quàm ego sentio, mea dicta transferrent, imo me gratiam inde potius initurum sperarem. Et eo tamen, vtcunque ego candide sentio, forsan traherentur, vt in meũ, multóque magis in Amplitudinis tuæ damnum cederent. Hæc ita implicata & inuoluta, acrius in Duce audiendi desiderium magis & magis incendebant.

cendebant. Sane quod ad Protectorē (inquit) pertinet cum iam regni possessionem adeptus sit, non cogito titulum illius in controuersiam vocare. Ceterum quod ad reip. totius, cui ille iam præsidet, & cuius ego qualecunque membrum existo, commodum & vtilitatem spectat, optare cœperam, vt præclaris illis, multisque quibus ornatur, quæ meam laudem frustra desiderant, ex illis tuis amplissimis & singularibus dotibus, aliqua illi accessio data fuisset. Ex mox conticuit, quod maiorem Duci admirationem iniecit. Qui eum ita deinde affatus est.

CVM te medio semper orationis cursu reprimas, nihilque perfectum & absolutum auribus meis ingeras, vnde certo cognoscam tua de Rege sensa, aut tuum erga me studium, in eam opinionem inducor, versari aliquas in pectore tuo cogitationes, quas vel importunior aliquis metus, vel subrusticus aliquis pudor prodere vetat. Sed amolire quicquid id sit, & infunde illas tuas in sinum meum, qui ex animo tibi faueo, & summo illas apud me silentio comprimam (qua in re, quam sanctissime Nobilis aliquis potest, fidem tibi meam astringo) cogitationes. Hinc Episcopus magis animatus. Postquam, inquit, Optime Princeps in custodiam hanc tuam perueni (quanquam non tam custodia & carcer mihi, quam liberale & magnificum hospitium, pro summa tua in me benignitate fuerit) dum veterum scripta, quorum lectione otium depellerem, studiosius reuoluerem, in eam illorum sententiam incidi, qua produnt homines, non sibi, sed parentibus, sed amicis, sed & potissimum patriæ suæ id est, ad illam è seruitute, tyrannide, miseriis & calamitate vindicandam, ad illam proue- *Edouar. Hallus.*
hendam, ornandam, & amplificandam nasci. Subijt interim animum meum tristis, de luctuoso patriæ & reip. nostræ, præ eo, qui ante hæc tempora fuit, statu, cogitatio, nec sine summo animi dolore memoriam eius, qui iam regnum moderatur, ad animum reuocaui, per quem necesse est patriam propediem prorsus ruere, pessum ire, & perire. Vnica tamen spes, ne meliorum rerum desperatione prorsus frangatur, animum meum sustentat & erigit; quæ tota in tua nititur Amplitudine. In tanto enim & tot calamitatum concursu, quæ patriam obruunt, felicem, imo & ter felicem esse vel eo solo nomine, quod te tali & tanto Heroë, qui & patriam singulari amore complectitur, cuique & patria mutua affectione respondet, & in quo ingenium eximium, iustitia, prudentia, doctrina, eloquentia, reliquęque dotes, quæ ad regnum administrandum sunt accommodatæ, cumulatè affluunt & abundant, hodie frui tur.

VERSA vice, cum recordor Protectorem, quem nunc Regem appellant, magnas aliquot, quas & ipse dotes habet, immani tyrannide, & infandis piaculis (quippe qui non sit veritus matrem suam, ab eo crimine longe remotam, adulterij; fratrem EDOVARDVM Regem, cum altero fratre, eorumque liberos tanquam spurios & nothos palam traducere; nec regno modo, sed & vita regios liberos, regnique heredes & suos nepotes spoliare, aliaque nefaria scelera accumulare) tam fœde commaculasse & obruisse, vt tam funesta recordatio & me luctu, & mœrore totum oppleat & conficiat, & totius quoque populi *Varinanum* prorsus in eum odium conflarit: futurum plane video, vt ille propediem digniori alicui, qui illam suscipiat, dominatione omni cedere cogendus sit. Et vt iam intima animi mei erga tuam Amplitudinem sensa aperiam & prodam, ingenuè & plane profiteor te vnum, præ ceteris omnibus, imperio hoc dignissimum; & qui miseram patriam, ex summa, qua premitur, tyrannide asserat, maxime idoneum. Dotes amplæ, & munera corporis, animi, & fortunæ, quæ Deus in te plena manu supra ceteros regni Heroas contulit, tibi soli imperium hoc spondent & deferunt. Quod si dotes & virtutes istæ tuæ, longè infra magnitudinem istam subsiderent, & si vel mediocres tantummodo essent, quæ sunt amplissimæ, in tam immenso tamen populi, Procerúmque erga RICHARDVM, tamque merito odio, letui quod dicitur brachio, è solio tyrannum detruderes; cum populus, vt iugum illius excutiat, neminem fere vel domesticum, vel exterum Principem recusaret. Macte igitur animo, ad paratum imperium propera, ad eum, inquam, populum gubernandum accingere, qui libentissimis rerum gubernacula animis tibi delaturus est. Et cum cetera omnia sint in promptu & parato, noli tibi ipse deesse. Quòd si præ modestia animi honore non capiaris, aut pro oneris magnitudine illum deprecceris & defugias, per eam ego te fidem, quam Deo, quam diuo GEORGIO *Anglicanæ* militiæ præsidi (cuius tu honorato sodalitio dignissimus ascriptus es) quam charissimæ patriæ debes, summóque tuo erga eam amore obtestor, vt diligenti & accurata cogitatione, de aliquo alio, qui summæ rerum admoueatur, idoneo maturè prospicias. Sane, si vel illa ad *Lancastrianam* rursus *familiam* reuocari, vel ratio aliqua iniri

possit, qua maior natu EDOVARDI Regis filia, illustri alicui ex Proceribus viro matrimonio iungatur, tyrannus leui negotio è solio deturbabitur, & fons ille ciuilium omnium dissentionum exiccabitur, atque obruetur, & omnia deinceps post tam longas, & funestas domi dimicationes, summa quiete longáque pace affluent.

POST hanc Episcopi orationem, Dux ex imo pectore suspiria ducens, diu conticuit. Quæ res Episcopo & stuporem, & metum, quem vultus adeo pallor detegebat, iniecit. Quod Dux conspicatus, Noli, inquit, metuere, promissis nos nostris stabimus. Cras vberius his de rebus disseremus, iam cænatum, quia tempus instat, abeamus: nullúmque postea ea nocte sermonem de his rebus, quæ ante cænam disceptabantur, Dux iniecit. Quæ res Episcopum in varias & dubias cogitationes coniecit, & solicitudine curáque totum oppleuit. Neque tam solicite atque cupide Dux prius Episcopi, quam iam Episcopus Ducis voluntatem, propositúmque elicere, atque expiscari auebat. Postridie vero Dux Episcopum accersit, omniáque fere, quæ Episcopus prius disseruerat, recensuit. Silentio deinde aliquandiu interposito, pileum capitis exuens: Summe Deus, inquit, quantum tibi ANGLIA obærata est? Cum enim iam fæuissimis reip. nostræ nauis tempestatibus, ob boni & idonei gubernatoris inopiam, iactetur, spero tempus imminere, quo, tua benignitate & ope, nauem hanc ad optatum summæ quietis & securitatis portum appellemus. Moxque imposito capiti pileo, conuersusque ad Episcopum; Et, inquit, alias semper, in hoc tamen arcano potissimum colloquio, singularem tuum erga me amorem & propensionem mirifice testatus es. In quo, tanquam in speculo quodam, summa tua erga patriam obseruantia, incredibile studium, * summa tua prudentia, qua longe anteacutissime ea, quæ in singulare patriæ commodum vertentur, prospexisti, & prouidisti, clarissime emicuere. Maximas itaque tibi gratias iam ago, propediem, vt spero, ne sterilis debitor maneam, re ipsa vberius relaturus. Et quoniam nude & plane omnes tuas intimas cogitationes, teque totum mihi patefecisti, ego rursus nulla simulatione, aut circuitione vsus, abditissimos pectoris mei recessus, & recondita mentis arcana, tibi aperiam & nudabo. Atque vt ab EDOVARDO Rege exordiar, qui vnam, & ego alteram sororem in matrimonio mihi collocatam, habui, eo mortuo, quod viuus nullam mei, aut dignitatis meæ rationem habuerat, cœpi, vt fit, erga liberos eius alieniore esse animo. Ad hæc, cum illud tritum vetustate adagium animo occurreret, quo infortunata resp. dicitur, quæ per puerum aut feminam administratur; sensim in eam sententiam perductus sum, vt nec pueri Regis, nec matris eius, sub eo, imperium ferendum existimarem.

* al. singularis.

QVARE cum & totius reip. & priuatis meis rationibus maxime id accommodatum, vt tum eram affectus, putarem; mea præ ceteris opera procuratum est, vt RICHARDVS primum Regis & regni Protector, Rex deinde designaretur. Ad quem ad illum apicem prouehendũ eo eram pronior & procliuior, quod corrupta & deprauata veritatis, & rerum gestarum fide, per commentitia & adulterina scripta, perque falsa testimonia (quæ ego tamen omnia id temporis pro veris, germanis, & solidis, ab ijs qui iuris scientiam profitebantur, illusus & circumuentus ducebam) liquido mihi constare videretur, supposititiciam fuisse & nothan omnem EDOVARDIANAM prolem. Et satis alioqui noram CLARENTII Ducis filium, regni successionis per leges incapacem, ipsa radice originis suæ in patre, qui læsæ maiestatis crimen capite luit, vitiata. Et ego mihi quidem pollicebar RICHARDVM modestum, moderatum, & probum Regem futurum. Ipse certe mihi perfancte contestatus est, se non temperaturum modo à nepotum cæde, sed in ea honoris amplitudine eos collocaturum, vt abunde & mihi, & toti regno ea in re se satis facturum diceret. Sed vetus illud, omniúmque ore viurpatum dictum, *Honores mutant mores*, in illo verissimum paulo post comperi. Cum enim rogarem eum, vt possessiones quasdam familiæ *Herfordensis*, optimo & hereditario iure ad me delatas, quas tamen EDOVARDVS Rex iniustè intercepit, & summi ANGLIAE Conestabilis, quo multi ex meis maioribus functi sunt, munus bona illius gratia adipisci, & obtinere mihi liceret; frustratorijs primum causationibus tempus extrahebat, postea non modo manifestam repulsam, sed eas ab eo contumelias & conuitia retuli, vt grauiora nec in infestissimum sibi hominem congerere potuisset. Quam ego iniuriam concoquere, & deuorare apud me, & lætam frontem, cum intimis sensibus angerer, præ me ferre tota postrema æstate coactus sum.

ATENIM cum consiliorum illius quasi summam, in innoxiorum puerorum capitibus constetisse, & nepotum sanguine nefarie aspersum & imbutum certo intelligebam; Deus bone!

bone! quam toto animo & corpore ad eam auditionem contremui, quantóque illius flagrarim odio, adeo, vt non modo à consuetudine, sed ab omni illius aspectu plane abhorruerim. Omnia tamen ad tempus dissimulaui, ne me præsenti exitio obijcerem, vtque ea me ratione à tyranni manibus eriperem, Cum itaque nullam ille aduersus me suspicionem concepisset, passus est me domum & familiam hic inuisere, Quo in itinere, multa animo sursum deorsumque versabam, inque varias cogitationes distractus sum, quæ huc tamen omnes rediere, vt certo iam aliquandiu destinarim apud me, regium decus a tyranno in me ipsum transferre. Quæ mihi res in tanta populi, omniúmque ordinum erga tyrannum inuidia, perfacilis factu videbatur. Cumque animum prorsus ad hoc aggrediendum obfirmassem, qua tamen potissimum ratione aditum mihi, & viam ad conatus hos perficiendos munirem, accurate mecum commentarer: nonnunquam placebat regnum quasi armis vindicatum occupare, & hunc mihi titulum possessioni semel adeptę prętexere. Sed presens cogitanti, nimijs hoc consilium difficultatibus implicitum videbatur. Alias visum est rerum gubernacula ad me, quasi proximum *Lancastriane* familiæ heredem deriuare. Et hic mihi titulus, valde ad aliquot dies, & his quibus rem communicaui speciosus, idemque efficax atque solidus visus est. Sed ecce tibi, dum in hoc commento multum acquiescerem, occurrit mihi forte in itinere MARGARITA, HENRICI *Richemondiæ* Comitis mater; & quoniam me in summa apud RICHARDVM gratia collocatum putabat, suppliciter mecum egit, vt pro ea necessitudine, quæ mihi cum illius familia intercederet, reditum filio suo à RICHARDO impetrarem. Post cuius discessum, recolere tandem cœpi (qua de re prius ne per somnium quidem cogitaram) MARGARITAM minus quam ego aberam, à primo nostræ familiæ authore & principe IOANNE *Lancastriæ* Duce abesse; priorem itaque illi & filio ipsius, quam mihi, successionis ad regnum locum deberi, meque ab ipsis anteuerti.

QVAE res, & maturior simul de negotij conficiendi difficultate cogitatio, cum recolerem omnes necessarios & amicos tam Reginæ, quam Comitis *Richemundiæ*, omnibus se mihi viribus opposituros, vt siculneam & vanam illam omnem meam spem prorsus euertit; ita rursus incredibili lætitia perfudit, quod facilem & apertum tyranni deijciendi, & firmæ atque solidæ, sopitis ciuilium omnium bellorum, quæ hactenus tam diu & exitialiter in miseram ANGLIAM debacchabantur, flammis: pacis quietisque constabiliendæ, & vtriusque familiæ, *Lancastriane* & *Eboracensis* reconciliandæ aditum reperissem. Hoc est per *Richemondiæ* Comitis, cum ELIZABETHA maiore natu EDOVARDI filia, post regnum obtentum nuptias. Quod vt obtineat, ego sane omni diligentia, studio, opera, omnibusque meis opibus enixe procurabo. Hæc vbi Dux peroraisset, *Elienſis* non mediocri in sinu lætitia gesti, t, ob ea præsertim, quæ de copulanda & vnienda *Lancastriana* & *Eboracensi* familia, quam coniunctionem cum primis desiderabat, & quo totius illius apud Ducem, licet tectius collimabat oratio, Dux protulisset. Sed veritus Ducis inconstantiã neue resiliret ab his cogitationibus, putauit Ducem acuendum, vt susceptam cogitationem vrgeret, vtque res primo quoque tempore in eam conditionem deduceretur, vt haud facile postea Duci foret ab incœptis desistere. Eum itaque ad hunc modum affatur. Cum tu, Clarissime Dux, ex summa Dei benignitate, tam illustris & salutaris vtriusque huius amplissimæ familiæ consociationis, atque vnionis princeps & inuentor sis, & quasi beatæ reip. pro summa tua & incredibili prudentia architectus; restat vt in sanctis istis cogitationibus perficiendis alacriter pergas, & de idoneis rationibus etiam atque etiam cogites, quibus cogitata absoluas, & nobili huic fundamento idoneam structuram adijcias. Etiam atque etiam cogitandum est, quibuscum potissimum tanta arcana communicanda, & quos nobis amicos & socios asciscere debeamus.

PROFECTO respondet Dux, MARGARITAE Comitis *Richemundiæ* matri, præ ceteris consilia nostra aperiemus; quæ optimè nouit, quo in statu filij res sint constitutæ. Quandoquidem, inquit Episcopus, visum est illam primum consiliorum participem facere, est in familia MARGARITAE quidam, veteri mecum necessitudine coniunctus, magni vsus & prudentiæ, vir bonus, & secreti tenax, *Reginaldus* nempe *Braus*: quem, si visum fuerit, per literas huc accersam. Per *Reginaldum* itaque, Comitissæ consilia hæc patefacta sunt, & per eam Reginæ. Et missi mox sunt ab vtraque Heroina ad HENRICVM nuncij, qui eius in ANGLIA aduentum accelerarent. *Elienſis* interim idoneum tempus captando, Ducem solicitabat, vt bona illius venia ad insulam *Elienſem* secedere posset. Neque, inquit, dubito, quin quatriduo postquam illuc peruenerim, ita me muniam, vt nihil mihi à tyranno timendum

existimarim. Dux bonam illi spem quod propediem abiret, iniecit, sed lubens noluit eum dimittere, cuius sibi in rebus agendis consilium tam opportunum & necessarium vidit. Qui si cum illo mansisset, Dux forsan non tam temerè, atque postea fecit, in exitium se præcipitasset. *Wallis* enim nimium confidens, multisque, qui linguam continere non poterant, sua consilia prodens, & copias inconsultè, sine aliorum sociorum notitia producens; à *Wallis* desertus, dum latebras quærit, à quodam, cui maximè fidebat, proditus, capitis supplicio affectus est. At *Elienſis* non minus prudens, quam Dux erat callidus, videns se verbis solis à Duce lactari, & abitionem suam data opera à Duce extrahi; nolens expectare dum Ducis copiæ conuenirent, clam arrepto itinere, ad *Elienſem* se insulam proripuit, & in *Flandriam* deinde traiecit. Vbi cum per literas ex ANGLIA, insidias in *Britannia* Comiti, RICHARDO sollicitante, structas intelligeret; rem cum omni celeritate HENRICO significauit, effecitque vt insidias sicut, diximus, licet cum magna difficultate anteuerteret. HENRICVS ad regnum postea prouectus, ex *Flandria* eum reuocauit, & in secretius consilium selegit. A quo postea regni Cancellarius, & ex *Elienſi* Episcopo *Cantuarienſis* Archiepiscopus, atque à summo Pontifice Cardinalis mox designatus est. Obijt deinde IOANNES ipso anno iubilæo. Vir cum ob alias claras illius dotes, tum & ideo suspiciendus, quod ad Regis HENRICI grauiora peccata, non conniuere, sed acrius, ea tamen, qua decuit, modestia illum reprehendere solitus sit. Qualem se ex laicis, *Reginaldus* ille, de quo commemorauimus, *Brauus*, qui illi ab intimis consilijs fuerat, præstare solebat.

Polydor.

De HENRICO Deneo, *&* GVLIELMO Warhamo *Archiepiscopis.*

CAPVT XIII.

POST *Mortonum* HENRICVS *Deneus* hanc prouinciam suscipit. Qui cum *Langtonienſis* cœnobij præfecturam gereret, quo tempore magnis *Hibernia* contra HENRICVM *septimum* tumultibus, per *Petrum warbechum* agitata est, regionis illius à Rege Cancellarius est designatus, eóque per eum delegatus. Quem Rex *Bangorienſi*, & *Sarisburienſi* deinde sede, tandémque *Cantuarienſi* Archiepiscopatu ornauit: eique biennio postea fatis functo, GVLIELMVM WARHAMVM, ad alterum sequentis sæculi annum suffecit: in quo iam Archiepiscoporum *Cantuariæ* vitas concludemus. *Waramus* itaque in *Suthamptoniæ* Comitatu natus, in eodem etiam, apud celebre illud *wichamienſe wintonienſis* ciuitatis collegium, prima pueritiæ suæ, & literarum rudimenta deposuit. Mox ad *wickamienſes Oxonij* ædes migrauit, vbi tam bene moratus, tamque bonis literis, iuris præsertim ciuilis scientia excultus fuit, vt propter ingenij, morum, prudentiæ & doctrinæ præstantiam, ex *Cantuarienſis* Curiæ aduocato, ad magnos sensim honores, & ad *Cantuariæ* postremo Archiepiscopatum euectus sit. Diximus iam antea, quantas molestias HENRICO exhibuerit, quantósque aduersus eum motus excitarit *Petrus*, quem *Margarita Burgundiæ* Princeps, quasi *Richardum Eboracenſem*, verum & germanum EDOVARDI filium, vt HENRICVM nouis tumultibus lacesseret, miro artificio subornarat. Cumque passim, frigidam suffundente *Margarita*, commentitius iste *Richardus*, instar veri RIGHARDI, summis apud exteros honoribus exciperetur, vt imminentibus per hoc commentum malis obuiam iret, commentoque, quo multis ad tempus Principibus illusum est, fidem & ascititiam istam RICHARDI laruam *Petro* detraheret; legatos in *Flandriam* ad *Philippum* Archiducem, mittebat *Edouardum Ponyngum*, & GVLIELMVM *Waramum*, ne falsa forte persuasione, callidisque commentis circumuentus, adulterini illius *Richardi* patrocinium & defensionem (id enim HENRICVS non sine causa verebatur) susciperet.

Obijt an. 1502.

Polid. li 26.

GVLIELMVS vero eleganti oratione, plane & luculenter ostendit, nullam debere Archiducem, principesque viros, quorum consilijs vteretur, tam insulso & anili commento fidem adiungere, neque vel speciem verisimilem aut adumbratam subesse, qua quisquam, qui rerum aliquem vsum haberet, aut qui RICHARDI indolem, conatusque nosset, in animum induceret, RICHARDVM EDOVARDI fratrem superstitem; aut cur illi magis, quam alteri parceretur, cum alterutro superstite, par RICHARDO periculum immineret.

Quod

Quòd si quisquam esset, qui nollet tam alienam & ineptam persuasionem de RICHARDO superstite deponere, necesse tamen habere, vt de *Petro* saltem deponat. Quem ille deinde, quasi ab ouo, quod dicitur, exorsus, graphicè describit, eiusque humiles & sordidos apud *Tornacum* natales, reliquámque hactenus eius vitam inter plebeios ignobiliter transactam, & deinde quibus artibus, & qua *Margaritæ* vafricie, & insaturabili erga HENRICVM odio, repentè humi natus, ad tantos splendores, præstrictis per *Margaritam* multorum oculis, irrepserit. Et vt erat expedito & faceto ingenio, cum clauderet orationem, eam salibus aduersus *Margaritam*, lepidè aspersit, vt diceret monstra ab illius partu, idque præcipitata iam ætate, *Lambertum* priùs (de quo nobis supra mentio iniecta est) & iam vnicas suas delicias *Petrum* effundi. Quos non suo, id est octauo nonóue, pro more ceterarum mulierum peperisset, sed centesimo octogesimo vtrumque mense, id est decimo quinto anno ex vtero effudisset: nec eos quidem infantes, sed ad eam ætatem prouectos, vt bellis Reges lacessere statim possint. Longa deinde disceptatio inter *Philippi* consiliarios orta est, vtrum *Petrum* pro iusto *Edouardi* Regis filio agnoscere deberent. Quæ huc exijt, vt diceret *Philippus*, nullam se opem *Petro* laturum. Traducto deinde *Eboracum Thoma Sauagio Londinensi* Episcopo, HENRICVS GVLIELMVM scriniorum regiorum præfectum, siue custodem rotulorum, vt appellant, *Londinensi* Episcopatu, & post biennium primaria *Cantuariensi* sede cohonestat. Qui cum sedis suæ *Cantuariensis* possessionem capesseret (intronizationem appellant) valde fuit sanè magnificus & sumptuosus, vt nemo forte decessorum magnificentior visus fuerit.

INCIDI in librum quendam manuscriptum lingua nostrati; qui illam omnem pompam latè atque diffusè persequitur. EDOVARDVS Nobilis ille *Buckingamiæ* Dux, Senescalli, vt appellamus, munus illa die, quæ incidit in annum M. D. IV. & nonum Martij mensis, & passionis, vt appellamus, dominicam, magna diligentia obiuit, qui pridie ducentis ex suis sociatus *Cantuariam* aduenerat; & professus est, nullum ex omnibus suis maioribus promptiore voluntate, aut maiore diligentia, magisque ad honorem atque ornamentum Archiepiscopi illo munere functum, quàm ipse esset functurus. Postridie venit & *Waramus* ad ciuitatem, nudisque pedibus ad princeps templum pergit. Quem aduentantem Dux cum suis honorificè excepit, & ad templum pergentē præcessit, & post sacra in templo absoluta, assidente in mensa Archiepiscopo, equo vectus ferculorum gestatores præcessit, mensæque dum apponerentur, nudo capite cum candido baculo, officij & muneris sui insigni, astitit; móxque Archiepiscopo, inclinato corpore honorem deferens, ad prandium alibi ipsi magnificè paratum abijt. In ferculorum vero & mensæ solenni illa pompa, multi latini versus visebantur, cum imaginibus affabrè, & scitè concinnatis. Qui cum multa alia, tum & munia, quæ priùs gesserat in regiorum scriniorum præfectura, & in *Londinensi* sede, postremo quæ & tum gessit, in Archiepiscopatu recens suscepto, pallióque à *Romano* Pontifice transmisso, complectebantur. Varias deinde à *Romanis* Pontificibus literas, IVLIO videlicet *secundo*, ADRIANO & CLEMENTE *septimo* accepit. Transmisit IVLIVS in primordijs regni HENRICI VIII. honoris ergo, auream illam rosam sancto chrismate delibutam, quam Regi *Waramus*, inter missarum sacra à se celebrata, solenni ritu & cæremonia tradidit. Cumque iam XXII. annis munus obijsset, literas ab ADRIANO *Romano* Pontifice recepit, in quibus ille acceptam recens per *Turcas*, occupatis *Belgrado Hungariæ* munitissima arce, & *Rhodo* insula, calamitatem deflet; eumque enixe hortatur, vt cum Rege HENRICO *octauo* (ad quem etiam literas eadem de re scripserat) accuratè ageret, quatenus auxilia contra *Turcam*, *Italiæ* & reliquæ *Europæ* atrociter imminentem, conferret. *Ex registro.* *Quæ sunt in registro.*

MORTVO deinde ADRIANO, veniunt ad eum CLEMENTIS *septimi* literæ, in quibus luculenter testimonium de GVLIELMI præstantia præbet, quem optimum, religiosissimum, & omnibus partibus ac dotibus ornatissimum præsulem (sunt enim illa illius verba) appellat. HENRICVS vero *octauus*, cum patri, sexennio postquam *Waramus* Archiepiscopus designatus erat, successisset, mirificè in GVLIELMVM propendebat, eumque cancellariæ suæ præfecit. A quo nono postea anno, se cum bona Regis venia abdicauit, eumque deinde gessit THOMAS *Eboracensis* Cardinalis. In functione autem Archiepiscopatus XII. postea annis permansit. Qui vtrisque HENRICIS Regibus, nunquam nisi honesta, iusta, & sancta suggessit, populique vtilitati, quoad potuit, studuit; séque his, qui populum rapinis exhaurire, & rem suam cum publico damno augere, pro nihilo habuerunt, constanter opposuit. Quæ illius moderatio & pietas, magnam illi apud THOMAM *Wol-* *Anno 1517.*

seum

sium Eboracensem Archiepiscopum Cardinalem, legatúmque pontificium, maxima, præ ceteris, HENRICI Regis gratia florentem, inuidiam conflauit. Scripserat ad eum *Gulielmus*, paulo post quàm legatio ei mandata erat, literas, quibus veteri more in calce subiecit, GVLIELMVS frater *Cantuariensis*. Mirum, quo modo ob id Cardinalis stomachatus est: Atenim, inquit, propediem efficiam, vt intelligat se mihi non esse parem, tantum abest, vt sit frater. Quæ cum nuncius perturbatiore animo Archiepiscopo renunciasset, An tu, inquit, ignoras, hunc hominem, ob authoritatis suæ magnitudinem, præ gaudio vix apud se esse? Qua ille perditè abusus, in pecuniarum illam aucupium, omnia venum exponens, miserúmque populum variis machinamentis emungens & expilans, sordidè conuertit; multáque fecit, quæ ab ecclesiastici, & domestici iuris rationibus & præscripto abhorrent. Cúmque ceteri omnes, propter summam hominis authoritatem, nihil mutire contra eum auderent, solus *Cantuariensis* intercessit his eius conatibus, & de illis Regem certiorem fecit. Quæ res fecit legatum postea moderatiorem.

ADHÆC cum pecuniam Rex mutuò, sub syngrapha, à populo accepisset, & legatus omnia tentaret, quo pecunia illi non redderetur; non passus est *Waramus* hanc indignitatẽ, tantámque labem regio nomini aspergi: quare & palam ea in re legato obstitit, & Regẽ ipsum adijt, quęsiuitque ab eo num æs alienum, quod conflarat, exoluere cogitaret? Maxime, inquit, Nam & ob id syngraphas confeci, quibus se creditores mei ad repetitionẽ mutui munirent. Subiecit tum *Waramus*, non deesse qui huc toti spectarent, vt cum summa regij nominis macula, solutionem impedient, quorũ ego, inquit, me conatibus, tum ad regiam tuam existimationem, tum ad populi communem vtilitatem conseruandam me opposui. Quanquam quod ad me pertinet, vltrò eam tuę maiestati pecuniam condono, moxque syngrapham reddidit, Regem valde obtestatus vt eam acciperet. Posterioribus autem vitæ illius temporibus, cœpit HENRICVS Rex alieniore in eum esse animo, quòd diuortio, quod postea cum Regina CATHERINA initum est, constanter aduersaretur. Intercessit autem inter eum, & reliquos aliquandiu ANGLIÆ Episcopos, propter approbanda & insinuanda testamenta, magna contentio; qui & ad *Romanum* Pontificem contra eum prouocarunt. Per quem tota res ad arbitrium Regis HENRICI est relecta, qui pacem & concordiam inter eos conciliauit. Collegium D. *Stephani* prope *Westmonasterium* mirificè amplexus est, suáque gratia & liberalitate fouit. Cui vt Decanus & Canonici quam poterant gratiam referrent, communi decreto sanciuere, vt quandocunque obiret, exequias illius, & anniuersarios postea dies officiosissimè colerent atque obseruarent. *Waramus*, vt fuit ipse oppido quam doctus, ita & doctos in magno habuit pretio; eorumque studijs, cum alibi, tum in *Wichamiensi* illo *Oxonij* Collegio, cuius ipse fuerat olim alumnus, liberaliter prospexit. Quę eius liberalitas ad mea vsque tempora, ad multorum in eo collegio studia releuanda atque fouenda, adque meipsum inter ceteros redundauit, multósque, *Wicamienses* suos coalumnos, sacerdotijs, honoribus, atque dignitatibus ornauit. Inter quos fuere *Ioannes Tongus* curiæ prærogatiuæ iudex, ipsiusque cancellarius, *Ciceſtrensis* Decanus, nonique collegij *Oxonienſis* præfectus; *Bedellus*, qui erat ei à secretis; Dominus *Welles* theologiæ professor, & *Thomas Millingus*, qui iuri ciuili & sacro opera dederat (qui duo valdè erant benéficti in scholasticos *Wicamienses* inopes, eorumque tenuitati annua liberalitate ad mea vsque tempora subuenere) insignis præterea ille vir *Gulielmus Grocinus*, collegij *Maidestonensis* in *Cantia* præpositus, *Robertus Schirburne* *Ciceſtrensis*, *Gulielmus Knight* *Bathonienſis* postea Episcopi, vt alios multos prætermittam.

Ex registro Waramı.

IN *Erasmum* vero *Waramus* *Rotherodamum*, singulari amore & fauore, propendebat, in quem & sacerdotium quoddam in *Cantia* apud *Alingtoniam* contulit, quod ille postea recusauit, cum videret se hominem exoticum & linguæ popularis expertem, in concionibus apud populum, alijsque ecclesiæ functionibus parum fructuosum futurum. Nec ad doctos solum, sed & alios inuandos atque fouendos, monastici præsertim ordinis viros, liberalitas illius copiosè profluxit, quam multa tenuiora *Lincolniensis* diœcesis cœnobia experta sunt. quibus pecuniam, quæ etsi ex lustratione atque visitatione diœcesis, Episcopo defuncto debebantur, benignè remisit. Quo tempore magnum modestiæ & benignitatis suæ documentum dedit, cum eas ecclesias, quas eodem anno defunctus Episcopus lustrauerat; noluit, ne nouis eas sumptibus oneraret, lustrare. Cumque iam ad decimum septimum administrationis suæ annum, peruenisset, grauis illi dubitatio oborta est ob id, quòd vigilia diui *Ioannis Baptistæ* in diem Christisomaticum, vt ita dicam, incurreret. Magna itaque difficultate animi hominum, vtrum eo die ieiunare deberent, implicabantur, statum & solenne

Ex registro Waramı.

ecclesiæ

ecclesiæ ieiunium violare, instar piaculi videbatur. Magnitudo vero rursus tam festi, tamque solemnis diei, cum gaudio & lætitia, absque ieiunij squalore atque luctu transigenda censebatur. Cumque se & alios propria authoritate *Waramus* explicare non potuisset, *Romanum* Pontificem maturè consuluit. Qui decreuit, vt in eo, & reliquis similibus eiusdem festi temporibus, ieiunium vigiliæ diui *Ioannis* ascriptum, illi diei ascriberetur, qui festum *Corporis* Christi antecedit. Atque ita postea in ANGLIA, & in reliqua ecclesia obseruatum est. Multi his temporibus prauis, atque pernicioſis *Wiclefi* dogmatibus in ANGLIA, atque in *Cantuariensi* præsertim diœcesi, adhærebant. Quos ille ferè omnes ad palinodiã deduxit. Paucis, vero annis, antequã HENRICVS *octauus* ab ecclesia secessionem fecerat, quidã qui se totos *Wiclefi* atque *Lutheri* hæresibus prouehendis addixerant, ad eas latiùs per ANGLIAM spargendas, mare transmittentes, pernicioſos & damnatos libros *Anglicè* scriptos, typisque illuc excusos, in ANGLIAM, ad sinceritatem fidei catholicæ contaminandam magno numero transferri curarunt. Qui regio mox edicto damnati, & eorum lectione populo interdictum: aduersus quos extat & *Warami*, ex Regis præcepto, succincta & fructuosa ad populum admonitio. Quin & insigniores in huiusmodi libris errores & dogmata, quo magis aduersus illa lectores simplicores munirentur, in dicta admonitione diligenter recensentur. *Qua extat in registro.*

ET licet nihil *Waramus*, quod ad verum & sincerum Pastorem pertinebat, ad damnata hæc dogmata reprimenda, diligentiæ, curæque prætermiserit: succreuerunt tamen indies, imo paulo post illius obitum, quædam ex illis, publica etiam authoritate comprobata sunt. Quam ab ecclesia discessionem *Waramus*, siue naturali quadam id prudentia, & ex temporum ratione, Regis atque populi propensione; siue quacunque alia ratione, coniectabat ANGLIAE imminere; solebat suis, nepoti præsertim suo *Gulielmo Waramo* admodum tum adolescenti, aurato postea Equiti apertè prædicare. Imo huic nepoti dicere solebat acuius ego id rursus ore aliquando audiui, futurum non ita multis postea annis, vt *Thomas* quidam in metropolitana illa sede locaretur, qui [illegible]axam & remissam vitæ licentioris indulgentiam populo concessam, perque praua dogmata, magis *Cantuariensem*, omnemque reliquam ANGLIAE ecclesiam deformaret, quam eam olim THOMAS martyr suo martyrio amplificasset; admonuitque nepotem, vt si quis forte *Thomas*, eo viuo ea sede potiretur, ne vlla ratione in illius famulitium se ascribi pateretur. Audiui & à generosa quadam matre fratrum illorum *Haddanorum* se audisse, presbyterum quendam parochialis ecclesiæ de *Darrell* in Comitatu *Buckinghamiæ* rectorem, ad prima tempora, quibus *Lutherum* hæreses suas in *Saxonia* spargere renunciabatur, omnesque eum detestarentur, fore non ita multo post, vt eædem hæreses palam in ANGLIA probarentur. Audiui & de alijs, quos nominare possum, qui hanc tempestatem ANGLIAE imminere (cum ne tenuis quædam illius rei esset suspicio) multò ante prædicabant. Sed hæc ex abundanti dicta sunto. *Waramus* autem eum ipsum *Thomam*, de quo tam male ominabatur, quique primus ex omnibus *Cantuariæ* Episcopis hæresim in eam sedem inuexit, successorem sibi sortitus est.

De Cœnobijs quibusdam Cantianis, *&* Cantuariæ *hoc sæculo Archidiaconis.*

CAPVT XIIII.

INTER alios vero cœnobij *Seruatoris* apud *Cantuariam*, hoc sæculo præsides, fuere *Thomas* Golstonius, & *Gulielmus Collingus*, vterque HENRICI *septimi*, ille ad *Carolum Francorum* Regem, iste ad summum Pontificem legatus. *Gulielmus Bononiæ* antea iuri ciuili operam dederat; & non modo in *latinis*, sed in *Græcis* literis eximie profecit. *Angelo Politiano*, & alijs in *Italia* id temporis, doctis viris familiariter coniunctus est. Magnáque industria raros & lectos *Latinæ*, *Græcæque* linguæ vetustos authores venatus, non mediocribus impensis describi curauit: quos in ANGLIAM secum detulit. Qui tamen fere non multis hinc annis, cum alijs melioris notæ libris, ex incendio nocturno temulentorum quorundam seruorum incuria, *Cantuariæ* orto, conflagrarunt. Quo & *Ciceronis*, qui hodiè vbique desiderantur, de rep. libros simul intercidisse ferunt. Audio alicubi in ANGLIA eorum librorum exemplar delitescere, sed nihil certi de ea adhuc re expiscari possum. Ex his, qui scriptorum aliquid post se reliquere, fuere IOANNES *Langdenus Rossensis* postea Episcopus, *Polid. lib. 26.* *Ioan. Leland.*

copus, *Gulielmus Bekleius Sandwichicensis*, & *Ioannes Wrothamus*, *Carmelita* apud *portum Iccium*, *Caletum* hodie appellamus. Sed præ alijs sui, aut alterius ordinis, quos nobis hoc sęculo *Cantia*, aut reliqua fere ANGLIA, ante politiores literas renatas dedit; *Ioannes Capgraues Augustinianus* pietatis & doctrinæ palmam tulisse videtur. Qui non modò in omnem fere sacram scripturam commentatus est, sed & multa præclarè, quæ ad historiam sui temporis, & omnium eorum Diuorum, qui in ANGLIA celebriores sunt, pertinent, conscripsit. Fuit à sacra exomologesi HVMFRIDO Duci *Gloceſtriæ*, HENRICI Regis *quinti* fratri. Sedente autem *Arundellio*, HENRICVS *quartus* confirmauit veteres prærogatiuas, & priuilegia cœnobij *Seruatoris Cantuariæ*; inferiorem autem ecclesiæ suæ partem, (quam demolitus erat SIMON *Sudburiensis* Archiepiscopus, magnificentiùs eam extruendi animo, quod & perfecisset, nisi indigna illum cædes repentè è medio sustulisset) maximis monachi impensis nobili structura exædificarunt. Fuit autem inter eos, & monachos *Glasconienses*, grandis, ob corpus beati DVNSTANI, contentio, de qua suo prius loco diximus: *Carmelitæ* vero *Rutipini*, siue *Sandwichiani*, cum nulla ad id idonea *Romani* pontificis authoritate munirentur, ingerebant se ad concionandum in aliorum parochijs, adque alienos parochianos sacra exomologesi expiandos; nec quam debebant parochis, quartam partem ob sepulturam apud se acceptam refundebant: quos his omnibus in rebus *Arundelius* ad officium reuocauit.

Ex regiſtro Arundelij.

Ex regiſtro.

Ex regiſtro Arundelij. Chicheley, Merton, & aliorum.

CANTVARIENSI autem hoc sæculo ARCHIDIACONATV functi sunt *Richardus Cliffordius*, *Robertus Hallus*, *Ioannes Wakeringius*, *Thomas Rumnoth*, *Gulielmus Chicheley*, *Prosper de columna*, *Thomas Chicheley*, *Thomas Wittemborn*, *Ioannes Bourchier*, & post illius obitum *Hugo Penwin* legum doctor, & sedente proximo sęculo *Waramo*, *Gulielmus Waramus* Archiepiscopi frater. *Richardo* controuersia quædam, de exercenda iurisdictione, cum *Arundellio* intercessit, quæ certa transactione, mutuo ipsorum consensu composita est. Fuit autem *Robertus Arundellij* etiam vicarius generalis. Diximus iam antea Episcopos designatos, Episcopatus sui possessionem & quasi plenum ius, *Cantuariensis* Archidiaconi authoritate capessere solere. Quare cum sedente THOMA, IOANNES *Assauensis* Episcopus, citra ROBERTI authoritatem Pontificatum administrasset, nec in possessionem de more per eum inductus fuisset, euocatus est IOANNES ad THOMAE tribunal, ob vitiosam & temerariam administrationem. Fuit *Wakeringius* Regi ab archiuis siue scrinijs, & *Nordouicensis* postea Episcopus. Post obitum HENRICI, *Chicheleius* contulit illud munus in consanguineum suum *Gulielmum Chicheleium*, quo tempore ipse Archiepiscopus fuerat in expeditione cum Rege in *Gallia*. Cum vero *Gulielmus*, qui fuit tabellio & notarius, vt appellant, apostolicus, in *Romana* curia fuisset defunctus, *Romanus* Pontifex MARTINVS *quintus Brixinum Laurentij* de columna, ex illustri Baronum genere, nepotémque suum, illo mumere donauit, qui XIV. ætatis annum haud superarat. Cui nec ætatis tyrocinium, nec præfecturam in ecclesia *Valentina Tarraconensis* prouinciæ, quę. CIↃ. IↃ. florenos annuo reditu superabat, obstare voluit, quo minus & Archidiaconatu potiretur: hac cautione, vt per idoneum aliquem Archidiaconatus functioni, absente *Prospero*, prospiceretur; & ipse per se vel procuratorem, obseruantiam præstaret, quam Archiepiscopo *Cantuariensi* debebat. Et quoniam per regni leges integrum non erat extero, huiusmodi aliquod munus in ANGLIA capessere, ad pręces MARTINI, HENRICVS Rex soluit *Prosperum* à legibus, capacemque eum fecit illius muneris; hoc tamen temperamento adhibito, vt Pontifex per diploma testaretur, licere patrono, cum Archidiaconatus postea vacaret, suo illum arbitrio conferre, néue hęc Regis indulgentia ad exemplum traheretur. *Prosper* post paucos annos, à patruo Pontifice in Cardinalium numerum relatus est. Post septennium HENRICVS Archiepiscopus eundem Archidiaconatum consanguineo suo *Thomæ Chicheleio* donauit. Fuit hoc sæculo ecclesiæ parochialis de *Bredgar* in *Cantia* Rector *Robertus*, qui eandem in collegium conuertit, quædamque statuta ad illud gubernandum edidit, quæ *Arundellius* rata habuit.

Fiat, in Mem. ex regiſtro Hen.

De

De Roffensibus *Episcopis*.

CAPVT XV.

DEFVNCTO GVLIELMO *Botleshamio*, sufficitur in eius locum RICHARDVS *Yonge Bangorensis* Episcopus, per INNOCENTIVM. Cui, antequam summus Pontifex renunciaretur, notus & charus fuit, eiusque ille in *Romanam* sedem summa studia, in suis ad THOMAM *Arundellium* literis valde commendat. Quo tempore RICHARDVS aut captus in aliqua *Wallorum* Principum seditione, aut diœcesi exturbatus. Queritúrque INNOCENTIVS per THOMAM accumulari illius miserias, quòd non pateretur eum ad ecclesiam *Roffensem* prouehi, fructibusque eius ecclesiæ liberè frui; quos mandat quamprimum restitui. Respondet THOMAS, *Roffensis* ecclesiæ fructus, sede vacante, ex veteri ecclesiæ *Cantuariensis* prærogatiua ad se, & suam sedem spectare; atque ideo existimare se, si Pontifex id resciisset, noluisse culpam aliquam sibi ascribere. Nullum autem se impedimentum RICHARDO obiecisse, quo minus ad *Roffensem* sedem promoueretur, neque translationis illius literas ad se perlatas. RICHARDO mortuo, *Arundellius* intermedios fructus pro veteri more percipit; monachique *Roffenses*, nouę optioni ab eo, quasi primario ecclesiæ patrono, impetrata, IOANNEM *Botleshamium* eligunt. Hunc RICHARDVS alter sequutus est, qui se *Cantuariensis* ecclesiæ clientem & vasallum, vt appellant, profitetur, conceptisque verbis *Gallicè* fidem per iusiurandum dat *Arundellio*. RICHARDVM excepit THOMAS *Browne* translatus *Herfordiam*, cum IOANNES *Kempius*, *Cantuariensis*, vt diximus, postea Archiepiscopus; Hunc IOANNES *Langdenus*, *Cantuariensis* priùs apud cœnobium *Seruatoris* monachus. Qui præter alia, annales quosdam ANGLIAE scripsisse traditur: Huic succedit REGINALDVS, tum GVLIELMVS, & post eum IOANNES Lowe *Assauensis* prius Episcopus, regnante HENRICO *sexto*, qui à concionibus, quas & scriptis, vt alia quędam, mandauit, celebris; & vel ob hoc maxima laude decorandus, quòd suæ disciplinæ, id est, *Augustinensium* fratrum societati, instructissimam *Londini* Bibliothecam comparauit. Sequuti sunt EDMVNDVS, THOMAS *Sauagius*, *Londini* postea Episcopus, atque *Cantuariensis* Archiepiscopus, RICHARDVS, & post eum IOANNES *Fischerus*. *Obseruantium* fratrũ, vt appellant, posuit in hac apud *Grenwichium* diœcesi, cœnobium, HENRICVS Rex *septimus*.

Ex registro Arundell.

Anno 1414.

Ioan. obijt 1493.

De Episcopis Londinensibus, *déque* Richardo Whitingtono Londinensi *Præfecto*.

CAPVT XVI.

POST ROBERTVM *Braibroke*, hanc sedem administrat ROGERIVS *Waldenus*, NICOLAVS deinde *Bubwithius Sarisburiam* translatus tum RICHARDVS *Cliffordius*, IOANNES *Kempius*, GVLIELMVS *Graius*, ROBERTVS *Gilbertus*, THOMAS *Kempius* frater IOANNIS *Cantuariensis* Archiepiscopi, THOMAS *Sauagius*, qui *Eboracum* deinde commigrauit. Huic GVLIELMVS *Waramus*, & *Waramo* alius GVLIELMVS succedit, & post eius obitum CVTHBERTVS *Tonstallus*. Cum vero THOMAS *Arundellius* solum, vt diximus, vertere cogeretur, ad *Romanum* Pontificem se recepit. Qui, & Cardinales, cum RICHARDO Rege accuratè per literas egere, vt sedi THOMAS redderetur. Rex contra enixè contendebat, vt pro eo ROGERVS *Waldenus Londinensis* Episcopus, qui Regi erat à thesauris sufficeretur, valdéque acerbas contra THOMAM literas, quibus suam ab eo grauissimè imminutam maiestatem querebatur, remisit. Et cessit tandem pontifex, & ROGERVM *Cantuariam* traducendum decreuit. Quod decretum, restituto post triennium THOMA, RICHARDO, per HENRICVM *quartum*, Rege à regni solio deturbato, recissum est, redijtque rursus ROGERVS ad veterem sedem. Cui paulo post defuncto, NICOLAVS *Bubwithius* substituitur. Quo anno ROGERVS obijt, *Londinensis* ciuitatis prætura functus est *Richardus Whitingtonus*, vir cuius memoria immortalitati consecretur, & quem alij eiusdem ordinis & loci homines, in exemplum & æmulationem sibi rapiant, dignus. Nam præter speciosam illam, quam nouam

Additio Polich.

1406. Thom. Walsing.

portam appellant, collegium sacerdotũ *Londini*, quod nomen ab eo ad hunc vsque diem mutuatur, & insignem illam apud *Franciscanos* bibliothecã, vt & aliam pro ciuibus, vbi munimenta ciuitatis conseruarentur, & magnam partem hospitij pauperum in suburbio apud diuum *Bartholomuæm* ædificauit. Sacellum præterea prope illum locum, quod *Guildhallum* appellant, quo Maior, & Senatus cum reliquis ciuibus frequentes confluunt, ad consilia de rebus suis capienda, vt illud Deum precaturi, antequam consultationem inirent, ingrederentur. In illo vero suo *Whitingtonienſi* collegio, multas ædes construxit ad eorum vsum, qui ex vtroque sexu, ad prouectam ætatem, rerum inopia pressi peruenissent. Quibus de foco, de vestitu & pecunia per singulas septimanas liberaliter prospexit. Quid? quod in supremis tabulis eos, quos heredes & executores sibi asciuerat, persanctè obtestatus est, ne quenquam, qui in ipsius ære esset, ob pecuniam à se creditam interpellarent, nisi cuius facultates scirent, triplo maiores pecunia credita, omni omnium hominum ære alieno deducto, & res eius ita constitutas, vt sine luculento aliquo detrimento debitum illud refundere posset. Alioqui, ne appellarent quidem hominem de debito. Ceteris vero, nullam actionem apud iudices intenderent. Cuius mentio, memoriam mihi refricat alterius, eiusdem loci & ordinis paulo post viri, qui *Simon Eyrus* dicebatur, cuius impensis aula illa, quam plumbeam appellant, cum eleganti, quod adiungitur sacello, constructa est. Quam pius ille vir in hunc potissimum vsum parauit, vt ibi æstate ligna & carbones reponerentur, quæ tenuioribus in hyeme, commodo & moderato pretio, omni lucro prorsus remoto distraherentur. Et mille libras reliquit, ad lignorum & carbonum huiusmodi annuam coëmptionem. Sed hoc tantum postea beneficium, quod dolendum est, pauperibus intercidit. Eam enim EDOVARDVS *quartus* mutuo accepit pecuniam, & pauperibus, quia nunquam reddidit, prorsus intercepit.

Idem 1443.

Th. Walſ 1407 Fabian 1418.

PONTIFICIVM vero hoc, post ROGERVM, munus subijt RICHARDVS *Cliffordius* huc à *Vicciis* siue *Wigornia* accersitus. Qui ad *Constantienſe* cum alijs, vt supra commemorauimus, concilium amandatus est. In eius pontificatu, in ipso sacrosancto paschatis die, in templo diui DVNSTANI, quod ad orientem ciuitatis positum est, orta inter Dominum *Strange* & *Ioannem Trusſelium* rixa, res ad dimicationem misero spectaculo, & ad cædem cuiusdam ex ciuibus, multorumque vulnerationem grassata est. Quam dissidij occasionem, vxores ipsorum, quæ inter se muliebriter dissidebant, præbuere. *Strangius* postea publicam vt appellant pœnitentiam agere, & defuncti vxori cumulatè satisfacere coactus est. RICHARDVM excepit IOANNES *Kempius*, & IOANNEM, *Eboracenſi* Archiepiscopatu insignitum, *Gulielmus Gratus* Decanus *Eboracenſis*. Sequutus deinde ROBERTVS *Fechepius*, cui defuncto ROBERTVS *Gilbertus* Decanus *Eboracenſis* suppositus est. Quadriennio post insignis illa templi diui *Pauli* pyramis fulmine correpta arsit; quæ tamen flamma (quod vix credibile) singulari ciuium & aliorum diligentia restincta est. In quo labore palmam tulit sacerdotis cuiusdam industria, qui erat à matutino sacrificio in templo beatæ MARIAE, quod de *Arcubus* appellant. Quandoquidem vero in illius pyramidis mentionem incidimus, hoc etiam ex abundanti adijcimus, hoc nimirum sæculo iam fere declinante, crucem, quæ ipsius pyramidis fastigium, cui aquila insidet, obtinet, fuisse à quodam fabro lignario reliquæ pyramidi exemptam & deorsum delatam, & à THOMA *Sauagio Londinenſi* Episcopo, multis precibus & cæremonijs, præsentibus omnibus ecclesiæ ministris, consecratam. Multâsque per eum Diuorũ reliquias in ea collocatas, suo deinde loco per eundem fabrum artificiose repositam. Crucis longitudo, XIV. pedes, & latitudo quinque pedes superat. Intima pars crucis ex quercu, proxima ex plumbo, extima vero ex cupro conflata est. Illa pars, cui crux imposita est, & ipsa aquila ex stanno deaurato constat. Ad quæ tempora, Præfecti ciuitatis, Senatus, & aliorum, qui ciuitati à consilijs sunt, decreto sancitum est, ne quisquam in ciuitate, ne eaquidem quæ ad esculenta spectant, vendat aut emat, neue sutores vestiarij, aut calcearij, Dominicis diebus vestes aut calceos, aut quisquam aliorum alias merces ad quenquam deferret. Sed hoc decretum exiguo tempore vires obtinuit. Proximus, quem adhuc post ROBERTVM reperio, est Doctor *Hill*; *Sauagius* deinde *Eboracum*, postea proximo sæculo ineunte, translatus.

Addit. Polichr. 1423.

1439. Ibidem. Fabian. 1442.

Fab. 1443. ex quodam codice manuscripto.

Fab. 1444. Fa 1494. 1500. In vita Ebor. & Polid.

De-

De Cœnobijs & doctis Cœnobitis huius diœcesis.

CAPVT XVII.

INTER alios vero ex Clero, qui fictitio illi *Eboracensi* Duci *Petro Warbecho* se adiunxere, fuit & *Gulielmus Worsteius* ecclesiæ diui PAVLI Decanus, qui eam ob causam perduellionis damnatus est. Est vero *Londini* collegium diui *Martini*, vbi & celebre asylum est, quod ijs, qui ad illud confugerant, liberiùs peccandi hoc tempore illecebra fuit. Illius enim fiducia quidam egressi in ciuitatem, quosdam ciues violenter inuaserunt, eosque vulneribus affecerunt & mutilarunt; ad asylum deinde rediere. Sed ciues in magnam bilem & rabiem acti, in asylum irruperunt, authoresque illius pugnæ vi abductos in carcerem compegerunt. Decanus collegij ob asylum pollutum grauiter apud Regem conquestus est. Rex deinde ad huiusmodi licentiam reprimendam, leges & præscripta quædam dedit, quæ, qui asylo se illo tuerentur, deinceps accuratè obseruarent. Vt politiores hoc sæculo literæ cœpere in *Anglia* feliciter efflorescere; ita vt ea seges maturius & vberius cresceret, duo præclara seminaria *Londini* fuere; alterum per *Ioannem Tatum* Londinensem Senatorem, qui templum diui *Antonij* & scholam quæ illi adiacet; alterum per *Ioannem Colet* diui PAVLI Decanum, qui egregiam illam diui PAVLI scholam nobiliter, sed initio sequentis sæculi construxit. Fuit primarius inter ceteros iudices, qui capitales causas *Londini* imperante EDOVARDO *quarto* cognoscebat, *Markamus* quidam, cuius celebris memoria est, quod *Burdetum* quendam, à quo bene poto, quædam in Regem verba inconsultiùs profecta erant, noluerit perduellionis damnare; ob quam causam magistratu, illo motus est.

Edo Hall. 1453.

Feb. 1454.

Feb. 1499. & 1501

FVIT etiam *Londini* ad ea tempora, puella quædam excellenti forma, ingenioque festiuissimo, quæ opulento cuidam iuueni nupta est: Sed quoniam parentes illum magis, quàm suo ipsa sibi iudicio sponsum delegerant, alieniore ab illo animo fuit; quam præ ceteris, quas plures habuit, vt diximus, EDOVARDVS Rex concubinas, in delicijs habuit. Huic, vt inde *Hastingij*, vt dictum est, obruendi occasionem sibi prætexeret, RICHARDVS insidiarum in se, & magicæ artis atrox crimen intendit, qua occasione bonis omnibus mox spoliata est. Sed cum huiusmodi criminis nullo modo esset affinis, RICHARDVS, vt eam vexandi aliquam speciem haberet, vertit illi crimini id, quod omnibus notissimum erat, vi olatum videlicet matrimonium, & vitam cum Rege EDOVARDO impudicè traductam. Ob quod in frequentissima *Londini* supplicatione, publicam illi pœnitentiam indici curauit. Quæ tantis postea rei familiaris angustijs obruta est, vt vicatim mendicando victum sibi suppeditare cogeretur. Magnum parentibus, ne inuitas suas filias nuptum elocent, omnibusque promiscuè, ne matrimonij sacramentum, turpiter profanent, vtque intelligant huiusmodi homines in meritis tandem, etiam in hac mortali vita, admissorum huiusmodi pœnis hærere, documentum. Pauca iam de quibusdam huius diœcesis cœnobijs & cœnobitis, & alijs doctis, ijs maximè, qui suis scriptis posteritatem promeruere, addamus. Meminimus itaque prius de seditiosis consilijs per *Ioannem Hollandium Exoniæ* Ducem, & alios Proceres contra HENRICVM *quartum* initis, & quo modo in ipsorum exitium & cladem, cum Rex eos nec opinantes occupasset, versa sunt. Inita sunt illa ab illis consilia in ædibus Abbatis *Westmonasterij*, quasi sub specie conuiuij illuc confluentibus. Abbas vero, cum captos illos, summóque supplicio afflictos audisset, timoris magnitudine in paralysim incidit, quæ vocem illi primò, mox & vitam intercepit. Nec ita multo post, sacrilegi quidam furtim sepulchrum diui Regis EDOVARDI spoliarunt, & varia multi pretij monilia, quæ sepulchrum exornabant, abstulere.

Thom. Mor. in vita Richardi.

Edo. Hallus in chron.

HENRICVS vero *quintus* nobile illud *Brigittinarum* apud *Sion*, in citeriore *Thamesis* ripa, in hac diœcesi cœnobium (prope regias suas apud *Shine, Richemondiam* hodie appellant) exædificauit & idoneis possessionibus auxit. Numeri summa, sororũ quidem erat LX. sacerdotum XIII. diaconorum IV. laicorum vt appellant fratrum VIII. Linearum illis nullus, sed lanearum tantum vestium vsus. Pecuniam illis trangere fas non erat, nec, vbi possessionibus sufficienter donati essent, nouam aliam accessionem admittere. Singulis annis ante festum omnium Sanctorum, rationes conferebant de omni cœnobij commeatu, & pecunia, subductó-

Add. Polidor. Thom Walsi.

que calculo, quantum ad omnia futuri anni onera satis esset, reliquum postridie omnium Sanctorum pauperibus irrogabatur. Præfecta adhibito sororum & fratrum consilio, eligebat vnum ex ijs XIII. sacerdotibus, qui esset à sacra exomologesi, Huic ceteri fratres dicto audientes esse debebant. Extraneis omnibus, tam viris quam mulieribus, ad sororum colloquia, nisi ex summi Pontificis licentia, accessus intercludebatur. Ad idem templum tam fratres quam sorores conueniebant, sed asseribus tabulatis, & muris diuulsi atque disiuncti; sorores supremas, fratres inferiores templi partes obtinebant. Ex altera vero trans *Thamesim* parte, magnificas quadraginta *Carthusianis* (hunc enim voluit statum illorum esse numerum, vt ex testamento ipsius constat quod cœnobium in memoriam sanctæ ciuitatis, *Bethleem* appellauit) ædes; quin & tertias prope superiores, alijs religiosis, qui *Galli* erant, posuit. Et tra- 10
Fabianus. ditur quidem reliquos, suas regulas & præscripta, accurate & ad vnguem seruasse, at non itidem *Gallos*, nec statas preces pro salute Regis fudisse. Quod in eis cum Rex reprehendisset, præfectus fratrum, veniam priùs precatus, fertur dixisse, Ne mireris Rex, si nostræ pro salute tua preces non audiantur, Neque enim id facere in animum inducere possumus, cum tu parentes, necessarios, & patriam nostram tanta quotidie clade afficias. Dimissis itaque illis, ruinam postea cœnobium illud passum est.

Ioan Leland. CELEBRIORES autem propter doctrinam & scripta fuere, *Thomas Wiltonius* diui PAVLI Decanus, & *Thomas Iuæus*, Canonicus ibidem, ex *Dominicanis Thomas Palmerus*; ex *Brigidanis* apud Sion *Thomas Ismaelita*, apud *Carthusianos* commemoratos *Gualterus Hiltonius*; ex eo ordine quem vocant *sanctæ Trinitatis de redemptione captiuorum*, *Robertus Ho-* 20
nidestowius, ita ex pago, qui decem passuum millibus à *Londino* distat, vbi illi ordini cœnobium positum est, appellatus. Ex *Augustinianis Thomas Penkethus*. Is in scholastica *Ioannis Scoti* disciplina, princeps quidam ex omni Europa habebatur, eiusque libros ex incredibili memoriæ tenacis magnitudine, ita ad vnguem tenuisse traditur vt si intercidissent exemplaria, memoriæ suæ subsidio reparare, & restaurare ea potuisset. Cum itaque doctrinæ illius fama longe latéque per *Europam* dilapsata esset, *Patauium* accersitus est, vt theologiam salario perlegeret. Sed hanc omnem ingenij doctrinæque laudem, turpi labe contaminauit; in Regis EDOVARDI & liberorum natalibus publica concione *Londini* deprimendis & commaculandis; vt & ille, de quo iam commemorauimus, *Ioannes Shaus*, sed non sorte pari. Con-
Thom. Mor. in vita Richardi. stat enim *Shaum*, antequam RICHARDVS regnum occuparet, subornatum fuisse, & re ad- 30
huc quasi integra, scientem atque prudentem tam turpiter se dedisse, quasique viam RICHARDO ad sceleratas cogitationes perficiendas, populumque diuini verbi lenocinio atque authoritate nefariè circumueniendum, sceleratè prestruxisse. Creditur autem nihil ab initio *Penketho* communicatum, sed postquam se RICHARDVS ingessisset, regnumque sibi arrogasset, illum ambitionis æstu impotentius abductum; RICHARDI que gratiam assentatorie colligere conantem, sordide ex loco sacro illi adulatum, sacrosanctum Dei verbum fœde constuprando. Vtcunque sit, dum se *Penkethus* huc atque illuc, in immeritas tam sceleratí Principis laudes versaret, repente voce intercluſa, nec cœptam palpatoriam & indignam concionem absoluere valens, è suggesto se proripere cum summa ignominia, populo interpretante istud diuinitùs, ad tam fœdam pernitiosi assentatoris palpationem comprimendam 40
accidisse, coactus est.

EX *Carmelitis* vero in hunc numerum *Thomam Maldonium*, huic societati in nominis sui oppido præfectum, sed supra ceteros, non modo huius hoc sæculo societatis, sed & quotcunque hoc ęculo, in ANGLIA alios, *Thomam Waldenum*, ab oppido, quo natus est in *Essexia*, ita dictum, sed à parentibus *Netterum*, suo merito referimus. Absoluit enim plane omnibus suis numeris illum, quem bonarum literarum orbem appellant; Consummatus plane philosophus, consummatus adeo theologus. Cuius rei luculento sunt documento, insignes illi libri quos in *Aristotelem*, quos in sacram scripturam, & contra pestifera illis temporibus dogmata in ANGLIA & *Bohemia* grassantia, summa diligentia, & incredibili pæne labore, accuratissimè contexuit. Doctrinæ suæ magnitudini, totius christianæ pietatis singulari prę- 50
stantia adeo respondit, vt nescias, vtra vtri præponderet. Amplissimos honores sæpe oblatos, euangelicam paupertatem amplexus, constantissime recusauit. Hunc illustrissimus ille Rex HENRICVS *quintus*, diuinas hominis dotes admiratus, in oculis præ ceteris habuit. Hunc itaque potissimum ad *Pisanum* concilium, quo de schismate abolendo, & ecclesiæ pacificatione agebatur, Rex amandauit. Vbi ad schismatis abolitionem, coram summo Pontifice, *Sigismundo* Imperatore, ac magno Cardinalium atque Episcoporum numero, luculentam

orationem

orationem habuit,& acutissimè atque solidissimè omnia firmamenta, quibus *Gregorij* & *Benedicti* schisma nitebatur, confutauit,prostrauit,& euertit. Reuersus, societatis suæ Prouincialis designatus est. Eumque mox in sacratius suum consilium HENRICVS legit,vt nihil maioris momenti,in re sacra aut profana, inconsulto *Thoma* obiretur. Legatur deinde à Rege ad *Constantiense* concilium,vbi præclare suis partibus functus est; adque *Ladislaum Poloniæ* Regem, & *Michaelem Prussiæ* magistratum, vt eos dissidentes in gratiam mutuam reuocaret. In qua legatione *Vitoldum Lituaniæ* Ducem, ad Christum cum populo traduxit,posuitque ibi cum alios omnis ordinis, tum & suæ disciplinæ homines, qui sementem Euangelicam ibi iactam,ad maiorem maturitatem proueherent. Apud se eum postea quasi vnicas delicias HENRICVS Rex retinuit,nec nisi ægre à suo latere dimisit; in cuius quasi sinu moriens, animam in *Gallia* efflauit. Obijt deinde *Rothomagi*. Sunt qui tradunt eum, post obitum, Pontificio decreto Diuorum albo conscriptum. Tam instructam omnis generis libris bibliothecam,sua industria & impensis *Londini* apud *Carmelitas* reliquit, vt librorum æstimatio bis mille aureorum summam conficeret: nec vlla alia esset in ciuitate, quæ cum ea comparari potuisset.

De Episcopis Nordouicensibus,

CAPVT XVIII.

NORDOVICENSEM hoc sæculo Episcopatum gubernarunt, post HENRICVM *Spenserum*, ALEXANDER cœnobij *Nordouicensis* præfectus, RICHARDVS deinde *Courteneius*, genere, moribus, & doctrina clarus,& post eum IOANNES *Wakeringius Cantuariensis* Archidiaconus,& eo mortuo, GVLLIELMVS *Alnewikius* legum doctor, & *Sarisburiensis* Archidiaconus. Quo translato *Lincolniam* THOMAS sedit, & post eius obitum, EVGENIVS Pontifex suffecit GVLIELMVM *Hartum*. Quo *Eboracum* migrante, WALTERVS sedem administrat; IACOBVS deinde, & post eum THOMAS *Iane* decretorum doctor, & proximo deinde sæculo RICHARDVS. Quo autem tempore ALEXANDER cœnobij præfecturam gessit, contentiones inter eum & HENRIGVM Episcopum versatæ sunt; quod Episcopus abdicationem eorum, qui muneribus in cœnobio fungerentur, & monachorum in cœnobio optandorum potestatem sibi vendicabat. Sed hæc omnis lis *Arundellii Cantuariensis* authoritate,certis transactionibus sopita est, vt & noua postea inter ipsum ALEXANDRVM iam Pontificem, & Priorem,de optandis his, qui munera gererent in cœnobio, de insinuandis testamentis, & id genus alijs. Ad id vero temporis, quo ALEXANDER obijt, magna pars ciuitatis *Nordouicensis* cum ædibus *Dominicanorum*, & duo ex ipsis *Dominicanis* igne conflagrarunt. RICHARDVS vnus erat ex honoratissima illa legatione, quam HENRICVS ad *Gallum* misit, vt regno ille *Galliæ*, quod maioribus ipsius iusta successione debitum, ille ad se iniustè transtulerat, cederet; alioqui sciret, se ius suum armis repetiturum. Quibus, cum nihil æqui & boni legati potuissent obtinere, tota, vt diximus, *Gallia* miserè arsit. Comitem sibi in ea expeditione, HENRICVS RICHARDVM adhibuit, qui in *Normannia* obijt. Ad tempora IOANNIS Episcopi fuit quidam Rector ecclesiæ, quæ *Worthamia* dicitur in *Norfolcia*, qui tantum abfuit non dicam ab eo boni pastoris, vt animam suam pro grege suo poneret, sed ab omni sacerdotis atque Christiani adeo hominis officio, vt publicas vias obsideret, & obuios bonis & vita spoliaret. Sed quale semen iecit, talem & messem messus est. Comprehensus tandem cum concubina, quam fouit, in carcerem compingitur, vbi postea fato functus est,

Henricus obijt 1406.
Alexander obijt 1410.
Richardus obijt 1416.
Guliel. transfertur Lincoln. 1436.
Tho. obijt 1445
Walterus obijt. anno 1472.
Iaco. obijt 1498
Th Walsi. 1413 Fabian. 1419.

POST obitum IACOBI, IOANNES *Morton Cantuariensis* Archiepiscopus, opera *Ioannis Vaughami* legum doctoris,vacantem hanc diœcesim lustrauit. In qua lustratione animaduerto regionis huius homines, stupris, atque adulterijs fuisse mirum in modum contaminatos, quæ publica pœnitentia expiare cogebantur,magnúmque parochialium ecclesiarum numerum,ad ducentas minimum,cœnobijs atque collegijs attributas & appropriatas, vt appellant. Insignis præterea *Ioannis Clerke*, atque vxoris ipsius *Agnetis*, & cum primis filiæ ipsius *Maionæ* superstitio, iusta animaduersione, publicaque pœnitentia repressa est. Sunt quidam nequam spiritus, qui se nonnunquam instar *Pygmæorum* hominibus exhibent, eisque misere illudunt.

Ex registro Io. Morton.

illudunt. Quod superstitiosi isti nostra lingua, *The gratious Fayres, siue, Elues*, appellabant. Quos latini *lemures, lamias & laruas*, ni fallor, nominant, & vulgus hodie apud nos *The Fayres*. Et *Maiona* quidem magnam sibi per eos futura prædicendi, abditos atque reconditos thesauros eruendi, atque infirmos curandi peritiam vendicabat. Imo & Deum se in cælo vidisse aureo amictu ornatum iactabat. Interrogata vero an *Pygmææ* istæ in Deum patrem, filium & spiritum sanctum crederent? respondit, credere eas quidem in patrem, sed non in filium, nec in spiritum sanctum. Sed quanta fuerat puellæ huius vanitas, tum aliunde, tum inde satis constabat, quod cum quæsitum esset ab ea, An vnquam inuisisset, sepulchrum diui THOMAE *Cantuariensis*? responderit constanter, inuisisse Cumque rursus interrogaretur, quo loci positum esset, respondit in cœmeterio, cum nunquam fuerat in cœmeterio, sed in ipso templo locatum. Mater vero *Agnes*, antequam *Maiona* nasceretur, frequenti *Pygmæorum* istorum consortio vtebatur, adeo vt os retortum ex ea occasione haberet. Dicebat vero senem quendam in domum ingressum, à quo sanata fuerat, eumque prædixisse fore, vt filiam ederet, quæ eximiæ sanctitatis foret, quæ morbos extrudendi, alijsque admirandis dotibus emitteret. Confidenter autem vna cum marito dicebat, cum *Maiona* periculose aliquando, vsque ad omnem desperationem ex peste laboraret, repente candidam columbam in domum inuolasse, & frequens circa lectum puellæ constitisse, pauloque post morbum eam excussisse. Columbam autem toto biduo in domo postea mansisse, quam diui *Ioannis* columbam appellabant. Adduxerat autem *Agnes* dominico illo die, quem *Palmarum* appellamus, virgas quasdam ad presbyterum parochianum, vt mariti & *Maionæ* nomine eas consecraret. Fore enim, vt per eas, abditi thesauri in lucem prodirent, id enim ita futurum prædictas larvas filiæ prædixisse. Hæc & alia id genus cum narrassent, partim iudicis prudenti, sanctaque admonitione atque hortatu, qui ostendebat à malignis eos dæmonibus circumuentos atque fascinatos, partim terrore, quod minaretur alioqui fore, vt si in errore persisterent, hæreticos contra illos sententiam dictaret; publicam pœnitentiam tam *Nordouici* quam alibi, nudis tibijs, & camisijs solummodo tecti in publicis supplicationibus procedentes, ardentésque cereos manibus gestantes, egere, sibique à dæmone grauiter illusum palam contestabantur.

EST in hac diœcesi *Walsinghamiense* templum, diuæ MARIAE virgini Christi matri deuotum & dedicatum, multis miraculis nobilitatum. Huc HENRICVS Rex *septimus*, cum in magnis angustijs versaretur, propter fictitium & adulterinum illum *Clarentiæ* Ducem, cui se multi Proceres ad illum euertendum consociarant, profectus est, Virginis opem imploraturus. Quam consequutus, nec accepti beneficij immemor ad memoriam illius contestandam & perpetuandam, vexillum suum illuc misit, & in templo locandum curauit. Inter eos, qui propter doctrinam & scripta, illustriores in hac diœcesi hoc sæculo habiti sunt, hi inter ceteros fuere. Inter *Franciscanos Reginaldus Langhamus*, & *Robertus Fiminghamus Nordouici*. Inter *Præmonstratenses* apud *Nordouicas Dierami*, *Thomas Wigenhallius*, qui & cœnobij sui historiam conscripsit. Inter *Augustinianos Linnæ*, *Gulielmus Galion*, apud *Nordouicum Richardus Chesterius*, in *Clarensi* cœnobio *Ioannes Burius*, inter *Benedictinos Nordouici*, *Ioannes Stowe*, ad sanum vero EDMVNDI apud *Buriam*, *Arnoldus Bostonus*, & *Ioannes Lidgatus*, insignes certè hoc sæculo viri. *Ioannes* post lustratas *Galliæ* & *Italiæ* Academias, domum reuersus, id se suis ANGLIS patria & vernacula lingua, quod *Italis Dantes*, quod *Gallis Alanus*, quod & ANGLIS prius *Chaucerus*, qui secundum eum in hoc genere maxime eminet, præstitit. Exarauit ille inter cetera diuorum EDMVNDI & FREMVNDI Regum & martyrum, & protomartyris nostri ALBANI vitam *Arnoldus* vero *Bostonus*, accurata quadam diligentia, catalogum quendam omnium BRITANNIAE scriptorum confecit. Quod vt felicius præstaret, omnes cœnobiorum omnium in ANGLIA bibliothecas, magnis laboribus & itineribus excussit. Adiecit quibus singuli temporibus vixere, & nonnihil de singulorum vita aspersit. Scripsit & de sui cœnobij rebus. Inter eos autem qui ex eo ordine confebantur, quem *sanctæ Trinitatis de redemptione captiuorum* appellant, cuius disciplinæ princeps cœnobium apud *Ingham* in *Nordouolgia* visitur, *Ioannes Blakneus*. Sed ceteros omnes, in hoc literariæ palestræ & scriptionis laude *Carmelitæ*, vt & alijs fere sæculis superant. E quibus fuere apud *Nordouicum Robertus Roseus*, *Ioannes Torpeus*, *Henricus Wichingamius*, qui diui *Hieronimi* libros accurata lectione triuisse dicitur, *Ioannes Keningalus*. Apud *Brunhamiam Gulielmus Bintreus*, & *Robertus Baleus*. Apud *Linnam*, *Alanus*, *Ioannes Bostonius*, qui nullus est ad concilium, quod MARTINVS *quintus Senis* habuit. *Gispesuici* vero *Ioannes Barminghamus*, & Nico-

Ioan. Leland.

laus

laus Kentonius. Ex alijs vero, qui monasticam vitam non colebant, *Richardus Ceſtrius* vicarius ad fanum diui *Stephani Nordouici*, & *Thomas Ringeſtedius* vicarius *Middenhalij* in *Sudouolgia*. Regnante HENRICO *ſexto*. magnum ciues *Nordouicenſes* tumultum concitarunt, aduerſus Priorem cœnobij Principis eccleſiæ. Ad quem ſedandum cum Dux *Norfolciæ* aduenisſet, ægre portas illi aperuere. Multi ex his ciuibus, ſeditionis huius pœnas luerunt. Cui Prioris nimiam cupiditatem prætexebant, à quo dicebant, nouis ſe, præter antiquum morem, exactionibus oppreſſos. *Ex diuar. Hailus an. 4. Henr. 6.*

De Epiſcopis Ciceſtrenſibus.

CAPVT XIX.

A Bobitu ROBERTI *Waldeby*, ROBERTVS *Read* ſucceſſit, & illi STEPHANVS *Patringtonius*. Hos excepere REGINALDVS *Pecokus* traductus huc ab ASSAPHO, IOANNES, EDOVARDVS, RICHARDVS *Fitzjames*, & ROBERTVS *Shirburnus*. STEPHANVS *Patringtonius* fuit ex Comitatu *Eboracenſi*, & inſtituto *Carmelitarum*. Qui poſtquam *Oxonij* theologicam lauream conſequutus eſſet, & ſui ordinis præfecturam. *Londini* conciones habuit, ob quas celeberrimus euaſit; accitúſque ab HENRICO *quinto*, à ſacris confeſſionibus illi fuit. Quem *Meneuenſem* & *Ciceſtrenſem* deinde Epiſcopum deſignauit. Sed antequã diploma ſummi Pontificis, quod eum à *Meneuenſium* apud *Demetas* cura exolueret, allatum eſſet, è vita abijt. Regnante HENRICO *ſexto*, REGINALDVS *Pecokus* ſeu *Pauo*, huc à ſancto ASSAPHO in *Cambria* accerſitus, hanc ſedem obtinuit. Inciderat ille in quædam falſa & pernicioſa dogmata, quæ in publicis concionibus & libris diſſeminarat. Quæ tamen, re ſecum meliùs deliberata, poſtea ad diui PAVLI Crucem recinuit, de quibus nos poſtea vberiùs agemus. Libri autem ipſius palam *Vulcano* traditi ſunt. HENRICO autem *ſeptimo* imperante, RICHARDVS *Fitzjames* hac ſede potitus eſt, vir non generis modo, ſed & totius animi nobilitate, doctrina, & vitæ probitate conſpicuus. Quo *Londinum* tranſlato, ſucceſſit ROBERTVS *Sherburnus*, *Wincamienſis* Wintoniæ, & Oxonij *alumnus*; vir qui *in Græcis & Latinis* literis, & ſummo eloquentiæ ſtudio, inſignis progreſſiones fecit: vir multi in republica vſus, ſolidæque prudentiæ, cuius HENRICVS *Septimus* opera in multis legationibus vſus eſt; qui non ſolum pontificias ædes magnis impenſis, ſed & præbendis, vt appellant, quatuor de nouo adiectis, ornauit, & amplificauit. Ex his, vt vocant, Præbendarijs, proprium vnius munus eſt diœceſis aliquot partes circuire, plebemque ſacris concionibus ad pietatem informare. Fuit in hac diœceſi, hoc ſæculo, Sacerdos quidam *Gulielmus Edouardus*, Eccleſiæ parochialis *Holingtoniæ* vicarius, quem tres quidam parochiani ipſius tam infeſtè, neſcio qua de cauſa, oderant, vt ad templum illum, Calendis Nouembris ante lucem properantem, in agris aggreſſi, & linguam illi radicitus euulſerint, & vtriuſque oculi lumem nefariè eripuerint. Ad templum mox profecti, quo magna parochianorum, ad ſacra audienda, multitudo confluxerat, magno eiulatu templum aureſque omnium replentes, vociferantur vicarium à latronibus in via oppreſſum miſerè iacere, & tantum non animam agere. *Wald. ob. 1396 vt in regiſtro Arundelij. Read. ob 1414. vt in regiſtro Henr. Chicheley* *Vetus chronicon Anglice ſcriptum & impreſſ.* *Polid. lib. 18.* *Ex prædicto lib. miracul. Henr. 6.*

EVOLANT ergo frequentes ad eum locum porochiani, & cum ceteris nefarij iſti ſimulatores, mirumque ſimulant luctum, & ille cum primis, qui totius huius tragœdiæ choragus fuit. Qui cum mira vafricie atque eiulatione, præcipuum quendam dolorem fingeret, & ſe ſociosque ſecuros putaret, cum illos miſer ſacerdos nulla ratione prodere poſſe exiſtimaretur, neque vlla, tam nefarij ſceleris, apud ceteros parochianos in illos ſuſpitio caderet: ecce repentè, tum viſus, tum etiam loquendi facultas, ſacerdoti ſingulari Dei, & poſt eum Regis HENRICI, cui ſe in his anguſtijs ſtudioſè commendarat, beneficio, admirabiliter reſtituitur. Qui mox conuerſus ad nefariæ iſtius ſimulationis artificem; Imo, inquit, tu mihi, cum iſtis tuis duobus ſocijs, hoc omne malum ſtruxiſti. Qui ſtatim, cum duobus illis ſceleris adminiſtris, parochianorum reliquorum opera comprehenſus, in meritos carceres abreptus eſt. Hæc ideo dixerim, vt reprimant ſe ſcelerati à nefarijs conſilijs, & intelligant, diuinitus ſæpe illa erumpere, cum ſe maximè tutos & ſecuros putant. Atque iſtud ad cetera, quæ commemorauimus, beati Regis HENRICI miracula adijciatur. Cui & hanc etiam acceſſionem damus, quod Sacerdos ille, cum vnius tantum oculi beati Regis beneficio vſum recuperaſſet, neque tamen ſatis ſe clare cernere putaret, ad medicorum opem confu-

gerit; paulòque post omnem prorsus videndi facultatem amiserit. Quam tamen, beati Regis opem officiosè implorando, suámque culpam fatendo quod diuinum beneficium non satis agnouisset, & humano illud miscere voluisset; paulo post recepit, vt nunquam clarius aut acutius viderit. Et vt istud quidem in hac diœcesi ad deterrendos homines a maleficijs, ita & aliud quiddam ad eadem fere tempora accidit, quo admonerentur homi-
eodem libro. nes, ne sacros & festos Dies violarent. Cum enim agricola quidam IOANNES *Stenius* in parochia *Fernhust*, finitis iam vesperis illius sabbati, quod Dominicam passionis antecedit, rustico nihilominus operi (cum de more ecclesiæ abstinere debuisset, & rebus diuinis vacare) se daret, repentè ictu fulminis exanimis quodammodo redditus, relictis in agro iumentis, vix tandem domum se recepit, corpore illius fulmineo illo ictu horribiliter nigrescente, atque tam incredibili cum dolore vstulato, vt vita ipsius deplorata penitus haberetur. Quem tamen Deo, & beato illo Rege HENRICO anxiè implorato, excussit, pauloque post priori prorsus sanitati redditus est. Qui Deo, & beato Regi non ingratus, *Windesoram* cum multis vicinorũ accessit, gratias officiosè illis agens, rem omnem suamque ingenuè culpam professus.

De Episcopis Wintonienſibus.

CAPVT XX.

IOANNES, EDOVARDI *tertij* filius, *Lancastriæ* Dux, tres habuit vxores, BLANCHIAM, CONSTANTIAM *Hispaniæ* Reginam, & CATHERINAM. Ex CATHERINA præter IOANNEM Comitem *Somersetti*, & THOMAM Ducem *Exoniæ*, HENRICVM filium procreauit. Atque ita erat HENRICVS HENRICI IV. Regis ex paterno latere frater, & HENRICI V. auunculus. Qui non modo ad *Lincolnien-*
An. 1416 fast. & vetus Chronic. Th. Walsi. 1417 *sem*, & deinde ad *Wintonienſem* hanc sedem, & ad summi Cancellarij, regnantibus HENRICIS V. & VI. sed & ad Cardinalitiam postea, & legati Pontificij amplitudinem prouectus est. *Constantienſi* cum alijs Episcopis concilio interfuit, patrésque sua oratione ad concordiam, nouique pontificis celerem cooptationem hortatus est; inde *Hierosolymam* vsque, voti causa profecturus. HENRICVM vtrunque non con-
Iab. 1421. Fol. lib. 23. silio modo, sed & opibus sæpe in rerum angustijs iuuit: qui ita copijs rerum abundauit, vt viginti millia librarum HENRICO *quinto* mutuo daret. Multis sæpe amplisque legationibus perfunctus est, cùm in *Galliam*, eo præsertim tempore, quo EVGENIVS Pontifex *Nicolaum* Cardinalem eò miserat, vt pacem inter ANGLVM & *Francum* iniret, quæ tamen reiecta est; tum & in *Flandriam* ad *Burgundiæ* Ducem, vbi induciæ in paucos annos pactæ. Quin & à MARTINO *quinto* legatus est designatus contra *Bohemos*, qui hæreseos suæ propagandæ, odijque in catholicos causa, vicinos armis lacessebant, aduersus quos, & pecunia & milite ex ANGLIA instructus perrexit, domúmque postea, *Iuliano* in eius locum cum maioribus copijs suffecto, reuersus est. Per hunc HENRICVS nepos in Regem *Galliæ Lutetiæ*, magnis cæremonijs & pompa inunctus est, regiumque diadema capiti illius impositum. Interuenere inter eum & *Gloceſtriæ* Ducem HVMFREDVM regni Protectorem, graues aliquot simultates vtrius potissimum culpa, non satis liquidò possum pronunciare, nisi forte vtriusque, dum alter alterius magnitudini inuideret. Capitalium quorundam criminum à Duce est insimulatus, quorum cum nulla esset idonea & iusta probatio, & quædam huiusmodi vt magis ab odio, quam veritate manere videri possent; omnia autem constanter Episcopus inficiaretur, peteretque vt per idoneos iudices causa cognosceretur, paratumque se diceret innocentiam, & integritatem suam omnibus patefacere; tandem in Ducem *Bedfordiæ* & alios, tam ecclesiasticos quam laicos Proceres, ab vtroque compromissum est. Qui post maturam ea de re deliberationem, pro innocentia Episcopi pronunciarunt, & in mutuam, cum Duce *Gloceſtriæ*, gratiam reduxere. Nouam tamen postea aduersus eum HVMFREDVS accusationem architectatus est, in quam multa crimina coacceruauit, quæ à Rege Regisque consiliarijs reiecta est.

HAVD æqua & patienti; sed valde ægra mente, si vera sunt, quæ quidam tradunt, mortem imminentem tulisse, & de protractiori vita & abundantiore felicitate inaniter sibi blanditus videtur. Cum enim ex suprema ægritudine lecto affigeretur, ad hunc modum questus fertur; Cur ego tantis rerum copijs cumulatè affluens, supremum diem obirem? Si vel ipsum

ipsum Regnum vitam meam redimere valeret, aut ingenio illud, aut pecunia comparare possem. Quid? an pecunia, ad depellendam mortem nullas habet vires? Cum nepos meus *Bedfordiensis* Dux fato functus esset, putabam magnam felicitati, & authoritati meæ accessionem adiunctam; at post *Gloceſtrensis* obitum, parem me etiam Regibus censebam, maioresque accumulare opes cogitabam, vt triplici illa tandem tyara pontificia potirer. Sed video insigniter me circumuentum. Quare à vobis postulo, vt egressuram animam Deo vestris precibus commendetis. Vtcumque sit, magno ille, & Regi & regno sua prudentia, consilio, opibus, præsidio fuit; & post, atque ob eius mortem, in peius omnia in dies ruere credita sunt. HENRICVS in supremis suis tabulis, immensam quandam pecuniarum summam pijs locis legauit, & ijs qui *Londini* carceribus tenebantur. CCCC. librarum millia. Constituit vt tres missæ pro illius anima in perpetuum, vtque primo quoque tempore, decem missarum millia celebrarentur. Tenuioribus Episcopatus sui clientibus, duo millia marcarum distribuit. Ceteris vero omnibus clientibus, quicquid obitus sui tempore ipsi debebatur remisit. HENRICO GVLIELMVS *Wanſletus* surrogatus est. qui propter summam prudentiam & iustitiam Cancellarij munere donatus, magna illud diu cum laude gessit. Sed maximum, ex omnibus eius præclaris operibus, fuit Collegium *Magdalenense Oxonij* ab eo conditum, & prouentibus annuis abundè auctum, quod & Diuæ *Magdalenæ* consecrauit. Nec hac in re valde alienus est a facto, & laude ipsius *Magdalenæ*; videntur enim & Christi pedes fragranti, & pretioso horũ bonorum eius operum vnguento, in pauperibus Christi membris delibuti, cum quicquid ob eius gratiam, vni vel ex his minimis tribuitur, quasi sibi Christus erogatum ascribat: videtur & capillis tersisse pedes Christi, & adhuc tergere, dum externis illis bonis & diuitijs, quæ illi vt capiti capilli, quasi ex abundanti & supefluo superetant, tenuiores fouet. Condiderat in eodem prius loco HENRICVS Rex *tertius* Hospitium pauperum, quibus GVLIELMVS, vt alumnos suos ornaret, nihil detraxit: pauperibus enim pro instituto antiquo, etiamnum in ædibus Collegio adiunctis, abundè, & liberaliter prospicitur.

Addit. Polichr. Pol. lib 23.

Ex archiuis Io. Stafforđij Cant.

FVIT autem GVILIELMVS vnus ex *Wicamiensi* grege, & pubis *Wintoniensis* informator. Cumque HENRICVS Rex *sextus* nobile illud, de quo commemorauimus, apud *Etonam* collegium posuisset, quod esset seminarium alterius illius *Cantabrigiæ* Collegij, GVLIELMVM, vt insignem quendam in pube instituenda iam artificem, *Etonam* traduxit, & Ludimagistrum illic constituit. In quo munere, cum egregiam & fructuosam operam collocasset, collegij totius illum præsidem, & postea *Wintoniensem* Episcopum designauit. Post GVLIELMVM, THOMAM *Langtonium* huic sedi præfuisse reperio. Cui RICHARDVS *Foxus* ineunte proximo sæculo suffectus est, cuius hic tamen Historiam attexemus, vt cohæreat cum reliquis, quæ mihi de eo hoc sæculo dicenda incumbunt, eáque absoluat. Natus est RICHARDVS in Comitatu *Lincolniæ*, apud *Grantonium*. Cum in literis egregiè profeciſſet, sacerdotio iam initiatus *Lutetiam Parisiorum*, ad maiorem Doctrinæ accessionem profectus est. Ibi dum versatur, HENRICVS Comes *Richemundiæ* illuc venit, suppetias petitũ à *Carolo* Rege aduersus Regem RICHARDVM; qui RICHARDVM ob ingenium & probitatẽ, sibi inter intimos adiunxit, & ab eo tempore magis ac magis indies coluit & obseruauit: deturbatóque deinde RICHARDO, ad intimũ consilium RICHARDVM ascisuit, & secretarij, vt appellant, munus illi mandauit. *Exoniensi* primum Episcopatu honestatus est. Legauit eum HENRICVS aliàs in *Scotiam*, aliàs in *Galliam*; in *Scotiam* quidem, vt inducias cum *Iacobo* Rege paciscereturquas & pactus est. In *Galliam* vero, vt fœdus cum *Carolo* iniretur, quod & initum est. *Bathoniensi* atque *Wellensi* deinde, atque postea *Dunelmensi* Episcopatu auctus est. Dum *Dunelmi* versatur, ex rixa quadã inter ANGLOS & *Scotos* orta, quidã ex *Scotis* cæsi sunt. Et cum periculum esset, ne inducix antea initæ, ea occasione rescinderentur, missus est RICHARDVS in *Scotiam* ad rem omnem pacificandam. Quo tempore *Iacobus* cupidè se nuptias MARGARITAE maioris natu HENRICI filiæ appetere ostendit, nec ita multo post, desideratis nuptijs potitus est. Sed cum Rex RICHARDI desiderium, & tam longè dissitam absentiam æquo animo non ferret, curauit, vt mortuo, sicut dictum est, THOMA *Langtono*, *Wintoniam* accerseretur, vt frequentiore eius opera & consilio vteretur. Quem deinde secretiori suo consilio præfecit, & in eius potissimum fide & prudentia acquiescebat, adeo, vt cum octennio postea in fata concederet, nullius magis fidei adolescentem filium HENRICVM atque successorem, quàm RICHARDI commendarit: cuius erat patrinus, vt appellamus, & sponsor pro eo, cum sacro baptismate expiaretur; eique etiam permultis postea

Pol. lib. 26 anno 1500.

annis à consilijs fuit, donec obrepens senectus, huiusmodi eum solicitudinibus renunciare, & sibi, suæque parochiæ atque diœcesi accuratius intendere admoneret.

WINTONIAM itaque venit & longa absentiæ suæ damna, accurata quadam, exquisitáque omnis Episcopalis muneris diligentia, famelicas animas sacris, per se & suos, concionibus; & tenuiores homines alimentis, ceteris que rebus vitæ necessarijs destitutos, cibis, vestitu, pecunijs, fouens resarciuit. Cumque decennio ante obitum ad patientiam illius exercendam, vt olim *Tobiæ*, oculorum ei vsum Deus ademisset, eo copiosius & intensiùs animæ illius, quod externis oculis deerat, lumen benigne adauxit. Quare omni iam quasi impedimento abrupto, totus die noctuque orationibus, & sacris meditationibus affigitur, de pauperibus prolixius etiam solito meretur. Multa etiam, eáque præclara atque illustria pietatis suæ, etiam post obitum reliquit monumenta. In Comitatu *Somersetti* apud oppidum *Tantonium* grammatices Scholam constituit, & ludimagistro de idoneo annuatim stipendio prospexit. Nec dissimile beneficium in eo oppido, vbi natus est, posuit. Chorum principis suæ ecclesiæ magnis impensis ornauit, in qua & sacellum, vt ibi humaretur, constituit. Cauitque vt duo sacerdotes eo loci suam, & omnium in Christi fide obeuntium, animas perpetuis precibus Deo commendarent, singulis decem annuas libras attribuens. Numerosam & amplissimam quotidie familiam, ducentorum videlicet & viginti hominum aluit. Neque quisquam ex illis erat, cui minus viginti aureis præter vnius anni commeatum, post obitum in testamento legarit. Ceteris vero, pro singulorum meritis & conditione, prolixius consuluit. Pecuniam autem, quam singulis assignauit, in totidem crumenis, ascriptis singulorum, quibus illa attribuebatur nominibus reposuit. Sed cetera illius beneficia quamuis magnifica & ampla, insigne illud, quos *Oxonij* posuit, collegium longe superauit. In quo res ille publicas prælectiones, vnam sacræ theologiæ, secundam latinæ, tertiam vero Græcę linguæ instituit. Et ne deessent, qui in hoc quasi opimo quodam, & fœcundo bonarum artium agro optima semina sererent, celebrem illum *Ludouicum Viuem Hispanum* huc aduocauit, qui Theologiam magna cum laude, magnoque totius Academiæ fructu professus est; ob res vero Mathematicas, insignem illum *Nicolaum Cruchcrum*; prima vero linguę Græcæ semina iacta sunt per *Clementem*, *Dauidem Eduardes*, & *Nicolaum Vtton* medicos. Cuius ibi luculenter egit professorem, cum ego primum ad Academiam aduentabam, *Nicolaus Schepreuus*. In hanc societatem, præter alios, allecti sunt *Thomas Lupsetus* egregiè eruditus, *Richardus Pacæus*, *Wigornienſis* deinde Episcopus, & lumen non nostræ modo *Britanniæ*, sed & totius nostri sæculi *Reginaldus Polus* Cardinalis, & *Cantuarienſis* Archiepiscopus. Præsidem vero societati suæ dedit *Ioannem Claimundum*, in quo singularis pietas, cum pari doctrina certabat; & huic proximum locum ROBERTO *Morueto*, qui & præfecturam post obitum *Ioannis*, vt prius Episcopus præscripserat, suscepit. Illud vero ex magna prudentia Episcopi profectum est, quod nullas Ecclesiasticas possessiones, sed profanas solum; illudque etiam ex pari in sacrosanctam eucharistiam pietate, & reuerentia manauit, quod collegio suo *Corporis Christi* nomen attribuit. Cominutauit tandem pius vir iste mortalem hanc & caducam, cum cælesti & immortali vita, ad annum nostræ redemptionis CIↃ. IↃ. XXVIII. Quo ego tempore, me admodum puerum exequijs & funeri eius interfuisse memini, ad prima literarum elementa illic haurienda, à parentibus *Wintoniam Londino* missum.

EX his, quos aliquid scriptis hoc sæculo in hac diœcesi mandasse inuenio, est *Thomas Rudburnus* monachus *Hidensis* apud *Wintoniam* cenobij, qui nostrę gentis historiam duobus chronicis, altero maiore, altero minore, contexuit, quę & ad meas peruenire manus, ex quibus nonnunquam quædam delibauimus. Fuit & IOANNES *Walterus* Collegij *Wintonienſis* & *Oxonienſis* * ab *Wicamo*, vt diximus, constructi alumnus. Relicto ille Oxonio consenuit inter sacerdotes, quos in suo *Wintoniæ* Collegio *Wichamus* posuit, & nonnulla de mathematicis conscripsit. HENRICVS vero Rex eius nominis *septimus* fratres *Franciscanos*, quos *Obseruantes* appellant, apud portum *Southamptonienſem* in hac diœcesi collocauit.

* *alias* quæ VVichamus, vt diximus construxit alumnus

De

De Episcopis Sarisburiensibus.

CAPVT XXI.

AD clauum *Sarisburiensis* hoc sæculo ecclesiæ sederunt RICHARDVS, NICOLAVS *Bubwith*, IOANNES *Waltham*us, & post eum ROBERTVS *Hallus*, huic suffectus est IOANNES *Chandelarius*, eum sequutus prouisione MARTINI Papæ, ROBERTVS *Neuel* templi IOANNIS *Beuerlacensis* præpositus, & IOANNEM GVLIELMVS. Post quem NICOLAVS prouidit de RICHARDO Episcopo *Herfordensi*. Illi successor datus est THOMAS, à *Meneuia* traductus, & THOMAE HENRICVS *Deneus*, ineunte proximo sæculo, qui *Cantuariensi* Archiepiscopatu auctus est; eiusque locum impleuit EDMVNDVS, & eo mortuo, LAVRENTIVS *Campegius* Cardinalis. Cum œcumenicam *Pisis* concilium indictum fuisset, coijt mandato *Cantuariensis* synodus *Londini*. Per quam selecti sunt, qui ex ANGLIA synodum sua præsentia ornarent, & consilio atque prudentia regerent & promouerent. Selectus est itaque inter alios ROBERTVS, ante cuius aduentum præmiserat Rex HENRICVS *quartus* literas illas, de quibus commemorauimus, per *Nicolaum Pixtonum* vnum ex Clero, & *Ioannem Colvilum* Equitem. Quinquennio post nona ROBERTO *Constantiam* legatio, vt diximus, mandata est, vbi & mortem oppetijt. IOANNES Canonicorum electione ad hanc functionem vocatus est. Ceterum veritus, ne forte MARTINVS ecclesiæ prouidisset, atque ita optio ipsius per Canonicos inanis atque irrita fuisset, & omnia quæ in Episcopatu egisset; curauit vt omnia à MARTINO confirmarentur, perinde ac si nulla prouisio interuenisset. Proximo autem anno, qui mortem IOANNIS Episcopi sequutus est, fato functus est *Thomas de monte acuto*, Comes *Saresburiensis*, vnus ex illustri illo, de quo diximus, *Garterij* ordine. Inter alia vero illius ordinis præscripta & instituta, erat & illud, vt cum quisquam ex eo ordine è vita excederet, reliqui certum missarum numerum pro defuncto celebrari procurarent. Cum itaque sua *Thomas* suprema ordinaret, cauit in supremis suis tabulis, vt ad sarciendam suam præteritis temporibus ea in re negligentiam, tria missarum millia pro dictis Equitibus dicerentur. Quin & cuilibet carceri *Londinensi* decem libras legauit. Incidit vero in perturbatissima & luctuosa GVLIELMVS tempora, cum domi & foris omnia misere pessum irent. Nam & omnia præcipiti cursu ab ANGLIS in *Gallia* defluxere, & intestinis domi, partim à Proceribus contra Regem, partim à plebe contra vtrosque seditionibus fœdè laboratum est.

Richa ob 1407. Rob. ob. 1417. Ioan. ob. 1417. Guil ob. 1450. Edon. ob. 1524

Th VVal 1407 & 1409. Tho Elingam. in chron Henr. 5 an. 5. c. 14. & 19.

Ex archiuis eccles. Cant.

Fab. 1449.

CANTIANI, duce *Ioanne Caddo*, qui vt se suamque causam plausibiliùs populo commendaret, mentiebatur se *Ioannem Mortimerum*, *Marchiæ* Comitis & *Eboracensis* Ducis necessarium: Conflato exercitu, *Londinum* ingressi, quos visum erat, & inter eos *Ioannem Saium* primarium Regis quæstorem, neci dedere. Neque *Cantiani* solum sed & *Essexiani*, & alij alibi, & *Sarisburienses* etiam huiusmodi seditiones cierunt. Qui velut furijs acti, Episcopum suum GVLIELMVM, summa & sacratissima nostræ religionis mysteria *Edingdoniæ* celebrantem, ab ipsis aris violenter abductum nefariè peremerunt. Qui primum Episcopo sceleratum vulnus inflixit, in Diuinam mox, vt credibile est, paricidij vltionem incidit. Tam intolerabili enim incendio, pes & tibia eius corripiebantur, idque ad obitum ipsius postea ad annum videlicet & dimidiatum, vt ipse optarit posse se suspendio hac pœna defungi: quam se propter Episcopum violatũ incurrisse, palam affirmabat. HENRICVS autem *Deneus* ad proximi sæculi initium, *Cantuariam* traductus est. *Abingdonienses* inter ceteros hoc sæculo cœnobij præfecturã *Sanctus* obibat, qui & legationẽ etiam mandante *Henrico* VII. in *Galliam* obijt, vt *Carolum Galliæ* Regẽ cum *Britanniæ* Duce reconciliaret. Construxit in hac diœcesi HENRICVS *sextus* apud *Etonium* prope *Windesorium* illustre illud Collegiũ, vbi preter sacerdotes, qui Deo quotidie inseruiunt, ad æmulationem *Wintonienses* sunt LXX. pueri, qui grammaticam discunt, collegij ab eodem Rege *Cantabrigiæ* constructi, quasi colonia. Fuere inter alios in hac hoc sęculo diœcesi *Gulielmus Butlerus*, & *Gulielmus Angerus Franciscani*, ille apud *Rhedingium* in *Bercheria*, iste apud *pontem Gualterij* in *Somersetensium* Comitatu, & *Thomas Dando Carmelita* in *Vlugiana* apud *Mailburgum* prouincia, qui scripta aliquot ad posteros transmisere.

Addit. Polieb.

Pol li 26. anno 1500.

CONTIGIT in hac atque etiam *Elienſi* hoc sæculo diœcesi, vno eodemque anno duplex spectaculum admodum memorabile, sempiternáque memoria dignum. Et quoniam vtriusque

que historiæ atque loci, similis euentus exijt, eodemque respicit, vna * vtriusque hoc loci narratione defungar: cuius priores partes propter temporis prærogatiuam hæc diœcesis occupabit. Vtraque autem historia, vt diuinam bonitatem, benignitatem & prouidentiam orbi mirificè commendat, ita forte digna est, quam Capitalium criminum arbitri atque iudices, nostræ præsertim Nationis, singulari præ cæteris diligentia, atque animaduersione memoriæ commendent; quorum nonnunquam sententia longius à veritatis, iustitiæque rationibus atque præscriptio recedit, quod fere rem non tam ad suum iudicium, liberè & constanter animi sui motum sequentes; quam ad duodecim illorum, vt appellamus præiudicium, aut potius iudicium reuocent, à quo rarò discedere solent. Qui cum nonnunquam vel ignorantia decepti, vel hominum potentiorum minis, atque authoritate constracti, vel gratia atque affectibus sinistris deprauati, reos nonnullos pronuncient, qui ab intentato crimine prorsus sunt immunes; iudices etiam sæpe, nulla alia accuratiore cognitione adhibita, & toti quasi ab eorum dictatis pendentes, innocentes iniusto addicunt supplicio. Quorum tam precipitem atque iniustam sententiam, Deus nonnunquam admirabili, & stupenda ratione rescindit atque euertit; & huiusmodi innocentes præter, & contra omnem humanam expectationē, quasi ab ipsis mortis & interorū faucibus potenti suo brachrio asserit. Quod historia, quam iam in manibus habemus, illustri documento ostendit. Atque in isto quidem *Sarisburiensi* reo, videtur & potentis cuiusdam authoritas, duodecim istos viros; in illo vero *Elyensi* ignorantia potius ab officio, & accurata iustitiæ obseruantia traduxisse. Vterque furti delatus est, ille propter sacerdotem spoliatum, iste propter abigeatum: sed neuter tamen obiecto crimini obnoxius fuit. Quod facile, re integra, cognosci potuisset, si tamacris & exacta diligentia, atque par erat, in cognoscendo fuisset adhibita.

* al. vtrinque.

Ex commentario libro miraculorum Regis Henrici 6.

VTCVNQVE fuerit, vtriusque innocentiam Deus è sublimi mundo contestatus est, quippe quos, cum integram horam post suspendium, in furca pendentes mansissent, & ab omnibus vitam humanam exuisse crederentur, iamque resecto laqueo abducti essent, vt humarentur, repente vitæ restituit. Cuius accepti beneficij, post Deum, præcipuum authorem beatum Regem HENRICVM agnoscebant, cui, secundum Deum, salutem suam in his angustijs commiserant. Et vterque, postea, confessus est, vitam sibi beatum Regem HENRICVM, atque ope sua effecisse, ne laqueo strangularetur: Et *Sarisburiensi* illi, qui *Richardus Boys* dictus est, quique, apud *Wesharpre* Pagum, qui quinque circiter mille passibus à Ciuitate *Bathoniensi* abest, & beata virgo MARIA quam interpellarat apparuit, nutuque homini suppetias tulit. Quare hoc ille suspendij periculo defunctus, non solum Regis *Windesoriæ* tumulum (vbi & laqueum, in quem collum eius inierat, in liberationis suæ monumentum reliquit) quadraginta socijs comitatus, sed & ecclesiam beatæ Virginis apud *Walsinghamiam* templum, Christo Deo, eiusque matri, beatóque Regi gratias, & quasi ἐυσιαστήρια oblaturus adiit. Illud etiam constat, *Richardum* hunc, non solum fratri * *Fulbrachio*, à quo antea suspendium per exomologesim à peccatis expiatus est, sed & alijs serio atque constanter significasse, se ex illo suspendio non obiturum.

* al. Huibrochio.

ALTER vero *Thomas Fullar* dictus est, qui apud pagum *Hamersmith*, quatuor plus minus miliarijs à Ciuitate *Londoniensi* distantem habitabat; qui in itinere incidit forte in abactorem quendam, & simul cum illo, licet illius criminis prorsus expers, comprehensus est, & propter abigeatum damnatus. Atqui beatus Rex HENRICVS, vt, cum humana adhuc vita frueretur, iustitiæ fuit obseruantissimus; ita nec illam curam, vel post obitum deposuit; & ne innocentes corrupto hominum iudicio nefariè perirent, suis, apud Deum precibus opeque curauit, & ex sublimi atque cælesti quodam tribunali, iustissima sua sententia, deprauatum illud humanum iudicium correxit, atque reformauit. Adiit itaque *Thomas* beati Regis apud *Chartesiam* tumulum, pridie antequam beatum illius corpus *Windesoriam* transferebatur, ibi, & deinde etiam *Windesoriæ*, summa Dei, & beati Regis in se beneficia, omni gratitudine deprædicans.

De

De Bathonienſibus & Wellenſibus *Epiſcopis*.

CAPVT XXII.

BATHONIENSEM & *Wellenſem* hoc ſæculo Eccleſiam rexerunt RICHARDVS, qui *Wigorniam* per BONIFACIVM tranſlatus eſt, THOMAS, HENRICVS *Bouetus*, legum profeſſor, & *Lincolnienſis* Archidiaconus, quem GREGORIVS. XII. *Eboracum* tranſtulit, eiuſque locum ingreſſus eſt NICOLAVS, tum ROBERTVS, & poſt eum IOANNES *Stanberienſis*, qui poſt quinque annos *Herfordiam* migrauit, eiuſque locum mpleuit THOMAS *Bekingtonius*, quẽ ſequutus IOANNES *Phreas*, eum ROBERTVS, ROBERTVM RICHARDVS *Foxus*, de quo inter *Wintonienſes* diximus, RICHARDVM OLIVARIVS, quem proximo ſæculo ADRIANVS, & THOMAS deinde *Eboracenſis*, atque Cardinalis ſequuti ſunt. THOMAS à gymnaſio *Oxonienſi*, & *Wicamenſi* ibidem Collegio, in aulam regiam tranſlatus, HENRICI Regis *ſexti* beneficio hanc ſedem adeptus eſt. Cum cauſa illa de ſucceſſione regni *Gallici*, quam ad ſe ANGLI trahebant, quibus *Galli Salicam* legem obiecere, ſtudijs armiſque ferueret; ſcripſit THOMAS de tanta re controuerſa, & conatus eſt impedimenta, quæ *Galli* interponebant, ſedulò amoliri. Scripſit & alia, doctos homines impensè coluit, ſingularem ſe Mecænatem *Wicamienſi Oxonij* gregi præſtitit; nomen autem ſortitus eſt à *Bekingtonia* eiuſdem diœceſis villa, vbi & natus eſt. Cuius ego tibi egregias iam aliquot dotes, non meis, ſed *Ioannis Chandelarij* eiuſdem temporis authoris ſi recenſeam, non erit vel à re alienum, vel tibi, optime lector, vt puto ingratum. *Oliuar. ob. 1505* *In vita Guil. Wicamum Winton. epiſcopi.*

IN teneris annis bonæ indolis puer *Wintoniæ* traditur grammaticis imbuendus, cui in ipſis primordijs tanta inerat in ſermone facundia, corporis elegantia, ingenij perſpicacitas, & grauitas morum; vt qui eum viderant, omnes futurum pontificem eſſe prædicerent, Ac cum demum ille piiſſimus, & prudentiſſimus diſpenſator *Willielmus de Wikham* ducentorum fundator Clericorum, in eum oculos conuertiſſet, mira Dei diſpenſatione præuidens, quantæ dignitatis futurus erat puer, quantaque vtilitas per eundem collegijs ſuis accreſceret; nullis intermediantibus inſtantijs, mero ſuo motu, ac ſolo nutu mandauit in collegium ſuum prope *Wintoniam* aſſumi, vbi per aliquod tempus grammaticis, & rhetoricis intendens, anteriores & coætaneos ſuperabat, ſuóque merito dehinc in collegium tranſlatus *Oxonienſe*, in florenti & iuuenili ætate, ſeniores tempore, ſtudio antecellens; egregius, & in ANGLORVM gente facundiſſimus, Legum Doctor *Oxonij* creatus eſt. Ita nihilominus nunc ſenex ingenio pollet, memoria viget, quòd ipſa Logicæ principia, quæ adoleſcens ante iura ciuilia didicerat, ac Philoſophiam quam audiendo & legendo acquiſierat, omnia ita memoriter tenet; vt ſi eum diſſerentem audires, putes te doctiſſimorum Philoſophorum gymnaſijs intereſſe. Sic plantatus eſt, ſic irrigatus liberalium artium, ac legum imbribus, ſed & ſcriptura diuina adeo fructifer; vt quicquid arduum, quicquid difficile videatur opponi, mira quadam vel ingenij perſpicuitate, vel ſuæ artis & ſcientiæ diligentia, facile poterat diſſolui. Quem ſi in priuatis locis aut publicis loquentem audieris, mixtam cum eius ſermone diligentiam delectaberis aduertere. Nec perpendi quenquam eius laſſum eloquijs; adeo nempe ſuauiter & argutè concludit omnia. Pauperum & Clericorum amator; ſuper afflictis pia ſemper geſtans viſcera, quàm felix antiſtes; multorum enim terſit lachrymas, quorum oculos non vidit. Hæc *Chandelarius* de *Bekingtonio*.

IOANNES autem *Phreas Londonienſis*, vnus fuit ex primis authoribus, qui ſuos Ciues ad puram, mundam, & excultam loquendi, latinéque ſcribendi rationem reuocauit. Fuit ex ſocietate *Balliolanij* apud *Oxonienſes* collegij. In *Italiam* deinde profectus, *Guarino* Philoſopho *Ferrariæ* operam dedit. Rem medicam ipſe *Ferrariæ*, *Florentiæ*, ac *Patauiæ*, magna cum laude, anditorúmque fructu profeſſus eſt, ſummámque profeſſionis ſuæ ibi laureammaximo omnium applauſu conſequutus eſt. Verſatus eſt & *Romæ*, vbi propter accuratam optimarum artium, & latinæ linguæ cognitionem, à doctis & illuſtribus viris valde obſeruabatur; quem & *Bathonienſem* PAVLVS *ſecundus* Epiſcopum deſignauit. Sed poſt menſem & Epiſcopatũ ſperatum, & vitã reliquit. HADRIANVS homo *Italus* erat, qui cum à ſummo Pontifice in *Scotiã*, ad res turbulentas ibi componendas miſſus fuiſſet, & *Iacobo* iam Rege in ciuili tumultu occiſo, ſe-

rius

rius veniſſet, reſedit in ANGLIA aliquandiu, & à IOANNE *Mortono* Regi commendatus, in tantam ſe poſtea Regis gratiam inſinuauit, vt propter eximias hominis dotes, Rex eum in ſummo pretio haberet, eiuſque opera tum apud INNOCENTIVM, tum apud ALEXANDRVM *ſextum* vſus, *Herefordenſi* primùm, deinde *Bathonienſi* eum Epiſcopatu donarit; quem & inter Cardinales ALEXANDER retulit. Ad alia illuſtria, quæ in eo Dei dona eminebant, ſingularem in latina lingua eloquentiam adeptus eſt, eleganter, terſè, ac limatè loquendi & ſcribendi, tum ſuo exemplo, tum libris etiam ea de re, qui extant, editis egregius, & quaſi primarius quidam hoc ſæculo magiſter, & anteſignanus fuit. Incidit vero grauiſſima inter *Romanum* Pontificem & *Adrianum* offenſa, adeo, vt *Adrianum* galero Cardinalitio, & alijs omnibus dignitatibus ſpoliarit, *Bathonienſem* vero ſedem THOMAE Cardinali commemorato commendarit.

Ex regiſt. Guil. Waraui.

GLASCONIENSE, ad HENRICI tempora, cœnobium adminiſtrant *Richardus Beerus*, quem HENRICVS cum alijs *Romã* miſit, ad PIVM Pontificẽ, de quo prius meminimus, tũ gratulandi, tum conſuetam obſeruantiam illius nomine profitendi cauſa. *Bathonienſem* & *Wellenſem* hanc Eccleſiam, valde hoc ſæculo, & propter ſcripta tua, etiam poſterioribus, ornarunt, *Ioannes*, de quo mentionem fecimus, *Chandelerius*, & *Ioannes Guntorpius Wellenſis* eccleſiæ Decani. Ille primam pueritiæ & literarum rudimenta in *Wichamienſi Wintoniæ* Collegio depoſuit, ad alterum deinde illud *Oxonii* tranſmigrans, tam inſigniter in literis; & omni probitate profecit, vt & *Wicamienſis* poſtea ſocietatis præfecturam, & Cancellarij apud Academiam munus, geſſerit. Geſta GVLIELMI *Wicami*, vt gratus & officioſus alumnus, vbi quædam, non ſolum, vt dixi, in THOMAE *Bekingtoni*, ſed & in laudem *Bathoniæ* atque *Welliæ* vrbium conſcripſit. Apparet obtrectatores & æmulos multum illi negotij faceſſere ſolitos, de quibus ille alicubi queritur; & diligentem illum atque fructuoſam, cum Cancellarius eſſet, operam poſuiſſe in litibus ſedandis, quæ inter Academiam & Ciues *Oxonienſes* interceſſerant. *Gunthorpius*, poſtquam magnas feciſſet *Oxonii* in literis progreſſiones, ad maiorem acceſſionem *Italiam* adijt, vbi & *Guarinum* commemoratum audiuit. Reuerſus, fuit in magna apud EDOVARDVM poſtea Regem *quartum* gratia, cui & à priuato ſigillo fuit. *Ioanni* illi *Phreæ*, de quo meminimus, ſtudiorum in *Italia* ſocius fuit.

Ioan. Leland.

In prologo vitæ Guil. de Wica.

De Epiſcopis Exonienſibus,

CAPVT XXIII.

EXONIENSI autem eccleſiæ præfuere hoc ſæculo EDOVARDVS, IOANNES, EDMVNDVS *Lacie*, GEORGIVS, PETRVS *Courteneius*, RICHARDVS *Foxus*, IOANNES, & proximo ſæculo ADAMVS, & IOANNES *Veſy*. Sedente EDOVARDO, certior factus eſt HENRICVS *quintus*, monaſticam in ſuo regno diſciplinam valde collapſam, & ab antiquis inſtitutis nimium defluxiſſe. Cui malo vt maturius obuiam iretur, acciuit *Londinum* maximam Abbatum, & Conuentualium, vt appellant, Priorum frequentiam. Illi ſexageſimum, iſti trecenteſimum, & ampliorem numerum implerunt. Qui cum *Weſtmonaſterij* ſimul conueniſſent, adijt eos Rex cum EDOVARDO Epiſcopo; quos cum benigne & ſubmiſſe Rex ſalutaſſet, concionem apud eos EDOVARDVS habuit: quæ tota huc ſpectauit, vt omnes ingenij, induſtrięque ſuę neruos ad reſtauranda & reparanda monaſticæ diſciplinæ damna, ex diſſolutiore viuendi genere recentiùs illata, intenderent. Poſt quæ & Rex eos paucos affatus, hortatúſque eos eſt, vt veterũ patrum monaſticę diſciplinæ cultorum veſtigijs accuratè inſiſterent, qui exactè diſciplinæ ſuę præcepta, & exquiſitè obſeruarunt. Quos propterea maiores ſui Reges mirificè ſuſpexere, & numeroſa monachorum maximis ſumptibus cœnobia condidere, amplitque prouentibus atque annuis reditibus ornarunt. Receſſum iam nimis eſſe recentioribus temporibus, ab antiqua illa pietate, & monaſticæ vitæ ſeueritate, quam ſi ſtrenuè & impigrè æmularentur, pietatis & orationum, à quibus vnicè pendebat, illorum præſidio ſeptum, nullum ſe aiebat hoſtem veriturum. Tradidit deinde ex ſcripto, quid potiſſimum emendari poſtularet; quibus illi emendandis curam, vt tempus patiebatur, promiſere. PETRVS cum fratre *Edouardo Deuoniæ* Comite, qui ſe *Buckinghamienſi* aduerſus RICHARDVM conſociarunt, cum illius copias diſſipatas audiſſent, in *Britanniam* ad HENRICVM traiecit; poſt quem, imperante poſtea

Ioan obijt 1504 Tho. Wald anno 1421.

stea HENRICO, RICHARDVS sedit. Celeberrimus hoc sæculo in hac prouincia, propter doctrinam & scripta, est *Michael Tregorius Cornubiensis*. HENRICVS *quintus* cum armis *Cadomum*, *Normanniæ* Ciuitatem, *Gallis* ademisset, suggerente maximè *Waldeno*, Academiam ibidem instituit; quam multi postea *Romani* Pontifices suis priuilegijs confirmarunt. Quò cum iam multi, ingenij literis excolendi gratia, frequentes conuenissent, nemo *Michaele* magis idoneus, visus est, qui à Rege nouæ Academiæ præficeretur. *Ioan. Le'and.* Quo ille in munere, Regis & ceterorum omnium expectationi abundè respondit. Qui defuncto *Talbodo*, *Dublinensis* postea ab HENRICO *sexto* Archiepiscopus designatus est.

De Episcopis Lincolniensibus & *Academia* Oxoniensi

CAPVT XXIIII.

POST IOANNEM *Lincolniensem*, his temporibus ecclesiam administrauit HENRICVS *Bifordius*, hinc *Wintoniam* auocatus, & post eius auocationem PHILIPPVS, RICHARDVS deinde *Flemingus*, GVLIELMVS *Gratus*, GVLIELMVS *Alnewichius*, MARMADVCVS, quem NICOLAVS pontifex à *Carliolo* huc deduxit, IOANNES, THOMAS *Rotheramus*, IOANNES *Russellius*. Sequuti sunt GVLIELMVS *Smithus*, & proximo sæculo *Thomas Wolseius* Cardinalis, GVILIELMVS *Atwaterus*, & IOANNES *Langlondus*. Transtulerat summus Pontifex IOANNEM Episcopum hinc ad *Couentrensem* sedem, & pro eo HENRICVM supposuit. IOANNES vel indignatione animi, quod *Anno 1100. Ibom. Walf.* ad tenuioris census & dignitatis sedem transponeretur, vel rerum & curarum humanarum satur, & quietis solitudinisque appetens, excusso vtroque pontificio onere, ad monachos se *Cantuarienses* contulit, ibique reliquum vitæ confecit. HENRICVM excepit PHILIP- *Anno 1419. ex registro Henr. Chicheley.* PVS, qui postea vltrò pontificatui renunciauit. Sufficit itaque MARTINVS RICHARDVM *Flemingum*. Qui generis quidem splendore illustris, sed literarum tamen, prudentiæ, & pietatis luce illustrior, cum ad absolutam quandam *Oxonij* theologiæ, & liberalium artium cognitionem peruenisse, ad hanc sedem regendam accitus est; legatus deinde *Senas* ad œcu- *Anno 1414. Ioan. Leland. Adult. ad Polich* menicum, quod ibi celebrabatur concilium. Ad quæ tempora, cum ex HENRICI *Bowcti* obitu *Eboracensis* metropolis orba esset, MARTINVS *quintus* RICHARDVM eo honore amplificauit. Regis autem consiliarij *Philippo Morgano Wigornienſi* studentes, causam illius accuratè apud Pontificem promouebant. Sed Pontifex à sententia dimoueri non poterat. Venit ergo in ANGLIAM cum Pontificio diplomate RICHARDVS, sed consiliarij Regis ita hominem minis & inimani illo, legum contra pontificias prouisiones latarum, terrore concusserunt, vt mox omni diplomatis beneficio palam renunciarit. Qua ex re, quasi nimis pusillanimis, grauem Pontificis contraxit offensam. RICHARDVS vt erat ipse apprimè doctus, ita prolixè non solum de sui, sed posteriorum omnium temporum doctis, immortali illo suo beneficio, quod in *Lincolniensi* apud *Oxonium* collegio condendo fecit, optimè est meritus. *Ioan. Leland. 1419.* THOMAS *Rotheramus*, de quo paulò ante meminimus, maxim ā post RICHARDVM in hoc collegium liberalitatem exercuit, ita, vt instar secundi cuiusdam conditoris habeatur.

IOANNEM *Russellium* RICHARDVS *tertius* Cancellarium regni designauit, Quem tamen, cum desperaret posse ad prouehendas pessimas suas cogitationes inflecti, paulo post in custodiam, quo tempore *Hastingius* indignè, vt dixi, cæsus est, ad tempus coniecit. Vir enim fuit summa pietate, & ex rerum vsu oppido quam prudens, doctrina etiam singulari. Fuit deinde, vt tradit *Ioannes Lelandus*, hoc aut proximo certè sæculo, *Lincolniensis* Episcopus GVLIELMVS *Smithus*, senatus ARTHVRI principis, HENRICI VII. primogeniti princeps: qui & ipse sua liberalitate, atque amplo sumptu, literarum domicilium *Oxonij* posuit, quod ab *ære naso* appellationem mutuatur. De Academia iam *Oxoniensi*, *Polid lib. 26.* deque doctis viris, qui eam scriptis præsertim suis illustrarunt, quorumque sparsim adhuc non meminimus, pauca attexamus. Præter collegia vero *Animarum*, & diui *Bernardi*, quæ *Chicheleus*; diuæ *Magdalenæ*, quod *Wanfletus*; *Lincolniense*, atque *ære nasi*, quæ *Flemingus*, & *Smithus*, vt commemoratum est, *Oxonij* collocarunt: ornata est hoc sæculo insigniter Academia, magnifica illa atque spendida, vt & hodie visitur, theologiæ schola, per HVMFREDVM regni Protectorem, & Regis HENRICI patruum. Opus exquisitæ artis & operę, & prolixi sumptus; prorsus dignus & idoneus locus, in quo sacræ theologiæ, omnium do-

ctrinarum dominæ atque principis prælectiones, & disceptationes exerceantur. In cuius superiore parte bibliothecam, & in ea libros non tam numerosos, quam raros & selectissimos collocauit. His superioribus ille, & alijs beneficijs, nutrici suæ gratus alumnus mercedem refudit. Hæc enim primam eius adolescentiam per *Balliolenses* quasi nutricata est & educauit, per quos non mediocrem eloquentiæ, & naturalium rerum, aliarúmque bonarum artium, cognitionem in bibisse traditur. Ita sane vt non solum sterili admiratione, sed accurato ipso iudicio, & ex suo ipsius profectu, literas & literatos per totam postea vitam coluerit, & inter perpetuas, maximasque regni totius occupationes. & in summis aulæ tumultibus, etiam studio locum reperierit. Iuris etiam patrij, non leuem scientiam adeptus est. Magnam etiam illi nostri scriptores, bene administratæ reipublicæ laudem tribuunt. Sed nouercante fortuna, imparem suis virtutibus exitum consequutus, ab æmulis indignè, vt supra dictum est, est interceptus. Aurea illa stragula, quæ *Oxonij* in exequijs Regum, Procerum, & Episcoporum capulo inferri solet, cum quibusdam pretiosis vasis, quæ sepulchralibus illis cæremonijs interuiunt, ab huius liberalitate profecta creditur.

Ioan. Leland.

INTER cetera, quæ sedente *Chicheleio*, in Synodis sancita sunt, magna quædam cautio, atque prouisio de subleuandis pijs, & doctis viris Academiarum, & idoneo aliquo beneficio ornandis, inita est. Quæ dere, vt fidem nostram liberemus, aliquid hic dicendum, Omnis ferè sincera, atque accurata beneficia ecclesiastica conferendi, atque distribuendi ratio, tam apud laicos patronos, quam clerum iacebat. Suos singuli potius affectus & commoda, quam merita eorum, quibus ea tribuebant, sequebantur. Ita fiebat, vt dum aut improbi, aut minus certe idonei, his sacerdotijs affluerent, ij qui in Academijs magnas tam in pietate, quam literis progressiones fecerant, sine luculento aliquo studiorum, & virtutis suæ premio, pessimo exemplo, & cum magno pietatis atque doctrinæ detrimento, consenescerent. In hanc igitur curam cum primis HENRICVS *Cicestrensis* incubuit, vt congruum huic malo remedium apponeretur. Ad quem. & ad alios patres, Rex accurate scripserat, vt commoda aliqua ratio huius mali tollendi inueniretur, eámque rem debere patres eo propensius, & solicitius ad suam curam reuocare, quod quicquid esset in eis doctrinæ aut virtutis ornamenti, ab Academijs, quasi vberrimo quodam fonte, profectum esset. Scripserant & Academiæ literas, quibus tantum doctorum & piorum virorum neglectum grauiter deplorabant, nec posse fieri, nisi laborantibus rebus ocyus succurreretur, quin res in luculentum religionis dispendium cederet. Conqueruntur *Oxonienses*, matrem suam *Oxoniensem* Academiam, quæ magna solebat discipulorum, atque filiorum multitudine honestari, vix iam ciuibus abundare, magnáque exiguitate laborare, & instar *Rachelis* plorare filios suos: quia non sunt. Habere ANGLIAM, vt olim habuit *Græcia Athenienses* & *Lacedæmonios*, duos oculos, *Oxonium*, & *Cantabrigiam*. *Nolim*, *ne autem Lacedæmonios*, etsi hostes, *Athenienses*, cum eos bello superassent, & de eis excindendis consilium suggereretur, tam sinistrum consilium sequi & respondisse, nolle se; vt Græcia altero suo oculo spoliaretur. Quanto magis patres cauere debere, ne vtroque suo ANGLIA oculo priuetur?

An. 1421. & posthac 1438.

Ex registro Chicheleij.

CANTABRIGIENSIS patrum curam proposito *Aristotelis* exemplo, qui *Alexandrum in ipsum* ad doctos viros colendos atque ornandos valde excitabat, acuebant. Suggerebant Scholasticorum numero rarescente, atque imminuto, iacuisse etiam literarum honorem, errores atque hæreses inualuisse, sacerdotes instar laicorum illiteratorum, solita libertate excidisse, & hæc quidem regnante HENRICO *sexto* scripta. Qui & ipse literas ad patres, vt exquisitam curam de hac re haberent, dederat. Renouatum itaque est decretum, quod, imperante HENRICO *quinto* sancitum erat, videlicet, vt qui ex clero patroni essent, aliquorum sacerdotiorum, primũ quodque, cum vacaret, in aliquem, qui literis in Academijs operam dabant: & deinceps cum tertiò vacaret, idque ad proximum decennium conferrent. Cautúmque est ne exilia aut tenuiora, sed vberiora atque præstantiora beneficia, ad eam rationem, quam synodus præscripserat, huiusmodi viris donarentur. Quod Cleri decretum, parliamenti etiam authoritate, sub HENRICO *quinto* confirmatum traditur. Multi vero his temporibus ex *Hibernia*, studiorum gratia *Oxonium* confluxerant: quorum aliquot pristina adhuc, & quasi insita genti ferritate non depositâ, multis se furti, homicidij, seditionis, aliisque criminibus implicarunt. Qua de atrocitate, grauis querela in parliamento deprompta est. Ad quod malum deinceps reprimendum, sancitum est, vt post præscriptum diem, *Hiberni* omnes è regno ANGLIAE se reciperent; & qui non parerent, seditionorum pœnis tenerentur. Excepti sunt quidam, quibus specialiter consultum ne sanctio ea illis damno & fraudi esset;

2 b. VIII. 1221.

di esset; & inter alios, qui in Academijs ANGLIÆ scholastica professionis suæ insignia susceperunt; ita tamen, vt & hi Academiæ Præsidi, pacificæ suæ vitæ vades darent, vt & ceteri omnes, qui essent ex ea natione in Academijs, aut in posterum adiuentarent. Nec alijn scholasticorum numerum cooptarentur, quam qui legitimè docerent se ex illis *Hiberniæ* regionibus esse, quæ Regi ANGLORVM dicto audientes essent; neúe quisquam cuiuscunque generis *Hibernus*, domus alicuius in Academijs sibi prælecturam arriperet.

HENRICO autem *sexto*, & EDOVARDO *quarto* imperantibus, cœperunt *Oxonienses* politiùs, cultiùs & tersiùs loquendi, atque scribendi studio operam dare. Quibus ea in re præluxit aduenticium illud ex *Italia* lumen, *Cornelius Vitellius*, qui primam suam orationem in *Vicamiensi* collegio habuit; cui IOANNES *Chandelerus*, vnus ex *Wicamiensi*, vt dixi, grege, respondit: Quod multo postea illustriùs *Erasmus Rotherodamus* non modo libris, sed sua etiam apud *Oxonienses* atque *Cantabrigienses* præsentia, voce, cohortatione, hoc & proximo, vt commemoraui, sæculo, accendit. Præter eos, quos pro re nata recensui, & postea recensebo, fuere quidam alij Oxonienſis Academiæ alumni, qui per summam doctrinam se, apud sui temporis homines, & per sua scripta, ad posteritatem etiam nobilitarunt: *Nicolaus Vuichcet Goranus*, in *Huntfortensi* Comitatu natus, & vnus ex grege *Mortonensi*. Qui se postea in *Dominicanorum* disciplinam adscripsit. *Lutetiam* deinde *Parisiorum* adijt, ibique postea reliquum ætatis contriuit, & in tam consummatum theologum euasit, vt maximo ab Academia, imo à tota *Gallia*, & ab ipso Rege, cui erat à secreta peccatorum expiatione, honore afficeretur. Quæ res fecit, vt exteri quidam non ascititium & adscriptitium, sed vernaculum ac natiuum *Galliæ* eum fuisse ciuem prodiderint. Præter alia, quæ exarauit, totum fere vetus & nouum instrumentũ doctissimis commentarijs illustrauit. Huic adiungimus *Nicolaum Buardum* eiusdem instituti; ex *Carmelitis* vero *Ioannem Hauntonium*, & *Ioannem Baleum*: ex *Franciscanis*, *Ioannem Lechbertum*, *Robertum Colmanum*, qui & Cancellarij *Oxonienſis* munus gessit. Ex *Benedictinis Laurentium Helbikum Ramesiensem* monachum, linguæ Hebraicæ, cuius & dictionarium concinnauit, valde peritum; & *Ioannem Wethamstedanum* diui ALBANI monachum, quem & *Frumentarium* appellant. Qui *Humfredianæ* illius, de qua supra dictum, bibliothecæ continuandæ & instruendæ, præcipuam curam, Ducis rogatu, habuit: qui ad *Papiense* & *Senense* concilia, quæ MARTINVS *quintus* coegit, orator missus est. Cui copulamus *Amundishamium*, illi & eiusdem instituti atque loci, & mutui amoris societate coniunctissimum. His accedant *Robertus Alington*, & *Richardus Suetishamus*, eiusdem academiæ Cancellarij, *Richardus Grasdalius*, *Ioannes Feltonus*, *Ricardus Villerstonius*, *Robertus Flemmigus*, frater RICHARDI Episcopi commemorati, eiusque collegij alumnus, *Lincolniensis* postea Decanus, & alij, quos non est necesse, nec si velim, possum persequi.

vel lib. 26. Ioan. Leland.

Ioan. Leland.

FRODRINGHELVM hoc sæculo collegium, in *Northamptoniæ* Comitatu ab HENRICO *quarto* locatum est: cui magnas postea possessionum accessiones dedit EDOVARDVS *quartus*. Fuit hoc sæculo *Ioannes Shornus* presbyter, propter exactam vitæ rationem, summamque pietatem, & in vita, & post obitum apud homines valde celebris; quam miracula crebra, vt aiunt, post obitum testata sunt; ad cuius tumulum, voti & sanitatis recuperandæ causa, magnum etiam hac nostra ætate in eo pago *Buckinghamiæ* Comitatus, quem *Normanicum* appellant, populi concursum factum, me puero, scio. Sed quoniam nec ex scriptis adhuc cuiusquam, nec ex collocutione certum aliquid & exploratum de miraculis istis expiscatus sum, nolui lectorem rebus non satis certis & excussis onerare. Id vero potius hoc loco adiecero, quod bona fide traditum, nos veteratoris Diaboli fraudulentas versutias doceat vitare, & summam Dei & Diuorum in nos, beati præsertim illius Regis HENRICI, curam atque benignitatem ostendat. Est itaque Pagus quidam, *Stratton* dictus, prope oppidum *Lecestriæ*, in quo versatus est Sacerdos quidam, cui versutus dæmon, non se quidem visendum obtrudens, sed nefarijs suggestionibus, voce sane clara & sonora dormienti, idque per tres noctes immissis, sceleratum se laqueo suffocandi consilium dedit. Et vt suas Satanicas fraudes splendido aliquo, quique simplicem hominem facilius in præcipitium traderet, prætextu tegeret; & sub æternæ vitæ falsa vmbra, in certam corporis animæque perniciem præcipitaret: finulabat se tenebricosus Satan lucis angelum, missúmque à Deo, quo illi significaret, hac tantilla pœna recta cum cœlos petiturũ. Miserumque tandẽ hominem inani illa atque pollicitatione eò pertraxit, vt noctu scalam pararit, qua ascenſa, laqueũ altè cuidam trabi innectebat, quo se proximo mane suffocaret. At cainterim nocte vocẽ per somnum audit clare intonantem, vah miser, cur ita in certam tuam perniciem ruis? Resi-

Ex monachis eiusdem coenobij.

piſce,& nefarias iſtas cogitationes depone,& te quam primum ad beati Regis HENRICI ſepulchrum confer. Quod ſi feceris, nefariæ iſtæ dæmonis fraudes, nihil tibi deinceps moleſtiæ faceſſent. Tanta autem mox, tam ſceleratæ cogitationis ſuſceptæ, pœnitudo hominem inceſſit, vt ſummo mane, poſt ſcalam cum laqueo remotam, templum petierit, Deo atque beato Regi gratias, propter excuſſas & exploſas tam nefarij conſilij cogitationes, accurate agens; hac voti præterea acceſſione, ſe nihil vel carnium vel piſcium guſtaturum, antequam beati Regis ſepulchrum inuiſiſſet. Poſt octo deinde dies voto ſe liberauit.

De Epiſcopis Herefordenſibus.

CAPVT XXV.

IN hac hoc ſæculo ſede locati ſunt IOANNES *Treueuantius*, ROBERTVS *Maſcalius* BONIFACII prouiſione, EDMVNDVS *Lacius*, THOMAS, qui *Ciceſtriam* transfertur, & poſt eum THOMAS alter, quo cedente Epiſcopatu, ſuffectus eſt RICHARDVS *Suſſolciæ* Archidiaconus, REGINALDVS deinde, qui per NICOLAVM *Bathoniam* traductus eſt. Poſt iſtos IOANNES *Stanbertus*, & THOMAS *Millingius*. ADRIANVS deinde Cardinalis, de quo meminimus, cui RICHARDVS *Foxus* ſuffectus eſt. *Treueuantium* HENRICVS *quartus* Rex, ſimul ac poſſeſſionem regni adeptus eſt, *Romam* miſit. ROBERTVS autem *Maſcalius* fuit *Carmelita Ludlowianus* in *Cambria*. Qui cum propter abundantem doctrinam, quam in *Oxonienſi* Academia collegerat, & parem virtutem celebris eſſet, acciuit hominem ad ſe HENRICVS *quartus*, habuitque cum à ſacra peccatorum confeſſione, atque exteros ſæpe eum Principes legatum ſuum amandauit. Miſſus eſt cum *Sarisburienſi*, & *Bathonienſi* Epiſcopis ad *Conſtantienſe* concilium. Quædam etiam literis ROBERTVS ad poſteritatis memoriam, & fructum commendauit. HENRICO vero *quinto* regnante, hoc munus obijt IOANNES *Stanberienſis Carmelita*, inter anteſignanos ſuæ diſciplinæ, ob doctrinam & pietatem merito locandus. Viginti annis in hoc munere verſatus eſt, & in *Bangorienſi* prius præſulatu quinquennio. Fructuosè IOANNES Theologiam *Oxonii* profeſſus eſt, quem inde ad ſe HENRICVS aduocauit, nouoque ſuo *Etonenſi* Collegio præfecit, Regique erat ab auriculari confeſsione. Multa ille libris, quos poſt ſe reliquit, complexus eſt, quæ doctrinæ illius luculentum præbent teſtimonium. Ad tempora vero EDOVARDI *quarti*, THOMAS *Millingus Oxonienſis* Academiæ cultor, vtriuſque linguæ *Latinæ* & *Græcæ* peritus, præfectus poſtmodum *weſtmonaſterienſis*, atque à conſilijs EDOVARDO *quarto* Regi, pro cuius filio EDOVARDO in ſacra baptiſmi expiatione ſponſor fuit, huic Eccleſiæ præfuit, HADRIANVS deinde, ſub *Henrico ſeptimo*, *Bathoniam* hinc vt diximus, profectus,

Ioan. Leland.

De Epiſcopis Couentrenſibus & Lichfeldenſibus *et* wigornienſibus.

CAPVT XXVI.

PONTIFICIO in hac eccleſia munere functi ſunt IOANNES & GVLIELMVS. Deinde NICOLAVS pontifex prouidit de GVLIELMO *Bocho*, Quo tranſlato *Eboracum* per NICOLAVM, idem NICOLAVS huc traducit à *Carleolo* NICOLAVM, qui eodem anno defunctus eſt: Tranſit ergo huc, eiuſdem authoritate, ab *Herfordia* REGINALDVS, quem ſequuti ſunt IOANNES, PETRVS, & alter IOANNES. THOMAS *Arundellius*, cum prior IOANNES ſederet, hanc diœceſim partim per ſe, partim per ſuos delegatos viſitauit atque luſtrauit: in qua luſtratione, Collegia quædam, ſiue vt appellant, regia ſacella, vt *Wolwerhamptonum* & alia, illius viſitationem atque iuriſdictionem declinare atque excutere, quaſi à ſolius Regis authoritate priuilegio ſpeciali penderent, conabantur. Cuiuſmodi quiddam & IOANNIS *Peccham*, vt dixi, temporibus acciderat. Sed ceſſere tandem, & THOMAE authoritatem agnouere. Collocauit HENRICVS *quartus Batſeldi*, in hac diœceſi, collegium, cui certos fundos attribuit ex ijs locis, vbi victoriam contra *Henricum Percæum*, & alios, qui in arma aduerſus eum

Gul. Both. transfertur an. 1452. Ex regiſtro.

colle-

coierant. retulerat. Aggregemus iam ad hoc caput & *Wigornienses* Episcopos. E quibus RICHARDVS *Cliffordius* sedit post TIDEMANNVM, a *Bathonia* per BONIFACIVM huc accersitus, THOMAS deinde *Peuerellus*, à *Landauensi* sede vocatus. Hanc deinde sedem obtinuere PHILIPPVS *Morganus* ad *Elienſem* traductus. Eum tum IOANNES *Poltonius*, qui Regis apud summum Pontificē negotia procurabat; pro quo huc aduocatur THOMAS *Ciceſtrenſis* Episcopus. Post eum THOMAS *Bourcherius*. Quo ad *Elienſem*, authoritate EVGENII migrante, eius locum capessit IOANNES *Carpentarius*. ROBERTVS deinde sedit *Wintoniæ* Archidiaconus, & post eum SILVESTER. Quo in *Romana* curia defuncto, LEO prouidit de IVLIO Cardinale sancti *Laurentij*. TIDEMANVS autem cum ab intestato obijsset, & bona eius paria cum creditoribus facere non potuissent, trecentæ marcæ successori per THOMAM *Arnudellium*, pro sartis tectis ædificiorum adiudicatæ sunt. THOMAS *Peuerellus* fuit ex *Carmelitico* instituto. Qui summam theologicæ professionis lauream *Oxonij* adeptus est: quem RICHARDVM Rex *Offoriensi* in *Hibernia*, & *Landauensi* deinde in *Cambria* Episcopatu; HENRICVS vero *quartus Wincorniensi* postea Episcopatu ornauit, in quo viginti annos permansit, qui theologica quædam scripta contexuit.

Anno 1407. Ob. 1419. Phil. transfertur 1426.

Transf. 1425. Robertus creatus 1426 Stimul. ob. 1521.

Ioan. Leland.

CLARVERE in hac Diœcesi propter doctrinā & scripta, IOANNES *Talaugernus* & *Ioannes Miluertonus Carmelitæ Briſtolienſes*. Ad summū *Ioannes* Scholasticæ apud *Oxonium* dignitatis, propter accuratam in theologia cognitionem, prouectus est. Et in frequentissima postea, totius suæ disciplinæ apud Lutetiam synodo, Prouincialis sui ordinis per ANGLIAM, *Hiberniam*, & *Scotiam* disignatus est. Sed cum postea prę fractius quosdā ex suis tueretur, qui asserebant Christum & Apostolos nihil habuisse proprij, à *Londonenſi* Episcopo & à sacris abstentus, & hęreseos nota iniustus. Qui cum *Romam* contra Episcopū prouocasset, triennio in carceribus apud *Hadriani* molem detentus est: sed tandem per Cardinales, quos Pontifex causæ illius arbitros dederat, in integrum famæ & dignitati restitutus est. Recensuimus iam antea, quo modo apud cœnobium *Haylenſe*, venerabilis Christi sanguis reseruatur. Multa magnique pretij donaria à pijs hominibus, illuc vndique confluentibus, eo loco congesta erant. Quæ sacrilegi quidam hoc sæculo homines, regnante HENRICO *quarto*, nefariè intercepere. Fuit hoc sæculo *Richardus Warwicenſis* Comes, ceterorum his temporibus in *Anglia* Heroum facile princeps. Incidi in quendam manu scriptum librum, qui gesta illius complectitur; ex quo quædam nostro instituto accommoda, aspergere non erit alienum. *Romam* itaque ille pietatis ergô, imo & *Hieroſolymam* vsque profectus est. Reuersus est ad illud tempus, quo seditionem hæretici contra HENRICVM *quintum* concitarant, ad quos reprimendos Regi se coniunxit, à quo postea ad œcumenicum *Conſtantiæ* concilium missus est: quem *Sigiſmundus Anguſtus* summopere coluit, & incomparabilem illi thesaurum cor videlicet GEORGII martyris, militiæ ANGLICANAE Diui tutelaris donauit. Sed cum intelligeret postea, *Sigiſmundum* de itinere in ANGLIAM cogitare, admonuit vt ipse potius eum thesaurum secum deferret, ob quem aduentus illius multo esset commendatior, & plausibilior. Cuius ille admonitioni cupidè paruit, corque illud in ANGLIAM attulit, & deinde in templo *Windeſorienſi* obtulit: vbi religiosè & honorificè, inquit author meus, etiamnum conseruatur. Magnis Comitem apud Regem *Auguſtus* laudibus commulauit, veluti heroa tam bene moratum, tam prudentem, tam fortem; vt parem illi, apud nullum alium orbis monarcham, reperiri posse diceret. Certe, si omnis, ait, ciuilitas atque vitæ vrbanitas intercidisset, per vnum RICHARDVM reparari, & restaurari posset. Obiit *Richardus* post multa preclarè gesta *Rothomagi*, anno redemptionis nostræ millesimo quadringentesimo trigesimo nono, quinquagesimo ætatis anno. Corpus demortui relatum *Warwicum*, & in templo beatæ MARIAE matris Christi, à maioribus suis constructo, reconditum est.

Add. ad Polich.

De Episcopis Elienſibus & Academia Cantabrigienſi.

CAPVT XXVII.

Ioan. obijt 1424 Phil. obijt 1435

PONTIFICIO hoc munere functi ſunt IOANNES *Fordanus*, PHILIPPVS *Morganus* à Wigornia huc euocatus, LVDOVICVS *Rothomagenſis* Archiepiſcopus, *Bedfordienſis* Ducis ſæ auunculus, quem è *Rothomago Gallix* expulerant, Accerſitur deinde huc per EVGENIVM e Wigornia THOMAS *Burſherius*, quem ſequuti GVLIELMVS *Grauis*, quem NICOLAVS *quintus* THOMAE *Eboracum* migranti ſuffecit, *Richemondiæ* Archidiaconus, & ex illuſtri *Cobonorum* familia, IOANNES *Mortonus*, IOANNES *Alcokus*; RICHARDVS & IACOBVS, IOANNES vero *Fordanus* cum obiret, in teſtamento ſuo cauit, vt pro anima ipſius quinquaginta, vt appellant, GREGORII trigintalia celebrarentur, multaque pijs locis cœnobijs præſertim ſuæ diœceſis, & cuilibet ſacrarum virginum in ſua diœceſi domicilio tres libras, ſex ſolidos & octo denarios legauit. Quo ſedente, *Ioannes Colule* homo equeſtris ordinis, pauperum illud hoſpitium prope oppidum *Ni*[illegible]*ton*, pie inſtituit. Commendarat, vt appellant, EVGENIVS LVDOVICO *Rothomagenſi*, quoad viueret, *Elienſem* Eccleſiam, qua de re magnæ difficultates HENRICO *Cantuarienſi* iniectæ ſunt. Quare in frequenti *Londini* ſynodo diligenter ea de re cum Epiſcopis deliberauit, vtpote quę inſolens hactenus eſſet in ANGLIA, quæque inſigne videbatur ANGLICANAE eccleſiæ detrimentum poſſe inuehere. *Grauis* vero, poſtquam in philoſophia atque theologia magnopere, in *Balliolenſi* apud *Oxonium* Collegio profeciſſet; non contentus eo profectu, quem quaſi auguſtum putauit, nec ipſius inſulæ angustijs: in *Italiam* peregrinatus eſt, & *Guarini Veronenſis*, apud Ferrariam, diſcipulus factus eſt. Qui XXIV. annos in hoc pontificio poſtea munere tranſegit. Quod ad IOANNEM *Mortonum* (cuius hiſtoriam ſupra inter *Cantuarienſes* Archiepiſcopos petendam iam dimitto) & poſtea ad IOANNEM *Alcokum* tranſfuſum eſt. *Ioannes Alcokus* à primis annis tam accuratam operam literis, omnique pietati dedit, vt magnum & præclarum ſibi inde per totam ANGLIAM nomen comparauit. Homo præter prolixa ſtudia & peruigilias, valde in ſe frequentibus & aſperis ieiunijs, alijſque duris diſciplinis, quibus laſciuientem carnem ciuiſque titillantes motus coercebat, ſeuerus. Eius potiſſimum opera & ſumptu, collegium illud quod *Cantabrigiæ* IESV Seruatori dicatum eſt, conſtructum fuit. Quo prius loco ſacræ quædam virgines domicilium habebant.

Richar ob. 1505.

Exregiſt. Thom. Lund.

Ioan. Leland.

Adi ad Polych. anno 1434.

CONDIDIT in hac Academia HENRICVS *ſextus*, nobile illud, vt diximus, collegium, quod *Regium* appellatur. Cuius ſeminarium eſt pubes illa ex *Etonenſi* eiuſdem Regis collegio euocata, prope *Windeſoram*. Quas ille ædes ædificauit ad *Wicamienſium* plane *Wintoniæ*, atque *Oxoni* Collegiorum æmulationē. HENRICVS *Beufordius Wintonienſis* Epiſcopus ſingulis huiſce Collegijs CIↃ. libras, cum fato fungeretur, in ſupremis tabulis legauit. Huius regij Collegij præſes Doctor *Wodlarkus*, Aulam illam *Cantabrigianam*, quæ à diua *Catherina* nomen mutuatur, conſtruxit. Nec Reges modo & Epiſcopi, ſed & illuſtres quædam hereinæ, de literis & hac Academia prolixè meriti ſunt. E quibus MARGARITA HENRICI Regis VII. mater, duo collegia poſuit; alterum *Chriſto Seruatori*, alterum D. *Ioanni Euangeliſtæ* conſecrauit ELIZABETHA vero EDOVARDI *quarti* vxor, Collegium illud, quod *Reginale* dicitur. Hęc hoc ſæculo Academia, quaſi copioſus quidam fluuius, ANGLIAM vndique doctorum virorum abundanti ſcaturigine irrigauit. Ex quibus nos aliquot, eos præſertim, qui in ſcriptione & libris mundo diuulgandis verſati ſunt, commemorauimus. Quibus & multi alij accedere poſſunt, vt *Petrus de Santha ſide Nordouicenſis Carmelita*, qui IOANNI Duci *Lancaſtriæ*, & CONSTANTIAE eius vxori à ſacra exomologeſi fuit, magnumque ſibi decus non ſolum apud *Cantabrigianos*, ſed & apud *Pariſianos*, ob inſignem theologiæ ſcientiam comparauit, vt & vtrobique *Nicolaus Roſilesianus* eiuſdem inſtituti. Huc referri poteſt, *Newmarchius*, *Carleolenſis* poſtea Epiſcopus, cum *Henrico Horubio*, *Benedictini*, apud *Cantabrigianos*, collegij præſide cum multis alijs id genus. Ineunte fere hoc ſæculo, *Benedictini* apud principem eccleſiam *Elienſem* a *Romano* prælule indulgentias quaſdam, peccatorumque abolitiones iis, qui in certo quodam die hebdomadæ, quæ ſanctę *Trinitati* dedicata eſt, ad templum ipſorum accederent, impetrarunt. Ad quod impetrandū, eos excitauit *Nordouicenſium* & *Burienſium* monachorum æmulatio, qui ſimili prius prærogatiua donati ſunt illi, propter eos, qui die ſanctę *Trinitatis* illi, qui die EDMVNDO Regi dedicato ad templum ipſorum aduentarent. Ad quę tempora eccleſia

Exregiſt. Ioan. Staſſord.

Anno 4. & 5. Richard. Cirafiorum in hiſt. ang. anno 4. & 5. 4., Fol. b. 26.

Ioan Leland.

T. L. Wolſ. 1402.

clesiam *Eliensi*, Archidiaconatui *Elienſi* attributa, siue vt dicitur, appropriata est, ad quasdam contentiones, quæ inter Episcopum & Archidiaconum de iurisdictione intercesserant, dirimendas.

De RICHARDO Scropo, *& alijs* Eboracensibus *Archiepiscopis.*

CAPVT XXVIII.

RICHARDVS generis sui satis illustris claritatem, egregia literarum & pietatis accessione magis illustrauit. In Academia *Cantabrigiana* vtriusque iuris insignia suscepit. Et quoniam iuris huius studia, magis in *Gallia* & in *Italia* vigebant, eo quoque profectus est, vt doctrinam suam auctiorem faceret, & eo vsque profecit, vt causarũ in curia summi Pontificis aduocatum egregium se præstaret. Qui *Couentrensem* & *Lichefeldensem*, vt commemoratum est deinde Episcopatum, & post ROBERTVM *Walbeum*, *Eboracensem* etiam Archiepiscopatũ adeptus est. Qui animo erga HENRICVM *quartum*, siue ob necem fratris *Guilelmi Wiltoniæ* Comitis, & RICHARDI Regis quæstoris, HENRICI iussu perempti, siue alias ob causas, quas ipse iustissimas existimauit, valde exulcerato, grauissimam cum *Thoma Mowbraio*, Comite *Notingamiæ*, Barone *Berdolpho*, & *Guilelmo Plumtono* Equite seditionem conciliauit. Cui ille, tum in concionibus, tum scriptis, præ templorum & cœnobiorum foribus palam affixis, varias causas prætexuit. Quibus HENRICO periurii, lætæ maiestatis, aliaſque turpis ignominiæ notas imprimere conatur. *Ioan. Leland.* *Quæ author scala chronicor. recitat.*

FVISSE ait, Regis RICHARDI, Procerum, atque adeo patris sui IOANNIS *Lancastrij* consensu, ad decennium ab ANGLIA relegatum. Cumque decreto illo violato, RICHARDÓque in HIBERNIA abiente, ANGLIAM nihilominus ingressus fuisset, vt promiorem populi erga se gratiam colligeret, palam iuramento se obstrinxisse, nihil se duri, aut contra officium suum & fidem, contra RICHARDVM moliturum. Huc solum spectare, vt cum bona Regis gratia, liceret possessiones paternas occupare. Edictum deinde diuulgasse, vt se magis in populi gratiam insinuaret, quo populo blandiebatur, curaturum vt à quintadecimis, & decimis soluendis deinde Regi a vectigalibus vini, & aliis tributis exoluceretur. At enim paulo post, hæc & cetera, quæ promisisset, turpiter rescidisse, RICHARDVM in carcerem compegisse, regnique ab eo cessionem & abdicationem vi extorsisse, se deinde, legitimo & proximo herede deturbato, in regium solium ingessisse; & RICHARDO, cui scelerate regnum, sceleratius vitam etiam per inediam abstulisse. Procerum deinde sanguinem indigne exorbuisse, Comitem *Swisburiæ*, *Huntingtoniæ*, *Glocestriæ*, *Wigorniæ*, præterquam aliorum complurium virorum, *Thomæ* etiam *Percei*, filij & heredis Comitis *Northumbriæ*. Nec vitam modo huius *Thomæ*, sed & sepulchrum apud omnes sacrosanctum, atque defuncti manes, omni humanitate & religione contempta, & sepulti corpus exhumando, caputque à corpore, & reliqua etiam coporis membra resecando, sacrilegè violasse. Nec in Laicos modo, sed in monasticos viros, in sacerdotes, contra morem & canones ecclesiæ, indigna cæde; & in populum, cui tantam immunitatem, vt fauorem eius in rerum angustijs aucuparetur, pollicitus fuerat, immanioribus, quam quisquam priorum Regum, tributis & exactionibus grassatum: Nec constare, quod in aliquos reipublicæ vsus pecunia illa cesserit, cum & milites stipendijs se suis fraudatos querantur. Hæc & alia id genus, perscripta à RICHARDO & ceteris factiosis disseminabantur. *Vita Eber Archiep. ipsorum.*

SVNT qui tradunt, ad arma prius RICHARDVM non se contulisse, quàm Regem prius sui officij, vtque se emendaret, tam præsentem viua voce, quam per literas postea absentem admonuisset; & cum vidisset nullum admonitioni locum relictum, vi rem cum alijs Proceribus tentasse. HENRICVS, vbi de hoc motu audisset, copias, quas duceret in Aquilonem, cogit. Comes interim *Westmerlandiæ*, qui versabatur cum filio Regis IOANNE, qui illis Regionibus præfectus erat, quantas potuit vires colligit contra RICHARDVM & *Mowbraium*. Quas cum videret illis impares, à pugna abstinet, nunciosque ad Archiepiscopum mittit, quæritum, Cur regni quietem atque pacem perturbaret? Imo, respondit ille, non ego armis hisce pacem perturbo, quæ ad præsidium & mei, & regni suscepi: nihilque postulo, quod non cum ratione cum equo atque bono, & regni cõmodis coniunctum sit. Mittitque simul scripta quę motus huius causas, superius partim recensitas, complectebantur. Quę cũ comes legisset, vultu, verbisque ad simulationem artificiose compositis, Si RICHARDI, inquit, & sociorum *Thom Vvast in chron. 1405.*

conatus

conatus nihil aliud respiciunt, quam ista scripta præ se ferunt, ego me quoque illi adiungam. Ineamus igitur, inquit, his de rebus mutuum colloquium. Cuius postulationi, cum RICHARDVS & Comes paruissent, & exercitu vtrinque spectante, ipsi in colloquium cum paucis cum Comite, qui cum pari accessit numero, venissent: ille adeo egregiè vt prius, omnia simulauit, vt mox RICHARDVM & *Mowbratum*, qui nimia fiducia exercitū dimiserant; nec opinantes circumuenerit, oppresserit & in carcerem coniecerit. Qui paulo post capite plectuntur. RICHARDI caput quinto demum ictu abscissum. Qui macerrimo carbonarij equo, absque sella impositus, facieque ad equi caudam conuersa, magna cum ignominia ad supplicij locum ductus est. Luctuosum plane fuit illud *Eboracensibus* spectaculum, cum præsertim incideret in eum diem, quem illi in honorem diui GVLIELMI, eius olim sedis Archiepiscopi, celeberrimum agere solerent.

In vita Eber. & annal. Polydor.

Addit. ad Polic.

SENTENTIA lata est aduersus RICHARDVM per *Radulphum Euerium*, & *Gulielmum Fultropium* Equites ex Regis rescripto delegatos. Nam *Ioannes Gasconus* summus capitalium causarum regius præses, sententiam aduersus eum ferre, cum esset Archiepiscopus, de quo, per canones & regni leges, nullam laicum cognitionem capitalem habere posse sciret, ferre recusauit. Et egerat cum Rege accurate *Cantuariensis*, vt causam RICHARDI ad summum Pontificem reijceret. Summus Pontifex, vbi de nece eius rescisit, anathemate necis authores deuouit: Mandauitque *Cantuariensi* vt illud diuulgaret. Quod ne fieret Rex interceſſit, misitque literas ad Pontificem, quibus causabatur, non potuisse se tes regni sui in tuto, & quieto loco collocare, si vitæ illius peperciſſet. Misit simul & militarem tunicam, qua, cum caperetur, indutus erat: Et, Vide, inquit, num ista sit filij tui tunica? falsè RICHARDVM arguens seditionis & lætæ maiestatis. Respondit Pontifex, quamuis esset filij mei tunica, quam, re nonnunquam ita postulante, posset sine grauiori nota induere, satis se scire illum ab immiti fera discerptū. Sed cum paulo post INNOCENTIVS in fata concessisset, schismaque *Romanam* Ecclesiam obrueret, obruta simul est omnis dirarum illarum pontificiarum diuulgatio. Ceterum, non tam facile obrui & obliterari potuit desiderium, populique de RICHARDO, de quo magnificè & mirificè, quasi de excellentis virtutis heroe, imo & miraculorum post obitum patratore, sentiebat, celebris memoria. Frequens itaque erat ad sepulchrum eius concursus, donec regij illum milites cohibuissent.

Vetus chronic. Anglicè scriptum Tho. Walſ. adu. ad Polich.

CETERVM scripta illius temporis hominum, qui mirifica quædam de eo tradunt (quæ, cuius momenti sunt, alij viderint) nulla Regis potentia coercere potuit. Inter quę tradunt agrum illum, in quo capite cæsus est, frumento satum, & hominum atque equorum pedibus ita conculcatum, vt virgines sacræ *Clementhroppii*, quorum victus ex eo agro potissimum nitebatur, proximi anni fructum pro deplorato & perdito habuerint, & grauiter ea de re quererentur: illius precibus septuplo, quam solebat, redditum eo anno fœcundiorem. Quid? quod tradant eo ipso die, quo RICHARDVS cæsus est, Regem in lepram incidisse, à qua nunquam per totam postea vitam potuerat vlla se medicorum ope explicare. RICHARDO summus Pontifex sua authoritate ROBERTVM *Halamum* suffecit. Sed cum Rex in aliam totus partem niteretur, & HENRICO *Bouetto* impensius studeret, Pontifex illi tandem cessit: traducitur itaque à [b] *Barhonia* HENRICVS, ROBERTVS autē *Sarisburiensi* donatur [c] vtriusque iuris, ciuilis & ecclesiastici inſignem peritiam habuit, adeo, vt auditor causarum in summi pontificis curia designaretur, vbi & negotiorum HENRICI Regis procurationem obibat. A quo cum *Barhoniam* obtineret, in *Daciam* missus est, vt eo Regis filiam [d] *Dano* desponsam deduceret, Vsus est eius postea opera & HENRICVS *quintus*, in bello contra [e] *Scotos*, in ANGLIAM irrupturientes; & [f] HENRICVS *sextus* in legatione ad *Gallum*, cum de pace reficienda ageretur. [g] Familiā valde splendidā & sumptuosam, supra decessores suos aluisse traditur. Dignitatē deinde ad IOANNEM *Kempium* (cuius historiam inter *Cantuariensis* Archiepiscopos contexuimus) transmisit.

a Vith Ebo addi. Polychron.

b Walſ. 1407
c Vita Ebor.

d Th. Wal 1406
e The Elmham. in chronic.
f Polyd. l. 23.
g Vita Ebor.

DIXIMVS supra RICHARDVM *Eboracensem* Archiepiscopum *Basileensi* concilio interfuisse. & id diximus acta ipsa concilij sequuti. Ceterum inuoluor hac difficultate, à qua, quo modo me exoluam, non adhuc reperio. Neque enim aut cum coiret concilium, aut vllum hoc sęculo RICHARDVM reperio, Et concilium in tempora HENRICI incurrit. Neque tamen id ei competere potest, cum concilium illum electum tantum appellet. Et eo anno id est CIↃ. CCCC. XXXI. quo sessio illa habita est, nec RICHARDVS, nec vllus alius electus reperitur. Huius itaque rei lectorem, vt fidem meam liberarem, commodum hic admonendum putaui. IOANNEM sequutus est GVLIELMVS [h] *Borhus*, qui à *Couentrensi* & *Lichfeldensi* sede, ad hanc metropolim prouectus est. Qui [i] præter aliarum artium liberalium cognitionem, patrij etiam

Basse. 1. p. 3 ex alt. impress. colonia.

h 1451. Polid. Vita Ebor.

iuris

iuris non leuem scientiam, quippe cuius studio, aliquot annos in eo iurisperitorum domicilio, quod *Grayes Inne* vernaculo sermone appellant, operam dederat, collegit. Homo præter ceteras dotes, pauperibus fouendis impense deditus, quique adeo non exigebat grauiora exactionibus colonos suos, vt sæpe illis pecuniam, quam pro conductis fundis & agris, aliisque ex causis debebant, prorsus remiserit. Hanc deinde administrationem obijt GEORGIVS *Vita Ebor.* *Neuillius*, huc ab *Oxoniensi* sede euocatus. Qui etsi esset summo & illustri loco natus, pertinaci tamen labore, studijque assiduitate, ad eum totius humanæ & Diuinæ doctrinæ in *Oxoniensi* Academia magnitudinem peruenit, vt reliquos fere omnes, non minus eruditione quam generis splendore superarit. Delegerunt itaque illum sibi in Academiæ Cancellarium *Oxoniensis*. *Exoniensi* deinde Episcopatu, & *Eboracensi* postea metropoli, & Cancellarij totius regni summo honore ornatus est. Frater fuit *Richardi* celebertimi illius *Warwicensis* Comitis, cuius potissimum præsidio, res omnes Regis EDOVARDI nitebantur. Cuius casus & ruina, GEORGIVM simul afflixit ac pessundedit. Cum enim a fratre solicitatus, aduersus Regem in seditionem cum eo & alijs coisset, euerso & cæso tandem, vt commemorauimus, *Fol. lib. 14.* fratre; ipse *Guinas* in custodia ibi seruandus mittitur. Qua tandem liberatus, ex animi tamen dolore, paulo post animam efflauit.

MAGNAM his temporibus *Eboracensis* metropolis, sed nulla GEORGII culpa dignitatis suæ imminutionem passa est. Cum enim omnes hactenus *Scotiæ* Episcopi, ab *Eboracensi* vt primate totius *Scotiæ*, initiari soliti sunt, omnem illi SIXTVS *quartus Scotiam* detraxit, & proprium *Scotiæ* metropolitanum (quæ nihil deinceps cum *Eboracensi* commune habet) ad diuum *Andræam* in *Scotia* collocauit, cui XII. *Scotiæ* Episcopi dicto audientes forent. Opposuit se huic decreto ne id cerneretur, constanter GEORGIVS, sed vrgente *Iacobo* Rege *Scotiæ*, & decretum ea de re editum, & ab illo vsque tempore firmum & ratum permanfit. Et SIXTVS quidem excusatius id fecisse, & quasi necessitate quandam sequutus videbatur, quum & pretendebat cum propter continua bella, quæ inter ANGLVM & SCOTVM intercedebant, aut nullus, aut difficilis & periculosus *Scotorũ* Episcopis in ANGLIAM aditus pateret. Obijt vero GEORGIVS VIII. Iunij qui dies ab *Eboracensibus* diligenter obseruatur, quod in eundem Seropi, & diui GVLIELMI de quo mentionem fecimus, obitus concurreret. Proximo loco huic sedi fuffecitur GVLIELMVS *Borhus*, GVLIELMI *Borhi* Archiepiscopi commemorati, ex eodem patre, at alia matre, frater, qui legibus ciuilibus *Cantabrigiæ* operam dedit, Canonicus primum *Eboracensis*, *Dunelmi* postea Episcopus. Qui post tres annos & nouem menses, munus hoc ad THOMAM *Rotheramum* transfudit. Vir fuit in *Eboracensem* suam ecclesiam beneficus, & liberalis. Qui sua pecunia sedi suæ, ædes illas apud *Bateresanum*, prope *Londinum* comparauit. THOMAS nominationem illam ab oppido *Rothenamo*, *Eboracensis* diœceseos, in quo natus est, mutuatur; qui gentilitio nomine *Scotus* dictus est. Liberalibus disciplinis, & sacræ theologiæ strenuam operam *Cantabrigiæ* impendit. Fuit deinde EDOVARDO *quarto* à sacris, simul & à priuato sigillo; à *Rossensi* sede *Lincolniam* hinc, huc migrauit. Obijt & supremum cancellariæ, regnante EDOVARDO, munus. In quo etiam, cum RICHARDVS per tyrannidem regnum affectare occiperet, permanfit. Cumque tristis *Thomas Morus in Richardo.* nuntius allatus esset, de manu violenta EDOVARDI Regis tutoribus per RICARDVM inuecta, & Rege puero in potestatem illius translato, venit THOMAS ad ELIZABETHAM Reginam, quæ te propter res ita turbatas *Westmonasterienſi* asylio tenebat, magnum secum regni sigillum deferens, quod & apud eam reliquit, contestatus, si deturbato, quem in potestate habebat, puero, RICHARDVS regnum occuparet, velle se alterum fratrem ad regium sceptrum prouehere.

SED veritus ne illo suo facto, in crimen & inuidiam apud RICHARDVM vocaretur, cum adhuc res esset in suspenso, neque liquidò pateret, quo RICHARDI conatus respicerent, sigillum postea repetijt. Et hunc RICHARDVS cum alijs, de quibus commemorauimus, in carcerem inijs suis furiosis turbis, quas in *Londini* turre edidit, conjecerat, vnde tamen illum postea dimisit. Multos ille & amplos in ornandam ædem sacram, & in Archiepiscopatus sui ædificijs amplificandis, sumptus erogauit. Sed cetera omnia obscurat, beneficij illius magnitudo, quo suos sibi *Rotheramenses* constrinxit, apud quos egregium sacerdotum collegium locauit. Peruenit ad annum ætatis LXXVI. & vnius deinde noctis ægritudine, ab humanis rebus præreptus est. Cui, ipso proximo sæculo ineunte, surrogatus THOMAS *Saunders* ordine quintus & quinquagesimus, *Rossa* primum, tum *Lincolniensi* sedi, huic deinde metropoli ereptus, quem THOMAS *Wolsey* Cardinalis sequutus est. Inter alios vero

qui meditationes & studia sua scriptis commiserint, fuere *Thomas Gascoinus Oxoniensis* Academiæ Cancellarius, *Ioannes Marretus Carmelita*, Ioannes Erghunus *Augustinianus*, *Elingamus*, *Benedictinus* [a] & *Lentoniensis* cœnobij Prior. Qui, vt diximus, chronicon de HENRICO *quinto* versu constituxit. Est *Eboraci* [b] pauperum, sub diui *Leonardi* titulo, hospitium à Regibus ANGLIAE fundatum, qui ex more per manus deducto, & ex Regum rescriptis, pro quolibet aratro, quod terram proscindebat, in Comitatu *Eboracensi*, *Cumberlandiæ*, *Westmerlandiæ* atque *Lancastrij*, certa quædam frumenti portio ad miserorum inopiam leuandam, solui solebat. Quod subsidium, cum regnante HENRICO *sexto*, valde ex hominum auarorum cupiditate imminutum esset, pauperibus, vt res ad antiquam conditionem rediret, parliamenti authoritate prospectum est, vt & postea *Fontanensi* in hac diœcesi cœnobio, quod per veteratores, & callidos homines litibus, præter omne æquum & bonum vexabatur. Reperio hoc sęculo [c] *Emmam* quandam *Eboraci* inclusam, quæ magnam virtutis & sanctitatis apud populum opinionem sustinebat. RICHARDVS vero Rex, cum videret quanto vndique, propter tyrannidem, populi odio flagraret, vt se magis in gratiam illius insinuaret, bonisque probaret, prioris magnam pœnitudinem prætendens, videbatur, quasi nouam probioremque vitam meditari, & priorem retexere, cœpitque multa priuatim & publice moliri, quæ tamen præmature intercepta, non absoluit. Centúmque sacerdotum *Eboraci* collegium instituisse traditur.

a Ioan. Leland.
b Vide Mat. Hemi. 6. anno 2 cap. 1. & anno 8. c. 5.
c In si quodam manuscriptum. Pol. lib. 25.

De Episcopis Dunelmensibus & Carleolensibus.

CAPVT XXIX.

DVNELMI sedem hoc seculo tenuere WALTERVS *Sherlowius*, quem in *Gallias* misit legatum HENRICVS *quartus*, THOMAS qui concilio, vt diximus, *Pisano* interfuit: & alter THOMAS videlicet *Langlei*, regnante HENRICO *sexto*; & regnante EDOVARDO *quarto*, IOANNES *Sherwodus*, tum GVLIELMVS, cui in sedis veteri prærogatiua, quadam authoritate parliamenti consultum est. IOANNES externas etiam Academias inuisit *Italiæ* præsertim, vnde exquisitorum quorundam authorum *Græca* exemplaria, studiosè venatus, suóque sumptu comparata, in ANGLIAM secum retulit, quæ ad doctissimi viri CVTHBERTI *Tonstalli* eius sedis nuper Episcopi, manus peruenerunt. Fuit inter IOANNEM & *Rochum* quendam *Carthusianum*, virum pium & doctum, magna amoris & studiorum coniunctio. Sequuti deinde LAVRENTIVS *Bothus*, de quo inter *Eboracenses*; & RICHARDVS *Foxus*, de quo inter *Wintonienses* diximus. THOMAS deinde *Wolseius*, ac post eum CYTHBERTVS *Tunstallus*.

Thom. Walsi. 5399.
Edou. Hall. an. 4. Hen. 9. An. 7. Ed. 4. c. 2. Ioan. Leland.

DE *Carleolensibus* hos reperio, IOANNEM, GVLIELMVM, MARMADVCVM ex prouisione NICOLAI, *Herefordiæ* per eundem Pontificem translatum, IOANNEM, & alterum IOANNEM huic è *Bangorensi* ede per IVLIVM translatum. Ex his IOANNES, quo tempore HENRICVS *quartus*, deiecto RICHARDO, regiam sibi dignitatem arrogauit, cum indicto ab HENRICI parliamento quæsitum esset, quid de *Richardo* statuendum esset? magna fiducia & constantia causam RICHARDI tuebatur. Rem hanc (inquit) quæ tanti momenti est, accurate, O viri honorandi, apud vos cogitate, & nolite sententiam præcipitare. Et vt ingenue, quod sentio, fatear, neminem vestrum omnium idoneum iudico, qui sententiam de tanto Principe, cui XXII. iam annis obsequium & fidem, quæ Regi debetur, præstitimus, ferat. Certe nullus est in omnibus ergastulis fur aut latro, nullus homicidia, nullus tam infestus patriæ hostis, quin, priusquam aduersus eum pronunciabitur, præsentiam sui ex legum decreto apud iudices facturus sit, & quæcumque accommoda putarit, pro sua innocentia atque defensione libere dicturus. Et nos Regem sacro oleo delibutum, absentem, atque indicta causa damnabimus? palamque profiteor HENRICVM hunc *Lancastrium*, cui vos regium nomen detulistis, grauioribus longe se culpis, & sceleribus aduersus RICHARDVM Regem, & regnum obstrinxisse, quam sunt illa, quæ RICHARDVS, vel aduersus Ducem, vel aduersus regnum vnquam admisit. Quis ignorat *Lancastrium* Ducem, Regis & consiliariorũ regiorum, & paterna etiam sententia, ad decennium, nec vos ignari estis ob quam causam, relegatum? Redijt tamen, idque citra, & contra Regis consensum, & quod longe deterius, ingessit se in nomen, titulum,

Edou. Hall anno 2. Hen. 4.

titulum, & ius regium. Confidenter itaque pronuncio, has vestras actiones cum summa, & manifesta iniustitia atque iniuria coniunctas, dum molimini aduersus RICHARDVM Regem aliquid, eo absente, nec causa legitime cognita, decernere.

CVM peroraſſet, mox illi Comes Mareſchallus manus iniecit, abductúsque custodiæ traditus est apud cœnobium diui *Albani*. Dimissus tamen postea est, & socius fuisse traditur consiliorum illorum quæ à *Ioanne* Duce *Exoniensi*, & alijs Proceribus contra HENRICVM, vt diximus, capta sunt. Quos cum captos & euersos audisset, mœrore animi contabuit. Huic GVLIELMVS *Strieklandius* succesſit. ROGERVS autem in suo testamento, iussit corpus suum humili loco, ante ingressum templi vbi sepeliebatur, poni, cum tabula, quæ nomen ipsius complecteretur, vt ingredientes magis excitarentur, ad animam eius Deo, pijs precibus, commendandum. *Ex regist. Roff. Chicheley.*

De Episcopis Cambriæ *seu* Walliæ

CAPVT XXX.

MENEVENSEM hoc sæculo sedem administrarunt GVIDO *Moue*, IOANNIS successor, tum HENRICVS *Chicheleius*, de quo abunde diximus inter *Cantuarienses*. Troco, per IOANNEM *summum* Pontificem, IOANNES *Cattrokius* prouisus est. Hunc sequutus est IOANNES *Milnertonus*, & IOANNEM STEPHANVS *Patrixtonus*. Quo translato *Ciceſtriam* per MARTINVM, sedem obtinuit BENEDICTVS, huc ex *Bangorienſi* sede translatus, & post eum ex authoritate EVGENII THOMAS *Rudburne*. Succedunt deinde GVLIELMVS *Linwod*, IOANNES *Langton*, IOANNES *de labore*, *Wellensis & Bathonienſis* prius Ecclesiæ Decanus, ROBERTVS, THOMAS, MARTINVS, per INNOCENTIVM *Ciceſtriam* postea translatus, & proximo deinde sæculo ROBERTVS *Schirborn*, traductus etiam *Ciceſtriam*. EDOVARDVS *Vaughamus*; pro quo ADRIANVS prouidit de RICHARDO *Rowlins*. THOMAS *Rudburnus* fuit *Hidenſis* priùs *Wintoniæ* Monachus, qui & de rebus sui cœnobij, & chronicon præterea ANGLORVM, vt diximus, conscripsit. De *Ioanne Miluertonio* inter *Wigornienſes* scriptores meminimus, qui designatus quidem est hic Episcopus, sed Episcopatu, propter quasdam religionis controuersias, ob quas *Romæ*, vt diximus, in iudicium vocatus est, excidit.

Io ob. 1397. Guido 1407. Et Guidonem Morrenium vel Iohannem appellat. Step promot. 1415 Benet ob 1435. Gul obyt 1460 Ioan ob. 1447. Rob obijt 1482. Th transl. 1483 Roberti sit Episcopus 1505. transl. et. 1508. Edon obijt 1522.

GVILIELMVS *Linwodus*, imperante HENRICO *quinto*, hac sede potitus est. Fuit ille quidem vir Cæsarij, & Pontificij iuris consultissimus, qui Pontificias *Cantuarienſium* sanctiones, temerè dissectas & dispersas, & in aptum ordinem digessit, & commentarijs etiam illustrauit. Quo legato vsus est HENRICVS *quintus*, in rebus maximi momenti ad *Hispanum*, & *Lusitanum*; cui Regi fuit à secreto sigillo: qui à loco vbi natus est in diœcesi *Lincolnienſi*, *Linwod*, ni fallor, dictus est. In supremis tabulis legauit Collegio diui *Stephani*, prope *Weſtmonaſterium Londini* sexcentas libras, quas sibi à Rege deberi dicebat, ex eo munere quo priuati Sigilli custos fuerat. Voluit etiam vt commentarij, de quibus meminimus, in eiusdem Collegij bibliotheca, catenis colligati reponerentur. *Ex regist. Ioan. Stafford.*

ASSAPHENSES inter alios reperio IOANNEM *Treuorum*, ROBERTVM, IOANNEM *Lowe*, quem post obitū ROBERTI EVGENIVS prouidit. Fuit autem IOANNES theologiæ professor, instituti *Eremitarum* ex disciplina diui *Augustini*, qui *Ciceſtriam*, vt qui eum sequutus est REGINALDVS *Pecok.us*, translatus est. RICHARDVS *Dauid* qui proximo sęculo obijt; quem sequuti EDMVNDVS *Byrkid*, & HENRICVS. *Standiſius*. IOANNES à Proceribus parliamenti, cum alijs ad RICHARDVM Regem missus, dignitate omni regia per sententiam eum priuauit; misitque eum proximo anno HENRICVS legatum in *Hiſpaniam*. Sed post quadriennium, cum *Owinus* magnas aduersus HENRICVM turbas in *Cambria* excitaret, & res aliquandiu bellè cum eo succedere viderentur, IOANNES ab HENRICO deficiens, cum eo se coniunxit. IOANNES autem *Lowe* fuit ex *Auguſtiniano* instituto in *winchienſi* apud *Wigornios* cœnobio, totius in ANGLIA societatis suæ Præses. Vir fuit impensè doctus, quod & scripta eius testantur. Sed nihil fere memoriam eius magis posteritati commendat, quàm ornatiſſima illa, quam *Londini* inter suos instituit, bibliotheca. Ab hac autem sede ROFFAM migrauit. *Walsing. 1404 vocat Grenot.*

PONTIFICIVM apud *Bangorienses* munus obiere,[a] LVDOVICVS *Elfordius*, RICHARDVS *Yongus*,[b] BENEDICTVS, GVLIELMVS Barow Canonicus *Lincolniensis*, & legum decretorumque Professor IOANNES *Cloderow*, qui obijt dum iter parat ad concilium *Basileense*. Successit THOMAS *Serlton Dominicanus*, & post eum IOANNES *Stanberius*, de quo inter *Herfordenses* diximus, IACOBVS, RICHARDVS, & proximo sæculo. IOANNES, qui per IVLIVM translatus est *Carleolum*. Eius locum occupat THOMAS *Steuingtonius* Abbas *Belli loci*. LVDOVICVS legatus est in *Germaniam* ab HENRICO *quarto*. RICHARDVS autem captus est in acie, quo tempore Comes *Northumbriæ*, & Dominus *Bardolphus* bellum aduersus HENRICVM confiarunt. Sed quia inermis fuit, vitæ eius parcebatur. Quo autem tempore posterior RICHARDVS hanc sedem obtinuit, videtur Episcopatus & bellis, & alijs cladibus fuisse valde afflictus, imminutus, & exhaustus, adeo, vt centum librarum annuum reditum vix excederet. Quare PAVLVS Pontifex II. per diploma concessit, vt quamcumque dignitatem aliam [illegible] RICHARDVS cumularet & adiungeret, modo non esset Pontificia, aut alicuius cœnobij præfectura.

LANDAVENSES non alios adhuc quam istos reperio, THOMAM *Peuerellũ*, IOANNEM, GVILIELMVM, & alterum IOANNEM. Post cuius obitum MARTINVS prouidit de IOANNE *Welles* theologiæ Professore, & eo defuncto EVGENIVS de NICOLAO *Ashby* Priore *Wenlonasterij*, cui successit IOANNES; alij adhuc mihi non occurrunt. Proximo autem sæculo post IOANNEM, MILLO per IVLIVM substituitur & eo obeunte, GEORGIVS *Athequa* per LEONEM. Ex *Cambris* vero, qui propter scriptionem illustriores habentur, recensentur inter alios apud *Demetas* & *Meneuenses*, *Nicolaus Cantilowinus*, seu *Cantilepus Carmelita*, ex Proceribus *Demetarũ* ortus, gentilis THOMAE *Cantilepi Herfordensis*, de quo meminimus, sanctissimi Episcopi; apud *Landauiam Dauid Morganus* ecclesiæ *Landauiensi* à thesauris, antiquitatum *Cambriæ* solertissimus indagator; quas & literis commisit. Fuit & *Dauid Boys* seu *Boyssus*, siue *Boethius* ex *Cambria*, *Carmelita* postea apud *Gloecestriam*; qui non solùm *Oxoniam* & *Cantabrigiam*, sed & exteras Academias, eruditionis cumulandæ gratia adiuit, quam & scripta eius luculenter testantur.

a *Richard proui. 1403*
b *Benedictus ob 1414.*
Thom. ob 1425. ex regist. Cheichelei
Ioan. prou. 1435
Ex regist. Thom. Burtherij

HISTO-

HISTORIA
WICLEFFIANA
EIVSDEM AVCTORIS.

HISTORIA WICLEFFIANA EIVSDEM AVCTORIS.

AD CANDIDVM LECTOREM PRAEFATIO.

POST *absolutam tandem, Deo fauente, Ecclesiasticam* ANGLICANÆ *nostræ ecclesiæ historiam, visum est* Wicleffianam *etiam seorsum, idque uberius aliquanto atque diffusius scriptam; non modò vt fidem meam, in Ecclesiastica illa historia datam liberem, sed & ob alias multas, eásque grauiores atque iustiores, ni fallor, causas, hoc loco adiungere. Et seorsum quidem eam apponere volui, quòd illa altera satis iam mole, atque magnitudine laboraret sua. Cur autem eam copiosius atque latius contexerem, multa sanè concurrunt. Operæ pretium certè existimaui, vt orbis Christianus (cuius magnam partem execranda* Wicleffi *dogmata turpiter commaculant) & nostra præsertim* ANGLIA, *cuius ille prima & præcipua calamitas fuit; accuratiorem aliquam, quàm hactenus vnquam de eo prodijt, historiam haberet: vtque vel tandem, ex eius lectione, discipuli illius pudere incipiant, id quod opto & spero futurum; quod propter talem & tam perditum præceptorem, a catholica ecclesia fide, atque disciplina, tam temerè desciuerint. Vtque tandem, detersis tenebris mendaciorum, quas* Ioannes Foxus, *& id genus alij, oculis ipsorum de eo effudêre; claram veritatis lucem, ex sincera atque incorrupta rerum gestarum narratione, aspiciant. Vt denique catholica ecclesiæ alumni, qui hactenus in ecclesiæ se gremio continuere, magis hinc confirmentur;*

tur; effusioréſque Deo gratias agant, qui eos, ab Wicleffianis *his ſordibus, puros atque integros pro ſua ſumma benignitate conſeruauit. Qui effusè cum* Democrito *ridere, aut, quod potius eſt, cum* Heraclito *deflere poterint* Foxi, *& aliorum incredibilem ſiue cæcitatem, ſiue deploratam magis impudentiam; qui noua huius Euangelicæ ſchola, & pſeudomartyrum ſuorum (de quibus immenſum volumen confecit) illum principem, cùm tamen naturali morte obierit, conſtituit; illúmque atque illius aſſeclas & diſcipulos, ab omni corrupta atque hæretica doctrina, puros atque immunes fuiſſe contendit, et in martyrum albo gloriosè collocat.*

Extitit *autem alius ex ea ſecta, qui Chriſtum in* Wicleffo *renatum ſomniat. Sed in* Wicleffo *non Chriſtum, ſed Antichriſtum planè orbi ſe effudiſſe, facilè ſentire poterint, quicunque hanc noſtram de illo hiſtoriam diligenter perlegerint. Reperient enim eum non vna aliqua, ſed multiplici, idque in maximis Chriſtianæ fidei dogmatis, hæreſi commaculatum. Reperient non modò atrociſſima conuicia, mendacia, fraudes, quibus veteres olim hæretici Catholicos infeſtabant: ſed & varias illorum hæreſes, prauaque dogmata (ea præſertim, quæ hodiè miſerè per* Europam *graſſantur) in eum, quaſi teterrimam quandam cloacam, confluxiſſe. Reperient* Lutherum *non modò conuicia, quibus catholicam eccleſiam, omneſque illius ordines, impuro ore inceſſit; ſed & hæreſes illas ſuas ferè omnes (niſi quòd in re Euchariſtica* wicleffus *ſit ipſo deterior) ab eo mutuatum. Reperient &* Bohemiam, *longè ante* Lutherum *exortum, ex libris* wicleffi, *per diſcipulum eius* Ioannem Huſſum, *miſerè peſſundatam. Quanquàm in cauſa euchariſtica, et ille à magiſtro, vt & tota ferè* Bohemia, *diſſentiat. Imo et diſcipuli* wicleffi *in noſtra* Anglia, *ante noſtra tempora, rari aut nulli reperiebantur, qui tam execrandum præceptoris dogma tuerentur; licet miſerè atque deploratè, pro alijs illius erroribus defenſandis, in mortem et ignes ſe proiecerint. Vt permirum mihi ſit iſtos, hodiè in* Anglia *aut alibi, ſectarios, illi potiſſmum hæreſi contra ſacram Euchariſtiam adhæreſcere; quam præcipui ipſorum patroni atque doctores, et quaſi maiorum gentium dij,* Huſſus *in* Bohemia, Lutherus *in* Germania, *et veteres ipſorum, ante noſtram memoriam, in* Anglia *condiſcipuli, prorſus reiecerunt atque damnarunt.*

Immò *id non minus miror, quòd tam præclaræ atque catholicæ olim nationes, ab orthodoxa fide tam leuiter, propter iſtos ſuos, nec inter ſe conſentientes præceptores, receſſerunt. Quanquam nec reliqui*

wicleſſi

Wicleffi *errores, publica vlla, ante nostram infelicem memoriam, authoritate in* ANGLIA *(Deo sit gratia) recepti sunt. A quo illa certè tantùm abfuit, vt omni, qua poterant, omnes, ope; Clerus, concionibus, libris, synodis pœnisque ecclesiasticis; Reges præterea seueris legibus, hæreticorum insolentiam reprimere conati sint. Nullus* ANGLIÆ *Rex, ante nostram memoriam, nullus Episcopus, nisi vnus, qui tamen & ipse palinodiam cecinit; nullus ferè ex Clero paulo doctior aut honoratior, pauci vel ex laicis, illustrioribus illis quidem, huic secta nomen dederunt. Et tamen in immensum illa creuit, multíque præcipites ad mortem potius, ignémque subeundum obstinatè ruere voluerunt, quàm errorem deponere. Et vt licentius atque impunilius errarent, non veriti sunt sursum atque deorsum omnia miscere, grauíque contra Regem & rempublicam tumultu, atque seditione omnia perturbare. Sed in meritis audaciæ suæ pœnis hæsere. Nec istis modò, quas commemoraui, sed alijs quibusdam quasi cœlestibus rationibus, & velut diuina quadam ex alto voce, perfidiæ istorum obuiam itum est; cùm Deus hisce perturbatis temporibus, clara atque illustria in* ANGLIA *(vt ceteras nationes omittam) ad catholicæ fidei contra hæreticos confirmationem, miracula ederet. Quæ nos iam singula, cum alijs, quæ huic nostro scopo accommoda, suntsuo quaque loco atque ordine in* Wiclessiana *ista nostra historia mox subijciemus.*

ID *solùm iam, te ad mentem tuam, candide Lector, accuratè reuocare cuperem, quàm immane sit inter priorem* ANGLICANÆ *ecclesiæ (quæ, ad nostra vsque tempora, integra & illibata ab omni hæresi, ab* AVGVSTINO *vsque fidei nostræ initiatore, altius repetita memoria, in fide permansit) & hanc nostram recentem, atque à* Wicleffo *exortam ecclesiam discrimen; quàm constans atque firma, atque ideo felix & beata tot illa sæculis; quàm lubrica & inconstans fuerit, in tam exiguo tempore, ista, atque ideò infelix & miseranda, in sua fide, nouóque Euangelio. Ante* Wicleffum *exortum, & post eum etiam, ad nostram vsque ætatem, vno eodémque semper tenore, ecclesiastica dogmata populo tradebantur, nec alia prorsus quàm illa, quæ nos nuper explosimus; nec illa, quæ totam iam* ANGLIAM *infestant. At vbi discessum semel est (horrendarúmque opinionum monstra alicubi audita sunt,* Wicleffo *primùm omnia perturbante) à catholica fide; vastus, quasi perruptis littoribus, infinitarum hæreseon (quas postea recensebimus) oceanus in* ANGLIAM *inundauit, nec cessat quotidie inundare; atque vt fluctus fluctum, alia aliam trudit: nec certè inundare desinet, donec veteris acque catholicæ ecclesiæ conuulsa illa, atque dissipata (vt ita dicam) littora resarciantur,*

HISTORIA VVICLEFFIANA.

DE IOANNE WICLEFFO HÆRESIARCHA, eumque fuisse vnum ex teterrimis, quos ecclesia vnquam catholica passa est, hostibus, & quæ causæ vel ad hæresim eum protruserint, vel eandem illis temporibus promouerint.

CAPVT PRIMVM.

OCTINGENTI iam pænè anni profluxerant, post susceptam ab ANGLIS doctore atque initiatore diuo AVGVSTINO Christianam fidem; cum *Wicleffus* eam primus nefarie contaminauit atque deformauit. Primus dico, Etsi enim reperti fuerint, qui antea malè senserint de religione, rari tamen illi fuerunt, hæresisque eorum priùs oppressa est, quàm vires vllas discipulo ue collegerit. Luculentum sane, amplum & plane cœleste, Dei optimi maximi in ANGLIAM nostram hoc fuit beneficium, catholicam doctrinam, tot sæculorum lapsu, incorruptam atque sinceram perdurasse, & neque vel leui motu hactenus labefactatam. Quam laudem atque ornamentum, paucæ certæ aliæ nationes sibi vendicare possunt. Quo magis omnibus diris deuotum *Wicleffi* caput, & execrandum censeri debet, qui hanc tantam felicitatem nostram primus, tam fœdè contaminauit; vt ditum hæreseon suarum venenum non solum in ANGLIAM, sed & alias longe dissitas nationes effuderit. Quod & hodie post tantum temporis, non in ANGLIAE modo, proh dolor! sed & multarum aliarum nationum visceribus penitus insidet & hæret. Ita prorsus, vt dubitare possis, si rationem exactiùs subducas, vtrum exitialior vnquam ecclesiæ hostis, infaustum suum orbi caput extulerit. Varijs quidem & teterrimis sæpe rationibus, machinis, & fraudibus, veterator Satanas Christi ecclesiam impetiuit, grauiterque concussit; sed clara tandem de illo ecclesia trophæa retulit. Et primæ quidem illius versutiæ atque fraudes, in eo potissimum versabantur atque consumebantur, vt veram Christo aut Deitatem aut humanitatem, aut nostram de Deo trino & vno persuasionem atque fidem nobis detraheret. Sed hos eius sceleratos insultus, cum Patres priuatis sæpe scriptis, tum primæ illæ synodi œcumenicæ egregiè repressérunt: Multisque postea sæculis omnis pæne, occidentis præsertim, ecclesia (quæ rarius præ oriente huiusmodi erroribus iactabatur) inconcussam atque incontaminatam fidem conseruauit. Quæ res valde nefarium satanam vrebat. Et quoniam videbat tanta authoritate euersos illos, contra Diuinitatem, & Christum caput, errores; nouas sed non minus Christi ecclesiæ exitiales fraudes machinatus est, quibus Christum in corpore, id est in ecclesia sua impugnaret: quibus sacramenta & eorum fructum, rectamque de illis persuasionem; quibus exquisitam, accuratámque pie atque sanctè viuendi rationem, quæ diui *Benedicti*, *Dominici*, *Francisci*, *Bernardi*, & aliorum sanctis institutis, seuerioreque disciplina continetur, nobis eriperet. In quo quidem insaniendi genere, *Wicleffus* præ omnibus regnat, & ita regnat, vt nesciam an quisquam hactenus (quod dicere occœperam) miserabilius Christi ecclesiã deformarit. At alij, dices, contra ipsam Diuinitatem grassati sunt. Esto. Sed par vtrobique periculum; à vera & sincera fide vtrinque exciditur, & priores illi fere hæretici, singuli singulos quosdam errores tuebantur: At in *Wicleffum*, colluuies conglobata, & quasi sentina innumerabilium errorum confluxit. In quibus illum & de Deo etiam ipso peruersè sentire palam ostendemus; ne quis forte sub inanis huius excusationis latebra (quasi de Deo rectam & illibatam fidem tenuisset) in eo defendendo delitescere se posse speret.

QVAERES iam forsan, Ob quam potissimum causam à catholicæ ecclesiæ castris leuissimus perfuga ita profugerit? Quod tibi paucis, verèque comicum illud expedierit, *Malamens, malus animus*. Quòd si adhuc de causa magis speciatim, distinctéque me vrgeas, Respondeo fuisse animo eum nimis alto & elato, gloriæ, laudis, honoris nimis appetenti, in susceptam semel opinionem, licet in errore versaretur, tuendã, nimis præfracto atque pertinaci; quique vel iustam reprehensionem nimis impotenter, & amare ferret. Ingenio sane fuit acri atque acuto, sed nimis vehementi atque populari. Cum inuenis *Oxonij* in rebus

dialecticis & philosophicis versaretur, nec satis in illis studijs promouisset, in literaria & scholastica quadam velitatione, vi & pondere argumentorum, quæ à concertantibus contexta erant, oppressus; inconsultè eo se demisit vt fateretur, accidens esse substantiam, quantum ex non quantis conflari, quidlibet esse Deum, & alia quædam valde absurda. Huc semel temerè præcipitatus, ne æstimationem suam apud multitudinem minueret (cuius plausus immoderatè per omnem vitam captabat) néue errore & inscientia lapsus, sed constanter atque explorato hæc asseruisse videretur; hisce erroribus tam firmè adhæsit, vt nunquam illos postea per totam vitam deponere, in animum potuerit inducere. Cumque ex doctrinæ nouitate non paucos reperiret, qui, vt fit, applauderent, vt ab illis erroribus non emersit, ita multos alios (quos postea perstringemus) contra sanctissimam & castissimam ecclesiæ religionem atque fidem (cum præsertim videret multos, qui laudibus conatus illius prosequerentur, & quasi ingenij, doctrinæ, & pietatis ipsius magnitudinem admirarentur) nefariè accumulauit. Sunt qui scribunt importunam ambitionem desiderati Episcopatus *Wigornienſis*, has scelerum quasi faces illi vehementius accendisse; eumque, cum prædæ expetitæ spe excidisset, priuatum dolorem ad contumeliam & vexationem ecclesiæ, vt olim ob similem Episcopatus repulsam, *Aerium*, vt *Tertullianum*, atque *Arium* & alios conuertisse.

Vide Tho. Wald. tom. 2. in epilogo.

Posid. lib. 9. Th Wald. to. 1. de s. c. 66

De Aerio Aug. li. de hæres.

ET ni fallor, primum illius in ecclesiam & *Romanum* Pontificem odij seminarium fuit, quòd eiusdem Pontificis decreto, à Præfectura collegij *Cantuariensis Oxonij*, quod SIMON Archiepiscopus *Cantuariensis*, vt diximus, instituit, quam præterius & fas inuaserat, quippe quæ ex scitis & præscripto SIMONIS *Islepi*, monacho tantum debebatur, post longam causæ in Pontificio *Romæ* tribunali disceptationem, abdicatus fuisset. Neque enim propter praua dogmata, sed ob eam, quam dixi, causam, dignitate ea id temporis spoliatus fuit. Verisimile igitur est ob huiusmodi aliquam causam, odium illum suum in ecclesiam atque *Romanum* Pontificem, vlciscendi causa impotenter effudisse. Credibile est & illam præterea, quæ hæreses plerúmque excitat atque alit, causam, id est, vanæ gloriæ, & nominis celebritatis appetitionem, simul, vt fit, accessisse; vt qui principatum, quem expetebat, in catholica ecclesia obtinere non poterat, saltem in hæreticorum ecclesia obtineret. Vt illa autem longè latéque praua sua dogmata illis temporibus spargeret, multæ opportunitates illi accedebant, EDOVARDI primum Regis, non satis postremis temporibus seuera, constánsque reip. gerendæ ratio, vitáque eiusdem prouecta ætate dissolutior. Dogmatáque illa eo plausibiliora fuerunt, quòd ad *Romani* Pontificis (qui propter exactiones, quódque ad se sacerdotiorum in ANGLIA collationem traheret, Regi & populo inuisior factus est) principatum subuertendum, quódque ad Regis ciuiliúmque magistratuum authoritatem amplificandam, potissimum spectarent. Accedebat IOANNIS *Lancastrij* Ducis, qui omnia sua authoritate paulo ante Regis obitum administrabat, magna aliquandiu in WICLEFFVM propensio. Quam augebat nonnulla inter eundem Ducem, & inter GVLIELMVM *Courtenetum Londonienſem*, atque GVLIELMVM WIKAMVM *Wintonienſem* Episcopum inimicitia, atque concertatio. Adiunge tyrocinium ætatis Regis RICHARDI, qui EDOVARDVM sequebatur; sed præ ceteris schisma illud, recens inter *Romanos* Pontifices grauissimè exortum. Quæ omnia *Wicleffus* auidè arripuit, illisque impotenter, ad exulcerato & infesto suo animo satisfaciendum, hæresésque disseminandas, populúmque à catholica fide, omnique pontificia atque sacerdotum solita obseruantia auertendum, turpiter abusus est. Cuius discessionis, quæ paulo post sequuta est, & aliorum grauissimorum malorum, quæ hinc pullulabant, triste omen & augurium censeri forsan potuerit templi *Weſtmonaſterienſis* indigna, eo ipso anno, quo RICHARDVS principatum iniit, profanatio, cæso *Roberto Hangeo* ad ipsum templi (qui illuc tanquam ad Asylum profugerat) altare, vnóque præterea ex ecclesiæ ministris, vique inde abducto contra veteres immunitates *Schakelio*. Cuiusmodi quiddam *Socrates* in *Græcorum* ecclesia similiter violata atque deformata, quo tempore *Nestorius* suas blasphemias euomebat, olim obseruauit.

Extat Pontificis decretum cum toto processu, quod ad manus meas peruenit.

Hæresium est (ait Aug.) qui alicuius temporalis commodi & maximè gloriæ, principatusque sui causa, falsas ac nouas opiniones, vel gignit, vel sequitur.

De vtilit. cred. ad Honoratum cap. 1.

Th. Walſ. Add. ad Polich. & in ipſa maiore illius hiſtoria.

Lib hiſtor. 7. ca. 29.

Errores

Errores atque hæreses Wicleffi *sigillatim enumerantur.*

CAPVT II.

IN immensum fere patent caluniæ, contumeliæ, atque iniuriæ, quibus ecclesiam Christi,& remp. Christianam *wicleffus* vexat, lacerat, & conuellit. A quibus nec viui, nec mortui, nec Sancti in cælo, nec Deus ipse liber, & immunis est. Nihil enim est vsquam, quod illius insania non violat; viuos spoliat omnium fere sacramentorum fructu, magnaque sincera & solidæ Christianæ religionis doctrina, pro qua sua somnia nobis adoranda subijcit. Defunctos, qui adhuc expiatorijs illis pœnis purgantur, suis solitis per viuos suffragijs; Diuos, qui iam cum Christo regnant, suo honore & cultu, quem illis pij Christiani deferre solent, priuat. Omnem in Episcopos, sacerdotesque solitam obedientiam, omnémque prorsus monasticam vitam euertit, nouòque illo suo de præscitis dogmate; quoque statuit omnem illi prorsus magistratum à Deo abrogari, qui grauiori & mortali peccato obnoxius est, paratam viam populo ad omnem seditionem, & Principis tui imperium excutiendum præstruit. Hæc & id genus alia (quæ & nostro hoc infelici sæculo renouata sunt, vt nostrorum hodie in ANGLIA præsertim hæreticorum sectarius quidam vervex videri possit) quò certiora lectori fiant, sigillatim singulos illius errores, ad suam quemque classem distributos subijciemus; non illos quidem omnes, quod rdoneorum librorum ad hanc rem præsidio destituimur, sed eos, in quos incidere potuimus.

FVIT ex nostris *Ioannes Lucke* theologiæ *Oxonii* professor, qui CC.LXVI. ex illius voluminibus; fuere, qui supra trecentos id genus errores collegere. Sed penuria, vt dixi librorum, *Thomam* ego mihi *waldensem* tantummodo iam propono, qui octingentos in *wicleffi* libris errores repertos tradit. Is accuratissimè atque doctissimè nefaria illius dogmata impugnauit. In quibus recensendis, quæ leuiora sunt primum perstringemus, (si quid tamen leue dici posset in quacunque parte religionis conuellenda) quæ maioris sunt momenti deinde adijciemus. Id vero nolo mihi esse fraudi, si verba ipsius *wicleffi* non diserte, semper recitem: id vitandæ prolixitatis gratia facio, idque eo securius, quod lectorem ad authorem meum semper remittam, à quo ipsa *wicleffi* verba, ex ipsius libris nominatim citatis, desumpta peti poterint. Ingrediamur itaque iam vastum & immane hoc *wicleffianum* pelagus, in quo multi rectæ fidei miserabile naufragium & fecerunt, & hodie etiam faciunt. Ostendemus pio lectori, ne & ipse simili incautus strage implicetur, scopulos omni *Scylla* & *Charybdi* magis exitiales, quos, si suæ animæ salutem amet, sedulo vitare debeat. Antequam vero ab ecclesia in rebus theologiæ dissentire cœperat, nouos in grammatica atque philosophia, vt & antea diximus, errores aut renouauit, aut commentus est, ex quibus quasi præludijs, ad summa fidei mysteria contaminanda, magna audacia adque perfidia prorupit. Nouam itaque & grammaticis prius inauditam synecdoches definitionem commentus est. Nec philosophiam theologiæ, vt par erat, tanquam ancillulam & pedissequam addicit, sed ex philosophorum quorundam, idque, quod deterius est, erroneis placitis, fidei nostræ summam metitur atque constringit; *Democriti*, *Anaxagoræ*, *Photini*, & aliorum errores tanto postliminio restaurat, atque reducit, & acriter ad ecclesiæ dogmata infirmanda tuetur.

ET quia *Anaxagoras* contra communem, & probatiorem reliquorum sententiam, idem esse substantiam atque accidens statuit, nec essentia differre, in eundem se errorem, cum Philosophica adhuc studia iuuenis tractaret, ob eam, quam commemoraui causam, demisit; prouectioréque iam ætat- eologiam publicè professus, eundem errorem tam crassum ad res sacras transtulit, acci- sque affirmauit non inesse, sed esse ipsum subiectum: & ista, si dijs placet, *Lesbia* regula vsi -, ontendebat deinceps accidens non posse esse sine subiecto, atque ideo verum & genuinum Christi corpus, non posse in sacrosancta eucharistia subesse. Insultátque petulanter & proteruè *Romano* Pontifici, atque catholicæ ecclesiæ, quasi à *Porphyrio* atque *Aristotele* illud dogma de accidente sine subiecto sancierit (quod tamen illi non docuerunt) & licet non desint alij magni nominis philosophi, qui id astruant, non tamen ecclesia ex eorum, sed spiritus sancti dictatis, patrumque authoritate credendum id sanciuit. Qua in re in duplex *wicleffus* mendacium incurrit, dum inconsiderate affirmat hoc dogma à philosophorum, & patrum omnium qui mille à Christo annis floruere, sententia penitus alienum. In

Ioan Leland de Brit script. Io Cochleus in historia Hussi de Pribram qui 305. errores collegit eosque in 19. classes distribuit. In prologo tom. primi.

Tho. Wald to. 1. li. 1. c. 40

Tho Wald tom. 3. ca. 17. 76. & 79.

Tho Wald to 1. li 1. ar. 3. c 48.

eo etiam contra omnes philosophos, & contra omnem rationem errore versatur, vt asserat, substantiam suscipere magis & minus. Somniat vnam essentiam corpoream in principio esse productam, ex individuibilibus compositam, occupare omnem locum possibilem. Quod videtur ex Democriti delirijs mutuatus.

SED iam damnatos illius in rebus sacris errores, vt fidem nostram liberemus, quanto possumus compendio enumeremus. Magna itaque proteruia & insolentia, ritus omnes, & venerandas ecclesiæ cæremonias conuellit, & prorsus reijcit, vt [a] inter alia benedictionem, siue consecrationem, panis, aquæ, salis, palmarum, primorum fructuum, ciborum, & aliarum rerum [b] Cereri itidem paschalis, luminum, candelabri: [c] ecclesiarũ dedicationes, & annuos atque statos earum festos dies. Et quia torquebat impium hominem, videre tam celebres catholicorum ad templa concursus, in quibus detestabilis ipsius doctrina, palam ex sacro suggestu, summo omnium concursantium consensu damnabatur; suos interim assecias in siluis, cauernis, aliisque latebris profana sua sacra peragere, ipsam etiam templorum [d], splendidam præsertim, omnem exædificationem auersabatur, quam refert ad hypocrisim. Nec verebatur (os impurum) dicere, [e] principium diabolicum esse in splendidis templorum ædificijs. Quid [f] quod & ritus illos [g] omnes sacros, qui conficiendis sacrosanctæ ecclesiæ mysterijs solenniter adhibentur, cũ sanctis orationibus impudenter cupit aboleri. Sed minus idmiri, cum & ipsam corporis Christi in Eucharistia præsentiam nefarie nobis, vt postea dicemus, eripiat.

VENIAMVS iam ad ea conuitia, quibus nouus iste *Goliath* toti Christi ecclesiæ insultat, adque tetras illas illius assertiones, quibus omnem potestatem, tam ecclesiasticam quam ciuilem prorsus labefactat, conuellit, atque euertit. Quas licet reformidet, & refugiat oratio nostra, vt nostro tamen proposito satisfaciamus, vtque insania nefarij hominis palam traducatur, in apertum proferre cogimur. Qui detestandis quibusdam calumnijs, vna quasi flagitiosa litura, omnes penitus Cleri ordines inducit & delet, non summum, imo nec quenquam Pontificem, non sacerdotem, & nec monasticum aliquem cuiuscunque generis, nobis illius dementia relinquit. Si omnia, quæ temulentus iste in summum Pontificem, & contra illius dignitatem euomuit, congererem, nauseam lectoribus excitarem. Quedam itaque seligemus, ad quæ cetera referri poterint. [g] Negat itaque de necessitate salutis esse, credere *Romanam* ecclesiam summam inter alias. [h] Imo blasphemiam esse ait appellare quenquam caput ecclesiæ, præter Christum [i] Ecclesiam autem *Romanam* esse synagogam Satanæ, decretales [k] epistolas apocryphas, & fatuos qui in illis aliquod studium ponunt. [l] Electiones Papæ per Cardinales diaboli commentum. [m] Hæreticos esse, qui dicunt PETRVM excellentiorem habuisse potestatem ceteris apostolis. Imo [n] *Iacobum Hierosolymorum* Episcopum fuisse PETRO prælatum. Nec [o] *Romam* sedẽ dicendam in qua Christi vicarius resideat. [p] Nec papam si Christum & PETRVM vita atque moribus non exprimat, PETRI successorem dicendum. Imo [q] quicunque sinceritate vitæ perfectior, illum eo ipso esse vicarium Christi propinquiorem, Deus (inquit) talem mundo licet abscondito, præficit, qui sine superbia aut strepitu verborum, & maioritatis contentione plus prodest ecclesiæ. Sed audi iam alias ingentes immanis bestiæ blasphemias. [r] Credere, inquit, debet catholicus, quod Imperantor, nec vniuersalis ecclesia, nec Deus de potentia absoluta ordinare potest, quod eo, quo quis succedit post PETRVM, vocatus in facie ecclesiæ *Romanus* Episcopus, vel papa, eo ipso sit caput, vel pars ecclesiæ cui obediendum sit. [s] Regiam autem & imperatoriam potestatem summi Pontificis authoritati anteponit, omnemque istam pontificiam potestatem à Cæsare introductum somniat. Maxime [t] vero post VRBANVM *sextum* [u] neminem pro Papa in occidentis ecclesia agnosci voluit, decernitque more *Græcorum* sub proprijs legibus viuendum. Huic [x] autem occidentis ecclesiæ quasi obcæcatę & dementi exprobrat, quod ecclesiæ *Romanæ* præscriptis pareat, piosque in ea homines *Maniacos* propterea appellat.

NIHIL [y] autem magis insanum hominem angit & torquet, quam illud dogma, quo traditur *Romanam* ecclesiam decernentem de rebus, quæ ad fidem spectant, prolabi & errare non posse. Inter omnes, inquit, blasphemias, quæ vnquam de Antichristo surrepserant, hæc maior est. Antichristum autem summum pontificem intelligit, eóque illum sæpe nomine [z] dehonestat. Quin [a] & Christum, per abominationem desolationis stantem in loco sancto, de eodem sensisse ait. [b] De anathemate itaque quod à *Romano* Pontifice, siue quocunque alio prælato denunciatur, haud laborandum, quia sit censura Antichristi. [c] Nullam denique potestatem habere Papam, qua quenquam vel pecuniaria, vel carceris, aut alia mulctatione ad officium cogat. [d] Nec ad eum pertinere Episcoporum & Archiepiscoporum ordinationem.

Nec

Cœtera benedictionis & consecrationes rerum

a Vbo Wald. to. 3. cap. 167.

Contra cereum paschalem.

b Ibid. cap 166.

Contra ecclesiarum dedicationes.

c Ibid. cap 142.

Contra splendidas ecclesiarum ædificationes.

d Ibi. ca. 145 cum sequent

e Cap 145

Contra ritus missarum & orationes quæ super eum in eisdem.

f Tom. 3. c. 29.

1.

g Art 42 Confiantie damnat.

h Vbi Wal to. 4 lib 2 art. 3 ca 1. g. i Art 17. Confiant. damnat.

k Ibi art. 29. 5. l Ibid. art. 41. Vbo Wald. to 1. lib 2 ar. 3. ca 30

m Wald. to 2 li. 2 art 1 c 2. 7. n Wald to 1. li 2 art 1 cap 4. o Ide. to. 2. li 2 art. ca 41

p Ide. to. 1. li 2 art 3 ca 31

10 q Ibi c 29.

11. r Wal. ibi ca 30

12 s Ibi cap. 28

13. t Ibi ca 38. u Constant. concil art 9.

x Ibid ca. 44.

14 y Ibid. c. 48

15. z Ibid c 14. & 31 & ca 49

16. a Ibi d. ca 32

17. b Constant. concil ar. 3.

18. c Ibi ca 14

19. d Ibid c 38.

Nec idoneum eum esse in causa hæreseos cognitorem atque iudicē. Nec habere eum iustam definiendi, quid sit hæresis, authoritatem, Etsi autem neget *Romam* esse vicarij Christi, vt diximus, sedem; non reperio adhuc illum aut quemquā ex illius discipulis, ante hęc nostra tempora, in crassissimo illo errore, quo multi hodie laborant, versatum, quo contenditur, PETRVM nunquam fuisse *Romæ*. *Gulielmus Wicleffi* præceptor, eo errore implicitus est, quem tamen tam insulsum, vt puto, *Wicleffus* & eius assecłę existimarunt, vt summū de eo silentiū tenendum tibi statuerint. Sed nostrorum hodie Euangelicorum meretricia frons adeo impudens est, adeò os illi perfricuerunt, vt ad hanc quoque insaniam proruperint. [a] Eos tam vt fatuos irridet, qui in Papę indulgentijs, momentum aliquod inesse credunt. [b] Coronando, inquit, Cęlarem conferendo Episcopatus, & alias dignitates concedendo priuilegia, & alias indulgentias, quę nescit an consonant beneplacito Dei patris, videtur omniquaque ad gloriam mundanam, & lucrum proprium aspirare. Cumque ad ea fere tempora, quo *Wicleffus* nefarias has hæreses serere cœpit, *Romana*, vt commemorauimus, ecclesia per schisma diu lacerata esset atque diffecta per pseudo-pontificem, qui se contra VRBANVM ingessit; *Wicleffus* id auide arripiens [c] comminiscitur, hanc à Deo vltionem irrogatam, propter vsurpatam à *Romanis* Pontificibus iniustam in reliquam ecclesiam authoritatem, eamque seditionem à Deo immissam ob praua *Romanæ* ecclesiæ dogmata, quibus veritatem fidei obruebat, vtque nouum ipsius pseudo-euangelium, longè latéque per orbem diffunderetur.

AD alia tam sacra id genus oracula, quæ contra reliquam ecclesiam magnus noster *Apollo* fundit, abeamus. En tibi igitur sacrosanctum oraculum. [d] Papa inquit, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Archidiaconi, Officiales, Decani, Monachi, & Canonici, fratres in quatuor istis ordinibus, & quæstores sunt de capitulo Antichristi. Quæso vera sunt, quid restat, nisi vt totus Clerus nihil aliud sit, quàm hippocentaurus, aut id genus aliud monstrum? Omnem iste nobis *Iulianus* Clerum *Cæsareum* appellat, quasi nulla alia, quam *Cæsarea* à CONSTANTINO *magno* authoritate nitatur. Quem tam celebrem principem, quique primus ex omnibus *Augustis* & ipse sacris Christianis initiatus est, & Christianam fidem latissime per omnem orbem diffundi curauit, varijs contumelijs miserè vexat & lacerat. Sed ecclesia atque ecclesiastici viri, non ab ipso, sed à Christo suam authoritatem mutuantur; cum *Wicleffus* interim cum suo grege & egregio clero, nullam meliorē quàm *Iuliani Cæsaris* & Apostatę authoritatem, suis nouis istis oraculis, & insolenti isti suę functioni obtendere potuerint. Auertis autem auribus illas voces accipit & detestatur, quibus qui ex Clero sunt, vel per antonomasiam [e] Ecclesiastici, vel propter ordinationem patres appellantur. Nullum autem esse prælatum censendum, nullum Episcopum, qui sit in peccato mortali. Subditis dat potestatem iudicandi de vita & officio pastorali. Qui cum liberum solutum & amplum contra omnes catholicos pastores cuilibet, concedat iudicium, aduersus tamen suos discipulos non admittit nisi accuratam & exquisitam [f] cognitionē. Omnes autē possessiones non Monachis modò, sed vniuerso prorsus Clero eripit, nec solidum aliquem aut stabilem decimarum aliquem fructum ei relinquit. [g] Dotare (inquit) ecclesiam est contra sacræ scripturæ, & regulam Christi. [h] SILVESTER Papa, & CONSTANTINVS Imperator, erraruerunt ecclesiam dotando. [i] Papa & omnes Cardinales & Clerici, possessiones habentes sunt hæretici, & laici eis consentientes. [k] Imperator & seculares sunt seducti à diabolo, vt ecclesiam dotarent bonis. [l] Sacerdotes veteris testamenti viuebant (vt illius verbis vtar) expropriatarie. [m] Ecclesia non habuit dotem vel possessionē rerum immobilis ante CONSTANTINVM *magnum*. [n] Non esse sacrilegium auferre res ecclesiæ datas, & Deo consecratas. Imo [o] debere Principes, sub pœna damnationis, auferre bona temporalia à Clero habitualiter peccante. [p] Parochianos autem admonet & hortatur, ne presbyteris improbe viuentibus decimas soluant. [q] Dicit has meras elemosynas, & posse parochianos eas ad libitum auferre. Nec [r] licere pastoribus exigere eas per censuras ecclesię.

SED videamus speciatim dogmatum istius, contra singulos gradus & ordines noua portenta, & inusitatam petulantiam atque rabiem qua eos inuasit. [s] Ex verbo & opere & taciturnitate (inquit) prelatorum, supponendum videtur atque probabile, quòd sint diaboli incarnati; & subijcit, non communicandum cum eis in sacramentis, aut sacramentalibus. Nullus [t] prælatus debet excommunicare aliquem nisi prius, sciat excommunicatum è Deo. [v] Qui dimittunt prędicare, siue verbum Dei audire propter excommunicationem prælatorum, sunt excommunicati, & in die iudicij traditores Christi. [x] Licet alicui Diacono vel presbytero prædicare Verbum Dei, absque apostolicæ sedis, vel

a *Conſt. concil. art. 42.*
b *VVald. to. 1. li. 2. ar. 3. c. 42.*
c *Ibi. c. 45.*
d *VVald. ibi. ca. 54.*
e *Tom. 3. ca. 72.*
f *VVald. to. 1. li. 2. art. 1. ca. 66.*
g *Contra dotationem & dicimat Clerū*
h *Conſt. concil. art. 10. & 31.*
i *Ibi art. 25.*
k *Ibi art. 36.*
l *Ibid. ar. 39.*
m *Tho. VVald. tom. 1. li. 4. art. 3. cap. 33.*
n *Ibid. ca. 17.*
o *Ibi. ca. 6. & 42.*
p *Ibi. cap. 40.*
q *VVald. to. 1. li. 2. art. 1. ca. 65.*
r *Conſt. concil. art. 18.*
s *VVald. to. 1. li. 2. art. 1. c. 64. Contra Epiſcopos & Prælatos.*
t *Walt. to. 1. li. 2. art. 2. cap. 16.*
v *Conſt. concil. art. 31.*
x *Ibid. art. 19.*
y *Ibid. art. 14.*

vel Episcopi authoritate. Dat [a] (inquit) Deus simplicibus sacerdotibus, etiam supra Episcopos licentiam prædicandi, nec licet Deo aut homini impedire eos, vt curat sermo Christi liberius. Atque huc hæc omnis importuna libertas *vicleffi* spectat, ne qui ipsius scelerate disciplinæ adducti, atque consecrati erant, à concionando per Episcopos arcerentur; grauiterque angitur, Episcopos tam indulgentes erga fratres fuisse in concionandi licentia concedenda, & erga illos suos discipulos tam restrictos & teuetos. [b] Christus, inquit, non instituit Episcopos. [c] Sed sunt de capitulo Antichristi. [d] Prælatos præscitos Deus suspendit perpetuò, tam ab officio quam beneficio. [e] Episcopos non contendos propter institutionem & electionem, sed propter prædestinationem. [f] Episcoporum benedictiones irridet. Perperam [g] autem illos facere ait quod sibi confirmationes, & collationes ordinum, consecrationes ecclesiarum, calicum, & id genus alia reseruent, & hæc Episcopis ob solum lucrum reseruari. [h] Tempore Apostolorum duos tantum fuisse ordines, Sacerdotum videlicet & Diaconorum, & non differre Episcopum à Sacerdote. Ad [i] Regem autem potissimum pertinere, prouidere de pastoribus. [k] Licere autem in causis ecclesiasticis & fidei, post iudicium Episcoporum, ad laicum principem appellare; & [l] Clericos qui appellant à Rege aut concilio Regis, eo ipso esse traditores Regum.

4. a VVald to. 1 li. 2 ar. 3. ca. 71.
5. b Idem to. 1 li. 3 ar 3. ca. 46.
6. c Idem to. 1. li 2 ar 3. c 60.
7. d Ibi. ca. 61.
8. e Ibidem.
9. f Ibid. ca 50
10. g Ibid. c. 57 & Const. conc. art 28
11. h Ibi ca 60
12. i Ibi ca 67.
13. k ibi cap. 79
14. l Const. concil art 12.

Expectas iam forsan vt qui in reliquum omnem Clerum tam impotenter inuehitur, saltem monasticis viris parcat. Sed id sane frustra expectaris. Nam qui monachos, qui possessionibus abundant, totumque clerum ob eandem causam aspere inuasit, is nec fratrum inopiam atque mendicitatem ferre potest, nec mendicato eos viuere patitur, tam sibi bene constat. Imo omnem prorsus monasticam vitam præclarus iste apostolus è medio tollit, quam impurus scurra intolerandis conuitijs iactat. Si [m] aliquis, inquit, ingrediatur religionem priuatam quamcunque, tam possessionatorum, quam mendicantium, redditur ineptior & inhabilior ad obseruanda mandata Dei, nisi apostatauerit ab ijsdem. [n] Religiose viuentes in religione priuata, non sunt de religione Christiana. [o] Peccant fundantes claustra, & ingredientes sunt viri diabolici. [p] Sectæ religiosorum confundunt vnitatem ecclesiæ Christi. [q] Christus non instituit nisi vnam sectam, & vnum ordinem, & nihil voluit addi legi suæ, nihilque subtrahi. [r] *Augustinus*, *Benedictus*, *Bernardus*, damnati sunt, nisi pœnitentiam de hoc egerunt, quod habuerunt possessiones, & introierunt religionem. [s] Omnes religiones indifferenter introductæ sunt à diabolo; & alia quædam sunt id genus (inter quæ est & illud, quod vanissime garrit monasticam vitam, trecentos & amplius annos à Christo, initium suum habuisse; quę non est necesse exquisitiùs colligere.

Contra religiosos omnes.

15. m Const concil. art 21 & 31.
16. n Ibi art. 23
17. o Ibi art 31. & 22
18. p Tho VVald to. 2 li 2. art. 2. ca. 15
19. q Idem to. 1 li 3. art. 3 ca 30
20. r Const. conc ar. 44.
21. s Ibid art 43
22. Tho VVald to 3. cap. 84.

Sed vt aliorum copiis, vt dixi, ita *fratrum mendicantium* nuditati atque mendicitati inuidet, [t] quos omnes indiscriminatim ad manuum opera atque laborem, niti velint æterna salute excidere, reuocat. Quod vt speciosius confiecere videatur, multa splendida mendacia suo more accumulat, [u] Omnes, inquit, de ordine *mendicantium* sunt hæretici, & dantes eis eleemosynam sunt excommunicati. [x] Fingit, ad eorum inuidiam, vicinis tantum; & non ignotis dandam eleemosynam. Et quoniam Christi ipsius exemplo nimis premebatur, quem constat egenum fuisse & [y] mendicum; fingit [z] Christum non voce sed nutu mendicasse, atque eleemosynam elicuisse. Cumque & illa etiam Christi voce, *si vis perfectus esse, vade & vende &c.* valde vrgeretur, fingit [a] iuueni hoc à Christo dictam, quia ipse erat indispositus, vt appellat, & ad rem attentior, non quod simpliciter hoc sit perfectionis initium. [b] Fingit falsam & ineptam mendicitatis definitionem, & [c] Robertl *Grosshed, Lincolnensis* Episcopi sententiam miserè deprauat & mutilat. Omnes denique monasticæ cohortes, nihil aliud illi sunt quàm [d] castra *Cumutica*. Ex qua voce *Cum* nouus noster & tetrior *Cum*, quatuor mendicantium ordinibus, propter initiales literas, illis vt putat correspondentes, calumniam instruit. Sed recidit illa ipsa calumnia in ipsius nefarium caput, vt olim similis in *Porphyrij*, contra *Matthæum* euangelistam. *Cum* enim fuit frater. *Abel* non *Cum*. Et *Porphyrius*, propter imperitiam, *Ioachim* & *Ioakim* confudit; falsitatem *Matthæo* propter genealogiam inurere conatus.

23. t Const. concil. artic. 24.
24. u Ibid art. 44.
25. x Tho VVal to. 1 li. 4. ar 1. ca 11
26. y Ioannis 10
27. z Th. VVal. tom 1. li 4 art. 1 ca. 3.
28. a Ibid ca. 15
29. b Ibid. ca 2.
30. c Ibid ca 20.
31. d VVald to. 1 li. 2. art. 3 ca. 69.

Attamen forsan Academiæ, cum sint bonarum literarum honoratissima domicilia, intolerabilem istam hominis petulantiam & ferrei oris maledicentiam effugere. Ne hæ quidem; [e] Vniuersitates (inquit) studia, graduationes, collegia & magisteria in eisdem, sunt vana gentilitate introducta, & tantum prosunt ecclesiæ, quantum diabolus. [f] Et collegia cathedralium ecclesiarum atque academiarum sunt castra quoque *Cumutica*. Vides iam, optime lector, nullam esse ecclesiasticorum virorum partem, ad quam lacerandam, labefactandam,

32. e Ibid. art. 3 ca 67. Conclusio. artic. 29.
33. f Ibid ca. 69

&

& euertendam, impudentis huius hominis conuicia non peruaserint; qui ecclesiastici ordines etsi non possint ruere, vt non ciuilis quoque reip. ruinam eodem secum motu trahant (maximè si alia *Wicleffi* peruerta dogmata, quæ inox de alijs religionis nostræ rebus accumulabimus, recipiantur) habet tamen ille sua, etiam aduersus ciuilem magistratum nefanda dogmata, quæ si probentur, non potest resp. consistere. Etsi enim veterator, vt dogmata sua apud Principes & populum vendibiliora, atque plausibiliora faceret, quantum de Cleri commodis & dignitate detrahebat, tantum principibus & populo adiungere, & ciuilem magistratum omnibus, quibus potuit, ornamentis amplificare videretur; ea tamen vel sciens, vel imprudens interspersit, quæ rempublicam omnem prorsus eneruant, conuellunt atque euertunt. [a] Iuramenta, inquit, illicita sunt, quæ fiunt ad roborandos humanos contractus, & ciuilia commercia. Ad [b] verum sæculare dominium requiritur vera iustitia dominantis, sic, quòd nullus existens in peccato est dominus alicuius rei. Et rursus, Rex, Princeps & Dominus, tempore quo est in mortali peccato, non sortitur nomen sui officij, nisi nomine tenus & satis æquiuocè. Cum autem (vt ceteras peccatorum causas omittam) summo *Wicleffus* piaculo principes obstrictos asserat, non eos modo, qui Clerum possessionibus honestarunt, sed & eos, qui illas, vt diximus, non eripuerunt; neminem ille nobis, non dico in ANGLIA, sed nec in tota christiana republica his CIↃ. CCC. fere annis legitimum, & iustum principem reliquit. [c] Virtus, inquit, præcellens in Rege, præcipua causa est regnandi ciuiliter, ipsa enim per se sufficit ad regnandum Euangelicè, & sufficiens est cum approbatione populi ad regnandum ciuiliter. Vnde consequitur ex noui nostri Apostoli dictatis, si Rex vel peccato aliquo implicetur, cuilam omnes Principes ex præscriptis *Wicleffi* necessario obnoxios ostendimus; aut si alius quispiam illo se præstantiorem existimet, quod possit ex præclaris istis scitis, si secundum & sauentem habeat populum, se regno administrando optimo iure ingerere. Audiamus iam alia huius farinæ. [d] Eo ipso, inquit, quòd quis abutitur potestate sua, Deus spoliat eum omni iure suo. Videamus denique præclaram illam eorum, qua populi furorem ad Principes suos exturbandos acuit. [e] Populares, inquit, possunt ad arbitrium suum dominos delinquentes corrigere. [f] Ciuile, inquit, dominium includit necessario peccatum veniale. Deus non potest dare cuiquam, pro se & heredibus ciuile dominium in perpetuum. Omnia omnium scripta, quæ pertinent ad perpetuam hereditatem sunt impossibilia. Quicunque est in gratia iustificante, non solum ius habet ad rem, sed pro suo tempore ius vere habet, ad omnes res bonas, quę à Deo donantur. Homo non potest, nisi tanquam minister, concedere donationem aliquam rei temporalis in perpetuum, siue naturali suo filio, siue adoptiuo.

a *Conslant. Concil. art. 47.*
b *Vvald to. 1. li 1. art 1 cap 81 & Constant. art. 15.*
c *VVald to. 1. lib. 3. cap. 82.*
d *Idem ibid. art 3. cap. 83.*
e *Constant. concil art. 17.*
f *VVald. to. 1. lib. 3. art. 3. cap 82.*

De reliquis Wicleffi *erroribus atque hæresibus.*

CAPVT III.

XHAVRIAMVS & reliquam hanc sentinam. Tetra quædam audiuimus, sed non minus tetra, imo longè tetriora adhuc supersunt. Fodiamus, fodiamus, inquam, vt olim iussus erat *Ezechiel*, parietem, & præter ea, quæ recensuimus, reperiemus alia flagitiosa idola, quæ *Wicleffus* quasi in templo Dei coluit, nec minus tetra, quàm fuere illa, quæ in suo *Israelitæ* templo colebant. Cùm enim religionis se nomine venditet, & hæc sua idola, id est, hæreles, sacræ scripturæ authoritate commendet, quasi in templo Dei hæc sua idola colit. Teterrima igitur, vt dicere cœperam, adhuc illius dogmata quędam in medium sunt proferenda; quibus omnibus ecclesiæ sacramentis, quibus Diuis cum Christo regnantibus, quibus non *Iouis*, vt fabula refert de superbis illis gigantibus, sed Deo Opt. Max. contumelias, conuitia & pernicioſum bellum infert. Quibus & animabus quoque defunctorum, qui peccatorum expiatorias pœnas luunt (ne quid in cælo vel terra relictũ sit, quod petulantia & iniurijs suis non vexet) sua solatia detrahit. Quæ singula latius, & suo quodque loco atque ordine iam explicemus. Et vt ab eo, quod proxime recensuimus, primum incipiamus, etsi certo statuere non possim, an omnes omnino pro defunctis orationes reijciat, eos tamen, quę maxime illis commodare possunt, atque adeò commodant, id est, speciales improbe reijcere videtur, quasi in nullo magis fructuosas, quàm sint communes. Quanquam ratio, quam facit, videatur omnem prorsus orationem tollere; quæ in eo versatur, quòd vnusquisque

Ezechiel 8. vers. 7. & seqq.

Contra speciales orationes pro defunctis.

dialecticis & philosophicis versaretur, nec satis in illis studijs promouisset, in literaria & scholastica quadam velitatione, vi & pondere argumentorum, quæ à concertantibus contexta erant, oppressus; inconsultè eo se demisit vt fateretur, accidens esse substantiam, quantum ex non quantis conflari, quidlibet esse Deum, & alia quædam valde absurda. Huc semel temerè præcipitatus, ne æstimationem suam apud multitudinem minueret (cuius plausus immoderatè per omnem vitam captabat) néue errore & inscientia lapsus, sed constanter atque exploratò hæc asseruisse videretur; hisce erroribus tam firmè adhæsit, vt nunquam illos postea per totam vitam deponere, in animum potuerit inducere. Cumque ex doctrinæ nouitate non paucos reperiret, qui, vt fit, applauderent, vt ab illis erroribus non emersit, ita multos alios (quos postea perstringemus) contra sanctissimam & castissimam ecclesiæ religionem atque fidem (cum præsertim videret multos, qui laudibus conatus illius prosequerentur, & quasi ingenij, doctrinæ, & pietatis ipsius magnitudinem admirarentur) nefariè accumulauit. Sunt qui scribunt importunam ambitionem desiderati Episcopatus *Wigornienſis*, has scelerum quasi faces illi vehementius accendisse; eumque, cum prædæ expetitæ spe excidisset, priuatum dolorem ad contumeliam & vexationem ecclesiæ, vt olim ob similem Episcopatus repulsam, *Aerium*, vt *Tertullianum*, atque *Arium* & alios conuertisse.

Vide Tho. Wald. tom. 2. in epilogo.

Polid. li. 9 Th Wald. to. 2. li 2. c. 66

De Aerio Aug. li. de hæres.

Et ni fallor, primum illius in ecclesiam & *Romanum* Pontificem odij seminarium fuit, quòd eiusdem Pontificis decreto, à Præfectura collegij *Cantuarienſis Oxonij*, quod Simon Archiepiscopus *Cantuarienſis*, vt diximus, instituit, quam præterius & fas inuaserat, quippe quæ ex scitis & præscripto Simonis *Islepi*, monacho tantum debebatur, post longam causæ in Pontificio *Romæ* tribunali disceptationem, abdicatus fuisset. Neque enim propter praua dogmata, sed ob eam, quam dixi, causam, dignitate ea id temporis spoliatus fuit. Verisimile igitur est ob huiusmodi aliquam causam, odium illum suum in ecclesiam atque *Romanum* Pontificem, vlciscendi causa impotenter effudisse. Credibile est & illam præterea, quæ hæreses plerúmque excitat atque alit, causam, id est, vanæ gloriæ, & nominis celebritatis appetitionem, simul, vt fit, accessisse; vt qui principatum, quem expetebat, in catholica ecclesia obtinere non poterat, saltem in hæreticorum ecclesia obtineret. Vt illa autem longè latéque praua sua dogmata illis temporibus spargeret, multæ opportunitates illi accedebant, Edovardi primum Regis, non satis postremis temporibus seuera, constánsque reip. gerendæ ratio, vitáque eiusdem prouecta ætate dissolutior. Dogmatáque illa eo plausibiliora fuerunt, quòd ad *Romani* Pontificis (qui propter exactiones, quódque ad se sacerdotiorum in Anglia collationem traheret, Regi & populo inuisior factus est) principatum subuertendum, quódque ad Regis ciuiliúmque magistratuum authoritatem amplificandam, potissimum spectarent. Accedebat Ioannis *Lancastrij* Ducis, qui omnia sua authoritate paulo ante Regis obitum administrabat, magna aliquandiu in Wicleffvm propensio. Quam augebat nonnulla inter eundem Ducem, & inter Gvlielmvm *Courtenetum Londonienſem*, atque Gvlielmvm Wikamvm *Wintonienſem* Episcopum inimicitia, atque concertatio. Adiunge tyrocinium ætatis Regis Richardi, qui Edovardvm sequebatur; sed præ ceteris schisma illud, recens inter *Romanos* Pontifices grauissimè exortum. Quæ omnia *Wicleffus* auide arripuit, illisque impotenter, ad exulcerato & infesto suo animo satisfaciendum, hæreseíque disseminandas, populúmque à catholica fide, omnique pontificia atque sacerdotum solita obseruantia auertendum, turpiter abusus est. Cuius discessionis, quæ paulo post sequuta est, & aliorum grauissimorum malorum, quæ hinc pullulabant, triste omen & augurium censeri forsan potuerit templi *Weſtmonaſterienſis* indigna, eo ipso anno, quo Richardvs principatum iniit, profanatio, cæso *Roberto Hauleo* ad ipsum templi (qui illuc tanquam ad Asylum profugerat) altare, vnóque præterea ex ecclesiæ ministris, vique inde abducto contra veteres immunitates *Schakelio*. Cuiusmodi quiddam *Socrates* in *Græcorum* ecclesia similiter violata atque deformata, quo tempore *Nestorius* suas blasphemias euomebat, olim obseruauit.

Extat Pontificis decretum cum toto processu, quod ad manus meas peruenit.

Hæreticus est (ait Aug.) qui alicuius temporalis commodi & maxime gloriæ, principatusque sui causa, falsas ac nouas opiniones, vel gignit, vel sequitur. De vtilit. cred. ad Honoratum cap. 1.

Th. Wals. Add. ad Polich. & in ipsa maiore illius historia.

Lib hist. 7. ca. 13.

Errores

Errores atque hæreses Wicleffi *sigillatim enumerantur.*

CAPVT II.

IN immensum fere patent caluniniæ, contumeliæ, atque iniuriæ, quibus ecclesiam Christi,& remp. Christianam *wicleffus* vexat, lacerat, & conuellit. A quibus nec viui, nec mortui,nec Sancti in cælo, nec Deus ipse liber, & immunis est. Nihil enim est vsquam, quod illius insania non violet; viuos spoliat omnium fere sacramentorum fructu,magnaque sincera & solidæ Christianæ religionis doctrina, pro qua sua somnia nobis adoranda subijcit. Defunctos, qui adhuc expiatorijs illis pœnis purgantur, suis sollitis per viuos suffragijs; Diuos, qui iam cum Christo regnant, suo honore & cultu, quem illis pij Christiani deferre solent, priuat. Omnem in Episcopos, sacerdotesque solitam obedientiam, omnémque prorsus monasticam vitam euertit, nouòque illo suo de præscitis dogmate; quoque statuit omnem illi prorsus magistratum à Deo abrogari,qui grauiori & mortali peccato obnoxius est, paratam viam populo ad omnem seditionem, & Principis sui imperium excutiendum præstruit. Hæc & id genus alia (quæ & nostro hoc infelici sæculo renouata sunt,vt nostrorum hodie in ANGLIA præsertim hæreticorum sectarius quidam vervex videri possit)quo certiora lectori fiant,sigillatim singulos illius errores, ad suam quemque classem distributos subijciemus;non illos quidem omnes, quod idoneorum librorum ad hanc rem præsidio destituimur,sed eos,in quos incidere potuimus.

FVIT ex nostris *Ioannes Lucke* theologiæ *Oxonii* professor,qui CC.LXVI. ex illius voluminibus; fuere,qui supra trecentos id genus errores collegere. Sed penuria, vt dixi librorum, *Thomam* ego mihi *waldensem* tantummodo iam propono, qui octingentos in *wicleffi* libris errores repertos tradit. Is accuratissimè atque doctissimè nefaria illius dogmata impugnauit. In quibus recensendis, quæ leuiora sunt primum perstringemus, (si quid tamen leue dici posset in quacunque parte religionis conuellenda) quæ maioris sunt momenti deinde adijciemus. Id vero nolo mihi esse fraudi, si verba ipsius *wicleffi* non diserte, semper recitem: id vitandæ prolixitatis gratia facio,idque eo securius, quod lectorem ad authorem meum semper remittam, à quo ipsa *wicleffi* verba, ex ipsius libris nominatim citatis, desumpta peti poterint. Ingrediamur itaque iam vastum & immane hoc *wicleffianum* pelagus, in quo multi rectæ fidei miserabile naufragium & fecerunt,& hodie etiam faciunt. Ostendemus pio lectori,ne & ipse simili incautus strage implicetur, scopulos omni *Scylla* & *Charybdi* magis exitiales, quos, si suæ animæ salutem amet, sedulo vitare debeat. Antequam vero ab ecclesia in rebus theologiæ dissentire cœperat, nouos in grammatica atque philosophia, vt & antea diximus, errores aut renouauit, aut commentus est, ex quibus quasi præludijs, ad summa fidei mysteria contaminanda, magna audacia adque perfidia prorupit. Nouam itaque & grammaticis prius inauditam synecdoches definitionem commentus est.Nec philosophiam theologiæ,vt par erat,tanquam ancillulam & pedissequam addicit, sed ex philosophorum quorundam, idque, quod deterius est,erroneis placitis,fidei nostræ summam metitur atque constringit; *Democriti*, *Anaxagoræ*, *Photini*,& aliorum errores tanto postliminio restaurat,atque reducit,& acriter ad ecclesiæ dogmata infirmanda tuetur.

Ioan Leland de Bris scriptt. Io.Cochlæus in historia Hussit. de Pribram qui 305. errores collegit eosque in 19. classes distribuit. In prologo tom. primi.

Tho.Wald to.1. li. 1.c. 40

Tho Wald tom. 3. ti. 17. 76. & 79.

ET quia *Anaxagoras* contra communem, & probatiorem reliquorum sententiam, idem esse substantiam atque accidens statuit, nec essentia differre, in eundem se errorem, cum Philosophica adhuc studia iuuenis tractaret, ob eam, quam commemoraui causam, demisit; prouectioréque iam ætate eologiam publicè professus, eundem errorem tam crassum ad res sacras transtulit, acci sque affirmauit non inesse,sed esse ipsum subiectum:& ista,si dijs placet, *Lesbia* regula vsi ontendebat deinceps accidens non posse esse sine subiecto, atque ideo verum & genuinum Christi corpus, non posse in sacrosancta eucharistia subesse. Insultátque petulanter & proteruè *Romano* Pontifici, atque catholicæ ecclesiæ, quasi à *Porphyrio* atque *Aristotele* illud dogma de accidente sine subiecto sanxerit (quod tamen illi non docuerunt)& licet non desint alij magni nominis philosophi, qui id astruant, non tamen ecclesia ex eorum, sed spiritus sancti dictatis, patrumque authoritate credendum id sanciuit. Qua in re in duplex *wicleffus* mendacium incurrit, dum inconsiderate affirmat hoc dogma à philosophorum,& patrum omnium qui mille à Christo annis floruere,sententia penitus alienum. In

Tho Wald to 1. li 1.ar.3.c 48.

eo etiam contra omnes philosophos, & contra omnem rationem errore versatur, vt asserat, substantiam suscipere magis & minus. Somniat vnam essentiam corpoream in principio esse productam, ex indiuisibilibus compositam, occupare omnem locum possibilem. Quod videtur ex Democriti deliriis mutuatus.

Cetera benedictiones & consecrationes rerum.
a Tho. Wald. to. 1. lib. 166.
Contra errum positionem.
b Ibid. cap. 166. Contra ecclesiarum dedicationes.
c Ibid. cap. 142. Contra vanitatem ecclesiarum ædificationes.
d Loc. cit. cap. 143 cum sequent.
e Cap. 145. Contra multiplicationem & orationes quæ super eum in eis dicuntur.
f Tom. 3. c. 29.

SED iam damnatos illius in rebus sacris errores, vt fidem nostram liberemus, quanto possumus compendio enumeremus. Magna itaque proteruia & insolentia, ritus omnes, & venerandas ecclesiæ cæremonias conuellit, & prorsus reijcit, vt [a] inter alia benedictionem, siue consecrationem, panis, aquæ, salis, palmarum, primorum fructuum, ciborum, & aliarum rerum [b] Cerei itidem paschalis, luminum, candelabrie ecclesiarū dedicationes, & annuos atque statos earum festos dies. Et quia torquebat impium hominem, videre tam celebres catholicorum ad templa concursus, in quibus detestabilis ipsius doctrina, palam ex sacro suggestu, summo omnium concursantium consensu damnabatur; suos interim asseclas in siluis, cauernis, aliisque latebris profana sua sacra peragere, ipsam etiam templorum [d], splendidam præsertim, omnem exædificationem auersabatur, quam refert ad hypocrisim. Nec verebatur (os impurum) dicere, [e] principium diabolicum esse in splendidis templorum ædificijs. Quid [f] quod & ritus illos omnes sacros, qui conficiendis sacrosanctæ ecclesiæ mysterijs solenniter adhibentur, cū sanctis orationibus impudenter cupit aboleri. Sed minus id miri, cum & ipsam corporis Christi in Eucharistia præsentiam nefarie nobis, vt postea dicemus, eripiat.

VENIAMVS iam ad ea conuitia, quibus nouus iste *Goliath* toti Christi ecclesiæ insultat, adque tetras illas illius assertiones, quibus omnem potestatem, tam ecclesiasticam quam ciuilem prorsus labefactat, conuellit, atque euertit. Quas licet reformidet, & refugiat oratio nostra, vt nostro tamen promisso satisfaciamus, vtque insania nefarij hominis palam traducatur, in apertum proferre cogimur. Qui detestandis quibusdam calumnijs, vna quasi flagitiosa litura, omnes penitus Cleri ordines inducit & delet, non summum, imo nec quenquam Pontificem, non sacerdotem, & nec monasticum aliquem cuiuscunque generis, nobis illius dementia relinquit. Si omnia, quæ temulentus iste in summum Pontificem, & contra illius dignitatem euomuit, congererem, nauseam lectoribus excitarem. Quædam itaque seligemus, ad quæ cetera referri poterint. [g] Negat itaque de necessitate salutis esse, credere *Romanam* ecclesiam summam inter alias. [h] Imo blasphemiam esse ait appellare quenquam caput ecclesiæ, præter Christum [i] Ecclesiam autem *Romanam* esse synagogam Satanæ, decretales [k] epistolas apocryphas, & fatuos qui in illis aliquod studium ponunt. [l] Electiones Papæ per Cardinales diaboli commentum. [m] Hæreticos esse, qui dicunt PETRVM excellentiorem habuisse potestatem ceteris apostolis. Imo [n] *Iacobum Hierosolymorum* Episcopum fuisse PETRO præfatum. Nec [o] *Romam* sedē dicendam in qua Christi vicarius resideat. [p] Nec papam si Christum & PETRVM vita atque moribus non exprimat, PETRI successorem dicendum. Imo [q] quicunque sinceritate vitæ perfectior, illum eo ipso esse vicarium Christi propinquiorem, Deus (inquit) talem mundo licet abscondito, præficit, qui sine superbia aut strepitu verborum, & maioritatis contentione plus prodest ecclesiæ. Sed audi iam alias ingentes immanis bestiæ blasphemias. [r] Credere, inquit, debet catholicus, quod Imperator, nec vniuersalis ecclesia, nec Deus de potentia absoluta ordinare potest, quod eo, quo quis succedit post PETRVM, vocatus in facie ecclesiæ *Romanus* Episcopus, vel papa, eo ipso sit caput, vel pars ecclesiæ cui obediendum sit. [s] Regiam autem & imperatoriam potestatem summi Pontificis authoritati anteponit, omnemque istam pontificiam potestatem à Cæsare introductum somniat. Maxime [t] vero post VRBANVM, *eorum* [u] neminem pro Papa in occidentis ecclesia agnosci voluit, decernitque more *Græcorum* sub proprijs legibus viuendum. Huic [x] autem occidentis ecclesiæ quasi obcæcatę & dementi exprobrat, quod ecclesiæ *Romanæ* præscriptis pareat, piosque in ea homines *Maniacos* propterea appellat.

1.
g Art. 42. Constantiæ damnat.
h Wal. to. 1. lib. 3. art. 3. ca. 1.
i Art. 10. Constant. damnat.
k Ibi art. 19.
l Ibid. art. 41.
Tho. Wald. to. 1. lib. 3. art. 3. ca. 30.
m Wald. to. 1. lib. 3. art. 1. ca. 7.
n Wald. to. 1. lib. art. 1. cap. 4.
o Idem to. 1. lib. 2. art. ca. 41.
p Idem to. 1. lib. 2. art. 3. ca. 35.
q Ibi. c. 20.
r Wal. ibi ca. 30.
s Ibi cap. 32.
t Ibi ca. 38.
u Constant. concil. art. 9.
x Ibid. ca. 44.

NIHIL [y] autem magis insanum hominem angit & torquet, quam illud dogma, quo traditur, *Romanam* ecclesiam decernentem de rebus, quæ ad fidem spectant, prolabi & errare non posse. Inter omnes, inquit, blasphemias, quæ vnquam de Antichristo surrepserant, hæc maior est. Antichristum autem summum pontificem intelligit, cóque illum sæpe nomine [z] dehonestat. Quin [a] & Christum, per abominationem desolationis stantem in loco sancto, de eodem sensisse ait. [b] De anathemate itaque quod à *Romano* Pontifice, siue quocunque alio prælato denunciatur, haud laborandum, quia sit censura Antichristi. [c] Nullam denique potestatem habere Papam, qua quenquam vel pecuniaria, vel carceris, aut alia mulctatione ad officium cogat. [d] Nec ad eum pertinere Episcoporum & Archiepiscoporum ordinationem.

y Ibid. c. 48.
z Ibid. c. 14. & 31. & ca. 49.
a Ib. d. ca. 32.
b Constant. concil. ar. 3.
c Ibi ca. 14.
d Ibid. c. 38.

Nec

Nec idoneum eum esse in causa hæreseos cognitorem atque iudicē. Nec habere eum iustam definiendi, quid sit hęresis, authoritatem, Etsi autem neget *Romam* esse vicarij Christi, vt diximus, sedem; non reperio adhuc illum aut quemquā ex illius discipulis, ante hęc nostra tempora, in crassissimo illo errore, quo multi hodie laborant, versatum, quo contenditur, PETRVM nunquam fuisse *Romæ*. *Gulielmus wicleffi* præceptor, eo errore implicitus est, quem tamen tam intellexit, vt puto, *wicleffus* & eius assecłę existimarunt, vt summū de eo silentiū tenendum sibi statuerint. Sed nostrorum hodie Euangelicorum meretricia frons adeo impudens est, adeò os illi perfricuerunt, vt ad hanc quoque insaniam proruperint. [a] Eos iam vt fatuos irridet, qui in Papę indulgentijs, momentum aliquod inesse credunt. [b] Coronando, inquit, Cęlarem conferendo Episcopatus, & alias dignitates concedendo priuilegia, & alias indulgentias, quę nescit an consonant beneplacito Dei patris, videtur omniquaque ad gloriam mundanam, & lucrum proprium aspirare. Cumque ad ea fere tempora, quo *wicleffus* nefarias has hæreses serere cœpit, *Romana*, vt commemorauimus, ecclesia per schisma diu fuisset atque dissecta per pseudo-pontificem, qui se contra VRBANVM ingessit; *wicleffus* id auidè arripiens [c] comminiscitur, hanc à Deo vltionem irrogatam, propter vsurpatam à *Romanis* Pontificibus iniustam in reliquam ecclesiam authoritatem, eamque seditionem à Deo immissam ob praua *Romanæ* ecclesiæ dogmata, quibus veritatem fidei obruebat, vtque nouum ipsius pseudo-euangelium, longè latéque per orbem diffunderetur.

AD alia iam sacra id genus oracula, quæ contra reliquam ecclesiam magnus noster *Apollo* fundit, abeamus. Ecce tibi igitur sacrosanctum oraculum. [d] Papa inquit, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Archidiaconi, Officiales, Decani, Monachi, & Canonici, fratres in quatuor istis ordinibus, & quæstores sunt de capitulo Antichristi. Quæ si vera sunt, quid restat, nisi vt totus Clerus nihil aliud sit, quàm hippocentaurus, aut id genus aliud monstrum? Omnem iste nobis *Iulianus* Clerum *Cæsareum* appellat, quasi nulla alia, quam *Cæsarea* à CONSTANTINO *magno* authoritate nitatur. Quem tam celebrem principem, qui que primus ex omnibus *Augustis* & ipse sacris Christianis initiatus est, & Christianam fidem latissimè per omnem orbem diffundi curauit, varijs contumelijs misere vexat & lacerat. Sed ecclesia atque ecclesiastici viri, non ab ipso, sed à Christo suam authoritatem mutuantur; cum *wicleffus* interim cum suo grege & egregio clero, nullam meliorē quam *Iuliani Cæsaris* & Apostatę authoritatem, suis nouis istis oraculis, & insolenti isti suę functioni obtendere potuerint. Auertis autem auribus illas voces accipit & detestatur, quibus qui ex Clero sunt, vel per antonomasiam [e] Ecclesiastici, vel propter ordinationem patres appellantur. Nullum autem esse prælatum censendum, nullum Episcopum, qui sit in peccato mortali. Subditus dat potestatem iudicandi de vita & officio pastorali. Qui cum liberum solutum & amplum contra omnes catholicos pastores cuilibet, concedat iudicium, aduersus tamen suos discipulos non admittit nisi accuratam & exquisitam [f] cognitionē. Omnes autē possessiones non Monachis modò, sed vniuerso prorsus Clero eripit, nec solidum aliquem aut stabilem decimarum aliquem fructum ei relinquit. [g] Dotare (inquit) ecclesiam est contra sacræ scripturæ, & regulam Christi. [h] SILVESTER Papa, & CONSTANTINVS Imperator, erraruerunt ecclesiam dotando. [i] Papa & omnes Cardinales & Clerici, possessiones habentes sunt hæretici, & laici eis consentientes. [k] Imperator & sęculares sunt seducti à diabolo, vt ecclesiam dotarent bonis. [l] Sacerdotes veteris testamenti viuebant (vt illius verbis vtar) exproprietarie. [m] Ecclesia non habuit dotem vel possessionē rei immobilis ante CONSTANTINVM *magnum*. [n] Non esse sacrilegium auferre res ecclesiæ datas, & Deo consecratas. Imo [o] debere Principes, sub pœna damnationis, auferre bona temporalia à Clero habitualiter peccante. [p] Parochianos autem admonet & hortatur, ne presbyteris improbe viuentibus decimas soluant. [q] Dicit has meras elemosynas, & posse parochianos eas ad libitum auferre. Nec [r] licere pastoribus exigere eas per censuras ecclesię.

SED videamus speciatim dogmatum istius, contra singulos gradus & ordines noua portenta, & inusitatam petulantiam atque rabiem qua eos inuasit. [s] Ex verbo & opere & taciturnitate (inquit) prelatorum, supponendum videtur atque probabile, quòd sint diaboli incarnati; & subijcit, non communicandum cum eis in sacramentis, aut sacramentalibus. Nullus [t] prelatus debet excommunicare aliquem nisi prius, sciat excommunicatum è Deo. [v] Qui dimittunt predicare, siue verbum Dei audire propter excommunicationem prælatorum, sunt excommunicati, & in die iudicij traditores Christi. [x] Licet alicui Diacono vel presbytero prædicare Verbum Dei, absque apostolicæ sedis,

vel

10. *ibid cap. 46*
Ibidem cap. 47.

Tho VVald to. 1 li. 2. art. 1. ca. 7.

11 a *Const concil art. 42.*
11 b *VVald co. 1 li 2 ar 3. c 42.*

12. c *Ibi. c. 45.*

Contra omnem clerum
d *VVald. ibi. c. 54.*

e *Tom 3 ca. 73.*

f *VVald to. 1 li 1 art. 1 ca 66.*
Contra dotationem & decimas Cleri
1.

g *Const. concil art 10. & 11.*
2 h *Ibi art. 35.*
3. i *Ibi ar 36.*
4 k *Ibid ar 39*
5. l *Tho VVald tom 1 li. 4 art 3. cap. 23*
6. m *Ibid ca 37*
7. n *Ibid ca. 6. & 41*
8 o *Ibi cap 40.*
9. p *VVald to 1. li 2 art 1 ca 65 to. 9 Const. concil art 18.*
11. r *VVald to 1. li. 2 art. 1 c 64*
Contra Epis. por & Prelates.
12 s *Wal to 1 li. 2 art. 2. cap 16.*

t *Const concil. art 11*
13 u *Ibid art. 13*
14. x *Ibid. art. 14*

& euertendam, impudentis huius hominis conuicia non peruaserint; qui ecclesiastici ordines etsi non possint ruere, vt non ciuilis quoque reip. ruinam eodem secum motu trahant (maximè si alia *Wicleffi* peruerta dogmata, quæ mox de alijs religionis nostræ rebus accumulabimus, recipiantur) habet tamen ille sua, etiam aduersus ciuilem magistratum nefanda dogmata, quæ si probentur, non potest resp. consistere. Etsi enim veterator, vt dogmata sua apud Principes & populum vendibiliora, atque plausibiliora faceret, quantum de Cleri commodis & dignitate detrahebat, tantum principibus & populo adiungere, & ciuilem magistratum omnibus, quibus potuit, ornamentis amplificare videretur; ea tamen vel serens, vel imprudens interspersit, quæ rempublicam omnem prorsus eneruant, conuellunt atque euertunt. [a] Iuramenta, inquit, illicita sunt, quæ fiunt ad roborandos humanos contractus, & ciuilia commercia. Ad [b] verum sæculare dominium requiritur vera iustitia dominantis, sic, quòd nullus existens in peccato est dominus alicuius rei. Et rursus, Rex, Princeps & Dominus, tempore quo est in mortali peccato, non sortitur nomen sui officij, nisi nomine tenus & satis æquiuocè. Cum autem (vt ceteras peccatorum causas omittam) summo *Wicleffius* piaculo principes obstrictos asserat, non eos modo, qui Clerum possessionibus honestarunt, sed & eos, qui illas, vt diximus, non eripuerunt; neminem ille nobis, non dico in ANGLIA, sed nec in tota christiana republica his CIↃ. CCC. fere annis legitimum, & iustum principem reliquit. [c] Virtus, inquit, præcellens in Rege, præcipua causa est regnandi ciuiliter, ipsa enim per se sufficit ad regnandum Euangelicè, & sufficiens est cum approbatione populi ad regnandum ciuiliter. Vnde consequitur ex noui nostri Apostoli dictatis, si Rex vel peccato aliquo implicetur, cuiuam omnes Principes ex præscriptis *Wicleffi* necessariò obnoxios ostendimus; aut si alius quispiam illo se præstantiorem existimet, quod possit ex præclaris istis scitis, si secundum & sauentem habeat populum, se regno administrando optimo iure ingerere. Audiamus iam alia huius farinæ. [d] Eo ipso, inquit, quòd quis abutitur potestate sua, Deus spoliat eum omni iure suo. Videamus denique præclaram illam cotem, qua populi furorem ad Principes suos exturbandos acuit. [e] Populares, inquit, possunt ad arbitrium suum dominos delinquentes corrigere. [f] Ciuile, inquit, dominium includit necessario peccatum veniale. Deus non potest dare cuiquam, pro se & heredibus ciuile dominium in perpetuum. Omnia omnium scripta, quæ pertinent ad perpetuam hereditatem sunt impossibilia. Quicunque est in gratia iustificante, non solum ius habet ad rem, sed pro suo tempore ius vere habet, ad omnes res bonas, quę à Deo donantur. Homo non potest, nisi tanquam minister, concedere donationem aliquam rei temporalis in perpetuum, siue naturali suo filio, siue adoptiuo.

a Constant. Concil art. 43.
b Wald to 1. li 3. art 1 cap 82 & Constant. art. 15.
c VVald to 1. lib. 3. cap. 82.
d Idem ibid. art 3. cap. 83.
e Constant. concil art. 17.
f VVald. to. 1. lib. 3. art. 1. cap 82.

De reliquis Wicleffi *erroribus atque hæresibus.*

CAPVT III.

EXHAVRIAMVS & reliquam hanc sentinam. Tetra quædam audiuimus, sed non minus tetra, imo longè tetriora adhuc supersunt. Fodiamus, fodiamus, inquam, vt olim iussus erat *Ezechiel*, parietem, & præter ea, quæ recensuimus, reperiemus alia flagitiosa idola, quæ *Wicleffus* quasi in templo Dei coluit, nec minus tetra, quàm fuere illa, quæ in suo *Israelitæ* templo colebant. Cùm enim religionis se nomine venditet, & hæc sua idola, id est, hæreses, sacræ scripturæ authoritate commendet, quasi in templo Dei hæc sua idola colit. Teterrima igitur, vt dicere cœperam, adhuc illius dogmata quędam in medium sunt proferenda; quibus omnibus ecclesiæ sacramentis, quibus Diuis cum Christo regnantibus, quibus non *Ioui*, vt fabula refert de superbis illis gigantibus, sed Deo Opt. Max. contumelias, conuitia & pernicioſum bellum infert. Quibus & animabus quoque defunctorum, qui peccatorum expiatorias pœnas luunt (ne quid in cælo vel terra relictũ sit, quod petulantia & iniurijs suis non vexet) sua solatia detrahit. Quæ singula latius, & suo quodque loco atque ordine iam explicemus. Et vt ab eo, quod proxime recensuimus, primum incipiamus, etsi certo statuere non possim, an omnes omnino pro defunctis orationes reijciat, eos tamen, quę maxime illis commodare possunt, atque adeò commodant, id est, speciales improbe reijcere videtur, quasi in nullo magis fructuosas, quàm sint communes. Quanquam ratio, quam facit, videatur omnem prorsus orationem tollere; quæ in eo versatur, quòd vnusquisque

Exechiel 8. vers. 7. & segq.

Contra speciales orationes pro defunctis.

recipiet secundùm merita propria. Quæ tam communium quàm specialium omnium orationum, quas pro defunctis fundimus, & eleemosynarum, quas pro ijs irrogamus, fructum omnem tollit.

[2] DISCIPVLI certè *Wicleffi* in eo prorsus errore hærent, vt verisimile sit, eos illum à præceptore suo hausisse. Communis itaque tam defunctorum quàm viuorum hostis, & illos viuorum, & hos Sanctorum cœlestium præsidio omni spoliare conatur. Sanctorum igitur, qui cælo ascripti sunt, pro nobis [b] intercessiones non satis illi arridents. [c] Dies Sanctis dicatos atque consecratos abolet. [d] Sanctorum canonizationem, vt appellamus, qua in album cœlestium referuntur, improbat. [e] Sanctorum reliquias, nullo loco habet, & [f] miracula quæ à beatis apud ipsorum sepulchra vel alibi patrantur, dæmonum præstigijs ascribit. [g] Hypocrisim appellat. Diuorum sepulchra ornare, & homines deterret, ne [h] peregrè ad ea inuisenda proficiscantur. Diuorum [i] historias tanquam apocryphas reijcit. [k] Idolatriæ denique christianos affines facit, quasi iniustum Sanctis tribuendo honorem, nouos Deos colant. [l] Affirmat non valere Sancti alicuius (in hac vel cælesti vita positi) orationem, nisi is pro quo orat, sit iustus per obseruantiam mandatorum, & tunc valebit, inquit, ipso sancto nolente.

MVLTIPLICES etiam alias de oratione errores habet, quorum hic iam aliquot subijciemus. [m] Speciales, inquit, orationes appropriatæ vni personæ non plus prosunt eidem, quàm generales ceteris paribus. [n] Omnes sunt symoniaci qui se obligant orare pro alijs eis in temporalibus subuenientibus. [o] Oratio præsciti nihil valet, [p] Deus non requiret cogitationem, vel vocem, sed vitam iustitiæ suæ complacentem. [q] Deus non vult nos esse in oratione vocali nimis prolixos, sed omnino quòd iustitiæ vitæ vel operis intendamus. [r] Reijcit, cantus in precibus ecclesiasticis, nec vult [s] clerum ad certas orationum formulas, nec ad nocturnas [t] vigilias, nec ad [u] certum & fixum aliquod orandi tempus astringi. Non [x] patitur, vt laicus cum presbytero, aut alio pacisceatur pro orationibus. [y] Reprehendit literas fratrum, quibus orationum suarum, suffragiorum & aliorum piorum operum communicationem alijs tribuunt. [z] Astringere homines ad certas & præscriptas precandi formas, dicit nihil aliud esse quàm libertati, quam à Deo habemus, derogare.

AGGREGEMVS tam alios quosdam illius fœdos errores. E quibus vnus inter alios huiusmodi est. [a] Nos non debemus præstare vel donare aliquid peccatori, dum cognoscimus ipsum esse talem, quia sic foueremus proditorem Domini nostri. Patrum authoritatem nullo loco habet. [b] *Ambrosium* Doctorem apochryphum, & omnes qui scripserunt post millesimum à Christo nato annum hæreticos dyscolos appellat. Apud sapientes (inquit) relinquendum tanquam impertinens, quicquid sacra scriptura non ponit expressè. Quin nec [c] generalia concilia maius apud eum pondus habent, quæ magno supercilio contemnit. Vt autem orationis alienæ beneficium deprimat, iubet nos [d] sperare atque confidere in propria iustitia nostra.

FOEDISSIMA autem sunt, quæ de absoluta rerum necessitate, de præscitis atque prædestinatis horribiliter effundit. [e] Omnia (inquit) de necessitate absolutè eueniunt. Quod illi dogma quasi *Pandoræ* pyxis est, & reliquarum fere hæresion eius seminarium. Vt fidem (inquit) assero, quòd omnia quæ euenient, de necessitate euenient, & sic [f] PAVLVS præscitus non potest verè pœnitere, hoc est, contritione peccatum finalis impœnitentiæ delere. Deus [g] necessitat (inquit) creaturas singulas actiuas ad suum actum. [h] Ex quo *Iudas* fuit, inquit, prædordinatus ad pœnam, nunquam fuit cum Christo, vt membrum eius. [i] Omnis qui damnabitur, est diabolus sicut *Iudas* erat. Et rursus, [k] *Iudas* non diuinitus, sed humanitus solum à domino electus est. Ex quo detestando dogmate, diabolos eos facit, qui nihil vnquam boni aut mali patrarunt, vnde magis execrandus est, quam [l] *Origenes*, qui homines præscitos diabolos futuros in altero sæculo fingit: Iste verò, ex æterna Dei prædestinatione, etiam antequam sint in rerum natura. Detestabilior etiam *Manichæo*, qui originem necessitatis peccandi in ipso homine malo, non vt iste, in Deo constituebat. Quæ flagitiosa doctrina, Deum ipso diabolo deteriorem ostendit, neque enim quisquam omnia sua peccata diabolo ascribit; quæ ex egregijs istis *Wicleffi* dogmatibus Deo ascribere cogimur. Hæc autem dogmata omnem prorsus liberi arbitrij potestatem nobis eripiunt. Hinc prodit horrenda illa illius vox. [m] Infans præscitus & baptisatus necessario viuit diutius, & peccabit in spiritum sanctum, ratione cuius merebitur, vt perpetuo condemnetur, & ita nullus ignis potest eum comburere pro hoc tempore vel instanti. [n] Sicut prædestinatus (inquit) non potest à charitate & gratia tali excidere, sic præscitus non potuit in illa charitate vel gratia perpetuo perdurare. Hinc ille error de eccle-

a Vt refert Wald. ibid. Contra voluntarias confessiones, festos dies, & reliquias sanctorum
b VVald. to. 3. c. 108. & 111. & 114.
c Ibid. c. 138.
d Ibid. c. 122.
e Ibi. ca. 164
f Idem. c. 124 & 125.
g Ibid. c. 131.
h Ibid. c. 113.
i Ibid. c. 130.
k Ibidem.
l VVald. to. 3 cap. 125
Errores Wicleffi in materia orationis.
m In Conf. con. cil. artic. 19.
n Ibi. art. 15.
o Ibi. ar. 26.
p VVald. to. 3 cap. 2.
q Ibi. c. 8 & 14
r Ibi. ca. 16.
s Ibid. ca. 21. & 24.
t Ibid. ca. 15.
u Ibi. ca. 22.
x Ibid. ca. 11.
y Ibid. ca. 23. cum seq.
z, z Ib VVald to. 3. cap. 21.
Error de eleemosyna.
a VVald to. 1 li. 2. ar. 3 c. 72.
Alius quosdam eius errores contra eleemosynas precedentes aperte reconfutamus.
Contra authoritatem patrum.
b VVald to. 2. cap. 81.
c Ibid. ar. 2 c. 23.
Contra concilia generalia.
d Ibid. c. 26
De fiducia conuersum operantis.
e Th VVald to. 3 c. 8 cum seq. De ait, quod rerum necessitas, de præscitis & prædestinatis.
f Conf. contil. artic. 27
g VVald to. 2 cap. 161.
h Ibidem to. 3. li. 2 ar. c. 11 & 23
i Ibi. cap. 21
k Ibidem.
l Ibi. li. 2 art. 3 cap. 46
m Ibi. ar. ad Anglos
n VVald to. 2. cap. 107.
o Ibid. c. 160.
Errores ecclesiæ

de ecclesia,[a] quòd sit prædestinatorum solum vniuersitas. Ex quo peruerso dogmate, seditionis populo classicum canit, ne ecclesiasticis suis magistratibus pareant, vtque mandata, edicta, & censuras illiorum flocci faciant, [a] donec doceant, quod sint membra ecclesiæ & prædestinati.

[b] INSCITE præterea atque imperitè *Wicleffus* ecclesiam distribuit, in clericos, milites, & operantes; cùm sint ex ecclesia, quos nulla huius diuisionis pars comprehendit, cuiusmodi sunt, debiles, claudi, sacræ virgines & alij. Ex illo etiam impuro prædestinationis fonte, dimanant & alij *Wicleffi* errores. Inter quos est, quod peccati mortalis & venialis discrimen, metiatur, non vt scripturæ demonstrant, ex voluntatis iudicio, sed præscientiæ atque prædestinationis illius [c] abysso. [d] Solum autem finalis impœnitentiæ, simpliciter & proprie peccatum constituit. [e] Negat horum peccatorum discrimen peractus extrinsecos colligi. [f] Negat mortale peccatum dignum perenni supplicio, quamuis is qui peccat, fructuosè pœniteat, & fingit huiusmodi peccatum dignum sola temporaria pœna, contra manifestas Dei scripturas. [g] Deus tantum dilexit PETRVM & *Dauid*, & ceteros quando grauiter peccauerunt, sicut quando modo in patria sunt beati. Eo etiam errore inuoluitur, vt asserat, [h] quicquid ab eo agitur, qui mortale peccato implicitus est, esse peccatum mortale. Imò prædestinatum nunquam peccare mortaliter, præscitum vero mortaliter continuè peccare. His & alijs fœdis erroribus hisce de rebus cum affluat, insultat tamen petulanter catholicis, quasi neteriant distinguere inter peccatum mortale & veniale.

FODIANVS adhuc hunc parietem, & videamus quæ idola in omnia Dei sacramenta, quasi in templum Dei inuexerit. & quàm tenuiter atque exiliter Dei potentiam ad calculos reuocet; imo, quo modo Deum ipsum, in idolũ flagitiosè conuertat. Nullum est itaque ex septem Sacramentis, quod ille nobis integrum atque illibatũ relinquit. Et primo quidem loco videbimus quàm absurdè de sacramentis in genere sentiat, ad singula deinde speciatim descendemus. [h] Dubitare, inquit, habent fideles, vtrum moderni hæretici (intelligit per eos bonus iste vir, & minimè inuidens, omnes catholicos sacerdotes) conficiunt, vel rite ordinant, vel ministrant aliqua sacramenta, quia non est euidentia quòd Christus assistit tali Pontifici, propter hoc quòd tam malè super illam hostiã mentitur, & in sua conuersatione dicit contrariũ vitæ Christi. Si [i] Deus, ait, non cooperetur deuoto laico ad conficiendũ sacramentũ, nec sacerdoti malo. [k] Valde, inquit, iustus, propter indignitatem personæ pro qua oratur, communiter non auditur; quę ergo euidentia necessitandi Deum ad audiendum sacerdotem reprobum, mediante oratione blasphema taliter deprecantis? [l] Prælatos præscitos Deus suspendit perpetuò, tam ab officio quàm beneficio, quod occupant in ecclesia militante. [m] Præscitus nihil efficit, quia est suspensus perpetuò. Ideo sicut nullus necessitatur credere eum prædestinatum, sic nullus, imo, nec ipse conficiens, credere tenetur se conficere sacramentum.

SIGILLATIM iam, fœda atque horribilia, quæ ferreum hoc os contra veneranda Christi sacramenta, conuitia effudit, attingamus. Abrogat itaque pro suo nouo Apostolatu, antiquissimas cæremonias, & sacros ritus, quæ ab Apostolorum temporibus baptismo accessere, [n] Chrisma videlicet, fontis consecrationem, & alios ritus. At non hic stetit, sed execranda impudentia ad omnia Christi & ecclesiæ de baptismo placita atque decreta conuellenda irrumpit. [o] Negat characterem aliquem per eum imprimi animæ. [p] Inficiatur omnia peccata in baptismo aboleri. Cum [q] infans citra baptismi gratiam obit, iusto Dei iudicio id, ob aliquam parentum culpam euenire existimat. [r] Baptismum non dare & conferre, sed significare tantum gratiam datam. [s] Baptismi necessitatem in paruulis aufert. Quem execrabilem errorem etsi [t] *Augustinus* multis locis apertissimè, nullaque verborum aut circuitione, aut ambiguitate vsus, cum alijs Patribus euertat; bellus iste interpres, Quicquid, inquit, *Augustinus* de necessitate Baptismi scripsit, [u] reputatiuè & conditionaliter loquitur, non definitiuè. Sed parum istud est præ eo, quòd rabies istius in sacras scripturas tentauit. Quas, vt ad suum peruersum dogma inflecteret, nefariè commaculauit. Cum enim illud Christi, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, insanum hominis caput valdè torqueret; fundit inauditum hactenus ecclesiæ oraculum, vt id non de materiali aqua accipi debeat, sed vt quis baptismate aquæ effluxæ de latere Christi, & baptismate [x] flaminis baptizetur. Illos [y] autem qui infantes sine baptismo obeuntes excidere æterna salute asserunt, vt præsumptuosos & stolidos appellat. Fatetur tamen quandam baptismi [z] necessitatem, sed quæ ab alio & vetusto illo illius errore pendeat, & quam metitur, non ex fide & verbis Christi; *Nisi quis renatus fuerit &c.* sed ex ea necessi-

a. a VVald. to. 1. li. 2. c. 8.
10. a ibi. art 6. cap. 17
11. b VVald to 1 li 2. ar. 1 ca. 12. Errores de peccato mortali & veniali.
1. c VVald. to. 2. ca 155.
d ibid. ca 158.
2. e ibid ca 156.
3. f ibid. ca. 159.
4. g ibid ca. 160
5. h Tho. Wal to 2. cap 3. & to. 2. cap. 60.

Contra Sacramenta in genere.
1. h VVald. to. 2. cap. 1.
2. i ibid. ca 7.
3. k ibid ca. 9.
4. l ibid. ca. 14. & 124.
5. m ibid. a. 126

Contra Sacramentũ baptismi.
n VVald to 3. c. 45. & 46.
1. o VVald to. 2. cap. 109
2. p ibid ca. 108
3. q ibi. ca. 100.
4. r ibid ca. 98.
5. s ibid. ca 96.
t De fide ad Petrum cap 60. De baptismo parvulorum ca 30. & alibi passim.
6. u VVald. ibi. cap. 96.

Ioan. 3. vers 5.
7. x ibi c. 101.
8. y ibid. ca. 99.
z ibid ca. 107.

Contra, contra. bile Sacramentũ Eucharistiæ, 1.

a Confiant. concil. art. 1.
b ibid. art. 2.
c ibid art. 3
d VVal. to. 2. cap. 26.
e VVald. ibi. lap 25.
f ibid. cap. 63.
g ibid. ca. 55.
h Confiant. concil art 5.
i ibid. ca 62.
k ibi ca. 28.
l ibi. ca. 31.
m ibi ca 17. Contra Sacramentum confirmationis.
n VVald, to. 2. ca. 109.
o ibid. ca. 111. Contra Sacramentum ordinis & cœlibatum.
p Dict ca. 109.
q idem c. 116.
r ibi. ca. 117.
s ibi ca. 122. & 123
† Hanc autem hæresim licet cuicumque laico publico, sacras scripturas explicandi, concionandique munere fungi, discipuli etiam Wicleffi, & inter alios Ioan. Purueius pertinaciter tuebantur. Vide Tho. to 1. li. 2. art. 3 c. 73.
t idem. to. 3 c. 39.
u idem to. 1 li. 2. art 1 cap 12. & art 3 ca 71.
* Henr Knighto mus Leicestrie sis in chronico suo quod ipse ipsis temporibus scripsit tradit historiam de puella quadam Londinis missam celebrante Cui ob illum nefarium actum, Episcopus, re ad ipsum postea delata penitentiam indixit
x VVald. to 2 ca. 127.
y idem, to 3. cap 60.
z ibi to. 2. cap. 128.
a Th. VVald to. 3. ca 92.
b Aug lib 30. contra Faustum.

tate, qua omnia quæ eueniunt, necessariò & absolutè eueniunt. Et huc referri potest, quòd paulo antè recensuimus, de infante præscito & baptizato.

Sed in nulla ille re magis, Antichristi præcursorem atque emissarium se ostendit, quàm in detestandis contra venerandam Eucharistiam blasphemijs, cui impugnandæ atque lacerandæ, cum præceptore suo *Berengario* olim damnato, totus insudat. Hinc illa dogmatum execrandorum portenta. [a] Substantiam panis, similiter & substantiam vini manere in Sacramento altaris. [b] Accidentia panis non manere siue subiecto. [c] Christum non esse in eodem Sacramento identicè. [d] Negat sacram hostiam adorandam, & Christianos omnes, qui eam adorant, inter idololatras refert. Et sectatores illius, pulchram aliquam iuuenculam potius adorandam, vtpote quæ imaginem Trinitatis luculentiùs referat, asseruêre. Quibus illorum verbis, & facta *Gulielmi Iacobi* præsertim respondebant, qui dum in solenni missa sacra hostia de more attolleretur, auerso ab altari corpore, sublatis in altum manibus, obtutum in fœmina quadam forma excellentiori figebat. In qua dicebat se Deum clarius & expressiùs intueri, quàm in sacra altaris hostia. *Wicleffus* autem suo discipulo fœdior, non minus malum fore [e] dicebat, quòd homo illud, quod primo videt in die, per totum residuum diei honoret vt Deum, quàm sacram hostiam altaris. Et inter ceteras oris impuri blasphemias, Fideles, [f] inquit, coguntur concedere, quòd quælibet talis hostia, quam nos credimus esse panem & corpus Christi sit peius simpliciter, quàm panis equinus, vel corpus aliquod quantumlibet venenosum. Illam verò blasphemiam illius vocem, quis Christianus non horreret, qua [g] diuinam potentiam tam exiliter & tenuiter, támque impiè ad calculos reuocat, vt planè affirmet, non posse [g] Deum, si maximè velit, corpus suum varijs simul locis sistere. Horribilia autem effundit conuitia, quasi, si ecclesiæ de præsentia Christi in Eucharistia vera & solida esset sententia (vt certissime est) sacerdos in hostia comminuenda, caput, collum, & crura Christi confringeret. Cùm non ignoraret veterator, doctrinam ecclesiæ esse, corpus Christi non confringi, secundum propriam formam, sed in specie Sacramenti. Non esse [h] fundatum ait in Euangelio, quod Christus missam vnquam ordinarit. [i] Calumniatur catholicos, quasi propter dogma transubstantiationis, materia panis in nihil redigeretur; cum recte sciat eos sentire, non illam quidem prorsus in nihilum euanescere, sed in longè præstantiorem, nempe, ipsum Christi corpus conuerti. Cúmque dignitatem huius Sacramenti ita deprimat, vt nihilo sit veteri *Iudæorum* hostia augustius; [k] garrit tamen, vt in reliquis, nullum sacerdotem hoc Sacramentum conficere posse, nisi sanctæ & vitæ inculpatæ. [l] Fingit aliud esse Sacramentum, aliud sacrificium altaris. [m] Impudenter affirmat Papam, & omnes Episcopos cum Theologis Anglie, nescire quid sit hostia consecrata, quos & hæreticos appellat.

Proferamvs iam in medium alia *wicleffi* idola, quibus reliquorum etiam Sacramentorum maiestatem fœdè contaminat. [n] Confirmationis itaque characterem negat. [o] Reijcit hoc Sacramentum tanquam ad salutem parum necessarium. Nec eos ait confirmare pueros, qui se confirmare prætendunt. Nec esse Episcopis hanc confirmandi potestatem reseruatam; imò, nec Spiritum sanctum in eo dari, aut dationem confirmari. Multis etiam erroribus atque hæresibus de ijs rebus, quæ ad sacros ordines pertinent, implicatur. Sacris itaque huiusmodi [p] initiationibus characterem detrahit. Vnum [q] (inquit) audacter assero, quòd tempore *Pauli* in primitiua ecclesia, suffecerunt duo ordines Clericorum, Diaconus scilicet atque Sacerdos: Addit & hoc, non fuisse discrimen inter [r] Episcopum & simplicem Sacerdotem. [s] Sensibilem vocationem & manus impositionem reijcit, & inter alia, Deficientibus, inquit, vt citrus prælatis Antichristi, Christus ordinat, quemcúmque, quomodocúmque & quandocúmque voluerit. Sequatur igitur in moribus, & securè potest de ipso confidere, quòd deficiente prælato Cæsareo, sit à Christo legitimè ordinatus. † Imò & [t] fœminæ sacerdotium concionandique potestatem tribuit, nec posse probari dicit ex iure canonico, vel ciuili, quin femina possit esse Papa. * Et [u] constat, in celeberrima totius Anglie ciuitate *Londini*, iuuenculas missas postea *wicleffico* more celebrasse, & in virorum cœtu conciones habuisse. [x] Sacerdoti autem cuilibet sine Episcopi licentia, vbilibet concionandi, & cuilibet [y] sacerdoti alium sacerdotem ordinandi, vxorésque ducendi potestatem pro sua [z] liberalitate prolixè indulget, sacrásque virgines, quæ pudicitiam suam Deo consecrant, damnat, doctrinámque hanc dæmoniorum appellat, [a] *Fausto, Manichæo*, in hoc longe deterior, qui huiusmodi virgines mirificè suspiciebat. Iam & initiato sacris, illud [b] munus abijciendi, adque vitam profanam & laicam redeundi facultatem tribuit.

Invadit

INVADIT etiam & prorsus euertit pœnitentiæ Sacramentum. Ægrè fert, quòd [a] sacerdos aliam pro criminibus pœnitentiam iniungat, quàm Christus, qui hoc solùm adulterę dixit, *Vade iam & noli amplius peccare*. Licere existimat [b] laico non minus quàm sacerdoti absoluere. Confessionem [c] expiatricem, qua animæ sordes eluuntur, à diabolo inductam ait. Nec vllum [d] habere in sacra scriptura fundamentum. Per confessionem, [e] inquit, Antichristus dat medium ad omnia arcana noscenda, & possessiones sæcularium exquirendas. Luciferinam appellat [f] præsumptionem, quod per manuum impositionem capiti, sacerdotes absoluunt a peccato simpliciter. Nec claues [g] ecclesiæ ait esse scientiam cum potestate peccati dimittendi. Si [h] homo debitè contritus fuerit, omnem confessionem esse superfluam & inutlem. Nec [i] potuisse ecclesiam instituere, vt semel in anno confessione se quis expiare debeat. His accedat insignis illius insciticia atque crassus error, qui primum confessionis expiatricis institutum, ad INNOCENTII *tertij* tempora refert. [k] Reseruationes quas appellant casuum omninò improbat. [l] Supremam quoque vnctionem, e numero sacramentorum eximit. [m] Et mentionem olei ab Apostolo aspersam somniat, non propter Sacramentum: sed quia accommodum sit ad salutem corporis, & regio *Iudææ* illo affluaret. Sed vt sui sit similis, non prorsus negat esse Sacramentum, sed [n] concedit posse fieri Sacramentum propter pias presbyteri pro infirmo orationes: Ita, vt in baptismo & alibi, sacramenti huius magnitudinem & dignitatem, non ex Christi instituto, sed sacerdotis merito ponderat & metitur.

Contra Sacramentum pœnitentiæ.
1.
a idem to. 3. c. 69
b idem ca. 68.
c ibid. ca 70.
d idem to. 2. cap. 135.
e idem c. 147
f idem c 145
g idem c 145
h Constant. concil. art. 7.
i VVald to 2. cap. 148.
k Th. VVal. to 3 cap. 71.
l idem to. 2. ca. 149.

Contra Sacramentum extremæ Vnctionis.
1.
l VVald. to. 8: cap. 169.
2. m ibidem.
3. n ibidem.

SVPEREST iam ex omnibus Sacramentis matrimonium; quod & ipsum harpyia ista varijs erroribus, fœdis suis vnguibus contaminat. [o] Asserit inter alia, non esse verè matrimonium, quod absque spe prolis contrahitur. Quòd si recipimus, inter beatam MARIAM matrem Christi, & *Ioseph* nunquam constitit matrimonium. [p] Veritas quidem mihi videtur (inquit) quod assistente consensu coniugum, & domino approbante, subducto quocunque signo sensibili, foret satis ad contrahendum coniugium. Quæ assertio cum summa falsitate, & pari etiam stultitia coniungitur. Si remoueas quodcúnque externum signum, qua ratione de mutuo consensu constabit? Qua ratione intelligent homines matrimonium initum? Sequuntur & alia his erroribus contentanea. [q] Iudices (inquit) qui ex nudis verbis iudicant pro matrimonio, iudicant contra legem Dei. [r] Hæc verba: Accipiam te in vxorem, magis ad matrimonium contrahendum accommoda, contra omnem rationem, & perpetuum totius ecclesiæ vsum existimat; quàm ista, Accipio te in vxorem. Si quis contrahat cum vna per hæc verba de futuro: Accipiam te in vxorem, non debent frustrari verba prima propter verba secunda de præsenti. Et vt se in omnibus momum ineptum ridiculè ostendat, improbat solennem ritum, quo ad ostium ecclesiæ matrimonium, dictante sacerdote, coniuges ineunt, eaque verba nugatoria & falsa appellat. Quid? quòd multas [s] diuortij causas, quas sacra scriptura agnoscit, petulanter reijciat.

Contra Sacramentum matrimonij.
1.
o ibid cap. 130
2. p ibid. ca. 132
3. q ibidem.
4. r ibidem.
5. Tho. VValdenses in responso ad art. VVicleff.
Idem ca. 132.
6. s ibi. ca 134.

QVI tam proterúe atque contumeliosè in omnes ecclesiæ ordines, tam sacros quàm profanos, omniaque ecclesiæ sacramenta inuectus est, nec ab ipso quidem Deo Optimo Maximo lacessendo, contumelijsque impotenter appetendo abstinet. Cuius rei & iam priùs tetrum documentum dedit, in execrabili illa, vt diximus, assertione, de absoluta rerum omnium necessitate. Ceterum nos iam alia, quæ dignitatem, maiestatem, potentiamque Dei insigniter imminuunt, adijcienus. Audi igitur horribilem illam bestiæ vocem: [t] Deus, inquit, obedire debet diabolo; & illam alteram [u] Quælibet creatura est Deus. Ex quo errore incurrit & in illum alterum, Quodlibet semper est. Sed cum intelligeret multos ad illa execranda verba, Quodlibet est Deus, inhorruisse: præclaro nimirum acumine detestandam illam sententiam mollire conatus est, vt scriberet, † non rustico quidem, aut passim dicendum, quod equus esset illius Deus, sed in scholis tantummodo. Arripit & illam hæresim, qua statuit Deum * nihil posse facere nisi quod facit. Vnde conficitur, Deum efficere non potuisse, vt pulex qui hodie interijt, heri interiret. [x] Affirmat Deum non posse mundum in maiorem prouehere, nec eundem imminuere, nec animas, nisi ad certum & fixum numerum creare. Nec [y] posse Deum efficere, vt aliquid recidat, & intereat in nihilum. Cúmque sacra scriptura tradat, & ecclesia credat, Deum omnia ex eo, quod omninò nihil erat creasse; iste [z] contendit creationem rerum fuisse ab esse ideali, vel à nihilo in effectu, quia potentia Dei se non extendit ad nihil, nec creando, nec annihilando, sed à nihilo in effectu, quod tamen est aliquid in intellectu, & ideo non merè nihil. [a] Asserit Deum nullum bonum dare inimicis suis. De Christo varias [b] errores spargit, quem dicit esse trium naturarum, quamlibet si-

Errores & blasphemiæ contra Deum & eius potentiam.
1.
t Confut. con. cil. art 6.
2. u VVald. to. 1. li 1. ca. 1 art. 1.
3. † Th. VVal. to 1. li 1 ar. 1. ca. 6. & ca. 4.
4. * idem ibid. ca. 10.
5. x ibid ca 13.
6. y ibid. ca. 17.
7. z ibid. ca. 10.

Errores de Christo.
8. a VVald tom. lib. 2 art. 3. c. 82.
9. b ibid. li 1. ca. 42. & sæpè primi.

gillatim, & eas omnes coniunctim. Cùm ex dogmatis sacræ scripturæ & fide ecclesiæ, Christus sit Deitas, anima, & caro coniunctim, & nulla harum naturarum plenus Christus (vt
10. a ibid. c. 43. *Wicleffus* asserit) diuisim. [a] Affirmat contra Patrum sententiam Christum fuisse hominem,
11. b ibid. ca. 44. eo triduo quo mortuus fuerat. Quod propriè non est verum, vt fingit *Wicleffus*, sed figura
12. c idem to. 2. cap. 115. quadam dicendi. [b] Affirmat humanitatem Christi separatam, latria adorandam. [c] Affirmat
13. d To. 1. li. 3. artic. 3. ca. 44. Deum non esse proniorem ad præmiandum, quàm ad puniendum iniquos. Affirmat [d] Christum esse humanitatem ab eo assumptam. Quæ verba, vt docte ostendit *Thomas Waldensis*, magnam *Arrianismo* fenestram aperiunt. Alia etiam id genus, de Deo, deque Christo, quæ sacris scripturis, Patrumque placitis aduersantur, temerè atque impiè profudit.

De erroribus & hæresibus quibusdam discipulorum Wicleffi, *qui, vt magistri hæresibus quasdam nouas accumularunt, ita ex his aliquot fuêre, quas* Wicleffus *ipse impugnabat. Qui interim multa dogmata, quæ ille pertinaciter tuebatur, & ipsi impugnabant.*

CAPVT IIII.

WIcleffvs cùm multa volumina pestiferis dogmatibus repleta, tam Latinè quàm Anglice conscripsisset, factum est, vt hæreses illius longè latéque non solùm per Angliam, sed & alias exteras regiones, *Bohemiam* præsertim, diffunderentur. Ceterum, non stetere in præceptoris sui placitis discipuli, sed partim ab illis recessére, partim alia noua dogmata commenti sunt, in quibus se sanè supra magistrum nobilitarunt. Vtque ille se ab ecclesia catholica miserè diuulsit, ita nec discipuli illius, in omni ipsius doctrina tuenda, constantes fuêre, noua & ipsi errorum portenta peperêre: quæ nos iam paucis perstringemus, ea præsertim, quæ in Anglia nostra nata sunt. *Wicleffus* itaque, ritus & cæremonias ecclesiæ, cœpit, vt diximus, abrogare: Sed discipuli illius longiùs
1. ea in re sunt progressi. [d] Abolent itaque omnes salis, & aquæ, & alios sacros exorcismos, ma-
d Pr aid. to. 3. cap 108. gistro etiam aliquò vsque repugnante. [e] Abolent & coronam, quam in vertice capitis ge-
2. e ibid ca 64 runt sacerdotes. *Gulielmus* [f] *Alius Wicleffi* discipulus, publicè in concionibus asseruit, licere
3. f ibid. ca 140. quocunque die, cuicunque Diuo, imo vel Christo dicato, vt Dominicis & alijs, manuum
4. g Textus de eadem re. fol. 513. opera exercere. *Gulielmus* [g] *Wimerby* affirmauit, neminem debere propter æs alienum claudi in carcere. Dicebat sacerdotem non ingredi domum alicuius mariti, nisi vt vxorem eius
5. corrumpat. Et sacerdotem qui annuam pensionem accipit, anathemati obnoxium. *Walterus*
6. h Textus ibid. fol 502. autem [h] *Brutus*, quòd omnes Apostoli, omnes Doctores ecclesiæ errauerint. Et vanam esse
7. i Ex registro Tho. Arund. fabulam, quod à Patribus ecclesiæ traditur de Antichristo, tribus annis cum dimidiato
8. grassaturo. Non licere omnino bellum gerere. Non esse integrum & fas magistratui quen-
9. quam occidere. *Ioannes Edwardes Lincolniensis* diœcesis presbyter, negauit vllum honorem
10. aut reuerentiam Prælatis ecclesiæ exhiberi debere. [k] *Gulielmus Taylor* affirmauit, cum, qui
11. k Ex registro Chicheley. aliquam scripturam collo appensam gestat, honorem Deo debitum tollere, & eundem ad
12. diabolum transferre. Et Patres in *Constantiensi* synodo quædam damnasse, quæ rectè cum le-
13. ge Dei, & fide catholica congruerent. Non posse sacerdotem ciuiliter dominari, imo nec
14. laicos principes ex voluntate diuini beneplaciti (vt verbis eius vtar) sed tantum ex permis-
15. sione Dei ciuiliter dominari. [l] *Robertus Hooke* Rector parochialis ecclesiæ de *Brailroke Lin-*
16. l ibidem. *colniensis* diœcesis, astringi dicebat laicos Proceres ex lege diuina, vt omnia in communi pos-
17. m ibidem. sideant. *Thomas* autem [m] *Bagley* sacerdos, fidem potius adhibendam *Ioanni Wicleffo*, quàm di-
18. n Tho. wal. to. 3. cap. 108. uo *Hieronymo, Augustino, Ambrosio, aut Gregorio.* [n] *Guilelmus* vero *Sartor*, de quo & prius me-
19. minimus, pertinaciter & præfractè inter alia asserebat, quod omnis petitio, quæ est peti-
20. tio alicuius boni supernaturalis, vel gratuiti, soli Deo sit dirigenda; Deinde, quod oratio so-
21. li Deo dirigenda sit: Tertio, quod orare aliquam creaturam est committere idololatriam. Quarto, quod fideles nunquam dirigerent orationes suas ad Deum sub ratione humanitatis,
22. o Æn. Silu. in hist. Bohemia. sed solùm sub ratione deitatis, vt anteà attigimus.

Qvi [o] quod tam viri quàm fœminæ, ex præclara ista *Wicleffi* schola, nudi prorsus in publicum

bricum prodiere, & ita omnibus ad morem *Adami* & *Euæ* incedendum contenderent. Cuiusmodi & nostra ætas vidit in *Hollandia*. Asserebant præterea quidam ex *Wicleffi* discipulis, nulla alia oratione, quam dominica vtendum. Quod vero ad sacras Christi & Diuorum imagines spectat, nusquam reperio quòd eas *Wicleffus* expresse reijciat, aut earum adoratione interdicat. Ad quas forte tolerandas propensior est, quòd inseruire videantur commento suo, quo sacramentum eucharistiæ nihil aliud facit, quàm rei absentis (quod fit in imaginibus) signum & repræsentationem: Ideo, inquit, adoramus imagines nuda vt signa, Deum autem debemus, quantum sufficimus adorare. Concedit & postea imagines & Sacramenta cum prudentia adoranda. Ille ergo (inquiens) qui scit suspendere considerationem signi sensibilis, & appendere communem intentionem in creatione imaginis, modo quo Clericus suspendit scripturas, concipiendo sententiam; ille, inquam, adoraret latria Deum in illo signo. Immoderatos tamen sumptus, quos in fabricandis imaginibus, & earum ornatu amplificando erogari ait, alicubi reprehendit. Sed in hac re quòd expresè, atque omni contentione in imagines inuectus non sit, quasi liquescentem, & nimia animi mollitia languentem, discipuli illius magna eum voce reprehendunt. Neque vlla est nostræ religionis pars, in quam illi aut frequentius, aut contentiosius, aut contumeliosius inuehuntur. Qui planè Idololatriæ crimen christianis omnibus dictant, qui Diuorum aut Christi sacras imagines venerantur, quasi veneratio ista præcepto illi, *Non facies tibi sculptile*, prorsus repugnet. Seruitium, inquiunt, de cruce, factum bis quolibet anno in ecclesia, est plenũ idololatria. Ex illa verò peruersa *wicleffi*, de qua meminimus assertione, qua affirmabat neminem astringi, vt fidem adhibeat cuicunque dogmati, de quo diserte in sacris scripturis non esset cautum, in multas se suosque discipulos ille nefarias hæreses præcipitauit. Inter quas & illa fuit beatam MARIAM Christi matrem, integram atque illibatam perpetuo virginem non mansisse. Quod scelleratum dogma, quædam ex illius discipulis palam *Londini* asseruit & docuit. *Wicleffus* etsi non improbaret infantum baptismum, illo tamen errore, vt diximus, implicabatur (qui & passim hodie apud Euangelicos grassatur) vt non probaret ecclesiæ sententiam, quę statuit infantes, qui sacro baptismo non abluuntur, æterna salute excidere. At discipuli illius inutiliter atque superfluè illos baptizari, regnante HENRICO *quinto*, planè affirmabant. Recenseamus iam alia illustrium (si diis placet) istorum discipulorum dogmata. Quæ non necesse habebimus ab aliorum scriptis, sed à nostri luctuosi temporis memoria potissimum repetere. Quorum nefaria dicta & facta, partim aures nostras circumsonare adhuc, partim in oculis nostris, quasi re recenti & calenti, hærere videntur. Intimis certe, nec sine grandi dolore multorum hodie sensibus hærent. Inter alios verò, qui propter peruersa hæc dogmata nostris temporibus pœnas igne luerunt, fuit *Coubrigius* quidam. Is autem in celeberrima *Oxoniensi* Academia, trigenta sex iam annis lapsis, cum ego paulo ante ad eam academiam studiorum gratia venissem, exustus est.

Th. Wald to 3. ca. 13.

In tractatu magno de Eucharistia cap. 9.

Wald. to 3. cap. 150.

Idem ca. 158.

Anno 1401. vide Th. Wald. to 1 li. 2. art. 2. cap. 23.

Wald to. 3. art. 5. cap. 53.

EXPLICAVIMVS iam antea hoc *Wicleffum* impudenti errore implicitũ, vt omnes laicos, imò & feminas sacerdotio ornaret, omnibusque etiam non initiatis concionandi facultatem largiretur. In *Lincolniensi* certe apud nos nuper diœcesi, non ita procul ab ipso *Lincolniæ* oppido, ministri cuiusdam vxor, absente marito, publice in templo apud parochianos contestata est, se esse à marito, non modò vt pecunias, quæ marito ab illis debebantur, acciperet; sed vt omnia illa ecclesiastica munia, quæ maritus præstare solebat, ipsa iam vicaria pro eo opera eis præstaret, suffectam. Hanc autem discipuli *Wicleffi* hæresim non modò magna contentione, non modò verbis, sed rebus ipsis atque factis foouerunt; impudenter se, cùm essent non tantum ab omni sacerdotio, sed & omni doctrina, atque honestioris vitæ cultu alieni, pro sacerdotibus venditantes; corúmque omnia munia, vt hæreses suas expeditiùs promouerent, sacrilegè obeuntes. De quibus passim in Archiepiscoporum & Episcoporum archiuis apparet, & inter alios de *Ioanne Webbo* qui fustiarium ideò meruit. Ex hoc genere fuit *Coubrigius* commemoratus, qui execrandis atque inauditis aliis hæresibus contaminatus fuit. Quas nos, verbis è nostrate in latinam linguam traductis, iam in medium proferemus. Ego (inquit) publicè asserui, sacerdotes reos esse læsæ maiestatis diuinę, quod hostias in tres particulas distribuant, & non integram more nostro recipiant. Neminem debere ieiunijs se macerare, aut corpus castigare. Nolle me confessionem apud sacerdotem edere, nisi meo me arbitrio absoluat, & mihi præieribat, vt dicam, *Deus propitius esto mihi peccatori*, &, *Benedicat me Deus pater*. Neque Apostolos, neque Euangelistas, neque quatuor ecclesiæ Doctores adhuc patefeisse, qua ratione peccatores salui fiant. Confessionem

De quo in regist. Cicestrens.

26. fessionem meam hoc septennio mihi fuisse inutilem. Asserui neque vitam pie actam, neque
27. ieiunia posse prodesse ad hominis salutem. Asserui Christum non esse mundi redemptorem,
28. sed futurum mundi deceptorem. Arbitratus sum hanc vocem, *Christus* esse fœdum nomen,
29. illudque vbicunque in libris meis occurrebat, plerumque dispunxi. Christi nomen in IESVM commutaui, & vbi habetur in symbolo Apostolico, in IESVM *Christum*, ego canebam in
30. IESVM IESVM. Hoc idem egi in precibus in paschate. Asserui & scripsi vniuersos, qui
31. in nomine Christi crediderunt, in inferno damnatos. Aperte negaui me vnquam nomen
32. Christi confessurum. Hęc prętera Christi verba; *Accipite & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, ad hunc modum interpretatus sum: Hoc est corpus meum, in quo populus circumuenietur & decipietur.

Exhistoricoquodam manuscripto, quod quidam Fabiano tribuunt.

FVIT verò discipula quædam *Wicleffi* quæ ignes, propter contumaciam in illius disciplina fouenda, subijt, Rege HENRICO *septimo* imperante. Illa autem contraria quadam, nescio qua, superstitione commota, nulla admonitione aut persuasione adduci potuit, vt quo tempore pœnas ignis luebat, IESVM nominaret. Sed *Conbrigio* non multum in causa illa Eucharistica, cedet *Antonius Personus* sacerdos. Qui verba Christi, quæ ille in cœna illa suprema protulit de corpore & sanguine suo, nihil ad corpus & sanguinem spectare asserebat, sed solum ad sacras scripturas, quas à Christo accipere, & populo distribuere iubentur sacerdotes. Ob quem & ceteros id genus errores, supremas pœnas igne *Vincestre* dependit. Docent prætera (quod à præceptore non sunt mutuati) vtramque Sacramenti
33. speciem laicis necessario vendicandam. Vt itaque in re Eucharistica, ita, & in Baptismi Sa-
34. cramento discipuli *wicleffi* primas sibi præripuere. Qui adeò non necessarium infantum
Walde. to. 3. ca. baptismum existimabant, vt potius inutilem asseruerint. Satis eos puros & purgatos esse,
35. quòd à christianis parentibus nascuntur. Quidam autem ex nostratibus, qui adhuc superest, *Wintoniæ* palam ante paucos annos concionatus est, nihil interesse aqua, baptismo initiandum, an iure quo salitæ bouis carnes excoctæ sunt, perfundas. Multi vero ex nostratibus
36. non simplicem, sed rosaceam aquam ad hoc mysterium perficiendum adhibent, Ritusque omnes, ab Apostolorum temporibus, in ecclesia in baptismo vsurpati, & nostrorum passim scriptis, & in ipsa actione vbique reijciuntur; ita telam, quam præceptor *Wicleffus* exorsus est, præclare pertexunt. Cuius hodie in ANGLIA & alibi discipuli, quasi fundamento
37. quodam noui sui Euangelij, hoc iam dogmate nituntur, Fidem solam esse, quæ remotis bonis operibus, apud Deum iustificet. Quòd tamen dogma, præceptori ipsorum ignotum erat.
38. Iam quid illa nostratium dogmata recenseam, quę & scriptis consignarunt, Non fas esse mulieri potestate ciuili, atque imperio potiri. Incidi aliquando in quendam, tanta superbia & fastu subnixum, & tam arroganter se atque impudenter venditantem, vt constanter affir-
39. maret, Se futurum in cælo, æquali cum Apostolis PETRO atque PAVLO glória. Qui tamen multis, & maximis alijs hæresibus laborabat, propter quas & incendio ablumptus est. Sed hæc, inter alias hæreses, qua omnium sanctorum parem gloriam statuunt, multorum apud
40. nos hodie pectora occupat. Fuere qui negarent vllos esse dæmones, & omne quod de illis traditur, inane tantummodò esse terriculamentum. Sunt qui impudenter affirmarunt se nunquam peccasse. Ipse mulierem audiui grandem natu, quæ id de se asseueret. Tandem, cum vehementius vrgeretur, non omninò negant se peccasse, sed tamen pertinaciter asserebat; postquam nouo huic Euangelio nomen dederat, peccatum aliquod aduersus Deum non admisisse. Ex qua secta ingens est hodie apud nos multitudo. Qui communi apud nos hodie nomine *Puritani*, quod se puros atque impollutos præ alijs, non modo catholicis, sed etiam Euangelicis venditent, appellantur; vt qui ex hac secta fuerit, *Pharisæum* illud vsur-
Isaiæ 65. pare videatur, *Recede à me, noli tangere quoniam mundus sum*. Nec se modo præ alijs omnibus propter vitæ munditiem atque innocentiam, sed & propter sinceram atque prorsus incontaminatam Euangelij doctrinam, insolenter efferunt. Ritus & cæremonias, precesque communes in templo, quas reliqui Euangelici approbant, & ex legum publicarum præscripto sequuntur, & sacramentorum administrandorum formam adeo aucupantur, vt Papam & Antichristum in illis locum habere, atque dominari contendant; neque in animum inducere possunt, vt ad commune cum alijs templum accedant, sed seorsim cum magna multitudine coeunt, & propria atque peculiaria precandi præscripta sequuntur.

41. CANTICVM, quod dicitur, MARIAE, *Zachariæ*, & *Elizabethæ*, multáque alia in ecclesijs canenda, aut recitanda negant: quippe quæ commemoratorum, & aliorum tantummodo, & non nostras personas respiciunt, atque ideo alienora esse, quam quæ a nobis inep-

te vsur-

tè vsurpentur. Archiepiscoporum, Episcoporum, Suffraganeorum, Decanorum, Doctorum & Academiarum, Archidiaconorum, Cancellariorum, & id genus alia ecclesiasticarum functionum nomina prorsus abolenda docent. Possessiones omnes Clero eripiunt. Sed ista ab *Wicleffi* schola ad ipsos deriuata videntur. Archiepiscopos, Episcopos, & reliquos ex suo Euangelico Clero probrosis appellationibus dehonestant, quos superbam & impiam generationem, tyrannicos dominos, nefarios, crudeles, papistarum imitatores, superbos, inimicos, & id genus alijs nominibus appellant, Negant ecclesiæ *Anglicanæ* ministros iustè atque legitimè, ad functionem admoneri. Eucharistiam genuflectentibus ministrari non patiuntur. Nolunt vnum aliquem ex Clero, maiorem quocunque alio authoritatem obtinere, & negotia ecclesiæ per vnum aliquem, sed per seniores, alioſque ascitos & consociatos administrari. Scriptis libris, preloque excusis causam isti suam egerunt, iudicij sententiæque suæ rationem reddiderunt, solicitequeapud summa regni comitia egere, vt de ipsorum postulatis diligenter cognosceretur. Ingens est hodie apud nos, ex hac *Puritanorum* secta, eorum numerus, qui cum antiquioribus *Wicleffi* discipulis, & hæc dogmata communia habent, vt negent, Baptismo infantes Christianorum perfundendos, Iuiurandum aliqua ex causa coram magistratu præstandum; imò Christianum posse aliquem magistratum gerere, aut vllum inter Christianos habere gladij vsum, Hæreticos carceribus aut morte mulctandos, aut Licere Christiano Principi bellum gerere, aut Cuiquam christiano litem aliquam in iudicio contra Christianum intendere, vel Quicquam proprium possidere. Librum autem illum *Puritanorum*, quo causam suam apud Parliamentum audiri, & discuti postulabant, Euangelicus quidam frater confutare aggressus est. Sed mirum est, in quas angustias redigatur, aut quàm ægrè, aut nulla potius ratione à *Puritanorum* argumentis expedire se potuerit. Etsi enim illorum doctrina & assertionibus nihil sit vanius, impurius & tetrius; cum tamen nullis alijs fere fundamentis, & rationibus nitantur, quàm quibus reliqui prius Euangelici, catholicæ ecclesiæ dogmata labefactare, atque pessundare conati sunt: vix, aut nunquam potius fieri potest, vt honestè se aliquando in hac causa expediat, aut aliquid maioris momenti adferat, quo *Puritanis* meritò os obstruat. Contra quos, Catholicorum potissimum armis & rationibus munitus, certare, velit nolit, cogitur. Sed hæc exquisitius discutere, non est huius iam loci.

In lib. quem in scribunt admonitionem ad Parliamentum.

Ioan. VVigife. imp. Lond.

HOMINES sane sunt, qui huic se sectæ deuouere, ferocis, atrocis, atque sanguinarij spiritus, & inter alia exitialia dogmata, Licere arbitrantur, cuiuis priuato, religionis aut reipublicæ hostem è medio tollere. Quod alij *Wicleffi* discipuli, ne magistratui quidem integrum relinquunt. Religionis autem atque reipublicæ hostes, non ex rei veritate, & legum placitis, sed ex peruersa depraua ti animi sui inductione metiuntur. Inter quos omnes illos referunt, qui ipsorum furiosæ sectæ aduersantur, Cuius rei recens, idemque nimis tristè, atque luctuosum documentum habemus. Quidam enim ex hac disciplina, qui se ciuilioris vitæ, domesticarumque legum studiosum præ se ferebat, cui nomen *Petrus Birchetus*, nobiliorem quendam virum, *Londini* obequitantem, repentè inuasit multisque & grauibus vulneribus cecidit. Errore autem deceptus, eum pro domino *Hattono* regij satellitij præfecto (quem suæ sectæ parum fauere existimabat) impetierat. Adeò autem nihil illum tam nefariæ aggressionis pœnituit, vt palam coram magistratibus affirmaret, se nihil tentasse, quod re integra, & data occasione, rursus non tentaret. Licere enim cuicunque omni ratione, huiusmodi religionis atque reipublicæ aduersarios extinguere, atque obruere. Qui tandem ad Episcopi tribunal productus, cum videret se alioqui, nisi recineret, sententia hæreseos ab Episcopo dictata, summum supplicium aditurum; sententiam suam verbis quidem reuocare vtius est, sed quam id ex animo non cogitarit, miserabilis rei exitus luculenter demonstrauit. Cùm enim in turri *Londinensi* clauderetur, vnum ex famulis arcis præfecti repentè obtruncauit. Valde deinde se venditauit, quasi præclarum quiddam designasset, & hostem regni atque fidei *Hattonum* sustulisset. Dicebat enim, & seriò affirmauit se *Hattonum* occidisse, & ob id se esse valde elato animo. Quod siue simulatorie, siue quòd vere ita existimaret, ita dixerit, res est magna commiseratione digna, & quæ ostendat, quantæ sint veteratoris dæmonis fraudes & fallaciæ, & quàm omnes ab hac secta abhorrere debeant.

Ioan. Stous in chron an 1573. 11. Octob.

42.

ENVMEREMVS iam alia praua dogmata, in quibus nostri hodie in ANGLIA *Wicleffistæ*, palmam præceptori suo eripiunt. E quibus sunt illa, Nulla esse bonorum operum merita, Legi neminem satisfacere posse, præceptáque Dei impossibilia, Protrudendos ex ecclesia qui non communicant. Preces in ecclesia, quæ latine peraguntur, barbaras esse, 43. 44. 45. 46

47. & PAVLI scriptis repugnare. Integrum esse laicis, toto clero aduersante, veterem & catho-
48. licam religionem antiquare. Non posse vna in ecclesia & templo, plures vno die missas fieri.
49. 50. Vnitatem haud esse ecclesiæ veræ notam. Scita ecclesiæ de ieiunijs indicendis, dæmoniuna
51. 52. doctrinam esse. Nihil esse in ecclesia legendum nisi sacras scripturas. Non licere presbytero,
53. nisi cum alijs, communicare. Christum non solum secundum humanitatem, sed & diuini-
54. tatem esse sacerdotem. Præstare Christianis subesse *Turcæ*, quam *Romano* Pontifici. Iusto fortan prolixior forem, si cetera omnia id genus recenserem. Exigitur tantùm iam commemoremus, quibus in Christum, & in ipsam sacram Trinitatem, multa in nostra ANGLIA
55. nefariam impressionem fecerunt. Sunt igitur non pauci, quibus illa pars Symboli Apostolici, quo traditur Christum ad inferos descendisse, pro vana & commentitia hodie habe-
Iohannes Episcopus Sarisb. tur. Quidam tamen eorum princeps atque antesignanus, & quasi terrestris Deus, ante aliquot annos dominico die, qui *Passionis* dicitur, cum constanter *Saresburiæ* in suggestu negasset, cum articulum ad fidem pertinere; post duas hebdomadas, ipsóque paschatis sacri die, præ maxima concione ex eodem loco & suggestu affirmauit, nimis se ante paucos dies, temerariam & præcipitem sententiam ea in re dedisse. Iam sibi exploratum & expeditum esse, contrariam assertionem inter summa, & augusta necessariæ fidei axiomata referendam. Hæc
56. ego ab homine minimè vano, qui vtrique concioni interfuit, accepi. Alij verò adeò in
E quibus fuit Latimerus, vt patet ex concione quam habuit coram Rege Edwardo, qua typis excusa est. contrariam sententiam abeunt, vt audeant affirmare, Christum non modò in infernum descendisse, sed eo amplius, ipsas damnatorum ibidem pœnas (quod horribile dictu & auditu est) subijsse. *Wicleffus* licet contra Sanctos petulantior esset, Christi tamen humanitati, & eius, vt dixi, sacris imaginibus pepercit. Sed discipuli eius † Christum nec in humanitate adorandum, nec orandum asseruêre. Equibus fuit inter alios, *Chicheleio Cantuariæ* sedente,
† 57. *Gulielmus Tailer* de quo meminimus, qui contendebat, preces nostras ad Christū dirigendas,
VValdo, to. 3. cap. 214. non ratione humanitatis, sed deitatis solummodo. Fuit *Londini*, EDMVNDO *Bonero* Pontificiam sedem administrante, *Adrianus Hamstedius*, qui negabat * Christum ex virgine MARIA carnem sumpsisse. Quod peruersum dogma ingentem *Puritanorum*, de quibus commemorauimus, hodie multitudinem horribiliter deprauauit. Cui hæresi cum *Ioanna Cantiana*, quam tanquam egregiam quandam mulierem multi suspiciebant, & in oculis ferebant,
De quo in regist. Chicheley. tam pertinaciter adhæreret, vt nulla persuasione ab ea deduci se pateretur, ad incendium,
59. regnante EDOVARDO, ducta est. Cuius patre HENRICO imperante, *Anabaptistæ* *Londini* valde scatuerunt, eorumque varias hæreses apud suos disseminabant. Ex his duodecim incendio absumpti sunt. Quas pœnas *Georgius* quidam ad EDOVARDI imperium
60. subijt, insignis *Arianus*. Cuius generis nefarios homines, multos ab eo tempore ANGLIA vidit & videt, qui non tam pœna illius extincti, quàm quasi ex cineribus eius renati videntur. Prodiére etiam ex hac præclara nuper schola πνευματομάχοι, qui suam Spiritui sancto diuinita-
61. tem, nec alia magis ex causa, quàm ex illo *Wicleffi* axiomate, quo contendebat, Nulli nos rei fidem obligari astringere, quam sacra scriptura distertis verbis non complecteretur, detrahebant. Affirmabant enim dogma illud (id quod multos eorum constanter asserere, cum de fide ipsorum cognitio haberetur, audiui) neutiquam ex sacris literis probari posse. Atque ideo fidem se illi adiungere detrectare. Sed sit hic tandem de his erroribus scribendi modus. Si enim cetera ad hanc rationem accuratius inquireremus, non difficile foret, multa alia id genus pernitiosa dogmata, quæ vel ex pestilenti *Wicleffiana* semente, vel à discipulis ipsius nata sunt, in medium proferre. Aliquot tamen eorundem errores, qui hic
Cap. 16. prætermittuntur, posteà recensebimus. Nunc itaque ad alia abeamus.

Quid

Quid actum sit contra Wicleffum *adhuc viuum, & quosdam eius discipulos, & quo modo memoria illius damnata Concilij* Constantiensis *decreto.*

CAPVT V.

COEPIT igitur, vt commemorauimus, exitialis hæc *vicleffi* doctrina, ap posteriora Regis EDOVARDI tempora, longè latèque spargi, talesque & tam altas tandem radices egit, (quòd cum primum naſceretur, non esset summa vigilantia oppressa & obruta) vt adulta semel, extirpari posteà nunquam potuerit. Magnasque illa quidem quotidiè vires acquirebat, quòd *Wicleffus Lancastrij* Ducis, qui solus omnia propter decrepitam Regis ætatem moderabatur, & aliorum Procerum gratia atque fauore subnixus, ingentes animos aleret. Interceſſerant Duci illi cum quibusdam Episcopis, maximè cum GVLIELMO *Wicamo Wintonienſi* graues animi offensiones atque inimicitiæ. Cumque *Wicleffus* omnem dignitatem Cleri deprimeret, eumque propter possessiones, corruptamque, vt dicebat, doctrinam in inuidiam vocaret; ciuilis autem magistratus dignitatem in immensum exaggeraret, venenumque doctrinæ suæ multis lenocinijs & fraudibus tegeret: oratio illius facilius & iucundius multorum, Ducis præsertim animo, iam graui priùs erga multos è Clero indignatione præoccupato, illabebatur. Quo igitur tempore, viuo adhuc EDOVARDO, parliamentum habitum est, synodusque etiam coijt Episcoporum, Dux vt maius negotium Episcopis exhiberet, *Wicleffum* ad se accersiuit, plurimique fecit. Sed cùm impura illius doctrina magis & magis serperet, euocauit eum ad se *Londinum* SIMON *Sudburienſis Cantuarienſis* Archiepiscopus, vt rationem doctrinæ suæ sibi, & Episcopis alijs redderet. Obijt diem *Wicleffus*, quem ad Episcopos euntem Dux, & *Henricus Perceius* magnus, vt appellant, Mareschallus deducebant; Iubentque bono esse animo, neque propter vllam Episcoporum persuasionem (quos præ ipso rudes & indoctos appellabant) de sententia vllo modo decedere. Tanta erat populi conglomerantis, vt cognitioni interesset, frequentia, vt vix *Perceius*, transeunte *Wicleffo* per templum diui PAVLI, viam expedire potuerat. Cum ventum esset ad Episcopos, staretque *Wicleffus* excepturus quæ aduersus se dicerentur, Sede, inquit, *Perceius*, longa tibi defensio superest, vt intentata contra te amoliaris. Quare par est, vt quietem tibi aliquam sedendo pares. Cùm GVILIELMVS *Courtenetus Londinenſis* Episcopus reniteretur, nec conuenire diceret, & omni iudiciorum rationi repugnare, vt qui reus esset, antequàm crimina diluisset, sederet; in his & alijs magnę animorum offensiones inter *Perceium* & Episcopum accidêre; cumque *Perceio* coniunxit se Dux, atque Episcopum contumelijs & minis vexauit. Qui illi nihil cessit. Irritatus Dux, in aurem cuiusdam proximè assidentis insusurrauit, se per crines Episcopum præcipitem exturbare potius velle, quàm vt tanta iniuria per Episcopum afficeretur. Sed ea illius vox non erat tam suppressa, vt non ad aures quorundam astantium efflueret. Quare concitata *Londinenſium*, qui frequentissimi, vt diximus, aderant, concio, palam exclamauit se nunquam passuram, suæ ciuitatis Episcopum tam contumeliosè haberi. Dux deinde cum *Perceio* ad parliamentum abijt. *Londinenſes* verò ex hac, & alijs occasionibus, quæ eodem die posteà contigêre, exasperati, magnum aduersus Ducem & *Perceium* tumultum concitarunt, de quo non est pertequendi locus. Videtur autem hæc synodus ita exisse, vt *wicleffo* silentium imposuerit, dato mandato, ne errores, qui illi obijciebantur, deinceps, vel libris vel concionibus in vulgus dispergeret.

Anno 1376.

IN hac peruagata de huiusmodi erroribus fama, peruenerant illi in *Romani* Pontificis cognitionem, e quibus multos multi in ANGLIA ex ipsius libris decerpserant, & *Romam* transmiserant. Quos GREGORIVS XI. cum viginti quatuor Cardinalibus damnauit. GREGORIVS verò literas non modo ad Regem RICHARDVM, ad *Cantuarienſem*, & *Londinenſem* Episcopos, sed & ad Cancellarium *Oxonienſem*, totámque Academiam misit, quibus eos excitauit, vt omni quia possent diligentia, pestiferam illam doctrinã opprimerent. Academiã negligentiæ insimulat, quòd nascentem statim non obruerit. Docet hæc *Wicleffi* dogmata in multis, licet verbis alijs enunciata, congruere cum his, quæ *Marsilius Patauinus*, & *Ioannes Gandauenſis* docuerant. Quorum libros IOANNES XXII. damnarat, & aboleuerat. Deplorat condi-

Thom. Wal. ſing.

tionem ANGLIAE, quòd iam pestilenti doctrina contaminaretur, quæ solebat hominibus affluere omni doctrinæ, omni probatis & pietatis genere, & singulari quadam erga Deum fide præditis. Notauit simul in his literis XVIII. *wicleffi* insigniores errores. In literis ad *Cantuarienſem & Londinenſem*, Voluit vt *wicleffum* comprehendi curarent, & carcere mulctari, & responsum illius ad se transmitti; Regémque rogauit, vt si res postularet, omnem suam opem, studium & præsidium in *Cantuarienſem & Londinenſem*, quo rem sibi contra *wicleffum* mandatam dexteriùs exequerentur, conferret. Initur post, & propter has literas noua Episcoporum deliberatio, qui *Lambethi* conuenientes ad excindendam pernitiosam illam doctrinam, omni animi contentione se confirmarunt. Sed paucis tamen domini *Richardi Cliffordi* verbis contra dignitatem labascunt, qui mandabat illis, ne sententiam aliquam contra *wicleffum* pronunciarent. Accessit & alius terror à ciuibus *Londinenſibus*, qui iam sensim frequentes *wicleffi* dogmata amplexabantur, quique magna se impudentia, dum res cognosceretur, ingerebant, & ne quid durius in *Wicleffum* statueretur postulabant, cognitionémque impedire conabantur. Et ille quidem eo tempore dimissus est, & eo quidem impuniùs, quòd in responso illo suo ad articulos, quos cum literis suis GREGORIVM misisse diximus, & in ceteris etiam ita responderit, & speciosо quodam verborum fuco & lenocinio verba sua ita interpretatus sit; vt videretur nihil à recta & germana ecclesiæ doctrina, alienum aut abhorrens sensisse. Cum præsertim demissa præterea verba adhiberet, quibus contestabatur, si qua in re forte per ignorantiam lapsus fuisset, id se reuocare & rescindere, & se humiliter atque suppliciter sanctæ matri ecclesiæ, vt ab ea emendaretur submittere. Episcopi, siue quòd eum ex animo locutum putarent, siue quòd, propter causas commemoratas, tumultum vererentur, dimittunt illum, cum denunciatione tamen, ne quid id genus in posterum in vulgus, scribendo aut concionando spargeret.

Anno 1378.

SED illum parum candidè, atque veteratoriè in illo suo responso egisse, & responsi illius tenor satis ostendit, & actionum ipsius in deterius quotidie prolabentis, & deteriora dogmata diuulgantis, exitus manifeste clamat. Nam aut illius dogmata non possunt frigidæ illius interpretationis quam adhibuit velamentis commodè obtegi, aut certe si aliud sensit, quàm verba obtendunt, necesse est valde imprudentem atque inconsideratum fuisse, qui talia effuderit: verbi gratia cum inter cetera dogmata essent & illa, de quibus meminimus, quod nec homo, imo nec Deus absoluta potestate sua, posset cuiquam perpetuum aliquod ciuile dominium dare, (quod dogma fundamentum ipsum omnis ciuilis possessionis labefactat) Huc se ridiculè proripit vt dicat, illud non posse esse perpetuum, quia cum supremus mundum dies oppresserit, & illud interibit. Cetera, quæ non est necesse persequi, huiusmodi etiam sale condiuntur. Cúmque inter istos articulos esset ille, quo docet licere Regibus à Clero habitualiter peccante, possessiones auferre, lenit dicti asperitatem molliori hac interpretatione, quasi non senserit, licere principibus suo arbitrio illas intercipere, sed ecclesiæ solius authoritate præeunte, & ob eas tantum causas, quas lex præscribit. Alibi tamen passim (vt antea meminimus) docet illas possessiones regulæ & dictatis Christi repugnare, imo hæreticos esse & ecclesiasticos omnes, qui eas possideant, & laicos, qui contentiant. Sed biennio post, præclarus huius sanctæ scilicet disciplinæ fructus, horribilis inquam illa popularis seditio, de qua accuratiùs postea tractabimus, erupit. Ad quæ tempora *Oxonienſem* Academiam regebat *Gulielmus Bartonus*, qui summam operam adhibuit, vt Academiam à *Wicleffiana* illa peste purgaret. Quæ vt ortum suum in ea habuit, ita indies ibidem ingraueſcebat. *Wicleffus* cum has primum turbas ibidem inciperet, discipulósque colligeret, vt nouæ cuiusdam sanctitatis specie se populo magis venditaret, doctrinámque suam vendibiliorem faceret: ipse & discipuli nudis pedibus, & panno rudi, atque vili vestiti in publicum prodibant. Multi adumbrata hominis sanctitate, prælectionibus, disputationibus, concionibus, librisque inescati, sese illi adiungebant, nullúmque fuit *Oxonij* scholasticorum sodalitium siue collegium, in quo aliquot hac labe non essent contaminati. Quod malum negligentia, atque incuria Academiæ Præfectorum, (è quibus aliquot *Wicleffo* aut palam, aut clam fauebant) magis & magis inualescebat: sed his, vt dicere cœperam, temporibus *Bartonus* magna industria atque diligentia, huic pesti latiùs indies serpenti se opposuit. Is accersitis duodecim ex ijs, qui pietatis atque doctrinæ nomine maxime commendabantur, mandauit vt libros *Wicleffi* diligenter perlegerent, & praua illius dogmata accuratè notarent. Qui cum mandato negotio diligenter defuncti essent, summo totius Academiæ consensu, qui & publicis literis consignatus erat, dogmata illa damnata sunt, & anathema omnibus,

Supra ant. 11. Cent politicos magistratus.

Anno 1380.

Addit. Polichr. chron Wald. in maiore chronico.

omnibus, qui illa deinceps tuerentur, denunciatum. Quod cum *Wicleffus* intelligeret, prouocationem ad Regem à Papa & Clero interponere cogitabat, sperabatque sub *Lancastry* præsidio, vt solebat, delitescere. Sed *Lancastrius* eum destituit, admonuitque vt non modo omnem huiusmodi prouocationem prætermitteret; sed se totum in Pontificis sui potestate atque voluntate poneret. In hac *Wicleffus* destitutione, vt tempestatem, quæ sibi imminere videbatur, auerteret, ad solitum simulationis & dissimulationis, in qua erat insignis artifex, præsidium confugit; eaque, quæ hominum animos offendebant, callida interpretatione ita moderatus est atque molliebat, vt præ se ferret, nihil ab se profectum contra catholicę ecclesiæ fidem & sensum.

SVCCESSERAT iam SIMONI *Cantuariensi* GVILIELMVS *Courteneius*, à *Londino* euocatus. Is in eam enixè curam incubuit cum ceteris Episcopis, quos *Londinum* acciuerat vt sectam, quæ tum alibi, tum & *Oxonij* clam serpebat, imminueret, & ab Academia saltem *Oxoniensi* profligaret. Quam ibi præter *Wicleffum*, *Nicolaus Hereford*, *Philippus Repingodon*, *Ioannes Ashton*, & *Laurentius Readman* promouebant. GVLIELMVS in hac synodo grauiter conquestus est, pernitiosam & pestilentem quandam in prouincia sua *Cantuariensi* doctrinam, quæ non solum fidei & ecclesiæ, sed toti etiam regno ruinam, pestem & exitium esset inuectura, nisi maturè occurreretur, palam & publicè in concionibus dispergi. Dedit itaque curam octo Episcopis, & quadraginta alijs selectissimis ex omni ANGLIA viris, partim theologis, partim iuris ciuilis atque ecclesiastici peritissimis, vt XXIII articulos ex libris *Wicleffi* delumptos, accuratè perpenderent atque excuterent; & post attentissimam de ea re cogitationem atque perlustrationem, quid de illis sentirent apertè pronuntiarent. Illi vero post maturam deliberationem renuntiant, quosdam aperta hæresi, quosdam cum manifestis & putidis erroribus coniunctos. GVILIELMVS deinde edictum promulgauit contra eosdem, & quàm potuit vehementissimè Episcopos admonuit, vt in sua quisque diœcesi denunciarent, vt si quisque illis deinceps adhæresceret, anathema incurreret. Denunciauit etiam ne quisquam sine licentia concionaretur, ne quisquam aurem ijs concionatoribus, qui praua dogmata fererent præberet. Hoc autem edictum *Oxoniensis* Academiæ Cancellario *Roberto Riggeo* (in quem nonnulla *Wicleffianæ* hæreseos suspicio cadebat, sed quam se purgando, assertionesque *Wicleffi* repudiando diluit) tradidit, mandauitque seuerè, ne deinceps *Wicleffum*, & ceteros paulo ante cum eo commemoratos, aut quenquam, in quem hæreseos suspitio caderet, siue ad concionandum, siue ad quæcunque scholastica munia obeunda admitteret, neue quisquam in eos aliquem fauorem, aut studium palam siue clam conferret, sed eos tanquam exitiales serpentes studiosè quisque fugeret. Euocati deinde sunt *Nicolaus*, *Philippus*, & *Ioannes* commemorati, ad *Courteneum*, iussique sunt *Nicolaus* & *Philippus*, quid sentirent de quibusdam *Wicleffianæ* doctrinæ articulis (quos *Romani* Pontificis, vt diximus, literę complexę sunt) sententiam suam expromere. Quos illi omnes, partim vt hęreticos, partim vt insignes errores, sed callidis quibusdam verborum in quorumdam damnatione inuolucris, notarunt. Quod, vt vno aut altero exemplo explicem, cum respondissent illum articulum, substantiam panis & vini materialis, post consecrationem remanere, modo sensus verborum decretali, quę incipit, *firmiter credimus*, repugnaret: vt & articulum illum, verum & reale Christi corpus non subesse in Eucharistia, modo non congrueret cum *Clementinuana* illa decretali, cuius initium, *Si dominum*. In his & alijs cum iussi essent, vt quę esset mens atque sententia commemoratarum decretalium, vtque planè atque apertè, sine vlla verborum circuitione, remotisque ambagibus, quid ipsi sentirent enunciarent, nunquam potuere adduci vt aliud responsum ederent: neque ad aliquas assertiones, & inter alias ad illam, An fratres manuum labore, victum sib comparare astringerentur; quicquam responsi dare voluerunt. Rogati an Deus diabolo obedire debeat (quod *Wicleffus* impiè scripserat) respondent debere, licèt non necessitate aliqua, debere tamen obedientiam illi aliquam, amoris nimirum & punitionis pro meritis. Cum itaque partim rectè, planè atque absolutè, partim peruersè atque impiè respondissent, in eòque pręfractè persisterent, ampliauit ipsis Episcopus diem, datęque sunt nouæ respondendi certo die inducię. Quo illi tamen se iudicio non sistebant. Atque ideo anathemate ab Archiepiscopo irretiti sunt.

Anno 1384. Ex registro Courtenei.

SIMILI etiam tergiuersatione vsus est & *Ioannes*. Qui iussus respondere Latinè propter circumfusam laicorum multitudinem, magnis lateribus ingentique vocis contentione, *Anglice* non sine inepris, contumelioſisque in Archiepiscopum verbis, quo magis populum

in eum irritaret, respondit. Ad quæ tempora RICHARDVS Rex tam *Cantuariensi* Archiepiscopo, quam ceteris Episcopis potestatem tribuit, vt quoscunque de hæresi suspectos, in carcerem includerent. Et paulo post, cum *Nicolaus & Philippus* fugam (vt dixi) arripuissent, scribit literas ad *Cancellarium Oxoniensem* vt *Wicleffum* cum illis & *Ioanne Ashtono*, ab Academia prorsus exturbarent, donec idoneè diluissent, quæ ipsis ab Archiepiscopo obiecta fuerant. Adiecit præterea, vt si quisquam *Wicleffi* aut *Nicolai* libros apud se haberet, eos in suam potestatem redigeret, & ad Archiepiscopos transmitteret. Et post paucos dies alias scripsit literas, vt diligenter perlustrarent Academiam, si forte possent in *Wicleffum, Nicolaum, Philippum & Ioannem*, aut alios *Wicleffianos* assecias incidere. Mandauitque Præfecto vibis, & alijs ciuilibus magistratibus, vt omni præsidio suo atque ope Cancellario in ijs, quæ commemorauimus, exequendis adessent. Non deerant tamen qui clam interim commemoratis, & alijs *Wicleffianis* studerent, & inter alios ipse Cancellarius, ROBERTVS *Rigges*. Multúmque negotij illi faccssebant *Henrico Crompo* monacho, *Petro Stokes*, & *Stephano Patingtonio, Carmelitis*, qui ipsos palam impugnabant. Adeo vt Rex coactus sit literas scribere ad Cancellarium, ne quid *Henrico*, & alijs deinceps molestiæ exhiberetur. *Nicolaus* vero & *Philippus* in magnis rerum angustijs constituti, ad *Lancastrium* confugere, illius opem implorantes, quos ille reiecit, nec vllo suo patrocinio dignatus est. *Philippus* deinde bona fide omnia praua dogmata coram Archiepiscopo reuocauit, tetrámque ac detestabilem doctrinam prorsus auersabatur. Qui *Lincolniensem*, vt diximus, Episcopatum postea consequutus est, & in *Wicleffianos*, qui resipiscere noluerunt, acerrimè perfidiam illam vindicauit. Reuocauit & *Ashtonus*, sed parum constanter. Recidit enim in easdem postea, sedente *Arundelio*, hæreses. *Nicolaus* tandem comprehensus in carcerem detrusus est, ex quo tamen se subduxit, nec destitit prouehendis erroribus suis apud alios, licet iam tectius operam dare. Quid de *Wicleffo* postea actum sit, aut vbi gentium versatus, liquidò mihi adhuc non constat. Sunt qui exulasse apud *Bohemos* tradant, qua de re ego hæreo, & huc potius inclino, vt in ANGLIA alicubi latitasse crediderim, in qua constat eum & obijsse, idque apud parochiam *Lutherworthy*, cuius fuerat Rector, in diœcesi *Lincolniensi*, ibique humatum, & post XL. vt mox dicemus, annos exhumatum. Obijt autem supremum diem die diuo SILVESTRO Pontifici consecrato paralysi correptus, quæ eum horribiliter ante biduum, eo, qui diuo THOMAE consecratus est, die inuaserat. Qui dies, iusta sua obseruatione, & animaduersione forte non carent. Nam in vtrumque fœda petulanter conuitia iactare solebat; in hunc quidem quasi imminutæ & læsæ Regiæ maiestatis reum; in illum vero quasi immani scelere obstrictum, quod Clerum possessionibus à CONSTANTINO *Magno*, & alijs ornari passus sit.

Anno 1485.
Add. Polichron.

PERNICIOSA autem eius dogmata, vt eo adhuc viuo, totius Academiæ, vt dictum est, *Oxoniensis* suffragio; ita post obitum & ab Academia *Pragensi* in *Bohemia* (illuc enim, vt postea diffusius dicemus, immigrauerunt) & œcumenici *Constantiensis* concilij authoritate, diro anathemate confixa sunt. Eiusdémque synodi mandato archihæretici ossa, ad memoriam illius infamandam, è tumulo eruta, ignibus, vt pseudoprophetarum olim *Iosiæ* pij Regis iussu, conflagrarunt, cineréique congesti in fluuium proiecti. Aggregari huc potest celeberrimi, nostróque tempore habiti *Tridentini* illius œcumenici concilij authoritas, qua exitialem istam *Wicleffi* doctrinam per *Lutherum, Zuinglium*, & alios renatam, iustis etiam execrationibus illius synodi Patres deuouerunt. *Wicleffo* tamen mortuo, hæreses ab illo latæ non simul interiere, sed per discipulos illius passim per ANGLIAM propagatæ sunt. Ad quorum ego plusquam Cimerias animorum tenebras planè obstupesco. Qui relictis & reiectis Patribus, & sacrosancta conciliorum priuatorum atque œcumenicorum, totiusque catholicæ ecclesiæ authoritate, huius pernitiosæ doctrinæ tam pertinaciter adhæserint: hominis, qui importunus erat, & maledicentissimus extra omnem Christianam modestiam conuitiator; hominis, qui tam siculneas, tam putidas & insulsas, ad labefactandam ecclesiæ fidem, rationes adhibebat; hominis, qui flagitiosè sacras scripturas corrumperet & contaminaret; hominis, qui nec secum constaret; hominis denique, qui tam tetra partim de suo, partim veterum hæreticorum dogmata, diro anathemate iam olim ab ecclesia confixa, impudentissimè in orbem reuocauit. Quæ nos iam singula, vt nostri apertius & certius intelligant, quam miserè ab illo illusi sunt, describemus.

De

De intolerandis conuitijs, quibus omnes ecclesiæ ordines Wicleffus perfudit, deque summa eius arrogantia.

CAPVT VI.

SI quis itaque dubitet forsan, quis spiritus *Wicleffum* totum obsederit, magnum eius rei, inter alia, documentum capiet ex arrogantissima superbia, qua se supra omnes venditauit, exque immoderatis atque execrandis conuitijs, quibus omnes ecclesiæ gradus, & sacrosancta etiam ecclesiæ mysteria atque sacramenta (adeo vt aranearum potius, quam Eucharistiam adorandam, execrabili voce contestetur) petulantissima atque horribili maledicentia incessit. Apud quem catholici omnes † nihil aliud sunt quam homines ridiculi, infideles, confidentes de Prælato Cæsareo, * hostes Dei, & qui se supra Deum extollunt; quique se dicunt scire quod Deus nescit. Episcopi sunt apud eum [a] pseudoepiscopi, [b] apostatæ, stolidi, ignari, [c] hæretici, falsi Christi prænuncij, & aduersarij IESV CHRISTI. [d] Filij diaboli incarnati, omnes *Romani* Pontifices ab VRBANO *primo* sunt apud eum Antichristi. Nec illi solum, sed, vt antea diximus. Omnes Episcopi, Canonici, sacerdotésque, monachi, & quicunque possessionibus in ecclesia fruuntur. Sacerdotes omnes virósque monasticos, qui in psalmis canendis, qui in diurnis nocturnisque precibus ex ecclesiæ instituto solicitè versantur, [e] quasi idololatrias irridens, iubet vocibus vim incutere, altiusque clamare, forte enim Deum dormire. Collegia † vero omnia, imo & Academiæ nihil aliud *wicleffo* sunt (quod & antea commemorauimus) quam castra *Cumitica*. Clericos omnes catholici merdę & stercora. Quos passim contumelioso *Cæsareos* appellat, quasi omnem suam potestatem a Cæsare CONSTANTINO, & non a Christo deriuarint. Quam & [h] *Cæsaream* superbiam appeliat. Ipsumque CONSTANTINVM celeberrimum, primumque ex omnibus Augustis, qui fidem christianam longe latéque per *Romanum* imperium dissèminari curauit, & quem antiquissimi Patres mirificis laudibus efferunt, adeo sane, vt si quem Principem exquisite commendare velint, nouum eum CONSTANTINVM vocitent; conuitijs, vt dictum est, dehonestat, eumque fatui atque etiam impij, & similibus nominibus vir iste, apostolicæ scilicet moderationis, & fidei egregius æmulus nobilitat. Quid? quod æterna non modo illum, sed & omnes ab eo Augustos salute cælóque, vt dictum est, spolier, quòd vel ecclesiam possessionibus ornarint, vel eas non detraxerint. Nisi quòd execrandam illam suam sententiam isto temperamento mollire videri velit, Si non pœnituerint. Quasi aut eos vnquam pœnituerit, aut quem quâ beneficij optimè collocati, pœnitere debeat.

WICLEFFVS vero, qui tam laudatum Imperatorem tanto fastu reiecit, nullum ille certe alium sibi ex omnibus præeuntem habet, nisi *Iulianum Apostatam*. Ipse interim sibi & suis miram sanctitatem, deque cæio recens delapsam doctrinam venditat, qua omnes Theologiæ nodos, in quibus catholici explicandis imperitè atque stolidè, (vt ait) versantur, dexterrimè se expedijsse fingit. Ita vanissime garrit nescire Prælatos *Cæsareos*, inter mortale & veniale peccatum distinguere; nescire quid sit Eucharistia, & alia sexcenta, in quibus ipse explicandis, innumeris erroribus atque hæresibus affluit. Istæ arrogantissimæ *wicleffi* de se venditationes, ita tam importuna atque horrenda conuitia atque maledicta, in quibus nec Apostolis, nec Apostolicis viris, aut eorum doctrinæ pepercit; facile produnt, à quo spiritu & doctore impia illius dogmata profluxerint. Audi igitur immanis belluæ horribilem vocem. Cum autem ex fide omnes sancti citra Christum, vt *Ioannes* confitetur, multipliciter peccauerint, patet quòd omnes citra Christum, habuerunt valde antiquam consuetudinem ad peccandum. Ideo, si Christi authoritas sit in infinitum præstantior quam consuetudo eorum, quis fidelis non crederet authoritati domini, eorum authoritate prætermissa? Hæc ille. Horum (inquit) Quorum quæso? Omnium, inquit, Sanctorum citra Christum. Apostolorum igitur, & discipulorum Christi instituta & consuetudinem abijciamus, vt in noua dogmata, sanctámque scilicet disciplinam *wicleffi* nomen demus. Atque hanc ille præclaram rationem contexuit, vt inde Patrum, atque œcumenicorum conciliorum authoritatem euerteret. Id vero in vniuersum obseruari potest, quoties iusta cum argumenta destituunt, quæ eum vbique deficiunt, toties fere illum se ad maledicendum, atque conuiciandum transferre, & vitia hominum non modo vera, sed & falsò obiecta

pro

† *Thom Wald. to. cap. 1.*
* *Ibidem ca. 11.*
a *Tho VVald. to. 2. cap. 146.*
b *To. 3. li 2. art. 1. cap. 26.*
c *Tom. 2. lib 2. art. 3 cap. 31.*
d *Tom. 1. li 2. in prologo.*
e *Tom. 3. ca. 84*
† *Idem to. 2. li. 2. art. 3. ca. 69.*
g *In prolog cit.*
h *To. 2. ca 120.*
Synod. 1 art. 1.
Synod. 6. ar. 18.
Synod. 7. art. 7.
Dicto cap. 120.
VVald. to. 2. ca. 156.

pro solidis contra fidem catholicam argumentis. impudentissimè arripere. Qui differendi mos, (licet hæreticis & *Wicleffo* potissimum vsurpatissimus) magis ex Rhetorum pompa, quam ex constanti & solida aliqua Theologię ratione procedit, & etiamsi vera docuisset, illud
1. *Ad Tim.* 2, 24 Apostolicum obseruare debuisset. *Seruum*, inquit, *Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati* Et rursus, *Si*
2. *Cor.* 11. 16. *quis autem contentiosus videtur esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque ecclesia Dei.* Quid igitur censendum de eo, qui tam tetris maledictis & conuitijs omnes ecclesiæ ordines configit, idque in causa perditissima? Sed iam non erit alienum videre, quam belle ipse secum, cumque sua doctrina constet qui tam nefarie se ab omni etiam Apostolica ecclesia diuulsit.

Quomodo Wicleffus *non modo à catholica ecclesia, sed & à suis ipsius dogmatibus recessit, sibi ipsi palam & multipliciter contradicens.*

CAPVT VII.

IN nulla autem re magis apparet quantum ipse sibi repugnet, & quantum ipse se euertat, quàm in ea, quam præ ceteris oppugnare conatur, id est, Eucharistica, & in ea, quam transubstantiationem appellamus. Omni enim ratione & remis atque velis (quod dicitur) contendit, vt præsen-
VVald. to 2. *ca.* 38. tiam corporis Christi nobis inde eripiat, & frustum panis viliore longe, quam *Glauci* atque *Diomedis* permutatione, pro Christi corpore supponat. Maximopere verò contendens, vt probet panem terrestrem & naturalem, peractis mysterijs, adhuc tamen subesse, quo quæso argumento vtitur? Intentis oculis iubet nos considerare quid Christus apud *Matthæum* dicat. *Docet nos* (inquit) *veritas orare, vt*
Matth. 6. *Hieron ibid. & August. li* 2. *de serm. domini in monte ca.* 7. *panem nostrum supersubstantialé, det nobis hodie.* Quæ vox ex *Hieronymi* & aliorum Patrum sententia panem Eucharisticum discernit plane, & separat à terreno & naturali Ita suis ipse se verbis elidit, & quam euertere conatur, fidem catholicam confirmat. Et vt *Syri* olim, qui *Helisæum* incautum opprimere voluere, suis ipse insidijs capitur. Mirificè ille catholicis insultat,
De sermone Domini in monte. cap. 40. quòd substantiam panis in Eucharistia in nihilum redigant. Cum ipsi tamen non dicant panem prorsus euanescere, sed in meliorem substantiam, imo in ipsum Christi corpus conuerti. Quæ illius maledicentia, ipsius abundè alibi testimonio reprimitur, qui aperte testatur
De vniuersalibus cap 13. *Vide Tho VVal. to* 2. *ca* 68. catholicos negare panem & vinum in nihil recidere. Quam autem se præclare in hac contradictionis schola hic dederit, *Gulielmus Wirfordus*, qui hominem bellissime nouit, &
Vide Guil. wirford in tract. 12. *qual d. Euchar. quæst.* 30. sæpe cum eo in scholasticis velitationibus *Oxonij* commissus est, graphicè depingit. Cum enim sententias publicè *Oxonij* legeret, & postea cum esset Bacchalaureus, vt appellant, respondebat, affirmabat accidentia, quæ appellant sacramentalia, esse in subiecto, panis tamen substantiam nihilominus desinere. Sed cum vrgeretur, Quidnam ergo sustineret illa accidentia? post longam deliberationem respondit corpus Mathematicum. Sed cum hoc eius responsum ita retunderetur, vt sententiam illam tueri non posset, respondit se prorsus nescire quid illa accidentia sustentaret, certum se tamen esse, aliquid esse vnde sustententur. Postea autem deteriùs prolapsus, fassus est panis substantiam in Eucharistia manere, & hanc esse accidentium sustentaculum, & fulcimen. Tantam vero, & tam admirabilem sibi iurisdictionem prorogat, vt pro sua amplitudine atque maiestate omnium, qui in ecclesia post CIↃ. annos à Christo passo, pro fulcienda transubstantiatione, *Romanorum* potissimum Episcoporum sententias reijciat, atque explodat. Atqui cum habita esset sedente
Dist. quæst. 50 NICOLAO II, synodus CXIV. Episcoporum, *Wicleffus* (dum blanditur sibi quod ipsius dogmati inseruiret) eam magni facit, & plurimum se de ea, licet vanissimè & inconstantissimè (cum NICOLAVS post mille illos annos sederit) venditat. Si quis plura videre velit, in quibus futilis iste homo in causa Eucharistica à seipso dissentiat, eum ego ad commemoratum authorem reijcio.

HABET *Wicleffus* inter alia, & istud, vt diximus, execrabile dogma, quòd nullus peccato mortali implicitus, sit vere dominus alicuius rei, neque quisquam princeps, huiusmodi peccato obnoxius, sit vere princeps. Rationem autem hac, inter alias, ad id confirmandum vtitur.
Vide Guil. Wirford in resp. ad 18. *artic. damnatos in Synod.* Qui, inquit, iustis domini sui imperijs non paret, excidit omnibus, quæ dominus illi propter obsequium exhibendum tribuit: Dominium autem esse huiusmodi. Sed cum *Wicleffus* fatea-

cur Deum donare tam corpus quam animam peccatori atque infideli (hæc autem donari vt Deo obsequium iustum præstemus certum est) qui fit, perinde mox vt peccator corpore atque anima non excidat, atque dominio? Aut quæ constantia in hoc doctore? Varias illas illius, in hoc dogmate defendendo, inconstantias commemoratus author recenset. Istud etiam deprauatum dogma de ciuili dominio effudit vt diceret, illud necessariò peccatum veniale implicitum habere; adijcitque Deum non approbare, vt quisquam dominetur ciuiliter, vel ciuiliter iudicet. Alibi tamen in contrariam prorsus sententiam scinditur. Ne credat inquit, aliquis, quod lex ciuilis quæ occasione peccati est humanitus instituta, non sit à Deo principaliter ordinata, quòd aliter non poterit esse iusta, nisi ciuiliter aduenientes & ordinantes legem huiusmodi, forent organa Dei principaliter ordinantis. Stultum est, inquit *Wicleffus*, nobis asserere, quòd oramus vel facimus quicquam meritoriè vt debemus. Alibi vero, confidat homo in merito proprio, quia ad mensuram illius Deus necessario præmiabit. Et rursus Nemo speret in nuda oratione alterius, sed in propria iustitia vitæ suæ. Hæc quomodo consistant & cohæreant, viderint illius asseclæ. Non est sanum, inquit, viro catholico contendere de *Petro*, nec de aliquo Christiano, quod sit caput alicuius ecclesiæ. Alias autem, Omnino, inquit, in humano genere est vnum caput vel capitaneus, per quem oportet reliduum regulari, quibus Deus ad hoc excellentet bona sua distribuit.

Wald to 1. li. 3. art. 2.

Vide VVald. to. 3. cap 7. & 8.

Idem to. 1 li. 2. art 2. cap 5.

IMMO hæc differte verba habet. Dicit Christus Io. vltimo: PETRE *amas me? pasce oues meas*: Quod quia PETRVS perfecit excellentius, fuit constitutus caput ecclesiæ. Inter alia execranda *Wicleffi* dogmata sunt & ista. Deum non[a] posse saluare præscitum. Deum[b] non posse facere quæ non facit. Deum[c] non posse augere aut imminuere mundum. Non[d] potuisse Deum filio duodecim legiones exhibere, ne pateretur, Et cetera eiusdem farinæ. Quæ cum omnium bonorum aures refugiant, adhibet ad ista absynthia, istam quasi dulciculam potionem; potest tamen Deus si voluerit. Sed quis non videt quam ista se implicent & inuicem euertant? non posse Deum, & tamen posse si velit: Sed iam vide summam hominis moderationem æquitatem atque constantiam. Cum viri monastici, aut alij ex Clero precum, aut operum suorum participationem alijs concedant, hoc tamen iusto & prudenti temperamento, Si voluntas Dei fuerit, aut quantum cum Deo possimus, tecum in orationibus & ceteris meritorum communicamus operibus; isti audiunt statim à sancto isto Apostolo, quòd sint propter istam tam necessariam moderationem, qua totam rem in diuinam voluntatem reijciunt, sophistæ & dyscoli. Ac deinde. Ad istum modum, inquit, & sensum, posset frater concedere cuilibet beatitudinem, & quodcunque signabile, vt quemlibet esse Deum. Cum tamen ista istorum temperatio in illis suis actionibus & locutionibus, maxime congruat cum omni sacra scriptura. *Wicleffi* verò in illis suis errorum portentis oratio, prorsus ab eadem abhorreat. Vide interim quam iste secum conueniat, quamque iustus iste sit istorum reprehensor, quasi possent concedere quemlibet esse Deum, quod nunquam isti concesserint, concessit autem *Wicleffus* non modo quemlibet, sed & quidlibet esse Deum; nec cum ista moderatione, si Deus voluerit, sed prorsus simpliciter. En tibi iam rursus aliam admirabilem boni huius Apostoli constantiam. Nemo, inquit, debet præsumptiuè dare audaciam peccatori, sed sic faciunt communiter confessores, ergo ista ars absoluendi est fideliter fugienda. Quis rogo, timeret rapere bona proximi sui, prodere suum Dominum, vel peccata similia facere, si crederet simpliciter, quòd propter illud peccatum non subibit maiorem pœnitentiam, quàm confessor suus iniungit. Sed iam inspice Camelionem in nouam subito faciem transformatum. Infinita, inquit, sunt inconuenientia, quæ confessor in ista materia non euadet. Sed videtur quod laboret in deceptione sui confessi, & ita alligat super humeros pœnitentium onera grauia, quæ ipsi sufferre non possint, nec propter longitudinem temporis ex ordinatione domini supportare. *Sicut ergo Christus iniunxit adulteræ, quod nolit amplius peccare, Ioan.* 8. ita videntur confessores debere iniungere pœnitentiam confitenti; tum quia nulla est ars pœnitentiaria, à qua potest capi certior pœnitentia iniungenda; tum etiam quia hoc maximè retraheret à peccato, & sonaret immisericordiam confessoris. Quomodo ergo crudelis & immisericors confessor, necessitaret Deum ad suo iudicio consentiendum? Hæc ille.

In li. de dotatione. Vide Thom. VVald. to. 2. li. 2. art 1 c. 1.

a VVald. to. 3. cap 97.

b Idem to 1 li. 4. art 1. ca. 12.

c Ibid ca. 13.

d Ibid. ca. 15.

Dist. cap 97.

Fiat voluntas tua &c. si velit voluntas Dei &c. Petrus Apost. quacunque petierimus secundum voluntatem eius. 1. Ioan. 5.

Vide eundem VVald. tom. 2. cap. 152.

ET vbi quæso, hoc posterius oraculum *Apollo* iste effudit? certe in eo ipso tractatu & libro, quo priorem sententiam effudit. Nemo itaque prudens à tali doctore se circumueniri patietur, aut ab expiatoria se per eum confessione abduci, qui eodem ore tam repentè calidum & frigidum efflat. Papas & Cardinales dicit, non à Domino, sed à diabolo ordinatos,

Tho VVald to 1. li.2.cap.3.ca.38.

Papæque nomen in Cæsarea dotatione inuentum, idque nulla alia ratione, quàm quòd eorum nomen in sacra scriptura non exprimitur. Et tamen is ipse alibi Christum Papam generalissimum appellat. Quid autem magis inuicem repugnat, quàm illa illius verba, quibus Christi corpus vere & realiter in Eucharistia adesse affirmat, & tamen nihil illam aliud esse quàm corporis Christi figuram. Quærerem præterea ab *Wicleffi* discipulis, quo modo hæc cohæreant,

Idem to.3 ca.74 Tho Wald to.3. ca 8.

nihil nos orare vel facere meritorie, & quòd interim deceat nos confidere in propria iustitia, vel illa, esse inter corpus & animam vinculum quoddam, & quod alibi tradit nullum esse huiusmodi vinculũ: Cuius generis si reliqua de illa persequerer, vereor ne nimio tædio lectorem obtunderem. Et in hac contradictionum scholadiscipuli ipsius belle illum æmulantur, non minus à præceptore & à seipsis inuicem, quàm à catholica ecclesia distracti. *Wicleffus* vsu atque adeo adoratione imaginum suis non interdixit. Discipuli autem illius hanc adorationem fœdissimæ idololatriæ adscripserunt. E quibus alij sacerdotibus nuptias concedunt, alij adimunt, alij ipsam Christi corporis substantiam in Eucharistia contineri fatentur, alij cum magistro negant prorsus. Alij iusiurandum à magistratu delatum suscipere non recusant, alij mira superstitione astricti; non licere suscipere affirmant. Alij Principibus licere ex iusta causa præliari, contendunt, alij christianos nullo modo nullaúe de causa armis contendere posse affirmant. Alij ne magistratui quidem ius gladij permittunt in noxios & sceleratos. Alij licere contra affirmant etiam priuato, quemuis quem religionis suæ, aut reip. hostem falsa animi inductione fingunt, è medio tollere. Alij non negant se peccatis commaculatos & implicitos. Alij tam mirificam in se sanctitatem simulant & somniant, vt non vereantur palam pro concione asserere, se nunquam mortale peccatũ quinquaginta, aut amplius annis, aut ab ipsa pueritia admisisse. Alij negant Christum ad inferos descendisse; alij non modo descendisse affirmant, sed & eisdem pœnis, quas damnatorum animæ ibidem patiuntur (vt antea ostendimus) obnoxium fuisse.

Idem tom.1 li.1 art.2 ca. 38.

Vide VVald to.3. ca.136.

Wald. to. 2. cap. 148.

Tho. wald to.3. ca.110.& 109.

In oratione ad Christum dirigenda, triplex fuit discipulorum *Wicleffo* schisma. Alij enim existimabant, ex hominibus solum Christum per nostras preces interpellandum. Quem errorem videntur à præceptore suo *Wicleffo* sumpsisse. Alij quidem nec Christum, quatenus hominem, sed tolummodo quatenus Deum appellandum. In quo errore hæsit *Gulielmus Sarror* hac falsa collectione vsus, quod in Litanijs orationes nunquam ad Deum, nisi sub deitatis ratione referantur: Oblitus interim solennis illius ecclesiæ inuocationis, *Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis*. Fuere autem alij qui assererent, ex his, qui vitæ huius cursum absoluere, solum Christum interpellandum, integrum tamen esse viuentibus, viuentium pro se preces solicitare, exemplo *Pauli*, qui aliorum preces expetijt. Quidam verò etsi dominicum excipiant,

Tho Wald. to.3 cap.140.

alios tamen omnes festos dies reijciunt. Alij verò nec dominicum excipiunt, è quibus erat *Gulielmus Albus*. Fuere qui & Sabbatum tantummodò cum *Iudæis* colendum contenderent, de quibus antea meminimus. Regnante verò Maria, contigit vno in carcere circiter viginti huius farinæ homines claudi, & inter eos, filios cum parentibus, vxores cum maritis. Mirum erat audire, quàm distractæ atque diuulsæ fuerint singulorum de religione sua, de sacramentis præsertim, sententiæ, cùm alij septem, alij sex, alij quinquè, alij quatuor, alij tria, alij duo, alij vnum solummodo agnoscerent, nec in eo tamen vno, quid & quale esset, coniunctos sensus haberent. Sed ne quis fortè ista, quasi minoris momenti ideo moliri se facilius posse existimet, quod à priuatis quibusdam, obscurioribusque hominibus varietas ista, non à publica aliqua immutatione dissentionéque manarit, *Henriciana* atque *Edowardiana*, & nostra adeo tempora os huic obganniatori facilè obstruent. Certum enim est, ex omnibus Anglorvm Regibus Henricvm VIII. Regem omnium primũ à catholica fide palam desciuisse: nec id minus certum; eum, idque ex publicorum comitiorũ authoritate, colendæ fidei rationem quasi purissimam atque sinceriſſimam tradidisse, eamque seueriſſimis leg.bus atque pœnis muniuisse. Nec id minus certum, eo mortuo, Edovardvm filium, idque adeo puerũ, paternas omnes illas leges euertisse, nouámque fidei rationem, ex eorundem comitiorum consensu promulgasse; quæ & hodie, licet in quibusdam recedatur, obtinet. At & istam, magna nostratium Euangelicorum pars (vt anteà commemorauimus) acerrimè, quasi à sacris Scripturis dissidentem impugnat. Quod si hic reliquas recentiorum nostrorum alibi *Wicleffianorum*, easque implacabiles in dogmatis suis dissentiones recensere velim, longum ingrederer tractatum actamque rem agerem. Quare reliqua persequamur.

De quibus late & graphice Stapletus.

Quo

Quo modo VVicleffus *insciтè, atque perfidè sacras scripturas commaculat & deprauat.*

CAPVT VIII.

PERAE iam precium est paucis considerare crassam illius in sacris scripturis ignorantiam, miserabilémque illarum per eum deprauationem. Hic igitur primum animaduertendum est, quòd cum scriptura dicat *Iudæos* solitos asserere *Hierosolymam* locum esse, in quo oporteat Deum adorare, *Wicleffum* supina aut ignorantia aut incuria, id dictum, non *Iudæis*, sed *Samaritanis* tribuere. Feminæ autem apud eum sunt, vt diximus, sacerdotes, & qui sanctorum *Romanum* Pontificem omnium prope actiones euertere conatur, summopere contendit vt *Agnetem* illam, tamen nescio quam Papam fuisse demonstret, actaque illius confirmet. Hoc autem incredibile de femineo sacerdotio paradoxon, tum ratione siculnea planè, quia feminę dant sacra; tum scripturis miserè detortis, quòd PETRVS ait *Plebs sancta regale sacerdotium*, astruere laborat. Quod si obtineat, sit quilibet etiam, ex plebe Rex. Sic, quot viri, quod etiam feminæ, tot erunt & sacerdotes, & Reges. Eadem ignorantia asserit populum *Iudaicum* media nocte egressum ex Ægypto, cum scripturæ sacræ palam testentur mane egressum. *Nullus vestrum* (inquit scriptura *egrediatur ostium domus suæ vsque mane*. Nocte quidem vrgebantur per *Pharaonis* seruos ad surgendum, nocte phase celebrabant, nocte se ad iter parabant, sed mane tamen egressi sunt. Cum ipse de se Prophæta *Dauid* dicat, *Lauabo per singulas noctes lectum meum*; iste stertens somniat, illum semel tantum nocte ad orandum excubasse, irridétque monasticos viros vt fatuos, qui sibi singulis noctibus surgendum putant, vt precibus incumbant, quòd Prophetæ semel id fecerit. Cum scriptura sacra aperté dicat, *Quorum solueritis peccata super terram erunt soluta & in cælis*, & *Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. *Wicleffus* dicit oportere prius in cælis solui, nec posse nos remittere, nisi Deus prius remittat. Vt errorem suum de Ideis tueatur, peruertit & sensum, & verba Apostoli, Deus (inquit) est omnia in omnibus, ac si diceret Deus est omnes rationes ideales in omnibus creatutis. Apostoli autem verba non in præsens sed futurum concepta sunt. Cum subiecta illi fuerint omnia, vt sit Deus omnia in omnibus. Hæc referenda sunt ad supremum iudicium vt *Hieronymus* & alij testantur, atque ita nhil ad ideas spectant. Christus dicit, *An putas quia non possum rogare patrem, vt exhibeat mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum*? Et *Wicleffus* dicit patrem non potuisse filio duodecim legiones concedere, vt non pateretur. Sed hic adhibet insultum illum suum salem, potuit tamen si voluit, vt antea commemorauimus.

Ex scripturis sacris constat *Matthæum* ascitum in Apostolum ante Pentecosten, *Wicleffus* tamen dicit optatum & electum post Spiritus sancti missionem. Quanquam nec propriè eum elegerint Apostoli, vt ait *Wicleffus*, sed rem totam sorti & diuino iudicio commiserint. Iam quam ferè *Heliæ* prophetæ exemplum accomodat: quem dicit noluisse parere mandatis *Heliæ* prophetæ iam è mundo abituri, vt doceat monasticos viros illam suam erga Præfectos suos obtemperantiam reijcere, cum *Heliseus* aperté respondeat *Viuit Dominus, & viuit anima tua, quia non derelinquam te*. Etsi vero plurima eáque manifestissima veteris testamenti testimonia se passim offerant, quæ contrarium doceant vt nihil possit esse euidentius, magna tamen *Wicleffus* confidentia pronunciat, Leuitas & Sacerdotes veteris legis per legem Dei agris & possessionibus caruisse. Et quia in prima distributione terrarum hereditatem cum reliquo populo sortiti non sunt, id nec posterius factum impudentissimè negat. Quos autem ludos, imo quas execrandas potius hæreses facit, & fingit ex sacrosanctæ scripturæ verbis? dum hæc Christi verba, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*, non ad aquam baptismatis, sed ad eam quæ fluxit ex Christi latere; dum hæc Christi tam clara verba, *Hoc est corpus meum quod tradetur pro vobis*, ad figuram tantum & vmbram refert? dum obstinatissimè contendit non aliter Eucharistiam esse Christi corpus, quam *Ioannes Baptista* erat *Helias*. hisce nihilominus, & ceteris suis erroribus ipsarum scripturarum authoritatem prætendit. A quibus tamen ipsis, vt *Ioab* olim ad templi altare confugiens, quasi in ipso Dei templo confoditur. Ad hanc insaniam pertinet, & illa illius assertio, qua contra ma-

VVald to. 3. cap. 148. *Ioan. 4.* *Ibidem cap. 59* *1. Petr. 2.* *Tom. 3. ca. 25 Exod. 12. 22.* *Ibidem.* *1. Cor. 15. VVald. to. 1. li. 1. art. 1. cap. 4.* *Matth. 26. Tom. 1. li. 1. ar. 2. ca. 22.* *Idem to. 1. li. 1. ar. 3. cap. 40.* *Idem to. 1 li. 3. ar. 2. ca. 34.* *Vide Num. ca 35 Iosue 21. Leuit. vlt.* *VVald to. 1 l. 4 art 3. cap 34. & 35.*

nifesta scripturæ verba, Patrúmque omnium consensum, ecclesiæque fidem, negat Christum, ianuis omnino clausis, ad discipulos ingressum, sed per nescio quos poros & rimas. Quain re se potius *Democriti* Philosophi, quàm verum Christianæ disciplinæ discipulum ostendit. Affirmat [a] *Paulum* appellarese Doctorem Gentium, non magistrum. Quain re apertis ipsius *Pauli* verbis [b] conuincitur. Asserit Deum [c] prius concessisse populo veniam quàm *Moyses* pro illo orasset. Nec potuisse *Moysen*, orationis suæ meritum communicasse, nisi ei, qui seipsum dignum prius apud Deum reddidisset. Quæ assertio ex diametro sacræ Scripturæ repugnat, vt & illa, qua negat [d] quenquam in terra peccata dimittere, nisi ea prius in cælo Deus dimiserit. Cùm Christus diserte dicat. [e] *Quodcunque ligaueris super terram: &c.* Vide iam quàm peruersè verba illa Apostoli corrumpat, [f] *Sine intermissione orate*. Quæ non ad vocis aut cogitationis orationem, sed [g] ad bonam solummodo vitam referenda nugatur. Infinita verò sunt id genus alia, quibus & verba, & sensum sacræ Scripturæ nefariè commaculat, & deprauat. Qua in re, vt in reliquis fere omnibus, veterum hæreticorum morem atque instituta, ita sibi ad imitationem rapit, vt illorum non singulorum, sed pæne vniuersorum tam hæreses quam mores, atque scelerata fraudes in eum, tanquam in sentinam quandam teterrimam confluxisse facilè credideris, quam nos ex parte iam exhauriemus. Sed antequam eò ventum erit, non erit alienum si paucis exemplis in medium positis ostenderimus, quam insipidis, quam insulsis, quam putidis argumentis vtatur, quibus conatur catholicam fidem euertere.

a Idem to. 1. li. 2. art. 1 ca 68.
b 2 Tim 1.
c Idem to 3. ca. 98.
Vide Exod 8 de Pharaone Exod. 32.
Num. 21 Psa 98
d Tho VVald. to. 2. cap. 145.
e Matth. 16.
f 1. Thes. 5.
g Tho. VVald. to. 3. ca. 3.

De ineptis atque futilibus quibusdam rationibus, quas ad sua dogmata confirmanda Wicleffus *adhibet.*

CAPVT IX.

APostoli, inquit, congregati eum consulere, fuerunt ab eodem Spiritu ducti ad consulendum, & ab eodem Spiritu concorditer informati. Non quæramus ergo superfluè concilium, qualiter facere debeamus, cum verbum Dei, quod est scriptura sacra, & impulsus spiritus in recte viuentibus, satis doceat. Hac ille insulsa ratiocinatione œcumenici concilij authoritatem labefactare conatur, qua tamen & illam maximè confirmat; & seipsum euertit. Quasi vero hinc non consequatur concilia non superfluè, sed necessariò cogi. Aut quasi Apostoli multa, nullis scripturis comprehensa, Spiritus sancti ductu non sancierint; aut soli Apostoli, spiritu diuino afflati sint; cum Christus dicat, *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ego ero in medio eorum*; aut quasi, si, vnum aliquem spiritus instruat, non multo plures simul confluentes, opémque illius anxiè implorantes magis instruet. Aut quasi vel scriptura sit priuatæ interpretationis, aut non sit periculosum priuato & incerto spiritu rem metiri. Cum & *Paulus* qui proprij spiritus ductu in *Asiam* profectus concionaturus; atque alias in *Bithyniam* cogitarat, sit à Spiritu sancto prohibitus. Nihil hic dico, quam constans hic sit in sua doctrina, qui alias nos ex Christi & Apostolorum exemplo maximè vrget. Huius farinæ est & illud illius argumentum, quo omnes externas ecclesiæ cæremonias abijcit & euertit. Quia signa, inquit, non sunt nisi gratia signatorum, signata per se sufficiunt sine signis. Eiusdem talis est, quod cuilibet Sacerdoti Episcopi potestatem, remota etiam necessitate, tribuit, propterea quòd Deus, si necessitas postulet, poterit huiusmodi potestatem simplici sacerdoti indulgere. Atque ista arripit id, quod in ecclesia nunquam hactenus contigit, ad ineptias suas confirmandas. Non vult nos laborare de magnificis templis. Quare quæso? Quia; inquit, in statu innocentiæ non fuissent. O *Chrysippeum* acumen! Quo omnia quæ Christus humanitus hic, tum pro redimendo homine, tum pro sanandis ægrotis egit, facilè liceret eludere & euertere, quia ista in statu innocentiæ fuissent superuacanea. Frequens autem est ista apud eum & vsurpatissima ratio, vt ab eo quod secundum quid dicitur, simpliciter aliquid inferat. Quasi *Æthiopem* album appellare licerét, quòd candidos habeat dentes.

Matth. 18.
Act. 16.
Wal to 3 c. 29
Ib. cap 63.
VVald. to. 3. ca. 244.
Idem to. 1. li. 1. art. 2. cap. 2.

VT autem probet fas esse principibus ecclesiæ suas possessiones detrahere, GVILIELMI RVFI Regis (quo forte ANGLIA deteriorem non habuit) authoritate se munijt. Nec perperam id eum fecisse docet, quòd ecclesia defuncti illius animam precibus Deo commendet. Quasi vero illo regnante, cœnobia, collegia, & reliquas clerus possessiones

tiones suas integras non retinuerint. Quibus si ille forte aliquos spoliarit, quid hoc ad rem? Aut quasi ante obitum non potuerit fieri vt de eo ipso pœnituerit, quod alicubi extorsit. En vero tibi aliud terribile, magni huius prophetæ contra monasticos viros, & eorum totam disciplinam fulmen. Quam ideo infirmandam docet, quod Christus *Pharisæorum, Saducæorum* & *Essæorum* instituta, & sectas reprehenderit & euerterit. Quamquã de *Essæis* reprehensis, qui quam proximè accedebant ad monasticæ nostræ vitæ institutã, nihil mihi satis ex euangelio constat. *Wicleffiani* præterea, hoc egregio sophismate, dies Diuis sactis abolere conantur. Non est, inquiunt, dies PETRI vel *Ioannis*, qui nullum vnquam fecit diem, sed omnis dies eius est de quo legitur, *Hæc est dies quem fecit Dominus*. Quam autem futilis & ridicula est illa *Wicleffi* ratio, ideo non esse necesse esse Papam, aut Episcopos, quòd Deus perpendiculariter (vt loquitur) resideat in cœlis super iustos presbyteros, & super caput vnius cuiusque hominis, & eximmensitate sua necessariò sit vbique. Quo insulso argumento non minus se, & suos concionatores percellit & elidit. Asserit electiones Papæ & Episcoporum nullius momenti, imo & cum blasphemia coniunctas. Et quare quæso? Certe non ob aliud, nisi quia nescitur an sint membra ecclesiæ & prædestinati. Reijcit & explodit Academias atque collegia, & qua precor ratione. Quia Christus, inquit, ea non ordinauit. Admittit prouocationes ab Episcoporum sententia ad laicos principes, ideo quod PAVLVS à iudice profano, quem Augustus constituerat, ad eundem appellarat. Cum vtrobique insigne sit, vt patet, discrimen. Cerne iam similes argutias, Sacerdotes *Pharaonis* possessionibus honestabantur, Sacerdotes proinde Christianorum, quibus possessiones & prædia donantur, sunt *Pharaonici* sacerdotes. Damnat mendicitatem quia statui innocentiæ primæ aduersatur. Sed hac ratione tollat è vita humana sitim, famem, tristitiam, eleemosynas, & cetera, quæ illi statui & conditioni non congruebant, nostræ vero maximè congruunt. Insulsum est & illud, quo fratrum mendicitatem *Wicleffus* ideo reijcit, quòd mortis se periculo sponte obijciant.

Wal. to. 3. c. 130. *Psalm. 117.* *VVald. to. 1. li. 2. art. 3. ca. 51.* *Idem ibid. ca. 61.* *Ibid. ca. 67.* *Ibid. ca. 80.* *VVald. to. 1. li. 3. art. 1. ca. 18.* *Idem ibi li. 4 art. 1. cap. 6.* *VVald. to. 1. li. 4 art. 1. ca. 16.*

ACCIPE iam & aliam egregiam collectionem, qua dotem & possessiones ecclesiæ confringit, quia nemo potest donare quicquam, nisi ex licentia & voluntate præcipui Domini id est, Dei. Quam voluntatem iubet Clerum ostendere. Quæ nugaces argutiæ omnem inter homines similiter donationem infirmant. Inter alia (vt diximus) peruersa dogmata, habet & illud, sacramenta non confici per malos sacerdotes. Id vt probet, hoc fragili & ficulneo argumento vtitur. Laicus, inquit, licet pie affectus non potest conficere sacramentum; Multo ergo minus presbyter, qui minus piè affectus est. Quasi vero sacramenti dignitatem & vtilitatem ex probitate ministri, potius quam ex sacerdotali officio, & Dei amplitudine, cuius authoritate illud conficitur, metiri debeamus. Expiatoriæ confessionis absolutionisque fructum, atque emolumenta ideo impugnat, quòd confessor nesciat an qui expiatur, in eadem crimina rursus lapsurus sit. Quid ergo Christus mandauit vt dimitteremus peccata, non solum septies, sed & septuagies septies. Aduersus baptismi necessitatem inepte ad hunc modum arguitur. Cum iste baptismus (intelligit de baptismo spiritus) sit insensibilis, & tantum nobis incognitus, videtur mihi imprudens præsumptio, taliter saluationem hominis vel damnationem ex baptismate (intelligit de baptismate aquæ) definire. Sic ille, quasi totus ex spiritu, & nulla parte ex carne & visibilibus conflatus fuisset, omnia corporalia & visibilia reijcit; At enim num ideo, quia deitas in Christo fuit insensibilis & inuisibilis, nec hominum obtutibus obiecta, salutem aut damnationem nostram ex visibili illius incarnatione, & passione non metiemur? Nonne qui hæc, licet sint corporalia & sensibus exposita, non crediderit, vacuus est ab omni æterna salute?

Idem to. 1 li. 4 art. 2. cap. 39. *Wal. to. 2. ca. 7.* *Wal. to. 2. ca 15.* *Matth. 18.* *Id. to 2. ca. 103.*

EIVSDEM generis est & illud, illius commentum aduersus baptismi necessitatem, quo illa Christi verba, *Nisi quis renatus fuerit*, & non ad sensibilem aquam baptismatis, se dad aquam, quæ à latere Christi emanauit, referenda existimat, idque eo argumento, quòd martyres, licet baptismo non perfusi, æterna salute non excidant. Sed non animaduertit imprudens iste homo, hos esse, vt recte scribit *Augustinus* ab hac regula exceptos: Nam qui dixit, *Nisi quis renatus fuerit &c.* dixit itidem, *Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam*. Ab hac autem non exciperentur, si Christi verba ad illam aquam, quæ de latere effluxit, essent accommodanda. Qui enim magis ex illa aqua renascuntur, quàm martyres, qui sanguinem suum pro Christo fundunt? & tamen illos (vt dixi) *Augustinus* excipit. Et verum quidem est; martyres æternæ salutis beneficio, licet baptismo non expientur, non spoliari, si interueniat affectus & desiderium. Quod cum *Wicleffus* generali, & effuso suo sermo-

Wal. to 2. c. 104. *Lib. 13. decimi. Dei ca. 7 to 9 Mar. 8.*

ne exigere non videatur, nouum hic prioribus errorem accumulauit. Iam quàm temerarium, præceps, absurdum iudicium illud illius est, quo solemnes ecclesiæ in chrismate & baptismo dando, alijsque rebus, ritus & ceremonias reijcit hac insulsa collectione? Christus, inquit, exemplar totius ecclesiæ non fuit in persona sua taliter confirmatus, nec in baptismo suo chrisma huiusmodi, sed aquam simplicem requisiuit, nec sic dedicauit ecclesias, sed Episcopi hoc capiunt ex singulari opere *Salomonis*. Et sic difficultatur ecclesia infideliter propter solemnizationem talis consuetudinis introductæ. Sed ego à tanto Apostolo quæro. An *Salomon* hæc, & alia id genus ex præscripto ipsius Dei non egerit? Reliquas illas illius ineptias vel pueri irridebunt. Si illæ enim obtineant, ne nos quidem baptismo in remissionem peccatorum abluamur, quia Christus non fuit sic ablutus. Multàque alia id genus ad contundendam hominis illius stultitiam, quæ prudens prætereo, dici potuerint. Inter alias friuolas & fatuas rationes, quibus vtitur contra transubstantiationem, est & hæc, quod nullum ex tribus symbolis transubstantiati, aut tranmutati panis mentionem faciat; sed suis ipse argutijs imprudens capitur. Ecquod enim ex his symbolis in eucharistia corpus tropicum & figuratum subesse, aut panem naturalem remanere tradit? Certe nullum. Ecquæ scriptura facta? Certe nulla.

VVald. tom. 2. cap. 118.

VVald. to. 2. cap. 25.

INTER alios illius errores est & iste, [a] quod anima sit homo completus. Quem hac potissimum ratione confirmare conatur. Sanctus PETRVS (inquit) est in cœlo, & non nisi homo secundum animam, anima ergo eius est homo in cœlo. Sed quis est tam rudis, vt hæc per Synecdochen dici non intelligat, à parte totum, vt cum scriptura dicit. *Dedisti ei potestatem omnis carnis. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Eoque proteruiæ homo delabitur, vt licet non neget ecclesiæ Patres negare hanc esse propriam locationem, sepulta caro Christi est Christus, sed hæc & similia per Synecdochen dici; ille tamen impudenter contendat, quod melius sit dicere, [b] sepultam Christi carnem esse totum Christum. Imo autem quasi fortissimo quodam, vt putat, ariete, vitam monasticam concutere & pessundare satagit, [c] quasi ab vna Christi regula recedat. Sed si vrgeas, quomodo probet recedere, nullam aliam probationem reperies, nisi quod αὐτὸς ἔφα. Id quod illi & in alijs, quę temerè & impiè contra ecclesiam effutijt, solen ne est. Iam quod vna sit Christi regula, si fidem respicias, non dissitemur [d] cum *Augustino* (nec aliam profitentur monachi) si varia viuendi præcepta atque instituta, ad Principum, ad subditorum, ad virorum, ad mulierum, ad coniugum, ad eorum qui coniugio non implicantur, aliorumque officium atque munus distributa, atque sigillatim à Christo & Apostolis accommodata; quis est tam imperitus, vt huiusmodi regulas plures & varias esse neſciat? Negat *Wicleffus* [e] Cardinales posse Papam eligere, quia Christus verus Deus & homo, ex summa sapientia elegit sibi duodecim Apostolos, & ex fide (inquit) Cardinales non possunt in isto æquiparari isti sapientiæ increatæ, ergo stulta præsumptio foret, hoc sine euidentia fidei attentare. Quam rationem si vrgeamus, nemo debet concionari, nemo orare Deum patrem, nemo discipulos docere, quod Christus fecit. Imo irrita est optio *Matthiæ* in locum *Iudæ* per Apostolos facta, irrita *Timothei*, *Titi*, & aliorum Episcoporum atque sacerdotum, per *Paulum* & reliquos Apostolos delignatio. Neque enim illorum sapientia cum diuina conferri potuit.

[a] *VVald. to. 2. cap. 38 Aug. in Ioan. ho. 105 de temp. lib. 18 cap. 24. Io. 17. Rom. 12.*

[b] *Idem ibid. ar. 3. cap. 40.*

[c] *Idem to. 1. lib. 2. ar. 2 ca. 15 & li. 3 ar. 3. ca. 29.*

[d] *Vide eundem ad Galat. super illo. Non est distinctio Iudæi neque Græci.*

[e] *Idem to. 1. li. 2. art. 3. cap. 39.*

IN confirmationem autem damnatæ suæ, contra præsentiam corporis Christi in eucharistia, hæreseos, hanc inter alias rationem adfert, [f] quòd Ethnici irrideant Christianos ita sentientes. Id autem sæpius obseruaui, friuolas, nugaces, atque adulterinas argumentandi rationes, quas veteres hæretici adhibebant, istum frequenter vtiurpare; qualis fuit illa, quam paulò antè recensuimus, quòd panis remaneat in eucharistia, propterea quod nullum ex symbolis tradat panem non subesse. Simili argumenti genere *Manichæi* negabant mundum per IESVM Christum fabricatum, quia in principio Geneſis nihil huiusmodi de IESV exprimitur: Catholici quidã mortalis & venialis peccati discrimen in eo ponunt, quod mortale peccatum sit, propter quod gratia gratum faciens in nobis desinat. Quorum sententiam vt euertat *Wicleffus*, hanc assertionem consistere non posse, ait, [g] quia ignoramus, quando illa gratia, vel sit in nobis, vel in nobis desinat. In quo responso præclarum se *Pelagianorum* imitatorem ostendit, qui simili planè ratione originale peccatum negabant, quia nec intelligeremus, nec sentiremus, quando contraheretur, nec quando aboleretur. Et viderint *Wicleffi* discipuli, quomodo præceptorem purgare poterint, ne & ipse cogatur similiter originis nostræ peccatum denegare, non modò propter rationem prædictam, sed vel ob id maximè, quod nullum [h] aliud peccatum mortale agnoscat, nisi finalem, vt appellat, impœnitentiam, vnde

[f] *VVald. to. 2. cap. 25.*

[g] *Idem ibid. ca. 256 & 257. Aug. li. 6. contra Iulianum ca. 6.*

[h] *Idem cap. 1. & Greg. li. 6. regist. epistola 13.*

vnde planè conficitur, *Adam* in anima non fuisse mortuum, vt *Pelagiani* contendebant. *Adam* autem ante obitum, peccatum, quo Dei præceptum transgressus, erat pœnitentia aboleuerat. Ad hæc cùm *Wicleffus*[a] dehortatur homines, ne proficiscantur *Hyerosolimam* vel *Romam*, aut ad alia longinquiora loca Dei odorandi causa, propterea quòd Deus vbique sit, nec gratiam suam ad vnam aliquam ecclesiam astringat, nec Deo placere tam laboriosas peregrinationes; nonne ijsdem planè rationibus vtitur,[b] quibus perditus ille Rex *Ieroboam*, dum conatur populum à veri Dei cultu, ad suos aureos vitulos adorandos traducere? a *Wal. to. 3. c. 71.* b *Vide Ioseph. li. 8. antiq. & 3. reg. 13.*

Svb specie verò & fuco christianæ Libertatis [c]statas & solennes preces ecclesiæ, statos & solennes festos dies, stata & solemnia ieiunia, pœnitentiam, confessionem, omnia sacramenta omnemque prorsus catholicæ ecclesiæ faciem & disciplinam, dulciter sed lethaliter, non minus, quam *Mahometes* in suo Alcorano, in aures & animos discipulorum tam pestifera titillatione influens, corrumpit, euertit, & pessundat. Ignorans aut simulans se ignorare, eam demum veram, solidam, & summam libertatem esse, non qua impunè ad laxam, & dissolutam viuendi rationem proruimus, sed qua Christo seruimus. Quem errorem in ecclesiæ cunabulis nascentem, diuus *Paulus* oppressit & obruit. Contra diuinam potentiam,[d] vt non posset, si velit, vnum corpus in duobus simul locis constituere, has nectit argutias. Sicut inquit. Deus non potest facere eandem rem in numero, esse simul per diuersa instantia, sic non potest facere eandem essentiam materialem, esse simul per diuersa loca. Sed longum atque latum est inter ista discrimen, nam diuersa loca aut corpora sunt simul in natura, diuersa autem tempora simul esse, legibus successiuorum, vt ita appellem, repugnat, & hæc res contradictionem implicat. Illa autem illius, quàm insolens, quàm futua, quàm prodigiosa est collectio? [e]Panis est corpus Christi in figura, ergò verè & realiter corpus Christi. Ex qua ratiocinatione cùm alia infinita absurda atque impia, tum & illud consequeretur, cùm *Abraham* figura fuerit Dei Patris, & Isaac (quem voluit immolare) Christi, Isaac fuisse verum & naturalem Dei filium, Vt tueatur falsam illam assertionem suam,[f] qua speciales orationes vni personæ accommodatas, negat plus prodesse quàm generales, hanc præcipuam adhibet rationem. Spiritus (inquit) se conformans voluntati diuinæ, plus amat communia, & pro peculiaribus sibi incognitis, nisi fortè conditionaliter, nunquam orat. Quam illius insaniam infinita sacræ scripturæ exempla contundunt. *Oratio* (inquit) *fiebat sine intermissione pro eo* id est Petro. *Mementote* inquit Paulus, *præpositorum vestrorum, qui &c. Fratres, orate pro nobis vt sermo Dei &c.* & dicit se *Ephesiorum* memoriam facere in omnibus orationibus suis. Ceteraque id genus sine numero passim occurrunt. Hæc gustus gratia lectori sufficerint. Cetera enim illius argumenta non meliore sale condiuntur, nec veterum certè hæreticorum condiebantur. c *Vide Th. wal. to. 3. ca. 21.* d *Idem to. 2. ca. 72.* e *Idem ibi c. 86.* f *Idem to. 3 cap. 105.* *Act. 12. Heb. 13. 2. Thess 3. Ephes. 1.*

Quomodo Wicleffus *& discipuli illius in moribus, in viuendi ratione, atque instituto, in putidis fraudibus, & reliquis id genus, veteres hæreticos maximè imitantur.*

CAPVT X.

Nvlla simia magis simiam quam *Wicleffus* & eius discipuli veteres hæreticos expressissima, quasi genuini filij parentes, similitudine, non modò inepta, absurda atque falsa ratiocinandi, atque argumentandi, vt paulo ante attigimus, ratione, sed & in alijs compluribus referunt & repræsentant. Quas orbi turbas *Ariani* dederunt propter vocem ὁμόουσιον ab ecclesia vsurpatam, eadem & *Wicleffiani* contra eandem excitarunt, propter vocem *Transubstantiationis* in Eucharistia. Vt *Arius*, [g]*Pelagius* & alij veteres hæretici egregij erant simulatores, mirique in fingendo, populúmque circumueniendo, artifices & consueta atque solemnia ecclesiæ verba vsurpando, hæresim suam tegunt, & aliud sentiunt quam verbis præ se ferunt: ita certe & *Wicleffus* in [h]sacramento baptismi, eucharistiæ, & pœnitentiæ. Qui cum sacrosancta in eucharistiam nihil aliud re ipsa faciat quam vmbram & figuram, vt nihil omnino à veteri & *Iudaica* hostia differat, imo longe sit, si sequamur illius scita, deterior, dicatque[i] eucharistiam esse corpus Christi in forma panis, magnis tamen conuitiis *Berengarium* præceptorem incessit quòd g *De Pelag. vide Aug. li. 1 contr. Pelag. & Cœlest. de grat. & original. peccat.* h *Vide VVald. to. 3 ca. 68.* i *Vide VVald. to. 2. ca. 19.*

Wald. to 3. c. 10. quòd solùm vmbram & figuram ibi constituat. Ipse vero insolenter se iactat, & de do se venditat, quòd corpus Christi in eucharistia collocet. Sed postquam mysterium suum semel euoluerit, nihil aliud conficit, quàm vt panis iste visibilis sit corpus Christi figuraliter, in forma substantiali panis. Quo tamen stolido stratagemate illusit nostris temporibus *Caluinus Zuinglianis*, vt olim *Berengario Wicleffus* insultans. Vt itaque simpliciores circumueniat, fatetur corpus Christi ibi esse verè, realiter, imo substantialiter & corporaliter. Sed cum omnia furtum & deorsum versauit, nihil aliud, vt certissime ex eius libris constat, relinquit, quàm figuram solam, aut virtutem (quod inuentum mirè placuit *Caluino* & sibi-ipsi quasi authori tribuit) corporis Christi idololatriam adeo illis ascribendo, qui alio loco quàm in cœlo corpus Christi statuunt. *Pelagiani*, vt dogma suum contra originis nostræ peccatum magis commendarent, iactabant à *Romanis* pontificibus (quorum tamen sententia atque authoritate maximè fuerant perculsi atque euersi) sua dogmata probata; *Wicleffus* similiter cum omnem ecclesiæ & patrum *Romanorum* præsertim Pontificum authoritatem post mille à Christo annos deprecetur, refugiat, & detestetur (post quos stolide & inepte ad ecclesiæ authoritatem confringendam fingit diabolum solutum) *Nicolai* Papæ, qui millesimo illo tamen anno posterior fuit, decretum contra *Berengarium*, quo prorsus confoditur, ad dogma suum contra transubstantiationem fouendum, auidè & gratulabundus arripuit. In quo simul & hominis conclamatam impudentiam, & solitam constantiam intueri poteris.

Vide VVald. to 2. c. 84. & 85.

Aug. cont duas epist. Pelag. li. 2. cap 3.

Incipit, Ego Berengarius.

Wald ibi ca 41 & Guil. Wigorn.

NESTORIVS, *Arius*, & alij veteres hæretici, Patrum, qui eorum tempora antecedebant, authoritatem nihili plane faciebant. Quod & *Wicleffo*, atque illius discipulis solemne est. Apud quos insignis ille doctor *Ambrosius*, nihil aliud quã author apocryphus est. Sibi autem interim *Wicleffus* mirificam authoritatem arrogat, quia ex illius scitis & placitis simplices sacerdotes, imo qui nec sacerdotio initiabantur, ad Episcoporum munia proteruè se ingerebant, vt in *Wicleffo Diotrephes* ille renatus videatur *Is qui amat* (inquit IOANNES) *primatum gerere in eis Diotrephes nos non recipit*. Quod certe & de *Wicleffo* dixisset, si illis temporibus superstes fuisset Iam illa egregia collectio ideo labefactandã atque subruendam omnem monasticam vitam quod Christus *Pharisæorum, Saducæorum, & Essæorum* sectas dissiparit, à *Manicheis* sumpta videtur. Qui ideo sacrificia patrum reprehendebant, quia ethnici ijsdem vtebantur. Nam vt sacerdotium Christianorũ non ideo tollitur, quòd *Iudæi* aut ethnici suos quoque sacerdotes habebant, ita nec vita monastica, si similia forte apud eos instituta frequentarentur. Hoc etiam *Wicleffus* & illius asseclæ ab ijsdem hausere, vt quemadmodum illi, quicquid pro ipsis in sacris scripturis facere videatur, auidè amplectantur & magnifice de illis se venditent cetera quantumuis manifestè atque diserte scripturis comprehensa, quæ contra ipsos faciunt, reijciant. *Ariani* & alij veteres hæretici, vt se ab ecclesia distraxere, ita in dogmatibus suis à se inuicem diuulsi erant. Sic & *Wicleffi* discipuli, vt in multis à præceptoris, vt diximus, placitis recessere, ita & inter se distracti & dissecti sunt. Vt veteres hæretici, ita *wicleffiani* catholicæ & vniuersalis ecclesiæ authoritatem, nullo loco aut olim habuere, aut hodiè habent. Apud quos, ô vtinam illud *Augustini* aliquid pondens haberet! *Qui non vult falli ecclesiam consulat*. Aut illud eiusdem, *Contra rationem nemo sobrius, contra scripturas nemo Christianus, contra ecclesiam nemo pacificus senserit*. Cuius apud istos tam salutaris & necessaria admonitio prorsus iacet.

In Canonica 3

Wald. to 3. c. 56. Aug li 20 cont Faustum to 6

De Man vide Aug 20 cont Faustum to 6 Wald. to 3. c. 92. Socrates li 5. ca 23 & 24.

Lib. 2. contra Crescon. ca 34.

Idem li 4. de Trin ca. 8.

DE dissoluta, turpi & contaminata veterum hæreticorum vita, multa à multis scribuntur. Nec minus fœda de *Wicleffianorum* tam recentium, quam superiorum temporum scelcribus traduntur. Fuere in *Bohemia Adamitæ* post exortam olim *wicleffi* ibi disciplinam; fuere & nostris iam recens temporibus in *Germania*. Conueniebant olim in ANGLIA *wicleffiani* noctu, & post concionem, extinctis repentè lucernis, in promiscuos, prout quemque sors obtulit, concubitus turpiter ruebatur. Quod ita contigisse, feminarum quarundam, quæ ab illius sectæ temporibus postea emersere, confessione constabat. *Germaniæ* quædam loca, hæc nostris temporibus turpitudo commaculauit. Quid dico *Germaniæ*? Vtinam vel nostra ANGLIA his fœditatibus nuper non fuisset contaminata. Referam quod in celeberrima Ciuitate, regnante HENRICO *octauo* accidit, idque (Deum testor) ex ipsius ore qui interfuit, fœditatemque illam valde postea detestatus est, qui nisi sailor adhuc inter viuos supereſt. Interuiebat ille ciui cuidam, viginti circiter annos tum natus. Hera ipsius, singulis auroris in hiemis ante lucem, solebat quasi ad templum profecturæ domum egredi, adolescentem verò à se dimittebat, iussitque vt in templo ipsam expectaret. Id cum sæpe faceret,

Ioan Dubrauius in hist. Boiem li 26.

Æneas Sil. de origine Boem. ca 41.

Wald to 3 cap 143.

valde

valde ille auebat scire quò hera pergeret. Quare clam sequutus aliquando illius vestigia, vidit eam domum quandam templo coniunctam subire, multósque eo tum viros, tum feminas aduentare. Nemo autem ingredi permissus est, nisi conceptis verbis quibusdam, formulâque quadam præscripta vsus. Quam cum & ille, qui clam eam hauserat, protulisset, intromissus est. Ingressus vero concionantem quendam vidit, paulóque post candelam extinctam. In mutuos deinde complexus, turpémque coitum itum est. Ille vero in ipsam suam heram incidit, eámque fœdo adulterio polluit. Quam fuisse heram postea certo cognouit, cum aliunde, tum ex annulo, quem digito ipsius detraxit, quem bellè nouit, quem & sibi retinuit.

VETERES olim hæretici, vt *Iconomachi* & alij, turbulentas & pernicioſas ad dogmata sua prouehenda seditiones, contra rempublicam concitarunt. *Wicleffiani* itidem, cum RICHARDVS *secundus*, & HENRICVS *quintus* sceptra tenuere, omnia ob eandem causam perturbare, & sursum atque deorsum miscere, (quod postea ostendemus) conati sunt: vt nihil hic dicam de horrendis illis motibus, quos recentiores nostra memoria *Wicleffiani* in *Germania*, *Gallia*, *Flandria*, atque etiam ANGLIA excitarunt. Quibus adhuc *Gallia* & *Flandria* non sunt defunctæ, atque liberatæ. Veteres hæretici valde insolenter, atque procaciter instar *Goliæ* catholicos, vt *Augustinum* & alios, ad disputationem publicam & literariam pugnam lacessebant; sed cum præscriptum diem obire debuissent, turpiter è medio se propripuere. Sic *Petrus* quidam, vnus ex *Wicleffi* antesignanis *Gulielmum Wradfordum*, & *Thomam Waldenum* petulanter ad literariam velitationem *Oxonij*, ad confirmanda præceptoris sui dogmata prouocauit.[a] Illi præscripto die adfuere. *Petrus* interim fugam clanculum capessit. *Wicleffiani* gloriantur se, & suum præceptorem[b] summam sacrarum scripturarum authoritate, reiectis humanis commentis niti. Id autem eos *Basilides*, id *Marcion*, id *Valentinus*, id *Potius*, id *Sabellius*, id *Arius*, id *Manichæus*, id *Donatus*, id *Pelagius*, id reliqui omnes ex hæreticorum colluuie, non minore de se venditatione iactitabant.[c] Sordent apud *wicleffianos* Martyrum & Diuorum catholicæ ecclesiæ solemnes dies. Sed in[d] Maiorum suorum, *Manichæorum* videlicet, egregia vestigia incurrunt. Atque vt sint sui, & Maiorum suorum similes, vt olim[e] *Manichæi*, *Manetis*, vt alij[f] *Valentini*, alij *Marcionis*, alij *Arij*, alij *Eunomij*; sic & [g] *wicleffiani*, *Ioannis Hussi* præcipui *wicleffi* discipuli, & aliorum id genus pseudomartyrij diem celeberrimum agebant; quasi illud occinentes, *Hic est dies Regis nostri*. Et *wicleffi* in ANGLIA discipuli, in Calendario, disjuncto diui *Polycarpi* Episcopi & Martyris nomine, supposuerunt *Hittonum* quendam, in ANGLIA regnante HENRICO *octauo*, propter hæresim exustum. Et exortus est nuper in ANGLIA nouus pseudomartyrum buccinator, qui admirabiles de illis fastos contexuit, & veteribus omnibus catholicis Diuis ex albo explosis, solis ferè pseudomartyribus Calendarium suum, vt eorum maiestatem amplificet, infarcit. Sic in *Bohemia* insignem illum tyrannum & immanissimæ seditionis antesignanum *Zischam* defunctum, annuis honoribus; eiusque ac *wicleffi* imagines, cum Christi, & Diuorum imagines è templis deturbassent, magno cultu prosequebantur.

ANTIQVI hæretici vt[h] *Ariani* *, *Donatistæ* † *Iconomachi*, & alij, qui celeberrima, atque testatissima catholici ecclesiæ miracula summo contemptu reijciebant, suæ tamen sectæ miracula quædam ascribere conati sunt. Sic *wicleffus* gloriosè se venditat de terræmotu (re tamen naturali) qui accidit cum ad synodum Episcoporum accersitus esset, quam ideo appellat concilium terræmotus. Quam atroces & horrendas catholicorum cædes, antiqui olim in *Bohemia*, & noui nostri nuper in *Gallia*, & inferiore *Germania* ediderint, quæ & quot cœnobia euerterint, quot ecclesias catholicorum flammis absumpserint, nulla oratio satis pro rei indignitate prosequi potest. Qua in re[i] *Donatistarum* egregij sunt imitatores. *wicleffus* & discipuli,[k] Dum totos se ita spiritualibus, & rebus à visu & sensu remotis affixos simulant, vt sensibilia & externa reijciant,[l] *Manichæos* nobis planè repræsentant. *wicleffus* & discipuli, censoriam sibi in omnes alios virgulam arripientes, mirificam quandam scientiam præ Catholicis,[m] quos simplices & ideotas appellant, sibi vendicant. Ita olim[n] NESTORIVS gloriabatur, se solum & primum, sacras scripturas solide intellexisse. Ita[o] *Sabinus* olim *Arianus* celeberrimi illius *Nicæni* Concilij patres, qui *Arium* damnarunt, simplicium atque idiotarum similibus nominibus dehonestat; vt & [p] *Pelagiani* Episcopos BRITANNIAE, *Galliæ* & *Italiæ*, à quibus perfidia ipsorum explosa erat.

SINGVLAREM[q] etiam sibi & præceptori suo, licet falsò, sanctitatem tribuunt, quò facilius simpliciores circumuentant, & erroribus suis implicent, sed hanc hypocrisim[r] *Mar-*

a *Vide VVald. to. 1. pag. 2. in prologo*
b *VVald. to. 2. doctrina 1.*
c *VVald to. 3. cap 139*
d *Aug lib. 20. cont Faustum ca. 11. to. 6*
e *Aug cont. epist. Manichæi cap. 8. tom. 6.*
f *Hier. in Oseam li. 2. ad cap 7.*
g *Cochleus in hist Hussit. li. 1. & 4.*
Tho. Morus. Pseudomart.
Foxi.
Cochleus 3. & 4
h *Greg. Turon. in hist. Franc li. 2. c. 3.*
* *Augustin.*
† *Niceph Patr. Const. q adiungit. Eutrop.*
i *Vide Aug. in epistola 50. ad Bonif*
k *VVald. to. 3. ca 145 & 154.*
l *Aug. li. 20. cont. Faustum to. 6.*
m *VVald to. 1. doctrina 4 & 5.*
n *Vincent Lirin. aduersus hæres*
o *Socrat hist. c. 9 l 2. ca 8.*
p *Aug. l 4 ca 12 cont. 2 epist. Pelag. to 7.*
q *VVald. to. 1. doct. 8.*
r *Origenes.*

 sionistæ,

hom. 2. super Ezech
a Genna. de illust. eccl. cap 45 ac Iuliano
b Aug. de mor. Manich. cap 18 idem prim. 1. Aug. cont. Iulian. li. 6 ca. 4 to. 7.
c VVald. to. 1 li. 2. ca. 43. Aug. li. 1 cont. Iul. ca. 2 to 7
d VVald to. 1 li 2 ca 3 ca 44.
e Alanus in quadrip. li. 1 ca 1
f Euseb li 5 ca 6 VVald in prolog. to 2 do 5.
VVald to 1. in prafat. doct. 5.

VVald. to 2. in prafat. doct. 6.

Ibid doctr. 8.

Aug li 4 cont duas epist. Pelag. in fine to 7.

VVald ibidem doct 9.

De Nest. vid Greg li 9 epist ad Secundianum Vide Aug. cont Iulian. Pelag li 3 ca 1. in fine.

VVald. to 2 in praf. doct. 7.

Vide Aug. li. 3. cont Petilia. resp. ad 93. Idem cont Parm li 1. ca. 6 VVald ibid Greg li 9 epist ad Secundianum

cionistæ, *Valentinian. Manichæi, Pelagiani*, & alij hæretici iam olim præoccuparunt. *Iulianus* clamabat[a] Deum olim schisma in *Romana* ecclesia diuinitus immisisse ob præceptorem suum *Pelagium* ab eodem anathemate irretitum; simulem & pro se[b] *Wicleffus* stolidam cautionem occinnit. Idem[c] IVLIANVS Episcopos occidentis & Manichæos contumeliosè appellauit propter eandem causam.[d] Quo etiam eos nomine *Wicleffus* nobilitat, quòd *Romani* Pontificis summæ & exorti authoritati firmiter, & constanter adhæresceant. *Wicleffiani* iactabant[e] sua dogmata ab Apostolis tradita, Cum tamen constet vel ab ipso primum *Wicleffo* emanasse, vel ab alijs hæreticis per eum desumpta. Ad quam se olim rationem *Samosatenses* qui Christum purum hominem asserebant, venditabant, suam hæresim ab Apostolis, ad VICTORIS[f] vsque Pontificis *Romani* tempora propagatam, gloriantes Quæ tamen ipsius VICTORIS temporibus, prima exordia sumpsit. Cum *Wicleffi* libri multis nefandis erroribus, quosque omnium piorum aures statim refugiant, scaturire noscantur, discipuli illius, vt periclitanti illius æstimationi atque grauiter læsæ, quacumque possent ratione subuenirent, multa, non quòd ita sentiret constanterque illa defenderet, sed inquirendi atque differendi potius gratia, ab illo prolata dictitabant. Sed hanc iam olim ante multa sæcula *Pelagius* fraudem adhibebat, cum ea proferret quæ videbat piorum omnium aures refpicere. More etiam veterum hæreticorum iactitant, catholicos libros præceptoris sui non intelligere. Subtilitates, inquiunt, Euangelici nostri magistri, nec quisquam fratrum intelligit nec monachi, nec clerici pseudocæsarei.

MAGNIS discipuli *Wicleffi* vocibus crepabant, & vane gloriabantur præceptoris sui dogmata longè, latéque non tolum per ANGLIAM, sed per *Franciam, Hispaniam, Bohemiam* & alias nationes dispersa, atque maximè per Academiam *Oxonien sem* probata; Cum tamen non modò in *Bohemia* per Academiam *Pragensem*, domique per varias synodos, perque *Oxonien sem* Academiam, in qua libri illius palam arsere, vt pote quæ supra ducentas hæreses in illis notarat, sed & per œcumenicum concilium anathemate deuoti, atque reiecti sint. Imo & ipse, se synodi sententia damnatum, aperte confessus est; quam propter terræ motum interuenientem, vt lepidus videatur, concilium terræ motus sæpius appellat. Sed hanc illis stolidi & vani ingenij laudem, iam olim *Pelagiani* præripuere, qui simili se, de *Pelagij* præceptoris vndique in occidente admissa, atque recepta doctrina, ostentatione venditarunt: quam tamen totus occidens dirè est execratus, indeque ille in alias oras profugere coactus est. Sed tandem cum viderent *wicleffi* discipuli, hoc commentum nimis futile ac putidum; mutata velificatione contrarium quendam, non minus stolidè & vanè cursum instituunt, vt querantur eum post mortem contra iustam, & exquisitam iuris & æquitatis rationem, causa non cognita, inconsultè atque præcipitanter à Concilio *Constantien si* damnatum; cum tamen & ipso adhuc superstite, doctrina illius vbique ecclesiæ authoritate (vt diximus) explosa sit. Et post mortem memoria etiam illius, non sine accurata quadam cognitione, & singulari diligentia, cura, cautione, & prouisione damnata sit. Quod facilè constabit ijs qui Concilij acta euoluere voluerint. Sed & hic maiores isti suos *Nestorianos* & *Pelagianos* commemoratos, quasi in speculo exprimunt, qui & ipsi clamabant, præceptorum suorum doctrinam nulla exquisita idoneaque cognitione præeunte, temerè reiectam.

WICLEFFIANI cum HENRICVS *quintus* regnum iniret, sperarentque eum ad suam factionem vel adduci posse, vel nihil grauius aduersus ipsos constituturum, vt auctiorem illius gratiam adulando colligerent, magnificis eum encomijs ornabant, & vt egregium Regem valde amplificabant, summamque in Clerum potestatem ei tribuebant, vt in eum inuaderet, ac spoliaret, possessionesque eriperet. Atqui vbi semel acerbiorem se erga eos ostendit, seuerisque legibus perditæ ipsorum audaciæ atque doctrinæ obuiam iuit, summa infamia nomen eius, affixis vndique famosis libellis, aspergebant; eumque principem sacerdotum contumeliosè appellabant. Qua in re *Donatistarum* plæclara vestigia consectati sunt, qui se ad eandem rationem inconstanter & turpiter, contra CONSTANTINVM *Magnum* dederunt, & tam ecclesiæ atque Episcoporum, quàm Principum laicorum iudicia atque decreta (quemadmodum & *Wicleffiani*) in nullo precio habuere. *Wicleffus* suos discipulos angelos & Apostolos gloriosè nominat, catholicos vero in hæreticos transformat. Sed & hic nihil alienum facit ab *Arianis*, à *Nestorianis*, qui ipsidem olim conuitijs & contumelijs catholicos infectabantur. Mirus autem quidam est *wicleffus* simulandi & dissimulandi artifex, mirificam animi demissionem, homo longè omnium insolentissimus, & flagrantissimum

veritatis

veritatis discendæ studium prętendens. Serio itaque protestari videtur, se, si per scripturas aut rationem vllacem posset conuinci, paratum dogmata sua reuocare. Si errauero, inquit, peto humiliter à Deo veniam, & submitto me correctioni, & informationi cuiuscunque creaturæ, quam sibi placuerit ad hoc ministerium limitare. Hæc ille, promisitque tandem in synodo, vt diximus, nolle se amplius huiusmodi dogmata in vulgus spargere; sed hæc cum omnia simulatoriè atque veteratoriè egisse, res ipsa docet. Quam ille simulationem à *Pelagio*, & discipulo ipsius *Cælestio*, ab *Ario* & alijs archihæreticis didicit, & in hac simulationis schola nobiliter profecit. *Vide Aug. lib. 1. cont. duas epist. Pelag. c. 1. & 2. De Ario in Tripart.*

Qvot ille sacrarum scripturarum authoritatibus, quantis & quot efficacissimarum rationum molibus, quot veterum & sui temporis synodorum decretis atque sectis oppressus, & obrutus iacet? Ille quidem tamen nihil respuit, imo & fidem datam, promissaque ipse sua maiore perfidia abiecit, & impiè rescidit. Imo illis paucis verbis, *quam sibi placuerit ad hoc ministerium limitare*, mirificam sibi euadendi perfugium reperit. Et cum concionatores à se delegatos, tanquam Angelos & Apostolos neminem remorari, ne Deum quidem ipsum aut debere, aut posse nefariè contendat, & si quis se contra illos opponat, à Deo eos luminatos vociferetur; cum tamen ad ipsius doctrinam discutiendam venitur, iam statim omnis illa præclara & demissa, vt videbatur, protestatio prorsus euanescit, aut, vt rectius dicam, in arrogantissimam insolentiam erumpit. Si enim se illi obijciat, atque ad emendationem reuocetur aliquis & doctus vir, si Episcopus, si Synodus, si Academia, si Rex, si Concilium denique œcumenicum, iam ad illam suam rimam & foueam (*quam sibi ad hoc ministerium placuerit limitare*) fraudulenta vulpes confugiet, & neminem ex his omnibus Deum ad hanc functionem, atque ministerium vocasse, insanis (quod vbique facit) clamoribus contenderit: discipulique illius palam testantur, tantam fuisse ingenij doctrinæque in eo magnitudinem, vt à nemine posset doceri, ceteroquin omnes nihil præ illo sonuisse. Adeo autem cum diligenter, & accurate omnes diui *Augustini* libros excussisse, & tam intimè in illorum cognitionem tenuemque penetrasse, insolenter illius discipuli iactabant, vt *Iouinien* cum *Augustinum* propterea gloriosè appellarent. Cum tamen a nullo magis Patrum, quàm ab ipso *Augustino*, absurda & impia illius dogmata euertantur. A tenim quòd humilibus & demissis (de quibus diximus) verbis, nihil aliud quam orbi illuserit, omni exceptione maiorem testem accersam, hoc est illum ipsum. An enim alibi, se confiteri humiliter, quod per aduersarios docto contrario per impossibile, vult errorem suum reuocare, & veritati contrariæ assentire. O nobile & egregium tanti Apostoli stratagema! Iam planè ostendit impossibile fore vt aliter sentiat. *The VVald. tom. 2. dect. 12.*

Videamvs iam & alia ducis huius stratagemata. Inter quæ illud vnum, licet *Donatistis* & alijs veteribus hæreticis commune, illi tamen quasi palmarium est, vt, cum eum rationes, scripturæ sacræ, & alia idonea argumenta destituant, totus ad contumelias, ad opprobria & & conuitia prorumpat. Cui appositissime illud responderi potest, quod *Petiliano* respondet *Augustinus*. Proponis tibi quos vis, in quos inuecharis quantum vis: in qua magna sermonis latitudine, vno breuissimo verbo, quod dicitur, proba, in arctissimas coarctaris angustias. Vt autem *Petiliani* & alij olim hæretici scripturas, quasi à se starent proterebant, à quibus tamen ipsi prorsus euertebantur, suoque testimonio concidebant, ita sane *Wicleffo* frequens in citandis scripturis, vt partim iam diximus, accidit. Quare accommode illa *Augustini* aduersus *Petilianum*, & in eum quadrant. Quæ tandem vis, nisi cæcitas & vanitas, cogit homines clausis (quod dicitur) oculis, tanquam in alterum iacere, quod cum in eum iecerint, continuo redeat, eumque retu reciproco affligat, intacto illo, quem vulnerare voluerat? Sicut isti *Donatistæ* de omnibus fere scripturarum testimonijs faciunt. Quæ cum se aduersum nos proferre arbitrantur, velut admonere nos videntur, quales eos ipsa scriptura conuincat esse. *Wicleffus* vnus ex his, qui, vt *Salomon* ait, veritatem pro buccella panis vendunt, in nulla magis se omnes ingenij sui, & argutiarum suarum vires expromit, quam vt materialem & naturalem panem in Eucharistia subesse contendat. Quod impium dogma, cum nemo manifestius aut solidius D. *Ambrosio* euertat, aulus tamen est homo iste impudens, ipsum *Ambrosium* in testem sibi accersere. Sed cum veris & genuinis *Ambrosij* libris destitueretur, librum adulterinum & commentitium, & a *Valeriano Meinburgensi* Episcopo, eoque schismatico compositum, sub *Ambrosij* nobis nomine & titulo obtrudit. Quibus antiqui olim hæretici fraudibus vtebantur. Sic *Pelagium*, *Iulianæ* Epistolam *Hieronymo*, sic librum *Sixti* Philosophi, *Sixto* Papæ & Martyri attexuere. *Vide Aug. in epist. ad ecclesiam Hipponensem & l. 2. cont. Petil. c. 35* *Lib. 2. contra Petil. princip.* *VVald. loc. 2. ca. 47.* *Vide Bridam super Genes. & Hieron. ad Lætam.*

a Amb de pœnit. sectatis Aug. de haer.

NOVATVS,[a] *Aërius*, *Arius*, & alij cum Episcopatus, cui ambitiosè inhiabant, spe excidissent, dolore & odio moti nouis hæresibus Ecclesiam vexarunt. Simili de causa [b] *Wicleffus* Hæresiarcha factus est. Hæreticæ olim mulieres, sacerdotium sibi impudenter, atque insolenter arrogabant.[c] Nec minus impudenter & *Wicleffi* discipulæ. Quod antea attigimus. *Wicleffus* cum se impiaque sua dogmata, immensa vbique catholicorum, recte sentientium multitudine obrui videret, cum *Donatistis*, cum *Arianis* & alijs veteribus hæreticis vociferatur,[c] multos vocatos, paucos, electos: Id etiam à *Donatistis* & antiquis hæreticis mutuatur, vt dogmatum tuorum sæpè manifesta turpitudine ita irretitus vt se expedire non posset, catholicos[d] quibuscum decertat, ita sensisse, vanissimè atque impudenter asserat. Id etiam cum ijsdem *Donatistis* commune habet *Wicleffus* cum suis, vt aduersus catholicos[e] quod diuitias possideant, vehementer declamitent, ipsi interim diuitijs coaceruandis toti intenti. Vehementer *Wicleffus* aduersus fratres inuehitur,[f] quod manibus operando victum sibi non compararent. Sed cur ille, & ipsius discipuli hac in re alijs exemplo non præierunt? Contra eosdem etiam inuehitur, quod gratis non concionarentur. Et interim conflat *Londini* ingentem pecuniæ summam coactam, quæ ad diui PAVLI crucem, concionantibus (modo non essent fratres) erogabatur. Qua post triennium consumpta, concionari alij quidem destitere, fratresque munus id obiere. Fuitque vnus ex illius discipulis [g] *Gulielmus Albus*, qui apud GVLIELMVM *Nordouicensem* Episcopum hæreseos delatus est. Quiuuenem quendam ita circumuenerat, vt ab eo XL libras, à quibus totus adolescentis victus pendebat, emunxerit, illaque intra annum perdite profuderit. Hoc autem *Pelagio* & eius discipulo *Iuliano* affine habet, vt [i] multa obscuris dubitationibus de baptismo paruulorum inuoluat, quæ huc clam tendunt, vt infantes superfluò baptizari videantur, quamuis id cum illis aperte pronunciare non audeat, ne tam firmata alubriter ecclesiæ consuetudo violatores suos ferre non possit, vt aduersus eundem *Pelagium* scribit *Augustinus*. An se *Wicleffus* tam sanctum putarit, vt [m] *Petilianus* olim *Donatista*, vt populi pro se preces parum necessarias putarit, iam non pronuncio. Illud interim accuratius obseruandum est, cum ipse insolenter fratribus & falsò exprobret,[n] quod populi se precibus nunquam commendent; illum tamen in tot, quos latinè atque vernacula lingua libris conscripsit, populi aut aliorum nunquam preces expetere, nec Deum pro aliqua re (nisi in aliorum malum) orare. Quid sequutus, nescio, vtrum id quod diximus, an fatalem illam, qua omnia humana & diuina inuoluit, necessitatem.

b Thalwald. to 1. li. 2. ca 60

c Vide c. 18 Firmiani ad Cypr. inter epist. Cypriani Epiphan. de hæreticis

d Tho Wald. to. 2. cap. 7

e Th VVald. to 2. ca 44. Aug li. 2 ca 60 contra Cresconium. & contra Petilianum li 1. resp. 45. Cassiod in Psal. li. 9 c. 19.

f Aug. contra Faust. li 3 ca 45.

g Tho VVald to 2 cap. 69.

h Aug li 2. contra Faust

h Wald. to 1. li 2 ca 21.

i Idem to 1. li 2. ca 23.

k Tho. VVald to 1 ca 99

l Tho VVald to 1 c. 60 Aug apud eund m Aug. contra Petil li. 2. resp 206.

n Th VVald to 3 ca. 95. & 105.

Veterum fere omnium hæreses in Wicleffo *& eius discipulis renatas.*

CAPVT XI.

EX his quæ iam commemorauimus, abundè pio & prudenti Christiano liquere potest, indignum esse *Wicleffum*, cui vllam in suis contra ecclesiam scriptis fidem adiungat. Cum præsertim non vna aut aliqua hæresi contaminetur, sed tot affluat veterum hæreticorum damnatis dogmatibus, vt ante illius tempora per omnem ecclesiæ memoriam nemo alius. Cuius iam rei aliqua satis luculenta dabimus documenta. Vt itaque explosos iam olim *Anaxagoræ*, *Apulei* & aliorum philosophorum varios errores, ita & multiplices veterum hæreticorum, quos ille ab ecclesia confixa dogmata, perdite renouauit. Vnde enim illud suum dogma contra magnificas templorum constructiones, nisi a [o] *Sagarellianis*? Vnde illud quòd ecclesia Christi sit abdita & occulta, nisi a [p] *Rogatistis*? Vnde illud contra orationes pro defunctis, nisi ab [q] *Aerio*? Vnde illud quòd Christiani sint [r] idololatræ propter honorem quem Diuis impendunt, nisi a *Vigilantio* & alijs veteribus hæreticis atque paganis? Vnde & illud contra miracula & reliquias Diuorum dogma, nisi ab *Eunomio*, *Vigilantio*, & *Arrianis* [s] sumptis? Iubet sperare in propria iustitia. Quid hoc aliud est, nisi *Pelagianum* & *Pelagianum*? Deus inquit potest nihil aliud facere quam quod facit. Hoc ante eum docuit *Petrus Abaelardus* quem egregiè confutauit diuus [t] *Bernardus*. Illud verò illius de absoluta rerum necessitate, quo liberum hominibus arbitrium tollit, *Manichæorum*, [u] *Pelagianorum* & *Prædestinatorum* hæresim sapit. *Manichæum* quoque sapit & illud,

o VVal to. 1. li. 1. ca 6 & to 2 ca 27 76 79.

o Matt Cantab. Carmel. d. hæres

p Aug epist 48 ad Vine. contra occultam Donati ecclesiam

q Aug de hær. cap 14.

r Euseb. Hier. cont Vig lant.

s Amb 3. de Prouid. & Gerualius Hier contra Vigilant.

t Epistola 190 u Aug de hær. & in hypognosticon 4 Prosper. in chron.

illud, quod Deus non creauit mundum ex omnino nihilo. Nec longe distat illud illius à *Manichæo* delirio, quo statuit [a] Deum præscitum saluare non posse; nisi quod *Manichæus* hoc naturæ hominis maiæ, *Wicleffus* absolutæ præscientiæ necessitati tribuat. Reiicit [b] solemnes ecclesiæ cautiones cum *Manichæis*: mulieres etiam [c] sacerdotio ornat, in eo est *Pepuzianus*.

Imo cum audis *Wicleffum* asserentem [d] omnes viros & feminas membra Christi, sacerdotésque sacrum dantes, existima te audire *Chore*, *Dathan*, & *Abiron* clamantes contra *Aaronem*; *Omnes*, inquit, *multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus*. Quanquam *Dathanitæ* nunquam in eam infamiam prorupere, vt feminas ad hanc sacerdotij dignitatem vocarent, & eo eorum audacia exulabilior videbatur, quod & ipsi essent Leuitæ. Et tamen atrocissimo, & inaudito peromnem hominum memoriam supplicio, hanc illorum arrogantiam Deus ad omnis posteritatis exemplum vltus est. *Wicleffus* libertas coniugij ineundi habenas sacerdotibus permittit, præclarus scilicet *Nicolai*, *Bardeizitæ*, [e] *Vigilantij* atque *Iouiniani* imitator, *Montanus* autem non paulo deterior. [f] Illi enim Episcopos in tertium ecclesiæ statum atque ordinem deuoluebant. Iste eum omnem de albo ecclesiæ, apud quam Apostolorum locum semper tenuere, prorsus tollit. Quanquam quod etiam & Episcopo non modo vxorem ducendi potestatem tribuat, sed & necessitatem imponat, ex illis *Pauli* verbis, quorum sensum peruersa interpretatione corrumpit: *Oportet Episcopum esse vnius vxoris virum*, ipso *Iouiniano* deterior est. Qui confitebatur, teste *Hieronymo*, non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat. Vt *Pestilianus* hæreticus [g] Diuum *Augustinum* conuitijs incessit, quòd monasticum vitæ genus instituit, monachisque præscripta, & dictata quædam dedit; ita propter eandem causam diuos *Benedictum* & *Bernardum*, atque alios *Wicleffus* insectatur. Atque vt ille hoc genus vitæ quale sit nesciebat, vel potius toto orbe notissimum, vt scribit *Augustinus* nescire se fingebat: Ita & *Wicleffus*. [h] Qui cum ijs qui monasticæ vitæ sunt initiati, ab ea desistendi & in aliam se viuendi rationem transferendi liberum tribuat facultatem, ipse se in [i] *Lampetium* insignem illum hæreticum transtulit. In [k] eo autem dogmate quo nudam, & à veritate separatam Christi carnem latria adorandam docuit, in [l] *Photinum* vel *Paulum Samosatenum* transformatus est. Cum [m] autem ecclesiam ex solis prædestinatis constare garrit, in [n] *Pannonianum Donatistam* transformatus est. Externum baptismum propter [o] intentibilem quendam flaminis, vt appellat, baptismum, externas sacerdotum ordinationes, propter internam & occultam quandam, quam somniat Dei vocationem, parui momenti facit. Atque hic se egregium [p] *Manichæorum* discipulum ostendit.

Quòd ecclesia [q] possessionibus & opibus abundet, iræ diuinæ, id argumentum esse docet *Wicleffus*, & quòd propterea eam Deus reiecerit. Id autem ille à veteribus ante GREGORIVM *primum* hæreticis est [r] mutuatus. Et ad *Apostolicos* illos ea in re hæreticos quam proximè accedit, nisi quod illi omnibus in vniuersum rerum propriarum omni possessione interdicebant. Docet *Wicleffus* Episcoporum benedictiones (vt appellant) nullius esse momenti. Sed multis ante sæculis in hoc eum error anteuertit [s] *Pelagius*, licet alia eas ratione reiiciat. Nullum [t] discrimen facit inter Episcopum & sacerdotem. Sed hæc [u] hæresis ab Aerio primum profluxit. Docet, cedere omnibus bonis propter Christum, nullam accessionem aut cumulum dare ad perfectionem, nec eleemosynam nostram ignotis impartiendam: sed hæc iam à [v] *Vigilantio* tertente hausit. Negat malum sacerdotem sacramentum aliquod conficere. Sed hæc ante mille annos [b] *Donatistarum* fuit hæresis, amplissima ecclesiæ auctoritate vbique explosa. [c] Quanquam *Wicleffus*, *Donato* in hoc deterior, quod ille solis iustis, iste solis prædestinatis hoc munus tribuit. Imo reuera ab omnibus tollit, dum docet non debere nos credere quenquam sacramentum aliquod conficere, sed opinari tantum, propterea quod non sit nobis certum an sit præscitus. Negat in Eucharistia verum Christi corpus subesse. Sed hanc gloriosam scilicet palmam *Berengarius* aut potius incredulitas illi Christi apud *Ioannem* discipuli, qui & propterea à Christo vt [d] *Wicleffus* à sponsa illius ecclesia, recesserunt, & post eos *Nestorium* præripuere. [e] In eo vero dogmate, quo statuit baptismum non esse ad salutem necessarium, non multum à *Manichæorum* hæresi recedit. Discipuli autem illius in *Bohemia* septennio nullum publice baptismum adhibebant. [f] Cum autem docet charitatem prædestinati amitti non posse, nec Spiritum sanctum à *Moyse*, aut à *Davide* propheta, etiam eo tempore, quo grauiter aduersus Deum peccabat, recessisse; *Pelagianum* se plane ostendit. Illa etiam illius & *Pelagianis* dogmatibus valde affinia sunt, Concedo, inquit, quòd ista corporalis vnctio est aliquibus, ceteris paribus, sacramentum. Sed oportet tunc quod presbyteri mereantur

a VVald. to 3. ca. 97.
b Aug. li. 9 contra ſaust. cap. 4.
c Aug. ut bar.
d VVald. to 3. cap. 59.
e Hier. contra Vig.
f Euſeb. ad Marcellam de pœn.
1 Tim 3.
Contra Iouinianum
g Aug. li. 4 c. 35 contra Petilia
h VVald. to 1 c. 17
i Dei. Damaſc. li. 100. Har. 1. ar. 2
k VValdo vbi. 1 ar. 4. ca. 43 & 44
l Aug. in Pſal. 118.
m Dial. li. 2 ar. 2 cap. 8.
n Aug. li. 3 contra Parme. & in Pſalm. 36.
o VVald. to. 2. cap. 97.
p Dama. de har. har. 80.
q VVald. to. 1. li. 2 ar. 3 ca. 49.
r 23. Moral c. 8. Aug. de har. c. 4.
s VValde. to. 1. li. 2 ar. 3 ca. 50.
t Concil. Carth. concil. ad Inno. Papam
u VVald. to. 1. li. 2 ar. 3 ca. 60.
x Aug. de har. ca. 54
y VVald. to. 1. li. 4 ar. 1 ca. 12 & 13
z Euſeb. Vig.
a VVal. to. 2 ca. 3.
b Aug. li. 2 de bap. contra D. cap. 3
c Poſſim.
d To. VValdi. to. 2. ca. 15.
Ioan. 7.
e VVald. ubi ca. 16.
f Aug. de bap. cap. 16
g VVald. to. 2. cap. 103.

antur suis deuotis orationibus infirmatis. Ita non gratuitæ Dei bonitati, sed merito sacerdotis vim tribuit sacramenti.

NEC [a] animæ nec corpora, inquit, *Wicleffus*, sunt in istis sepulchris, quæ incolunt, collocata. De animabus nemo vnquam catholicus aliter sensit. Illud autem alterum nimis impudentissimum mendacium, cum alibi aliorum; tum DIVI CYPRIANI: ad nostra vsque vt diximus tempora integrum, & illibatum in sepulchro apud nos corpus manifeste refundit. Et hæc calumnia [b] *Manichæum* quidem sapit, vt & illud illius dogma, quo templorum magnificam constructionem dæmoniacum principium dicit, ad seducendum populum. Magna enim & arcta quadam cognatione, *Wicleffus fausto Manichæo* coniungitur, aduersus quem ita *Augustinus*. Ecce [d] quomodo templum Dei blasphematis, vt non solum non sanctum esse dicatis, verumetiam machinamentum diaboli, & ergastulum Dei. [e] *Massilianorum* simul hæresi implicatur, dum communia christianorum templa contemnit, & in priuatis solum locis orare decet. Ad *Manichæos* etiam quam proxime accedit in illis suis [f] de ideis deliramentis. Illud etiam *Wicleffus* & ipsius discipuli dogma à *Donatistis* hausere, & quo fidei causas ad Principum laicorum arbitrium reuocant. Sic *Nestorius*. [h] Nostræ, inquiunt, preces sunt, vt iudicium a tua pietate accipiamus. Illud autem suum discrimen, quo statuit [i] duas in homine formas spiritum & animam, & preter spiritum immortalem, & corpus corruptibile animationem quandam mediam, ab *Apollinari*, *Vincentio*, & alijs hæreticis mutuatus est; vt & illum suum errorem ab ethnicis, à Philosophis, à *Manichæis* quo [k] somniat animam completam & perfectam personam hominis. Restauravit etiam *Wicleffus* & illum Philosophorum atque hæreticorum vetus dogma, [l] quo animam in alia multa corpora migrare, illisque vitam infundere somniant. Quod autem pro amplitudine sua dignitatis [m] omnibus, sine licentia potestateque Episcoporum, concionandi vbique largissimam facultatem præbeat *Wicleffus*, ab *Waldensium* dogmatibus sumpsit.

IN illis vero suis contra [n] baptismi necessitatem furoribus, *Pepagianos* non modo æquat, sed & longè superat. Illi infantibus stolido quidem discrimine, [o] licet non regnum cælorum, vitam tamen æternam, etsi non baptismo perfusis, pollicebantur. Ceteris omnem salutis aditum non baptizatis obstruebant. Quem iste nouo commento aperit per aquam exclatere Christi, vt præcaximus, etiam. In hoc quoque [p] *Pelagianis* deterior, quod omnia peccata per baptismū aboleri neget. [q] *Wicleffus* dum expiatricem & auricularem, vt vocamus, confessionem & pœnitentiam abrogat, [r] *Iulianum* illum Apostatam, *Massilianos* & *Luciferianos* hæreticos strenue æmulatur. Cum clamat, [s] videtur illud esse sanum atque catholicum, quod Christianus non communicet cum prælatis in Sacramentis & sacramentalibus, *Donatus* planè in eo renatus est. Longum esset persequi reliquos veterum errores atque hæreses, quas infanus iste homo tanto postliminio restauravit. E quibus princeps est illa, *Abrahamorum* & aliorum fere omnium hæreticorum supremum refugium [t] solis scripturis credendum. Est & illa, quod [u] Deus tribuat bona tantum bonis, & mala malis tantum. Quando autem affirmat, [x] authoritatem & potestatem *Romani* & aliorum Pontificum, non ex ministerio & officio delegato, sed ex vita metiendam; veterem quendam Ethnicorum renouat errorem. Cum vero [y] maiorem perfectionem in eo statuit, qui non vouet, quam eoqui vouet, ad *Vigilantium* quàm proximè accedit. Quoties autem audis eum clamantem, [z] malorum sacerdotum orationem blasphemiam, toties *Petrobrusium* & alios *Donatistas* te audire ne dubites. Nec minus cum asserit [a] sacerdotem manifestè malum nihil conficere aut conferre Sacramenti, in eo autem qui occultè malus est, Christum conficere & conferre. Contendit *Wicleffus* quod [b] non est futurum, non posse fieri. Quain re veterem *Diodori* Philosophi, & *Petri Abelardi* hæretici errorem restauravit. Committit præterea *Wicleffus*, [c] peccatorem suo ipsius arbitrio, vt iuxta illud pœniteat, sine Sacramenti gratia, aut sacerdotis præscripto. Quod cum *Iuliani* & aliorum *Pelagianorum* scitis belle quadrat vt & illud cum *Nouati*, quo asserit, [d] claues spirituales non esse sacerdotibus: datas ad tollenda hominum peccata. [e] Destruebant (inquit *Augustinus*) *Pelagiani* preces ecclesiæ, dum gratiam Dei prædicabant dari pro meritis. Multo autem magis *Wicleffus*, dum contendit, non solum gratiam, sed & [f] gloriam dari pro meritis, & asserit etiam, vt diximus, [g] Deum non requirere cogitationem & vocem, sed vitam iustitiæ suæ complacentem. Vetus fuit hæresis dicentium, [h] si nouit Deus quid oremus, & antequam oremus scit quibus indigeamus, frustrà ferenti loquimur. A qua quantulum quæso, abest *Wicleffus*, dum scribit: Deus omnia parat & disponit, in tantum, vt si oret quis, vel non oret, non magis

a Th. Wald to 3 c 111
b Augustl. li 20. cont. Faustum Manich. dist. 20. 3 cap. 143
d Lib. 20. contra Faustum ca 13.
e Tho Wald to 3. ca 146 Io. Damasc. de 80. hæres.
f Wald to 1. li 2. art. 1. & ca. 5
g Wald to 1. li 2. ar 3 c. 40, 79 & 80.
h Ephes. synod in petitione prima ad imperatoria.
i Wald to 1. li 2 ar 1 c. 11 & 31
Aug. super Ioan. tract 47 & de origine animæ cont. Vincent. li 4 ca 14.
k Wald to 1 li 2 ar. 2 c 34. & 51.
l VVal to 1 li 2 art. 2 ca 38.
m Idem ibi art. 3 cap 29.
n VVald to 3 ca. 101.
o Aug. li 2 cont 2 epist. Pel c 4
p Wald to 2. cap 108
q Th VVald to 2 ca 135
r Cassiod lib. 6 c. 2 Damasc de 80 hæres Guido Carm. d hæres
s Tho. VVal to 1 li 2 ar 2. ca 16. Aug. epist 178 ad Vincent. 48.
t VVal to 1. li 2. art. 2. c 19.
u Idem to 1 li 2. ar 3. ca 83 & 10. 2. ca 3.
x Idem to 1 li 2. art. 1. ca 35.
y Idem to 1 li 3. ar 2 ca 21
Hieron. in dial contra Pelag
z Tho VVal to 2 c. 6. Aug. cont. Petili 2. 14. 15. 29
a Idem ibid ca 23 Aug. contra Petil. li 2 ca 55.
b Idem to 1 li 2 ca 19 Bern epist. 190
c Idem to 2 cap. 144 Aug contra Iulianum lib 5. cap 4.
d Ibid cap 145
e Idem to 1 c 1 Aug in Retract. ca 28
f Idem ibid.
g Idem to ca 2.
h Petro Mauric 6 Tho. VVald. to 3 ca 15.

magis vel minus dabit Deus quod dispoſuit. [a] Nocturnas autem preces cum *Vigilantio* damnat. Garrit autem cum ethnicis [b] plures Deos nos colere, propter honorem & cultum, quem Sanctis, qui cum Christo regnat, impendimus. Hæc & alia complurima id genus vocum, assertionumque portenta, ex libris *Wicleffi*, tanquàm ex puteo quodam inferorum, facile hauriri poterunt.

a *Idem ibi c. 16.*
b *Idem ibi c. 17. Zuinglius 4. ecclesiast. 16.*

Iam si magistri erroribus, discipulorum peculiares & proprios errores atque hæreses quis adiungeret, quas nostris illi, aut antecedentibus temporibus à veteribus atque explosis hæreticis sumpsere, non parua sane foret accessio. Inter quos sunt [c] *Iconomachi*, qui veterem *Seueri*. *Xenaiæ*; *Constantini Augusti*, qui *Copronymus* dictus est, & aliorum damnata, atque anathemate notata dogmata renouarunt. *Sunt* & illi qui baptismum puerorum superfluum & inutilem existimabant. Qui fuit *Albigensium* & *Publicanorum* error. Huc accedit incredibilis plane eorum impudentia, qui verba Christi in cœna non ad eucharistiam, sed ad solas scripturas populo distribuendas pertinere contendebant. Qui tamen tam fatuus & impius error in *Paulinis* prius resedit. Illi autem qui & se ex secta *Wicleffi*, & qui se etiam hodie ab omni peccato immunes & puros, quos *Puritanos* vulgo appellamus, de quibus paulo ante diximus, iactabant & iactant, hæreticos veteres, qui *Cathari* dicti sunt, ad præclaram scilicet imitationem sibi arripiunt. Nec longe à *Sagarellinis* hæreticis cum suo præceptore differre videntur publica templa contemnendo. Qui asserebant ecclesiam consecratam, nihil plus momenti habere vt ibi preces fundamus, quam stabulum pecorum. Imo præstarem in, nemoribus quam ecclesijs orare. *Iouiniani* etiam illam, de læsa & violata beatæ Mariae virginis matris Christi post partum illius virginitate, hæresim *Wicleffi* discipuli in Anglia resuscitarunt. Quin & illud detestabile *Berketi*, de quo commemorauimus, dogma, quo cuilibet potestatem dat tyrannum aut hostem reip. è medio tollendi, videtur à veteribus *wicleffi* discipulis per manus deductum. Quod *Constantiense* concilium vt pestiferam hæresim damnauit. Dogma autem erat his verbis conceptum. Quilibet tyrannus potest, & debet licitè & meritorié occidi, per quemcunque vassallum suum vel subditum, etiam per clancularias, & subtiles blanditias vel adulationes, non obstante quocunque præstito iuramento seu confœderatione factis cum eo, non expectata sententia vel mandato iudicis cuiuscunque. Illud autem, quòd fere totius huius hodiè hæreticæ architecturæ fundamentum est, Solam fidem iustificare, à *Simone Mago* primum profectum est. Diximus iam antea alios ex nostris, non ante multos annos, execrandum *Pneumatochorum* contra spiritus sancti diuinitatem; alios *Valentinianorum*, qui negabant Christum carnem ex virgine Maria sumpsisse, dogma resuscitasse. Cetera huius generis, si iusta opera persequerer, oratio mea in immensum cresceret. Quare ad reliqua, quæ mihi incumbunt, eam transferam.

c *Vide Nicæ. Synod. 2. Act. 1. Niceph. lib. 16. c. 27.*

Tho. Wald. to. 3. cap. 33.
Pet. Blesensis in sermone qui incipit Sicnos existimet.
Euthimius Zigab. in panoplia.
VVald. to. 3. ca. 143.
Guido Carmel. lib. de hæres.
Tho. VVald. to. 1. li. 2. art. 2. ca. 27.
Sessione 15.
Iren. l. 1. ca. 27.

Quod Wicleffi *discipuli ad promouenda præceptoris dogmata, exitiales & horrendas seditiones contra remp. excitarunt. Quibus ipsius* Wicleffi *libri maximam quandam occasionem suppeditarunt, deque* Ioanne Baleo *sacerdote, &* Ioanne Strawio *seditionis, regnante* Richardo, *Principibus.*

CAPVT XII.

Vehementissimis & perniciosissimis hoc seculo motibus atque seditionibus, regnantibus præsertim Richardo & Henrico *quinto*, Anglia laborauit. Quibus cum alia quædam, tum cum primis *wicleffi* dogmata, magnam occasionem dederunt, & ardentissimas quasdam faces incenderunt. Iactata est ijsdem motibus, & ex eadem causa hoc sæculo *Bohemia*. Sed de *Bohemia* postea, priùs vero de funesta hac apud nos clade tractemus. Etsi vero sub Richardi imperio alios aliæ, vt fit in populari coitione, causæ huc protruserint, maxima tamen populi pars, & ipsa præsertim seditionis capita & concionatores, qui illam vehementissimis persuasionibus, & omni, quo poterant dicendi artificio primùm excitarunt, & excitatam non minori studio & vehementia promouebant, ardentius illam semper vrgentes, non solùm aduersus ciuilis reip.

statum

ſtatum, ſed & aduerſus catholicam ipſam fidem diſſipandam atque euertendam, nefariè coiere. Nam quòd ſpectat ad illas alias ſub HENRICO turbas, & motus; illos ad miſerabile fidei Chriſtianæ exitium totos ſpectaſſe, nihil eſt, vt poſtea oſtendemus, expeditius. *Wicleffi* autem dogmata, quæ longe latéque, magnáque quadam licentia & impunitate ad RICHARDI tempora ſpargebantur: prioris illius ſeditionis quaſi tubam quandam fuiſſe, facile rem preſsius intuenti conſtare poterit. Quid enim aliud fuit, quam huius & ſequentium ſeditionum quaſi claſſicum quoddam, funeſta illa illius, quam commonorauimus, vox, populum poſſe ſuo arbitrio principem delinquentem caſtigare? Quid illa, non eſſe Regem non alicuius rei dominum, qui peccato mortali eſt obnoxius? Non ſolum autem RICHARDVM Regem, ſed & omnes antecedentes & conſequentes ANGLIAE Reges, mortali peccato implicatos, vel ex eo, ſi *wicleff* dogmata ſequamur, conſtat, quod Clero poſſeſſiones non eripuerint. Id etiam tradit, omnes qui huiuſmodi poſſeſsionibus fruerentur, ſempiterna apud Deum ſalute excidere.

ADIVNGE iam huic alia id genus dogmata, quæ antea recenſuimus, & facile erit tibi conijcere, illa fuiſſe huius ſeditionis cotem. Cum præſertim omnem laxam & diſſolutam viuendi rationem, atque licentiam populo tribuerint. Adiunge nefarios concionatores, è quibus princeps fuit ſacerdos quidem *Ioannes Balæus*, de quo hoc nobis loco fuſius dicendum eſt. Fuit enim quaſi os, & tuba quædam totius huius tumultus. Quem & damnatis ſuis concionibus concitauit, & concitatum aluit, & ſua præſentia vehementer promouit & prouexit. Erat vero è *wicleffiana* hæreſeos nefaria diſciplina. Inde illa illius dogmata, quæ in concionibus effundebat, Decimas non dandas, niſi qui reciperet tenuiori eſſet fortuna, & pauperior dante; imo niſi cui daretur magis inculpatæ vitæ foret, quam qui daret; Neminem nothum poſſe ad æternam ſalutem animæ peruenire, & id genus alià hauſta. *Wicleffi* certe libri bellum quoddam totius huius ſeditionis ſeminarium fuere, quippe qui immoderatam quandam quidlibet ſentiendi faciendique, debitamque magiſtratibus obſeruantiam violandi, libertatem, occaſionemque ſuppeditant. Quam *Ioannes* auidè complectebatur, & iam dicendi artifex atque inueterator, viginti que annos in concionando tritus, ea potiſsimum dicendo aucupabatur quibus ſe popularem faceret, plebiſque gratiam colligeret. Quare ea potiſsimum ab eo proficiſcebantur, quæ populo plauſibilia & grata viderentur, quibuſque dominis & locupletioribus, ſeruorum & tenuiorum inuidiam odiumque crearet, quibuſque viros Principes tam profanos quam eccleſiaſticos, exitialibus inter ſe diſſidijs committeret. Extitere certe multi id genus perditi his temporibus concionatores, qui hæreſes id temporis in cœmiterijs, in nundinis & alijs locis, ad quæ maior populi frequentia concurreret, ſeminabant, eaque præterea, quibus populum ad ſeditionem acuebant, & diſcordiarum ſemina inter Principes viros iaciebant, tantaque multitudine ſtipati incendebant, vt res iam ad manifeſtum reip. periculum vergeret, neque ab Epiſcopis propter multitudinem, qua ſtipabantur, & quòd locum de loco mutarent, facile capi poſſent. Cui malo per parlamentum occurſum eſt. Et nos iam antea diximus, aliquot huiuſmodi motus, & ante hunc quartum RICHARDI annum concitatos fuiſſe.

Anno 1. Ri. 2. cap. 5.

Ex his vero nefarijs concionatoribus *Baleus* princeps quidam fuit, ob quas tertium in carcerem coniectus eſt. In quo poſitus iactabat ſe ab amicis, viginti hominum millibus eos ſtipantibus educendum. Et certe per ſeditioſos, in initio huius motus, è carcere liberatus traditur. Ante itaque hanc ſeditionem ortam, ſolebat ea potiſſimum auribus populi inſtillare, quæ cum voluptate & titillatione in eas influerent, quibuſque ad rerum omnium ſtatuſque communionem, & æqualitatem omnia reuocarentur. Quod donec contigiſſet, rem in ANGLIA nunquam bene ſucceſſuram aiebat. Indignam eſſe hominibus cum primis ſeruitutem, quos omnes natura ab initio, in pari honoris dignitatis & libertatis gradu collocaſſet. Et vide quæſo, inquit; Iſti, qui ita nos, quaſi abiectiſsimi ſeruitij, inani quadam nobilitatis & ingenuitatis ſuæ ſpecie & ſuco premunt, qua demum in re præſtant, niſi quòd noſtris grauiſsimis ſudoribus partas diuitias, ſuis delicijs perditè & petulanter exhauſerint? Sericis, mollibus & ſplendidis indumentis illi, nos abiectiſsimus veſtimur. Illi generoſiſſimis vinis, ſportellis, ortolaganis, ceteriſque delicijs abundant; nos ad paleas, & frigidam aquam detrudimur. Magnificas illi & amplas domus habent, quibus calorum maleſtiam frigoriſque vim propulſent, cum nos interim ſub dio noctu diuque pluuiæ, ventis, omnibuſque æſtatis & hyemis iniurijs obiiciamur. Accedunt fœda, ad indignitatis miſeriæque noſtræ cumulum, & ſeruorum nomina, quibus ignominioſè compellamur,

Thom. Wald.

mur, & dira etiam verbera quibus affligimur ab ijs, qui ex noſtris laboribus deliciantur; & quod omnium miſerrimum eſt, quòd nemo ſit ad quem, pro ſubleuanda noſtra miſeria, receptum habeamus, cuiuſque opem imploremus. Hoc ſolum in his tantis difficultatibus iam nobis ſupereſt, vt iuuenem noſtrum Regem adeamus, & apud eum de noſtris iniurijs queramur, & poſtulemus, vt hanc tam crudelem, ignominioſam, & impotentem naturæque diſſentaneam dominationem, illius ope & auxilio tandem excutiamus. Vbi ſemel hoc iter ingreſſi fuerimus, concurret ad nos vndique immenſa eorum, quiſeruitute eiuſmodi premuntur multitudo, communemque nobiſcum operam conſociabit, ad turpem hanc ſeruitutis notam delendam. Quòd ſi Rex noſtras preces ſpreuerit, nos nobiſipſis noſtra virtute & manu prouidebimus.

HVIVSMODI ſolebat *Baleus* concionibus populum, ante hunc huius anni tumultum, à quietis ad turbulenta & tumultuoſa conſilia, & ab omni officio atque obſeruantia in Dominos & magiſtratus auocare. Is, vt diximus, naſcente hoc tumultu, *Cantuariæ* Archiepiſcopi domum cum *Waltero* duce deprædatus eſt. Et cum immenſus iam factioſorum numerus ad *Blackhethum* concurriſſet, concionem ad illos habuit veteri illa ſua, & funeſta facundia oblitam, qua flagrantes inſanientium animos magis tamen incendit. Eſt apud nos quaſi tritum adagium, vt noſtra etiam verba vſurpem, *Whan* ADAM *delued, and* EVE *ſpanne, who VVas than à gentleman?* Quod hunc ſenſum reddit. Cum *Adam* terram foderet & *Eua* fuſum teneret, ecquis precor id temporis nobilium fuit? Hæc præclarus iſte Rhetor verba arripuit, quibus populum ad ſeditionem exacueret. Magnáque deinde voce & lateribus populo, quem author meus ad ducenta millia ſupputat, ſuadere incipit, vt libertatem ſibi omni ratione aſſererent; quippe quàm natura ex æquo omnibus indulſiſſet. Non Deum, ſed impotentem & nefariam hominum cupiditatem, tantam labem humanæ dignitati aſperſiſſe. Quam detergendi, oblatam iam eſſe diuinitùs præclaram occaſionem, nec illam vllo eos modo dimittere debere. Huius autem naturalis libertatis, tanto poſtliminio recuperandæ, hanc fore rationem maximè luculentam & expeditam, ſi diligentes & nauos agricolas imitarentur, qui ex agris herbas noxias, quæ bonam frugem alioqui ſuffocarent, funditus euellerent atque eradicarent. Quorum illi ſibi induſtriam ad imitationem rapere deberent, atque curare Proceres, & nobiliores iuſtitiæ præfectos, iuriſprudentes, ceteróſque indiſcriminatim, per quos libertati reſtituendæ impedimentum obijci poſſet, è medio tollendos, vniuerſos ad eandem vitæ fortunarúmque conditionem & æquitatem vocandos, ſublato omni inter Dominos & ſeruos, nobiles & ignobiles diſcrimine. Hoc vnum eſſe rectè conſtituendæ Reipublicæ fundamentum.

HAEC & alia eiuſdem farinæ cum effunderet, ſucclamatum eſt à multitudine, dignum eſſe qui *Cantuarienſi* Archiepiſcopatu, & Cancellarij munere defungeretur; Qui enim hæc munera iam ſuſtineret, inſignem eſſe patriæ proditorem, & vita priuandum. Nec priùs quieuere, quam funeſti homines cum *Baleo* duce, illum, vt diximus, opprimerent. Et neſcio certe an ſibi de tantorum munerum ſucceſſione, ob honorificam illam populi ſucclamationem, ſi populi expectationi rerum euentus reſpondiſſet, blandiretur. Vtcumque ſit, TREVILIANO ſententiam pronunciante, *Verolamij* infami ille, læſæ maieſtatis Regiæ reorum ſupplicio addictus eſt, membráque corporis eius poſtea, quatuor in ciuitatibus loco ſublimi ſuffixa. Qui, vt per ſeditioſos à carcere ſe aliquando liberatum iri, vt diximus, iactarat; ita hunc tam triſtem ſibi exitum imminentem ſi præſciuiſſet, non ſe credo hiſce tumultibus intermiſcuiſſet. Dicta ſententia, ſupplicium illius ad aliquot dies GVLIELMI *Londinenſis* Epiſcopi rogatu, vt ille interim tempus aliquod haberet, quo animæ ſuæ ſaluti conſuleret, & idoneâ aliqua pœnitentia exitum ſuum muniret, dilatum eſt. Adde iam huc confeſſionem *Ioannis Strawi*, qui poſt *Walterum* huius coitionis coryphæus fuit. Is cum ad ſupplicium duceretur, præfectus ciuitatis, qui ſententiam capitalem pro tribunali contra eum dixerat, accuratè eum admonuit, vt ſi aut aliqua eſſet in eo pietatis in patriam ſcintilla, aut ſi æternæ ſuæ ſalutis vllam curam & rationem haberet, reciſa omni ſimulandi & diſſimulandi tergiuerſatione, planè & apertè profiteretur, quid ſibi potiſsimum propoſuerant ſeditioſi, & ad quem demum ſcopum conſiliorum ſuorum ſummam referebant. Cumque ille ſubſiſteret, & in ancipitem deliberationem diſtrahi videretur; Age, inquit, perrumpe omnem hanc moram, ſimplici & vera confeſsione, quod à te quærimus, expedias, quod certe in luculentam ani-

mæ tuæ apud Deum vtilitatem cessurum est. Ego vero, vt illam magis promoueam; recipio, curaturum me vt multiplicibus sacrificijs, in sacrosanctis mysterijs sacerdotes animæ tuæ salutem Deo commendent. Accedebant acres etiam multorum ciuium, qui idem suadebant, adhortationes, post quas in hunc fere modum *Ioannes* loquutus est.

CVM in supremis his meis rebus mendacio locus dari non debeat, quod mihi ad grauium post hanc mortalem vitam suppliciorum accessionem cederet; & quoniam simplicis & veræ orationis duplicem fructum video; alterum, qui ad Rempublicam ANGLICANAM; alterum, qui ad expeditiùs prouehendam animæ meæ apud Deum æternam salutem manabit: cetera mea scelera nouis nunc mendacijs non cumulabo, sed ea tantum, quæ veritati per omnia congruunt eloquar. Quo itaque tempore tanta multitudine ad *Blackhethium* conuenimus, & Regis colloquium flagitabamus, nefarias apud nos cogitationes suscepimus, Proceres & milites, qui latus illius stiparent, trucidandi: Regi tamen parcendo, vt eius præsentia & authoritate abutentes, nouisque quotidie per omnem ANGLIAM viribus aucti, firmiùs res nostras potestatémque constabiliremus. Quas cum tuto & firmo loco constitutas videremus, tum non solum ingenti in Principes viros, qui illustri aliquo loco essent in rep. aut possessionibus abundarent, sed in ipsum Regem cædes grassari constitutum erat. Eadem clades Episcopos omnes, Canonicos cathedralium ecclesiarum, Rectores Ecclesiarum, monachos, ceteróque ex Clero, qui possessionibus affluerent, inuoluisset. Fratres tantummodo, quos mendicantes appellant, sua inopia tutos & securos reddidisset, ijsque ecclesiarum curam credidissemus. Nouas deinde leges ex nostro arbitrio & libidine promulgassemus, ex quarum scitis omnia administrari & expediri deberent. Regulos nostro proposito & voluntati accommodos, *Walterum* in *Cantia*, & alios alibi constituissemus. Et quia acriorem præ ceteris omnibus, nostrarum cogitationum & deliberationum interpellatorem, atque intercessorem SIMONEM *Cantuariensem* fore timebamus, ideo eum, primo quoque tempore, obruendum putauimus. Eo denique vesperi, quod cædem *Walteri* excepit, quoniam *Londinensium*, tenuiorum præsertim, certam & exploratam in nos nostráque actiones propensionem cognouimus, cogitabamus, per quatuor diuersa loca submisso igne, ciuitatem incendere, opibusque ciuitatis magis non munire. Hanc, deinde inquit, omnem meam orationem ab omni mendacio longe abesse, & veritati consentire, Deum Optimum Maximum (cuius mox mihi tribunal & iudicium imminet) contestor. Hæc ille. Quæ illum summa fide narrasse, vel ex eo etiam liquidius est, quòd & aliorum quorundam seditiosorum, cum capitales subirent pœnas, in eandem sententiam confessio concurreret.

De Wicleffia-

De Wicleffianorum, *imperante* HENRICO V. *atroci seditione; eorumque duce* Ioanne Cobhamo.

CAPVT XIII.

IN hac, optime, Lector, seditione explicanda, si forsan prolixior tibi videar, potuisseque rem ipsam maiore compendio perstrinxisse, ne ego id quidem valde negarim. Noris tamen interim, certo id à nobis, & necessario, ni fallor, consilio, ob eas, quas posterius enarrabimus, causas factum. Atque hoc tibi, vt existimo, longioris lectionis tædium facile discusserit, quòd rei gestæ veritatem, quæ mihi hic, quàm possum, exquisitissimè, ob iustissimas causas excutienda est, ex probatissimis horum temporum authoribus, & ex publicis atque authenticis regni nostri monumentis hausturus sis. Prodeat igitur primo in medium *Thomas Walsingamius*, celebris & accuratus rerum nostratium scriptor, idque in ea historia quam huic ipsi Regi, qui seditiosorum horum armis impetitus est, dedicauit. Ex quo ea ego decerpam, quæ nostro potissimum instituto subseruiunt. Defuncto itaque HENRICO *quarto*, filióque eius (qui HENRICVS *quintus* dictus est) veteri & solenni cæremonia, regio diademate, aliisque regni insignibus iam decorato, qui erant ex damnata *Wicleffi* disciplina, qui vulgò *Lollardi* dicebantur, nouos repentè spiritus sumere, & ita se efferre atque venditare cœperunt, vt literas ad ecclesiarum fores *Londini* affigerent, quibus omnes catholicos mirificis terroribus opplere cogitabant: iactantes, habere se in parato atque expedito centum hominum millia, quorum armis atque fortitudine omnes, qui ipsorum sectæ aduersarentur; propediem opprimerent & pessundarent. Pendebant autem isti à viribus & ingenio, *Ioannis Oldcastelli* potissimùm, qui *Dominus de Cobham* dicebatur, quòd nuptias cum affini nobilis viri, *Domini de Cobham* inierat. Et erat ille quidem in rebus bellicis celeberrimus. Sed hanc omnem laudem, vitiata & corrupta in ipso catholica fide, valde ille vitiarat & corruperat. Et quoniam prima catholicæ in ANGLIA religionis calamitas hinc potissimum fuerat, quòd *wicleffiani*, quò latiùs suam sectam diffunderent, passim tam sine sacerdotio, quàm nulli etiam sacerdotio initiati, concionandi sibi potestatem, contra morem ecclesiæ, sinéque Episcoporum authoritate vendicabant; diligenter & seuere per THOMAM *Arundellium*, aliosque in synodo Episcopos prospectum est, ne quid id genus deinceps tentaretur. Sed hanc omnem illorum sanctionem, vt & reliquas, quæ latæ erant contra damnatam illam sectam, *Oldcastellius* prorsus floccifecit, huiusmodique vagos, & vetitos concionatores in summo precio habuit, & mirificè complexus est. Delatus itaque est ad synodum Episcoporum, quæ *Londini* coijt, rogauitque Clerus *Cantuariensem*, vt euocaret eum ad suum tribunal, rationem fidei redditurum. Qui, quòd esset ille & in re militari præclarus, & Regi charus, nihil aduersus eum decernere voluit, nisi Rege priùs consulto. Quocum Rex benignè atque leniter diu egit, vt damnata dogmata repudiaret, sequè ad ecclesiæ authoritatem conferret.

Vt patet in epist. quæ incipit magnificentiss. &c. Tho. VVals. Anno 14. 8. 1414. 1417.

QVI cùm videret lenes & molles admonitiones nullum apud illum locum habere, oleúmque se atque operam, quod dicitur, perdere; Voluit vt *Cantuariensis*, secundum iuris & ecclesiæ præscripta, aduersus eum decerneret. Cumque illead tribunal ecclesiæ euocatus, edictis non pareret, tempusque contumaciter extraheret, anathemate per *Cantuariensem* confossus est. Per regios verò postea ministros comprehensus, *Londini* in turrim conijcitur. sistitur deinde coram *Arundellio*. Qui valdè benignè atque humaniter eum habuit, paratumque se dixit, ab anathemate illum liberare, modo id postularet. Quod ille prorsus recusauit. Cumque vrgeretur vt ea, quæ aduersus ipsum de prauis dogmatis, quæ asserere dicebatur, delata fuerant, diiueret, eaque in re alia agendo tergiuersaretur; *Arundellius*, longiorem illi diem deliberandi & respondendi, pro summa sua humanitate, sententiam, licet aduersus planè contumacem, nolens præcipitare, diffudit. Quem cum obiret, nulla iam circuitione vsus, ea palam & proterue defensabat, quæ à fide & scitis ecclesiæ catholicæ dissident; & inter alia, nolle se ab homine, sed à Deo solo, anathematis aut alicuius criminis liberationem, atque absolutionem postulare. Nec astringi quenquam, qui letali crimini obnoxius esset, etiamsi sacerdotis copiam haberet, apud sacerdotem confitendo se expiare. Crucem Christi adorandam negabat. Panem verum in eucharistia, etiam post consecratio-

nem, subesse affirmabat, *Romanumque* Pontificem ipsum Antichristum, Archiepiscopos atque Episcopos eiusdem Antichristi membra. Neque quenquam, *Christi* aut PETRI successorem, qui non vita & moribus officio responderet. Magnisque latentibus, voceque ingenti, manibusque in altum sublatis, circumfusam plebem allocutus, clamauit illam per Episcopos circumueniri atque seduci. Quem cum diu & diligenter *Arundellius* ab huiusmodi erroribus remouere conatus esset, neque proficeret tamen hilum, coactus est, quod solum supererat, contumacē atque obstinatum hæreticū eum pronunciare, eumque ab omni Christianorum societate, atque communione abrumpere atque abscindere. A Rege tamen (qua erat humanitate atque misericordia) postulabat, ne ante quadragesimum diem legitimis contumaciæ, atque hæreseos pœnis obijceretur; sperans posse illas interim frangi aut emolliri. Dictata erat hæc sententia XXV. Septembris, primo illo, quo HENRICVS diademate insignitus est, anno.

ILLE autem adeo abfuit ab omni resipiscentia, vt non modò è *turri* se interim *Londinensi* proripuerit, sed & grauem atque periculosam seditionem conflauerit. Mittit itaque mox expeditos nuncios ad suæ vbique disciplinæ homines, quò ad certum diem armis instructi *Londinum* confluerent; solicitati sunt & alij. Qui cum solicitè quererent, quorsum illa arma spectarent, responsum est, nihil esse cur ea de re soliciti essent. Si enim ad statum fixumque diem conuenirent, prolixa stipendia merituros. Status autem ille dies erat, circa Epiphaniam Christi. Ad quod tempus Regem, qui apud *Eltamum* prope *Londinum* Christi natales dies transigebat, inopinantem atque imparatum ibidem opprimere cogitabant. Rex verò cùm imminentis tam periculosi motus ad eum indicia quædam delata essent, *Eltamo* relicto, quàm potuit occultè *Westmonasterium* venit, seque contra impendens periculum, quanta potuit celeritate muniuit. Conuenerant iam seditiosi profunda nocte ad eum campum, quem *diui Egidij* appellamus, non procul à *Westmonasterio*. Qui dum eo properarent ad Ducem suum *Oldcastellium*, in regios milites, qui vicina loca iam occupauerant, incauti incidentes, ab ijsdem comprehensi sunt, & in carceres abducti. Reliqui, cum hoc intelligerent, & sua nefaria consilia iam ad Regis notitiam erupisse, armisque eum vim illorum reprimere paratum, animo prorsus debilitati, in fugam se præcipites effudere. Nihil autem eorum magis animos atque audaciam confregit, quàm quod à *Londino* nihil subsidij (vnde ferebatur L. illos hominum millia expectare) ad se aduentare prospicerent. Prudenter enim Rex prospexerat, ne quisquam è Ciuitate progrederetur, nisi quem sciret à se staturum. *Oldcastellius* inter alios fuga salutem sibi peperit, neque comprehensus est, etsi Rex amplissima ei præmia detulisset, qui illum proderet. Ex his, qui capti sunt, plurimi non modo suspendio, vt læsæ maiestatis Regiæ; sed & igni, vt & diuinæ maiestatis atque religionis violatę rei, periere. Nefarius autem iste motus, eò collimabat, vt non modo Regem, sed & Proceres tam sacros quàm laicos, Monachos, atque fratres, qui mendicato viuunt, è medio tollerent.

Sunt qui putant locum illum prope Londinum qui hodie appellatur, nomen ex hoc euentu traxisse Vox certe ipsa eo alludit.

INTER alios, qui duplices has pœnas luere, fuit quidam *Gulielmus Murleius*, *Dunstaplensis* Ciuis, qui ex potus conficiendi artificio victitabat. Qui tam sordidi artificij pertæsus, magnos iam gerebat Spiritus, & ingentia sibi quædam, ipsumque *Hertfordensem* Comitatum, ex Ducis sui *Oldcastelli* liberalitate (si res bellè ei successissent) amplasque cœnobij diui *Albani* possessiones, monachis profligatis, stolidè pollicebatur. His Dei Regisque hostibus feliciter repressis, proxima æstate magnam Rex in *Galliam* expeditionem fecit. Quem iam transmissurum, Proceres quidam è medio tollere nefariè cogitarant. Quem ille motum mox repressit, illiusque authores meritis supplicijs affecit. Ad quæ tempora, nouos sibi spiritus *Wicleffiani* collegêre, & è latebris suis emergere cœperunt, grandesque minas, & nefaria aduersus Regem verba, per famosos libellos, quos *Londini* sparsere, iactabant. Abijt (inquiunt) iam presbyterorum princeps, abijt noster hostis, aduenit iam commodum & opportunum tempus, quo illatas nobis iniurias vindicemus, & de grandibus militum copijs, quas paratas haberent, se venditabant. Erupit iam è suis latebris *Oldcastellius*, arbitratus, sed falsò, Regem iam mare traiecisse, minásque aduersus Dominum de *Bergayny* intentare cœpit, séque de eo vindictam propediem expetiturum insolenter iactabat. Sed cùm paulo post intelligeret, eundem cum exercitu aduersum se aduentare, & seditiosum illum, de quo memini, aduersus Regem motum suppressum, has omnes cristas dimisit, solitasque latebras repetijt. Comprehensi tamen sunt quidam ex illius asseclis, cum presbytero quodam, à quibus ille per tormenta confessionem expressit, vnde intelligebat, quo loci pecuniæ

Oldcastelli

Oldcastellij, & armorum apparatus occultè recondebantur. Inter quæ militaria quædam vexilla reperta sunt, in quibus magno cum sumptu calix depictus est, cum Eucharistiæ (vt appellamus) hostia in panis forma. Visebantur præterea in eisdem vexillis, crux Christi, lancea, claui, flagella & cetera Dominicæ passionis monimenta. Quæ omnia hoc commento artificiosè structa sunt, vt noua quædam simplicis populi animos, ex eorum aspectu religio incesseret, crederétque hoc sacrum & sanctum quoddam esse pro aris, próque fide & pietate certamen & bellum.

WICLEFFIANI, cum hæc non succederet, aliam viam aggressi sunt. Dum enim Rex in *Neustria* siue *Normannia* bellum gereret, illi *Scotos* ingentibus promissis solicitare cœperunt, vt ANGLIAM infestarent, facili negotio, Rege absente, in potestatem illorum (vt aiebant) redigendam. Quin & *Oldcastellius Gulielmum Duglasium Scorum*, apud *Pontem fractum* conuenisse dicitur, amplam illi pecuniam pollicitus, si ANGLIAM cum exercitu vexaret, secúmque adduceret quendam, qui RICHARDVM se Regem apud eos ementiebatur, vt ANGLIAE ille sibi regnum arrogaret. Et *Duglasius* quidem in ANGLIAM cum exercitu venit, sed cum *Bedfordiæ* atque *Exoniæ* Duces, cum copijs ANGLORVM aduentare audiret, in fugam se dedit. Ad quæ tempora *Oldcastellius*, non procul à cœnobio Diui ALBANI delituit; missique sunt ab Abbate, qui eum caperent, quorum ille tamen manus effugit, sed quidam nihilominus ex illius intimis capti sunt. Inter quos reperti sunt precationum quidam libri Diuorum imaginibus affabrè, & eleganter olim ornati: quarum capita, pro disciplinæ suæ more, isti abscideranr. Quin & in Litanijs, quas appellamus, beatæ virginis MARIAE, & ceterorum Diuorum nomina obliterarant prorsus & delerant. Qui libri posteà, apud diui PAVLI crucem *Londini*, pro concione ostensi sunt, vt insania *Wicleffianorum*, qua in Diuos debacchabantur, palam omnibus patesceret. Nec ita multo post captus est illorum princeps *Oldcastellius* per Dominum de *Powisia*, nec sine detrimento tamen capientium. Quin & ipse graue vulnus accepit. Quare in lectica *Londinum* delatus est, cum presbytero quodam, omnium illius arcanorum conscio. Suprema illa, quæ parliamentum appellamus, regni comitia, eo tempore *Londini* habita sunt. Ad quæ *Oldcastellius* accersitus est, ostentumque ei, quod læsæ Regiæ maiestatis, propter seditionem illam, de qua priùs meminimus, armaque contra Regem & Rempublicam, in campo illo diui *Ægidij* capta, iam ante aliquot annos damnatus esset. Rogatúmque quid causæ dicere posset, cur perduellionum supplicium non subiret. Ille verò aliena quædam à causa garriens, de misericordia concionari cœpit. Cumque vrgeretur, ne frustraretur aut tergiuersaretur, sed quæ ad causam defensionémque suam accommoda essent, ceteris dimissis proponeret, cum silentium aliquandiu tenuisset, in hanc tandem vocem tanquam nouus Apostolus erupit. Mihi autem (inquit) pro minimo est, vt à vobis iudicer aut ab humano die, & ad alia deinde, quæ nihil cum causa cohærebant, concionabundus dilabitur. Sed cùm premeretur, vt ineptias istas dimitteret, atque causam aptè atque idoneè responderet, magna mox insolentia, Non agnosco, inquit, quenquam vestrum pro vero & iusto iudice atque arbitro, quamdiu Dominus & Rex meus RICHARDVS, qui in *Scotia* commoratur, viuit.

POST quod responsum, datum est regijs ministris negotium, vt ad suspendium traheretur, pendensque in furca, igne absumeretur. Vbi dum penderet, inter postrema verba quæ habuit, Dominum *Thomam Erpinghamium* allocutus, Adiuro te, inquit, vt si tertia me die à mortuis excitatum videris, efficias, vt qui meæ disciplinæ sunt homines, quietè & tranquillè deinceps viuant, neque vlla eis faceſſantur negotia. Ex qua oratione quanta fuerat vanitas, & quàm miserabilis huius hominis cæcitas, liquidò omnibus constare potest. Hactenus ex *Walsingamo*. Addamus iam *Thomam Waldensem Walsingamij* æqualem, hominem summæ fidei, & in summa apud eundem Regem gratia positum. Veniamus (inquit) ad nostros. Rex HENRICVS *quintus*, Christo & mundo commendatissimus, inter Reges gaudebat, in ipso regni sui primordio primo contra *Wicleffistas* hæreticos erexisse vexillum, dum scilicet ad Christi natalem, cum duce iniquitatis eorum *Ioanne Castri Veteris*, contra inclytum Regem conspirare cœperunt. Nec mora longa processit, quin statutum publicum per omne Regni Concilium in publico emanauit edicto, quòd omnes *Wicleffistæ* sicut Dei proditores essent, sic proditores Regis proscriptis bonis censerentur, & regni, duplici pœnę dandi, incendio propter Deum, suspendio propter Regem, factumque est ita, stat res iure perenni. Multi eorum deprehensi, ignibus consumpti & contriti sunt, & sic malignantium, habita oportunitate, relicto regno decesserunt. Et alibi scribit, totam cognationem *Lollardorum* in necem

In præf. Thom. VVald. to. 1. ad Martinum quintum.

To. 1. li. 4 in prologo.

Domini Regis fœderatam. Adijciamus commemoratis alia duo, ex publicis regni monumentis testimonia. alterum, quo duodecim de more patriæ nostræ selecti viri, *Oldcastellum* eiusdem seditionis reum peregerunt; alterum ex ipsis parliamenti statutis ductum, quæ certissimam & exploratissimam huius rei fidem faciunt. Alterum, vt ab origine, licet incultiore latinitate exaratum est (in quo quidem non tam latinitatem & orationis ornamentum, quam accuratam rerum gestarum veritatem exquirimus) ad hunc se modum habet.

Exus. aut is potius, quo præcunte & dictante, egregiam ipsam Cobhami defensionem ac scripsit, vel in legendo, vel in intelligendo, vel vtrobique imperitus, pro placita, parliamenta legis, vt & paulo post.

„ PLACITA coronæ coram Domino Rege, apud *Westmonasterium* de termino sancti *Hilarij*, anno regni Regis HENRICI *quinti* post conquæstum primo, rotula septima, inter placita Regis, alias coram *Willielmo Roos de Hamlak*, *Henrico le Scrop*, *Willielmo Crowmere* Maiore Ciuitatis *London*, *Hugone Huls*, & socijs suis Iustic: domini Regis, ad inquirend: per sacram: proborum & legal: hominum de ciuitate Domini Regis *London*: & suburbijs eiusdem ac de com: *Midd*: tam infra libertates, quàm extra, de omnibus & singulis proditionibus & insurrectionibus, per quamplures subditos domini Regis, *Lollardos* vulgariter nuncupatos, & alios in Ciuitate, suburbijs, & com: prædictis, factis, & perpetratis, nec non de omnibus proditionibus, insurrectionibus, rebellionibus & felonijs in ciuitate, suburbijs & com. prædictis per quoscunque, & qualitercunque factis siue perpetratis, & ad easdem proditiones, insurrectiones, rebelliones, & felonias audiend: & terminand: secundum legem & consuetudinem regni domini Regis ANGLIAE, per literas ipsius domini Regis patentes, assign: apud *Westm*: die Mercurij proximo post festum *Ephiphaniæ* Domini, anno regni Regis HENRICI *quinti* post conquæstum primo, per sacram: 12. iur: extitit præsentatum. quòd *Ioannes Oldcastell de Cowling* in com: Cane: Chr: & alij *Lollardi* vulgar: nuncupat: qui contra fidem catholicam diuersas opiniones hæreticas, & alios errores manifestos legi catholicæ repugnantes, à diu temerarie tenuerunt, opiniones & errores prædictos manu tenere, at in facto minimè perimplere valentes, quamdiu regia potestas, & tam status regalis Domini nostri Regis, quàm status & officium Prælaturæ dignitatis infra Regnum ANGL: in prosperitate perseuerarent, falso & proditorie machinando, tam statum Regni, quam statum & officium prælatorum, nec non ordines religiosorum infra dictum Regnum ANGL. penitus adnullare. Ac Dominum nostrum Regem, fratres suos, prælatos, & alios magnates eiusdem Regni interficere, nec non viros religiosos: relict: cult: diuinis & religiosis obseruantijs, ad occupationes mundanas prouocare, & tam ecclesias cathedrales, quàm alias ecclesias & domos religiosas, de reliquijs & alijs bonis ecclesiasticis totaliter spoliare, ac funditus ad terram prosternere, & dictum *Ioannem Oldcastell* Regentem eiusdem regni constituere, & quamplura regimina, secundum eorum voluntatem, infra Regnum prædictum quasi gens sine capite, in finalem destructionem tam fidei catholicæ & Cleri, quàm status & maiestatis dignitatis regal: infra idem Regnum ordinare, falso & proditorè ordinauerunt & proposuerunt, quòd ipse insimul cum quampluribus rebellibus Domini Regis ignotis, ad numerum viginti millium hominum de diuersis partibus regni ANGL: modo guerrino arriuat priuatim insurgent, & die Mercurij proximo post festum *Epiphaniæ* Domini anno regni Regis prædicti prædicto, apud villam & parochiam sancti *Egidij* extra *Barram*: veteris templi *London*: in quodam magno campo ibidem vnanimiter conuenirent, & insimul obuiarent pro nefando proposito suo in præmissis perimplend: quo quidem die Mercurij apud villam & parochiam prædictas, prædicti *Ioannes Oldcastell*, & alij in huiusmodi proposito proditorio perseuerantes, prędictum dominum nostrum Regem, fratres suos, videlicet *Thomam* Ducem *Clarentiæ*, *Ioannem* de *Lancastre*, & *Humfridum* de *Lancastre*, nec non prælatos & magnates prædictos interficere, nec non ipsum dominum nostrum Regem & heredes suos de regno suo prædicto exheredare, & præmissa omnia & singula, nec non quamplura alia mala & intolerabilia facere, & perimplere falsò & proditoriè proposuerunt & imaginauerunt, & ibidem versus campum prædictum modo guerrino arriari, proditoriè modo insurrectionis contra legiantias suas, equitauerunt ad debellandum dictum dominum nostrum Regem, nisi per ipsum manu forti gratiosè impediti fuissent. Quod quidem inditamentum dominus Rex nunc, certis de causis, coram eo venire fecit terminandum. Per quod præceptum fuit vic. quòd non omitt. &c. quin caperet præfatum *Ioannem Oldcastell*, si: &c. Et salvo &c. Ita quòd haberet corpus eius, coram domino Rege apud *Westm*. ad hunc diem, scilicet die Mercurij proximo post octauas sancti *Hilarij* isto eodem termino, ad respondendum domino Regi de præmissis: &c. Ad quos diem & locum,

coram

coram domino Rege vic: return: quòd prædictus *Ioannes Oldcastell* non fuit inuentus in balliua sua: &c; per quod præceptum fuit: &c. quod exigi faceret, eum de com: in com: quoulque vtlagetur si non: &c: Etsi: &c: tunc cum caperet, & saluo: &c: Ita quòd haberent corpus eius coram domino Rege in octauas sancti *Ioannis Baptistæ* ex tunc proximè sequen: vbicunque: &c: ad respondendum domino Regi de proditionibus & felonijs sibi impositis. Ad quas octauas sancti *Ioannis Baptistæ*, anno regni Regis HENRICI *quinti* post conquæstum secundo, *Ioannes Sutton*, & *Ioannes Michel* vic: Midd: coram domino Rege returnauerunt, quòd ad com: Midd: tentum apud *Brainford*, die Iouis proximo ante festum sancti *Barnabæ* Apostoli, anno regni Regis HENRICI *quinti* post conquæstum secundo, & ad quatuor com: extunc proximo præcedentes, prædictus *Ioannes Oldcastell.* exactus fuit, & non comparuit. Et quia ad nullum eorundem com: comparuit. Ideo præsentibus coronatoribus com: prædicti vtlegatus fuit, per quod inquiratur de *terra & catallis suis.*

ET hæc quidem ex publicis monumentis. Dederat autem Rex præfato *Gulielmo* & alijs commemoratis, amplissimam priùs potestatem de hac seditione inquirendi, & contra reos pronunciandi. Dilectis, inquit, & fidelibus suis *Willielmo Roos de Hamlac, Henrico le Scrop, Widielmo Croiomere* maiori Ciuitatis suæ *London: Hugoni Huls, Ioanni Præston*, & *Ioanni Mertin* salutem. Sciatis quòd cum nos plenius informemur, ac notoriè & manifestè dignoscatur, quod quam plures subditi nostri *Lollardi* vulgariè nuncupati, ac alij mortem nostram contra legianciæ suæ debitum proditoriè imaginauerunt, ac quàm plura alia, tam in fidei catholicæ, quàm status dominorum & magnatum regni nostri ANGL. tam spiritualium quàm temporalium destructionem proposuerunt, ad diuersas congregationes, & alia conuenticula illicita, pro nefando proposito suo in hac parte perimplend: fecerunt in nostri exheredationem ac regni nostri destructionem manifestam: Nos huiusmodi *Lollardos:* &c: Alterum autem testimonium ex ipsis, vt dixi, statutis, mutuabimur, bona fide ex vernaculo nostro sermone in latinum per nos translatum. In quibus disertè traditur, graues recens rumores natos, graues coitiones atque seditiones ortas, tam per eos hæreticos, qui id temporis *Lollardi* appellabantur, quàm per eos qui societatem atque fœdus cum illis coierant, ad labefactandam atque euertendam Christi ecclesiæque fidem, atque leges in regno ANGLIAE. Ad tollendum præterea è medio Regem, statusque omnes atque ordines regni, tàm ecclesiasticos quàm profanos, ad ruinam denique atque euersionem totius reipublicæ legumque patriarum. Hæc in illis statutis. Quorum perditæ audaciæ vt obuiam iretur, sanctiones quædam solito seueriores, in amplissimis regni comitijs editæ sunt. Sed nos, relicta iam paulisper ANGLIA, ad *Bohemiam* migrabimus, & quos ibi *Wicleffiani* motus, dederint paucis demonstrabimus.

De Wicleffianis *in* Bohemia, *quorum Dux & Princeps* Ioannes Hussus, *deque seditionibus horrendis per eos ibidem excitatis, deque celeberrimis ibidem martyribus.*

CAPVT XIIII.

MVLTOS habuit *wicleffus* extra ANGLIAM discipulos. Cuius tamen hæreses nullam gentem tam atrociter, atque *Bohemiam* deprauarunt. Magna quidem fuit, regnante RICHARDO, in ANGLIA hæreticorum licentia atque impunitas. Quæ etsi tam Regi quàm Episcopis omnibus, totique Clero valde displicerent, non potuit tamen RICHARDVS, primùm propter ætatis in primo regni ingressu tyrocinium, atque increbrescentes posteà, populares & Principum graues motus, quòdque multi ex Principibus deprauatis illis dogmatibus prouehendis fauerent, iusta hæreticorum insolentiam coërtione, seuerisque legibus reprimere. Quod post eum HENRICVS *quartus*, & HENRICVS *quintus* præstitere. In quibus castigandis, atque inter ipsa initia seuerè coercendis, cùm *Wenceslaus* Bohemiæ Rex minus fuisset cessator, (etsi alioqui in fidem catholicam optimè atque integerrimè affectus) paucis illæ posteà annis ita ingraueſcebant, & tam fœdè omnia loca, longè lateque depopulabantur; vt frustra se illis opprimendis, non ille modo, sed & alij multi Principes, qui variis & ingentibus militum copijs conflatis, hæreticos illos

aggressi

aggressi sunt, se opposuerint. Occasio verò, cur ex ANGLIA in *Bohemiam* emigrarint perdita illa *Wicleffi* dogmata, hæc potissimum fuit. *Bohemus* quidam, genere quidem satis illustri, & ex ea familia, quæ *putridi pisces* appellabatur, *Oxonij* literis operam dedit. Qui cum *Wicleffi* erroribus implicatus esset, regressus in patriam, quosdam secum *Wicleffi* damnatos libros (dignum sane patella operculum, dignus mercator, qui tam insulsas & putridas merces extruderet) retulit. Quorum lectio multos deprauauit. Profugit deinde illuc ex ANGLIA, *Petrus* quidem *Payn* ANGLVS, & antesignanus quidam ex *Wicleffi* discipulis, qui mirum in modum *Bohemos* corrupit, & in varios errores abduxit. Qui cùm iam longius quotidiè & atrocius in *Bohemia* grassarentur, eosque *Pragensis* Academia non solùm in ANGLIA per synodum Episcoporum, atque *Oxoniensem* Academiam, perque theologos *Parisienses*, sed & per œcumenicum *Romæ* concilium, damnatos intelligeret; cœpit & ipsa hanc rem accuratius, ad suam cogitationem & curam reuocare, selectosque XLV. ex *Wicleffi* libris articulos, diro anathemate, pronissimis omnium suffragijs confixit. Quo tempore *Ioannes Hussus*, & præsens cum reliquis fuit, & ad hanc *Wicleffi* damnationem, præcipuam quandam operam collocauit. Qui vtrum id ex animo fecerit, an vt tempori potiùs seruiret, certò non possum pronunciare. In eam magis sententiam propendeo, vt simulatoriè omnia egerit, opportunius sibi tempus capturus, & desperans posse se, tantum doctorum omnium consensum, id temporis conuellere & perfringere. Nam & multos paulò post, priuatis colloquijs in varios *Wicleffi* errores abstraxit, & posteà in acerrimam illorum publicè defensionem, tum scribendo, tum concionando erupit.

Æneas Siluius in histor. Boemica cap. 35. & Io Cocl. in hist. Hussit. li. 1.

ET quoniam ea Academia constabat, non solùm ex *Bohemica*, sed & ex *Saxonica*, *Bauarica* atque *Polonica* natione, quæ nationes æqualibus cum *Bohemis* ipsis priuilegijs ornabantur, videretque *Hussus* sceleratas suas cogitationes se perficere non posse, quòd tres illæ nationes *wicleffo* essent infestissimæ; importunis suis apud *Wenceslaum* concilijs perfecit, vt veteres quædam prærogatiuæ illis detraherentur. Qua ex re illæ offensæ, deserta *Praga* *Lipsiam* ad XXIV. millia (si *Ioanni Dubrauio Bohemicæ* historiæ scriptori credendum sit) commigrarunt. Et ex hac occasione *Lipsensis* Academia suum exordium sumpsit. *Ioannes* autem *Hus* desideratam hanc ausam auidè arripiens, remotisque quos sibi aduersaturos verebatur, cùm esset & ingenio acri, & varijs disciplinis imbutus, celebrisque ac popularis concionator; cœpit paulatim noua sua mysteria liberiùs & apertiùs proferre, magnamque in libris *Wicleffi* transferendis in *Bohemicam* linguam operam ponebat, quos ad Principes quosdam viros, vt eorum sibi studium atque gratiam adiungeret, seque magis muniret, transmittebat. Liber autem qui præcipuè *Ioannem Hussum* deprauabat, erat ille qui *Alithia* (per Antiphrasim scilicet inscriptus est. Et licet librorum huiusmodi improbata lectione, Academia, vt dixi, interdixisset, & *Suinco* *Pragensis* Archiepiscopus, omnem suam posteà authoritatem ad hanc pestem obruendam adhibuisset, qui supra CC. volumina *wicleffi Vulcano* palam commisit, quorum maior pars argenteis atque inauratis fibulis & pretiosis tegumentis ornabatur, tantas tamen, incensore *Ioanne Hus*, vires pestis hæc ex *Wenceslai* præsertim Regis nimia socordia, & ex obitu Archiepiscopi, qui paulò post sequutus est, sumpsit, vt ad hodiernam vsque diem opprimi non potuerit. Occasio autem, quæ eum in *Germanorum* odium, atque hæreses tandem protrusit, illa fuit, quæ illi cum multis antiquis, & nostri temporis hæreticis communis est. *Germanus* quidam sacerdotium quoddam, quod ipse valde ambiebat illi præripuit. Ex hac igitur causa in indulgentias primum Pontificias inuehere cœpit, à quibus & simili ferè de causa (quod videlicet earum diuulgationem atque deprædicationem apud populum, quam oppidò affectabat, alter ei intercepisset) & nostris *Lutherus* temporibus, defectionis suæ à catholica ecclesia exordium sumpsit. De *Ioanne* verò cùm penitus cogito, obstupescere planè cogor. Etsi enim in præcipuis quibusdam dogmatibus, quæ *Wicleffus* innouarat, ab eo dissentijt, cùm non modò præsentiam corporis Christi in Eucharistia, sed & transubstantionem ad obitum vsque acerrimè tueretur (ob quæ potissimum dogmata *Wicleffus* catholicos inter idololatras reijcit) *Wicleffum* tamen præ ceteris omnibus scriptoribus in oculis habuit, & mirificè suspexit, & immensis pro concione laudibus amplificare, optareque solitus est, animam suam eo loci versari, quo *Wicleffi* anima versaretur. Mirum sane, cum in *wicleffum*, cuius ipse libros cum reliqua Academia Pragensi, improbatos atque execrabiles pronunciasset, & à quo inter perfidos & idololatras propter eã, quam dixi, causam, relatus esset, ornandum atque amplificandum adeò propendisse. Cerne iam & similem, tanti apud *wicleffianos* doctoris constantiam. Cum enim ad *Constantiense* œcumenicum

Io. Dubrauius Olmucensis in Morauia Episcopus hist. Boemic. li. 23.

Dist. lib. 23.

Dist. lib. 23. & cap. 35.

Io Cocleus in histor. Lutheri.

Ioan. Cocl in histor. Hussi. li. 2.

menicum concilium veniſſet, *Wicleffi* perniciosis dogmatibus renunciauit. Mox verò, desultoria quadam leuitate, eadem adeo proterué & obſtinatè defendit, vt vitam potius, tam hanc temporariam, quàm (quod miserabilius est) æternam etiam, quàm praua ſua illa dogmata relinquere, atque abijcere voluerit. In eadem etiam apud *Conſtantiam* inconſtantia, & perfidia *Hieronymus Pragenſis*, *wicleffianorum* quidam poſt *Huſſum* princeps, verſatus eſt. Ob quam perfidiam igni vterque ibidem conſumptus eſt. Tantæ eſt difficultatis ab hæreſi, vbi ſemel altè pectori inſedit, emergere.

ILLVD autem mihi permirum & miſerabile in *Huſſo* videtur, & luculentum incredibilis cæcitatis atque obſtinaciæ argumentum, quòd cum magno teſtium, omni exceptione maiorum, teſtimonio obrueretur, qui iuramentis religiosè conceptis conteſtarentur, varias eum hæreſes præ concione, & in ſcriptis, quæ ſua eſſe nec ipſe negare poterat, aſperſiſſe; multáque tum dixiſſe, tum feciſſe, quibus populum ad atroces ſeditiones & motus excitaſſet, ea omnia impudentiſſimè negarit: colque falſi & corrupti teſtimonij inſimularit, neque tamen eos, qui illi obiecti erant, errores reuocare, nec illos, de quibus diximus, XLV. ex *Wicleffi* libris deſumptos errores, damnare vlla ratione in animum inducere potuerit. Illos præſertim tres, quibus *wicleffus* aſſerebat, Papam SILVESTRVM, & CONSTANTINVM *Auguſtum* erraſſe, quod dotauerunt eccleſiam; Papam aut ſacerdotem, in mortali peccato exiſtentem, non ordinare, non conſecrare, non baptizare; decimas eſſe purè eleemoſynas. In illis ſuis præterea apud *Conſtantiam* reſponſis, tam variè, tam inconſtanter, tam lubricè verſatus eſt, vt nullo modo ei conuenire potuerint, qui talem perſonam ſuſtinere voluit. Sed iam de grauibus in republica motibus, quos *Ioannis* aſſeclæ ciérunt, pauca attexamus. Populo itaque nouis paſſim *Huſſi* dogmatibus imbuto, multi catholicos iam concionatores audire non ſuſtinuere, imo & concionatores palam interpellare, ſi qui magiſtri ſui dictatis contrarium dicerent, non ſunt veriti, clamatéque eos mentiri, & veriora atque ſolidiora à præceptore ſua tradi & aſſeri. Fueréque tres artis ſordidæ atque ſedentariæ viri apud *Pragam*, qui concionatore indulgentias quaſdam Pontificias promulgante, ei ſe publicè opponebant, & Papam antichriſtum appellabant. Qui cum in carcerem abrepti eſſent, populus arma, vt eos liberaret, ſumpſit, & ægre à magiſtratu perſuaderi potuit, vt placidè atque tranquillè, domum rediret. Cúmque tres illi non ceſſarent, virulentis linguis Pontificiam authoritatem inceſſere, & capitis ſupplicium ſubiere. Id intelligens *Huſſus*, accurrit cum ſuis, cæſorumque corpora ſecum abripuit, & aureo panno inuoluta, per omnes vrbis eccleſias circumtulit, occinentibus illius aſſeclis, *Iſti ſunt ſancti, qui pro teſtamento Dei ſua corpora tradiderunt*. Quos *Huſſus* mirificis laudibus, quaſi egregios quoſdam martyres ornat. Sed neminem vnquam ita amplificarunt poſt mortem, atque ipſum *Huſſum*, quem ceteris omnibus in tota eccleſia Chriſti Martyribus, quidam in concione palam prætulit. Et qui Diuorum, atque verorum in eccleſia Martyrum reliquias atque imagines neſariè diſſipauerant, ex *Conſtantia* terram, Vbi *Huſſus* & *Hieronymus* exuſti ſunt, tanquam ſacras reliquias in *Bohemiam* retulere, eorum imagines venerabantur, annuoſque eorum dies magna pompa celebrabant. *Huſſi* autem cædem tam inquo animo tulere, vt grauius atque acerbius, quàm vnquam anteà, in collegia, cœnobia, & alias catholicorum eccleſias, ipſámque *Pragæ* metropolim, & aduerſus catholicam fidem graſſati ſint.

Io. Cocl. diſſ. 3.

Io. Cocl. lib. 1.

Æneas Siluius & Cocl. in lib. de eccleſia.

Cocl. lib. 4.

NOVVM autem, de quo *wicleffus* ne cogitarat quidem, & de quo gloriosè ſe venditabant, dogma, de communione ſub vtraque ſpecie, omnibus etiam infantibus neceſſaria, commenti ſunt. Hoc primum dogma *Iacobellus* quidam in concione diuulgauit, mirificè eccleſiæ inſultans, quaſi in illa Chriſti verba, niſi ederitis carnem filij hominis & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, ſacrilegè, quòd laicis vtrámque ſpeciem Euchariſtiæ non præberet, præuaricata eſſet. Cui vere, nec ſine prædictionis, vt videtur, ſpiritu, theologus quidam *Germanus*, ad hunc modum (vt authoris mei verba vſurpem) exprobrauit. Non tu (inquiens) Calicem ſalutis, ſed cyathum furoris & poculum ruinæ *Boemis* ſuppeditaſti, vt, illo huſto, furiant, vomant, inſaniant, & mutuis ad extremum prælijs inter ſe dimicent. Plauſibilis in vulgus fuit, & mirificè grata hæc *Iacobelli* oratio. Confluxereque deinde non procul ab eo oppido, quod *Thabor* appellant, circiter XXX. millia hominum, atque ibi in campis trecentas menſas, ad quas communicarent, poſuerunt, populoque calicis ſacramentum porrigebant. Atque hic conuentus *Wenceſlaum* Regem non leuiter terruit, verentem ne res nouas aduerſus ſe, & ſuum imperium molirentur,

Dift. lib. 13.

ipsumque exauthorarent; & moliti certè fuissent, ni *Coranda* concionator, in summa eorum gratia positus, illud eorum propositum fregisset, nihil ipsis, aut eorum religioni grauius ab illo timendum dictitans. Qui quòd iners & deses esset, in tantam ipsorum res quietem atque securitatem peruenissent. Circumferebant verò, magna quadam pompa atque ostentatione, sacram euchariſtiam per vicos & ecclesias. Cum autem *Wenceslaus* edictum promulgasset, ne id amplius fieret, pupulus *Hussiticus Pragæ* in rabiem quandam actus, in prætorium irruit. Ex Consulibus, vndecim fuga celeri saluti suæ consuluere. Reliqui septem, qui remanserant, cum alijs quibusdam ciuibus, ex fenestris altissimis in forum præcipites delecti sunt, lanceisque ac verubus corpora eorum à furente populo excepta. Io. Dubran. Constitebat interim in foro *Ioannes* quidam monachus, magnæ apud sectam authoritatis, corpus Dominicum in eucharistia cruento populo ostentans, (quam nonnunquam exercituin summo sublimis pali positam præferebant) sacrosanctum summæ charitatis atque pacis symbolum & arrabonem, in belli atque furoris classicum conuertens. *Wenceslaus* deinde, cum omnia magis ac magis in præceps ruere videret, magnis animi angoribus correptus est, nec ita multo pòst ex paralysi viuere desijt. Tum verò magis, quàm vnquam antea, res omnes perturbari, & atrocissimè exagitari cœpere, per nefarium illum *Ziskum*, quem sectarij principem sibi, aduersus iustum suum Regem *Sigismundum* constituere. Cœl. li 5. Qui non modo crudelissimè in templa & cœnobia, atque catholicos sæuijt, sed & multas arces atque oppida *Sigismundo* armis eripuit. Ad quem opprimendum, multa multorum principum auxilia, ingentésque exercitus, sed inani prorsus, vt dixi, conatu coiere. *Ziska* verò nouam ciuitatem, quam *Thabor* appellauit, vnde & sectarij *Thaboritæ* dicti sunt, (quasi cœlestes & diuinas quasdam, vt olim discipuli in monte *Thabor*, veritates & voces hausissent) ad sui & suorum tutelam atque præsidium ædificauit.

IMMANE autem postea dissidium inter *Pragenses* & *Thaboritas* exortum est. *Pragenses* enim septem Sacramenta, & multa alia catholicæ fidei consentanea agnoscebant, vt & ipsorum Dux atque Doctor *Ioannes Hussus*, à quo discipuli eius sectæ, *Hussitæ* appellantur. *Thaboritæ* verò, *Wicleffi* potius damnatissimis placitis adhærebant. Ego autem eos omnes *Wicleffianos* promiscue appello, quia ab *Wicleffi* primum schola processere, & tanquam *Wicleffiani* ab ecclesia damnati sunt, licet in quibusdam variarint, vt olim *Rogatistæ* à *Donatistis*. Fuit verò *Pragæ* insolens quidam concionator, *Ioannes* dictus, qui plebem ad seditionem excitabat: quem Senatores cum alijs nouem eius assecliscomprehensum, summo supplicio affecere. Quæ cædes magnum tumultum plebis excitauit, quæ ira atque furore percita, vndecim ex primarijs Senatoribus occisis, omnia atrocissimè depopulata est, & inter alia insignem illam instructissimam in collegio *Caroli* bibliothecam. Res verò ita tandem in *Bohemia* exiere, vt *Thaboritis* per catholicos prorsus deletis, cum aduentante *Pragam* postea *Sigismundo* Rege, sectarij reliqui nec illi parere, nec in vllam certam & solidam pacem coire voluissent, nisi vtriusque speciei communione illis concessa: *Basilienſe* Concilium certis conditionibus, è quibus illa præcipua fuit, vt cetera catholice sentirent rituſque ecclesiæ seruarent, indulgenter illorum desiderio satisfecerit. Sed suis ipsi postea promissis per omnia non paruere, resque in eum exitum abijt, vt vna regni pars prorsus catholica permaneret, altera, nihil à catholicis differret, nisi in vtriusque speciei communione, tertia *Wicleffi* scitis penitus adhæresceret. Atque hæc est vel hodierna, religionis in *Bohemia*, facies atque conditio. Reges tamen interim omnes catholicæ religioni addicti erant, & adhuc addicti sunt, præter *Georgiconem*, qui à sectarijs post *Ladislaum* in Cœl. li 12. Regem suffectus est: qui tamen varie nunc in hanc, nunc in alteram partem propendebat: & ante obitum *Romam* legatos misit, vt ab anathemate, quo deuotus erat, eximeretur. Hoc autem saltem boni, atroces hi in *Bohemia* motus peperere, quod catholicorum patientiam atque constantiam exercuere, multosque illustres martyres protulere. Nefarius Cœl li. 5. & Io. Dubran. li. 24. ille *Ziska*, cùm alios, tum sacerdotes & monachos, maximè qui celebrioris erant nominis & æstimationis, aut incendio, aut aliis exquisitis supplicijs absumpsit. Qui verò obscuriores erant, exectis eos testiculis, vt apud populum ludibrio atque irrisioni exponerentur, dimisit. Niceph Patriar. Constant. in annalibus. Zonaras in annal Theo. VVald to 2 in præfa doct 10 Atque vt olim *Constantinopoli* Leo *Augustus*, qui *Iconomachus* dictus est, clarissimum collegii præsidem, & duodecim ex eadem societate homines, singularis atque exquisitæ doctrinæ vna cum ipsa domo, quam incolebant, incendio absumpsit; ita sectarii isti, duodecim illustres doctores partim ex monachis, partim ex clero, in vnam fornacem ardentem coniecere, vt in eis massa illa candida *Africanorum* martyrum renata videatur.

COMMI-

COMMEMORATA templorum & cœnobiorũ vastatio ac demolitio, eò gratior videtur, quòd nullibi per *Europam*, frequentiora, magnificentiora aut ornatiora, se *Æneas Silvius* templa vidisse asserat. De vno ex his cœnobijs, quæ cuerla sunt, ita scribit. In hunus (inquit) lateribus, vetus nouumque testamentum, literis maiusculis in tabulis scriptum continebatur, notis quo altiùs iret, paulatim crescentibus, ita vt à sum. nec vlque deorsum facilis lectio præberetur. Illud etiam accurata obseruatione non indignum puto, quòd *Thaboritæ* non solum in catholicos, sed in ipsos tandem *Pragenses* sectarios, quibuscum tãta crudelitate catholicos coniunctis viribus oppugnabant, atrocitei sæuierint, vibesque illorum eripuerint. Decuriones, sacerdotes, nobilesque *Calixtinorum* (sic enim appellabantur qui vtriusque speciei, ad quam vt Catholicos redigerent, cum *Calixtinis Thaboritæ* se coniungebant) in eucharistia communionem necessariam dimittabant, captos ignibus absumpsere, non alia magis ex causa, quàm quòd primas belli ducendi partes sibi intercipiebant, nec ipsorum superstitionis scita in omnibus probarent. Viris autem, *Thaboritæ* mulieres non multum feritate atque immanitate cesserunt, quæ suam in matresfamilias pudicasque catholicas, idque contra ipsarum itq; promissa, sæuitiam exercuere, quarũ etiam nuda corpora scrutabantur, si quid forte in secretis locis auri recondderetur. Sed lubet iam hanc narrationem, verbis celeberrimi illorum ipsorum temporum scriptoris, summique pontifici Pontificis concludere. *Ziska*, inquit, *Ciaccho*, *Præsco*, quos felices *Bohemi* credidere, tot prælionum victores, tanto imperio præditos, *Corandá* quoque & *Iacobellus*, quibus vt Apostolis Christi, aut angelis è cœlo missis populorum aures patuere, cum *Procopijs* pugna cœtis, cum *Ioanne* ac *Hieronymo Constantiæ* in magna synodo igni dan natis, apud inferos pœnas dant temeratæ religionis, in æternumque dabunt. Eosque proculdubio *Rochezana* sequetur, & qui ei auscultant, diuinæ legis temeratores, nisi ante finem vitæ suæ resipuerint. Viri constantes, qui vel exilium, vel carcerem, vel cædem pro testamento Christi fortiter pertulere, cum Rege suo in cœlo regnant, ex aliena victoria triumphantes, quorum multa millia *Bohemia* tulit. Nam sicut *Hussitarum* insania *Bohemicum* nomen labefactauit, ita & fortium virorum constantia illustrauit. Nec prouincia est, quæ tempore nostro plures Christi martyres, quam *Bohemia* produxerit. Inter quos Equitem fuisse non est ambiguum, nobilibus parentibus ortum, quem captum ab *Hussitis*, admotum ignibus, pedes primum, deinde tibias, mox genua, coxasque, postremo reliquas corporis partes exuri passum, quàm illorum insaniæ consentiret. Hæc ille. Hactenus audisti, optime lector, quanto studio contentioneque Satanas, cum suis discipulis *Wicleffo* & ceteris id genus, in ANGLIA ad catholicam fidem extinguendam incubuerit. Superest iam, vt per quos potissimum, & quibus rationibus, Deus hos nefarios conatus repressérit, aliquid in medium proferamus. Exordium verò ab ijs ducemus, qui scriptis suis commemoratas hæreses constregere.

In hist. Bohemiæ cap. 36.

Io. Dubrau. lib. 27.

Io. Dubrau. lib. 26.

Æneas Pius in præfat. hist. de orig. Bohem.

De ijs, qui libros contra Wicleffum & eius hæreses ediderunt.

CAPVT XV.

Ioan. Leland de script. Britan.

VT nunquam defuere ecclesiæ præclari heroes, qui disputandi & concionandi diligentia, libroſque adeò luculentos, doctoſque scribendo, nascentes semper in ea vbicunque hæreses repressérunt, ita nec his temporibus in ANGLIA defuere. *Ioannes Kininghamius Carmelita*, *Ioannes Ierdanus Dominicanus*, in scholasticis *Oxonii* dissertationibus, se *Wicleffo* inter alios opposuere, libriſque etiam eius hæreses confutarunt. Quod eo adhuc superstite præstiterunt. *Ioannes Bromiard* ex instituto diui *Dominici*, *Ioannes Tissington*, ex diui *Francisci* disciplina, *Richardus Lauenhamus Carmelita*, *Thomas Ashburnus*, & *Thomas Winterton*, *Augustiniani*; *Vthredus Boltonius*, & *Nicolaus Radcliffus Benedictini*; *Gulielmus Berton*, de quo meminimus, *Oxoniensis* Cancellarius, *Radolphus Strode* ex *Martonensi Oxonij* collegio. Anteſignanus vero omnium, qui huiusmodi scriptis eum impetiere, fuit *Gulielmus Binhamus*, *Norwegiæ* monachus. Fuere verò non pauci, qui eo iam mortuo, impiam illius & discipulorum ipsius doctrinam, scriptis suis egregiè euertérunt. E quibus præter *Thomam Walwardum* & *Gulielmum Wodfordum Franciscanos*, *Richardum Maidston*, *Petrum Stokes*, *Thomam Lombe*, *Gualterum Diſſe*, *Ioannem Marrey*, *Thomam Waldenum Carmelitas*: *Ioannem Bury Augustinianum*; *Rogerum Dimmocke Dominicanum*: fuere *Ioannes Snaffanius*, & *Stephanus Patringtonius*, *Menenenſes* Episcopi, *Robertus Waldebie Eboracensis* Archiepiscopus. His adiungere possumus, *Nicolaum Pontium Martonensem Oxonij* alumnum, & *Oxoniensis* Academiæ Cancellarium, *Robertum Alingtonium*, & complures alios, quos commemorare non erit necesse. Et hi quidem nostra tempora antecessere. Nam eos ex nostris qui per *Lutherum* & alios, damnata *Wicleffi* dogmata ab inferis reuocata, doctissimis monumentis conuulserunt, *Rossensem* Episcopum, *Ioannem Fischerum*, *Stephanum Wintoniensem*, *Thomam Morum*, & ceteros hic recensere, & longum esset, & minus necessarium. Sed ex ijs, qui nostram ætatem antecuertêre, quos recensuimus, ceteris *Thomas Waldenus*, & quem præceptorem ille sæpè suum appellat, *Gulielmus Wodfordius* palmam sibi præripiunt. Quorum ego singularem diligentiam, & excellentem pro temporum illorum ratione doctrinam, dum eorum libros perlegerem, non potui satis admirari.

ILLIVS libri, quod æneis typis excusi sint, paratiores atque magis obuij sunt. Huius autem rariores, ni fallor. Ille latiore & diffusiore dicendi genere vberiùs, iste astrictius, & quasi scholæ, atque veterũ *Stoicorum* more contortuosius singula persequitur, totusque quasi ex ossibus & neruis constat, magnoque verborũ compendio, multa fortiaque argumenta complectitur. Multa ille perdoctè conscripsit, & inter alia quæstiones LXXII. de eucharistia. In quo tractatu, impiũ *wicleffi* contra eum dogma conuellit. Scripsit & de dignitate sacerdotij, quod *Wicleffus* prorsus obruere conabatur. Refellit etiam ea argumenta, quæ ille contra vitam monasticã, eorum præsertim, qui ex mendicato viuunt, omni, quo poterat, ingenio, artificioque contexuerat. Cumque THOMAS ARVNDELLIVS, cum Episcoporum & aliorum synodo pestiferum illum *wicleffi* librum, quem *Trialogum* appellabat, ecclesiastica censura perculisset: XIIX præsertim articulos, qui ex eo delumpti erant, rogatu Archiepiscopi *Wodfordus* magna sane eruditione, illos articulos iustè damnatos, causaſque iudicij sui, & in nonnullis supra quidem viginti, more suo, id est breuissimè ostendit. Aduersarij deinde argumenta confutat. Repressit & *Gualteri Britti* ineptias, quas contra decimas & oblationes effutierat. Ex istorum itaque librorum lectione, & doctorum concionatorum auditione, multi è tenebris hisce *wicleffianis* emersere, & clarissimam catholicæ ecclesiæ lucem complexi sunt; pernitiosa *wicleffi* deinceps dogmata omni animi contentione, ac velis remisque, quod dicitur, fugientes. Atenim multorum pectoribus *wicleffiana* hæc pestis tam altè insederat, vt ad defendendam præceptoris doctrinam prorsus se obstrinxerint, multaque, vt diximus, commenti sunt, quibus eius authoritatem amplificarent, adeóque tandem obdurucrunt, vt nullis admonitionibus, nullis concionibus, nullis libris, nulla legem seueritate, aut vlla alia ratione insita semel hæresis euelli potuerit; imò potius, quam vt ab ea discedere cogerentur, in summam totius religionis christianæ, totiusque reipublicæ etiam perniciem, nefariè, vt iam declarauimus, conspirare in animũm sceleratè induxerint. Nos verò, quid aduersus has furias,

quas

Incipit ratione solemnitatis.

Anno 1196. Ioan. Baleus tribuit duos libros Gulielmo contra Trialogum, cum sit vnicus tantum. Quem ille errore in duos distraxit.

quas *Wiclffus* immiserat, & concitarat, Episcopi, quidque Reges egerint, imo, quo modo Deus ipse clarissimis testimonijs, illustrique quasi tantum non è cœlo demissa voce, aduersus eam luculentam voluntatis suæ testificationem in ANGLIA sæpè dederit, ceteraque, quæ huic nostro instituto apta & accommodata sunt, iam persequemur.

Quid contra Wicleffianos *in synodis & alibi per Episcopos actum sit.*

CAPVT XVI.

VT alij, qui erga catholicam fidem rectè atque integrè affecti fuerant, libris scribendis, alij concionibus, alij alia ratione, *wicleffianam* hanc pestem curare atque extinguere conati sunt, ita & Episcopi, tum in synodis, tum alias, omnem suam operam, curam atque authoritatem, ad eam, vt par erat, opprimendam, adhibuere. Qua diligentia persecere, vt multi, cognitis atque abdicatis erroribus, ad catholicam ecclesiam, quam temerè deseruêre, redierint. Sed multos rursus, ita hæc pestis totos occupauit, vt nullum pijs, sanctis atque doctis admonitionibus, atque consilijs locum reliquerint. Quos Episcopi, ne reliquum gregem vlteriùs commaculerent & corrumperent, cum perditè atque obstinatè in erroribus persisterent, anathemate confixerunt, latáque pro tribunali sententia, præfractos, contumaces, atque obduratos hæreticos pronunciauerunt. Qui & ignibus posteà conflagrarunt, suæque sempiternæ pœnæ primitias hic gustarunt. Quid aduersus *wicleffum* adhuc superstitem, & quosdam eius discipulos, *Courteneius Cantuariensis* Archiepiscopus egerit, iam anteà, vt non sit necesse repetere, ostendimus. Etsi vero, per *Courtevetum* & synodum, *wicleffi* dogmata damnarentur, non defuere tamen multi, vt diximus, qui ea mordicùs retinerent, & inter eos quidam etiam, in illustriore loco & ordine positi. E quibus fuêre *Gulielmus Neuilius*, *Ludouicus Cliffordius*, *Ioannes Carew*, *Richardus Stury*, *Thomas Latymer* equestris ordinis homines, & cum primis Dominus *Thomas Latimerus*. Qui omnes Christi & Diuorum imagines, quas in sacello suo habuit, inde disturbauit & eiecit. Isti sua gratia, ope atque auxilio multos, vt pertinaciter sectæ adhærescerent, vehementer animarunt, præcipuè autem *Petrum Pateshallium Augustinianum*. Qui cum *Londini* execranda quædam vitia, *Augustinianis* suis palam in concione obijceret (ad quam centum *wicleffianis* stipatus veniebat) quidamque ex ea societate, hominem palam coargueret, *wicleffiani* verberibus eum male mulctatum, cùm ceteris, qui aderant, *Augustinianis*, eiecere, vixque manus ab eorum cæde, & *Augustinianorum* ædibus incendendis, abstinuere.

Vide Tho. Walsi. anno 1382. & Add. ad Polich.

Tho. Walsi 1387. & Add. ad Poli.

ADEÒ autem posteà secta ingrauescebat, tantásque Clero molestias exhibebat, vt cogeretur ille *Eboracensem* Archiepiscopum atque *Londinensem*, cum quibusdam alijs in *Hiberniam* mittere, qui Regem ad maturum & celerem in ANGLIAM reditum excitarent, vt laborantibus, & pænè desperatis ecclesiæ rebus subueniret. Quidam interim ex Episcopis, nihil operæ atque diligentiæ prætermittebant, vt diœceses suas hac pestifera lue purgarent. Inter quos IOANNES *Tresuantius Herefordensis* Episcopus, laude & præconio dignus est. In cuius diœcesi *Gulielmus Swynderbi sacerdos*, & *Walterus Brucus* laicus, perdita dogmata passim ex *wicleffi* disciplina hausta, & quædam etiam alia de suo edita, disseminabant. Ille inter alios errores, omni sacerdotalis functionis potestate, eum, qui in mortali peccato versaretur, carere, atque destitui: iste non licere affirmabat ab vllâ temporali, vt appellant, atque ciuilem causam bellum gerere. Reuocauere vterque hæreses suas, sed ille omnè illam recantationem perditè posteà rescidit, atque ideo, vt pertinax & obduratus hæreticus, ab eodem Episcopo damnatus est. Incredibile pænè est, quod de sectariorum his temporibus insolentia traditur. Et vt cetera prætermittam, ex illo solo dogmate, quo *Wicleffus* Episcopus & sacerdotes ad parem atque æqualem potestatem reuocabat, tanta & tam dissoluta licentia orta est, tantaque ecclesiasticæ totius disciplinæ confusio & perturbatio, vt sectariorum sacerdotes, alios sacerdotes, sua priuata authoritate, Episcopis in ordinem redactis, crearent, quique, tam perperam initiati, impudentissimè ad omnia sacerdotalia, & pontificia munia vbique ingerebant. Atque sectariorum istam perfidiam seuerè, atque acriter reprimendam, multi ex Episcopis fuere iusto molliores atque remissiores. *Nordouicensis* verò Episcopi vigilantia, ab illius temporis scriptoribus valde commendatur; qua perfecit, vt nulli ex *wicleffianis*

Th. Walsi. 1394.

Ex registro Herefordens.

Anno 1391.

The. Walsing. anno 1391.

auderent

audirent in illius diœcesi concionari. *Ioannem* autem *Edwarde* Presbyterum inter reliquos, ad recinendum & resipiscendum coegit. Qui inter alios errores, Baptismum negabat; nec licere aiebat iusiurandum à magistratu oblatum, aliqua ex causa suscipere.

Ex registro Arundell.

INTER cetera verò ANGLIÆ loca, *Leicestriæ* oppidum in diœcesi *Lincolniensi* valde fuit *Wicleffianis* hæresibus contaminatum. Quare *Courtenetus* Archiepiscopus, cum illam diœcesem lustraret, atque visitaret, omnem quam potuit, accuratè diligentiam adhibuit, vt errantes illas oues ad ecclesiæ caulas reduceret. Fuit inclusa in quibusdam ædibus in eo oppido, vitamque solitariam duxit quædam *Mathias*: sed & ad eam tamen hæreses *Wicleffianæ* irrepsere, eamque deprauarunt. Quæ postea, hortatu *Courtenetij* resipuit. Qui & *Margaretam* quandam *Caly*, quæ virginitatem apud cœnobium diuæ *Radegundis*, in eadem diœcesi Deo deuouerat, relictoque postea cœnobio, flammeoque virgineo, laicę mulieris vestitu, inter laicos versabatur, ad cœnobium rursus reduxit. Multos autem *Courtenetus* ex commemorato oppido, qui ad illa praua dogmata abducti erant, coram se accersiuit. Qui cum edicto non parerent, neque die præscripto comparerent, Pontificijs vestibus indutus, post missam solemni ritu eos anathemate deuouit, eosque omnes, qui opem auxiliumue illis ferrent. Quæ res tantum quibusdam illorum, tam viris quam fœminis terrorem incussit, vt ad Archiepiscopum accesserint, errores atque hæreses parati abijcere. Quibus hæc pœnitentia iniuncta est, vt *Leicestriæ* tam in supplicatione publica, quam in foro publico, cum mercatus exerceretur, sola camisia tecti in publicum procederent, altera manu ardentem cereum, altera imaginem Christi crucifixi (quam prius, illiusque honorem detestabantur) gestantes, terque se in genua dimittentes, eam religiosè ad distincta tempora oscularentur. Ex alijs dogmatibus (quæ *Wicleffianis* communia erant) quæ *Leicestriani* isti sectabantur, fuit & istud, non licere missas, aut horas matutinas, siue vespertinas sonorè, & alta voce in ecclesia & templis recitare.

Ex registro Gul. Courtney.

SED nemo maiorem ad hanc pestem profligandam, diligentiam curamque adhibuit, THOMA *Arundellio*, qui *Courtenetium* excepit. Quod vt felicius atque expeditius ageret, varias synodos indixit. In quibus multa valde salutaria, atque ad hoc malum, si non sanandum, multò tamen certè magis leniendum atque mitigandum, constituit & sanciuit. Quæ si quis scire aueat, habet vnde petat. Curauit illo vt libri *Wicleffiani* rursus damnarentur, & publicè in cœmiterio diui PAVLI *Londin*: ignibus conflagrarent. In quibus notata sunt supra CCC. pestifera dogmata. Et quoniam hæresis ista valde *Oxonij* inualescebat, adeo vt adolescentes quidam, quorum adhuc genas barba non vestierat, palam hæreses defenderent, & inter ceteros *Richardus Flemingus* (quem tamen tanta postea pœnitentia cepit, vt omnes in *Collegio* suo *Lincolniensi* contra *Wicleffi* pestiferas hæreses iuramento in perpetuum obstringendos statuerit) clerus in synodo rogauit *Arundellium*, vt ad eam opprimendam ad Academiam pergeret, eamque lustraret & visitaret. Complures autem passim in *Cantuariensi* prouincia, opera atque diligentia *Arundellij* tandem resipuere, inter quos fuit Dominus *Cliffordus*, de quo paulo antè meminimus. Qui vt testatiorem & certiorem faceret veræ solidæ suæ pœnitentiæ fidem, *Arundellio* non solùm execranda scholæ huius dogmata, quæ tenuerat, & se miserè inde circumuentum querebatur, sed & eos, qui ea defendere soliti sunt, nominatim prodidit. E quibus quædam his verbis author meus refert. Septem sacramenta non sunt nisi signa mortua, nec valent in forma, qua eis vtitur ecclesia. Item, quod virginitas & presbyteratus non sunt status approbati à Deo, sed status coniugij optimus est, & ordinatus à Deo. Quapropter omnino virgines & presbyteri, religiosique populi, si saluari desiderant, debent coniugari, vel esse in voluntate & proposito coniugandi; alias sunt homicidæ, & destruunt sanctum semen, vnde consurgeret secunda trinitas, & sic impediunt numerum saluandorum pariter & damnandorum. Item, si haberent puerum modo natum, non baptisaretur per manus presbyterorum apud ecclesiam, quia puer iste est secunda Trinitas, non contaminata peccato, & peior esset, si deueniret in manus eorundem.

Courtenetus obijt Anno 1376.

Extant hæ sanctiones in consti. prouinc. tit. de magist. tit. de hæret. & de Cler. peregrinis.

Ex registro Tho. Arund.

Ibidem anno 1409. & 1411

Vide Th. Walsi. Anno 1401.

QVID? quòd multi ex *Wicleffi* discipulis ad *Iudaicam* planè perfidiam delapsi sunt. E quibus quidam *Ioannes Seionour* affirmauit, debere nos obseruare sabbatum, vt *Iudæos* olim in veteri lege, & abstinere à carne porcina. Hæc & alia quædam, à nobis prius non commemorata, praua & detestanda dogmata multos passim corrupere. Cumque propter *Arundellij*, & aliorum quorundam Episcoporum, accuratiorem diligentiam, *Wicleffitæ* ægrè se in ANGLIA in latebris occultare potuissent; frequentes *Galliam*, quasi ad securiorem sortiam.

Registro Arund. anno 1402. Ex hac secta qui dam apud nos pullulare cœperunt, contra quos publicis concionibus inuectum est hoc præsenti anno 1396. Ex regist. Arun.

forsan locum se contulere. Quo tamen loci diu consistere non potuere, quòd quibusdam ibi *Arundellius* amplissimam potestatem dederat, qui aduersus huiusmodi diligenter inquirerent, eosque aut ad catholicam fidem reuocarent, aut vt perfidos & obduratos ex ecclesia abijcerent. Fuit & *Ioannes Becker* parochiæ ad *Padesvvike Londini*, qui asseruit, nec Regi, nec Episcopo, qui peccato mortali impliciti essent, vlla ratione obediendum. Asserebat, licere coire cum muliere, extra matrimonium, atque nuptias; nec vllum in ea re peccatum subesse. Asserebat, doctrinam *vvicleffianorum* probatiorem atque præstantiorem esse, quam vlla fuit hactenus, quæ in catholica ecclesia docebatur. Inter alios, qui opera suasúque *Arundellij* ab hæresi resipuere; fuere *Ioannes Puruens*, *Ioannes Edvvardes*, *Richardus Herbert*, cum alijs. Igni autem, eo sedente, inter alios *Londini* absumpti sunt *Gulielmus Sawtrey* presbyter, qui post abdicationem hæresis, in eandem relapsus est, & *Ioannes Badby*, de quo postea plura recensebimus. *Ex eodem regist.*

SVCCESSIT *Arundellio Chicheleius*, qui tam in synodis, quàm aliàs, accuratam quandam operam ad *Wicleffianas* hæreses supprimendas posuit, multósque ad palinodiam reuocauit. Inciderúntque multæ ac graues, in istis hæreticis discutiendis, HENRICO dubitationes, quas *Gulielmus Linvvod* commode & dextrè expidiuit. Consultus itaque respondit eum, in quem suspicio hæresis cadit, qui ad iudicium euocatur, vt fidei suæ rationem reddat, si præsentiam sui facere, edictóque parere, diémque obire detrectet, valde iam suspicionem augere, nec tamen posse, vt obstinatum hæreticum damnari; nisi excommunicatus propter contumaciam, censuras ecclesiæ per annum contemnat. Illum tamen, si ante sententiam errores abijciat, in gratiam recipiendum, nec summo supplicio afficiendum. Eum vero, si vel simpliciter vel generaliter hæresi renunciet, & postea in eandem recidat; omnem sibi gratiæ, atque veniæ spem præcidere: nec posse se iam à capitali supplicio liberare. Hæc & alia id genus *Linvvoaus*. Inter alios qui resipuere, fuit *Ioannes* quidam, quem Dux *Bedfordiæ* ad synodum miserat, non solum propter hæreses, quas tamen abdicauit, sed & propter corporis exilitate, qua pigmæum quendam referebat, qui nostra ideo lingua, *Ioannes Dvvarfe* appellabatur, illis temporibus nobilitatus. *De quibus infra sæpe apparet.* *Ex eodem regist.*

Præter errores communes fere omnibus *Wicleffianis*, quos complures his temporibus defendebant, fuere, qui insignibus alijs erroribus irretiti erant. E quibus *Gulielmus Tayler*, artium, vt appellant, magister affirmauit, quòd Deus permissiuè tantùm, & non voluntate beneplaciti, vult Principes dominari, sed hunc errorem postea reuocauit. *Ioannes* autem *Web*, qui se pro sacerdote, cum non esset, sacrilegè venditauit, fustuarium meruit. Cuiusmodi impudentium hominum magna fuit in hoc sæculo, vt *Cantuariensis* ecclesiæ archiua ostendunt, multitudo. *Ex eodem regist.*

ROBERTVS vero *Hook*, parochialis ecclesiæ de *Braibrooke* in diœcesi *Lincolniensi* rector, asserebat omnia in communi possidenda (vt & *Radulphus* quidam *Mungin* presbyter) & quod dictu audituque est horrendum, sacrosanctam ecclesiæ eucharistiam, quouis venenato animali deteriorem. Quod tamem horribile dogma ex præceptoris sui *Wicleffi*, vt ostendimus, placitis sumpsit. Quem *Wicleffum Thomas Bugley* vicarius de *Malden* in *Essexia*, tantopere suscipiebat atque colebat, vt palam affirmaret, se fidem illi potius, quàm diuis *Hieronymo*, *Augustino*, *Ambrosio*, aut GREGORIO adiungere velle, & quod celsiore in cœlis loco resideret, quam THOMAS *Cantuariensis* Archiepiscopus & martyr. Erat autem his temporibus *Gulielmus Russelius* ex disciplina diui Francisci, qui varios absurdósque errores in populum spargebat. In concione apud *Stanfordiam* in diœcesi *Lincolniensi*, parum religiose dixit, licere viro religioso & monastico, rem habere cum femina, nec coitum illum cum aliquo peccato coniunctum; affirmabat, neminem iure diuino, ad soluendum suo parocho decimas personales teneri. Qui *Romæ* ob eam causam in carceres trusus effugit, venitque clam in ANGLIAM: Erroribus autem illis tandem renunciauit, qui tam per *Oxonienſem* quàm *Cantabrigienſem* Academias damnati sunt. In eam autem insolentiam atque proteruiam, populus varijs in locis erupit, vt Curati, quemadmodum appellant, ecclesiarum, non auderent sententiam anathematis, quæ solebat in singulis parochijs quatuor vicibus, per singulos annos promulgari, publicè de more proferre. Sed hunc metum *Chicheleius*, & synodus discussit. In qua decretum est, vt sententia illa primum apud crucem in Cœmiterio diui PAVLI *Londini*, vernaculo sermone (quod & factum est) deinde, & per omnes alias regni ecclesias veteri more, solemnique ritu denunciaretur. *Ex eodem regist.* *Anno 1415.* *Ex eodem regist.*

EX Episcopis verò, neminem reperio qui se *Wicleffianis* hæresibus hoc sæculo implicuit, præter REGINALDVM *Peckam Cicestrensem*. Qui præter *wicleffi* dogmata, quibus erat irretitus, *De quo vide in scala chronico. anno 1457.*

irretitus, quatuor articulos ex sacrosancto symbolo sustulit. Sed subductis tandem meliùs rationibus, coram Archiepiscopo *Cantuariensi*, & alijs ex clero, errores illos suos agnouit, & detestatus est, & palam apud diuum PAVLVM *Londini* illos reuocauit. Qui Episcopatu spoliatus, priuatus postea vixit. Libri autem eius, quibus dogmata illa sua aspersit, tum *Londini*, tum in *Oxoniensi* Academia *Vulcano* commissi sunt. Septennio posteà *Ioannes Alluerton Carmelita* ingentes motus in populo, ex concione quam *Londini* habuit, ciebat. In qua clerum ad Christi, vt dicebat, mendicitatem (quem cum Apostolis nihil proprium habuisse dicebat) abdicatis omnibus possessionibus, reuocandum contendebat: conatusque est, errorem suum *Romæ* coram summo Pontifice confirmare, vbi biennio carceribus clausus est. Qui cum se erasse, lapsumque turpiter fuisse fateretur, & palinodiam canere promisisset, ad eandem canendam in ANGLIAM remissus est. De reliquis, qui ad HENRICI *Octaui* vsque tempora, vel ab erroribus, in quos se nimia facilitate & credulitate immerserant, fructuosè emersere: vel propter induratam in illis tuendis pertinaciam, ignibus conflagrarunt, aliquid hic dicere, non erit, vt puto, necesse; cum ad eandem fere rationem & scopum omnia spectent, & ex ijs, quæ diximus, cetera facilè metiri & iudicare poterimus. Postquam autem *Lutherus*, his recentioribus annis, pestifera hæc *Wicleffi* dogmata in lucem rursus, magna contentione reuocauit; cœperunt ea, cum essent pæne oppressa & obruta, per libros potissimum, qui vernacula nostra lingua in vulgus spargebantur, magnas vires acquirere, & quotidie ingraescere. Huic malo vt remedium aliquod adhiberetur, sedente *Waramo*, hæreses & pernicioſa dogmata, quæ libri illi continebant, decerpta sunt, & speciatim, quo populus facilius ea agnosceret, & se aduersus circumuentionem, & errores melius muniret, nostrate lingua, recensita sunt. Atque hæc mihi hactenus de Episcopis.

Eadem fatetur chronica.

Quæ in archiuis conseruantur.

REPERIO, sedente SIMONE *Langhamo Cantuariæ*, qui SIMONEM *Islepium* sequutus est, varios errores atque hæreses *Oxoniæ* grassatos. Quorum vtrum *Wicleffus* fuerat author, non satis mihi adhuc constat. Id autem in liquido est, quibusdam ex illis erroribus *Wicleffum* fuisse implicitum. Hoc autem eos loco apponere lubuit, ad hunc autem modum recensentur. Quilibet viator tam adultus, quàm non adultus, *Saracenus*, *Iudæus* & *Paganus* etiam, in vtero materno defunctus, habebit claram visionem Dei ante mortem suam; qua visione manente, habebit electionem liberam conuertendi se ad Deum, vel diuertendi se ab eo: & si pro tunc elegerit conuerti ad Deum, saluabitur; sin autem, damnabitur. Peccatum commissum in huiusmodi clara visione per malam electionem, non est remediabile nec remissibile? & sic pro illo passio Christi non potest satisfacere, quantum ad efficientiam. Stat aliquem adultum, sine actu vel habitu fidei Christi in se, de lege communi saluari. Sacramentum Baptismi non est de lege Dei, alicui paruulo decedenti requisitum ad salutem æternam. De quolibet paruulo, in vtero materno decedente, ac alijs paruulis decedentibus sine sacramento baptismi, est à quolibet catholico dubitandum, an damnetur an saluetur. De quolibet paruulo baptisato decedente, an saluabitur seu damnabitur, est à quolibet catholico dubitandum. *Saracenos*, *Iudæos* & *Paganos* adultos & discretos, qui nunquam habuerunt, habent, vel habebunt actum, seu habitum fidei Christianæ, possibile est de communi lege saluari. Non est possibilè de lege communi, aliquem pro solo originali peccato damnari. Impossibile est de lege communi aliquem damnari, sine peccato actuali ab ipso commisso. Gratia, iuxta communiter ponentes, est trussa, eo quod non est possibile aliquam talem esse. Aliquis potest, ex puris naturalibus, mereri vitam æternam. Est medium sufficiens in natura, ad attingendum finem hominis naturalem. Pro quolibet peccato commisso in statu fidei, est remedium sufficiens in natura, per quod redire potest viator ad gradum deperditum per peccatum. Pro nullo peccato commisso citra claram visionem Dei, est aliquis iuste priuandus hæreditate cœlesti, sicut nec puer peccans ex ignorantia, est hæreditate priuandus.

Ex registro Sim. Langhami.

NIHIL est, nec esse potest malum, solum quia prohibitum. Pomum vetitum, quod primus parens comedit, non solùm fuit malum sibi, quia prohibitum; sed sibi prohibitum, quia malum. Quocunque effectu signato, oportet quòd sit aliqua causa, quare Deus vult illum effectum. Pater in diuinis est finitus, filius in diuinis est finitus, & solus spiritus sanctus est infinitus. Solus pater efficit, solus filius format, & solus spiritus sanctus finit quamlibet creaturam. Deus non potest aliquid adnihilare. Deus non potest aliquem immediatè punire, eò quòd non potest esse tortor. Nullus potest peccare appropriatè contra patrem in diuinis, eò quòd nullus potest peccare ex impotentia, nisi peccet ex ignorantia vel malitia.

Quàm

Quàm necessario homo est animal, tam necessario homo est mortalis. Quòd Christus, B. MARIA & omnes homines sancti, adhuc veraciter sunt mortales. Quòd Virgo beata est adhuc peccabilis & damnabilis pro peccato. Quòd omnes beati, tam angeli quam homines, excepto Christo, sunt peccabiles & damnabiles. Quòd omnes homines damnati in inferno, sunt reparabiles & beatificabiles. Quòd omnes dæmones sunt, & semper erunt reparabiles ad beatitudinem consequendam. Quòd Deus de potentia sua absoluta, non posset facere creaturam rationalem impeccabilem. Quòd beati sunt mortales & immortales. Commemorati errores à prædicto *Langhamo* rescripto quodã damnati sunt. In quo explicat, qui prorsus reijciendi sint, quique, & in quem sensum, aut reijciendi, aut tolerandi. Demonstremus iam etiam paucis, quam rationem Reges & amplissima regni comitia, ad hæreticam & pestiferam Wicleffi luem abigendam inierint.

Quod incipit secundum sententiam In registro Langham.

Quid RICHARDVS, *& alij Reges contra* Wicleffianos *egerint.*

CAPVT XVII.

TAM turbulenta & inquieta varijs de causis fuerunt RICHARDI Regis tempora, vt quamuis summa affectione animi ad catholicam fidem tuendam, fouendam atque ornandam propenderet, graues illas per *Wicleffum* tempestates ortas tranquillare, atque sedare non potuerit. Eoque *Wicleffiani* confidentiæ, atque impudentiæ prouecti sunt, vt libellum aduersus catholicam fidem, veterémque ecclesiæ disciplinam, amplissimis regni comitijs (quæ parliamentum appellamus) offerre ausi sint. Inter cuius alia capita, & hoc vnum fuit, non licere vlla ex causa vel priuata vel publica, ciuili vel ecclesiastica, hominem occidere, aut arma capessere. Qui libellus cum communi *wicleffianorum* consilio dictatus videatur, dogma illud, non vnius, aut alterius ex illa secta, sed quasi totius sectæ censeri posset. Quid autem RICHARDVS contra ipsum *Wicleffum* adhuc superstitem, & quosdam eius *Oxonij* assecias egerit, iam anteà ostendimus. Post illum autem libellum oblatum, seuerior & acrior redditus est RICHARDVS aduersus *Wicleffianos*, adeo, vt *Richardum Surv, Lodouicum Clifforde, Thomam Latimerum, Ioannem Montacutum*, de quibus meminimus, acerrimè atque acerbissimè coripuerit. Imo & iusiurandum à *Richardo* exegit, ne dogma aliquod prauum tueretur. Qui cum ita iurasset, iurauit rursus & Rex in hanc sententiam, vt si *Richardus* susceptum iusiurandum violaret, exquisitæ mortis pœnas exolueret. Diximus iam prius de *Gulielmo Suinderby*, quem IOANNES *Herefordensis* Episcopus anathemate irretitum & hæreticum pronunciauit. Is vt sententiam Episcopi illuderet, in *Walliam* profugit cum *Stephano bello* simili sententia damnato. Quare Rex RICHARDVS per literas omnibus seuerè mandauit magistratibus, & ministris suis, vt omnem diligentiam adhiberent, quo illi caperentur, & in carceres abducerentur. Mandauit præterea suis, sub omnium bonorum iactura, ne quisquam publicè aut clam, commemoratis auxiliũ aliquod præstaret, donec ad ecclesiam rursus redijssent. Diximus & de *Waltero Bruto*, quem cum idem Episcopus ad se, vt pro tribunali responderet, ad certum diem euocasset; adeo ille edictum Episcopi contempsit, vt vi illi resistere, amicorum ope stipatus, conaretur. Cuius rei ad Regem querela delata, Rex literas ad illustriores illius diœcesis viros, magistratusque misit, vt accuratè operam darent, ne quid turbarum atque tumultus per *wicleffianos* illos daretur, vtque *Brutum* caperent, & in carceres detruderent.

De quo supra mentionem fecit Th. VValsingham.

Th. VValsingham. 1390. & 1395.

Ex reg. Herefo. Anno Rich. 13.

VNVS autem ex præcipuis scopis, quo *wicleffiani* collimabant, ille erat, vt possessiones omnes Clero excuterent, atque in summam illum egestate constituerent. Quò & libellus ille, de quo commemorauimus, licet tectius spectabat. Sed regnantibus HENRICO *quarto*, atque *quinto*, callidum hoc & nefarium consilium apertius & violentius erupit, resque in ipso parliamento tractata est, rapinæque huic specioſus quidam regiæ, & publicæ vtilitatis fucus, ad Reges, illustriores que viros inescandos obtendebatur. Iactabant itaque temporales, vt appellant, ecclesiæ possessiones, quas monastici viri, & alij ex Clero, malè & perditè, vt isti aiebant, collocabant; posse insignem & incredibilem Regi, regnóque fructum adferre. Posse ex his emolumentis XV. Comites, CIↃ. IↃ. Equestris ordinis homines, duo milia Armigerorum, vt appellamus, ad Reip. defensionem atque tutelam fouere. Posse præterea centum pauperum hospitia ædificari, præter XX. mille librarum annuos prouentus, qui regio fisco accederent. Hoc certè fuit

Vide Tho. Mor. in supplicatione animarum & Chron. Ed. Hall.

nouum sub pietatis specie aucupium,& quo Reges facilè irretiendos existimabant. Tentata res est, vt dixi, sub RICHARDO, tentata sub HENRICO *quarto*, tentata & sub HENRICO *quinto*. Sed priuatis illi compendijs Dei & ecclesiæ honorē, pro insita sua pietate prætulerunt, & aditum ipsum, quem per hoc fraudulentum commentum, ad omnem catholicam fidem euertendam veteratores isti, se aperire posse sperabant, obstruebant. HENRICVS præterea vterque, *Wicleffianorum* insolentiam seueritissimis legibus coërcuit.

Anno 11. An. 2 apud Lic. Rham.

HENRICVS pater, maximorum illorum comitiorum authoritate constituit & sanciit, ne quisquam sine licentia Episcopi, (exceptis ijs, quos ius ecclesiasticum admittit) concionari audeat: Ne quisquem ad praua & damnata dogmata discenda, conuentus aliquos hominum creet; ne quis aurem huiusmodi docentibus præbeat; ne quis damnatos libros apud se retineat; vt qui obstinati in erroribus persistunt, palam incendio, ad terrorem & exemplum aliorum, absumantur. Quod tamen decretum ita accipi non debet, quasi nulla prius fuisset, de hæreticis comburendis, per leges regni cautio atque prouisio. In quo tamen errore quosdam versari video. Nam & *Albigenses* ignis prius supplicium subiere, regnante IOANNE, & rescriptum de hæreticis comburendis tam antiquum est, atque vllum aliud rescriptum. Communi itaque & antiquo iure, satis de hac re cautum est. Sed non licebat, sine rescripto regio, hanc prius pœnam irrogare; iam per hanc sanctionem, semoto huiusmodi rescripto, licet. Erit autem, ni fallor, operepræciũ, causam, quæ hanc Regi, omnibusque regni ordinibus sanctionem quasi extorsit, hoc loco subijcere. Quæ ex præfatione statuti abundè liquet. Quæ eò potissimum respicit, vt ostendat catholicam fidem, super Christum fundatam, perque Apostolos atque ecclesiam catholicam, sufficienter atque abundè declaratam atque definitam, fuisse integerrimè, constantissimè, atque religiosissimè (vt in nulla magis natione) a Regibus hactenus obseruatã; ecclesiámque ANGLIAE, ad summi Dei, totiusque regni honorē, amplissimis per eosdem possessionibus, amplissimis priuilegijs, libertatibus atque prærogatiuis (quæ hactenus sarta tecta atque inuiolata permansere) fuisse ornatam. Fidem quoque catholicã, hactenus sartam tectam atque inuiolatam permansisse. At nuper multos erupisse, nouorum & damnatorum dogmatum improbos sectatores, qui de sacramentis, & de ecclesiæ authoritate pessimè & perditissimè sentirent, quique spreta tam humana, quàm diuina lege, concionandi ipsi sibi munus arroganter vendicarent, concionandóque improbata & execranda dogmata proponerent, quæ catholicæ fidei, atque ecclesiæ sanctionibus prorsus repugnarent, quique ad disseminanda eadem dogmata illicitos conuentus & fœdera inirent, scholasque tenerent, libros conscriberent, & quoad possent, populum ad pernitiosos motus, seditionémque, magnaque dissidia atque contentiones in regno excitarent, quotidiéque alia horrenda piacula designarent, ad extremam fidei catholicæ ruinã, ad diuinæ maiestatis, omniumque ecclesiæ libertatum, & prærogatiuarum imminutionē. Imminere itaque ingens quoddam periculum, non solum animabus populi, sed & alia quædam immensi pericula, ni ocyùs his tantis malis, idonea cautione, legiumque seueritate occurratur.

Vide prolog. Th. Wvid. to. 1.

An. 2. Henr. 4. cap. 15.

HAEC, & alia id genus, in illis comitijs. Adeo autem Rex iste, ad profligandam hanc hæreticam luem, accuratas cogitationes suscepit, vt Episcopos ad suum in hac causa munus, vigilanter & strenuè obeundum, missis selectissimis ad ipsorum Synodum ex tua nobilitate, secretóque consilio viris, vehementer & solicite excitarit, & eis in hac tam necessaria perfunctione, quodammodo prærierit. Atque in hoc pietatis genere, non eum modo æquauit, sed superauit potius filius eius HENRICVS V. Qui in summis regni comitijs cauit, vt qui hæreticos damnarentur, supplicíumque propter eam subirent, omnibus bonis atque possessionibus, quod antea ex regni scitis, in furibus & latronibus obseruatum fuerat, excíderent. Cautum præterea, vt regni Cancellarius, vt qui essent a thesauris, vt ciuitatum prætores, aliique ciuiles magistratus, cum magistratũ inirent, religione conceptis verbis obstringerentur, qua contestarentur, se nihil summæ diligentiæ prætermissuros, qua exortæ hæreses exterminarentur, omnesque consilium, opem & auxilium Episcopis, ad eas obruendas collaturos. Cautum præterea, vt regij iustitiæ præsides, quique de maleficis de more inquirerent, inquirerent simul de hæreticis, & eorum fautoribus; captosque ad Episcopos remitterent. Quę inquisitio ad nostra vsque tempora, omnes alias inquisitiones anteuertere solebat. Et quoniam, *Wicleffiani* sumptis armis, atrocissimè in Regis & religionis, vt diximus, excidium, maxima multitudine coierant; ad posteritatis exemplum, & vtriusque detestationem, gemino illi supplicio, suspendij, propter humanam & regiam maiestatem; incendij, propter diuinam maiestatem, fidemque latam, iniqniter affecti sunt.

Anno 2. cap. 7.

D. rursus-

De miraculis in ANGLIA *post hæreses* Wicleffi *exortas, diuinitùs ad eas reprimendas patratis; Wicleffique doctrinam, non modò ab ecclesia, sed & à sectariorum nostri temporis antesignanis, reiectam & damnatam.*

CAPVT XVIII.

AVDISTI, optime Lector, quid docti & pij viri suis scriptis, quid Episcopi in suis synodis, quid ANGLIAE Reges cum selectissimis regni comitijs, quid denique œcumenicæ synodi aduersus *Wicleffianos* tentarint. Quem tanta, & qua maior in orbe esse non poterit, authoritas non mouet, neque à *Wicleffianis* abducit; nescio sanè quid illum mouere atque abducere poterit, nisi fortè Deum ipsum è cœlo deuolare velit, vocémque ipsius exaudire cupiat. Quanquam & eam ipsam, si velit, quotidiè audire poterit, disertè contestantem; *Si quis ecclesiam non audierit, sit tanquam ethnicus & publicanus*. Audire etiam & aliunde poterit, quasi clara voce è cœlo clamantem, & *Wicleffianos* damnantem, per certissima & clarissima illa signa & miracula, quibus fidem catholicam, post exortas *Wicleffi hæreses*, insigniter confirmauit. Si reliquas orbis christiani partes, ad ea vberiùs demonstranda, peragrare vellem, ingens mihi facilè volumen hæc narratio conficeret. Sed nolo nostram ANGLIAM egredi. Neque in ea quidem omnia, quæ in medium proferri possent, sed pauca tantum persequar. Quæ tamen homini, non nimis prætracto satisfacere poterint. Vnum igitur ex *Wicleffi* peruersis dogmatibus, miracula, quæ ad reliquias & corpora Sanctorum contingunt, lacerat & conuellit. Sed huic conuitiatori Deus ipse quasi os obruere videtur, ex admirandis signis, quæ ad reliquias beatæ ÆTHELDREDAE *Eliensis*, THOMAE *Cantuariensis*, & IOANNIS *Bridlingtonensis*, & alibi gloriosè patrata sunt. Author certè meus illorum temporum æqualis testatur, apud sepulchrum commemorati IOANNIS, tanta miracula edita, vt omnis ferè ANGLIA ad eorum auditionem obstupesceret, & cum inter ceteros tutelares, Diuos atque Patronos, singulari obseruantia Rex HENRICVS *quintus* coluerit. Tot etiam diuus THOMAS (quem impudens *Wicleffi* os tanquam proditorem conuitijs incessere non verebatur) tam frequentibus & tam illustribus miraculis, eo potissimum tempore, quo hæ hæreses maximè grassabantur, nobilitatus est, vt RICHARDVS Rex. per literas ad THOMAM *Arundellium* Cantuariensem, clarum de illis ferret testimonium, eaque diuinitus, ad *Wicleffianas* hæreses constringendas, atque euertendas profecta proficeretur. Sed nihil insignius, quàm quòd beati CVTHBERTI *Dunelmi* Episcopi corpus integrum & per omnia illæsum, nostris, vt antea dixi, temporibus repertum sit. Quanta execratione *Wicleffiani*, Crucē Christi, & illius atque Diuorum sacras imagines detestentur, iam anteà commemoraui. Ad quorum perfidiam contundendam, multa & egregia miracula patrata sunt, apud crucem quandam positam non procul à cœnobio *Wimundhamiæ*. Quid dicam de insigni miraculo, quod ad imaginem beatæ MARIAE Virginis *Ipsuichy*, regnante HENRICO *octauo*, admirabiliter in filia ornatissimi Equitis, *Rogeri Wentworthi* contigit?

De quibus vide. Th. VValsi. 1387

Hæ litera extant in Reg. Arund.

VValsi. dicto anno 1387.

De quo Th. Mor. in dial. Angl. lib. cap. 16.

NEQVE hic obliuione prætereundum est, quidnam in hoc genere: XIV: circiter annis iam lapsis, acciderit. De crucis videlicet effigie tam fraxino annosæ, quàm camisiæ cuiusdam *Wicleffianæ* mulieris, stupendo spectaculo diuinitùs impressa. Cetera iam id genus dimittam, & vnum aut alterum quæ huc pertinent, de re eucharistica adijciam. Fuit itaque puella quædam in *Essexia*, nostris ad initium regni EDOVARDI *sexti* temporibus, *Wicleffianæ* sectæ miserè addicta. Quæ acceptam eucharistiam, catholico more consecratam, non deglutiuit, sed clam ex ore subducens, & lintheo panno inuoluens, domum secum retulit, vt illi execrabiliter insultaret & illuderet. Nec longè à *Iudæorum*, qui Christum summo supplicio affecêre, perfidia recedens, sacrosanctā eucharistiam in ignem (horresco referens) coniecit, iussitque, vt, si esset Deus, suæ saluti consuleret. En verò mox, quasi non eucharistiam, sed seipsam in flammas deuoluisset, tam diris & miserabilibus caloribus, toto corpore correpta est, vt inferni ipsius pœnas subiisse sibi videretur, huiusque tandem caloris, incendijque magnitudine, cùm nihil se remitterent, è vita, miserabili modo torta, abijt. Hanc historiam tum ab

De quibus vide in dial. 4 Alam. Cap. 1 cap. 9.

alijs, tum à generoso quodam accepi, qui, vt rei veritatem certius exploraret, è *Cantia* in *Esſexiam* profectus est. Huic historiæ, cetera quæ huc spectant, quæque prioribus temporibus acciderè, iam accumulabimus. Commemorauimus iam anteà *wicleſſum* horribiliter docuisse, multosque eius discipulos in eandam insaniam abijsse, quod bufo, aut aliud quodcunque venenatum animal, honore ac veneratione potius dignum sit, quàm sacrosanctæ catholicæ ecclesiæ eucharistia. Huic detestando & execrabili dogmati, *Ioannes* quidam veltiarius adeò adhæsit, vt pro tribunali, apud ædem diui PAVLI *Londini*, palam asseruerit, se araneam potius quàm eucharistiam venerari, atque adorare velle. A qua blasphemia, neque THOMAE *Arundellij Cantuarienſis* Archiepiscopi, nec aliorum, qui aderant, Episcoporum, vlla persuasione abduci potuit. Atenim, vbi tam impia verba pronunciasset, mox è summo templi vertice, ingens quædam, aspectuque horribilis aranea se demisit, osque blasphemi obsedit, ingredique conabatur, & vix multorum manibus ab ore illius abigi potuit, dignumque quòd dicitur patella, operculum contigit, tamque pestifero atque sacrilego sermoni, non spiritus sanctus, sed venenatum illud & horribile animal adfuit. Præter Episcopos, multi illustres viri vt *Edmundus* Dux *Eboracenſis*, *Thomas* Dux *Oxonienſis* regnique Cancellarius interfuere, aranéamque illam, non sine ingenti stupore, vltricemque Dei in sacrilegem manum videre, inque catholica fide magis confirmati sunt. At perditus iste *Baueius* nihilo quidem melior factus est. Quare paulo post ignibus conflagrauit.

Tho. VVald. lo. 2. ca. 63 & in reg. Arundelly.

HAEC cùm *Thomas Waldenus*, summæ pietatis pariſque eruditionis, qui se eodem tempore adfuisse scribit, quem & *Foxus* legisse videtur, & ipsa archiua *Cantuariæ*, *Arundellij* temporibus confecta referant, mirificus tamen pseudomartyrum buccinator, cùm reliquam historiam *Ioannis* ex ipsis archiuis perscripsisset, ab hac tamen historia recensenda, quasi panico quodam timore correptus, longè recedit; neque vllam mentionem, de hoc stupendo & admirabili euentu admiscet, ne illa pseudomartyrem istum, & totum pseudomartyrologium nimis deformaret. *wicleſſus*, vt ostendimus, maxima contentione persuadere conatur, materialem & terrestrem panem, post consecrationem in eucharistia subesse. Quod vel hoc argumento confirmare laborat, quòd homines ex eucharistia nutriantur. Hoc autem dogma, vt fides ecclesiæ, ita illustria quædam, cùm alibi, tum in ANGLIA nostra à *wicleſſi* temporibus miracula egregiè confutant. Fuit enim quædam in ea regione, quæ *Norfolchia* dicitur, puella, quæ XV. totos annos, ab omni cibo terrestri potuque abstinuit, imò non modò gustum, sed nec odorem alicuius alimenti sustinere potuit. Quæ idcirco, à nostratibus *Ioanna Meatles* (id est, sine cibo victitans) dicta est. Fuit & alia virgo apud nos in pago *Shidam*, inque ea regione quam *Hollandiam* appellamus, quæ *Dilia* appellabatur, ad eandem prorsus rationem, vt prior illa affecta. Solam eucharistiam *Ioanna* singulis dominicis diebus per XV. illos annos, & *Dilia* per octo annos sumebat. Adiungamus & tertium admirabile huius rei documentum atque exemplum. Miserat HENRICVS *quintus Radulphum*, qui *Greenherſt*, siue de *Viridi colle* dictus est, legatum suum ad *Sigiſmundum Auguſtum*. Is autem clam & in sinu *wicleſſianas* hæreses fouebat. Perfunctus legatione reuersusque, *Cantuariæ* lethali morbo correptus est. Nihil autem cibi aut potus admisit, quin statim nauseabundus reijceret, imò, nec odorem cibi pati potuit. Illis ille difficultatibus & angustijs percitus, salutares quasdam, Deo illas immittente atque inspirante, cogitationes secum capessit. Cùm enim Eucharistiam sumere cuperet, & variæ illius animum cogitationes distraherent, orationem ad hanc tandem formam fructuosè concepit. O rerum omnium creator atque opifex, quanta possum, te animi demissione rogo, vt rectam atque solidam de Eucharistiæ tuæ Sacramento, fidem mihi pro tua pietate instilles. Quam sumptam, si non reijciam, terrenus ille quidem cibus non est, quem ego omnem, vt nosti, summo opere fastidio, sed ipsum tuum, quod hactenus non credidi, sacrosanctum corpus. Sumpsit deinde & retinuit, dieique octo superuixit, omni cibo abstentus, omnibus qui illum inuisebant, quid sibi diuinitus accidisset deprædicans.

Foxus in nouo pſeudomar. Ang. fol. 622.

Tho. VVald. lo. 2 cap. 62 Vide & Gul. Vodfordium in quæſt. de Euchar.

Anno 1414.

CETERA id genus si coaceruarem, forsan prolixior quibusdam videretur nostra oratio. Hanc igitur narrationm absoluam post vnius tantum alterius historiæ, quæ hisce temporibus contigerat, recensionem adiectam. Postquam itaque *Courtenerius* in synodo, deprauata quædam *Wicleſſi*, vt diximus, dogmata, damnasset, idque feria quarta sacræ Pentecostes hebdomadæ; sexta, quæ sequuta est, feria, solennis *Londini* supplicatio à *Londinenſi* Episcopo, & alijs ex clero, & frequenti laicorum multitudine, in qua omnes cuiuscunque ordinis &

nis & conditionis, nudis pedibus incedebant, celebrata est. Concio præterea ad diui PAVLI eodem tempore, per *Cheninghamium Carmelitam* habita est. In qua ille ex *Courtenei* mandato & authoritate, diris eos omnes exceratus est, qui damnatis *Wicleffi* dogmatis deinceps adhæresterent. Inter alios vir quidam Equestris ordinis, *Wicleffianæ* sectæ acerrimus propugnator, qui *Cornelius Glouius* appellabatur, in hac Concione præsens fuit. Idem postridie interfuit missæ, in cœnobio fratrum *Prædicatorum Londini*. Eo verò tempore, quo sacra hostia ostendi solet, nihil aliud videbat, quam panis speciem. At cum eandem sacerdos postea diuideret, vidit quasi terna carnis frusta, sine vlla panis specie, & mox vidit tertiam hostiæ sacræ particulam, solitam panis speciem, & nomen IESV sanguineis literis descriptum admirabiliter præ se ferre? Obstupefactus, accersit famulum, interrogat an quicquam insolens, & inusitatum in sacra hostia vidisset. Qui respondit, se nihil insoliti vidisse. Dominica sacræ Trinitati consecrata, quæ hunc diem excepit, concionatorem rursus eodem loci egit *Cheninghamius*. Quod pridie accidisset, palam recenset. Adfuit & *Cornelius*, non modo constanter præ concione populi affirmans commemoratum spectaculum, sed & fidem suam de præsentia corporis Christi in Eucharistia (in qua prius ex *Wicleffi* placitis, nihil nisi panem subesse arbitratus est) integrè atque sincere contestatus. Imò & singulari se certamine, cum quocunque, qui aliter sentiret, decertaturum. Hæc & alia non dissimilia, in catholica sua ecclesia pro fidei catholicæ corroboratione, documenta, atque illustria contra *Wicleffianos* signa, Deus pro sua benignitate his temporibus, vt & per omnem ecclesiæ prius memoriam, contra alios hæreticos, gloriosè exhibuit; cùm hæreticorum interim omnium, *Wicleffianorum* præsertim, ecclesiæ omnibus huiusmodi præclaris dotibus prorsus destituantur. Quæ res magna illos erga ecclesiam catholicam inuidia vrit, & in tanta sua destitutione (cum huiusmodi miraculorum se gloria, atque magnitudine obrui prorsus videant) sibi etiam, vt & veteres olim hæretici, suæque sectæ, falsa miracula ementiuntur.

Hoc miraculum recenset Henricus Kighetonius Canonicus Leicestr. ijsdem temporibus superstes in chronico suo.

SIC *Wicleffus*, propterea quod eo tempore, quo ad Episcoporum synodum accersitus est, terræmotus, qui in ANGLIA rarus est, interuenisset, de ea re, quasi cœlesti prosua doctrina miraculo, intolenter venditat, & gloriosè eam synodum concilium terræmotus appellare solet. Cum multo sine dubio rectius credi debeat, voluisse Deum (si aliquid fuerat ea in re naturali forsan portenti) principem & Episcopos, atque alios illo terræmotu admonere, de periculi magnitudine, quæ ANGLIAE ex *Wicleffiana* doctrina imminebat, quæque, nisi mature obuiam iretur, eam grauius, quàm vllus terræmotus concuteret, atque infinitorum hominum corpora & animas (quod ita accidisse iam ostendimus) in maximam & certissimam perniciem adduceret. Sed hac de re posteritas certius dabit iudicium. Simili vanitate, cùm alia nuper de alijs Euangelicis, tum potissimum illud, de dæmone per *Ioannem Foxum* pseudomartyrum gloriosum præconem, mente Iulio ejecto, iactatum est. Quin & liber exijt in vulgus typis excusus, qui hoc miraculum mirificè deprædicaret. Atque hæc quidem mente Iulio. Sed huius gloriæ atque venditationis, exiguam habuerunt vsuram. Sequenti enim Augusti mente, huius totius impudentissimi commenti vanitas in publicum erupit, puellæque ipsæ, quas dæmon miserabiliter corripuisse, quemque *Foxus* profligasse dicebatur, falsæ sunt, hæc omnia fuisse subornata, commentitia atque adulterina. Et publicè apud crucem diui PAVLI *Londini*, pœnitentia hoc commentum expiatum, & contratijs scriptis proditum & refutatum est. Vera igitur & solida miracula in sola catholica sunt, & vt *Iudaica* ecclesia, ante reiectum & occisum Christum, Prophetis; voce cælesti, quæ è propitiatorio reddebatur, futura prædicens; flamma, quæ è sublimi emissa, consumebat suo ministerio hostiam; lapidibus, qui erant in pectore summi sacerdotis, è quibus relucebat fulgor futura significans; vnguento, quo spiritus sancti gratia in inungendos deuolabat; alijsque mirificis dotibus ornabatur, quibus iam omnibus spoliata est; ita ecclesia catholica non minoribus, post Christi fidem acceptam, miraculis, & olim, & etiam hodie insignita est. Cum interim *Wicleffiana* ecclesia, apud quam, vt & apud *Iudæos*, non est Rex, non Propheta, non sacerdotium, non hostia, in summa tantarum dotium destitutione versetur. Neque vnquam *Wicleffianus*, imò nec quisquam vnus in aliqua secta hæreticus hactenus inuentus est, qui pro confirmatione sui erroris, & hæresis, miraculum aliquod patrarit. Cuiusmodi si aliquando forsan sit editum, id ad communis in Christum fidei, non ad priuatæ, erroneæque comprobationem trahi debet.

1574 *Impressus per Cul. Bartlet hoc titulo.* A verie wonderfull straunge miracle.

In li cuius titul. The discloſing of a late counterfeited poſſeſſion by the deuill in two maydens within the citie of London.

De quibus vide orat. 3 Chryſ. contra Iudæos.

ID autem accuratè à pio lectore obseruandum est, hæc quæ recensuimus, & cetera id genus miracula, quæ à prima Ecclesiæ memoria ad nostra vsque tempora, diuinitus in catholi-

ca ecclesia hactenus edita sunt, & hodie etiam eduntur; mirificè catholicæ ecclesiæ fidem atque authoritatem commendare, peruersaque hæreticorum omnium dogmata, magna strage euertere. Quare, vt *Ethnici* & *Arriani*, atque alij olim hæretici, omni illa ratione eleuare atque deprimere conati sunt; ita & in eorum præclara vestigia *Wicleffus*, vt partim antea attigimus, vt egregius discipulus incurrit: neque quicquam magis eum, & discipulos eius vrit, quàm quòd videant, suas non minus quàm *Iudæorum* synagogas, præclaris huiusmodi signis destitui. Quibus certè non destituerentur, si nouum hoc suum, quod tantopere iactant Euangelium, non esset prorsus, vt re vera est, pseudouangelium. Per quę, cum catholicæ ecclesiæ dogmata, quæ ipsi impugnant, mirificè corroborari *Wicleffus* perspiceret, totus in eò est, vt fidem illis omnem perfidè detrahere conetur. In quo præclarum se *Arrianorum* imitatorem ostendit. Qui ex eadem omnino causa, vt diuus *Ambrosius* ostendit, huiusmodi miraculorum fidem imminuere valde contendebant. Non enim (de *Arrianis*, inquit *Ambrosius*) aliter eorum operibus inuiderent, nisi fidem in ijs fuisse eam, quam non habent, iudicarent. Fidem illam maiorum traditione firmatam, quam dæmones ipsi negare non possunt, sed *Arriani* negant. Hæc ille. Iam si quis sit, tam pertinaci & incurabili ingenio, vt hæc omnia apud eum iaceant, neque eum, vel hæc miracula moueant, vel catholicæ ecclesiæ authoritas ad *Wicleffum* damnandum trahat, si cetera omnia apud eum vilescant, is intelligat, eum, à præcipuis sectæ hodiernæ principibus, vt damnatæ atque pernicioſæ doctrinæ authorem, reiectum atque explosum. Detrudit enim eum & ceteros eius assecłas, ad ipsos inferos *Lutherus*, quòd neget corporis Christi in Eucharistia præsentiam. Addamus iam & *Philippi Melanchthonis* de eo censuram. Inspexi, inquit, *Wicleffum*, qui valdè tumultuatur, in controuersia cœnæ Dominicæ. Sed deprehendi in eo multa alia errata, ex quibus iudicium de spiritu eius fieri potest. Prorsus non intellexit, nec tenuit fidei iustitiam. Ineptè confundit Euangelica & Politica, contendit presbyteris non licere, vt possideant quicquam proprium, decimas nullas vult solui nisi docentibus. De dominio ciuili sophisticè & planè seditiosè rixatur. Et alibi. Planè furebat *Wicleffus*, qui negabat licere sacerdotibus, tenere proprium. Ita iam cernis, candide Lector, *Wicleffum* non solùm à catholica ecclesia, non solùm, tot synodorum & miraculorum authoritate, sed & à sectæ nostrorum temporum anteſignanis, & ab ipsis suis olim, vt dixi, discipulis, in multis reiectum atque explosum.

Vide Tho. Wald. tom. 3. ca. 125.

In tract. de Corpus. & Prosasio.

Phil. Mel. ad Videris. Misc. omnium.

In apolog. tit. de hum. trad. & in locis omnibus tit. de potest. eccles.

Caput vltimum quod responsum ad Ioannem Foxum *complectitur, propter calumnias quas* Alano Copo *intendit, quòd* Ioannem Cobhamum, Rogerum Actonum, *& alios vt seditiosos, & patriæ hostes insimulat.*

CAPVT FINALE.

TAVET hic iam narrationem nostram de *Wicleffianis* terminare cogitabamus. Ceterùm, cùm videremus (etsi oratio illa nostra, de seditione mota contra HENRICVM *quintum*, tanta, quanta in res humanas cadere potest, certitudine nitatur, vt nihil illa expeditius atque exploratius censeri possit) nobilem quendam ante sedecim iam annos pseudomartyrum præconem, qui in scriptis illis suis latinè, & alijs deinde *Anglicè* editis, insigne illis mendacium impingere conaretur, qui heroas illos suos, & maiorum gentium Deos, & omnium pseudomartyrum planè anteſignanos, seditionis contra Regem & Rempublicam arguunt; videtur necessitas quædam, accuratiorem mihi aliquam commemoratæ narrationis meæ defensionem exprimere. Quam mihi multo violentiùs extorquet eiusdem authoris, quod recens prodijt vernacula nostra lingua contextum, ingens & immensum, & priore triplo auctius pseudomartyrologium. In quo prolixè rursus eandem rem agitat, & magna contentione seditionis illam, ab illis maculam abstergere conatur. Cúmque *Alanus Copus* in suis latinis dialogis, eundem vanitatis suæ in hac causa admonuisset, & aduersus tam insignem eius fraudem, splendidáque mendacia probè lectorem munisset; in isto suo recentiore *Anglicano* pseudomartyrologio, acerbissimè propterea in eum inuehitur, & virulentis

cum

eum eneat intemperantissimè conuitijs: omnemque non modò illius hac de re in dialogis, & de omnem nostram in hoc de *wicleffianis* tractatu narrationem, eaque omnia, quæ ex probatissimis historijs, publicisque adeò monumentis hausimus, infitiarе atque infringere putidissimè conatur. Quæ eidem operæ, & nostro, & *Cochlæi* pudori, aut veritati potius ipsi, lectorique, ne huiusmodi fraudibus imprudens, & parum cautus circumueniatur, satisfaciemus. Non exacta quidem, & tam exquisita, vt res, & prolixa illius de hac re scripta postulant, oratione; sed ita tamen, vt speramus, vt vel in hoc ipso compendio, facilè lectori constare possit, quid expedituissimè atque certissimè in hac causa sequi debeat, præconemque istum pseudomartyrum, insigniter se præ omnibus sycophantis, vaniloquis scriptoribus, in hac narratione nobilitasse. Quod nisi abunde & idonee probarim (quantum quidem in hac tam breui defensione præstari potest) nec fustiarium recusarim. Quod si ille in hac causa, sub æquis vllis iudicibus contra me obtineat, regnent per me pseudomartyres, regnet pseudoeuangelium, nec causam dico cur non grauis, constantis, prudentis viri atque accurati historici, vel primæ laudes *Foxo* deferantur.

QVOD si in hac historia tractanda turpius iam se solito dederit, si turpius se commacularit, si constabit illum fœdè, quasi cœno totum prorsus obliturn, dum minorem priùs imprudenter contractam labem, detergere imprudentius & impudentius conatur, si constabit ad incredibilem atque intolerandam, in tam perdita & deplorata causa, impudentiam prouectum; hoc tantùm ab æquo lectore postulo, vt ne maiorem illi in hac causa, vel alibi fidem, quàm mereatur, adiungat. Quam ego mox causam ingrediar, si tamen prius aliquid in vniuersum de hoc pseudomartyrologio dixerim, ne lector incautus per illum circumueniatur. Quod rectè sterquilinium quondam appellatis, aut simile portis in quibusdam Ciuitatibus nefastis, & sinistri ominis, per quas sordes & purgamenta ejiciuntur, nihil autem puri aut sacrum per eas vel ingreditur, vel egreditur. Conscripsit *Plutarchus* eleganter de *Curiositate* librum, quam definit *Studium quoddam ea percipiendi aliena mala*. In quibus fane cognoscendis & describendis, *Foxus* totus versatur, ijsque adeò malis, quæ cetera omnia sua magnitudine superant, id est, hæreticis. Atque vt gallina, relicto cibo, qui in ædibus apponitur, ad sterquilinium pergit, ibique simum vertit, vt cibi aliquid reperiat: Ita pseudomartyrū iste præco, relicto cibo animæ ipsius salutari, doctrina, inquam, catholicæ ecclesiæ, versique illius Confessoribus atque Martyribus, totus est in hæreticis, atque pseudomartyribus ornandis atque deprædicandis. Quibus se pascere videtur, vt quædam animalia solo veneno. At nescio an cuiquam magis fructuosa esse poterit (si diligentem & æquam aurem præbeat) libri commemorati lectio, quam *Foxo*, & ijs, qui illud pseudomartyrologium in delicijs habent. Si quis, inquit, ex interuallo curiositatis penum aperiat, inspiciatque multis inutilibus, superuacaneis, & inamœnis rebus plenum, forsassis ipsum rei facies offendet, quum apparuerit modis omnibus inamabilis, & nugatoria. Nunc age, si quis aggrestis veterum libros, ex his pessima quæque decerpat, ac librum habeat inde compositum, velut ex *Homericis* versibus qui acephali dicuntur, aut ex tragicis solœcismis, aut ex his quæ *Archilochus* aduersus mulieres indecenter & intemperanter dixit, septum interim traducens, an non ijs videatur tragicis dignus imprecationibus.

Male pereas mortalium excerpens mala?

Quin & absque tragicis imprecationibus indecora est, & inutilis collectio, repositióque peccatorum alienorum. Qualis erat illa ciuitas, quam *Philippus* ex pessimis quibusque ac deploratissimis conditam, ex re vocauit *πονηρόπολιν*. Itaque curiosi dum vndique colligunt congerunt que, non versum aut poematum, sed alienæ vitæ lapsus, errata ac solœcismos, inuenustissimum & immundissimum malorum grammatophylacion, circumferunt suam ipsorum memoriam. Quemadmodum igitur *Romæ* quidam picturas ac statuas, ac per Iouem etiam puerorum venalium ac mulierum formas, pro nihilo ducentes, obuersantur circa forum, in quo venundantur portenta, inspicientes perquirentesque mutilos tibijs, felium instar habentes cubitos, aut quibus sunt tres oculi, aut qui capitis forma passerem repræsentant, aut si qua alia species commixta, aut si quod portentum abortiuum; ceterum, si quis assiduè perducat illos ad huiusmodi spectacula, eò tres ipsi taxetatem ac nauseam pariet: ita qui curiosi sunt circa lapsus alienæ vitæ, circa probra generis, circa turbas ac peccata, quæ inciderunt in ædibus alienis; primum omnium recognoscant reuerentiam, memineruntque quòd ex alienorum malorum obiectatione, nullam neque gratiam, neque vtilitatem retulerint. Hæc ille.

ATQVE vtinam *Foxi*, & illorum, qui adeò martyrologium istud suspiciunt, tam præposterum studium in sola curiositate alienarum rerum, minusque noxiarum consisteret; cum minore certè periculo coniungeretur. Nunc cum maximo animarum, & nonnunquam corporis etiam periculo coniungitur, dum adulterā & falsam fidem, pro casta, vera & solida; dum falsos & adulterinos martyres, pro veris imprudenter atque impudenter amplectuntur. Eos autem qui a fide catholica, pacéque ac vnitate ecclesiæ recesserunt (quemadmodū istos pseudomartyres recessisse certum est) ex *Cypriani*, *Augustini*, *Hieronymi*, aliorumque omnium Patrum testimonio constat, in martyrum album referri non debere nec posse; non dico si pro hæresibus, sed si vel pro Christo, vel totius fidei defensione cedantur, modo moriendo hæreses suas mordicùs retineant. Cùm itaque *Cobhamus*, *Acklonus* & alij illorum socij, cùm ceteri, quos adeò *Foxus* ornat, amplissima totius ecclesiæ authoritate pro hæreticis denunciati sint, hæreticorúmque supplicium igne luerint, cumque hæresis etiam eiusmodi sit, quæ diuinam maiestatem, fideique integritatem imminuit; humanæ & regiæ maiestatis læsæ crimen longè superat; quis non videt, quàm inanem, vanam, & præposteram operam, in regiæ maiestatis crimine ab ipsis diluendo ponat; cum maius & atrocius crimen adhuc (etiam si defensio illius pro illis esset vera) in illis, id est, deploratæ hæreseos miserabiliter resideat? Ceterùm, viderit iam *Foxus* quàm ego cum illo liberaliter agam. Negat istos quicquam tumultuosè, aut seditiosè contra Regem & quietem publicam egisse; dignus certè est, cui pro tanto suo in ipsos studio, ingentem isti apponant gratiam. Videat iam facilitatē & gratitudinem meam. Nam ne me forsan nimis in illos durum & acerbum queratur, liberet illos ille à seditione & proditione, iusta vlla & idonea probatione, & per me sint illi quoque catholici atque orthodoxi, non recusarim. Tantùm de æquitate huius causæ, optime lector, confido. Ad quam, vt speciatim iam descendam, id imprimis scito, me, quos comparare potui, tam externos quàm domesticos scriptores, ob hanc causam excusisse. Qui omnes (in quos ego quidem incidere potui) summa quadam consensus conspiratione, istos contra Regem & rempublicam coijsse testantur. Ex nostratibus quidem *Thomas Walsinghamus*, cuius testimonium iam recensuimus, *Thomas Waldenus*, cuius etiam testimonium recitauimus, *Chronicon Lillij*, *Additio ad Polychronicon*, *Io. Hardingus*, *Fabianus*, *Thomas Cooperus*, *Edouardus Hallus*, *Richardus Grafronus*, *Ioannes Stowius*, qui chronica nostrate lingua contexere. Inter exteros verò, *Polydorus*, *Hector Boetius*, *Ioannes Maior*, & quidam *Titus Liuius*, qui res gestas HENRICI *quinti* luculenter, rogatu *Humfredi* Ducis *Gloceſtriæ* Regis patrui, conscripsit; quæ & in nostram linguam translatæ sunt, quarum ego apud me exemplar habeo, quique Regi HENRICO *sexto* opus suum dedicauit, fateturque se, ab ipso eodem Duce historiæ suæ veritatem maxima ex parte hausisse.

NVLLVS ex his est, nec quisquam alius, de quo ego quicquam auditione percepi, nec quisquam, quem vel *Foxus* recitat, qui neget illos seditionem molitos. Obruitur igitur tantorum testimoniorum pondere, cùm præsertim vnum tantummodò habeat, eumque omnium scriptorum deterrimum, id est, seipsum, qui tam approbato, & conspiranti consensui se interponit, & opponit. Necesse igitur est, vt valdè sint excussa atque exquisita, quæ aduersus tantum consensum deprimit. Excutiamus igitur quanti sint ponderis, & inueniemus illa, partim omni festuca & pluma leuiora, partim omni vanitate vaniora. Quid igitur illud est tandem? nihil aliud illud certè, nisi quòd vniuersi in mense, in tempore, inque quibusdam minutis circumstantijs non conueniant. Quam accuratam diligentiam consensumque, si ita in omnibus historijs iste desideret, vt illis alioqui, licet in rei summa conueniant, detrahere velit, ne ille propediem omnes nobis historias excutiet. Imò & suum martyrologium à manibus suorum facilè excutiet, quippe qui hæc sua noua placita ibidem non obseruet. Quanquam grauiores multò causæ sint, cur illud excuterent. Præscribit iam nobis iste censor alia dictata, quæ in excutiendis historijs sequamur, hoc est, vt consideremus non tam quanto consensu, sed quo, & quam solido fundamento nitantur. Authores autem istos, quos *Copus* citauit, nihil aliud esse, nisi *Dodonæos* lebetes, & vnum aliquem ceteros omnes in errorem & lapsum trahere. Nihil esse in illis, nisi nuda & inania verba. Sed nullam illos iustam authoritatem, nulla archiua, nulla publica monumenta, nulla iudicia, nullas magistratuum contra seditiosos istos sententias in medium protulisse. Sed quorsum protulissent? aut qua constantia publica illa monumenta ab historicis, tanquam iustas probationes postulat? cùm caille omnia, vt mox dicemus, proiecta quadam audacia atque impudentia, tanquam falsa atque commenticia impugnet. Istis & alijs vanissimis cauillationibus, ingentem illum, de quo diximus, scriptorum

Vide fol. 686.

Fol. 686 col. 2.

ptorum consensum conuellere, & perrumpere se posse sperat. *Danielis* deinde quasi personã atque officium sibi arrogans, vti ille olim *Susannæ* falsos accusatores coarguit, ita omnes iste historicos, propter leuem illam dissonantiam coarguere conatur: cumque vniuersos propter causam modò commemoratam reiecisset, tum singulos sigillatim excutit, fidemque illis omnem detrahere molitur. Fol. 687. col. 2.

FABIANO autem, qui *Cobhamum* inter seditiosos refert, quem putas, optime lector, opponit? Certè nullum alium quam *Richardum Beluardum*, wicleuianæ factionis hominem, qui cum coram Episcopo fidei suæ rationem reddebat, magnis *Cobhamum* laudibus ornabat, vt rectè sentientem, vt catholicum, vt falsò damnatum, & contra iustitiam summo supplicio affectum. Pronunciat deinde nouus noster *Daniel* contra *Fabianum*, Mentitus est in caput suum, quòd scripserit seditionem hanc motam mense Ianuario, cum tamen verè id scripserit, testimoniumque eius cum publicis monumentis regni, quæ recensuimus, congruat. *Polydoro* fidem detrahit, quòd dicat, *Cobhamum* in prælio cum alijs interfuisse, & deinde in turrim Londinensem coniectũ, & propter alias minutas alijs in rebus, in loco, & temporibus ab alijs dissonantias. Qui, etsi mox post illam seditionem, in carcere illo clausus non erat, erat tamen post aliquot annos, & ex publicis iudiciorum actis interfuisse, aut præfuisse potiùs seditioni constat. At *Fabianus* (inquit) & *Copus* dicunt, eum non interfuisse. Quid hoc ad rem, cum vterque fateatur eum in illum motum consensisse, & eos, qui interfuerant, adhærentes, vt appellant, *Cobhami* fuisse? Ex quo constat, eum reum fuisse proditionis, siue præsens fuerit, siue abfuerit. Et noluit liquido de præsentia illius *Copus* pronunciare, propter authorum dissentionem. Neque ille forsan eos tum authores, eaque monumenta legerat, ex quibus euidenter patet eum interfuisse. *Halli* deinde testimonium anxiè & exquisitè discutit, eumque affirmat, ex libris *Ioannis Balei* admonitum, dispunxisse, (cum iam opus ad editionem paratum esset) multa, quæ de *Cobhamo* illiusque conspiratione contra Regem scripserat. Sed cum omnia sursum atque deorsum *Foxus* versarit, ex ipso adhuc *Hallo* constat, *Cobhamum* & proditionis suspendio, & hæreseos igne pœnas luisse. Dist. fol. 687. & 677. Fabianus. Fol. 689.

NEQVE minus constat, nihil fuisse alicuius momenti in *Baleo*, cur scripta sua *Hallus* antiquaret, alioqui ea in *Foxo* ipso apparuissent. Quanquam, cum *Hallus wicleffianus* esset, & pseudomartyribus valdè deuotus, ægro ille certè animo quicquã aspergi passus est libris suis, quod illos deformaret. Deformauit tamen, & ostendit, vtroque illo, de quo dixtmus, supplicio nobilitatos. Et hæc ferè sunt, quæ ille contra historicos effutijt. Sed si velit (neque enim parci, & austeri cum illo esse volumus) subducat *Polydorum*, subducat *Fabianum*, subducat *Hallum* (illos enim tres nominatim solum impetit) quid ille habet, quob ceteris iustè opponat. Nihil ille quidem certè. Sed iam hoc amplius largiar. Sit ita, vt nemo ex his omnibus, vel voculam de hac per illos coitione scripserit; subducat, si velit illos omnes è medio, adhuc nos tamen causam nostram expeditissimam, & pubicis illis, de quibus diximus, testimonijs, omnique exceptione maioribus, quæ *Foxum* prorsus conficiunt & iugulant, habemus instructissimam. Contra quæ nemo, nisi perfrictissimæ frontis homo, qualem se planè *Foxus* ostendit, vel hiscere auderet. Sed videamus tamen, quid grauissimus iste in medium adferat, nec omnia ad amussim accuratámque diligentiam, sed eatenus tamen excutiamus, quatenus abundè & liquidò illius imprudentia, atque impudentia potius pateat, frigidas & proiectas illius calumnias, quanto poterimus compendio, dissipemus, eoque singula ordine, quo ille, collocemus. Iactat ergo, se totam historiam *Cobhamianam*, & quomodo pro tuenda veritate fortissimè steterit, & grauissima tormenta pro eadem subierit, non ex incertis & dubijs historicis, sed ex ipso fonte, & archiuis pertractasse. Sint illa, quæ narrauit, in archiuis. Passus est multa quidem grauia & acerba; fit & illud in archiuis: sed quòd pro veritate & in bona causa passus sit, hoc non ex archiuis, sed ex *Foxi* penu depromptum est, vt incauto lectori illudat. Sed noua est ista, & impudens istius rhetorica, iactare suam diligentiam supra alios, seque archiuis ipsis potissimum niti, cum illis ipsis fidem perditissimè detrahat, eaque acriter impugnet. Inuehitur deinde in *Alanum*, quod ipsum *Alanus* coarguerit duplicis mendacij, alterius quidem, quo seditionis crimen à *Cobhamo* & socijs amouet; alterius verò, quod scripserit HENRICVM *quintum* sanciisse in regni comitijs, *wicleffianos* omnes vtroque supplicio mulctari debere. Supereſt nunc, vt quomodo se vtrimque purget, audiamus. Fol. 677 col. 2. pag. 678. col. 2.

QVOD verò *Cobhamus* & socij, magnos aduérsus Regem & rempublicã motus ciebant,

ipsorum regni comitiorum authoritate potissimum nititur, quam superiori oratione attigimus. Quid igitur ad hanc *Foxus?* Ex perdito theologo, in non multo meliorem iurisconsultum repentè transformatus, asserit hæc de proditione *wicleffianorum*, in prologo & præfatione statuti narrari; tum quam vim huiusmodi præfationes habeant, ostendere conatur, nec vim legis aut statuti habere, & sæpè ex falsis causis, atque accusationibus proficisci. Quem si vrgeas, Cur censeat istam præfationem ex huiusmodi causis profectam? mox conuertet se ad statutum illud, sub HENRICO *quarto* editum, de quo commemorauimus, & dicet, et præfationem illius inanibus, & falsis causis niti. Qua in re cum nihil probet, nisi ex suo ipsius insulso testimonio, nonne quæso præclarè collegit falsam quoque fuisse priorē præfationem? Sed tamen, ne sine causa id effutijsse videretur, ostendit primis ecclesiæ temporibus, Christi martyres fuisse ab ethnicis falsis accusationibus, quasi publicæ quietis perturbatores, apud *Maximinū* & alios principes delatos. Sed quærerem ab isto nugatore, Quo modo inde conficitur, Christianos à christianis principibus, falsis accusationibus, iniustisque pœnis irretiti? aut qua authoritate fultus, tantam sibi in amplissima regni comitia iurisdictionem prorogat, vt Regē & omnes regni ordines in *Diocletianos* transformet, vt pœnis innocentes homines temere & crudeliter obijciant? Post tam speciosa exordia, ad rem ipsam venire se dicit, & noua sua, diuinaque virgula arrepta, omnes partes statuti excutit, & ad censuram suam seuerissimè reuocat. Cum itaque statutum dicat *wicleffianos*, rumores, congregationes, & seditiones concitasse; dicit hæc verba, vel per amplificationem rhetoricam adiecta, vel per malitiam papisticam crimen magis auctum. Dicit hanc vocem, *seditiones*, a Clero, odio *wicleffianorum* aspersam insignissimo mendacio; nec verbum, nec factum vllum seditiosum ab *wicleffianis* manasse, quantum vel ex historijs, vel ex publicis actis colligi poterit. Deinde mirifice historicis quibusdam insultat, qui referant XX. hominum millia in ea seditione coijsse; deinde ex loco, ex tempore argutatur, nihil huiusmodi contigisse, & alia id genus eadem vanitate. Negat itaque illos eo loci conuenisse, aut si conuenerint, orandi tantum gratia, cum concionatore suo *Beuerleio* conuenisse, solitosque antiquos Christi martyres magna multitudine in siluas, aliáque secreta loca ad eam causam secedere, vt & multos nuper in *Gallia*, eosque nihil ibidem seditiosè contra Regem agitasse. Mirum autem, tot millia confluxisse, nec interim, quo apparatu, aut ex quibus oris venerint, aut de nominibus præter vnum aut alterum, quicquam apparere. Sed hę omnes & reliquæ, quas nugatoriè accumulat argutię, vno illo verbo (proba) concidunt. Probatio enim nullius rei est, nisi quę ab ipsius solum ore atque authoritate pendeat; easque omnes futiles argutias, cum *Walsingamius* & alij, tum publica regni monumenta, quæ recitauimus, statim ex sola lectione confringunt; vt non sit necesse superuacaneam in illis refutandis, operam aliter ponere.

Hist. 5. cap 7. Pur ce que grandes rumeurs & congregations & insurrections &c Fol 680.

Fol. 681. cum seq

Ego tamen interim ab isto egregio argutatore quærerem, Num *Beza* in *Gallia*, qui armatus immani illi, contra Regem & religionem, seditioni interfuit, & furentes homines, magis tamen ad furorem, & omnia humana atque diuina sacrilegè violanda incendit, orationis solius causa cum reliquis conuenerit? Si id probet, non valdè detrectabo fateri, & *Beuerleium* extra culpam esse. Quod autem de nominibus argutatur, nimis puerile est. Cum enim magna multitudo tam suspendio, quàm igne, propter hæresim & seditionem, sententia contra eos ab vtroque magistratu, tam ecclesiastico quam ciuili lata, perierit; an existimabimus nomina illorum aut duodecim illis viris, qui de more contra eos inquirebant, aut ipsis iudicibus fuisse ignota? Cumque ipse ad ornandum suum martyrologium, imagines XXXVI. ex illa coitione, qui propter vtrumque crimen, suspensi & exusti sunt, cum supplicij vtriusque figura exprimat; viderit quàm verè & pie fecerit, qui vel seditiosos istos inter martyres retulerit, vel queratur incognita illorum nomina, quorum ille corpoream speciem, supplicia que oculis subijcit. Similes deinde ineptias nectit, neque *Cobhamum* cum socijs quicquam contra fidem christianam obruendam tentasse, quòd non fuerit *Mahometanus*, *Turca*, aut *Iudæus*. Si adiecisset, nec fuisse hæreticum, & id idoneè probasset, tum sanè aliquid confecisset. Publica illa regni comitia asserunt, *Cobhamum* & ceteros *wicleffianos*, in Regis & procerum regni necem conspirasse. Hanc insignem *Foxus* dicit esse calumniam, & quo quæso argumento? quia res sit perquam ardua, & periculosa huiusmodi quicquam tentare; & ad id probandum, de quo nemo dubitat, neque quod ad rem pertinet, longas & non necessarias historias, in medium adducit. Aliquid tamen forsan dixisset, si *Wicleffianos* aut ceteros docuisset nunquam se ad huiusmodi res tentandas, motusque

Fol. 699.

motusque ciendos præcipiti consilio immiscuisse. Sed etsi summa illustrium omnium regni ordinum in comitijs authoritas, sola ad fidem faciendam sufficeret, vt non necesse esset, vllam aliam præterea probationem desiderare, similes tamen motus contra Regem RICHARDVM, & totius reipublicæ, fideique catholicæ summam, de quibus priùs meminimus, & quos *Foxus* callidè dissimulat, hos quoque *wicleffianos* sub HENRICO *quinto* motus excitasse, faciliorem fidem faciunt. Atque hæc fere sunt, quibus se munit contra ipsum statuti prologum.

VENIT deinde ad ipsum, vt appellat, statuti corpus. Et hic, vt sit sui similis, improbè statutum illud calumniatur, quasi sibi ipsi contrarium, quasi nec pes, nec caput vni conueniat formæ, dicit caput à corpore statuti dissentire, nec ipsa inter se membra congruere, & statutum ipsum in summum totius regni opprobrium, legumque contemptum, *Chimeram* appellat. Varietatem autem illam, & contrarietatem in eo ponit, quòd prologus & caput statuti in proditione sola, residuum verò statuti in solius hæreseos materia versentur. Et quòd ita sit, sex causas, ex ipso statuto ductas, & satis bona fide reddit, sed nihil tamen ad rem. Etsi enim verum sit, totum statuti corpus nihil de proditionis, sed hæresis solius crimine agere; nihil hic tamen varium aut contrarium, omniaque bellè & appositè cohærent. Licet enim prologus mentionem faciat hæreseos, & dicat *Wicleffianos* seditiones nefariè concitasse; non tamen, eo ipso quòd *wicleffiani* essent, proditores eos efficit: sed quia communi quasi consilio, hostilia in Regem & rempublicam tentassent, ideo seueriores solito, aduersus hæreticos deinceps leges, atque pœnas sanciuit, quæ in corpore statuti recitantur. In eo igitur verè dicit, statutum illud non feciisse *wicleffianos* hostes patriæ. Sed quòd in reddenda septima causa, clausulam illam de effractis carceribus, ad *Cobhami* potissimum fugam è carcere, idque ex *Stanfordij* Iustitiarij scriptis pertinere scribit, duplici se mendacio obstringit. Nam non ex illius statuti sanctione *Cobhamus* bonis & possessionibns excidit, quibus vno prius anno, per sententiam iudicis, propter læsam regiam maiestatem spoliatus fuit. Neque *Stanfordius* vllam de *Cobhamo* mentionem facit. Atque ita tandem calumnias suas, contra statutum illud pertexit. Nouas autem contra rescriptum Regis, quo iudicibus potestas data est, de proditione *Cobhami* cognoscendi, & contra testimonium XII. Virorum, qui eum violatæ regiæ maiestatis reum pronunciarunt, qnibus ex scriptis prorsus euertitur, aggressus est. Ingreditur autem præclaram istam narrationem, cum superuacaneis historijs quorundam, quibus proditorum supplicium falsò irrogatum est. Quod vt nihil, si verum esset, ad rem pertinet, ita si historiæ illæ accuratius ad disquisitionem vocentur, in ea quoque narratione, vnum aut alterum, ni fallor, mendacium suberit. Sed iam vide quo argumento, & quàm formidabili rescriptum illud euertat.

SCIATIS (inquit Rex) quòd cum nos informemur, ac notoriè & manifestè dignoscatur, quòd quamplures subditi nostri *Lollardi* &c: En, inquit, historici produnt Regē adfuisse cum exercitu contra *Wicleffianos*; Quorsum igitur illa verba, Cum nos plenius informemur? Egregium sanè acumen, quasi quo proposito coierint, ad se an ad alios opprimendos, aut quam aliam ob causam coierint, potuisset ab initio aliter, quàm ex aliorum auditione intelligere. Coisse autem, ex sua ipse scientia satis nouit. Quare prima illa verba, ad propositum & mentem occultam coëuntium, posteriora (notoriè ac manifestè dignoscatur), ad ea quæ sua ipse præsentia cognouit, referenda sunt. Iam vt testimonium illud duodecim virorum, & arbitrorum capitalium sententiam infirmet, totiusque publicæ huius actionis authoritatem ac pondus eleuet; in eo potissimum omne suum firmamentum collocat, quòd seditio mota, & rescriptum confectum, & iudicium etiam contra *Cobhamum* vno eodemque die pronunciatum sit. Quasi verò (si ita forte sit vt *Foxus* affirmat) id omne commodissimè, non dicam, vno eodemque die, sed vel dimidiato die confici non potuisset: Cum & diu ante lucem, vt historiæ produnt, seditiosorum exercitus sit dissipatus, iudicesque atque XII. illi viri ex ipsa vrbe, & suburbiis ciuitatis delecti sint. Aliam calumniam adnectit, quòd XII. virorum nomina, inditamento, vt appellant, *Cobhamique* accusatione non sint aspersa. Quod nec moris est, nec necesse est in accusatione ipsa nomina comparare, cùm alibi & possint & soleant poni. Et cùm non *Cobhamus* solùm, sed & multi alij proditionis eodem tempore conuicti sint, sufficerat nomina XII. illorum virorum alibi poni, vt non est dubium posita fuisse. Et certè credo ipsum etiam *Foxum*, qui has argutias collegit, huiusque egregiæ architecturæ materiam suppeditauit, ea ipsa in publicis actis iudiciorum alicubi vidis-

695. col. 2. se. Adduntur iam aliæ futiles ineptiæ, de Regente, de quo hoc tempore dicit non fuisse cogitatum, quia Rex post multos menses in *Gallium* profectus est. Et si Regentem eum *Wicleffum* constituere voluerant, quomodo consistit, voluisse eos esse sine capite? Quasi verò non ante multos menses constiterat de expeditione illa *Gallica*, aut quasi non potuissent ipsius Regis, quasi ad regendum parum idonei, etiam si non fuisset in *Gallium* profectus, Regentem & Gubernatorem constituere. Quanquam videatur hic esse huius loci sensus, quòd decreuerant, Rege cæso, *Cobhamum*, & alios regni administrationi præficere, quod & ipsa verba sequentia (*Plura regimina secundum eorum Voluntatem*) significant. Vnde frigida & proiecta est illa illius calumnia, quasi Clerus hanc vocem ex malitia aspersisset. Neque enim conficiendorum huiusmodi scriptorum munus ad Clerum pertinet. Similiter fatua & stulta calumnia est, de voce *Priuatim insurgentes*, quasi priuata authoritate non coierint. Nam quòd de fratribus Regis asserit, etsi chronicon, quod appellatur *Caxton*, asserat, eos creatos Duces sub HENRICO *quarto*, præstantior tamen author *Ioannes Hardingus*, eam creationem refert ad tempora HENRICI *quinti*. Hæc in summa sunt, quæ contra illa publica monumenta, temerè & arroganter *Foxus* effudit.

Quod ad *Wicleffianos* pertinet, quos dicit ex sanctione Regis & regni perduelles, & hæreticos pronunciatos; id ita esse, ex historijs *Thomæ Walden*, & aliorum asserere

696. col. 1. & 2. conatur: quæ tamen si rectè excutiantur, non aliò spectant, quàm quòd communi quasi conspiratione, aduersus Regem & regnum societatem nefariam inierint; & inuentos tam hæreticos, quàm perduelles, atque ideo vtriusque criminis pœnas sustinuisse. Sed operæ precium est interim perpendere summam hominis integritatem. Citat quædam *Waldeni* verba, sed versus aliquot, per quos prorsus obruitur, perfidè resci-

In prolegom. 1 dit, id est, hæc verba, *Dum scilicet* (Wiclefistæ) *ad* CHRISTI *natalem, cum duce iniquitatis eorum Ioanne castri Veteris, contra inclytum Regem conspirare cœperunt*. Sed magis operæpretium est videre, in quantam Deus hominem hunc cæcitatem detrudi permiserit, vt prodigiosè sibi sit in hac narratione contrarius. Hic enim latè nihil aliud agit, quàm vt ostendat, ex statuto HENRICI *quinti Wicleffianos* declaratos, & proditores & hæreticos. Cuius contrarium multis, in eadem omnino narratione, anteà verbis ostenderat. Sed mira est hominis in tota hac narratione, præterea & incredibilis inconstantia. Alias enim infirmat historias ex archiuis, alias ipsa archiua ex historijs. Acerbè *Alanum* reprehendit quasi hominem linguæ intemperanus, & immoderatum conuitiatorem. Cui crimini, vt ille non est affinis, ita hoc crimen in *Foxo*, & passim, & in hac potissimum narratione regnat. Dicit se nolle in hac causa, & *Wicleffianorum* seditione iudicium sibi, & certam censuram arrogare. Quod tamen passim, vt patet, facit. Comparat hic HENRICVM *quintum Maximino*, & alijs tyrannis; alias eum propter summam clementiam impensè laudat. Nimium prolixus forem, si cetera hoc genus persequerer. Quare finem hic toti huic narrationi ponam. Hæc sanè prudenti viro, ad id quod probare conabamur, nihil dubito quin abundè sufficerint, ex quibus cetera de *Foxi* prudentia & integritate metiri poterit. Cuius libros qui accuratiùs excusserit, reperiet profecto, nec meliore eum fide in reliquis veterum, & recentioribus historijs, imo nec in Patribus ecclesiæ, in concilijs, in sacrosanctis scripturis recensendis versari, quàm hic versatus est. Patres enim ille & scripturas non ad eum sensum, quem & verba præ se ferunt, quemque quasi à Spiritu sancto dictatum, ecclesia catholica constanter hactenus sequuta est; sed ad suum priuatum & deprauatum trahit, veritatémque inanibus argutijs, vanisque delirantis sui cerebri somnijs, non minus quàm *Cobhamianam* illam de qua egimus, historiam, commaculat & conspurcat. Qua de re, prudentem Lectorem satis erit iam admonuisse.

NAR-

NARRATIO DE DIVORTIO HENRICI VIII. REGIS AB VXORE CATHARINA: ET AB ECCLESIA CATHOLICA ROMANA DISCESSIONE;

scripta ab EDMVNDO CAMPIANO.

NOnum iam annum HENRICVS VIII. rerum & ciuilium & bellicarum gloria mirabilis imperarat, cum ecce præter omnium opinionem, fundi Britannici calamitas *Martinus Lutherus Saxo*, contra Pontificias indulgentias scurriliter declamitat. Ex hac scintilla natum est *Lutheranæ* factionis incendium, cuius maturitas in duodecimum Regis annum eruperat. Ibi tum Princeps, vbi hanc pestem ad suos quoque peruasisse didicisset, adhibitis in consilium THOMA *Volsæo* Cardinali *Eboracensi*, & IOANNE *Roffensi* Episcopo, libellum pro summa religionis catholicæ, plenissimum pietatis & eruditionis aduersus *Lutherum* edidit. Id scriptum Regibus ANGLIS sempiternæ laudi fuit. Nam ea causa FIDEI DEFENSOR, ex diplomate Pontificio declaratus, titulum hæredibus transmisit suis. *Lutherus* autem huic opusculo sic oblatrauit, non vt cum homine certare, sed cum immanibus combibonum suorum poculis rixari videretur. Nullum ne ex triuio maledictum arripitur insolentius, quod non ille multo liberius eiaculetur in Principem, quàm sese inuicem mulierculæ bacchantes impetunt.

SED post biennium quiddam accidit perridiculum. Credebatur offensus HENRICVS Cardinali, & iam tum, morbo quodam animi, leuiusculas aliquot sacerdotum spirasse contumelias. Hac ansula fraterculus oblata, tempus adesse ratus quo se insinuet, simul admonitus per *Christiernum Daniæ* Tyrannum, qui tunc in BRITANNIA profugus exulabat; ex conuitiatore procacissimo, leuissimus assentator factus est. Admodum demissè peccatum fatetur. Principis ægrotum animum in quosdam suos Præsules exulcerat; pollicetur laudationem vituperio pleniorem, & petulantis libelli palinodiam. Nominatim etiam perstringit *Eboracensem*, & pestem regni vocat. Valde sibi placere, quod intelligat hoc hominum genus ab ipso propemodum fastidiri, cupere vt is quoque sua dogmata consectetur. Postremo vt placabiliter & benignè respondeat. Ad hæc HENRICVS, qui non minus adulantem contempserat, quàm oderat obtrectantem, execrari se hominis importunam audaciam, leuitatem, inconstantiam, incestum: dedecori sibi futurum suspicari, si talem suæ laudis præconem inuenisset: libellum pro Sacramentis ecclesiæ conscriptum, quem tantopere *Lutherus* exagitet, bonis omnibus haberi probatissimum. Multis nominibus venerabilem se Patrem *Eboracensem* in oculis ferre, deinceps autem arctissimè complexurum, postquam is eum criminetur. Denique ceterorum ordinum delectos viros, sic apud se auctoritate & gratia valituros, vt quisque *Lutheri* conatus quàm maximè restinguet. Lecta Regis epistola, futilis nebulo tanquam œstro percitus, noua continuo bella struere, pudere tam leuiter egisse, accusare eos qui consilium dederant, aliam se viam inituru, incogitanter ab se factum, qui Christum in aulis Principum, *Ioannem* in purpuratis quæreret.

SVB hoc tempus, opera & munificentia Principis doctorúmque Pontificum, qui lectissimos omnium litterarum, Professores Academijs, scholisque præfecerant, trium linguarum salutaris cognitio reuixit in ANGLIA; Poëtarum etiam, & Rhetorum studia incaluerunt: veterum vero Theologorum & Grammaticorum, qui magni nominis pridem habebantur, argutiæ vilucrunt: quod etsi plausibile permultis accidit, elegantem doctrinam tot annis consopitam repubescere, tamen huic tanto bono, præcipites adolescentuli grandem molestiam adiperserunt. Quorum enim primi conatus in asserenda lingua valde probabiles extiterunt, ij successibus elatiores, illas ipsas linguas, quas Episcoporum & Monachorum, & locupletum sacerdotum opibus adiuti perpolierant; in Ecclesiasticos viros, & simplicium concionatorum stilos, & in religiosos aliquot senes exarauunt, post etiam moribus conuitium faciunt, certorum ordinum solennitates eleuant, atque ita pedetentim minutas aliquot cæremonias facetis epigrammatis peruellunt. Hæc seges fuit miserabilis tragœdiæ,

quæ postea BRITANNIAM nostram depopulata est. Harum ineptiarum primas duxit *Erasmus Roterodamus*, vir quidem multiplici litteratura, iudicio sagacissimo, lectionis infinitæ, si quæ calluerat, ea sola persequi; quàm quæ nescierat, venditare maluisset. Is igitur cum in maioribus studijs excelleret, Latinè Græcéque scientissimus Theologiam tolerabiliter, ceterarum artium liberalium nihil attigisset, omnes, qui solidioris disciplinæ curiosi horridiùs loquebantur, ludendos & ridendos propinabat. Sed apud HENRICVM & *Waramum Cantuariensem* Episcopum, quorum fere sumptibus victitabat, ita se finxit, vt in rabulas quosdam solummodo, qui florescentibus studijs obstrepebant, inuectus putaretur. Et sanè sic homo fuit perpaucorum hominum vel animi incertissimus, vel ad simulandum propensissimus.

HVIVS exemplo, cœperunt ex Academijs cordati iuuenes caninam facundiam exercere, magnam inuidiam conflare cœnobijs, Abbatibus, Episcopis; præsertim si qui in bene aucta, lautáque parte degerent. Ceteris clamosior fuit *Robertus Baronus Augustinianus*, altus *Cantabrigiæ*, Theologiæ Professor, qui quod immodica libertate *Volsæum* Cardinalem, & sacerdotum pompam frequens pro concione taxaret, à seditiosa plebecula tanquam Deus quispiam suspiciebatur. Eius initia, progressiones, & exitum pertexam, vt lectores admoniti caueant malitiosam intemperantiam, & simul percipiant, quibus gradibus impuri homines ad vltimam insaniam prolabantur. Erat ei sodalis quispiam *Cantabrigiæ* constrictus ære alieno, qui cum iudicio sistendus esset nec vllo precario donaretur: *Baronus* sic excanduit, vt palam doceret, non licere christianis suum ius apud magistratum litigando persequi. restitit huic amentiæ Theologorum omnium consensio, qui ne latiùs malum serperet, homini mandarunt vt ad certum diem publicè suum errâtum eiuraret. Ille obfirmat animum. Res ad *Volsæum* delata est. Ibi conuenit STEPHANVM *Gardinerum*; qui postea *Wintoniensis* Antistes fuit, virum acerrimo ingenio, linguarum varietate florentem, sacrarum literarum & Pontificij iuris peritissimum. Ab hoc in disputando consternitur, vt non inuitus vero cederet, paulóque post in celeberrimo consessu ad diui PAVLI, præsentibus Cardinale, vndecim Episcopis, concionante *Roffense*, illud *Anabaptistarum* dogma, & quæcunque præterea nequiter in Ecclesiasticos ritus, & Episcoporum insignia crocitasset, detestaretur.

INTERIECTO deinde tempore, cum reuersus ad vomitum asseruaretur *Stansedij*, ruptâ custodia traiecit in *Germaniam*. Ibi peruulgat scriptum, quo se à *Gardinero* circumuentum, & captiunculis irretitum, veram suam causam deseruisse queritur: post, vbi fide publica BRITANNIAM appulisset, postulatus à *Gardinero* de infamia coram Episcopo *Cantuariensi*, prouolutus in genua sponte precatur veniam; impetrat; quin etiam Regi sunt auctores, vt superiorum facinorum impunitate proposita, reduci liceret esse, si vellet. Annuit. Interea STEPHANVS *Gardinerus* ad *Wintoniensis* Ecclesiæ principatum attollitur, in quem cum *Baronus*, excitus ab Aulicis quibusdam, multa iecisset obscurè, tandem etiam apertè nominaret ex pulpito, simulque perditis commentarijs Eucharistiæ maiestatem frangeret, coram HENRICO Rege poscitur. Hîc nihil aliud respondit, nisi Principi se concessurum. Tum Princeps, vt erat auitæ religionis per omnem ætatem seruantissimus, excepta causa Pontificia, quæ libidini suæ fomenta negauerat: Ego, inquit, homulus sum caducus & fluxilis, mihi ne te des, da te illi, & flexo poplite designat Eucharistiam, qui veritatis fons est, & perennis veritas, quam ego tuebor quantum potero.

DISCESSVM est à Rege; præfinitus dies, in quem parati *Wintoniensis* & *Baronus*, eadem doctrinæ capita, quæ tum inter ipsos controuersa fuerant, argumentando discuterent. Iterum prostratus rationum & auctoritatum pondere, Præsuli se dedidit in clientelam, discipulum ipsius se velle fieri: nec prius orare destitit, quàm iussu Principis, ab Episcopo modestissimo erudiendus & informandus excipitur. Duos dies continenter domum Præsulis ventitarat, eumque de fide ac operibus illuminatè, breuiter, acutè differentem audierat: tertio delituit, nec ab vllo requisitus est, donec suo indicio caperetur. Ergo sub annum Christi quadragesimum supra millesimum & quingentesimum, cum in clandestinis colloquijs, & emissis schedulis, pestiferum quotidie virus expueret; denuo comprehensus alios mores, hominem nouum prolixè pollicetur. Redijt in gratiam ea lege, vt hæreseon suarum certos articulos, quibus multorum conscientias grauissimè vulnerarat, publicitùs execretur. Status dies; aderant frequentes. Ibi tum homo vanissimus, principio quidem disertè canit receptui: reliqua concione & se, & veritatem Catholicam oppugnat manifestissimè: indignari

gnari proceres & feruere, populus obstupescere, congerrones applaudere. Monstrum hoc diutius ferre Princeps non potuit, adeoque ni resipisceret, ex senatusconsulto in ipsum animaduerti iubet: itaque tertio calendas sextilis exustus est.

NVNC interceptam historiæ seriem prosequamur. HENRICVS interim, vir animi maximi, sed ad fœdam corporis libidinem proiectissimus, alienis consilijs abductus, agitare cœpit quemodum vxori CATHRINAE innocentissimæ feminæ nuncium remitteret. Certum cum Cæsare dissidium, cui matertera fuit CATHARINA, aditum ad litem fecit. Susceperat ex ELISABETHA vxore HENRICVS VII. masculã prolem ARTHVRVM & HENRICVM. ARTHVRO quatuordecim annos & sexaginta dies nato, datur vxor CATHARINA FERDINANDI *quinti Hispani* Regis filia. Hęc acta sunt postridie Idus Nouembris, & ad quartum Nonas Aprilis insequentis, nouus sponsus diem obiit. Pater, qui necessitudinem cum *Hispano* perpetuari cuperet, ægreque ferret tantum dotis ex ANGLIAE regno quotannis auchi, quantum viduæ pendendum ex pacto fuit, ipsam permissu IVLII. Pontificis alteri filio nuptam elocat.

POST annos demũ viginti, efferbuit in ANGLIA *Lutheri* fax, eaque clam ad aliquot Principis familiares perreptauit. Hi cum Principis constantiã expugnari posse desperarent, inierunt consilium plenũ sceleris & astutiæ, quo vel Regem nouas nuptias anhelantẽ, cum Pontifice demũ committerent, ni prius coniugiũ enerualset: vel si Pontifex accomodè sciuisset, à Cæsaris amicitia, & Religiosę mulieris consuetudine, quę vtraque iuuenis obseruantiã fouebant, diuellerent, aliamque substituerent corruptelarũ illecebris irretitã. Vtrumque cecidit. Nam offensione & stomacho sic ebulliit, vt & Sedis Apostolicæ dignitatem proijceret, & calumnia legis ab vxore diuorteret. Quo in genere illud est etiam odiosum, quod homo videlicet pudicus & innocens, conscientiæ punctus aculeis, matrimonij veteris quæstionẽ citasse dicitur: qui, si quid vnquã penti fas aut nefas habuisset, nunquam tot vxores protriuisset, fœculentas virgines constuprasset, Ecclesiæ lumina perculisset, sacrorum veneranda palatia, prædia, thesauros, innumerabiles opes vno propemodum hanstu vorauisset. Igitur specie quadam sanctitatis & officij, CLEMENTEM *septimum* scrupuli sui certiorem facit. Pontifex, de collegarum sententia, cognitionem causæ duobus Cardinalibus mandat, *Laurentio Campegio* eruditione, sapientia, fide singulari; & THOMAE *Volsæo Eboracensi*, viro peracris ingenij, diuturnaque rerum experientia solertissimo. Apud hos dolenter se ferre questus est, quod cum *Aurelianensis* Princeps de MARIA filia sua ducenda conueniretur, subdubitatum à *Gallis* fuerit, An esset legitimè procreata, propter initum CATHARINAE cum demortuo Regis fratre matrimonium. Post eum diem ancipiti cogitatione distractum hęsitasse, non prius animo conquieturum quàm nodum explicuissent. Vtram in partem soluerent (iustum id sit modo) laturum patienter, Deum hominesque testari, neminem viro feminam cordi magis fuisse, quam hæc sit sibi. Petere à suis, ne quid aliorsum acciperent, neue stultorum & muliercularum rumusculis fallerentur.

LEGATI transeunt ad Reginam; litem indicant. Illa nihil, nisi IVLIVM Pontificem, FERDINANDVM parentem suum, HENRICVM *septimũ*, ceteros per orbem Christianum fusos Episcopos & Theologos, longè antea difficultatem hanc vidisse, ponderasse, sustulisse; satis scire, nec virum suum, nec se, parentibus vtrimque suis tam insigniter neglectos, vt ab ipsis volentibus annitentibusque, darentur in seditionem & incertas nuptias; hæc tempestas vnde flarit, perbellè cerni. Ecclesiam se catholicam reuereri, eius iudicio staturam. Quin etiam aduocatos & procuratores deligit *Waramum Cantuariensem*, NICOLAVM *Westum Elyensem*, IOANNEM *Roffensem*, *Standitium Asaphensem*, egregios item complures sacrarum litterarum, iurisque professores. Magna contentione laboratur. A Rege patroni Leuiticum ius vrgere, probare coitum, diploma spurium & suppositititium dicere, geminum ostendi, in quorum postremo tacitè subinnuatur coniunctio corporea, nimium sibi Pontificem sumere, qui nullum finem nec modum faciat diuinum etiam præceptum remittendi, ARTHVRVM primo mane sitiuisse, hausisse plenum cyathum, *Hispanicas* oras valde calentes & siccas, per iocum dictitasse. Consiliarij Reginæ contra; in demortui fratris thalamum, qui nullum heredem reliquisset, non modo potuisse fratrem surrogari, sed etiam apertissimis scripturæ testimonijs debuisse; id tamen ad tempus: post Ecclesiam cauisse, nequis huiuscemodi connubium appeteret. Hominum scita per homines temperari, carnalem omnino copulam deierare, id esse consummationem cuiusque matrimonij. Sponsum iam, priusquam cum vxore rem habuisset, ab eadem segregatum, & virginem obijsse, cautionem adiectam recentiori diplomati, quod leges interpretentur, & coniectent coitum, si nox vna superuenerit,

uenerit. ARTHVRVM neque per ætatem, neque per valetudinem dare operam rei vxoriæ potuisse, consutum esse figmentum *Hispanicum* à Sycophanta quopiam non infaceto.

INTEREA Legati iudices Regi, Reginæque diem dicunt, & *Londini* pro Tribunali sedent. HENRICVS per procuratores CATHARINA ipsa comparuit; & siue sic edocta per WOLSAEVM, qui apud ipsam in suspicionem fraudis incurrerat, atque hoc potissimum consilio fidem liberaturus videbatur: siue quod iniquo certamine intra suum regnum cum Rege dimicari crederet: incredibili modestia, grauitate vultus, & orationis, *Romam* prouocat. Nihilo secius instare Princeps, decretum flagitare, morę tam impatiens, vt quò tenderet, res ipsa loqueretur. Nam quo primum tempore hoc repudium intriuerat, sic exarsit in *Thomæ Boleni Annam* filiam, quæ tunc in aula degebat, cum ea tam procaciter ludebat, commeabatur frequens, talia loquebatur, vt omnes intelligerent hanc eam esse cuius complexum maluisset. Neque hoc *Wolsæus* non persenserat, sed homo veteratorius honori suo, quam saluti Regis obsequentior, nascentem flammam conniuendo roborasse creditur. Proximum quod erat, quoniam liberè non audebat profiteri, secretis litteris Pontificem docet, quem admodum inclinata sint hominum studia, quod sit huic negotio caput, quid turbæ sit in ANGLIA, CATHARINAE si qui voluerant, eos alios alia via restinctos obticescere, monere nihil attendat subditorum ANGLIAE consulta, spem & metum omnia possedisse, causam ad se reuocet, in rem quod videbitur id sanciat. Pontifex assensus est. *Campegio* reuersionem imperat, controuersiam cognitioni reseruat suæ. Id etsi tulit HENRICVS indignissimè, tamen cum haberet CLEMENTEM suo beneficio nuper obligatum, *Gallum* cupientem sibi propter odium Caroli, Pontificem à Cæsare alieniorem confideret propter scelus *Borbonij* Ducis, & *Cæsarianorum* qui vrbem anno superiori vastauerant, sacra polluerant, fana diripuerant, CLEMENTEM atque Cardinales, ac Principes obsidione cinxerant, & in ADRIANI molem compegerant, non penitus de spe decidit. Qui si voti compos factus esset, potestatem Ecclesiasticam ne summo digitulo quidem attigisset. Pontifex liberaliter respondere, iustitiam adpromittere. Sudatum est *Romæ*.

IBI cum inter ceteros *Franciscus Arianus*, qui *Wolsæum* tergiuersantem suboluerat, meretricis intimam consuetudinem nactus esset, quam CLEMENTIS Amanuensis deperierat, auctor mulierculæ fuit, riualem vt admitteret, hominem domi suæ opprimeret inopinantem, bibliothecam, & capsulas, & scrinia per lasciuiam rimaretur; in *Wolsæi* nomen si incideret, aut si litterarum inscriptione characteres offenderet congruentes (tradidit autem aliud Cardinalis autographon inspiciendũ diligenter) eam scriptiunculam proposito præmiò sufuraretur. Factum est. Litteræ illę ipsæ comperiuntur, & ad *Brianum* deferuntur, quas antea recen sui datas ad Pontificem. Patefacta simulatione Cardinalis, HENRICVS furere, nobiles adigere & instigare sæuientem, hominem inuisum & multorum improbitati expositum Cancellarij munere, sacerdotijs omnibus, præter *Eboracense* & *Wintonienſe*, opibus, item, quas infinitas corraserat, improuisum exuit. Inuenta est causa, quod Apostolica legatione contra prærogatiuam regiam fungeretur. Eius occasus multos extulit. tantum enim solus extorserat, quantum triginta præstantibus viris sufficere potuisset. Erat Cardinalis, Legatus, Cancellarius, Episcopus *Eboracensis*, *Wintoniensis*, *Dunelmensis*, Abbas *Albani* monasterij: tot præterea cœnobiorum præfecturas, tot opima sacerdotia possederat, vt facultatum voraginem conquisierit. Expectabatur vt *Wolsæus*, tam atrociter perculsus, desponderet animum & extabesceret. Ille vero egregiam, accepta contumelia, moderationem præ se tulit; quam si rebus ad voluntatem fluentibus adhibuisset, impunè volitasset. Domum se contulit, vixit æquabiliter, dignitatem retinuit, veterem pompam exterminauit, animæ curam egit neque confectus angoribus, nec altos spiritus ducens.

ADVERSARII qui illum è viuis potius, quàm è Curia profligatũ voluerant, tantã ei felicitatem inuidere, nouam criminationem intentare, publicum regni Conciliũ exulcerare, quo illum omnino pessundarent; capita hæc sunt, pleraque falsa, nonnulla ridicula, quædã impia. Quod legati potestatẽ ambierit & exercuerit; quòd hoc stilo epistolas aliquot exararit, *Ego & Rex meus*; quòd ANGLICANAM Ecclesiam, labente paulatim disciplina, peruersam quereretur, eáque re & causa, legationem Pontificiam in huius mali remediũ adsciuerit; quòd regni sigillum secum in *Flandriam* asportarit; quòd priuata auctoritate inter HENRICVM & *Ferrariensem* Principem fœdus icerit; quòd infectus morbo Gallico Regis conspectũ non refugerit; quod pileo Cardinalitio nummum Regium percusserit; quòd *Albanense* priuilegium aduersus quęstores regios defenderit; quod *Romæ* suos honores emerit. Super his accersitus moritur in itinere, sepultus *Lecestriæ*, vir excellentis ingenij nec illiteratus, natus *Ipswicij* obscuro

ſcuro loco, magnificentiſſimus, itacundus, confidens, ſcortator, ſimulator. Extruxit muſarum domicilia, alterum *Ipſ'wichij*, quod HENRICVS diruit: alterum *Oxonij* tam ſpectabile, vt ei nullum præterea totius *Europæ* gymnaſium æquetur, idque prouentibus annuis, ad circiter tria millia noſtratium nummum pondera, dotauit. Eius hodie fundator HENRICVS agnoſcitur, quod ædificium non euerterit, nec fructus adiixerit ærario ſuo poſtquam Cardinalis diem clauſerat. Verſiculi maiuſculis litteris, ad veſtibulum ingredientis, ELIZABETHAE teſtantur inſeſi, quorum poſtremus fuit

Imperfecta tui ſubiens monumenta parentis.

quo nihil vidi miſerius; obliterari memoriam præſtantiſſimi patroni; conferri in eum, qui omnem honeſtatem profuderit, diuina & humana omnia miſcuerit, religionem & rem BRITANNIAE publicam exciderit.

Proceditur contra Eccleſiam; ſacerdotum pars maior vicit meliorem; veritique Principis tyrannidem ſuccumbunt turpiter; ſe lapſos fatentur, qui Cardinalis poteſtatem iuuerint; minis C. M. culpam redimunt; primatū ANGLICANAE Eccleſiæ deriuant in Principem. Interea rediiſſe fertur ex *Italia* & *Anglia Stokeſius* eruditus vir, ſed leuis, & ambitione deprauatus *Lomanenſis* Epiſcopus, qui ſiue Academiarum aliquot ſuffragia ſuppilauit, ſiue conciliauit pecunia; ſaltem oſtendit codicillos duodecim ſolenniter obſignatos, in quibus Fratris, cum defuncti fratris vidua, coniugium declarabatur irritum. *Aurelianenſes* iuridici duo ſtatuunt, tale matrimonium pugnare cum lege Dei, nec à Pontifice laxari poſſe. *Lutetiani* Theologi, conſummato tali matrimonio, nihil relictum eſſe loci pontificijs diſpenſationibus. *Anſenſes*, etiamſi deceſſerit abſque liberis, tamen ſi explerit coniugium, omnem Papæ remiſſionem otioſam fore. Theologi *Pariſienſes* admodū præcisè, Fratriſne ſobole defuncto, non poſſe per legem Dei aut naturæ alterum Fratrem in thorum iugalem ſurrogari, Papam nihil in hac cauſa donare poſſe. Erat prope *Weſtmonaſterium* ædicula ſororia, D. *Iacobo* poſita. Inibi palatium condendi cupido cœpit Principem. Itaque virginibus, ex pacto cœnobium deſerturis, penſiones annuæ curantur; ipſe tectorum & agri fit Dominus.

In his miſerijs, quibus ANGLIA propemodum exaruit, Hæretici quoque ſuorum temporum vices aucupantur. Etſi autem fato iam imminente, quaſſata Reſpublica ſparſos vbique religionis hoſtes parum animosè potuit expiſcari: tamen correpti ſunt aliqui, quos vel caſus obtulerat, vel manifeſta proteruitas, & ſua prodiderat inſolentia. Multis exitio fuit *Guil. Tindallus*, *Lutheranæ* Fraternitatis aſſecla, cuius gloriolam æmulatus, ſacra volumina ſuis impuris verſionibus, & ſcholijs vellicauit. Ne nunc quidem, cum *Tindallum* honorificentiſsime prædicant, eius tralationem ſchiſmatici comprobant. Is igitur alicubi delitescens extra BRITANNIAM, commentabatur & cudebat continuo tractatus quoſdam, ſatis loquaces & fecundos; in hos qui inciderant, fere periclitabantur. Lata lex eſt ne quis adueheret, neue quoquo modo ſumeret: prehenſus eſt *Thomas Hittonus*, miſellus homuncio, in ſuſpicionem adductus latrocinij, quod & vultu perditus, & veſte contemptior incederet: dum ſe purgat furti, cogitur fateri quid veniſſet, quò pergeret, cuias eſſet; vulpecula deregitur. Cetera *Tindallo* aſſentus eſt, quædam etiam adiecit de ſuo. Infantes à quolibet citra delectum, nulla neceſsitate flagitante, tingi debuiſſe: vllumne matrimonij ſacramentum eſſet an ſecus, neſcire ſe: id ſcire, ſolennitatem, qua ſponſus cum ſponſa in Eccleſijs combinatur, otioſè adhiberi; ſacros codices non à Deo, ſed ab humanis inuentis promanaſſe; peccato ſemel impuratis, nullum reſtare deinceps liberum voluntatis arbitrium, pugnare cum Euangelica manſuetudine, vt quis, quacunque de cauſa, capitis pœnam luat. Sanari noluit, crematus eſt: mortuo feſtum diem in vigilia *Matthiæ* Apoſtoli dedicarunt; qui dies alicubi beatiſsimo Præſuli & Martyri *Polycarpo* ſacer fuit.

Sequuntur *Nectonus*, *Birtus*, *Tewkſburius*, qui denuo iam prolapſus in hæreſim, ſocios hortatur vitæ conſulant, verbo *Lutherum* abnegent; ſuas eſſe partes duriores, quod iterum hæſiſſet in luto. Reliquis erroribus hoc attexuit; fruſtra Sanctorum auxilium imploratari, quòd ante ſupremum iudicium nullæ, nec in cælo beatorum animæ conſiſterent, nec apud inferos mactarentur. Acceſsit *Thomas Bilnius* Concionator vehemens, litterarum & virtutis exiſtimatione celebris, qui ſuperioribus annis apud magiſtratum obnuntiauit, & abijt. Secundo cum fureret, productus ad Iudicem neutiquam inficiatur, perſeuerat, fletur, viri docti ſuccurrunt, ad ſe rediit: ibi tum aſsidua lectione, precibus & lachrymis priſtinum flagitium expiauit, mortis ſententiam vt inexitabilem, ſic iure debitam agnouit: animæ ſoli prouiſum voluit, Eccleſiæ communionem, è qua ſeipſum ſegregaſſet, humiliter poposcit, ſalutari

corporis Christi viatico roboratus, alacriter & ingenuè Catholicam fidem testificatus, legi obnoxius euolauit ad superos.

SATIS apparuit nihil promoueri consilium Regis, qui iam tum immania quædam contra Ecclesiã facinora ventilabat, quamdiu Prælules ANGLICANI, concepta verborum formula, in obseruantiam Sedis Apostolicæ iurati essent. Id in primis proijcitur, mox euectis ad summum honorem pessimis quibusque Consiliarijs, ceteris loco & dignitate motis, *Annam Bolenam* ducit clanculum mense Nouembri, ita vt nemo fere persentisceret, priusquam ad Aprilem proximum grauida notaretur: tum verò à præconibus publicis Regina pronuntiatur, simul cautum, ne quis deinceps CATHARINAM vel ANGLIAE Reginam, vel HENRICI coniugem, sed ARTHVRI viduá diceret. Eodem anno moritur *Waramus Cantuariensis*, cum doctus ipse vir ac honorabilis, tum patronus doctorum hominum prope singularis. Ei sufficitur THOMAS *Cranmerus* aspectu venerabilis, cetera leuissimus & corruptissimus Regiæ libidinis, & voluntatis assecla. Is, pendente appellatione, contra ius fásque diuortium hactenus controuersũ, ab HENRICI partibus firmat, nouas nuptias adprobat, priores euacuat.

ANTE biennium exhalarat animam *Todingroni* Comitatu *Glocestriæ Guil. Tracius* quem ferunt ex ea familia natum, cuius scelere beatissimus Episcopus & martyr *Cantuariensis*, ante quadringentos annos occisus est. Is infectus *Lutheri* væsania, non sat habuit perdite sentire dum viueret, nisi moriturus testamentum, vbi minimè opus fuit, nefarijs articulis respersum condidisset; nullum esse meritum hominis christiani ex opere bono: bonum virum non fieri, sed ex bono viro, quem sola fides peperierit, bona opera profluere necessario; nihil se conferre in quenquam, cuius suffragijs anima releuetur, quandoquidem huic vni præsidio nitatur, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Corpus nulli certo loco aut sepulturæ credidit, idque ne faceret, *Augustinum* habere se auctorem in libello de cura pro mortuis. Infelix, qui cum tam oculatus in re minima fuisset, neque libri sententiã recte collegerit, neque illa, quæ ibidem copiosè de animarum statu fidelium disputantur, peruiderit. Heredem reliquit *Richardũ Tracium*, qui adolescente me, vegeta sed extrema senectute, notabilis hæreticus, parente vanior & nequior factus est. *Anabaptistas* enim propiùs, quàm *Lutherum* aut *Zuinglium* contigit. *Guilielmus* de sententia Warami Præsulis, & Synodi quę tum habebatur, & hanc totã perscriptionem pond erarat, Cancellario diœcesios mandat, hominis impuri corpusculum exhumari faciat, & flammis tradi, Curatum est, sed conflagrant huiusinuidia facti sacerdotes. Itaque interiectis aliquot mensibus, cùm esset in Principis aures insusurratũ, istiusmodi conatibus augeri potentiam Clericorum, constringi laicos, qui plurimùm ipsi gratificabantur; visus est odiosissimè ferre, subdito suo probo viro maculã, se inscience, tam crudeliter inustã. Postremò sic conuenit, peccatum redimi sexcentis aureis debuisse. Istuc rectè. Pergamus.

NATA est septimo Idus Septembris *Elisabetha*, de nouissimo connubio suscepta. Nullum fere mensem Pontifex intermittere, quin Regem ab hoc proposito grauissimis obtestationibus auerteret. Iusit operam. Quare cum vulgari cœptum est *Annam* pro Regina palam declarari, maturat deliberationem, quæ hactenus vltra citráque à suis Theologis excutiebatur, ac tandem secundum CATHARINAM pronuncia: quod vbi resciuit Rex, implacabili deinceps odio malitiáque suffusus, auctoritatem omnem Pontificiam exterminat, extorquet consensionem publicam, qua duo præcipue stabiliuntur; primum, vt abiecta MARIA CATHARINAE filia, Regis & *Bolenię* sobolem pro legitima postmodum agnoscant, alterum vt Pontificem deierent, Regem solum caput Ecclesiæ *Anglicanæ* prædicent. Qui super his iusiurandum postulatus non dederit, quiue vlla ratione contraierit, eum hostem censeri. Ita ruptis obedientiæ claustris, & pudoris quasi repagulo quodam effracto, pietas religióque labascunt in dies, omnia disturbantur, in optimum quemque sæuitum est. Alios alia via Satanas adoritur, Principem intemperantia, laicos inuidia sacerdotum, Sacerdotes ignauia, hæreticos appetentia nouarum cupiditatũ, quosdam etiam Pseudocatholicos hypocrisi, vt se non precibus & constantia, aduersus imminentium turbinum procellas, sed mendacio communirent

ELISABETHA quædam *Bartona* correpta phrenesi, cum in extasim concidisset, præsentibus *Masfero* & *Bockino* sacerdotibus, multaque temerè sed mirabiliter effutiuisset: ab ipsis ad sacrarium D. MARIAE, quod est *Aldingroni*, tracta conualuit; deinde à Monachis edocta, siue quod ita crederent, siue quod lucrum aucuparentur, non nisi diuinitùs talia fuisse locutam, vouet Virginem *Cantuariæ*, sanctitatis opinione clarescit, veteris morbi symptomata, rupturas vocum, rictus oris, afflictas membrorum compagines imitatur; post etiam numeroso plebis consessu cincta, CATHARINAM effert, *Annam* eleuat, recens coniugium

gium infectatur. Re suspecta carceribus mandantur, fraudem retegunt, capitis pœnam luunt.

INTERIA Pontifex HENRICVM ferunt publico anathemate. HENRICVS cum Pontificem non posset, Monachos infestat. MORVM & FISHERVM adoritur, qui neque schisma facere, neque nouas nuptias approbare voluerunt. Erat THOMAS MORVS equestri loco natus, Eques ipse, Latinæ Græcæque linguæ callentissimus, ingenio viuido, *Erasmo*, *Tonstallo*, *Lilio* æmulus in studijs litterarum, propter incredibilem & solertiam rerum & mentis aciem, delectus regni Cancellarius, qui honos habitus est homini laico ante se nemini. Incidit autem hæc eius fortunæ prima lux, in turbulentam regalis diuortij quæstionem. Valde nimium extimescere omnes boni, ne Rex, qui vnum talem præ texcentis alijs fautorem appetebat, MORI constantiam expugnaret: sciebant enim nullis amplissimarum dignitatum, quibus allici plerique solent, illecebris parciturum. Ille vero triennium illud quo steterat, obliquè solicitatus, nullam inclinatæ voluntatis vel minimam significationem dedit. Ad extremum, cum abrogato iure Pontificio, noua nupta palam incederet, Magistratui sponte cessit, aulamque deseruit; nondum ille quidem inuisus Principi; sed vir excelsi, propèque diuina sapientia, & præsentis Reipublicæ statum auersatus est, & futuram præuiderat tempestatem. Itaque mortalium rerum satur, quam rem à puero peroptauerat, vt nouissimos vitæ annos contemplationi deuoueret, fecit; bonaque cum venia scitus est domi delitescere.

VIX annum & semestrem quieuerat, cum de Senatusconsulto iusiurandum super connubio recenti poscitur, non dat; bona eius publico fisco addicuntur, ipsius perpetuæ custodiæ. Mox interrogatus de Pontifice, persistit aeritus; intercipiunt omnes omnium ad eum aditus amicorum, præter solius *Margaretæ* filiæ, cuius feminæ propter sanctitatem & scientiam tanta percrebuit auctoritas, vt sola sententiam quæreretur. Ea siue parentis casum releuatura, siue conscientiam huiuscemodi conditione liberatam persuasa, eatenus Regem fateri se caput ANGLICANÆ Ecclesiæ protestatur, quatenus verbo Dei contentaneum foret. Pater sæpe requisitus, neutram in partem respondere. Carcere conclusus præclaras aliquot elucubrationes commentatur, quibus & se confirmat; & magnam molestiam deuorat.

TANDEM Calendis Quintilibus pro Tribunali sistitur. Ibi *Thomas Audleius*, qui MORO surrogatus fuerat, item Dux *Norfolciæ Thomas Houardus*, & *Cornelius Amanuensis* regius, ceterique Consiliarij, & Inquisitores reum hortantur consulat saluti suæ, Pontificem deieret, Regem conciliet, Senatui pareat: lasso confectóque corpusculo sellam iubent, in qua resedit, dum læsæ maiestatis crimen, quod ei ni cederet intentatur, diluit. Venerabilis senex respondet, se neque malitiosè quicquam in Principem peccasse, neque vllum in patriam hostilem animum induisse. Rogatum a suo Rege, qui eum tot beneficijs ornasset, veritatem celare non ausum: iampridem cœlestem patriam meditari, & in Christi passione defixum hæresceret; vt Laicum decuit, hasce controuersias Theologiæ magistris permittere, Ecclesiæ decretis fidere, sibi cauere & sapere ad sobrietatem quæ didicisset, minimè mirum videri cuipiam oportere, si in causa pari, sua cum ROFFENSI conspiret oratio; neque tamen suam fidem vnius hominis auctoritate niti. Animam se suam vni, ne doctissimo & sapientissimo eorum qui sunt, qui fuerunt, aut futuri sunt, creditum. Nescire in quam sepem conijceretur. Caput hoc esse, Regem se Regum ANGLIÆ Regi præferre, Orbem Christianum Occidentis Insulæ. Oecumenica tot sæculorum concilia domestico regni conciliabulo.

HIS auditis duodecim viri nocentem, & proditione tinctum definiunt. Mox damnatur capitis. Ille nihil nisi vota facere, vt quemadmodum *Paulus Stephanum* ad supplicium extrusisset, qui duo nunc tamen concordes, suo beatissimo fruuntur in cœlis; sic eos, à quibus hodie protereretur, obuia in ista sempiterna domo conspiceret. Redeunti ad *turrim Londinensem*, miserabile spectaculum accidit. *Margaretæ* filia, quam vnicè propter excellens ingenium, & doctrinam, & virtutem adamarat, ad parentis genua prouoluitur squalore & lachrymis oppleta, quam ille, nihilo perturbatior, confirmat eiulantem. Accurrenti denuo, Vale, inquit, mea filia, sola nosti qui sit meus sensus & status. Nihil hic noui, nihil mutati vides, perfer, proque anima mea precare Deum.

NONIS Iulijs, vel vt alij scribunt pridie eius diei, cum ad supplicium duceretur,

animo tam hilari & soluto fuit, vt qua in re per omnem vitam excelluerit, vrbanitate & facetijs, eis in extremo propemodum spiritu modeste luserit: non vt sese inaniter oblectaret, sed vt suam constantiam testatam relinqueret, ceteros animaret, & carnificinam illam contemnere videretur. Mulierculam quandã subornarant teterrimi nebulones, quæ, quod hactenus non fecerat, cum facilius potuisset, scriptiunculas ab eo quasdam reposceret, quas ei dum Cancellarium egerat, obtulisset; cum eiusmodi res nunquam ab illo Magistratu, qui Regi proximus est dignitate, sed à quàm plurimis in id negotij destinatis scribis adseruentur. Ad hæc ille; Fer me, inquit, semihoram istam, & si tibi non seruiero, Regem adi. Scalam conscensurus opem petijt ea lege, vt descensurus sibi prospiceret de via. postremum capite truncatus est. In his tumultibus CATHARINA moritur *Kymbaltoni*, condita *Petroburgi*.

CATA-

CATALOGVS.

EX ANGLICO IOANNIS SPEED LATINVS.

IN QVO SVB VNO ASPECTV VIDERE EST omnium tum Monasteriorum, tum aliarum sacrarum Ædium, quæ in ANGLIA *&* WALLIA HENRICVS VIII. *Rex vel subuertit, vel integra reliquit, vel alij postea erexerunt, Patronos, Fundatores, Tempus fundationis, Ordines et Annuos census, vbi quidem de his constat, prout habentur in originali libro pradicto Regi, per Commissarios, quos vocant, ab ipso destinatos, exhibito. Verum quidem est, inquit meus auctor, quod ad prouentus attinet; fauorabiliter & longe infra iustum astimatos fuisse.*

VIDETVR non abs re fore, si prius quàm catalogum subijciam, ex *Guilielmo Camdeno* viro profecto eruditissimo, & cui nostra *Britannia* debet plurimum, attexam quædam ex eius Chorographica descriptione, quæ ad nostrum institutum faciunt, & rem veluti ob oculos ponunt. Is igitur pagina 116. editionis anni 1607. quæ *Londini* prodijt, paucis vel rescisis, vel mutatis, sic habet.

QVOD ad Ecclesiasticam, inquit, iurisdictionem attinet: Cum ROMANI Pontifices Ecclesias singulas, singulis presbyteris assignassent, & parochias eis diuisissent, HONORIVS Archiepiscopus *Cantuariensis* circa annum à salute reparata DC. XXX. VI. ANGLIAM primus in Parochias, vt legitur in historia *Cantuariensi*, distribuere cœpit.

DVAS autem nunc habet ANGLIA Prouincias, Archiepiscopos item duos, CANTVARIENSEM nimirum, totius ANGLIAE Primatem & Metropolitanum; & EBORACENSEM. Quibus subsunt XXVI. Episcopi; CANTVARIENSI XXII. EBORACENSI quatuor reliqui. Qui vero sint hi Episcopatus cum Comitatibus siue Diœcesibus, nec non & Parochijs quas nunc obtinent, sequens tabella indicabit.

CANTVARIENSI SVBIICIVNTVR.

EPISCOPATVS.	COMITATVS.	PAROCHIAE.
Cantuariensis	Cantium	257
Roffensis		98
Londinensis	Essexia	623
	Middlesexia	
	Pars Hertfordiensi. Comitat.	
Lincolniensis	Lincolniensis	1255
	Leicestrensis	
	Huntingdonensis	
	Bedfordiensis	
	Buckinghamiensis	
	Pars Hertfordiensis	
Cicestrensis	Pars Hertfordiensis	250
	Sussexiæ	

Wintonienſis	Southamptonienſis Surriæ Vecta Gernſeia Ierſeia (insulæ)	361
Salisburienſis	Wilcheria Bercheriæ	248
Exonienſis	Deuoniç Cornubiæ	604
Bathonienſ. & Wellenſ.	Somerſetenſis	388
Gloceſtrenſis	Gloceſtrenſis	267
Wigornienſis	Wigornienſis Pars Warwicenſis	241
Lichfeldenſ. & Couentrenſis	Pars Warwicenſis Staffordenſis Derbienſis Pars Salopienſis ad Repillum fluuium ſpectans	557
Herefordenſis	Herefordenſis Salopienſis pars	313
Elienſis	Eliæ inſula Cantabrigienſis	141
Nordouicenſis	Norfolcia Suffolcia	1121
Oxfordienſis	Oxfordienſis	195
Petroburgenſis	Northamptonienſis Rutlandenſis	293
Briſtolienſis	Dorceſtrenſis Glamorgania	236
Lhandaffenſis	Monmouthia Brecknockia Radnoria	177
Menenenſis	Penbrochienſis Caermardenſis	308
Bangorenſis	Carnaruonenſis Mona inſula vulgò Angleſey Merionethenſis Denbighenſis pars	107
Aſaphenſis	Denbighenſis pars Flintæ pars	141

EBORA-

EBORACENSI SVBDVNTVR.

Episcopatvs	Comitatvs	Parochiæ
Eboracensis	Eboracensis Notinghamensis	581
Cestrensis	Cestrensis Richmondensis Cumberlandiæ pars Lancastrensis Flintæ pars	256
Carleolensis	Cumberlandiæ pars Westmorlandiæ	93
Dunelmensis	Dunelmensis Northumbria	135
Sodorensis	Mona quæ vulgo Man insula.	17
	Summa totalis in vtraque Prouincia.	9285.

In libro tamen Thomæ Wollæi Cardinalis, descripto anno M.D.XX. per Comitatus, numerantur Ecclesiæ 9407. Vnde hæc varietas non dixerim, nisi quod superiori sæculo nonnullæ fuerint dirutæ, & Capellæ, quæ sunt Parochiales omittantur, & aliæ, quæ non sunt nisi Capellæ, in Parochialium Ecclesiarum numerum referantur. Ego vero in tabella sequutus sum catalogum Regi IACOBO exhibitum, in quo numerantur Parochiales Ecclesiæ sub Episcopis 9285. è quibus 3845. sunt *Appropriatæ*, cuiusmodi dicuntur, quæ Papali intercedente auctoritate, cum Regis & Episcopi Diœcesios consensu, Monasterijs, Episcopatibus, Collegijs & Hospitalibus exiliter dotatis, vel quod in eorum prædijs fuerint constructæ, vel à prædiorum Dominis concessæ, certis conditionibus colligatæ, vel vt formularij loquuntur, *vnitæ, annexæ, & incorporatæ in perpetuum*, quæ postea, subuersis monasterijs, magno Ecclesiæ damno *Feuda* facta fuerunt *Laicalia*.

INTER enumeratos Præsules primum locum habet Archiepiscopus *Cantuariensis*, secundum *Eboracensis*, tertium Episcopus *Londinensis*, quartum *Dunelmensis*, quintum *Wintoniensis*, reliqui vt consecratione priores, ita loco potiores. Si quis autem ex alijs Episcopis fuerit Regi Secretarius, locum quintum suo iure sibi vendicat. Sunt præterea in Anglia Decanatus XXVI. è quibus tredecim in minoribus Ecclesijs, monachis exturbatis, ab HENRICO VIII. fuerunt instituti; Archidiaconatus LX. Dignitates & Præbendæ DXLIV.

PORRO duo Archiepiscopi, & omnes ANGLIAE Episcopi (vno excepto *Sodorensi*, (qui ex Camdeno pag. 839. locum & suffragium in Ordinum Angliæ conuentu Parlamentario non habet) Barones sunt Regni siue Parlamentarij, non nudo tantum nomine, sed omnes sunt Regni Pares, Proceres, Magnates, & Consiliarij nati, euocantúrque à Rege his verbis, *Ad tractandum de arduis regni negotijs, & consilium de ijs impendendum.*

PRAETER hos duos Archiepiscopos & omnes ANGLIAE Episcopos, Barones etiam sunt regni siue Parlamentarij, vt auorum memoria, hi etiam è Cœnobiarchis Abbates: 1. Glasconiæ, 2. S. Augustini Cantuariensis. 3. S. Petri Westmonasterienſis, 4 S. Albani. 5. S. Edmundi de Bury. 6. S. Petri de Burgo. 7. S. Ioannis Colcestriæ 8. Eueshamiæ. 9. Winthelcumbiæ. 10. Croulandiæ. 11. Belli, siue Bataille. 12. Redingiæ. 13. Abingdoniæ. 14. Walthamiæ S. Crucis. 15. Salopiæ. 16. Cirencestriæ. 17. S. Petri Gloucestriæ. 18. Bardeneiæ. 19 S. Benedicti de Hulmo. 20. Thorneiæ. 21. Ramseiæ. 22. Hydæ. 23. Malmesburiæ. 24. S. MARIAE Eboracensis. 25. Selbiæ. Quibus addendi 26. Prior Couentriæ, & 27. Prior Ordinis S. Ioannis Ierosolymis, qui vulgò Magister militum Ioannitarum, & primus ANGLIAE Baro haberi

Dunstablij. T.S. *Petri*. F. *Henricus I.* Rex. P. Canonici nigri.	0402	14	07
Dunstablij & ibidem fraternitas. Fr. Dominicani.	0004	18	04
Eatoni. T. *Corporis Christi*. C.	0007	16	04
Elnestowi, *alias* Helenstowi. *nunc* Elstowi. F. *Iuditha* vxor *Waltheofi* Comitis *Huntingdonensis*, V. nigræ moniales.	0325	02	01
Harwoldi, *alias* Horewodi. T. S. *Petri* F. *Samson* cognomento *fortis*. P. nigræ moniales.	0047	03	02
Markeyatæ. T. S. *Ægidij*. F. *Gilbertus de Clare* Comes *Gloceſtriæ* & *Herefordiæ*. An. 6. *Edowardi* I. Regis. V.			
Nevenhamiæ. F. vxor *Pagani de Beauchamp*, nomine *Roisia*. P. Canonici Augustiniani.	0343	15	05
Northylæ. C.	0061	05	05
Sanctingfieldi iuxta Whitsandiam. F. *Henricus II.* Rex. H.			
Wardoni. T.S. MARIAE. F. *Henricus I.* Rex & *Gualterus Espec.* M. albi monachi.	0442	11	11
Woburni. T.S. MARIAE. F. *Hugo de Bolbick*. Alij. *Robertus de Vere Oxfordiæ* Comes annuente *Richardo II.* Rege. M. albi monachi.	0430	13	11

BERCHERIÆ *Comitatus* vulgo BARKE-SHIRE.

	R.	A.	
	l.	ſ.	d.
Abingdoniæ. T.S. MARIAE. F. *Ciſſa* Rex *Occidentalium Saxonũ*. M. nigri mona.	2042	02	08
Biſtlehami *nunc* Bishami. T. *Christi* & *B. Virginis*. F. *Guilielmus Montis-acuti* primus Comes *Salisburienſis*. A. 13. *Edwardi III.* Regis. M. Canonici	0327	04	06
Bromhalli in foreſta Windeſoræ. T. S. *Mariæ Magdalenæ*. F. *Edwardus Princeps vocatus Niger*. V. nigræ moniales.			
Donington. F. *Richardus de Abberbury* Eques. Fr. Ordinis S. Crucis.	0020	16	06
Donington. F. *Richardus de Abberbury* Eques. H.			
Hammæ. T. S. *Mariæ Magdalenæ*. V. nigræ moniales.			
Hurleyæ. T. S. MARIAE. M. nigri monachi *Weſtmonaſterienſes*.	0134	10	08
Marretleyæ. P.	0014	03	01
Poghleyæ. F. *Maiores Abbatiſſæ Malmesburienſis*. M.	0071	10	07
Redingæ. T. S. *Iacobi*. F. *Alfritha Regina*, & *Henricus I.* Rex. M. Principio moniales, poſtea nigri monachi *Cluniacenſes*.			
Shottesbrokij. C.	0033	18	08
Wallingfordij. T.S. *Trinitatis*. F. *Edmundus* filius *Richardi*. Regis Romanorum & *Cornwalliæ* Comitis. P. nigri monachi S. Albani.			
Wallingfordij caſtrum. *Edwardus* Princeps Niger. C.			
Wallingfordij. T. S. *Ioannis*. H.	0006	00	00

BVCKINGHAMIÆ *Comitatus* vulgo BVCKINGHAM-SHIRE.

	R.	A.	
	l.	ſ.	d.
Ailesburiæ. F. *Editha* filia *Frewaldi*. Fr. Minoritæ.	0003	02	05
Ankerwickij. V.	0045	14	04
Asheridgij. T.S. *Auguſtini*. F. *Edmundus* filius *Richardi* Regis Romanorum & Comitis *Cornwalliæ*. C. Bonorum virorum Eremitarum.	0447	18	00
Bordeſleiæ. T. S. MARIAE. F. *Mathildis Imperatrix Ciſtercienſes*.			
Brodewelliæ. T. S. MARIAE. F. *Maneſelmus*. P. nigri monachi.			
Burnhami. M.	0091	05	11
Bittelden. T. S. MARIAE. F. *Arnoldus de Boſco*. An. 1127. M. *Ciſtercienſes*.	0142	01	03
Eatonæ. F. *Henricus* VI. Rex. C. Præfectus; Socij 8. & Cantores. Scholares 60.			
Lauedeni. T. S. MARIAE. F. *Ioannes de Bedon*. M. albi Canonici.	0091	08	03
Luffeldij. T. S. MARIAE. F. *Robertus* Comes *Leiceſtriæ*. P. Canonici albi.			
Medmenhami *alias* Mendhami. F. *Maiores* Comitis *Suffolciæ*.	0023	17	02
Merlowæ paruæ. M. nigræ moniales.	0037	06	11
Miſſendeni. T. S. MARIAE. F. *D'Oiles* ſiue *Doily*. M. nigri Canonici.	0285	15	09
Neoporti Painel. T. S. *Leonardi*. F. *Ioan. Peynton Neoportuenſis*.	0006	06	08

Noteleyæ. T. S. MARIAE. F. *Walterus Giffard* Comes *Buckinghamiæ* A. D. 1112. M. nigri canonici. } 0495 18 9½

Paretrenduni. P. nigri canonici.

Rauenestoni. *Domini Regis Progenitor.* M. 0066 13 04

Sandewelliæ. F. *Maiores Thomæ Stanley* de *Sasford.* M. 0038 08 04

Snelshalliæ. P. 0024 00 00

Stoke-Pogeis. F. *Edwardus Baro Hastings* de *Longhborow.* H. pauperes.

Tekefordiæ. T. S. MARIAE. F. *Fulco Paganell.* Alij. *Domini Regis Progenitor.* P. nigri monachi. } 0126 17 00

Wicumbæ vel ſuperiori Wickhamiæ. 0007 15 03

T. S. Margaretæ. P. 0022 06 07

CANTABRIGIÆ *Comitatus* vulgo CAMBRIDG-SHIRE.

R. A. l. ſ. d.

Cantabrigiæ. F. *Edwardus I.* Rex, & *Guido Mortimerus.* Fr. albi fratres.

Cantabrigiæ. F. *Edwardus I.* Rex, Fr. Minoritæ.

Cantabrigiæ. Fr. Auguſtiniani.

Cantabrigiæ. Fr. nigri fratres

Cantabrigiæ, T. S. *Radegundis.* V. nigræ moniales.

Cantabrigiæ. P. canonici.

Collegia Cantabrigiæ.

S. Petri Domus. F. *Hugo Balsham* Epiſcopus *Elienſis.* A. D. 1284.

Claræ Aula. F. *Richardus Badew*, & *Elizabetha Clara Vlconiæ* Comitiſſa. A. domini 1340.

Penbrochienſis Aula. F. *Maria de S. Paulo Penbrachia* Comitiſſa. A. D. 1347.

Corporis Chriſti vel *S. Benedicti* collegium. F. *Societas fratrum Corporis Chriſti* An. D. 1346.

Trinitatis Aula. F. *Guilielmus Bateman* Epiſcop. *Norwicenſis*, A. D. 1353.

Gonuillij & Caij Collegium. F. *Edmundus Goneuill & Ioan. Caius.* A. D. 1348.

Collegium Regium & Sacellum. F. *Henricus VI.* Rex, A. dom. 1441.

Collegium Reginale. F. *Margareta Andegauenſis* vxor *Henrici VI.* Reg. A. dom. 1448.

S. Catharinę Aula. F. *Robertus Woodlark*, A. dom. 1459.

IESV Collegium. F. *Ioannes Alcock* Epiſcopus *Elienſis*, an. domini 1397.

Chriſti necnon & S. Ioannis Collegia. F. *Margareta Richmondiæ* Comitiſſa Regis *Henrici VII.* mater A. domini 1506. & 1509.

Magdalenæ collegium. F. *Thomas Audley* Angliæ Cancellarius, A. dom. 1542. quod *Chriſtophorus Wray* ſummus Angliæ Iuſticiarius & ædificijs & poſſeſſionibus modò reſtaurauit.

Trinitatis Collegium. F. *Henricus* VIII. Rex, A. D. 1546. & poſtea *Thomas Neuillus* eiuſdem collegij Magiſter, & Eccleſiæ *Cantuarienſis* Decanus.

Emmanuelis collegium. F. *Walterus Mildenay* Eques auratus.

Sidney-Suſſexiæ collegium. F. *Franciſca* Comitiſſa *Suſſexiæ.*

Angleſeyæ. F. *Richardus de Clara.* P. 0149 18 06

Barnwelliæ. T. S. *Andreæ. S. Ægidij.* F. *Paganus Peuerell* vexillifer *Roberti* Ducis *Normanniæ* in bello ſacro, tempore *Henrici I.* Regis. P. nigri canonici } 0351 15 04

Chatterſij. T. S. MARIAE F. *Alfwena* religioſa femina, eiuſque frater *Edwardus* Abbas *Ramſeienſis.* V. nigræ moniales. } 0112 03 06

Dennij. T. S. *Claræ.* F. *Maria de S. Paulo* vxor *Audomari* Comitis *Penbrochiæ*, A. dom. 1341. V. } 0218 00 01

S. Edmundi. F. *Canutus* Rex. P. Albi Canonici. 0016 16 0

Eli-

Eliæ. T.S. *Petri & S. Etheldredæ*. Ecclesia cathedralis. F. *Etheldreda* vxor Egfridi Regis Nordanhumbrorum deuotis virginibus construxit, quibus ipsa præfuit; à Danis euersum hunc locum *Ethelwoldus Episcopus Wintoniensis* restaurauit, & monachis compleuit. *Henricus I.* Rex Episcopalem sedem constituit. *Henricus VIII.* pro monachis substituit Decanum, Præbendarios & ludum literarium, in quo viginti quatuor pueri eruditiuntur & aluntur. M. nigri monachi, — 1301 08 02

Eliæ. T.S. *Ioannis & S. Mariæ Magdalenæ*. F. *Thomas* Episcopus *Elienſis*. H. — 0025 05 03

Fordhami. F. *Henricus Den vel Dew*. P. Gilbertini fratres. — 0046 03 08

Ikelingtoni. P. — 0080 01 10

Marmoundij. P. Canonici,

Shengaiæ, T. *Præceptoria & Commenda S. Ioannis Hierosolymitani*. F. *Sibylla* filia *Rogeri de monte-Gomerico* Comitis *Salopiæ* A. 1130. Milites templarij. — 0175 04 06

Soffam Bulbeckiæ. V. nigrę moniales. — 0046 10 08

Swaueleyę. F. *Alanus la Zouch* frater *Rohain* Vice-Comitis minoris Britanniæ. nigri Canonici.

Thorneyæ. T.S. MARIAE & *S. Bothulphi*. F. *Sexwulphus* vir religiosus pro Eremitis, *Ethelwoldus* Episcopus *Wintoniensis* pro monachis construxit, & Rex *Edgarus*. M. — 0508 02 05

CANTIÆ *Comitatus* vulgo KENT.

	R.	A.	
	l.	ſ.	d.

Ashfordię. F. *R. Fogge* Eques. C. Sacerdotes.

Aylesfordiæ. F. *Richardus* Dominus *Grey de Codnor*. A. 1240. Fr. Carmelitæ.

Beighami. T.S. MARIAE. F. *Maiores Thomæ Sakuile*. Alij. *Robertus Normham* Eques. P. albi canonici. — 0152 19 04

Bellintoni vel Billingtoni, T.S. MARIAE. F. *Ioannes Maunsell Præpositus Beuerlacenſis* pro *Henrico III.* Rege & *Eleonora* eius vxore. P. nigri Canonici. — 0081 01 06

Boxleyę. T.S. MARIAE. F. *Guilielmus de Ypris* Flander Comes *Cantiæ* tempore *Stephani* Regis. M. albi monachi — 0218 19 10

Bradelokię. T.S. *Radegundus*. F. *Hugo* primus Abbas M. albi Canonici. — 0142 08 09

Bradgarię. F. *Robertus de Bradgare*. T. *Ioſcius*. Clericus & *Ioannes de Viſe*. C.

Cantuariæ. T. *Christi Domini*. F. *Fideles Romani*, & postea *Ethelbertus* Rex *Cantiæ*. P. nigri monachi. — 2489 04 09

Iuxta Cantuariam T.S. *Augustini*. F. *Ethelbertus* & postea *Edwardus II.* Reges. M. nigri monachi. — 1412 04 07

Iuxta Cantuariam. T.S. *Gregorij* vel *S. Georgij*. F. *Lowſranus* ibidem Archiepiscopus. P. nigri Canonici. — 0166 04 05

Iuxta Cantuariam. T.S. *Sepulchri*. V. nigrę moniales, — 0038 19 07

Cantuarię. F. *Henricus III.* Rex. Fr. Minoritę.

Cantuariæ. H. Pauperes Sacerdotes. — 0010 13 08

Iuxta Cantuariam. T.S. *Laurentij*. H. — 0031 07 10

Cantuariæ extra muros. T.S. *Iacobi*. H. — 0032 11 01

Cobhami. F. *Ioannes* Baro *Cobham*. C. — 0128 01 09

Combevellię. T.S. *Mariæ Magdalenæ*. M. nigri canonici. — 0080 47 05

Dartfordi. F. *Edwardus III.* an. regni Angliæ 30. Francię 17. V. — 0400 08 00

Dauntoni. V. nigræ moniales. — 0080 17 05

Doueri T.S. *Mariæ S. Martini*. F. *Henricus I.* Rex. P. nigri monachi. — 0232 01 05

Doueri Domus Dei. F. *Henricus III.* Rex. H. milites templarij. — 0159 08 06

Eastbridgiæ. F. *Henricus* I. dedit pro *Guilielmo* patre quicquid *Robertus Brus* dederat ecclesię de *Eſtleburch*, & fratribus ibidem Regularibus. H. — 0023 18 09

Elfletæ. F. *Domnena matrona*. V.

Feuershami. T.S. *Saluatoris*. F. *Stephanus* Rex & *Mathildis* eius vxor. M. nigri monachi *Cluniacenſes*. — 0286 12 06

Folkestoni. T. *S. Eanswidæ.* F. *Eanswida* filia *Eadbaldi Regis* Cantiæ. Postea *Rogerus Segrauius*, & vxor eius *Iuliana*, & *Ioannes Cinton* Baro. V. nigræ moniales.	0063	00	07
Greenwichiæ. F. *Henricus VII. Rex.* Fr. Obseruantes.			
Greenwichiæ. F. *Willielmus Lambardus*. C. Pauperes Elizabethæ Reginæ.			
Greenwichiæ. F. *Edwardus III. Rex* anno regni 55. *Ioan. Norbury.* Fr. Alien. Minoritę.			
Harbaldowinæ. F. *Ioan. Stratford.* vel *Stafford* Archiepiscopus Cantuariensis. H.	0109	07	02
Heyhamiæ. V. nigræ moniales			
Hortoni. T. S. *Ioannis Euangelistæ.* P. nigri monachi Cluniacenses.	0111	16	07
Landon. T. S. *Thomæ martyris.* M. Albi Canonici.	0056	06	09
Leedesiæ. T. S. *Nicolai.* F. *Robertus Creuecuer.* P. nigri Canonici Augustiniani	0362	07	07
Lesnesiæ, ad Thamisim. T. S. *Augustini* vel *S. Thomæ martyris.* F. *Richardus de Lucie* summus Angliæ Iusticiarius. A. D. 1179, P. nigri Canonici.	0186	09	00
Leweshamiæ. F. *Ioannes Norbury.* P. *Alien.* nigri monachi.			
Maidestoni. T. *Omnium Sanctorum.* F. *Bonifacius de Sauoy* C.	0159	07	10
Mallingæ. T. S. MARIAE F. *Gundulphus Episc. Roffensis.* V. nigræ moniales.	0245	10	02
Mottindeni. M.	0060	13	00
Newendeni. F. *Thomas Albuger.* Eques. A. D. 1241. Fr. Carmelitæ.			
Northgati. T. S. *Ioannis.* H.	0091	16	08
West-Peccami. T. *Præceptoria.* F. *Ioan. Culpepper* Iusticiarius de communi Banco anno 10. Henrici IV.	0063	06	08
Recuueriæ. F. *Bassa Anglo-Saxo.*			
Rochestriæ. T. S. *Andreæ.* F. *Gundulphus Episc. Normannus* an. Dom. 1080. M. nigri Canonici.	0486	11	05
Rochestriæ. T. S. *Bartholomæi.* F. *Henricus* III. confirmauit, & *Edwardus* III. liberauit ab omni vectigali &c. H. Leprosi.			
Rumneyæ, P. *Alien,*			
Sandwichę, F. *Henricus Cowfeild Germanus.* A. D. 1272. Fr. Carmelitę.			
Sandwichę, T. S. *Thomæ* F. *Thomas Raling* Clericus, *Guilielmus Swanne* Clericus, *Ioannes Goddard*, & *Richardus Long.* H.			
Shepeyę. T. S. *Sexburgæ.* F. *Sexburga* vxor *Ercomberti* Regis *Cantiæ*, vel East-Anglorum. A. D. 710. V.	0129	07	10
Shepeyæ. T. S. MARIAE F. *Guilielmus de-la-Poole* Marchio *Suffolciæ*, sub nomine *Guilielmi de-la-Poole* Comitis *Suffolciæ*.			
Strodæ vel Strowdæ. F, *Robertus Glanuile.* H.	0052	19	10
Swingfieldiæ. T. *Præceptoria.*	0087	03	03
Tunbridgæ. T. S. *Mariæ Magd.* F. *Richardus Clare Comes Gloceſtriæ.* P. nigri Can.	0169	10	03
Winghamiæ. F. Archiepiscop. *Pechamus.* C. Canonici.			
Wyæ. F. *Ioannes Kempe* Archiep.. *Cantuariensis.* C. Sacerdotes. T. S. MARIAE *S. Swythini.* F. *Ioannes Segraue* Eques.	0093	02	00

CARLIOLVM vulgo CARLIOLL.

	A.	R.	
	l.	s.	d.
Apelbyæ in Westmorlandia. F. Domini *Vescy, Percy, & Clifford* A. 1281. Fr. albi fratres.			
Armethwaitæ in Cumberlandia. F. *Guil. Conqueſtor* A. regni 2. V. moniales.	0018	18	08
Carlioli in Cumberlandia. T. S. MARIAE F. *Domini Regis progenitor.* P.	0482	08	01
Holmæ Coltreyn in Cumberlandia. T. S. MARIAE. F. *Dauid Rex Scotiæ, & Henricus filius eius Comes Huntingtoniæ.* M.	0535	03	07
Lanercostæ in Cumberlandia. T. S. *Mariæ Magd.* F. *Robertus de Vaulx* Dominus de *Gilleſland.* P.	0079	07	00
Sharpæ in Westmorlandia. F. *Thomas* filius *Gospatricij*, filij *Ormsi.* M.	0166	10	06

CESTRIÆ

CESTRIÆ *Comitatus* vulgo CHESHIRE.

	R.	A.	
	l.	s.	d.
Birkeheadæ. T.S. *Iacobi.* F. *Comitis Derbiæ Antecessor.* M. nigri Canonici.	0102	16	10
Bunburyæ alias Bonifacij-buryæ. F. *Hugo Calueley, & Egertonij.* C. Sacerdotes.			
Cestriæ. T. S. *Ioannis.* Ecclesia cathedralis. F. *Henricus* VIII. *Rex.* Canonici sæculares.			
Cestriæ. F. *Thomas Stadham generosus.* A.D. 1279. Fr. albi fratres.			
Cestriæ. F. *Ioannes Rex.* Fr. Minoritæ.			
Cestriæ. Fr. nigri fratres.			
Cestriæ. T.S. *Werburgæ.* F. *Hugo* primus è sanguine Normannico Comes Cestriæ. M. nigri monachi.	1073	17	07
Cestriæ T.S. MARIAE. F. *Domini Regis Progenitor.* M. nigri canonici.	0099	16	02
Cestriæ. T.S. *Ioannis Baptistæ.* F. *Domini Regis Progenitor.* C. Alij H.	0013	07	10
Cestriæ. T. S. MARIAE. V. moniales.			
Combermeræ. F. *Guilielmus de Malbedeng.* A.D. 1134. M. albi monachi.	0258	06	06
Maclesfeildæ F. *Thomæ Sauage* primus Episcopus *Londonensis*, & postea Archiepiscopus *Eboracensis.*			
Nortoni. T.S. MARIAE. F. *Guilielmus fitz-Nigell* Normannus. V.	0258	11	08
Stanlawæ. F. *Ioannes Lacy* Conestabilis *Cestriæ.* A.D. 1173. monachi.			
Valle-Regali. F. *Edwardus I.* Rex. M.	0540	06	02

CORNVBIÆ *Comitatus* vulgo CORNWALL.

	R.	A.	
	l.	s.	d.
S. Antonij M. nigri monachi Angelorum.			
Bodmini. T.S. *Petri.* F. Primum *Athelstanus Rex*, inde *Guilielmus Warwast Excestriæ* Episcopus, & confirmatum *à Ioanne Rege.* M. nigri Canonici, tum minoritæ,	0289	11	11
Bouariæ. *S. Petroci.* F. Rex *Athelstanus.* M. nigri Canonici.			
Crantockiæ. C.	0089	15	08
S Germani. M.	0243	08	00
Glassoneyæ. T.S. *Thomæ.* F. *Walterus Bronescome Oxfordiæ* Episcopus A.D. 1288. C.	0205	10	06
Helstoni. T.S. *Ioannis Baptistæ.* P.	0014	07	02
Launcestoni. T.S. *Stephani.* F. *Reginaldus* Comes *Cornwallie.* A.D. 1150. M. nigri Canonici Augustiniani.	0392	11	02
S. Mariæ de Val, M. nigri monachi Angelorum			
S. Michaelis de Monte. F. *Guilielmus* Comes *Cornwallie & Mortoniæ.* M. nigri monachi Angelorum,			
S. Michaelis de magno Monte. M. nigri monachi.			
Sulli insulæ. T. S. *Nicolai.* M. nigri monachi.			
Sancti Cyriaci. M. nigri monachi.			
Tolearni. T. S. *Andreæ.* M. nigri monachi Angelorum.			
Truryæ. F. nigri fratres.			
Tywardrethæ. T. S. *Andreæ.* P.	0151	16	01

DERBIÆ *Comitatus* vulgo DARBY-SHIRE.

	R.	A.	
	l.	s.	d.
Bello-Capite. T.S. *Thomæ.* F. *Robertus* filius *Ranulphi* Domini *de Alfreton* ibidem Canonicus. M.	0157	10	02
Bredsalli vel Brisolli silua F. *Antecessor Ioan. Diricke, alias Duthick Armigeri.* M.	0010	17	09
Brendæ in Peake. F. *Robertus Duin* Eques M.			
Chesterfeildiæ. T.S. *Crucis.* S. MARIAE. C.	0019	00	00
Dalæ. T.S. MARIAE. F. *Guilielmus fitz-Ralph* Antecessor *Gervasij Kinston.* M.	0144	12	00
Derbiæ. T. *Omnium Sanctorum.* Ecclesia Collegiata.	0038	14	00
Iuxta Derbiam. T.S. MARIAE *de Pratis.* M.	0018	06	02

Derbiæ. T.S. *Iacobi.* F. *Domini Regis Progenitor.* Cella. nigri canonici
Derbiæ T. B. MARIAE P. nigri monachi.
Derbiæ T.S. MARIAE. F. *Domini Regis Progenitor.* V.
Derbiæ F. *Comitissa Salopiæ.* H. duodecim pauperum octo virorum, quatuor feminarum.
Derelegiæ vel Darleighiæ T. B. MARIAE, M. nigri canonici. 0258 14 05
Faucrwellæ. T.S. MARIAE. V. nigræ moniales.
Grellyæ. T. S. *Georgij.* F. *Gulielmus de Lyons* dictus *Fitz-Nigell de Greſley.* 0039 13 08
Pollewerkæ. T.S. *Edithæ.* V. nigræ moniales.
Repingdoni aliàs Repdoni. T. S. MARIAE F. *Domini Regis Progenitor.* Alij. *Aimerus de Valentia,* & *Randulphus* Comes *Ceſtriæ.* M. nigri can. 0167 18 02
Yeuelayæ, vel Iuelayæ, & Barrowę. P. 0107 03 08
Ibidem. T. *Præceptoria.* 0093 03 04

DEVONIÆ *Comitatus* vulgo DEVON-SHIRE.

	R.	A	
	l.	ſ.	d.
Barnſtapliæ. T.S. *Mariæ Magd.* F. *Iohel* filius *Ailredi.* P. nigri monachi *Cluniacen.*	0129	15	03
Berdleſtoni. P. nigri canonici.			
Bucktaſteriæ. T. S. MARIAE. P. *Ciſtercienſes.*			
Bucklandiæ. T.S. MARIAE *S. Benedicti.* F. *Amicia* Comitiſſa *Deuoniæ, Iſabella de Fortibus,* & *Domina de Inſula* benefactrix. M. *Ciſtercienſes*	0241	16	09
Canonleighæ. T. B. MARIAE. M. moniales.	0202	15	03
Cliuiæ. T. S. *Mariæ Magdalenæ.* F. *Almarius* Comes *Cornubiæ.* M. nigri canonici.			
Cornworthię. V. moniales.	0063	03	10
Cowykę, T. S. *Andreæ.* F. *Thomas* Comes *Deuoniæ.*			
Creditoni. T. S. Crucis. C.	0144	14	05
Cuichæ. T.S. *Andreæ.* M. nigri monachi.			
Dunkiſwelliæ. M. *Ciſtercienſes.*	0298	11	10
Exoniæ T. S. *Petri.* Epiſcopatus. F. Rex *Athelſtanus.* Sæculares canonici.			
Exoniæ. T.S. *Iacobi.* M. nigri monachi.			
Exoniæ. T.S. *Nicolai.* P. nigri monachi Benedictini.	0154	12	00
Exoniæ. T. S. *Ioannis.* P. Minoritæ.	0102	12	09
Exonię S. *Nicolai.* H.	0147	21	00
Fordæ. T.S. MARIAE F. *Adelizæ* filia *Baldwini de Oke-hampton.* M. albi mona.	0381	10	06
Frethelſtokiæ. T. S. *Gregorij.* P.	0127	03	04
Hartlandiæ T.S. *Necani martyris.* F. *Githa* vxor *Goodwini. Richardus Pictauenſis* Archidiaconus, & *Gaufridus de Dinan* ſenior, & *Oliuerius* eius frater benefactores. M. nigri canonici.	0306	13	02
S. Michaelis de Monte. P. nigri monachi *Malmesburienſes.*			
Moleryæ T.S. *Gregorij.* M. nigri monachi.			
Newhami *alias* Newenhami. F. *Reginal. Mohun* comes de *Dunſter.* A.D. 1246. M.	0231	14	04
Otheriæ T.S. MARIAE. F. *Ioannes Grandiſon* Epiſcop. *Exonienſis,* tempore *Edwardi* III. Regis: C. nigri monachi.	0303	02	09
Piltoni. T.S MARIAE virginis. F. *Athelſtanus* Rex. P. nigri monachi Benedi.	0056	12	08
Plimouthæ. Fr. Minoritę.			
Plimptoni. T.S *Petri.* S. *Pauli.* F. *Baldwinus de Reduers* Comes *Deuoniæ* & *Dominus* de *Inſula,* tempore *Henrici* III. Regis. P. nigri can. Auguſtiniani.	0912	12	08
Polſlooæ. T.S. *Catharinæ.* V. nigrę moniales.	0170	02	03
Sion. M.			
Tauiſtockię. T. S. MARIAE. S. *Buriena.* F. *Ordolphus* filius *Ordgari,* Comes *Deuoniæ.* A.D. 961. M. nigri monachi Auguſtiniani.	0902	05	07
Torrę. T.S. *Saluatoris.* F. *Gulielmus de Briewer.* M. albi canonici Auguſtiniani.	0396	00	11
Totteneſię. T.S. MARIAE. *Alien.* F. *Rogerus Newman.* P. nigri monac. Bened.	0124	10	02
Twynhamii, vel Chriſti-eccleſia Twynhami. F. *Iſabella de Fortibus* aliquando Comitiſſa de *Albemarle* & *Deuonia,* & *Domina de Inſula,* quæ illud fundauit pro *Gulielmo de Fortibus* Comite *Albemarlæ,* & *Richardo de Riparijs* ſeu *Reduers* Comite *Deuoniæ,* A.D. 1161. Collocatur etiam in *Hamptonia.* M.			

DORSETTIÆ *Comitatus* vulgo DORSET-SHIRE.

	R.	A.	
	l.	s.	d.
Abbatis-buriæ. T. S. *Petri*. F. *Orking* Rex *Denmarkiæ*. M. nigri monachi.	0485	03	05
Bindoni. T. S. MARIAE, M. albi monachi *Cistercienses*.	0229	02	01
Bridporti *aliàs* Birtporti. P.	0006	00	00
Ibidem. T. S. *Ioan. Baptistæ*. H.	0008	06	01
Cameſtrumi. T. S. *Mariæ Magdalenæ*. V. albæ moniales.			
Cerneæ. T. S. *Petri. S. Adelwoldi*. F. *S. Auguſtinus* Apoſtolus Anglorum. Alij. *Agelwaldus* vir opulentus. Alii. *Almarus* Comes *Dorſettiæ* ſeu potius *Cornubiæ*. M. nigri monachi.	0623	13	02
Cranbornæ. F. *Ælwardus* vir nobilis, an. dom. 930.			
Dorſettiæ, F. *Maiores D. Ioannis Chedrok* Equitis. M. Minoritæ.			
S. Ioannis Baptiſtæ. H.	0051	10	04
Kalendarij. P.	0010	18	08
B. Mariæ Magdalenæ. P.	0021	11	03
S. Marci *aliàs* les Gaunts. H.	0112	09	09
Melcombæ. Fr. nigri fratres.			
Middletoni *alias* Miltoni. T. S. MARIAE. *S. Saluatoris*. F. *Athelſtanus* Rex M. nigri monachi.	0720	04	01
Shaftoni.	0329	01	03
Shafcesburiæ. T. S. *Edwardi martyris*. F. *Elfgiua* vxor *Edmundi* filii nepotis Regis *Æfredi*. V. nigræ moniales Benedictinæ.			
Shirburnæ. T. S. *Petri*. F. *Sunningenſem* cathedram huc tranſtulit *Hermannus* Epiſcopus regnante *Ethelredo*, quam poſtea *Sarisburiam* tranſtulit ſub *Guilielmo Conqueſtore*, *Shirburnam*que ſuis ſucceſſoribus in receſſum reſeruauit Eccleſia vero Epiſcopalis ſedes, à tranſlatione in monaſterium recidit. *Robertus Heuill* Epiſcopis *Sarisburienſis* præcipuus fundator. M. nigri monachi *Benedictini*.	0682	14	07
Tarenti. F. *Richardus Poer* Epiſcop. *Sarisburienſis*. Cella virginis votariæ.	0239	11	10
Warhami. T. S. *Petri. S. Adelwoldi*. nigri monachi.			
Warhami monaſterium. F. *Cuthburga Inæ Weſt-Saxonum* Regis ſoror, & vxor Regis *Northumbriæ*, A. D. 713. V. Moniales.			

DVNELMENSIS *Diœceſis* vulgo DVRHAM DIOCES.

	A.	R.	
	l.	s.	d.
Cheſtriæ ad viam publicam. (*vulgo vppon the ſtreete.*) F. *Antonius Bec* Epiſcopus & Patriarcha Ieroſolymitanus. Sunt hic Decanus & ſeptem præbendæ. C.			
Dunelmi. T. S. *Cuthberti*. F. Primus *Aldwinus* Epiſcop. *Guilielmus de Carelepho* Epiſcopus monachos hic denuo congregauit, & Eccleſiam nouam ædificare incœpit, quam *Radulphus* eius ſucceſſor perfecit, nouámque poſtea fabricam *Nicolaus Fernham* Epiſcopus, & *Thomas Melſcomb* Prior anno Chriſti 1242. adiecerunt. *Guilielmus Shirlaw* Epiſcopus elegans illud opus ſubſtruxit, quod *Galilæam* vocant. P. nigri monachi.	1615	14	10
Dunelmi in Oxonia. F. *Domini Regis Progenitor*. C.	0115	04	04
Egleſtoni. F. *Conanus* Comes *Britanniæ* & *Richmondiæ*, & mox *Radulphus de Molton*. M.			
Finchalæ. F. *R. Frater opulenti illius* Epiſcopi *Hugonis de Puteaco* vulgo *Pudſey* Cella.	0146	19	02
Gratesheadæ. T. S. *Edmundi*. H.	0109	00	04
Grethami. F. *Robertus* Epiſcop. *Dunelmenſis*. H.	0097	06	03
Hartlepoolæ. F. *Heiu* religioſa femina. M.			
Iarrowæ. F. *Ceolfridus* Abbas anno 16. *Ecfridi* Regis. *Anteceſſor* Epiſcop. *Dunelmenſis*. Cella.	0030	07	08
Kepreyæ. T. S. *Ægidij*. H.	0167	02	11

Lan-

	R.	A.	
	l.	s.	d.
Lanchesteriæ. F. *Antonius* Bec Episcopus *Dunelmensis*. C. Decanus & Præbendæ.	0053	15	10
Lethami. Cella.			
Munkesweremouthiæ. T. S. *Petri*. F. *Benedictus* Biscop. M.			
Ibidem. T. S. *Pauli*. F. *Benedictus* Biscop. M.			
Nessehami. F. *Domini Dakers Antecessor*. V. moniales.	0026	09	09
Sherbornæ. F. *Hugo Pudsey* Episcop. & Comes *Northumbriæ*, H.	0135	07	10
Stampfordiæ *vel* Sampfordiæ. Cella.	0126	05	10
Stanedropi. F. *Maiores D. Neuill*. C.	0036	17	00
Warmowthæ. Cella.	0026	00	00

EBORACVM vulgo YORKE-SHIRE.

	R.	A.	
	l.	s.	d.
Apultoni, *vel* Nunapletoni. F. *Maiores* Comites *Northumbriæ*. V. moniales.	0083	05	09
Ardenæ. F. *Domini Regis progenitor*. V moniales.	0013	07	04
Arthingtoni. F. *Maiores Henrici Arthington*. V. moniales.	0019	00	00
Bamburghi. F. *Henricus I*. Rex. Cella annexa *D. Oswaldi*.	0124	15	07
Bartoni *vel* Burtoni. T. S. MARIAE F. *Adam S Vaynson*, nigri monachi.			
S. Begæ *vulgo* S. Bees in Cumberlandia. F. D. *Regis Progenitor*. C. ella.	0149	19	06
Bellę-Laundæ, *vulgo* Bilaundę. T. S. MARIAE. F. *Acarius* primum, & *Robertus Mowbray*, & *Gunnora* mater eius fundarunt templum *Hodæ*, & postea transtulerunt *Bellam-Laundam* an. 1138. M. *Cistercienses*	0295	05	04
Beuerleyæ. *Præceptoria*. T. S. *Ioan. Ieros.*	0164	10	00
Beuerleyæ Ecclesia colleg. T. S. *Ioannis*. F. *Ioannes Eboracensis* Archiepis. & restaurator *Athelstanus* Rex A. 629. Primum monachi, Postea Canonici.	0109	08	08
Beuerleyæ. F. Primùm *Guilielmus Lyketon*, & *Henricus Wightbon*; & postea restaurauit *Ioannes Hothom* Eques A. 1287. Fr. Augustiniani.			
Beuerleyæ. F. *Ioannes de Higthmede*. F. Minoritæ.			
Boltoni in Crauen. T. S. *Iuonis* vulgo *S. Iues*. F. *D. Grey de Codnor*. F. Carmelitæ.	0102	09	03
Bowthomæ. F. *Athelstanus* Rex. H.	0009	06	08
Bridlingtoni. T. S. MARIAE. F. *Gualterus de Gaunt*, & *Iordanus Paganell.* circa regnum Conquestoris. M. Canonici Regulares.	0682	13	09
Dasedalæ. F. *Antecessor Radulphi Euers* militis. V. Moniales.	0021	19	04
Doncastriæ. F. *Ioannes* Dux *Lancastriæ* & *Ioan. Nighbroder*. A. 1350. Fr. Carmelitæ.			
Draxiæ. F. *Guilielmus Painel* Antecessor *Marmaduci* Constabilis P. Canonici.	0121	18	03
Eboraci Ecclesia cathedralis. T. S. *Petri*. F. *Vlphus Toraldi* filius. A *Constantio* Episcopali sede ornatum. *Domini Regis Progenitor*.			
Ibidem. T. S. *Trinitatis*. F. *Domus Canonicorum a Conquestore euersa*, sed à *Radulpho Painel* restaurata pro Monachis. M. nigri Monachi.	0196	17	02
Ibidem extra muros. T. S. MARIAE. F. *Guilielmus Rufus*, & postea *Alanus tertius* Comes minoris *Britanniæ* & *Richmundiæ*. M. nigri monachi.	2085	01	05
Iuxta Eboracum. T. S. *Andreæ* Apost. P.	0057	05	09
Eboraci. F. *Domini Vescy* & *Percy*. A. D. 1255. Fr. Carmelitæ.			
Ibidem. F. *Dominus Scroope*. Fr. Augustiniani.			
Ibidem. T. S. *Leonardi*. F. *Guilielmus II*. Rex. H. in quo præfectus. 13. fratres. 4. sæculares Sacerdotes. 8. sorores. 30. Choristæ. 2. Ludimagistri. 206. intercessores. 6. famuli.	0362	11	01
Elbertoni. T. S. MARIAE. F. *Guilielmus Fitz-Piers*, & *Maiores Guilielmi Aselby*, *Guilielmi Thurresby*, & *Radulphi Spenscer*. V. Moniales	0078	00	10
Esseloltu. F. *Maiores Christophori Ward*. V. moniales.	0019	00	00
Ferebię *vel* North-ferebiæ. F. *Maiores* Comitis *Cumberlandiæ*. P.	0095	11	07
Fossegacæ. H.	0006	13	04
Gromounti *vel* Grosmounti. F. *Petrus de Malo-lacu*. *Maiores Franciści Bigot*, & *Georgij Saluayne*. P.	0014	02	08
Gysbornæ. F. *Robertus de Brus*. A. D. 1116. M,	0712	06	06
Haltempriciæ. F. *Thomas Holandus* Comes *Cantiæ*. Alij. *Maiores* Ducis *Richmundiæ*. M.	0178	00	10

Hampalli

Hampalli.F. *Maiores Geruaſij Cliſton.*V.moniales.	0085	06	11
Handaliæ *vel* Grundaliæ.F. *Maiores* Comitis *Northumbriæ.*V.moniales.	0020	07	08
Hela-Parkæ.F *Maiores* Comitis *Northumbriæ.*P.	0086	05	09
Heninburgi. *Eccleſia Collegiata.*	0036	00	07
Hullæ.F. Primum *Edwardus I.*& poſtea *Robertus Oughtred* Eques, & *Richardus de la Poole.* An.13.*Edwardi I.* Fr. Carmelitæ.			
Hullæ.F.*Galfridus de Huthom.*A. D. 1330. Fr. Auguſtiniani.			
Iuxta Hullam.T.S.*Michaelis.* F.*Guilielmus de la Poole,*& *Catherina* eius vxor. A.D.1377. M. *Carthuſian.*	0031	17	03
Hullæ. T.S. *S. Trinitatis.*H.	0020	00	00
Hyrſti *in inſula Axholmæ.*F.*Mowbrayus* Comes *Nottingamiæ.*	0007	11	08
Keldoni.F.*Maiores* Comitis *Weſtmorlandiæ.*V.moniales.	0029	06	01
Kelingi *vel* Nunkelingi.F. *Regis Progenitores.*V. moniales.	0050	17	02
Kyrkehami.F. *Walterus Eſpec.* A.D. 1122. Auguſtiniani.	0300	15	06
Kyrkleyſiæ. V. moniales.	0020	07	08
Kirkſtalli. T. S. MARIAE. F. *Henricus Lacy* primus. A.D. 1147. M. albi mona.	0512	13	04
*Iuxta Lincolniam.*Cella.T.S.*Mariæ Magdalenæ.*	0026	01	03
Meliæ *vel* Meauxiæ.T.S MARIAE.F.*Guilielmus le Groſſe* Comes Albemarlæ. *Aly. Henricus I.*Rex A.D.1150.M. Ciſtercienſes.	0445	10	05
Mertoni *vel* Martoni. F.*Catherina de Browmere.* P.	0183	02	04
Mollesbyæ *vel* Mowesbyæ.F.*Regis Progenitores.*A lij.Comes *Sarisb.*V.moni.	0032	06	02
Montegratiæ.F.*Thomas Holand* Dux *Surreiæ,*Comes *Cantiæ,*& *Dominus de Wake,* & *Ioannes Yngleby* Armiger.A.D.1401.M.	0382	05	11
Munkbrettoni *alias* Burtoni. T. S. *Mariæ Magd.* F. *Adam Fitz-Owen.* M. monachi.	0323	08	02
Neder-Acaſteriæ,*vel* Aulcaſteriæ.T.S.MARIAE.& S.*Ioannis Baptiſtæ.*F. *Robertus* Comes *Leiceſtriæ.*C.	0027	13	07
Newburgi. F.*Robertus Mowbray.*A.D.1127.P.Canonici Auguſtiniani.	0457	13	05
Newlandiæ. *Præceptoria.*	0129	14	11
Newtoni. H.	0021	00	02
Northallertoni. F.Rex *Edowardus III.* & *Thomas Hatfield* Epiſcop. *Dunelmenſis.*An.1354.Fr. Carmelitę.			
Northaluertoni. T. S. *Iacobi.* H.	0056	02	02
Noſtelli. T.S. *Oſwaldi.*F. Primùm *Robertus Lacy* Comes *Lincolniæ* poſtea reædificauit. *A.Henrico I.* Regi à ſacra confeſſione. M.Canonici.	0606	09	03
Nunuerholmę. F. *Maiores Domini Dunres.* V. moniales.	0010	03	03
Old-Maltoni.F.*Euſtacius Fitz-Ioannis Monoculi,* regnante Rege *Stephano.*M.	0257	07	00
Pontefracti. T. S.Ioan.*Euang* F.*Robertus Lacy* Comes *Lincolniæ.*M.nigri monachi Cluniacenſes.	0472	16	10
Pontefracti.T. S. *Trinitatis.*F.*Robertus Knolles* Eques,& vxor eius *Conſtantia,* C. Egeni.	0182	13	07
Iuxta Richmondiam Cella. T.S. *Martini.*F.*Regis Progenitores.*	0047	16	00
Ripponi F.*Wilfridus* Epiſcopus *Eboracenſis.*M.			
Riuanſiæ. T.S.MARIAE. F.*Guilielmus Eſpec.* Albi monachi.			
Roſedalæ. F. *Regis Progenitores.* P.	0041	13	08
Rotherhami.F.*Thomas Rotheram* Archiepiſcopus *Eboracenſis.* C. Scholæ Scriptionis,Grammaticæ, Muſicæ.	0058	05	09
Rupe *alias* Rochæ.T.S.MARIAE.F. *Maiores Cliffordorum* Comitũ *Cumberl.M.*	0271	19	04
Rythalliæ. *aut* Ridalliæ. *M.*	0351	14	05
Salleyæ. T. S. MARIAE.F. *Guilielmus* filius *Henrici de Percy.* Albi monachi.	0221	15	08
Scarbroughę.F. Rex *Edwardus II.* A. D. 1319, Fr. albi fratres.			
Ibidem. F. *Adam Sage* Eques.Fr.Dominicani.			
Ibidem.F.*Henricus Percy* Comes *Northumbriæ.* Fr.nigri fratres.			
Selbyæ.T.S.*Germanni.*F.*Guilielmus I.* Rex A.D.1078.M.nigri monac.Bened.	0819	02	06
Sempringhamię.T.S.*Gilberti* & S.*Mariæ* Wotton.F.S.*Gilbertus* auctor Ordinis, & *Agnes de Cheſter.* M. Gilbertini.	0066	13	04
Smithwaitæ *vel* Senningthwaitæ.F.*Maiores* Comitis *Northumbriæ.*V.monia.	0062	06	00

	R.	A.	
Stokekyrkę. Cella.	0008	00	00
Suttoni. *Eccleſia Collegiata.*	0013	18	08
Swinheyæ. F. Maiores *Ioannis Melton* Equitis. V. moniales.	0134	06	09
Thyrkeheadæ *vel* Thikenheadæ. F. Maiores *Ioannis Aske.* V. moniales.	0023	12	02
Tickhillæ. F. *Ioannes Clarrell* Decanus S. *Pauli.* Fr. Auguſtiniani.			
Warteri. T. S. *Iacobi.* F. *Galfridus Trusbut* Eques, & *Guilielmus Roſſe de Hamela,* circa tempora *Henrici I.* Regis. P. Nigri Canonici Auguſtiniani.	0221	03	10
Wattoni. F. *Euſtacius Fitz-Ioannis monoculi,* regnante *Stephano.* M. Albi Canonici & moniales.	0453	07	08
Whytbyæ. T. S. *Petri & S. Hildæ.* F. *S. Hilda,* ditatum ab *Edelfleda* filia Regis *Oſwini,* atque ab ipſomet. Deſtructum à *Danis,* reędificauit *Guilielmus Percy* ſub aduentum *Normannorum.* M. nigri monachi.	0505	09	01
Woderhallæ. Cella *S. Trinitatis.*	0128	05	03
Woodkirkæ. Cella *S. Oſwaldi.* F. *Comes Warrem.*	0047	00	04
Wychamæ. F. *Regis Maiores.* M. Albi Canonici & Moniales.	0025	17	06
Wylberfoſſæ. F. *Anteceſſores* Archiepiſcopi *Eboracenſis.* M. moniales.	0028	08	08
Yedinghamæ. F. Maiores *D. Latimeri.* V. Moniales.	0026	06	08
—— T. S. *Clementis.* V. moniales.	0055	11	11
—— T. S. *Nicolai.* H.	0029	01	04
—— T. S. *Sepulchri.* M.	0011	18	04
Montis S. Ioannis. Commenda.	0102	13	10
Sacellum ſepulchri.	0138	19	02

ESSEXIA vulgo ESSEX.

	R.	A.	
	l.	ſ.	d.
Barkingæ. T. S. MARIAE. *S. Eadburgæ.* M. Nigræ moniales.	1084	06	02
Ibidem. F. Maiores *Sibyllæ de Felton* Abbatiſſæ *Barkingenſis.* H.			
Bierdoni. P.	0031	05	01
Bileighæ. F, Primus *Robertus Moruile,* poſtea *Heruæus de Monte-Merenciano.* M.	0196	06	05
Blakamoræ. T S. *Laurentij.* F. Iordanus *de Samford.* M.	0085	04	07
Brendwoodę. T. S. *Thomæ Martyris.* Sacellum. F. *Iſabella Comitiſſa Bedfordiæ.*			
Chelmsfordi. *Domus.* Fr. Dominicani.	0009	06	05
Chichæ. T. S. *Petri.* S. *Oſithæ.* F. *Richardus* Epiſ. *Londi.* A. D 1120. M. nigri can.	0758	05	08
Coggeshalli, T. S. MARIAE. F. *Stephanus* Rex nepos *Conqueſtoris.* M. albi mona.	0298	08	00
Colceſtriæ. T. S. *Ioan. Baptiſtæ.* F. *Eudo Dapifer Henrici I.* M. nigri monachi.	0008	01	08
Ibidem. T. S. *Botulphi,* P.	0113	12	08
Ibidem. T. S. *Crucis.* F. Fratres S. Crucis.	0007	07	08
Ibidem. T. S. *Mariæ Magdalenæ.* F. *Eudo Dapifer.* H. Leproſi.			
Dunmowæ. T. S. MARIAE. F. *Iuga* nobilis Domina. A. D. IIII. P. nigri Canoni.	0173	02	04
Earles-Colni. T. S. MARIAE. F. *Albericus de Vere.* P. nigri Monachi *Abingdon.*	0175	14	08
Gingæ-atteſtonę. P. nigri Canonici.			
Halſtidæ *ſiue* Haſtedæ. F. *Robertus Bouchier.* C.	0023	16	05
Hatfeildæ Regis. F. *Robertus de Vere* Comes *Oxonienſis* tempore *Henrici III.* P. nigri monachi.	0157	03	02
Heueninghami caſtellum. F. *Ioannes Haukewood* Eques, *Ioan. Oliuer* Armiger & *Thomas Neuenton* Armiger. P.	0029	12	10
Horkiſleghæ. F. Maiores *Rogeri Wentworth* Equitis, iure vxoris ſuæ M.	0027	07	11
Ilfordæ. H.	0016	13	04
Lygheſiæ. P.	0141	14	08
Maldoni. F. *Richardus Graueſend* Epiſcopus *Londinenſis,* & *Richardus Iſelham* ſacerdos. A. D. 1292. Fr. Carmelitæ.	0026	00	08
Mercyæ, collocatur etiam in Comitatu *Hertfordienſi* quod ambiguum ſit ad quem ex his duobus pertineat. T. S. *Helenæ.* F. *Rogerus Fitz-Ranulp.* P. *Alien.*			
Newporti. H.	0023	10	08
S. Oſithæ. F. *Richardus* Epiſcopus *Londinenſis,* A. D. 1520. M. Canonici Regul.	0758	05	08
Pipewellæ *vel* Pritwellæ T. S. MARIAE. P. nigri monachi.	0194	14	03
Plecię. C.	0139	03	10

Staneſgatæ

Stanesgatæ. F. Maiores *Prioris Lewensis*. P. nigri monachi.	0043	08	06
Stratford Langthornæ. T. S. MARIAE. F. *Guilielmus Mountfitchet* primum, deinde *Richardus II.* Rex anno regni 20. M.	0573	15	06
Thobyæ. F. *Michael de Capra* Eques: Maiores *Ioannis Mounteny, Fitzherbert, & Iermini*.	0075	06	10
Tiptreæ. F. Maiores *Antonij Darcy*. M.	0022	16	04
Tiltiæ. T. S. MARIAE. F. *Mauritius* filius *Gilberti*. M. albi monachi *Cistercienses*.	0177	09	04
Tremhalæ, *alias* Trenchalæ. P.	0070	19	03
Waldenę paruę. T. S. *Iacobi*. F. *Galfridus de Magna-villa*. M. nigri monachi.	0406	15	11
Walthamæ. T. S. *Crucis*. F. Rex *Haroldus* postremus, deinde *Henricus II.* Rex M. nigri Canonici.	1079	12	01

GLOCESTRIÆ *Comitatus* vulgo GLOCESTER-SHIRE.

	R.	A.	
	l.	s.	d.
Barkleyæ. V. moniales.			
Brumfeildiæ. P. Canonici.	0078	19	04
Cirencestriæ. T. S. *Ioannis & S. Laurentij*. F. Abbas *Cirencestriæ*. H.			
Ibidem T. S. MARIAE. F. Primum *Saxones*, inde *Henricus I.* Rex. M. nigri can.	1051	07	01
Dierherstæ *siue* Derherstæ. F. Primum Rex *Etheldredus*, postea ab *Edwardo Confessore* facta Cella, quæ *D. Dionysio* prope Lutetiam assignata. Nigri monachi.			
Flaxeleyæ in sylua Deanensi. F. *Rogerus* Comes *Herefordiæ* ad tempora *Henrici II.* Regis. M. *Cistercienses*.	0112	03	01
Glocestrię. T. S. *Petri*. F. *Osricus* Rex *Northumbriæ* primùm virginibus posuit, postea *Aldredus* Archiepiscopus *Eboracensis*, & *Wigornensis* Episcop. Monachis construxit. A. D. 682. M nigri monachi Benedictini.	1550	04	05
Ibidem. T. S. *Bartholomæi*. H.	0044	07	02
Ibidem. T. S. *Bartholomæi*. H.	0025	11	02
Ibidem. F. *Æleonora* Regina vxor *Edwardi I. Ioannes Giffardus*, & *Thomas Barkley*. Equites. F. Carmelitę.			
Ibidem. F. *Athelstanus* Rex. Canonici Augustiniani.			
Iuxta Glocestriam. T. S. *Oswaldi*. F. *Egelfleda* filia *Elfredi* Regis prima fundatrix, A. D. 910. P. nigri Canonici. *Alij* fratres Prędicatores.	0090	10	02
Hayleiæ. F. *Richardus* Comes *Cornubiæ* & Rex Romanorum. A. 1246. M.	0357	07	07
Kingeswodę T. S. MARIAE. F. *Barklei* de *Duresley*. M. albi monachi.	0254	05	10
Lanthoniæ *prope Glocestriam*. T. S. MARIAE. F. *Milo* Comes *Herefordiæ*. P. nigri canonici Augustiniani.	0748	19	11
Lanthonię *paruæ* in limitibus *Walliæ*. P.	0112	00	05
Minching-hamptoniæ. V.			
Niwettoni. Nigri monachi.			
Quiningtoni. H.	0137	07	01
Stanleyę. T. S. *Leonardi*. F. *Mandeuill* Comes *Essexiæ*, *Henricus* II. Rex. M.	0126	00	08
Stowę. F. *Almarus* Comes *Cornubiæ*. H.	0025	14	08
Teuxburię. T. S. MARIAE. F. *Odo & Dodo* fratres & magnę potentię in *Mercia* fundarunt *Cranburni*, sed postea *Teuxburiã* transtulit *Robertus fitz-Hamon*. A. D. 717. Principio erat Prioratus, postea Abbatia. A. D. 1102. M. nigri monachi Benedictini.	1598	01	03
Westburię. F. Pro *Richardo* Duce *Eboracensi*, & *Edmundo* Comite *Rutlandiæ*, *Edwardus* Rex dedit Hospitalem domum S. *Laurentij* prope *Bristow*. C. Decanus & Canonici.	0232	14	00
Winchelcombę. T. S. MARIAE. F. *Kenulphus* Rex *Mercius*. M. nigri monac.	0756	11	09

HAMPTONIÆ *Comitatus* vulgo HAMP-SHIRE.

	R.	A.	
	l.	s.	d.
Apple-durvellę in *Vectæ insula*. F. *Nicolaus Spenser* & vxor eius *Margareta*. P.			

Baddesleyæ. *Præceptoria.*	0118	16	07
Bello-loco. F. *Ioannis* Rex. M.	0428	06	08
Bromeræ. T. S. Trinitatis. S. MARIAE. S. *Michaelis.* F. *Balduinus* Comes de *Reduerijs*, & *Deuoniæ.* P. nigri Canonici.	0200	05	01
Christwinhamiæ siue Christi-ecclesia Twinhamiæ. F. *Isabella de Fortibus* olim Comitissa de *Albemarla* & *Deuonia*, & *Domina de insula* fundauit pro *Guilielmo de fortibus* Comite *Albemarlæ*, & *Richardo de Reduers* Comite *Deuoniæ* A.D.1161. Collocatur etiam in *Deuonia.* P.	0544	06	00
Caresbroci in insula Vectæ. T.S. *Mariæ Magdalenæ.* P. nigri monachi.			
Deretfordiæ in insula Vectæ. T.S. *Elisabethæ.* F. *Edwardus III.* Rex.			
Hameliæ. T. S. *Andreæ.* P. Grisei monachi.			
Hidæ. T.S. *Petri S. Pauli. S. Grimbaldi.* F. Primum *Alfridus* Rex, postea *Edwardus Senior* Rex, ac demum ipsi monachi tempore *Henrici primi* M. nigri monachi.	0865	01	06
Mottistonte, T.S. *Trinitatis.* F. *Ranulphus Flammardus* Episcop. *Dunelmensis*, *Richardus de Riparijs* Comes *Deuoniæ*, & *Guilielmus de Bruere* tempore *Guilielmi Rufi.* P. nigri Canonici vel Augustiniani de Berton.	0167	15	08
Portsmouthæ. *Ecclesia & Hospitale* F. *Petrus de Rupibus* Episcop. *Wintonienſis.*	0033	19	05
Quartæ in insula Vectæ. T.S. *Mariæ Magdalenæ.* F. Comes *Deuoniæ Balduinus* & filius eius *Richardus*, sub tempora *Stephani* Regis. M. albi monachi.	0184	01	10
Redfordiæ *vel* Redbrigiæ. M.			
Romseiæ. F. *Edgarus* Rex, & *Alwinus* Comes. V. moniales.	0528	08	10
Southamptoniæ. T.S. *Mariæ Magdalenæ*, confirmatum ab *Alexandro* Papa, A. 1179. H.	0016	16	02
Iuxta Southamptoniam, Litteleij *alias* læto loco. T. S. *Edowardi* & S. MARIAE. F. *Henricus III.* Rex, & *Petrus de Rupibus* M. Augustiniani fratres.	0160	02	09
Iuxta Southamptoniam. T.S. *Dionysij. F. Richardus* I. Rex dictus *Cor-Leonis* A. D. 1179. P. nigri Canonici.	0091	09	00
Southwikæ. T.S. MARIAE. F. *Guiliel. Pontlarge*, siue *Pont-le-arch.* & *Guiliel. Danys Normanni.* Item *Guiliel. de Ponteys* benefactor. P. Canonici Regulares.	0314	17	10
Tichefeildiæ. T. S. MARIAE. F. *Petrus de Rupibus* Episcop. *Wintonienſis.* M.	0280	19	10
Whorwellæ. T.S. *Crucis. S. Petri.* F. Regina *Ælfritha.* V. nigræ moniales.	0403	12	10
Wintoniæ. T.S. *Swithini. S. Petri.* F. *Lucius* primus Christianus Rex, postea *Kenewaldus Visi-saxonum* Rex *Ælfredus* & *Edgarus* circa annum 670. M. nigri monachi.	1507	17	02
Ibidem. T.S. MARIAE. *S. Edburgæ.* F. *Ælfwida*, *Ælfredi* Regis vxor, & postea *Edwardus I.* Rex V. nigræ moniales.	0179	07	02
Ibidem. F. *Petrus Wintonienſis* Pastor S. *Helleiæ Wintoniæ.* A.D. 1278. Fr. Carmelitæ.			
Ibidem. Fr. Augustiniani.			
Ibidem. *F. Rex Henricus III. F.* Grisei fratres.			
Ibidem. *F. Petrus de Rochis. Fr.* nigri fratres.			
Iuxta Wintoniam. T.B.M ARIAE. F. *Guilielmus Wickham* Episc. *Wintonienſ.* C.	0639	08	07
Iuxta Wintoniam, *F. Henricus Beauford* Cardinalis *Wintonienſis* fundauit, & dedit possessiones ad valorem 158. l. 13. s. 4. d. Et annexum illi fuit Hospitale. *S. Ioannis de Foderingbridge.* H.			
Wintneij. P.	0059	01	00
T. S. *Elizabethæ.* C.	0112	17	04
T. S. *Crucis. F. Henricus de Blois Stephani* Regis frater.	0084	04	02

HEREFORDIÆ *Comitatus* vulgo HEREFORD-SHIRE.

	A.	R.	
	l.	s.	d.
Acorneburiæ, T. S. *Catharinæ.* V. albæ moniales.	0075	07	05
S. Albani. T. S. *Albani martyris. F. Offa* Rex Merciorum. A.D. 795. M. nigri monachi.	2510	06	01
Barronæ. Nigri Monachi.			
Clyffordiæ. T. S. MARIAE. P. nigri monachi.	0065	11	11

Doriæ

Doriæ. T.S. MARIAE. F. *Robertus Dominus de Ewias*. M. albi monachi.	0118	00	02
Flanesfordiæ. F. *Richardus Talbot*. M. Canonici Regulares.	0015	08	09
Herefordiæ. T.S. MARIAE. *S. Ethelberti*. Episcopatus. F. *Milfridus* Regulus eius regionis. *Reinelmus* Episcopus tempore *Henrici I.* Canonici seculares.			
Ibidem. T.S. *Guthlaci*. F. *Henricus Penbrigge*. Fr. Grisei fratres.	0121	03	03
Ibidem T.S. *Petri. S. Pauli*. F. *Ioannes Penbrigge*. P. nigri monachi.			
Ibidem Cella annexa. *S. Albani*. P. nigri monachi.	0086	14	08

HERTFORDIÆ *Comitatus* vulgo HERTFORD-SHIRE.

	R. l.	A. s.	d.
Beluerij Cella annexa D. Albani. T.S. MARIAE. *S. Ioan. Baptistæ*. P. nigri monachi.	0135	05	10
Boscii *iuxta Flamsteed*. T.S. *Ægidij*. V. moniales.	0046	16	01
Burtoni. T.S. MARIAE. P. monachi.			
Binhami in Comitatu *Norfolciæ*, Cella annexa. *S. Albani*. P.	0160	01	00
Chesthuntæ. F. *Henricus* Rex *Angliæ*, Dominus *Hiberniæ*, Dux *Norman. Aquitan.* & Comes *Andeg.* An. regni 24. V. moniales.	0027	06	08
Chillæ. V. nigræ moniales.			
Chiltriæ. V. nigræ moniales			
Hatfeildæ Peuerell in Comitatu *Essexiæ*. Cella ad. *S. Albani*. T.S. MARIAE. F. *Ingelrici* filia & vxor *Peuerelli*, tempore *Guilielmi Conquestoris*. P. nigri monachi S. *Albani*.	0083	19	04
Hyclini. F. Rex *Edwardus I I. Ioan. Blomuill, Adam Rouse*, & *Ioan. Cobham*. Fr. Carmelitæ.	0004	09	04
Langleij Regis. F. *Robertus* filius *Rogeri Nelli* Baronis. Fr. Prædicatores frat.	0150	14	08
Langleij. vide Leicestershire. F. *Antecessor* vxoris *Francisci Bigot* Militis, *& eiusdem vxoris sororum* V. moniales.			
Mersleyæ. T.S. *Helenæ* F. *Rogerus fitz-Ranulph*. P. Alien.			
Mirdiallæ. T.S. MARIAE. P. nigri Canonici.			
Monketoni in diœcesi S. Dauidis. Cella ad *S. Albani*. P.	0113	02	06
Newbiggingi infra villam de Huchyn. P.	0015	01	11
Roystoni *alias* Cruce Rolaysiæ. T.S. *Ioan. Baptistæ, S. Thomæ martyris*. F. *Eustachius de Marc* Eques, Dominus de *Nucels*, & *Radulphus de Raucester*, & alij renouarunt. P.	0106	03	01
Ibidem T.SS. *Ioannis & Iacobi* Apostolorum. H.	0005	06	10
Roweneyæ. Liberum sacellum vel Hospitale.	0013	10	09
Sopewellæ. T.S. MARIAE. F. Abbates *S. Albani*. V. moniales.	0068	08	00
Tholæ. F. *Guilielmus* Episcopus *Londinensis*. C. Magister. Sacellani 4.			
Tynmouthæ in Comitatu *Northumbriæ*. Cella ad *S. Albani*. F. *Antecessor Ducis Norfolciæ*.	0511	04	01
Waræ. F. *Progenitores matris Regis Richardi*. P.			
Wymondleyæ. F. *Richardus Argenten*. P. canonici.	0037	10	06

HVNTINGDONIÆ *Comitatus* vulgo HVNTINGDON-SHIRE.

	R. l.	A. s.	d.
Huntingdoniæ. T.S. MARIAE. F. *Eustachius Louetot* P. nigri Canonici Augustiniani.	0232	00	00
Ibidem. T.S. *Ioannis Baptistæ*. F. *Dauidis* Comes *Huntingdoniæ* Dominus de *Connington*. tempore *Henrici* II. Regis. H.	0006	07	08
Hinchingbrokię. F. *Guilielmus Conquestor* loco *Elresiæ* ab eo suppressæ. V. moniales.	0019	09	02
S. Neoti. Cella annexa *Beccæ in Normannia*. F. *Ælfricus* Comes primùm, *Roisia* de *Claraster*. A.D. 1113. P. nigri monachi.	0256	01	03
Ramseyæ. T.S. MARIAE. *S. Benedicti*. F. *Alwinus* Comes. A.D. 969. M. nigri Monachi Benedictini.	1983	15	03

	R.	A.	
Saltryæ, T.S. MARIAE. F. *Simon II.* Comes *Huntingdoniæ*. Reges *Scotiæ* & *Domini de Connington*, regnante *Stephano* Rege. M. *Cistercienses.*	0199	11	08
Stoneleyæ. F. *Mandewill* Comes *Essexiæ*. P. nigri Canonici Augustiniani.	0046	00	05
S. Yuonis. Cella ad *Ramseyæ*. F. *Adelmus* Comes regnante *Edmundo* ferreo latere. P. nigri monachi Benedictini.			

LANCASTRIÆ *Comitatus* vulgo LANCA-SHIRE.

	R.	A.	
	l.	s.	d.
Burstorghæ. P. Canonici.	0129	01	00
Calderæ. F. Antecessor *Domini de Copeland.*			
Cartmeleæ. F. *Guilielmus Marshall* senior Comes *Pembrochiæ* pro *Henrico II.* Rege. A. D. 1188. P.	0113	19	07
Cokerlandæ. F. *Ranulphus de Meschines.* M monachi *Cluniacenses.*	0228	05	04
Conyshedæ. F. Antecessor *Guilielmi Pennington.* P.	0124	02	01
Furnesiæ. F. *Stephanus* Comes *Bononiensis*, inde Rex *Angliæ*, M. *Cistercienses.*			
Hollandiæ. F. *Robertus Holland* & *Mathildis* eius vxor. Alij. *Antecessores* Comitis *Derbiæ*. P.	0061	03	04
Hornebyæ. T. Cella. F. Antecessor *Domini Mounteagle.*			
Ieruauxiæ. M.			
Lancastriæ. T. S. MARIAE. F. *Ioannes* Comes *Moritonij*, qui postea Rex *Angliæ*. P. Monac.			
Ibidem. T. Cella. F. *Rogerus de Poictiers*. P. *Alien.* monachi.			
Manchestriæ. F. *Grellæi* Antecessores *Thomæ West* Domini *la Ware* regnante *Henrico V.* C.			
Penworthami. M.	0114	16	09
Whalleyæ. F. Maiores *Laciorum* Comitum *Lincolniæ*. A. D. 1296. M. albi monac.	0551	04	06

LECESTRIÆ *Comitatus*, vulgo LEICESTER-SHIRE.

	R.	A.	
	l.	s.	d.
Bradleyæ. P.	0020	15	07
Bredoni. Cella annexa *D. Oswaldi*. F. *Domini Regis* Progenitor. Alij. *Almarus* Comes *Cornubiæ*. M. nigri Canonici.	0025	08	01
Burtoni. F. *Mowbraij* per communem contributionem totius *Angliæ*. H. leprosi.	0265	10	02
Calæ. P. nigri Canonici.			
Canwellæ. F. Maiores Domini *Lizle*. M.	0025	10	03
Castledoningtoni. T. S. *Ioannis Baptistæ*. H.	0003	13	04
Croxtoni. F. Antecessores Domini *Barklai*. M. Præmonstratensis.	0458	19	11
Cumbæ. T. S. MARIAE. M. Albi monachi.			
Dalby-Bothley Hethere. T. *Præceptoria*	0231	07	10
Gartadoni. F. Antecessor nunc *Comitissa Oxford.*	0186	15	02
Gerewerdoni. T. S. MARIAE. M. albi monachi.			
Gracedevæ iuxta Doningtonum. F. *Roisia* vxor *Bertrami de Verdon*. V. monial.	0101	08	02
Hinckleyæ. P. *Alien* Albi monachi.			
Kyrkby-Bellersiæ. F. *Rogerus Belers* & *Anisa* eius vxor.	0178	07	10
Langleyæ. F. Antecessor vxoris *Francisci Bigot* militis, & eiusdem vxoris sororum. V. moniales.	0034	06	02
Laundæ. F. *Richardus Bassec* Diœcesis. *Lincolnienſ.* M. nigri canonici.	0510	16	05
Lecestriæ. T. S. MARIAE. F. *Robertus de Bossu* Comes *Lecestriæ*. M. nigri Canonici. *vel* Fr. Predicatores.	1062	00	04
Iuxta Lecestriam castrum. F. *Henricus* Dux *Lancastriæ*. C.	0023	12	11
Litterworthię. T. S. *Ioannis*. H.	0026	09	05
Noui Operis. C.	0595	07	04
Olnestoni, *vel* Oselnestoni. F. *Robertus Grimbald*. M.	0173	18	09
Stanæ. V. nigræ moniales.			
Vinescrosti. F. *Rogerus Quincy* Comes *Wintoniensis.*	0101	03	10
Wereverdoni. M. nigri Canonici.			
T. S. *Vrsulæ*. H.	0008	00	00

LINCOLNIÆ *Comitatus* vulgo LINCOLNE-SHIRE.	R.	A.	
	l.	ſ.	d.
Aluinghami. T. S. MARIAE, F. *Antonius de Bec* Epiſcopus *Dunelmenſis*, & Patriarcha *Hieroſolymitanus* P. Albi Canonici & Moniales Gilbertinæ.	0141	15	00
Balwati Aquilæ.	0124	02	00
Bello vero *ſive* Beauuoir T. S. MARIAE. F. *Radulphus de Todeney*. Nigri monachi S. Albani.	0129	17	06
Berlingeſiæ. Fundator *Radulphus de Haya* M.	0307	16	06
Bolingtoni. T. S. MARIAE. M. Albi Canonici & Moniales Gilbertinæ.	0187	07	09
Boſtoni. F. S *Botulphus* temporibus Saxonum. M,			
Boſtoni F. Miles-*Orby* A. D. 1300. Fr. Carmelitæ ſeu albi fratres.			
Boſtoni *Iuxta mare*. T. S. MARIAE. F. T. *Morley* Eques, *Ioannes Bacon* Armiger. *Ioannes Hagon*, *Thomas Hoke de Shindam*, & *Ioan. Hird. Boſtonienſis*. P.			
Boſtoni T. B. MARIAE. C.	0024	00	00
Boſtoni T. *Corporis Chriſti*. C.	0032	00	00
Boſtoni T. *S. Petri*. C.	0010	13	04
Bradneyæ. *T. S. Oswaldi*, F. Conformauit *Guilielmus de Gaunt*, filius & heres *Gilberti de Gaunt* A. D. 1115. M.	0429	07	00
Brunnæ. Nigri Canonici			
Bryggerdæ. P.	0101	11	00
Cateleyæ *vel* Catlini. T. S. MARIAE. F. *Ioannes Spaule* Armiger M. Albi Canonici & Moniales Gilbertinæ.	0038	13	08
Croylandiæ *vel* Crowlandiæ. F. *Aethelbaldus* Rex Mercius A. D. 716. Poſtea fuit reædificatum liberalitate totius regni populi & Procerum, quibus in hunc finem conceſſa indulgentia tertiæ partis pœnitentiæ, pro commiſſis iniunctæ. M. nigri monachi.	1217	05	11
Elſhamæ. F. *Gulielmus Dyue*. P. Nigri Canonici.	0083	17	10
Epworthæ *In inſula Axholmæ*. F. *Thomas Mowbray* Comes *Nottinghamiæ* & Mareſcallus Angliæ. Domus Conuentualis Carthuſianorum.	0290	14	07
Foſſæ. V. Moniales.	0008	05	04
Friſetuni. F. *Mauritius de Creon*. Baro. Nigri monachi.			
Glamforbridgiæ *in parochia de Wrawby* F. *Guilielmus Tirwhit*. H.			
Goykewelliæ. V. Moniales.	0019	18	06
Greenfeildæ. T. S. MARIAE F. *Dudo de Grovesby*. V. nigræ moniales.	0079	15	01
Grimmyſbiæ. T. S. *Leonardi*. F. *Robertus Groſhed* Epiſcop. *Lincolnienſis*, & *Thomas Heſterton* Miles. V. nigræ moniales.	0012	03	07
Grimmesbiæ. T. *S. Auguſtini* & S. *Toloſſ*. F. *Domini Regis Progenitor*. Nigri Canonici.			
Hagnebyæ. F. *Herbertus de Orbea*. vel *Orreby*. M.	0098	08	04
Hauerholmæ. T. S. MARIAE. F. *Alexander* Epiſcopus *Lincolnienſis*. M. Albi Canonici & moniales Gilbertinę.	0088	05	05
Heuingſię. V.	0058	13	04
Hunſtoni *vel* Humberſtoni. T. S. MARIAE & *S. Petri* F. *Domini Regis progenitæ*. M.	0042	11	03
Irfordę. M.	0014	13	04
Kirckſtedę T. S. MARIAE F. *Hugo Britay*. M. Albi monachi.	0338	13	11
Kymę F. *Philippus de Valisbi*. M.	0138	04	09
Letherſtokię. F. *Ioannes Gifford* Clericus.			
Leybornię. T. DOMINAE NOSTRAE F. *Robertus Fits-Gilbert*	0057	13	05
Lincolnię Epiſcopatus. T. S. MARIAE. M. Canonici ſæculares,			
Ibidem. F. *M. Odo de Kilkenny* Scotus A. D. 1269. Fr. Carmelitæ ſeu albi fratres			
Ibidem T. *S. Auguſtini*. Fr. Eremitæ fratres.			
Ibidem. F. *Ioannes Pickering de Stampwike*. Fr. fratres minoritæ,			
Iuxta Lincol. T. S. *Catharinæ* F. *Robertus de Caneto* Epiſ. *Lincol*. P. Gilbertini.	0270	01	03
Louthparckiæ. T. S. MARIAE. M. Albi monachi.	0169	05	06
Markebyæ. P.	0163	17	06

Newebo̧

Neweboæ. M.	0113	11	08
Neuwhousiæ T.S. *Martialis.* F. *Petrus de Gaulia* Albi Canonici. & prima domus *Ordinis Præmonstratensium* in Anglia.			
Newnersbiæ *vel* Nun-ormesbiæ. P. Albi Canonici & Virgines Gilbertinæ.	0098	00	00
Newsomi M	0114	01	04
Newstediæ *Iuxta Stanfordiam.* M. Gilbertini.	0042	01	03
Newstediæ iuxta *Axholmiam.* P.	0055	11	08
Notani *vel* Noctoni Parke. T.S. *Mariæ Magdalenæ.* F. *Robertus Darcie.* M. nigri Canonici.	0052	19	02
Nun-Cottoni. T.S. MARIAE P. Albi Canonici & moniales.	0046	17	07
Oxeneyesiæ. Nigri Canonici.			
Raueſtoni. T. S. *Augustini.*			
Reuesbiæ *vel* Reuiswyæ. F. *Guilielmus Romare.* M. Moniales.	0349	04	10
Sempringhamiæ. T. S. *Gilberti* F. S. *Gilbertus* fundator dicti ordinis M. Albi Canonici & moniales Gilbertinæ	0359	12	07
Sixleç. T.S. MARIAE. Albi Canonici & moniales.			
Spaldingæ. T.S. MARIAE. & *S. Nicolai.* F. *Iuo Talbois* Comes *Andegauensis*, & *Gulielmus de Romara*, & *Lucia* Comitissa *Cestriæ* & *Lincolniæ.* M. *Andegauenses* monachi.	0878	18	03
Iuxta Stansford. T. S. *Michaelis.* M. nigri monachi.	0072	18	10
Stansfordiæ. T.S. MARIAE & *S. Nicolai.* Nigri monachi.	0065	19	09
Ibidem. F. *Eduardus* III. Rex. Fr. Carmelitæ.			
Ibidem. F. *Gulielmus Browne* Ciuis *Stanfordiensis.* H.			
Ibidem. F. *D. Burghley* Thesaurarius *Angliæ.* H.			
Stainfeldiç. F. Confirmatus à *Ioanne Rege* pro *Henrico II.* patre. P. nigrę moniales.	0112	05	00
Stixwoldæ *vel* Stixwellç. T.S. MARIAE. F. *Lucia* prima Comitissa de *Percha* M. Albi Canonici & moniales.	0163	01	02
Swinshedç in *Hollandia.* T.S. MARIAE F. *Robertus Grisleius* Miles. M. Albi Canonici.	0175	19	18
Syxhillç. P. Gilbertini.	0170	08	09
Tatteshallç. F. *Radulphus Cromwel* Eques. C.	0348	05	11
Temple Bruerię. T. *Præceptoria.*	0184	06	08
Thornecholmiæ. P.	0155	09	06
Thorntoni. M.	0730	17	02
Toringtoni. T.S. MARIAE. F. *Guilielmus de Arundel.* Nigri Canonici			
Torkeseię. P. nigri Canonici.	0027	02	08
Tupholmię T.S. MARIAE. F. *Alanus Neuill.* M. Albi Canonici.	0119	02	08
Valla Dei. T. S. MARIAE. F. *Gilbertus Gaunt* Comes *Lincolniæ.* M. Cistercienses.	0177	15	07
Welloæ. M.	0152	07	04
Willoughtoni. T. *Præceptoria.*	0174	11	01
T. S. *Petri & S. Pauli.* M.	0197	17	05
T. *Omnium Sanctorum.* H.	0018	19	08

MIDDLESEXIA vulgo MIDDLESEX.

Londinum intra mœnia	R l.	A s.	d.
Ecclesia Cathedralis. T. S. *Pauli* F. *Ethelbertus* Rex *Cantiæ* A. D. 610.			
Iuxta Ludgate F. *Edwardus* I. Rex & eius vxor *Æleonora. Robertus Kilwarby* Archiepiscopus *Cantuarienſis*, & ciues *Londinenſes* A. D. 1276. Fr. nigri fratres.	0104	15	04
Iuxta Newgate. F. *Regina Margareta*, secunda vxor *Edwardi I.* Regis & *Ioannes de Britain* Comes *Richmundiæ*, cum diuersis ciuibus *Londinenſ.* A. D. 1225. & 1306. Fr. Minoritæ.	0032	19	10

Iuxta Alderſgate T.S. *Martini*.F.*Ingelricus & Edwardus* fratres A. D. 1056. C. Clerici ſæculares.

Guild halæ. F. *Petrus Stambarr, Adom Frances, Henricus de Brampton* Capellani. A.D.1299. Sacelium & 4. Sacellani. & *Gulielmus* 0012 18 09

In Cheap-ſide T.S. *Thomæ de Acon*. F. *Thomas fitz-thebald de Heyli*, & *Agnes* vxor eius ſoror *Thomæ Becket*, regnante *Henrico II*.H. 0277 03 04

In Candlewreck ſtreete.T. *Corporis Christi*.F. *Ioanues Poultney* Maior *Londinenſis* Anno 20. Edwardi III.C. 0079 17 11

S. *Laurentij Pountney*.

Whittingdoni F. *Ricardus Whittingdon* ciuis *Londinens*. A. 3. Henrici VI.C.

In Gay-ſpurlane *Elſing Spitthle*. F. *Gulielmus Elſing*. ciuis *Londinenſis* A. D. 1329 A.3. *Edwardi III*.H. Canonici Regulares. Alij centum cæci. 0239 13 11

In Lothburia. A.D.1257. fratres de Sacra.

In Bread-ſtreete T.S. *Augustini*. F. *Humfredus Bohun* Comes *Herefordiæ*, & *Eſſexiæ* A.D.1253. Fr. Auguſtiniani fratres. 0057 00 04

In Needle ſtreete. *Cella annexa S. Antonij de Vienna*. T.S. *Antonij* F Rex *Henricus* III.H. 0057 00 04

In Biſſhopsgate-ſtreete T.S. *Helenæ*. F. *Guilelmus Baſing*. Decanus *S. Pauli*. Anno 2. *Edwardi* II.V. nigræ moniales. 0378 06 00

In Leaden-hall.T.S. *Trinitatis*. F. *Gulielmus Rouſe, Ioannes Risby*, & *Thomas Ashby* Sacerdotes. A.D.1466.H. Sexaginta Sacerdotes.

Iuxta Aldgate *Eccleſia Christi*, T S. *Trinitatis*. F. *Mathildis* vxor *Henrici* I. Regis A.D.1108. P. Nigri Canonici, vel Canonici Regulares.

In Hart ſtreete. F. *Rodulphus Hoſiar*, & *Guil Sabernes* A. D. 1298. Fr. fratres S. Crucis. 0052 13 02

Barkingi Capella. T. *Dominæ noſtræ*. F. *Ioannes* Comes *wigornienſis* fecit fraternitatem. *Richardus* III. Rex fecit illud Collegium Sacerdotum, & reædificauit.

Londinum extra mœnia in ſuburbijs.

Weſtmonaſterij T.S. *Petri*. F. *Sebertus Rex* East Saxonum, *Dunſtanus* Epiſcopus *Londinenſis*, Rex *Edwardus* Confeſſor. M. nigri monachi. 3977 06 04

Ibidem T. S. *Stephani*. F. Rex *Stephanus*, inde *Edwardus* III. C. Canonici ſæculares. 1085 10 05

Ibidem in Tote-hill-ſtreete. F. *Domina Anna Dacre* H. 0100 00 00

Weſtmonaſterij. T. S. *Iacobi*. F. *Ciues Londinenſes*. H.

Ibidem *iuxta Charing Croſſe*. Cella annexa Dominæ noſtræ de Runciaualle in Nauarra. T S. MARIAE. F. Anno 15. Edwardi IV.

Ibidem S. *Ægidius* in pratis. F. *Mathildis* vxor *Henrici* I. Regis. A.D.1117. H.

Ibidem Sauoia T. S. *Ioannis Baptiſtæ*. F. Rex *Henricus* VII. A.D.1509. H. 0529 15 07

In Fleete-ſtreete. *Nouum Templum*. T. DOMINAE *noſtræ*. F. *Ab ipſiſmet* regnante *Henrico* II. Milites Templarij.

Ibidem. F. *Richardus Grey de Codnor*. A.D.1241. Albi fratres 0063 11 04

Ibidem. T.S. *Bartholomæi*. F. *Henr*. Rex *Angliæ* primus fundauit Eccleſiam. Poſtea *Raherus* primus ibidem Prior A.D.1102. M. nigri *vel* Regulares. Canonici. 0757 08 04

In Smithfield. T.S. *Bartholomæi*. F. *Raherus Prior*, A.D. 1102. H. 0305 06 07

Carthuſia in platea S. Ioannis. T.S. *Ioannis Hieroſolymis*. F. *Ioannes Briſet* Baro, & *Murielis* eius vxor. A.D.1100. P. 2385 19 08

Clerken wellæ. T.S.M ARIAE. F. *Ioannes Briſet* Baro filius *Radulphi* A.D. 1100. & *Murielis* eius vxor. V. nigræ moniales. 0282 16 05

Exara Creplesgate *Corpus Christi*. T. *Dominæ noſtræ. S. Ægidii*. F. *Mathildis* Regina *Henrici I* auia, Poſtea *Ioannes* Belancer. A.35. *Edwardi III*. H.

In platea Crucis albæ. T.S. *Ægidii*. F. *Henricus V*. Rex. H. Ordinis Gallicani.

Halywellæ. T.S. *Ioan. Bapt*. F. Epiſcopus *Londinenſis*. V. nigræ moniales. 0347 01 03

Extra Bisshopsgate. *Nouum hospitale.* T.B. MARIAE. F. *Walterus Brune* & *Roisia* vxor eius. A.D. 1235. P. Canonici Regulares.	0557	14	10
Extra Algate. T.S. *Claræ.* F. *Blanca Regina Nauarræ,* & maritus eius *Edmundus* Comes *Lancastriæ, Leceſtriæ,* & *Darbiæ,* frater *Edwardi I.* Regis A. 1292. regni 21. *Edwardi I.* V. Moniales minoritæ	0342	05	10
In East-Smithfield prope *turrim* Noua Abbatia. T.S. MARIAE. Gratiarum. F. *Ed. III.* Rex A. regni eius 25. Do. 1359. M. albi monachi Ciſtertienſes.	0602	11	10
Prope *Turrim.* T.S. *Catharinæ.* F. *Mathildis* vxor *Stephani Regis,* & poſtea *Æleonoræ* vxor *Edwardi I.* Regis. H. Cuſtos. Sacellani 3. Sorores 3. Inopes feminæ 18. Clerici egeni. 6.	0315	14	02

Middleſexia.

Iuxta Brainfordiam. T. Eccleſia SS. *Angelorum.* F. *Ioannes Sommerſet* Cancellarius *Scaccarij* & Capellanus Regis. Fr.			
Hownſlowæ *Domus.* Captiui.	0080	15	00
Kylborniæ. T.S. MARIAE. V. moniales.	0086	07	06
Langleyæ. F. Comes *Darbiæ.*			
Okeburniæ. P. *Alien.*			
Staneſiæ. F. *Radulphus Stafford.* P.			
Stratford-Bowç. T.S. *Leonardi.* F. *Henr. II.* Rex M. moniales *vel* albi monachi.	0121	16	00
Sion. F. *Henricus V.* A. 2. regni. M. Moniales *Brigidianæ* & Sacerdotes *Auguſt.*	1944	11	00
Vxbridgiæ. T.S. MARIAE. F. *Hugo Rouſe.* M.			

NORFOLCIA vulgo NORFOLKE.

	R. l.	A. ſ.	d.
Attilburghiæ. T.S. *Crucis.* F. *Robertus Mortimer.* C.	0021	16	00
Beeſtoni. P.	0050	06	04
Blakburghæ. V. Moniales.	0076	03	09
Blakeneyæ, F. *Dominus Roſſe, Robertus Bacon,* & *Ioannes Bret* Milites. Fr. Carmelitæ.			
Bokenhamiæ *alias* Bukkenhamiæ. T.S *Iacobi.* P. nigri Canonici.	0131	11	00
Bromhallæ *in foreſta Windeſoriæ.* F. *Edwardus* niger Princeps.			
Bromholmæ. T.S. *Sepulchri.* F. *G. Glanuile,* P. nigri monachi Cluniacenſes.	0144	19	00
Ibidem. T.S. *Andreæ.* F. *Guilielmus Glanuilus.* Benedictini.			
Brunhamiæ. F. *Radulphus Hempnall* & *Guiliel. Calthrop* Milites. A. 1241. Carmelitæ.	0002	05	04
Budhamiæ. T.S. MARIAE. nigri Canonici.			
Carowæ. T.S. MARIAE. F. *Stephanus* Rex. V. nigræ moniales.	0084	12	01
Carbrokiæ. T.S. *Ioannis Hieroſol.*	0065	02	09
Caſtell-acræ. T.S. MARIAE. M. nigri monachi Cluniacenſes.	0324	17	05
Crobbehouſe. V. moniales.	0031	16	07
Flithamiæ. Cella ad *Walſinghamiæ.* V. moniales.	0062	10	06
Hemptoni *vel* Homptoni. T. DOMINAE NOSTRAE & *S. Stephani.* F. *Richardus Ward* hic Canonicus. P.	0039	00	09
Heringbyæ. C.	0023	06	05
Hilderlandiæ. H.	0000	14	00
Horſſehamiæ. T.S. *Fidis.* F. *Robertus Fitz-Walter.* P. nigri monachi Benedictini.	0193	02	03
Hulmæ. T.S. *Benedicti.* F. *Kanutus* Rex *Danus,* poſtea Rex *Edwardus Confeſſor* M. nigri monachi.	0677	09	08
Hyckelingæ. P.	0137	00	01
Kokesforthæ *vel* Cokesfordæ. F. *Guilielmus Cheyney* Miles. M. nigri monachi.	0153	07	01
Langleyæ. F. *Anteceſſor* vxoris *Franciſci Bigot* Militis, & ciuſdem vxoris ſororum. Vide *Heref.* & *Leceſtr.* M. Moniales.	0128	19	09
Linnæ. F. *Dominus Bardoff, Dominus Scales,* & *Ioannes Wigenhall* Milites A.D. 1269. Fr. Carmelitæ.	0001	15	08.

Ibidem

Ibidem. F. *Thomas Godnes*. Fr. nigri fratres.			
Ibidem. F. *Thomas de Feltsham*. F. Albi fratres.			
Ibidem. T. S. *Ioannis*. H.	0007	06	01
Markham Barbaræ. M.	0042	04	07
Mainoundæ V. Moniales Gilbertinæ.	0013	06	01
Norwichiæ ortaab Abbatia de Frescham in Normannia, *Ecclesiæ Cathedralis* T. S. *Trinitatis*. F. *Elbertus de Losinga*. *Herbertus* Episcopus *Thetfordiæ*. A. D. 1096. regnante *Guilielmo Rufo*. nigri monachi Benedictini.	1061	14	03
Ibidem. F. *Philippus Cowgate* Civis & Maior *Norwichiæ*. A. D. 1268. Fr. Carmelitæ.			
Ibidem. F. *Ioannes Hestynsora*. Fr. Grisei fratres.			
Ibidem. Fr. nigri fratres.			
Ibidem. F. *Remigius*, vel *Rex*. Fr. Augustiniani fratres.			
Ibidem. T. S. *Ægidij*. H.	0090	12	00
Peneneyæ & Wormegayæ. T. S. *Mariæ Magd.* F. *Reginaldus de Warenna*. M. nigri Canonici.	0215	18	08
Rushworthiæ. F. *Robertus Wingfeild*. Miles.	0085	15	00
Shuldehamiæ. T. S. *Crucis* & S. MARIAE. P. moniales albæ Gilbertinæ.	0171	06	08
Thetfordiæ. T. S. *Trinitatis*. F. *Arfastus* Episcopus *Elmhamensis* tempore *Edwardi* Regis Confessoris erexit in Episcopatum. Postea *Henricus Lancastriæ* Dux mutauit in familiam Prædicatorum. Fr. Prædicatores.			
Ibidem. F. *Ioannes Gandauensis* Dux *Lancastriæ*. Fr. Augustiniani.			
Ibidem. T. S. *Sepulchri*, F. *Comes de Warren*. F. nigri fratres.			
Ibidem. T. S. MARIAE., & *S. Ioannis*. F. *Rogerus Bigod* Comes *Norfolciæ*. P. nigri Canonici.	0049	18	01
Ibidem. T. S. *Gregorii*. V. nigræ moniales.	0050	09	08
Ibidem. T. S. *Andreæ* F. *Hugo Bigod* Oeconomus *Henrici* Regis. M. nigri monachi Cluniacenses	0418	06	03
Ibidem. T. B. MARIAE. C.	0109	00	07
Ibidem. T. B *Mariæ Magd.* & S. *Ioan. Baptistæ*. F. *Ioannes Warren* Comes *Surriæ*			
Tomestoni. F. *Thomas de Shardelow* & *Ioannes* frater eius Anno 23. *Edwardi* III. C. Capellani 6.	0052	15	07
Wabburnę. P.	0028	07	02
Wallinghamiæ T. S. MARIAE. F. *Edmundus* Comes *Marchiæ*, & *Elizabeth de Burgo*. M. Nigri Canonici fratres Minores.	0446	14	04
Wendlingę. F. *Guilielmus de Wendling* Sacerdos. P. fratres Augustiniani	0055	18	04
Westacreæ. T. S. MARIAE. & *omnium Sanctorum*. P. nigri Canonici.	0308	19	11
Westdirehamæ. M. albi Canonici.	0252	12	11
Weybridgię vel VVexbridgię. T. S. *Margaritæ*. F. *Robertus Oliuier*, *Thomas Munday*, *Ioannes Palmar* & *Ioannes Barford*. P.	0007	13	04
VVirhamiæ. T. D. *Winewaldi*. P. nigri Canonici *de Martuall*.			
Wymondhamię T. S. MARIAE. F. *Guilielmus D'Albiney*, *Henrici* I. Regis pincerna Nigri monachi de S. Albano.	0072	05	04
Yarmouthę. F. *Edwardus* I Rex Anno. 1278. Fr. Carmelitę seu albi fratres.			
Ibidem F. *Galfridus Pilgrim* & *Thomas Fastolfe*. Fr. nigri fratres.			
Ibidem. F. *Guilielmus de Gerbrigge*. Fr. Grisei fratres.			
Iuxta Yarmouth *in Castretleg*. T. S. *Ioannis Baptistæ*. F. Primum *Robertus de Castre*, Postea *Ioannes Fastolfe* Armiger, pater *Ioannis Fastolfe* Militis.			
Ynghamiæ T. S. MARIAE. P. nigri monachi de S. Albano.	0074	02	07
Fr. fratres prædicatores.	0000	18	00
Fr. fratres Augustiniani.	0001	04	06

NORTHAMPTONIÆ *Comitatus* vulgo NORTHAMPTON-SHIRE.

	R. A l.	s.	d.
Athebyæ. P.	0127	19	00
Brackileyæ. F. D. *Zouchez*. C.			
Catesbyæ. T. S. *Thomæ* & S. MARIAE. V. moniales de Sempringham.	0145	00	06

Cachumi. T.S. *Petri. S. Pauli.* F. *Guilielmus Knowles. Hugo Awreſey* Miles. P. nigri Canonici.	0093	06	03
Cotherſtakæ. F. *Ioannes Gifford* Clericus. An. 22. Ed. III. C.			
Dauintreeæ. T.S. *Auguſt. Angl. Apoſt.* F. *Domini Regis Progenitor.* P. nigri monachi Cluniacenſes.	0236	07	06
Fynnishedæ Eccleſia S. MARIAE *Caſtri de Hynell.* T.S. MARIAE Virginis. F. *Richardus Engaigne.* M.	0062	16	00
Foderinghayç. F. *Edmundus de Langley* Dux *Eboracenſis. Henricus IV.* Rex & vxor eius *Iana.* A 13. Demum *Henricus V.* & *Edwardus* Dux *Eboracenſis.*	0419	11	16
Gateæ. T.S. *Mariæ Magdal.* V. nigrę moniales.			
Higham-Ferrars. Fr. *Henricus Chicheley* Archiepiſcopus *Cantuarienſis.* C.	0056	02	07
Irtelingburgh. F. *Ioannes Pool.* C. Decanus & ſex Clerici.	0064	12	10
Iuxta Kingeſthorpum. T.S. *Dauidis.* H.	0024	06	00
Northamptoniæ. T.S. *Iacobi.* M. nigri Canonici.	0215	17	02
Ibidem. T.S. *Andreæ.* F. *Simon de S. Licio* primus Comes *Northamptoniæ.* P. nigri monachi.	0334	13	07
Ibidem Fr. Minoritæ *vel* Griſei fratres.	0006	17	04
Ibidem. Fr. Prædicatores.	0005	07	16
Ibidem. F. *Simon Mountford,* & *Thomas Chitwood* Milites. A.D. 1271. Fr. Carmel.	0010	10	00
Ibidem. T. S. MARIAE. V. nigræ moniales.			
Ibidem, F. *Ioannes de Glanuile.* Fr. Auguſtiniani.			
Iuxta Northamptoniam. T.S. MARIAE *de Pratis.* F. *Simon de S. Lucio* ſecundus Comes *Northamptoniæ.* V. Moniales	0119	09	07
Peterburiæ. T.S. *Petri.* F. *Wolpherus* filius Regis *Reſtaui,* & *Etheldredus* filius Regis *Ethelwoldi.* M. nigri monachi.	1972	07	00
Pipewellæ. T. S. MARIAE. F. *Guilielmus* & *Robertus Boteuillei,* & *Ranulphus* Comes *Ceſtriæ.* A. H. 2. P. Albi monachi Ciſtercienſes.	0347	08	02
Rothwellæ. T.S. *Ioannis Baptiſtæ.* V. moniales.	0010	10	04
S. Dauidis. T.S. *Trinitatis* & *S.* MARIAE. P. nigri Canonici.			
Sewesbyæ *vel* Sewardesleyæ. T.S. *Mariæ Magdalenæ.* V. nigræ moniales.	0018	11	02
Stanfordiæ. V. moniales.			
Sulbyæ. T.S. MARIAE. M. nigri monachi	0305	08	05
Towceteræ. C.	0019	06	08
Withorpiæ. M. nigri monachi.			
T.S. *Leonardi.* H.	0010	00	00
T.S. *Ioannis.* H.	0025	06	02
T. *Omnium Sanctorum.* C.	0001	19	04
T.S. *Michaelis.* P. nigri monachi.			

NORTHVMBRIA vulgo NORTHVMBERLAND.

	R.	A.	
	l.	ſ.	d.
Albæ-Laundæ *vel* Blanchelandiæ. F. *Anteceſſor* Comitis *Weſtmerlandiæ, Ioannes de Torington* benefactor. *Ioannes* Rex confirmauit An. 16. M. Ciſtercienſes.	0044	09	03
Alnewickæ *vel* Hölnæ. F. *Ioannes* Dominus *Veſcy Anteceſſor* Comitis *Northumbriæ* hunc ordinem in *Anglia Primus* introduxit. An. D. 1240. F. Carmelitæ.	0194	07	00
Barwickç. F. *Ioannes Grey* Miles. A.D. 1270. Fr. Carmelitæ.			
Brekenbourniæ. F. *Guiliel. Bartram ſenior,* pater *Rogeri Bartram, Ioanne Rege.* P.	0077	00	00
Framelandiæ, Ferne-Elandiæ. *vel* Flanelandiæ. Cella.	0012	17	08
Hexamæ. F. *Anteceſſor Archiepiſcopi Eboracenſis,* P.	0138	01	09
Holiſcombæ. V. moniales.	0015	10	08
Inſula ſacra. *Cella.*	0060	05	00
Lambleyæ. F. *Lucy.* V. moniales.			
Newcaſtelli. *F.* Minoritæ.			

Newcaſtelli

Newcastelli F. Rex *Edwardus* I. Fr. Carmelitæ
Ibidem *T.S. Mariæ Magdalenæ*. H. 0009 11 04
Ibidem V. Monales. 0037 04 00
Newmonasterii, *alias* Newe-Minsterij. F. Antecessor *Domini Dacres*. M. 0140 10 04
Oninghamiç *Cella de Hexamia*. 0013 04 08
Tinmouthæ *Cella ad S. Albani in Hertfor*. F. Antecessor *Ducis Norfolciæ* V. monia. 0511 04 01

NOTTINGHAMIÆ *Comitatus* vulgo NOTTINGHAM-SHIRE

	R.	A.
	l.	d.
Bawtreæ. H.	0006 06 08	
Bellæ vallæ. F. *Ioannes & Nicolaus de Cantelupo.* confirmauit *Edwardus III.* An 19. regni Angliæ & 6. Franciæ. P. Carthusiani. Cistercienses.	0227 08 00	
Bingamiæ T S MARIAE.	0040 11 00	
Blythæ T. S. MARIAE. F. *Rogerus Busli & Fulcus de Lisieurs*. P. nigri monachi.	0126 08 02	
Blythæ. H.	0008 14 00	
Brodhamiæ. P.	0016 05 02	
Clistoni	0020 02 06	
Felleyæ. T. DOMINAE NOSTRAE. F. *Anteceſſor Ioannis Chough* Militis. *Ioannes Talbot*. Comes *Salopiæ* M. nigri monachi.	0061 04 08	
Lentoni. T. S *Trinitatis*. F. *Guilelmus Peuerell*, nothus Guilielmi Conqueſtoris P. nigri monachi Cluniacenſes.	0417 19 03	
In Mariſco *apud Capellum S. Thomæ Eboracenſis*. Cella.	0063 06 08	
Matterſeyæ. F, *Anteceſſor Edwardi Thirland*.	0061 17 07	
Newſteedæ vel *Nouo loco in Shirwood*. T. DOMINAE *noſtræ* F. *Henricus II.* Rex.	0219 18 08	
Nottinghamiæ F. *Reginaldus Grey de Wilton* Miles, & *I. Shirley*. Anno Domi. 1276. Fr. Albi fratres		
Ibidem Fr. Minoritç.		
Ibidem F. *Ioannes Piometree*. H	0006 06 08	
Ruſſordiæ. F. *Dominus Beaumount* Anteceſſor *D. Norreis* M. Albi monachi	0254 06 08	
Shelfordiæ. F. *Radulphus Hanſelin* & H. *Norris Anteceſſor*. P.	0151 14 01	
Southwellæ. F. *Paulinus* primus Archiepiſcop. *Eboracenſis*. C.	0039 05 06	
Thurgattoni. *T. S Petri*. F. *Radulphus Dencour*. Confirmauit *Rex*. P. nigri canoni.	0359 15 10	
Wallinugeſſiæ. F. *Dominus Fitz-Hugo* Anteceſſor *Domini Dacres* V. moniales.	0087 11 06	
Welbeckç. T. S. *Iacobi* F. Anteceſſor *Epiſcopi Elienſis*. *Tho. de Cokenay*. vel *Cokeney* M. nigri Canonici.	0298 04 08	
Workeſopæ T. S. MARIAE. *de Radford*. F. *Guilielmus Loueto*. & *Anteceſſores Comitis Salopiæ*. M. nigri Canonici.	0302 06 10	

OXONIENSIS *Comitatus* vulgo OXFORD-SHIRE

	R.	A.
	l.	d.
Banburiæ. T. S. *Ioannis*. H.	0015. 01 00	
Banburiæ T. B. MARIAE C.	0048 06 00	
Brockeleæ. T. S. MARIAE. P. nigri canonici.		
Bruerni. T. S. MARIAE F. *Nicolaus Baſſet* M. Albi monachi.	0124 10 10	
Burceſterix *vulgo* Biſſeterix. T. S. *Edilburgæ* F. *Gilbertus Baſſet*, & *Egelina Courtney* vxor eius regnante *Henrico II.*	0167 02 10	
Burfordiæ. P.	0013 06 06	
Chiping-Nortoni in Eccleſia.	0007 14 00	
Clattercotteç. T. S. *Leonardi* M	0034 19 11	
Cogeſiæ P. nigri Monachi.		
Dorcheſtriæ T. *SS. Petri & Pauli*. F. *Birinus* Apoſtolus Weſt-Saxonum & mox *Nicolaus Huntercombe* heres Guilielmi Huntercombe. M. nigri Canonici.	0219 12 00	
Evelmiæ *vel* New-Elmiæ. F. *Gulielmus de la Pole* Dux *Suffolciæ*. H	0020 00 00	
Einſhamiæ. T. S. MARIAE. F. *Achelmarus* vir nobilis. *Æthelredus* confirmauit Anno Domini 1005. M. nigri monachi Benedictini.	0421 16 01	

Godstowę Iuxta *Oxonium* T. S. MARIAE. F. *Ida* opulenta vidua. Reparata { 0319 18 08
a *Ioanne* Rex. V. nigrę monniales.

Goringi. T. S MARIAE. nigræ monniales. 0060 05 05

Lidmoræ *alias* Littlemorę. F. *Domini Regis Progenitor* V. nigræ monniales. 0033 06 08

Nortoni. F. *Domini Regis* Progenitor. *Reginaldus* Comes *Bononiensis* dedit iugera centum & octo cum dimidio. *Richardus Sergeaux* P. nigri Canonici.

Oxonij *Ecclesia Cathedralis* F. Rex *Henricus VIII.*

Oxonij T. S. *Frideswidæ* F. *Frideswida* filia *Algari*. Restaurauit *Ethelredus* Rex, & *Domini Regis Progenitores*. P. Monniales, inde nigri Canonici. 0224 04 08

Oxonij. F. *Richardus Carj*. Fr. fratres Sanctæ Crucis.

Oxonij. F. *Henricus Rex*. Fr. Minoritæ

Oxonij. F. *Edwardus II.* Anno II. regni sui. Fr. Carmelitæ.

Oxonij. Fr. nigri fratres.

Oxonij. F. *Henricus III.* Rex. Fr. Augustiniani.

Oxonij. T. S. MARIAE *Osneyensis*. F. *Robertus* filius *Nigelli* fratris *Roberti D Oily* Normanni A. D. 1129. M. nigri Canonici. 0755 18 06

Oxonij T. locus Regalis *alias* Rewley. F. *Edmundus* Comes *Cornubiæ*. M. Cistercienses. 0174 03 00

Collegia Oxonij.

Collegium Vniuersitatis. F. Primum *Ælfredus* Rex; postea *Guilielmus* Archidiaconus *Dunelmensis*.

Colleg. Balliolense. F. *Ioannes Balliol.* Rex Scotorum tempore *Henrici III.* Regis.

Colleg. Mertonense. F. *Walterus Merton.* Episcopus *Roffensis* A. D. 1274.

Colleg. Exoniense. F. *Guliel. Stapledon* Epis. *Exoniensis* regnante *Edwardo* II.

Aula Cerulea. F. *Guliel. Stapledon* Episcopus *Exoniensis* tempore *Edwardi* II.

Colleg. Regium *vulgo* Orial. F. *Rex Edwardus II.*

Aula S. MARIAE. F. *Edwardus II.* Rex.

Colleg. Reginæ. F. *Philippa Regina* vxor Regis *Edwardi III.*

Aula S. Edmundi. F. *Edmundus* Archiepis. *Cantuariensis, vt creditur.*

Colleg. Cantuariense. *nunc* Ecclesia Christi. F. *Simon Islip* Archiepiscopus *Cantuariensis* postea Cardinalis *Wolsæus*, & Rex Henricus VIII.

Colleg. S. MARIAE. *alias* Nouum. F. *Guilielmus Wiccam* Episcopus Wintoniensis.

Colleg. Gloceſtrense. F. *Benedictini monachi.*

Golleg. Dunelmense *nunc* Trinitatis F. *Thomas de Hatfield.* Episcop. *Dunelmensis* postea nostra tempestate *Thomas Pope* Miles.

Colleg. Lincolniense. F. *Richardus Fleming.* Episcopus *Lincolniensis.*

Aula S. Albani

Aula dicta Broadgate.

Colleg. omnium animarum. F. *Henricus Chicheley* Archiepis. *Cantuariens.* tempore *H. V.* Regis.

Colleg. D. Bernardi. *nunc* S. Ioannis Baptistæ. F. *Henr. Chicheley* Archiep. *Cantuarien.* tempore *H. V.* Postea nostro tempore, *Thomas White* Prætor *Londinensis.*

Collegium Mariæ Magdalenæ *quod olim S. Ioannis Hospitale.* F. *Henricus VI* Rex postea *Guilielmus Wainflet*, Episcopus *Wintoniensis.*

Aula Magdalenæ. F. *Gulielmus Patten* alias *Wainflet.*

Collegium Æneinatl. F. *Gulielmus Smith* Episcopus *Lincolniensis* tempore *Henrici* VII. Doctor *Nowell.* Decanus D. *Pauli* benefactor.

Colleg. Corporis Christi. F. *Richardus Fox* Episcop. *Wintoniensis. Hugo Oldam* Episcopus *Exoniensis* benefactor.

Collegium Iesv F. *Hugo Price* legum Doctor

Collegium Wadhami. F. —— *Wadham* armiger & vxor *eius*

Saecumbę

Saucombæ. T. S. Mariae. P. nigri Canonici.
Stodeleyæ. T. S. Mariae. F. *Petrus Corbyzen, & Guilielmus de Cantelup* 0102 0 6 07
Tamæ. T. S. Mariae. F. *Alexander* Epis. *Lincolniensis*. M. albi monachi. 0256 13 07
Wroxtoni. T. S. Mariae. F. *Magister Michael Byler* pro *Hermæo Byler* patre suo, & confirmauit Rex *Ioannes*. P. Canonici. 0078 14 03

RICHMONDIÆ *Comitatus* vulgo RICHMOND-SHIRE.

	R. A. l.	s.	d.
Couerhamiæ *alias* Somerhamiæ. F. primum apud *Swaynsie* ab *Halwisia* filia *Radulphi Glamuill* vxore *Radulphi* Domini de *Midleham*, sed translatum postea *Couerhamiam*. An. Dom. 1182. M. Canonici Præmonstratenses	0207	14	08
Conderiæ. M.	0064	03	09
Ellertoni. T. S. Mariae. F. *Guilielmus Fitz-Pier*. V. Moniales.	0015	14	08
Furnessiæ. T. S. Mariae. F. Primum *Stephanus* Comes *Bononiensis*. An. Domini 1127. Postea *Guilielmus de Mowbray* dedit possessiones, quas habuerat ab *Richardo Morvill* & *Amia* eius vxore. Rex *Henricus I.* confirmauit. M. Albi Monachi.	0966	07	10
Fontanis. T. S. Mariae. F. *Thurstinus* Archiepis. *Eboracensis*. A. D. 1132. M. Albi Monachi.	1173	00	07
Gillingæ. V. Moniales.			
Ieruallæ. T. S. Mariae F. *Stephanus* Comes *Britanniæ & Richmundiæ*. M. Cister	0455	10	05
Iuxta Kendallum. H.	0006	04	03
Prope Knaresburgum. T. S. *Roberti*. F. *Richardus* Rex *Romanorum* & Comes *Cornubiæ*. An. Dom. 1218. Fr.	0035	10	11
Marykę. F. *Askesij*. V Moniales	0064	16	09
Middlehamiæ *vel* Barnardi castro. F. *Richardus* Dux *Eboracensis*.			
Nun-Munketoni. F. *Antecessor Guilielmi Gascoin* Militis. V. Moniales.	0085	14	08
Ribleſtonij. *Commenda*.	0207	09	07
Richmundiæ. T. S. *Agathæ*. F. *Roaldus* Conestabulis *Richmundiæ & Gratiana* eius vxor. Fundator *Antecessor Dom. Scroope* A. D. 1152. M.	0188	16	02
Richmundiæ. T. S. *Nicolai*. H.	0010	00	00
Riponi *Ecclesia collegiata*.	0035	03	08
Riponi. T. S. *Mariæ Magdalenæ*. H.	0024	00	07
Riponi, T. S. *Ioannis Baptistæ*. H.	0010	14	04
Setoni. F. *Antecessor Henrici Kirkeby*. V. Moniales.	0013	17	04
Wellesiæ. T. S. *Michaelis*. F. *Radulphus* Dominus *Neuill*. A. D. 1367.	0020	17	11

RVTLANDIÆ *Comitatus* vulgo RVTLAND-SHIRE.

	R. A. l.	s.	d.
Broakæ. T. S. Mariae Virginis. P.	0043	13	04
Occhami. *sub custodia Prioris S. Annæ Carthusianorum iuxta Couentriam* T. S. *Ioannis Euangelistæ*. H. 12. Capellani. 12. egeni quorum singulis dantur 30. s. annuatim.			

SALOPIÆ *Comitatus* vulgo SHROP-SHIRE.

	R. A. l.	s.	d.
Abberburiæ *datus Collegio omnium animarum Oxoniæ dono Regis*. F. *Domini Regis Progenitor*. P. *Alien*.			
Battlefieldiæ. F. Rex *Henricus IV*. C.	0054	01	01
Bildewasiæ. T. S. Mariae. F. *Rogerus* Epis. *Cestrensis*. M. Cistercienses nigri Monachi.	0129	06	10
Brewoodæ. M.	0031	01	04
Bridgenorthæ. F. *Ioannes* Comes *Salopiæ* cognatus & hæres *Radulphi Strange* primi fundatoris. H. Fr. Minoritæ.	0004	00	00
Brumfieldiæ. Nigri monachi.			
Chirburiæ. P.	0087	07	04

Hale-

Moundroyæ. C. 0011 18 08
Muchilneyæ. T.S. *Petri*. F. Rex *Athelſtanus*. M. nigri monachi. 0498 16 03
Mynchinbarrowæ. P. 0029 06 08
Stokæ ſub Hamdenum. T.S. *Andreæ*. F. *Gornay*. C. nigri monachi.
Tauntoni. *T.SS. Petri & Pauli*. F. *Guilielmus Giffard*, & *Henricus de Blois* Epiſcopus *Wintonienſis*. V. nigrę moniales. 0438 09 10
Temple-Combæ. Commenda. 0107 16 11
Wellijs *vulgo* Wells. T.S. *Ioannis Baptiſtæ*, vel *S. Andreæ*. F. Rex *Ina* Eccleſiam & Collegium extruxit, Rex *Kinewolphus* amplis dotauit poſſeſſionibus A. 776. Rex *Edwardus Senior* Epiſcopalem ſedem conſtituit. *Robertus* & *Iocelinus* Epiſcopi, & *Radulphus Salopienſis*. M. ſæculares Canonici 0041 03 06
Wellijs. F. *Nicolaus Babwith* Epiſcopus. H. 24. pauperes.
Waſtburiæ. F: *Guilielmus Cumings* Maior *Briſtolienſis*. C.
Worſpringæ. P. 0110 18 04
Withamiæ. T.S. MARIAE, *S. Ioan. Bapt. Omnium Sanctorum*. F. *Henricus III.* Rex. *Carthuſiani*, 0227 01 08
Hoſpitale T.S. *Catharinæ*. 0021 15 08
Yeueleyæ *vel* Iuellæ. F. *Ioannes Wiburne* ſub Canonicus D. *Pauli*, & *Richardus Hewes*.

STAFFORDIÆ *Comitatus* vulgo STAFFORD-SHIRE.

	R.	A	
	l.	ſ.	d.
Brewcodæ. V. nigræ moniales.	0011	01	06
Briuerneæ. T.S. MARIAE. P. nigri monachi.			
Briuerneæ. T.S. *Leonardi*. V. Albę moniales.			
Burtoni ſuper Trentam. T.S. MARIAE. *S. Modwenæ*. F. *Vlfricus Sprot* Comes *Merciæ*. P. nigri monachi.	0356	16	03
Catuneæ. P. nigræ moniales.			
Chetwoodæ. F. *Ioannes Chetwood Chidlet*. T. *Conell, Guiliel. Gardiner* Vicarius de *Somerton. Ioannes Parſon* de *Godington*. P.			
Croxdeni. F. *Barones Verdon*. P.	0103	06	07
De la creſſe. F *Ranulphus* eius nominis III. Comes *Ceſtriæ*. M. albi monachi.			
Dudleyæ. *Cella ad Prioratum de Wenlock*. F. *Ioannes* filius & heres *Ioannis* olim Baronis de *Dudley*. P. nigri monachi.			
Fayreweldæ. T.S. MARIAE. V. nigrę moniales.			
Ferburgę. H.	0050	00	00
Hultoni. F. *Maiores* Domini *Audley*. M.	0076	14	10
Lappileæ. T.S. *Remigij*. P. nigri monachi.			
Lichfeildæ. *Eccleſia Cathed.* F. *Oſwinus* Rex *Northumbriæ* Epiſcopalem ſedem conſtituit. *Adrianus* vero Papa Archiepiſc. Griſei fratres & poſtea Canonici.			
Lichfeildiæ. T.S. *Ioan. Baptiſtæ*. F. *Rogerus* Epiſcop. *Conentriæ* & *Lichfeldiæ*. P.			
Lichfeildiæ. *T.S. Ioannis*. H.	0008	15	00
Meriualli.	0199	14	10
Penchricheæ. C.			
Rentoni. F. *Noeli* Anteceſſores *Simonis de Harecourt* Militis.	0090	02	10
Roceteræ. M.	0111	13	07
Staffordiæ. *T.S. Thomæ martyris*. F. *Radulphus* Comes *Staffordiæ*, & *Richardus* Epiſcopus *Ceſtrenſis*. P. nigri Canonici & Auguſtiniani.	0141	13	02
Staffordiæ. T.S. MARIAE. C. Griſei fratres.	0035	13	10
Stonæ. *T.S. Wolphadi*. F. *Radulphus* Comes *Staffordiæ*. P. nigri Canonici.	0119	14	11
Tameworthæ. F. *Editha* filia Regis *Eadgari*. V. Moniales			
Tameworthiæ *Eccleſia collegiata*. F. *Marmionij Normanni*.			
Iuxta Tameworth. *T.S. Iacobi*. H.	0003	06	08
Trenthæ. F. *Radulphus* Comes *Ceſtriæ*. P. Canonici.	0106	03	10
Tricinghamiæ. F. *Sancta Werburga*. M.			
Tutburiæ. T.S. MARIAE. F. *Henricus de Ferrarijs* nobilis *Normannus* tempore *Guilielmi Conqueſtoris*. P. nigri monachi.	0244	16	08

Wolverhamptonæ. F. *Clemens Luson* Capellanus, & *Guilelmus Westerfall.* C.

SVFFOLCIA vulgo SVFFOLKE.

	R.	A.	
	l.	s.	d.
Bilburghi F. *Henricus I.* Rex. *Richardus Belnois* seu *Beaunois* Episc. *Londinens.* P. nigri canonici.	0018	08	09
Brisetæ. T. S. *Leonardi* P. nigri Canonici.			
Bungeiæ. F. *Rogerus Glanuill,* & *Gundreda* eius vxor. Alij. Antecessores *Thomæ Brotherton* Comitis *Norfolciæ.* V. moniales.	0062	02	01
Burshierdæ *vel* Brusiedę. M.	0056	02	01
Burleyæ. T. S. MARIAE. F. *Radulphus de Glanuill.* P. nigri Canonici.	0378	17	02
Campeleyæ. T. S. MARIAE *Virginis.* V. Moniales.	0182	09	05
Claræ *vel* Stokæ T. S. *Ioan. Bapt.* F. *Henricus* Comes, & vxor eius *Isabella.* P. nigri monachi *vel* Augustiniani fratres.			
Cnobersburgi, *vel* Burgi-castro. F. *Fursæus* Scotus. Item *Sigevertus* Rex *Eastanglorum.*			
Denstoni.	0022	08	09
Dodnashiæ. T. S. MARIAE. F. *Maiores* Ducis *Norfolciæ.*	0042	18	08
Dunwichæ. *Sedes Episcopalis.* F. *Felix* Burgundus qui *Eastanglos* ad Christi fidem conuertit An. Dom. 630.			
S. Edmundi Burgi. F. *Rex Kanutus.* M. nigri monachi.	2336	16	00
S. Edwardi loci, *sine* Edwardstowæ. F. *Petrus* Episcopus *Wintoniensis.*			
Eyeæ. T. S. *Petri.* F. *Robertus Malet* Dominus *de Eya.* M. nigri monachi.	0184	09	07
Flixtoni. M.	0023	04	01
Heringfletæ. T. S. *Olauj.* F. *Rogerus* filius *Osberti.* M. Canonici Regulares.	0049	11	07
Hoxoni. M.			
Ipswici. T. S. *Trinitatis.* F. *Norman* & *Ioannes de Oxenford.* P. nigri Canonici.	0088	06	09
Ipswici. T. SS. *Petri* & *Pauli,* F. Cardinalis *Wolsæus,* sed ante eum *Thomas de Lacy* & *Alicia* vxor ipsius. M. nigri Canonici.	0088	09	10
Ipswici. F. *Henricus de Manesby, Henr. Redred,* & *Henr. de Landham.* Fr Prædicatores.			
Ipswici. F. Dominus *Bardeley, Gaufridus Hadley,* & *Rober. Norton* milites An. 1279. Fr. Carmelitæ.			
Ipswici F. *Robertus Tilbot.* F. Minoritæ.			
Ipswici. F. *Ioannes Hares* dedit tundum ad amplificandam eorum domum. F. Nigri fratres.			
Leistoni. T. S. MARIAE. F. Primum *Radulp. Glanuill,* tum *Rober. Vfford.* miles. V. Albæ Canonicæ. Præmonstratenses.	0181	17	01
Letheringhamiæ. T. B. MARIAE *Virginis.* F. *Ioannes de Norwich* Dominus *de Mettingham.* C.	0202	07	05
Raffordiæ. T. DOMINAE NOSTRAE. F. *Robertus* Episc. vel Comes *Lincolniensis.* M.			
Ratisfordiæ. T. S. *Ioannis.* H.	0053	10	00
Redlingefeildiæ. T. S. MARIAE. F. *Manasses de Guies.* M. nigræ moniales.	0081	02	05
Rumbuthæ. T. S. *Michaelis.* P. nigri monachi.			
Snapesiæ. T. S. MARIAE. F. *Guiliel. Martill.* Alij. Domini *Regis Progenitor.* P. nigri monachi *Roffenses.*	0099	01	00
Stockæ. C.	0324	04	01
Suthberiæ. T. S. *Bartholomæi.* F. *Simon Sudbiry* Archiep. *Cantuariensis,* & *Ioannes Chartsey.* P. nigri monachi *Westmonast.* vel fratres Prædicatores.	0122	18	03
Sybbetoni. T. S. MARIAE. F. *Guil. Cheiney* vel *de Caneto.* M. nigri monachi *Cister.*	0250	15	07
Waltoni. T. S *Felicis.* P. nigri monachi Roffenses.			
Wangsfordiæ. T. S. MARIAE. F. *Anseredus* Gallus, P nigri monachi *Cluniacenses.*	0030	09	05
Wingefeildiæ. C.	0069	14	05
Woodbridgiæ. T. S. MARIAE. M.	0050	03	05
Wykehæ. F. Domini *Regis Progenitor.* T. S. *Benedicti.* M.	0092	12	03
Ykelworthæ *vel* Ixworthæ, F. *Gilbertus Bland.* P.	0280	09	05

SVR-

SVRREIA vulgo SVRREY.

	R.	A.	
	l.	s.	d.
Bermondseyæ. T.S. *Salvatoris*. F. *Alwinus Childe* Ciuis *Londinens.* A.D. 1081. M. nigri monachi *Cluniacenses*. Monachi introducti A.D. 1087.	0548	02	05
Chartseyæ. T.S. *Petri*. F. *Frithwaldus* subregulus Surreiæ A.D. 666.	0744	13	06
Guilfordiæ. T.S. *Crucis*. Fr. Prædicatores.			
Guilfordiæ. Fr. nigri fratres.			
Horshamiæ. T.S. *Fidis*. F. *Mariæ S. Pauli*. Alij. *Robertus Fitz-walter* & filij eius.			
Lingfeldiæ. F. *Reginaldus Cobham* Miles. *Guliel. Croman, Ioan. Arderne*, & *Ioannes Bayhall*. C.	0075	00	00
Mattoni. T.S. MARIAE. F. Rex *Henricus I.* A.D. 1117. P. nigri Canonici.	1039	05	03
Newarkæ *vel* de nouo loco. T.S. MARIAE & S. *Thomæ Martyris*	0258	11	11
Reygatæ. T.S. *Crucis*. F. *Guilielmus Warren* primus Comes *Surreiæ*, & postea *Ioannes Mowbray*. P. Augustiniani.	0078	16	08
Shenæ. F. Rex *Henricus V.* P. Carthusiani.	0962	11	06
Southwarkiæ. T.S. MARIAE *Virginis de Ouerey*. F. Primùm *SVverhena* nobilis femina, deinde puella nomine *Maria*, & tandem posuit Canonicis in Collegium *Guilielmus Pont del Arche*. An. 1016. M. nigri Canonici.	0656	10	00
Southwarkiæ. T.S. *Thomæ*. F. *Richardus* Prior *de Bermondsey*. A.D. 1213. H.	0266	17	11
Tanriggę. M.	0078	16	10
Wauerleyæ. T.S. MARIAE. F. *Guil. Giffard* Episc. *Vintonien*. V. albi monachi.	0174	08	03

SVSSEXIA vulgo SVSSEX.

	R.	A.	
	l.	s.	d.
Arundeliæ T.S. *Trinitatis*. F. *Thomas* Comes *Arundeliæ* & *Beatrix* eius vxor H. Eleemosynarij.	0042	03	08
Arundelię T.S. *Nicolai*. F. *Richardus* Comes *Arundeliæ*. P. nigri monachi.	0168	00	07
Accetealeæ. T.S. *Petri*. nigri monachi.			
Battelli T.S. *Martini*. F. *Guilielmus Conquestor*. Rex A.D. 1066. M. nigri mona.	0987	00	11
Bidlingtoni T.S. *Mariæ Magd.* H.	0001	00	00
Bosenhamię *vel* Bosehamię. F. *Dieull*. Scotus monachus.			
Boxgrauię T.S. MARIAE. F. *Ioannes Saint Iohn* dictus. *Alij Robertus de la Haye*. nigri monachi Benedictini.	0145	10	02
Durflordię. T.S. *Ioannis Baptistæ*. V. Albę Canonicę Pręmonstratenses	0108	13	09
Eastborniæ. P.	0047	03	00
Hastingsiæ T.S. *Trinitatis*. F. *Ioannes Pelham* Miles quando possessiones eorum maris inundatio submerserat. P. nigri Canonici.	0057	19	00
Lewisiæ. T.S. *Panerarii*. F. *Guiliel. de Warren* primus Comes *Surreiæ*. P. nigri monachi Cluniacenses.	1091	09	06
Lulmensteri. *T. Mariæ. Magdal.* V. nigræ moniales			
Michelhamiæ. T.S. *Mariæ Magdal.* P. nigri Cononici Augustiniani.	0191	19	03
Occehamię. T.S. *Laurentij*. P. Albi Canonici.			
Remstediæ T.S. *Mariæ Magdal.* V. nigræ moniales.			
Roberts-Briggiæ. T.S. MARIAE. F. *Alueredus de S. Martino* tempore *Henrici II.* M. Albi monachi Cistercienses.	0232	09	08
Ruppetariæ. T.S. *Mariæ Magd.* V. nigræ moniales.	0039	13	07
Selseiæ. *Sedes Episcopalis*. F. Rex *Cedwallus*.			
Shulbredæ. P.	0079	15	06
Southwallingi. C.	0045	12	05
Steningiæ T.S. *Mariæ Magd.* Sæculares Canonici.			
Shorehamiæ. F. Rex *Edwardus II.* & Dominus *Mowbray*. Fr. Carmelitæ.			
Tortingi. T.S. *Mariæ Magd.* P. nigri Canonici.			
Winchelseę. F. Rex *Edwardus II.* Fr. Prædicatores,			

T. DOMINAE NOSTRAE. F. *Guliel. de Buckingham* confirmatum ab *Edwardo III.* M.

WARWICHIÆ *Comitatus* vulgo WARWICK-SHIRE.

	R.	A.	
	l.	s.	d.
Alcetteriæ *vel* Alneceſteriæ. T.S. *Ioan. Baptiſt.* P. nigri monachi.	0101	14	00
Aſteleyæ. F. *Thomas* Dominus *Aſtley.* C. Decanus & Canonici ſæculares.	0039	10	06
Atherſtoni. Fr. Auguſtiniani.	0001	10	02
Auecateriæ *Cella ad Prioratum Maluerniæ* in agro *Wigornienſ.*	0034	08	00
Babelackæ. C.	0045	06	08
Berdeſlegæ. T.S. MARIAE. M. albi monachi.			
Cedburiæ. F. *Anteceſſores Radulphi Botelar* Militis, Baronis, & Domini de *Sudley* Theſaurarij Angliæ.			
Combæ. T.S. MARIAE. F. *Clamuilli & Mowbray.* M. albi monachi	0343	00	05
Couentriæ. T.S. *Annæ.* F. frater *Ioannes de Notherbury* Prior *Carthuſianus.* P. Carthuſiani.	0251	05	09
Couentriæ, T.S. MARIAE. F. Rex *Kanutus* & Comes *Leofricus Merciorum* An. Do. 1043. P. nigri monachi.			
Couentriæ. F. *Ioannes Poultney* Miles. A.D. 1332. Fr. Carmelitæ.	0007	13	04
Couentriæ. T.S. *Ioannis Baptiſtæ.* H.	0083	03	03
Ernebiæ *vel* Erdeburiæ. P.	0122	08	06
Godſcliffæ F. *Richardus* Comes *Warwichiæ.* C.			
Henwoodæ. T.S. *Margaretæ.* F. *Cethelbarne de la Laund.* V. Moniales.	0021	02	00
Kenelworthæ, F. *Galfridus Clinton* à cubiculis *Henr. I.* Regis. M. nigri Canoni.	0643	14	09
Kingeſwoodæ. V. nigræ moniales.			
Knollæ. F. *Elizabeth* VXOR *Ioannis* Domini *Clinton.* C.	0018	05	06
Maxſtockæ. P.	0129	11	08
Meriualli. T.S. MARIAE. F. *Robertus Ferrarius.* A. *I. Henrici II.* M. Albi monac.	0303	10	00
Nuncatoni. F. *Amicia* VXOR *Roberti Boſſu* Comitis *Leiceſtriæ.* V. moniales.	0290	15	00
Polleſworthæ. T.S. *Edithæ.* F. *Modwena* virgo *Hibernica.* Reparauit *Richardus Marmion* vir illuſtris. V. nigræ moniales.	0023	08	06
Pynleyæ. V. moniales.	0027	14	07
Stoneleyæ. F. Rex *Henricus II.* M. albi monachi.	0578	02	05
Stradfordiæ *ſuper Auonam. Eccleſia Collegiata.* F. *Ioannes de Stratford* Archiepiſcopus. *Cantuarienſis.*	0123	11	09
Studeleyæ. P. nigri Canonici.	0181	03	06
Thelfordiæ. F. *Lucij* Milites. Pauperes & Peregrini.	0023	10	00
Warwichiæ. T.S. *Sepulchri.* F. *Richardus Neuill* Comes warwichiæ. P.	0049	13	06
Warwichiæ. F. *Petrus de Mountford.* P. nigri Canonici.			
Warwichię. Fr. Prædicatores	0004	18	06
Warwichiæ. Eccleſia *Collegiata.*	0247	13	00
Warwichiæ. T.S. *Michaelis.* H.	0010	01	10
Warwichiæ. *Hongingate Cantoria.* F. *Thomas Beauchampe* Comes *Warwichiæ*			
Warwichiæ. T.S. *Georgij.* F. *Robertus de Deneby, Guiliel. Rouſſell,* & *Hugo Cooke* pro ſtatu Regis & *Annæ* Reginæ. *Michael de la Poole,* & omnes eorum fratres & ſorores, & pro *Enna* Principe *VValliæ.* Fraternitas			
Warwichiæ. T.S. *Baptiſtæ.* H	0019	03	07
Warwichiæ. T.S. *Ioannis.* F. *Thomas Beauchampe* Comes *VVarVVichiæ.* H			
Wroxhallæ. T. *Dei & S. Leonardi.* F. *Hugo de Hatton.* V. nigræ moniales.	0078	10	01

WESTMORLANDIA vulgo WESTMORLAND.

	R.	A.	
	l.	s.	d.
Sharpæ. F. *Thomas* filius *Goſpatricij* filij *Ormi.* M.	0166	10	06

WIGORNIÆ *Comitatus* vulgo WORCESTER-SHIRE.

	R.	A.	
	l.	s.	d.
Alceturiæ. *Cellula.*	0075	07	00

Borde-

Bordelegæ T.S.MARIAE.F.*Henricus* II.Rex & *Mathildis* Imperatrix. P. Albi monachi.
Bredoni.F.Offa Rex *Merciorum.*
Brodeleyæ.T.S. MARIAE.M.Albi monachi. 0302 08 06
Cokehillæ. V. Albæ moniales. 0084 13 11
Elnecestriæ. P. nigri Canonici.
Eueshamiæ.T.MARIAE.& *S.Edburgæ.*F.*Egwinus* Episcopus *Wigornienſis* & ibidem primus Abbas, cum Rege *Kenredo* filio *Wolpheri* Regis *Merciorum*, *Offa Rege*, A.D.700.M.nigri monachi 1268 09 09
Haleſoweni.F. *Petrus de Rupibus.*Episcop.*Wintonienſi.*Alij.*Ioannes* Rex. 0282 13 04
Maluerne *maiore.* T. S. MARIAE. F. *Alwinus* monachus, auxit *Edwardus* I. Rex An.Dom.1085.P.nigri monachi Benedictini. 0375 00 06
Maluerne *Minore.*T.S.*Ægidij.*F.*Iocelinus* & Edredus fratres,& ambo ibidem religiosi. Auxit *Guilielmus Blois* Episcop. *Wigornienſis* A.D.1171. P. Nigri monachi. 0102 10 09
Penworthamiæ.F.*Domini Regis* Progenitor. 0099 05 03
Pershoreæ.T.S.MARIAE.& *S. Edburgæ.* F. *Egelwardus* Dux *Dorſetiæ*, regnante *Edgaro.Oswaldus* Rex.M.nigri monachi. 0666 13 00
Westwordiæ. V. nigri moniales. 0078 08 00
Whistoni *Iuxta Wigorniam.* P. 0056 03 07
Worcestriæ(quæ & *Wigorniæ*)T.S.MARIAE. S.*Wolstani.S. Catharinæ.*F.*Sexwulphus* Episcopus *Merciorum* A.D.680.*Oswaldus* Episcopus *Wigornienſis.Wolſtanus* ibidem Episcopus A.D.1090.Isti permanserunt 500 annis. *Henricus* VIII. in eorum locum substituit Decanum & Præbendarios, & adiunxit scholam Grammatices. M. nunc *Ecclesia cathedralis.* Nigri monachi. 1386 12 10
Wigorniæ.Fr. Minoritæ.
Wigorniæ.F. *Guilielmus Beauchampe.*Fr.nigri fratres
Wigorniæ. T.S. *Wolſtani.* H. 0063 18 10
Worton Wauini. F. *Comitiſſa Staffordiæ.*P.
T.S.*Oswaldi.*P. 0013 14 04

WILTONIENSIS *Comitatus vulgo* WILT-SHIRE.

	R.	A.	
	l.	ſ.	d.
Ambresburiæ.F.*Alfrithæ* vxor *Edgari* Regis.M.Albi monachi.	0558	10	02
Ambresburiæ F. Rex *Etheldredus* V.Sacræ Virgines			
Austiæ.H.	0081	08	05
Bradnestokiæ.T.S.MARIAE F.*Walterius* filius natu maior *Walteri d'Eureux* Comitis *Roſmarienſis* in *Normannia*;P,nigri monachi.	0270	10	08
Bromhoriæ *vel* Bromoriæ T. S. MARIAE.& S.*Michaelis* F.*Balduinus* Comes *de Riuers* & *Deuoniæ*.P.nigri Canonici.			
Brioptunæ.T.S.*Mariæ Magd.*P.nigri Canonici.			
Calnæ.H.	0002	02	08
Crekeladiæ.H.	0004	10	07
Edoroſiç. F.*Henricus II.*& postea *Henricus III.*Reges.P.nigri Canonici.	0133	00	07
Edindoni.T.*Omnium Sanctorum.* F. *Guiliel. de Edindon* Episc. *Wintonienſis* P.Boni homines	0521	12	05
Estoni T.S.*Trinitatis.*P.	0055	14	04
Faleighæ Monachorum. T.S. *Mariæ Magd.* F. Comes *Herefordenſis.* vel *Herrfordenſis* P.Nigri monachi Cluniacenſes.	0217	00	04
Fisharræ.F. *Maria* Comitiſſa *Norfolciæ.* Fr.Prædicatores.			
Heitesburiç *Eccleſia Colleg.*F.*Robertus* Dominus *Hungerford.*& Margareta			
Hentoni F.*Ela* Comitiſſa *Salisburiæ* V.moniales.			
Kyntoni.T.S.MARIAE & *S.Michaelis.*P.Moniales.	0038	03	10
Lacockæ T.S.MARIAE.F.*Ela* Comitiſſa *Salisburiæ.*A.D.1232.M.	0203	12	03
Malmesburiæ. T.S.*Adelmi.*F.*Madulphus Hiberno-Scotus*, *Adelmus* eius discipulus, & *Athelſtanus* Rex.M.nigri monachi.	0803	17	07

Haverfordwestiæ *in Penbrochiæ Comitatu*. P.	0135	06	01
Kydwellyæ *in Maridunensi Comit.* Cella.	0029	10	00
Llanleyriæ *in Maridunensi Comit.* M.	0057	05	04
Neoporti. Fr. Augustiniani.			
Pullæ. P.	0052	02	05
Slebachiæ *in Penbrochiensi Comit.* Præceptoria.	0184	10	11
Stratæflordæ *vel* Stratfloweræ *in Comi. Ceretic.* F. *Griffith Rhese & Meredith.* M.	0122	06	08
Swanleyæ Guardianatus.	0020	00	00
Talleyæ. T.S. MARIAE & *S. Ioannis Baptistæ.* F. *Restus.* M.	0153	01	04
Tyronenteæ. F. *Robertus Martin* sub Henrico.			

LANDAFFENSIS *Diœcesis.*

	R. l.	A. s.	d.
Abergeuenniæ *in Merionithiæ Comit.* P.	0059	04	00
Brecknochiæ quæ & Brechinia *Cella Abbatiæ de Bello* T.S. *Ioan. Euangelistæ.* F. *Bernardus de Newmarch. Miles,* & *Rogerus* Comites *Herefordiæ* sub *Henrico I.* Fr. nigri Fratres.			
Cardiffæ. Fr. Minoritæ.			
Cardiffæ Fr. nigri fratres.			
Chepstowæ *in Merionithiæ Comit.* M.	0032	04	00
Gratiæ Dei *in Merionithiæ Comit.* T.B.M ARIAE *Virginis.*	0019	04	04
Goldcliffæ *in Merionithiæ Comit.* F. *Chandos.* P.			
Kymnerciæ *cum Capella.* P.	0008	04	08
Lanternæ *in Merionithiæ Comit.* M.	0071	03	02
Malpasiæ *prope Neoportum iuxta fluuium Vskam.* Cella.	0014	09	11
Monumuthiæ *in Merionithiæ Comit.* T.S. *Catharinæ & S. Florentij.* P. nigri mona.	0050	01	11
Morganiæ *in Clamorganiæ Comit.* F. *Guilielmus* Comes *Gloceſtriæ.* M.	0188	14	00
Nethæ *in Clamorganiæ Comit.* T.B. MARIAE *Virginis.* F. *Richardus Granuils.* M.	0150	04	00
Tinternæ *in Merionithiæ Comit.* F. *Walterus* filius *Richardi* Comitis *de Ogi,* frater *Gilberti* Comitis *Penbrochiæ.* M.	0256	11	06
Vskæ *in Merionithiæ Comit.* P.	0069	09	08

Integra & totalis summa redditurum, omnium spiritualium promotionum, seu dignitatum in *Anglia* & *Wallia*, tempore *Henrici VIII.* qui primus Religiosas & Deo dicatas Ædes plurimas euertit, pertingebat ad 320180. l. 10. s. ex quibus in profanos vsus ille conuertit summam 161100. l. 9. s. 7. d.

Finis Catalogi.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS Dei gratia Rex Castiliæ, Aragoniæ &c. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ &c. diplomate suo sanxijt, ne quis intra octennium NICOLAI HARPSFELDII *Historiam Anglicanam Ecclesiasticam*, nunc primum eductam in lucem à R. P. RICHARDO GIBBONO *Anglo*, Societatis IESV Theologo, per ipsius Prouincias aut imprimat, aut alibi impressa vendat, nisi qui illud ex arbitrio eiusdem RICHARDI præstare possit. Vt latiùs Regiæ testantur literæ datæ Bruxellis XXIV. Septembris M. DC. XXI.

Signat E. DE BERTI.

EX facultate mihi concessa à Regia Maiestate, tibi MARCO WYON potestatem facio, prædictum opus hac tantùm vice typis euulgandi, libera mihi pro reliquis seruata priuilegij vi & vsu. Duaci in Collegio Societatis IESV die XX. Decembris M. DC. XXI.

RICHARDVS GIBBONVS.

APPROBATIO.

HÆc *Historia Ecclesiastica Anglicana Nicolai Harpsfeldij* olim *Ecclesiæ Cantuariensis Archidiaconi*, magna fide & diligentia conscripta est, multaque continet scitu dignissima, nec habet aliquid fidei aut moribus contrarium. Quapropter ad legentium fructum vtiliter prelo committetur. Dat. Duaci 12. Iun. 1620.

GEORGIVS COLVENERIVS *S. Theol. Doctor, & Regius ordinariusque Professor, Collegiatæ ecclesiæ S. Petri Præpositus, Academiæ Duacenæ Cancellarius, & Librorum censor.*

ERRATA CORRIGENDA.

POst aliquot hebdomadas quàm cœpta fuisset excudi hæc historia, ex meliore & correctiore exemplari deprehensum est, pauca quæ dum errata irrepsisse, quæ quod maioris essent momenti, prætereri non debuerunt. Ex eodem correcto exemplari nacti sumus & præfationem Auctoris, & nomenclaturam Scriptorum quibus vsus fuit, vna cum indice Capitum totius operis.

Errata sic corrige. Pag. 1 linea 10. *Historiam &c.* Corrige. *Historiam itaque à Christo &c.* Ibidem lin. 27. *eandem cum &c.* Corrige. *eandem ipsum Deum nostrum & hominem &c.* Pag. 4 lin. 34. Factis itaque Corr. Factisitaque Pag. 6 lin. 44 *Ventum* Corr. *Vincentium* Pag. 8 lin. 34 *Maxentium Maximianum.* Corr. *Maxentium Maximianum.* Pag. 16 lin. 39. *quibus martyrium* Corr. *quibus martyrium compunctum.* Pag. 17 lin. 38. *irreceptissimam.* Corr. *receptissimam.* Ibidem *natus fit.* Corr. *natus fuit.* Pag. 38 lin. 44 *infractus.* Cor. *anfractus.* Pag. 39 lin. 49. *certus.* Cor. *certo.* Pag. 743 lin. 16. *Vessero.* Cor. *Vasæo.*

Reliqua eiusmodi sunt, vt illa facile ac per se quisque corrigat.

Digitized by Google

Digitized by Google